



DISPUTATIONES
THEOLOGICÆ
In Primam Partem
SUMMÆ THEOLOGIÆ
SANCTI THOMÆ,
EDITÆ

AB ADMODUM REVERENDO PATRE
FR. PAULO MARIA CAUVINO DE NICÆA
ORDINIS PRÆDICATORUM
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,
Ac in Collegio Casanatensi de Urbe
Theologo.



ROMÆ, MDCCIX.

Ex Typographia Komarek in Via Cursûs.
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO NOSTRO CLEMENTI XI. PONTIFICI MAXIMO.





FR. PAULUS MARIA CAUVINUS

Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Magister, ac Theologus Casanatensis Sempiternam felicitatem.



COGITANTI mihi; quemnam impræsentiarum Mecænatem seligere deberem, cui hasce meas in tripartitam S. Thomæ Summam elucubrationes dedicarem, ecce primo obtutu observatum est, SANCTITATIS TUÆ, BEATISSIME PATER, optimum, maximumque Patrocinium. Ast ubi seriò, ac diligenter perpendi, qualem in Orbe Christiano, quà latè pateat, Personam geras, suspensus hæsii, veritus ne temerariæ cujusdam à me susceptæ Provinciæ meritò postularer.

Hanc mihi Personam graphicè depingebat Mellifluus Doctor, cum supremas Tui in Eugenio III. dotes laconico quidem, at plurima paucis complectente stylo celebraret. Quis es? (inquit,) *Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum; Tu Hæres Apostolorum; Tu Primatu Abel; Gubernatu Noe; Patriarchatu Abraham; Ordine Melchisedech; Dignitate Aaron; Authoritate Moyses; Judicatu Samuel; Potestate Petrus; Unctione Christus. Tu es, cui traditæ claves, cui oves creditæ sunt.* Lib. 2. de consideratione ad Eug. III.

Hanc

Hanc mihi quoque Personam delineabat, Angelicus Doctor, dum opusculo de regimine Principum summam Tuam,& augustissimam Potestatem, quæ omnia, quę sub cælo sunt, lata dominia in immensum præcellit, mirum in modum efferret. Expendens siquidem illud Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* sic angelico planè penicillo imaginem tuam deducit. *Hic quatuor ponuntur clausulæ, omnes significativæ Dominii Petri, suorumque Successorum super omnes fideles, & propter quas meritò Summus Pontifex, Episcopus dici potest Rex, & Sacerdos.... Quarum una sumitur ex Nominis impositi magnitudine. Secunda verò ex Dominii fortitudine: Tertia autem ex Dominii amplitudine. Quarta ex Dominii plenitudine. Primam igitur partem præfatam accipimus, cum Dominus dicit, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. In hoc enim Nomine, ut Sacri exponunt Doctores, sicut Hilarius, & Augustinus, Dominus Potentiam Petri insinuat, quia à Petra, quæ est Christus, ut dicit Apostolus, cujus confessionem Petrus præmiserat, Petrus est appellatus, ut secundum etiam quandam participationem, nomen acquirat, & potestatem, & audire mereatur, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quasi totum Dominium inter fideles ex Petro dependeat in ejus Successores. Secunda verò clausula Dominii importat fortitudinem, quod significat verbum, quod sequitur, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quæ sunt Curiæ tyrannorum, & persecutorum Ecclesiæ, ut Doctores Sacri ibidem tradunt, sic dictæ, quia sunt causa omnium peccatorum intra Ecclesiam militantem...... Dominii verò amplitudo ostenditur, cum subjungit Dominus: Et tibi dabo claves Regni cælorum. In hoc enim insinuatur nobis potestas Petri, & Sucessorum suorum, quæ se extendit ad totam Ecclesiam, scil. Militantem, & Triumphantem, quæ per Regnum cælorum designatur, & quæ clauduntur clavibus Petri. Sed Dominii plenitudo ostenditur, cum ultimò dicitur; & quodcunque ligaveris super Terram erit ligatum & in Cælis; & quodcunque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis. Cum enim Summus Pontifex sit Caput in corpore mystico omnium fidelium Christi, & à capite sit omnis motus, & sensus in corpore verò, sic erit in proposito. Propter quod opportet dicere in Summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum, ut competat sibi, quod de primo Principe Domino dicimus, quia de plenitudine ejus nos omnes accipimus;* unde concludit; *omne supergreditur Dominium.*

Opusc. de Regimine Principum c. 10.

Hæc cum sint verissima, ac fulgidissima SANCTITATIS TUÆ in sublimi dignitatis Solio constitutæ, ac utriusque Regiminis clavum tenentis stemmata, & lemmata, ità animum meum insolito quodam fulgore percellunt, ut quamvis micātes ex Throno Pontificię Majestatis Tuę radios propiùs gestiam, cupiamq; prospicere, hanc tamen Beatitudinem ut assequar, haud uno mihi conatu est allaborandum. Tale quidpiam modo experientia comprobo, quod S. Chrysostomus dum Pauli laudes expanderet; expertum se; candidè profitetur. *Sæpè fulgido Cæli globo delectatus oculus;* inquit; *ad spectaculum oppositi è regione luminis, sese violenter intendit, & licet sentiat aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis Orbis reluctatur corusco. Tale igitur ego ipse perpetior: qui cum videam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem velut eminus intueri, & contra importabiles solis micatus contentiosa subire certamina.*

Homil. 8. de laudibus D. Pauli.

Hæc ut pertentare audeam ego, animos addunt, BEATISSIME PATER, tum innata benignitas, qua universos ad Tuorum Pedum oscula clementissimè provocas: Tum affabilis Majestas, quæ cunctos ad Sacro-sanctum Thronum provolutos

lutos humanissimè pertractas: Tum etiam serenus Vultus, quo infinitis licet; Tum hisce præsertim calamitosis temporibus negotiorum labyrinthis districtus, singulos in conspectum Tuum prodeuntes, liberalissimè consolaris: unde de SANCTITATE TUA id asseverare meritò possum, quod S. Athanasius de Magno illo Præsule Ozio propalare nullus dubitavit. *Quis Te mæstus adiit, ut non lætus abierit? quis indigus à Te postulavit, quin postulatum obtinuerit?* Neque parum ad hoc me extimulare potuit singularis quædam benevolentia, qua vel ab initio, SANCTITATIS TUÆ Imperio pro mea tenuitate humiliter obsequentem; cæterosque ex nostris, quoties Paternam Benedictionem Tuam aucupamur, blandè, ac comiter soleas excipere.

Et verò cujus ad aras Theologiam ex purissimis, ac limpidissimis Doctoris Angelici fontibus haustam potiori titulo appendere debeam, quàm ejus, qui angelico planè modo universam Ecclesiam sibi divinitùs commissam purgat, illuminat, perficit. Purgat ab errore, & vitio: illuminat Doctrina, & splendore morum: perficit sacris institutis, & authoritate verè Apostolica. Purgas, inquam BEATISSIMÆ PATER, Sacram Sponsam curæ Tuæ concreditam, sive dum ut alter felicis recordationis Papa Innocentius XI., & abusus in eam gliscentes confestim reprimis, & Ecclesiasticam disciplinam in pristinum restituis splendorem: sive dum ut alter Leo Magnus suppullantes non ità pridem errores, ac plurium jam incautorum animos sensim occupantes, vibrato cælestis eloquii gladio faustè admodum obtruncasti. Hic se se explicuit Apostolici pectoris Tui zelus: hic percensere prava dogmata quid pro domo Dei valeat æstuans, pugnansque spiritus.

Jam verò quantum doctrinæ, ac sanctimoniæ lumen fideli populo affundas, qui vitæ præstans munditie, morumque candore enitens, summa in Deum, atque proximum ardens pietate, indefesso in componendis Christianorum Principum dissidiis studio laborans, omnigena demum eruditione rutilans, nitidum Te speculum exhibes, in quo universi quid rerum intersit, plenè conspiciant. Planè hic videre mihi videor æternis laudibus extollendum Magnum Gregorium, cujus instituta, mores, zelum, sapientiam, cæterasque præclarissimas Dotes sic propiùs æmularis, ut in CLEMENTEM, transfusum si prædicaverim, nihil verear, ut à quoquam adulationis, falsitatisve labè respergar. Gregorius acclamante Clero, Senatu, Populoque Romano, uno omnium consensu Papa nominatur: at ille honorem declinans indignum se tanto Sacerdotio contestabatur; ac non nisi invitus tandem multumque reluctans supremum in se Pontificatum suscepit. CLEMENS XI. conspirantibus omnium votis in Pontificem Optimum Maximum electus tanto se oneri imparem esse protestabatur: ac non nisi post recusationem, post fusas quàm ferventissimas Orationes, post virorum piorum consultationes, post repetitas Cleri, Populique Romani supplicationes Petri Cathedram subivit. Gregorius animarum sitientissimus Viros Aopostolicos Duce Augustino Viro Sanctissimo in Angliam misit, ut in Idololatriæ tenebris versantes Populos Evangelica luce perfunderet. CLEMENS XI. fidelium saluti prospiciens Missionarios in longinquas finarum plagas destinavit, qui præunte Eminentissimo, ac integerrimo Viro Turnonio Neophitas ibidem saluberrimis imbuerent documentis. Gregorius sævientem pestem, ac Populum gravissimè devastantem, ut amoveret, quid non præstitit, quo iratum Numen placaret? Jejunium indixit; solemnes processiones ordinavit; preces instituit frequentes; populum ad pænitentiam invitavit. CLEMENS XI. dum Urbs tota insolitis terremotibus tremendum in modum quateretur; quot Deus bone? laboriosos pænitentiæ fructus exeruit, ut

immi-

imminens supremi peccatorum Vindicis flagellum precaveret. Non sat habuit, penitentiam, orationes, processiones, aliaquè, id genus, pia opera edicere, nisi amplissimum quoque Jubileum dispensaret. Non sat habuit populo Romano interdicere bachanalibus, nisi etiam efficeret, ut ad quinquennium usque iisdem ludis abstenturum se nuncupato voto sponderet. Non sat habuit religiosa hujusmodi exercitamenta ceteris precipere, nisi & ipse ea ad amussim observaret: & ut olim Moyses sequester, & medius inter Deum, populumque, aut ut Aaron intendens manum Populis magna expectatione suspensis benediceret, deumque precaretur, ut lugenti Populo parcere dignaretur: Unde Terra tremuit equidem, at interpellante pro nobis Sanctissimo Pontifice statim quievit. Quid plura? Gregorius ne quid officio suo deesse videretur, Homilias ad fidelium ædificationem concinnabat. CLEMENS XI., ut Augustissimi sui Muneris partes omnes impleret, Homilias quoquè in maximis solemnitatibus, & publicis calamitatibus ad florentissimum Romane Ecclesiæ Clerum, Populumque habet, quò eos ad pietatem, & Pœnitentiam accendat. In quibus quid primum admirari debeas, sermonis facundiam, an Doctrine ubertatem, an mirificam Spiritus Sancti Unctionem? planè nescias.

Quid referam reliqua SANCTITATIS TUÆ in perficiendis Ecclesie moribus, tutandis juribus, procurandis pacis emolumentis Apostolica facinora? mitto accuratam justitiæ observantiam, & publici commodi curam vigilantissimam. Hinc oculos, animum, studia intendis, ut equitatem in omnibus fartam, tectamque conserves, & jus sanctissimè dicas, ut singula ad Sanctuarii pondus exigas, & controversias omnes ex singulis Orbis partibus ad Tribunal tuum delatas, quàm diligentissimè componas, ut denique Romam religiosis expolias statutis, & deposito veteri homine novam in Christo personam induat, prescriptis à Te Evangelii regulis sancias. Sileo etiam que nuperrimis hisce diebus præbuisti in oculis Urbis, & Orbis, Religionis, Pietatis, Pastoralis sollicitudinis, stupenda æternisq; monumentis consignanda specimina. Quid in proxima, quam patiebatur Ecclesie tranquillitas, rerum tempestate opportuniùs, sanctiùsque ageres? Ad supremum Largitorem pacis, & Authorem confugiens, Sacratissimam Salvatoris Vultus Iconem publicè circumgestari jussisti, quem semel, atque iterum, in maximam fidelis Populi ædificationem es comitatus: propriam valetudinem nihil pensi habens, ut Ecclesiæ, & Populo tuo pacem conciliares. Beati Pii V. (cujus Canonizationem, Tibi Cordi quàm maximè esse nemo non novit) vestigia hac in parte pressisti. Heroicum virtutis factum delibavi tantùm, non exposui: neque enim id ullo mihi satis eloquio depromi potest, quod ne animus quidem in admiratione positus concipere pro merito valeat.

Plura ne dicam BEATISSIME PATER, vetat ampla dicendi materies, que quantò uberior, tantò humilis oratoris frangit audaciam. Verum enim verò Deum Optimum Maximum, cujus vices in Terra geris, jugibus precibus efflagitabo, ut SANCTITATEM TUAM diù sospitem, incolumemquè servet; & CLEMENTEM XI. numeris omnibus absolutum Pontificem, ad multos Annos pro Ecclesiæ suæ Regimine, pro Cathedræ Petri gloria, pro Orthodoxæ Fidei propagatione, pro reddenda toti Orbi Christiano pace, vigore Spirituum Celestium animet.

AD LECTO-

AD LECTOREM.



OST expletum Philosophicum cursum, alterum tibi Amice Lector, Superiorem porrigere incipio, seù primitias Theologiæ, quas si begnignè, & pari candore, atque affectu, quo priorem, exceperis, facilè indigitabunt uberem segetem, quam in eadem tempore opportuno colligere possis; ut hinc quoque scias me ab incæpto opere non vacaturum, donec Deo benedicente vota impleam ad discipulorum saltem lumen, & eruditionem. Candidè tamen dicam, adeò nos strictè, sed justissimè ad hoc Collegium Casanatense vocatos esse in obsequium, famulatum, atque obedientiam ad Sedem Apostolicam, ut pro ea implenda sæpè aliò mentem, & calamum dirigere necessitas postulet. Proindè si in mora esse interdum contigerit, non sit tibi grave, nec molestum, sed patienter feras, & dare veniam digneris, nam statim adero, & prosequar, ut votis etiam tuis pro debito respondere possim. Rogo etiam ut si in nævos aliquos offendas, (qui tamen oculos magis lædunt, quàm formam dehonestent, seù sensum corrumpant,) non illicò me arguas de incuria, vel oscitantia, quia licet continuò, & vigilanter occurrere non cessaverim, ob plura tamen additamenta, & plus fortè nimiò exaratas compendio voces, seu dictiones, (ut moris est in scholis,) adamussim omnes dispicere, ac corrigere non fuit possibile. Quod tamen summopere vellem te ex alienis non esse, qui contra Theologiam Scholasticam intemperanter detrectant, immemores, vel non advertentes, quòd puritas morum, rectaque Scripturarum, SS. PP. aliarumque id genus, authoritatum intelligentia pro vitandis erroribus ad eorum examen, utpotè ex lumine infallibili procedentium strictissimè spectaot, ut sollicitè monet D. Thom., vel ab initio suæ Summæ quæst. 1. art. 6. ad 2. ubi inquit. *Propria autem hujus scientiæ cognitio est, quæ est per divinam revelationem, non autem quæ est per naturalem rationem. Et ideò non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Unde dicitur 2. Corinth. 10. consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

Sed iterum audiatur ad hanc rem in Prologo, sive in exordio opusculi primi contra errores Græcorum, ad Urbanum IV. Pontificem Maximum, ubi in laudem, & necessitatem modernorum Scholasticorum gravissimè advertit, quòd moderni fidei Doctores cautiùs, & quasi elimatiùs locuti fuerint circa doctrinam fidei, quàm antiqui, & ea quidem de causa. *Quia errores* (inquit) *circa fidem exorti occasionem dederunt Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ut ea, quæ sunt fidei majori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos: sicut patet, quòd Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arrii non ita expressè locuti sunt de unitate Divinæ essentiæ, sicut Doctores sequentes, & similiter de aliis erroribus contingit. Quòd non solum in diversis Doctoribus,* (prosequitur) *sed in uno egregio Doctorum Augustino expressè apparet. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum hæresim edidis, cautiùs loquutus est de potestate liberi arbitrii, quàm in libris, quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, Divinæ gratiæ adversantes. Et ideò non est mirum* (concludit,) *si moderni fidei Doctores post varios errores exortos cautiùs, & quasi elimatiùs loquuntur circa doctrinam fidei ad omnem hæresim evitandam.* Et immediatè post, (quod valdè notandum est,) subjungit. *Unde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda, sed nec etiam ea extendere opportet, sed exponere reverenter.*

Quòd si ita est, (ut verissimè à S. Thoma profertur,) quòd moderni fidei Doctores cum suis temporibus omnium jam errorum incrementa penè absoluta conspexerint, adeoque ad omnia, & singula potuerint attendere faciliùs, quàm antiqui, mirum non sit, ut cautiùs, & quasi elimatiùs de rebus fidei loquantur ad omnem hæresim evitandam, quàm veteres illi, quibus tot hæresum, errorumque pestes nec dum innotuerant, utpotè, quæ prioribus seculis adhuc quasi in cunabilis absconditę latitabant. Id benè noverant, qui quotquot invenere scholasticæ Theologiæ libros, publico tradidere rogo Witembergenses olim heretici an. 1520. sperantes inde paulatim futurum, nullum tandem in Ecclesia repertum iri Theologiæ scholasticæ gladium in die prælii sibi cū Catholicis fortè futuri, nullosq; tandem, à quibus toties devicti sunt, scholasticos futuros esse Theologos: cumque nonnulli zelotæ Catholici, scholasticam plus nimiò deprimentes, soli positivæ quasi sufficienti vacandum tyronibus incautè suadeant, proindè nollem te peregrinum inter scholasticos, seu contra eosdem in Tui fortassè, vel aliorum perniciem, ut longo experimento damnatarum hæresum ad hæc usque tempora comprobatum est. Equidem non inficior, quin ultrò constanter sustineo, (ut infrà palam fiet in priori tractatu proęmiali,) arma tam offensiva, quàm defensiva ex scriptura, traditione, Conciliis, & Ecclesiæ, Patrumque authoritate deprompta ministrare positivam Theologo, sed Theologi manus docet ad prælium, & digitos ejus ad bellum dirigit scholastica, versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum scire docens. Quid namque ageret miles quàmlibet armatus, sive omni armorum genere munitus sine bellandi peritia? Rudis enim, & imperitus ad primum sæpè cadit hostis aggressum. Foveant ergo non despiciant ejusmodi alieni scholasticam Theologiam, quâ (ut docet laudatus Præceptor Angelicus hic quæst. 1. art. 2. in arg. sed cont. ex August. 14. de Trinit. cap. 1.) *Fides gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* Vale:

LICEN-


37
37 C
15

DISPUTATIONES
THEOLOGICÆ
In Primam Partem
SUMMÆ THEOLOGIÆ
SANCTI THOMÆ,
EDITÆ
AB ADMODUM REVERENDO PATRE
FR. PAULO MARIA CAUVINO DE NICÆA
ORDINIS PRÆDICATORUM
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,
Ac in Collegio Casanatensi de Urbe
Theologo.



ROMÆ, MDCCIX.

Ex Typographia Komarek in Via Cursûs.
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO PATRI,

AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.

  

FR. PAULUS MARIA CAUVINUS

Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Magister, ac Theologus Casanatensis Sempiternam felicitatem.



COGITANTI mihi, quemnam impræsentiarum Mecænatem seligere deberem, cui hasce meas in tripartitam S. Thomæ Summam elucubrationes dedicarem, ecce primo obtutu observatum est, SANCTITATIS TUÆ, BEATISSIME PATER, optimum, maximumque Patrocinium. Ast ubi seriò, ac diligenter perpendi, qualem in Orbe Christiano, quà latè pateat, Personam geras, suspensus hæsii, veritus ne temerariæ cujusdam à me susceptæ Provinciæ meritò postularer.

HANC mihi Personam graphicè depingebat Mellifluus Doctor, cum supremas Tui in Eugenio III. dotes laconico quidem, at plurima paucis complectente stylo celebraret. Quis es? (inquit,) *Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum; Tu Hæres Apostolorum; Tu Primatu Abel; Gubernatu Noe; Patriarchatu Abraham; Ordine Melchisedech; Dignitate Aaron; Authoritate Moyses; Judicatu Samuel; Potestate Petrus; Unctione Christus. Tu es, cui traditæ claves, cui oves creditæ sunt.* Li de fid tie ad II

Hanc mihi quoque Personam delineabat, Angelicus Doctor, dum opusculo de regimine Principum summam Tuam,& augustissimam Potestatem, quæ omnia, quę sub cælo sunt, lata dominia in immensum præcellit, mirum in modum efferret. Expendens siquidem illud Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* sic angelico planè penicillo imaginem tuam deducit. *Hìc quatuor ponuntur clausulæ, omnes significativæ Dominii Petri, suorumque Successorum super omnes fideles, & propter quas meritò Summus Pontifex, Episcopus dici potest Rex, & Sacerdos.... Quarum una sumitur ex Nominis impositi magnitudine. Secunda verò ex Dominii fortitudine: Tertia autem ex Dominii amplitudine. Quarta ex Dominii plenitudine. Primam igitur partem præfatam accipimus, cum Dominus dicit*, Ego dico tibi, *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. In hoc enim Nomine, ut Sacri exponunt Doctores, sicut Hilarius, & Augustinus, Dominus Potentiam Petri insinuat, quia à Petra, quæ est Christus, ut dicit Apostolus, cujus confessionem Petrus præmiserat, Petrus est appellatus, ut secundum etiam quandam participationem, nomen acquirat, & potestatem, & audire mereatur, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quasi totum Dominium inter fideles ex Petro dependeat in ejus Successores. Secunda verò clausula Dominii importat fortitudinem, quod significat verbum, quod sequitur, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quæ sunt Curiæ tyrannorum, & persecutorum Ecclesiæ, ut Doctores Sacri ibidem tradunt, sic dictæ, quia sunt causa omnium peccatorum intra Ecclesiam militantem...... Dominii verò amplitudo ostenditur, cum subjungit Dominus: Et tibi dabo claves Regni cælorum. In hoc enim insinuatur nobis potestas Petri, & Successorum suorum, quæ se extendit ad totam Ecclesiam, scil. Militantem, & Triumphantem, quæ per Regnum cælorum designatur, & quæ clauduntur clavibus Petri. Sed Dominii plenitudo ostenditur, cum ultimò dicitur; & quodcunque ligaveris super Terram erit ligatum & in Cælis; & quodcunque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis. Cum enim Summus Pontifex sit Caput in corpore mystico omnium fidelium Christi, & à capite sit omnis motus, & sensus in corpore verò, sic erit in proposito. Propter quod opportet dicere in Summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum, ut competat sibi, quod de primo Principe Domino dicimus, quia de plenitudine ejus nos omnes accipimus;* unde concludit; *omne supergreditur Dominium.*

Opusc. de Regimine Principum c. 10.

Hæc cum sint verissima, ac fulgidissima SANCTITATIS TUÆ in sublimi dignitatis Solio constitutæ, ac utriusque Regiminis clavum tenentis stemmata, & lemmata, ità animum meum insolito quodam fulgore percellunt, ut quamvis micãtes ex Throno Pontificię Majestatis Tuę radios propiùs gestiam, cupiamq; prospicere, hanc tamen Beatitudinem ut assequar, haud uno mihi conatu est allaborandum. Tale quidpiam modo experientia comprobo, quod S. Chrysostomus dum Pauli laudes expanderet; expertum se; candidè profitetur. *Sæpè fulgido Cæli globo delectatus oculus*; inquit; *ad spectaculum oppositi è regione luminis, sese violenter intendit, & licet sentiat aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis Orbis reluctatur corusco. Tale igitur ego ipse perpetior: qui cum videam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem velut eminus intueri, & contra importabiles solis micatus contentiosa subire certamina.*

Homil. 8. de laudibus D. Pauli.

Hæc ut pertentare audeam ego, animos addunt, BEATISSIME PATER, tum innata benignitas, qua universos ad Tuorum Pedum oscula clementissimè provocas: Tum affabilis Majestas, quę cunctos ad Sacro-sanctum Thronum provolutos

lutos humaniſſimè pertractas: Tum etiam ſerenus Vultus, quo infinitis licet; Tum hiſce præſertim calamitoſis temporibus negotiorum labyrinthis diſtetus, ſingulos in conſpectum Tuum prodeuntes, liberaliſſimè conſolaris: unde de SANCTITATE TUA id aſſeverare meritò poſſum, quod S. Athanaſius de Magno illo Præſule Ozio propalare nullus dubitavit. *Quis Te mæſtus adiit, ut non lætus abjerit? quis indigus à Te poſtulavit, quin poſtulatum obtinuerit?* Neque parum ad hoc me extimulare potuit ſingularis quædam benevolentia, qua vel ab initio, SANCTITATIS TUÆ Imperio pro mea tenuitate humiliter obſequentem; cæteroſque ex noſtris, quoties Paternam Benedictionem Tuam aucupamur, blandè, ac comiter ſoleas excipere.

Et verò cujus ad aras Theologiam ex puriſſimis, ac limpidiſſimis Doctoris Angelici fontibus hauſtam potiori titulo appendere debeam, quàm ejus, qui angelico planè modo univerſam Eccleſiam ſibi divinitùs commiſſam purgat, illuminat, perficit. Purgat ab errore, & vitio: illuminat Doctrina, & ſplendore morum: perficit ſacris inſtitutis, & authoritate verè Apoſtolica. Purgas, inquam BEATISSIME PATER, Sacram Sponſam curæ Tuæ concreditam, ſive dum ut alter felicis recordationis Papa Innocentius XI., & abuſus in eam gliſcentes confeſtim reprimis, & Eccleſiaſticam diſciplinam in priſtinum reſtituis ſplendorem: ſive dum ut alter Leo Magnus ſuppullantes non ità pridem errores, ac plurium jam incautorum animos ſenſim occupantes, vibrato cæleſtis eloquii gladio fauſtè admodum obtruncaſti. Hic ſe ſe explicuit Apoſtolici pectoris Tui zelus: hic percenſere prava dogmata quid pro domo Dei valeat æſtuans, pugnanſque ſpiritus.

Jam verò quantum doctrinæ, ac ſanctimoniç lumen fideli populo affundas, qui vitç prçſtans munditie, morumque candore enitens, ſumma in Deum, atque proximum ardens pietate, indefeſſo in componendis Chriſtianorum Principum diſſidiis ſtudio laborans, omnigena demum eruditione rutilans, nitidum Te ſpeculum exhibes, in quo univerſi quid rerum interſit, plenè conſpiciant. Planè hic videre mihi videor æternis laudibus extollendum Magnum Gregorium, cujus inſtituta, mores, zelum, ſapientiam, cæteraſque prçclariſſimas Dotes ſic propiùs æmularis, ut in CLEMENTEM, transfuſum ſi prçdicaverim, nihil verear, ut à quoquam adulationis, falſitatiſve labè reſpergar. Gregorius acclamante Clero, Senatu, Populoque Romano, uno omnium conſenſu Papa nominatur: at ille honorem declinans indignum ſe tanto Sacerdotio conteſtabatur; ac non niſi invitus tandem multumque reluctans ſupremum in ſe Pontificatum ſuſcepit. CLEMENS XI. conſpirantibus omnium votis in Pontificem Optimum Maximum electus tanto ſe oneri imparem eſſe proteſtabatur: ac non niſi poſt recuſationem, poſt fuſas quàm ferventiſſimas Orationes, poſt virorum piorum conſultationes, poſt repetitas Cleri, Populique Romani ſupplicationes Petri Cathedram ſubivit. Gregorius animarum ſitientiſſimus Viros Aopoſtolicos Duce Auguſtino Viro Sanctiſſimo in Angliam miſit, ut in Idololatriæ tenebris verſantes Populos Evangelica luce perfunderet. CLEMENS XI. fidelium ſaluti proſpiciens Miſſionarios in longinquas ſinarum plagas deſtinavit, qui prçeunte Eminentiſſimo, ac integerrimo Viro Turnonio Neophitas ibidem ſaluberrimis imbuerent documentis. Gregorius ſçvientem peſtem, ac Populum graviſſimè devaſtantem, ut amoveret, quid non prçſtitit, quo iratum Numen placaret? Jejunium indixit; ſolemnes proceſſiones ordinavit; preces inſtituit frequentes; populum ad pçnitentiam invitavit. CLEMENS XI. dum Urbs tota inſolitis terremotibus tremendum in modum quateretur; quot Deus bone? laborioſos pçnitentiç fructus exeruit, ut

immi-

imminens supremi peccatorum Vindicis flagellum precaveret. Non sat habuit, penitentiam, orationes, processiones, aliaquè, id genus, pia opera edicere, nisi amplissimum quoque Jubileum dispensaret. Non sat habuit populo Romano interdicere bachanalibus, nisi etiam efficeret, ut ad quinquennium usque iisdem ludis abstenturum se nuncupato voto sponderet. Non sat habuit religiosa hujusmodi exercitamenta ceteris precipere, nisi & ipse ea ad amussim observaret: & ut olim Moyses sequester, & medius inter Deum, populumque, aut ut Aaron intendens manum Populis magna expectatione suspensis benediceret, deumque precaretur, ut lugenti Populo parcere dignaretur: Unde Terra tremuit equidem, at interpellante pro nobis Sanctissimo Pontifice statim quievit. Quid plura? Gregorius ne quid officio suo deesse videretur, Homilias ad fidelium ædificationem concinnabat. CLEMENS XI., ut Augustissimi sui Muneris partes omnes impleret, Homilias quoquè in maximis solemnitatibus, & publicis calamitatibus ad florentissimum Romane Ecclesiæ Clerum, Populumque habet, quò eos ad pietatem, & Pœnitentiam accendat. In quibus quid primum admirari debeas, sermonis facundiam, an Doctrine ubertatem, an mirificam Spiritus Sancti Unctionem? planè nescias.

Quid referam reliqua SANCTITATIS TUÆ in perficiendis Ecclesie moribus, tutandis juribus, procurandis pacis emolumentis Apostolica facinora? mitto accuratam justitiæ observantiam, & publici commodi curam vigilantissimam. Hinc oculos, animum, studia intendis, ut equitatem in omnibus sartam, tectamque conserves, & jus sanctissimè dicas, ut singula ad Sanctuarii pondus exigas, & controversias omnes ex singulis Orbis partibus ad Tribunal tuum delatas, quàm diligentissimè componas, ut denique Romam religiosis expolias statutis, & deposito veteri homine novam in Christo personam induat, prescriptis à Te Evangelii regulis sancias. Sileo etiam que nuperrimis hisce diebus præbuisti in oculis Urbis, & Orbis, Religionis, Pietatis, Pastoralis sollicitudinis, stupenda æternisq; monumentis consignanda specimina. Quid in proxima, quam patiebatur Ecclesie tranquillitas, rerum tempestate opportuniùs, sanctiùsque ageres? Ad supremum Largitorem pacis, & Authorem confugiens, Sacratissimam Salvatoris Vultus Iconem publicè circumgestari jussisti, quem semel, atque iterum, in maximam fidelis Populi ædificationem es comitatus: propriam valetudinem nihil pensi habens, ut Ecclesiæ, & Populo tuo pacem conciliares. Beati Pii V. (cujus Canonizationem, Tibi Cordi quàm maximè esse nemo non novit) vestigia hac in parte pressisti. Heroicum virtutis factum delibavi tantùm, non exposui: neque enim id ullo mihi satis eloquio depromi potest, quod ne animus quidem in admiratione positus concipere pro merito valeat.

Plura ne dicam BEATISSIME PATER, vetat ampla dicendi materies, que quantò uberior, tantò humilis oratoris frangit audaciam. Verum enim verò Deum Optimum Maximum, cujus vices in Terra geris, jugibus precibus efflagitabo, ut SANCTITATEM TUAM diù sospitem, incolumemquè servet; & CLEMENTEM XI. numeris omnibus absolutum Pontificem, ad multos Annos pro Ecclesiæ suæ Regimine, pro Cathedræ Petri gloria, pro Orthodoxæ Fidei propagatione, pro reddenda toti Orbi Christiano pace, vigore Spirituum Celestium animet.

AD LECTO-

AD LECTOREM.



POST expletum Philosophicum cursum, alterum tibi Amice Lector, Superiorem porrigere incipio, seù primitias Theologiæ, quas si begnignè, & pari candore, atque affectu, quo priorem, exceperis, facilè indigitabunt uberem segetem, quam in eadem tempore opportuno colligere possis; ut hinc quoque scias me ab incæpto opere non vacaturum, donec Deo benedicente vota impleam ad discipulorum saltem lumen, & eruditionem. Candidè tamen dicam, adeò nos strictè, sed justissimè ad hoc Collegium Casanatense vocatos esse in obsequium, famulatum, atque obedientiam ad Sedem Apostolicam, ut pro ea implenda sæpè aliò mentem, & calamum dirigare necessitas pollulet. Proindè si in mora esse interdum contigerit, non sit tibi grave, nec molestum, sed patienter feras, & dare veniam digneris, nam statim adero, & prosequar, ut votis etiam tuis pro debito respondere possim. Rogo etiam ut si in nævos aliquos offendas, (qui tamen oculos magis lædunt, quàm formam dehonestent, seù sensum corrumpant,) non illicò me arguas de incuria, vel oscitantia, quia licet continuò, & vigilanter occurrere non cessaverim, ob plura tamen additamenta, & plura fortè nimiò exaratas compendiu voces, seu dictiones, (ut moris est in scholis,) adamussim omnes dispicere, ac corrigere non fuit possibile. Quod tamen summopere vellem te ex alienis non esse, qui contra Theologiam Scholasticam intemperanter detrectant, immemores, vel non advertentes, quòd puritas morum, rectaque Scripturarum, SS. PP. aliarumque id genus authoritatum intelligentia pro vitandis erroribus ad eorum examen, utpotè ex lumine infallibili procedentium strictissimè spectant, ut sollicitè monet D. Thom., vel ab initio suæ summæ quæst. 1. art. 6. ad 2. ubi inquit. *Propria autem hujus scientiæ cognitio est, quæ est per divinam revelationem, non autem quæ est per naturalem rationem. Et ideò non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Unde dicitur 2. Corinth. 10. consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

Sed iterum audiatur ad hanc rem in Prologo, sive in exordio opusculi primi contra errores Græcorum, ad Urbanum IV. Pontificem Maximum, ubi in laudem, & necessitatem modernorum Scholasticorum gravissimè advertit, quòd moderni fidei Doctores cautiùs, & quasi elimatiùs locuti fuerint circa doctrinam fidei, quàm antiqui, & ea quidem de causa. *Quia errores* (inquit) *circa fidem exorti occasionem dederunt Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ut ea, quæ sunt fidei majori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos: sicut patet, quòd Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arrii non ita expressè locuti sunt de unitate Divinæ essentiæ, sicut Doctores sequentes, & similiter de aliis erroribus contingit. Quòd non solum in diversis Doctoribus*, (prosequitur) *sed in uno egregio Doctorum Augustino expressè apparet. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum hæresim edidit, cautiùs loquutus est de potestate liberi arbitrii, quàm in libris, quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, Divinæ gratiæ adversantes. Et ideò non est mirum* (concludit,) *si moderni fidei Doctores post varios errores exortos cautiùs, & quasi elimatiùs loquuntur circa doctrinam fidei ad omnem hæresim evitandam.* Et immediatè post, (quod valdè notandum est,) subjungit. *Unde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda, sed nec etiam ea extendere opportet, sed exponere reverenter.*

Quòd si ita est, (ut verissimè à S. Thoma profertur,) quòd moderni fidei Doctores cum suis temporibus omnium jam errorum incrementa penè absoluta conspexerint, adeoque ad omnia, & singula potuerint attendere faciliùs, quàm antiqui, mirum non sit, ut cautiùs, & quasi elimatiùs de rebus fidei loquantur ad omnem hæresim evitandam, quàm veteres illi, quibus tot hæresum, errorumque pestes nec dum innotuerant, utpotè, quæ prioribus seculis adhuc quasi in cunabilis absconditę latitabant. Id benè noverant, qui quotquot invenere scholasticæ Theologiæ libros, publico tradidere rogo Witembergenses olim heretici an. 1520. sperantes inde paulatim futurum, nullum tandem in Ecclesia repertum iri Theologiæ scholasticæ gladium in die prælii sibi cũ Catholicis fortè futuri, nullosq; tandem, à quibus toties devicti sunt, scholasticos futuros essa Theologos: cumque nonnulli zelotæ Catholici, scholasticam plus nimiò deprimentes, soli positivæ quasi sufficienti vacandum tyronibus incautè suadeant, proindè nollem te peregrinum inter scholasticos, seu contra eosdem in Tui fortasse, vel aliorum perniciem, ut longo experimento damnatarum hæresum ad hæc usque tempora comprobatum est. Equidem non inficior, quin ultrò constanter sustineo, (ut infrà palam fiet in priori tractatu proœmiali,) arma tam offensiva, quàm defensiva ex scriptura, traditione, Conciliis, & Ecclesiæ, Patrumque authoritate deprompta ministrare positivam Theologo, sed Theologi manus docet ad prælium, & digitos ejus ad bellum dirigit scholastica, versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum scire docens. Quid namque ageret miles quàmlibet armatus, sive omni armorum genere munitus sine bellandi peritia? Rudis enim, & imperitus ad primum sæpè cadit hostis aggressum. Foveant ergo non despiciant ejusmodi alieni scholasticam Theologiam, quâ (ut docet laudatus Præceptor Angelicus hic quæst. 1. art. 2. in arg. sed cont. ex August. 14. de Trinit. cap. 1.) *Fides gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* Vale:

LICEN-

LICENTIA REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI GENERALIS

Nos FR. ANTONINUS CLOCHE Sac. Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus, salutem.

HARUM serie nostrique authoritate Officii, tibi Adm. Rev. P. Fr. Paulo Mariæ Cauvino de Nicæa, Sac. Theologiæ Magistro, & in Alma Urbe Collegii Casanatensis Theologo facultatem quantum in nobis est concedimus, ut possis Typis mandare opus à te compositum, cui titulus *Disputationes Theologicæ in primam Partem Divi Thomæ*, de mandato nostro revisum, & approbatum à duobus Theologis Ordinis nostri servatis de jure servandis. In nomine Patris &c. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam, die 25. Februarii 1709.

FR. ANTONINUS CLOCHE Magister Ordinis.

Loco ✻ Sigilli.

Regist. fol. 38.

FR. CAROLUS HYACINTHUS LASCARIS Mag. & Pro-Socius.

APPROBATIO Theologorum Ordinis.

ERUDITAS Adm.Rev.P.Fr.Pauli Mariæ Cauvini Sac.Theologiæ Magistri, ac Theologi Casanatensis, Ord. Prædic. *Disputationes Theologicas in primā par. Summæ Theologiæ D.Thomæ*, Ordinis nomine lectas, unanimi cōsensu non solum judicamus publica luce dignas, cum nihil adversum fidei, nec morum disciplinæ contineant, sed etiam ad promovendam Thomisticam Doctrinam juxtà mentem ejusdem Angelici Præceptoris valdè efficaces. In cunctis enim illius puritas, soliditas, veritas, atque profunditas, diligenter indagata, fideliter exposita, & candidè exarata conspicitur. Quarè dum tam operosis lucubrationibus subscribimus non tam amici Doctrinæ calculum adjicimus, quàm communis Doctoris sententias prona animi veneratione suscipimus. Romæ die 20. Augusti 1707.

Fr. Raphael Maria Philamundus Sac. Theologiæ Magister Ord. Prædic. Bibliotecarius Casanatensis, assumptus ad Episcopatum Suissesanum.

Fr. Carolus Hyacinthus Lascaris ejusdem Ordinis, Sac. Theologiæ Magister, & Bibliotecarius Casanatensis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

APPROBATIO Reverendiss. P. D. Jo. Michaelis Teronii Congreg. Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum Procuratoris Generalis, & Sac. Congregationis Indicis Consultoris, S.Rom. & Universalis Inquisitionis Qualificatoris.

DE mandato Reverendiss. Patris Paulini Bernardinii Sac. Apost. Palatii Magistri, Perlegi Librum egregiè compositum ab Adm.R.P. Magist. Cavini, cui titulus *Disputationes Theologicæ in 1.par.D.Th.&c.* In quo ea, quæ in eadem 1.par. tractantur, usq;ad quæstionem de scientia Dei exclusivè scholastica methodo discutiuntur, & reperi opus hoc censorem respuere, Panegyrim exigere, est enim claritate præcellens, fæcunda subtilitate insigne, ac argumentorum copia exuberans: Verè Angelicus sol D. Thomas Aquinas semper novos radios, illum, sincero obtutu introspicientibus impertitur, novi enim semper Auctores publica litteratorum utilitate, & Thomisticæ scholæ ornamento præla fatigant; revera hic Auctor in enucleanda mente S. Doctoris est accuratus, in propriis stabiliendis fortis, in evellendis contrariis modestus, sic omnia sunt robusta ad victoriam, exacta ad religiositatem: Quare seriò censeo opus hoc esse luce dignissimum. Dat. Romæ in Collegio SS. Blasii & Caroli ad Catinarios die 30. Septembris anni 1704.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Apost. Palatii Magister, Ordinis Prædicatorum.

INDEX IN FINE OPERIS.

TRACTA-

TRACTATUS PRIMUS
IN PRIMAM PARTEM
DIVI THOMÆ.

TRibus Disputationibus absolvemus hunc Tractatum dicturi in prima de natura Theologiæ, ejusque necessitate; in secunda, de unitate, & qualitate ejus; in tertia verò de subjecto, & de modo procedendi, ejusque annexis.

DISPUTATIO PRIMA.
De Natura, ac Necessitate Theologiæ.



DE Theologia modò inquirimus, quam Divus Thomas in hoc articulo primo sacram Doctrinam appellat, & quæ à purè naturali, (quam Metaphysicam dicimus) distinguitur in eo, quòd licèt hæc tractet etiam de Deo, non tamen procedit ex his, quæ Dei sunt, tanquàm ex principiis probativis suarum conclusionum, sed magìs ascendit ex Creaturis ad manifestandum ea quæ Dei sunt, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Unde quiquid cognoscitur de Deo in Metaphysica se habet per modum conclusionis, non principii. Creaturæ enim magìs illi deserviunt per modum principii, à posteriori scilicet, ad assequendam cognitionem Dei ex effectibus, cùm scientia naturalis nequeat ad illum pervenire, vel assurgere, nisi ex creaturis; at verò præsens Theologia, sive Christiana, ita tractat de Deo, ac Veritatibus Divinis, ut à Deo ipso incipiat, assumendo eundem, ejusque veritates pro principiis, ex quibus discurrendo procedit. Hæc verò in duplici statu considerari potest; scilicet, vel in statu vitæ præsentis, & quia in hac ambulamus per Fidem, conclusiones suas deducit, & probat ex principiis sola Fide Divina creditis; vel in statu Patriæ, quando revelata facie in ipso lumine videbimus lumen, & tunc procedit ex principiis lumine claro cognitis; in quo etiam statu distingui potest, & in eam, quæ habetur intrà Verbum, quando in ipso Deo sine omni discursu, simplicissimè, & intuitivè videtur Deus, & in ipso omnia ejus Attributa, & omnia nostræ Fidei Mysteria; vel in illam, quæ habetur extra verbum, quando scil. Beati de his, quæ clarè vident intrà Verbum, conclusiones demonstrant per verum, & legitimum discursum. De hac ergo pro omni statu agemus in hac Disputatione, & Tractatu examinando prædicata, quæ pro merito utriusque convenire possunt; & primò quidem in hac prima quibusdam præmissis tangendo aliquid circa ejus necessitatem (de qua iterùm in tertia) inquirimus an sit scientia. Secundò, an supernaturalis entitativè, & infusa. Tertiò, an subalternata, & sit in patria. Quartò, an maneat in Hæretico, dicturi ibidem aliquid de subordinatione Theologiæ in ordine ad sciẽtias naturales &c.

QUÆSTIO PRIMA.
Utrùm Theologia sit necessaria, ac propriè Scientia.



PRæcipua difficultas est circa secundam partem de conceptu scientiæ, & procedit pro utroque statu? nam nostra videtur deficere in prædicato evidentiæ, & illa patriæ in illo discursus, unde Vasquez hic disp. 4. cap. 5. & 9. Arrubal. disput. 2. Valentia quæst. 1. puncto 3. Molina, Arriaga, & alii ex Societate negant esse scientiam verè, & propriè.

Oppositum tenent communiter Thomistæ, Cajetanus, Bannez, Zumel, Gonzalez disp. 1. Navarret. Controv. 4. Cano lib. 12. de Locis, Magist. Ferre, tum in Manuscriptis, quæst. 1. tum iterùm in impressione quæst. 3. §. 1. & 5. M. Serra, Gonet, & alii &c.

§. PRIMUS,

Quibusdam præmissis circa intelligentiam litteræ primi Articuli statuitur prima conclusio affirmativa de necessitate Theologiæ.

Difficultas est etiam inter Thomistas, quid præcisè intellexerit D. Thomas nomine sacræ Doctrinæ, quam in primo articulo vult esse necessariam præter physicas Disciplinas, nam in argumento sed contra vocat scientiam divinitùs inspiratam; in corp. autem Doctrinam sacram per revelationem habitam, unde Sylvester in Conflato 1. par. qu. 1. art. 10. §. 1. existimans unum, & eundem esse habitum, Theologiam, & Fidem, qui prout respicit principia dicitur Fides, & prout ex illis deducit conclusiones, Theologia nominatur, propterea hunc habitum intellexisse D. Thomam nomine sacræ Doctrinæ; cui modo dicendi ex parte favet Scotus, nam in 3. dist. 24. quæst. unica, quamvis admittat distinctum saltem accidentaliter esse habitum Theologiæ à Fide, quando una tantùm præmissa est de Fide, & altera lumine naturali nota; distinctione tamen 35. universaliter docet principiorum, & conclusionum Theologiæ unum, & eundem prorsùs esse habitum; sed contra hunc modum dicemus §. II.

Cajetanus videns ex una parte, non posse intelligi de Fide, cùm de hac ex professo tractet in 2. 2. quæst. 2. art. 3. probans ibi ejus necessitatem, & in Summa brevitati consulat; & in artic. 2. hic, & sequentibus, non de Fide, sed de scientia Theologiæ expresè disputet, videretur valde confusè procedere, si in primo de necessitate alterius luminis, aut Fidei inquireret: ex alia verò cùm probet D. Tho. necessitatē hujus Doctrinæ divinitùs inspiratæ ex eo, quòd homo est ordinatus ad finem supernaturalē, quem oportet hominibus per doctrinā aliquam supernaturalē manifestari, non videtur posse intelligi de Theologia, ut scientia est deducens, ut dictum est, ex præmissis Fidei conclusiones, cùm plures salventur sine illa. Unde existimat intelligendum esse non de Fide præcisè, nec præcisè de Theologia, sed de cognitione à Deo revelata, communiori, & superiori ad utramque abstrahendo à ratione crediti, & sciti; ita ut ad hoc, ut homo perveniat ad prædictum finem, indigeat doctrina aliqua revelata manifestante illum, non determinatè pro revelata formaliter, prout requiritur in Fide, nec determinatè pro revelata virtualiter, sive in suis principiis, ut reperitur in Theologia, sed communiter, & genericè, quia sine omni lumine, aut supernaturali cognitione descendente à Deo, nunquàm posset ad eundem pervenire, sicut in simili dicimus, quòd ad illum, sive ad Deum videndum, necessarium pariter est aliquod supernaturale lumen, sive donum, aut qualitas supernaturalis intrinsecè inhærens, ut loquendo de facto, statuit Concil. Vienn. & adhuc de possibili, vel de potentia absoluta docent communiter Thomistæ, ita ut sine omni omninò videri non possit, licèt non determinatè pro qualitate permanente, nec determinatè pro fluida, sed abstrahente ab utraque loquendo de eadem potentia. Hujusmodi autem cognitio revelata, quâ indigemus ad salutem, prout est à Deo docente, dicitur Doctrina, prout verò suscipitur in homine, disciplina, juxta illud Joan. 6. ***Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.***

Ex his quoque putat idem Eminentiss. posse omnia componi; nam licèt 2. 2. determinatè agat de Fide, & hic in aliis Articulis de Theologia, ut scientia est, adhuc tamen convenienter, & sine confusione, ac præjudicio brevitatis agere potuit in primo de sacra Doctrina in genere, antequàm descenderet ad species ejus, juxtà generalem methodum tractandi scientias, ut à communioribus incipiendo, fiat deinde descensus ad particularia. Huic modo explicandi adhæret etiam M. Serra hìc in explicatione art. 1. nec fine urgenti fundamento in D. Thoma; nam in solutione primi de iis, quæ sunt à Deo revelata suscipienda per Fidem inquit: ***Et in hujusmodi sacra Doctrina consistit.*** Deinde in solutione secundi expressè de Theologia asserit: ***Ad sacram Doctrinam pertinet.*** Unde videtur non leviter insinuare, quòd nomine sacræ Doctrinæ intelligit aliquid commune utrique speciei &c.

Quod si opponas de eadem omninò doctrina inquirere in 1. art. an sit necessaria, de qua in aliis, an sit scientia, sapientia, argumentativa, sed hæc de sola Theologia propriè, & specificè intelligi debent, ergo de hac pariter loquitur in 1. Resp. negando minor. quia cùm sacra Doctrina sic communiter, & indifferenter sumpta, possit accipi disjunctivè tam pro Fide, quàm pro Theologia, possunt de eadem prædicari ea, quæ sunt propria utriusque, sicut de animali prædicantur ea, quæ sunt propria suarum specierum, ex eo, quod sub se continet illas; unde si inquirenti primò, an sit rugibile; & respondeatur quòd sit, ex eo, quòd leo rugit, & est animal, ergo est animal rugibile: & similiter inquirenti, an sit admirativum; & iterùm respondeatur, quòd sic, quia homo est admirativus, & est animal, ergo est animal admirativum; hæ propositiones essent de eodem univocè subjecto; nec tamen indè licèt inferre, quòd quia animal est rugibile, quòd homo sit rugibilis; aut quòd leo sit admirativus, quia pariter animal sit admirativum; utrobiq; enim arguitur à superiori ad inferius affirmativè, sive à non restricto ad restrictum, vel à confusa ad determinatam, ut rectè etiam advertit M. Ferre hìc qu. 1. §. 4. Ita similiter in casu; nam sacra Doctrina sub se univocè continet Fidem, & Theologiam, unde de illa enunciari possunt propria prædicata utriusque, quòd nempè sit necessaria ad salutem, & sit scientia &c. non tamen licet indè inferre, quòd Theologia sit necessaria, vel quòd Fides sit scientia, sed magis disjunctivè, vel cum distributione accommoda juxta meritum descensus à superiori ad inferius, si sit affirmativus.

Alii tamen explicant de Theologia determinatè, vel specificè sumpta, ut contradist. à Fide, ut à S. Thoma hìc disp. 2. qu. 1. art. 1. Gonet art. 10. M. Ferre §. 1. Navarrette, & alii, & probant aliqui ex his, quia nomine doctrinæ, ut dicitur primò poster. cap. 1. & explicatur ibi à D. Thoma lib. 1. intelligitur quæcunque cognitio probativa, sive scientificè, sive probabiliter, hoc autem determinatè convenit cognitioni Theologicæ, quæ cùm fiat ex præexistente cognitione, scil. Fidei, impor-

importat processum probativum, vel illativum unius ex alio. Cæterum cū D. Thomas: ut vidimus, in solutione ad 1. loquēdo de his quæ sūt à Deo revelata suscipienda per fidem, expressè dicat, quod *in hujusmodi sacra Doctrina consistit*; Non videtur nomen *Doctrina* hìc de mente eius restringendum ad cognitionem probativam contradistinctam à fide, quæ probativa non est, sed humiliter adhæsiva testimonio divino, quidquid sit quod in aliis cognitionibus inferioribus, vel naturalibus, de quibus loquitur Philosophus, qui non agnovit has superiores, vel supernaturales, intelligatur de eadem probativa.

Secūdo iterum probat à S. Thoma, quia aliàs videretur D. Thomas dimidiatè procedere, dum in quæstione, in qua agit de Theologia, & non de fide, nec de aliqua abstrahente ab utraque, prætermitteret necessitatem Theologiæ, & ageret de necessitate alterius luminis, undè eam Doctrinam, quam dicit necessariam, appellat scientiam in argumento sed contrà, dicens *& aliam scientiā divinitus inspiratam*, & ad 2. subdit. *De eisdem rebus aliam scientiam tractare secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis.*

Sed huic etiam rationi, vel inconvenienti iam dictum est, esse modū valdè congruum in tradendis scientiis, à communioribus incipere, & posteà ad particularia descendere; neque etiam (ut insinuavimus) omittit Theologiam, dum statuit necessitatem luminis superioris ad utrumque inferius communis, ut etiam videtur apertè colligi ex utroque loco, dum mox facit mentionem de scientia, mox de cognitione lumine divinæ revelationis habita, nec præcise nominat scientiam, sed divinitus inspiratam, constat autem quod Theologia licet sit scientia, non tamen præcisè in se est divinitus inspirata, vel infusa, sed acquisita per discursum, & non formaliter per revelationem Divinam, undè utrumque lumen ibidem comprehendit probando sacram aliquam Doctrinam esse necessariā, undè etiam M. Ferre, licet aliàs adhæreat huic modo dicendi, fatetur D. Thomā utriusque necessitatem concludere, ità ut primo probet necessitatem fidei divinæ ad cognoscendum certò aliqua, quæ nostræ rationis comprehensionem excedunt, & etiam ad convenientiùs ea, quæ de Deo ratione humana investigari possunt, & ex huius necessitate convincit deindè aliam Theologiæ, quæ quià sit ex cognitione per revelationem habita, meritò vocari potest Doctrina Sacra, vel scientia Divinitus inspirata scilicet virtualiter, vel in suis principiis, & hoc est, quod videtur, ut suprà, insinuare Caietanus, dum dicit nomine sacræ Doctrinæ sumendam esse cognitionem à Deo revelatam sivè formaliter, ut est illa fidei, sivè virtualiter, ut est altera Theologiæ.

Nec refert D. Thomam non agere hìc ex professo de fide, sed de Theologia, & de illa solum 2. 2. Nam licet ita sit, quia tamen Theologia est scientia per se procedens ex clarè revelatis, & per accidens, vel ratione status ex revelatis obscurè, non poterat omninò omitti necessitas fidei, sivè cognitionis habitæ formaliter per revelationem. Tum quia cum Theologia per se agat de Deo objecto supernaturali, ad quod per fidem habetur modo in via primus accessus in linea cognitionis, & ut dantem ei sua principia, ex quibus inferat suas conclusiones, non potest semel statui necessitas Theologiæ omissa necessitate fidei.

Ex his ergò crediderim posse utrumque hunc posteriorem modū aliquomodo conciliari dicendo, quod determinatè non loquitur de necessitate solius Theologiæ ut probatum est; nihilominus quia hìc non est sermo ex professo de fide, sed de Theologia, ut est cognitio probativa, ut patet ex prologo & ex tota præsenti quæstione, principale ejus intentum sit præmissa necessitate fidei ex cujus principiis modo in via dependet, concludere determinatè utilitatem imò etiam necessitatem Theologiæ ut statim constabit; ad quod aptiùs desetvit nomen sacræ Doctrinæ, aut scientiæ divinitus inspiratæ, quam præcisum nomen Theologiæ, cum istud ut attinet ad præsens, sumatur determinatè pro cognitione probativa; priora autem nomina utramque comprehendant, & præviam revelatam, & posteriorem illativam, vel probativam. Hanc autem esse illius mentem, scilicet quod principaliter intendat concludere determinatè de Theologia, videtur colligi tum ex eodem prologo, ubi necessitatem hujus Doctrinæ, imò etiam totius operis deducit ex eo, quod quæ à diversis conscripta sunt, considerat plurimum impediri; *Partim quidem propter multiplicationem inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum; partim etiam, quia ea, quæ sunt necessaria ad sciendum non traduntur secundum ordinem disciplinæ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi; partim quidem quia eorumdem frequens repetitio, & fastidium, & confusionem generabat in animis auditorum.* Constat autem hoc totum specialiter pertinere ad Doctrinam, ut dicit cognitionem explicativam & probativam.

Deindè in argumento, sed contra primi 1. art. ubi ex professo inquirens de necessitate ejusdem Doctrinæ concludit illam sub nomine utilitatis dicens, *Utile igitur est præter physicas disciplinas esse aliam scientiam divinitùs inspiratam.* Esse verò utilem determinatè tantum appellare potest suprà Theologiam, non suprà fidem, cum hæc sit omninò necessaria, nec suprà cognitionem abstrahentem, cum hæc prout communis est ad utramque inferiorem non præcisè utilis sit, sed etiam necessaria saltem pro ea parte, qua continet fidem, unde etiam necessitatem istius saltem implicitè infert, dum dicit *Divinitus inspiratā*, scilicet virtualiter, ut dictū est; ex parte principiorū pertinentiū ad fidē, de sola ergo Theologia intelligi potest, quia licet pro cōmunitate, vel pro genere singulorum, ut statim explicabimus, sit necessaria, non tamen, pro singulis, ut etiam insinuatum est, cū non teneantur singuli esse Theologi, ut salventur. His ergo præmissis sit.

PRIMA CONCLVSIO.

Sacra Doctrina etiam determinatè sumpta pro Theologia est omnibus hominibus necessaria ad salutem. Pro intelligentia advertu aliud esse, quod sit omnibus necessaria, aliud verò quod necessarium sit omnes debere habere illam ut salventur. Primum est verum, ut probabimus; posterius verò falsum, cū multi sine illa salventur, ut dictum est; sicut

ficut in fimili dicitur, quod omnibus neceffarium eft effe Principem in regno, fed non eft neceffariũ, quod omnes fint Principes, nam ad primũ fufficit, quòd omnes indigeãt Regimine illius. Dicimus ergo Theologiam effe omnibus neceffariam ad falutem, quia fideles fine illa exiftente in fapientibus fufficienter falutem per folam fidem confequi nequeunt, modo explicando. Sumitur verò ex Aug. 14. de Trinitate c. 1. ubi ait. *Per eam fides faluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur; quod ut explicat.* D. Thomas 22. q. 6. art. 1. ad 1. intelligitur *per modum exterioris perfuafionis.*

Ex quo probatur fic. Lumen neceffariom ad fidem, eft etiam neceffarium ad falutem, fed lumen Theologicum eft neceffarium ad fidem ergo etiam ad falutem; ma. patet cum fides fit neceffaria ad illam; mi. verò fumitur ex verbis Auguftini proximè relati, quæ intelligenda hìc effe de fola Theologia tradit hic D. Thomas in arg. fed contra art. 2. ubi poft prædicta verba fubdit; *Hoc autem ad nullam fcientiam pertinet, nifi ad Sacram Doctrinam*; Tum quia ad Theologiam fpectat rerum credendarum poffibilitatem, credibilitatem, ac veritatem promovere, erroresquè contrarios impugnare, credendique impedimenta removere affignando rationes non folum efficaciter conducentes, fed etiam neceffarias, ut fides ordinario, & connaturali modo generetur, nutriatur, firmaque, ac ftabilis fit in fufcipientibus eam, ut rectè explicat M. Serra & ex eodem Gonet ubi fuprà; & ratio eft quia cum fides fit ex audito, & prædicatione juxta illod ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient finè prædicante?* neceffarium eft fidelem non folum hæc credere fed etiam à prædicatoribus inftructum, rationes aliquas Theologicas habere, quibus fibi perfuadeat ea effe poffibilia, ac credibilia faltem connaturaliter loquendo, ut fic prudenter credat, ne incitò credendo argui poffit de levitate cordis, ergo licet pro fingolis neceffaria non fit, benè tamẽ pro communitate, ut nempè fit aliquis in Ecclefia eam hoc modo habens, & *potens fit* juxtà iterum Apoft. ad Titum primo v. 9. *exhortari in Doctrina fana, & eos, qui contradicunt arguere.* §. Explicatur, & urgetur totum hoc. Nam veritates fidei, aliæ dicuntur per fe pertinere ad illam, quæ nempè folo lumine rationis naturalis inveftigari non poffunt; aliæ varò per accidens, quæ fcil. eodem lumine penetrari poffunt, ut Deum effe unum, primam omnium caufam, immutabilem, immenfum, fummè liberum, fummum proviforem vel actom purum, de quibus Metaphyfica difcurrere valet, qua rationa dicuntur per accidens ad fidem pertinere, quia fine illa cognofci poffunt; ad utrafque, & præcipuè ad priores eft neceffaria Theologia, ergo eft neceffaria ad fidem; probatur min. primo quoad primam partem, tom quia per fe difponit ad illas cognofcendas faciendo evidentiam credibilitatis earum, fine qua non habetor fides, qua ratione dicitur ab Aug. quod generat fidem, ficut fides fpem, & fpes charitatem non actione verè generativa, fed quia una difponit ad aliam. Tum quia determinat quid credendum fit diftinguendo credibilia, in quo etiam fimiliter dicitur à D. Thoma in 3. dift. 23. q. 3. art. 2. ad 1. quod fides acquiritur per habitum Theologicum, ficut habitus principiorum per fenfum non quantom ad lumen, quo acquiruntur, fed quantum ad eorum diftinctionem, & fic iterum dici poteft gignere fidem divinam; tumquia contrà parvulos credentes commoveri poffunt venti contrarii doctrinæ ex nequitia hominum, eo vel maximè, quòd his temporibus procedunt hæretici modo argumentativo, ergo funt neceffarij Doctores, & fapientes, qui præbeant lac fanæ doctrinæ, nutriendo eos, roborando, & defendendo, ne fluctuent, & circũferantur in omni eorum vento, ut innuit Apoft. ad Ephef. 4. Secũdo probatur quoad 2. partem de aliis veritatibus; tum quia primo neceffaria eft ex parte luminis fuorum principiorom, nam licet naturali lumine cognofcibiles fint, non tamen ab omnibos, fed à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum ut patet in antiquis Philofophis, quos Tertollianus appellat Patriarchas hæreticorum. Tum etiam ex parte fui, nam veritates ex illis demonftrabiles, ut fide divina creditis verè inferuntur faltem ex una præmiffa de fide, & altera lumine naturali nota, fed fola Theologia arguit ex præmiffa de fide, ergo erit neceffaria prout fic ad earum attingentiam.

§. II.

Statuitur fecunda Conclufio de Theologia via ad mentem D. Thomæ.

Theologia viatorum eft verè & propriè quoad effentiam, & fubftantiam fcientia, & confequenter habitus diftinctus à fide divina, Quoad utramq; partem eft expreffa fententia D. Thomæ, & mirom eft quoad primam, quòd Arrubal, ut refert hic Jo. à S. Thoma art. 3; velit eondem favere oppofitæ, cum in locis omnibus, in quibus ex profeffo examinat hanc difficultatem, non folum affirmativè refpondeat, fed etiam folvat argumenta in contrarium, ut videre eft hic art. 2. & in primo dift. 1. q. 1. art. 3. quæftiunc. 2. & in 1. ad Hannib. dift. 1. q. 1. art. 1. & opufc. 70. q. 2. art. 2. Nam in primis hic art. 2. in argumento fed contra id probat ex Aug. 12. proximè relato de Trinitate Theologiam vocante fcientiam, & deindè in corp. fic incipit. *Dicendum facram Doctrinam effe fcientiã.* Similiter ad Hannibal. in argumento fed contra probat ex illo Apoft. primæ ad Corint. 8. *De his autem quæ idolis facrificantur fcimus quod omnes fcientiã habemus fed hoc* (*fubdit ibidè*) *ad nullam aliam fcientiam pertinet nifi ad Theologiam ergo Theologia eft fcientia.* In primo etiã fic refpond. *Dicendum, quod ifta Doctrina fcientia eft.* Deindè in corp. non folum repetit hanc fententiam, fed etiam probat optimè falvari rationem fcientię in illa, efto non habeat in fe evidentiam principiorum præoccupando, & folvendo contrariorum fundamentũ, ut etiam profequitur in folutionibus. Deniq. 22. q. 1. art. 5. ad 2. inquit. *Ex his autem principiis ità prob. aliquid apud fideles ficut etiam ex principiis naturaliter nobis prob. aliquid apud omnes, undè etiam Theologia fcientia eft, ut in principio operis dictum eft, fcilicet hic art. 2. &c.*

Dices D. Thomam in his locis non loqui de fcientia propriè dicta, aliàs videretur fibi contradicere, dum in q. 14. de veritate art. 9. exprefsè fic habeat

Qua-

Quæcumque sciuntur propriè accepta scientia cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se presso sunt intellectui & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur, undè impossibile est, quod de eodem sit fides, & scientia. Cum ergo Theologia viæ careat visione rei, dum affirmat D. Thomas illam esse scientiam intelligi nequit de scientia propriè accepta salva contradictione, &c.

Cæterum hæc oppositio, quam scriptis D. Tho. objicit Vasquez, & ante ipsum Scotus in 3. dist. 23. nullius est momenti, & ex littera ipsa redarguitur, undè argumentor primo sic. Juxta D. Thomam scientia, & consequenter Theologia in visione rei perficitur, ergo ante actualem rei visionem tenemur asserere, quòd iam habeat essentiam, & substantiam scientiæ, ac per consequens quod sit verè, & propriè scientia, hæc ultima consequentia teoet, nam quod habet essentiam, & substantiam hominis, verè, & propriè est homo; prima autem probatur si anteà non haberet essentiam, aut substantiam scientiæ magis destrueretur, non perficeretur in actuali visione rei ergo: Probatur ant. si anteà non haberet in actuali visione novam acciperet essentiam antea non habitam, ergo destrueretur nō perficeretur; probatur consequentia. Nam qualibet res, quandò ità perficitur, quod novam accipit essentiam, destruitur in suo priori esse, qua ratione dicimus infrà de Angelis, non potuisse ità superbire, aut peccare, quod appeterent Divinam similitudinem per æqualitatem cum Deo, alias debuissent simul appetere destructionem proprii esse, cum transitus ad novum, aut superius distinctum imporret destructionem prioris esse, & patet etiam io generatione hominis, quæ quia io transitu per partiales generationes ab una forma ad aliam, scilicet à vegetabili ad sensitivam, & ab illa ad rationalem, ità perficitur, ut novam esse totaliter formam acquirat, prior abjicitur, vel destruitur, ut tradit D. Thomæ q. de anima art. 11. ad 1. Ex opposito verò quia homo iam genitus per augmentum non ità perficitur, quod perveniat ad novum aliquid essentiale, supponitur iam esse in statu pueritiæ verè & propriè, sivè quoad essentiam, & substantiam homo cum solo defectu accidentali, sivè quoad statum, ergo si similiter velimus scientiam, vel Theologiam in visione rei perfici, non destrui, ut ait D. Thomas; tenemur supponere illam ante actualem visionem quoad essentiam, & substantiam, sivè verè, & propriè scientiam cum solo defectu accidentali quoad statum, ità ut in visione accipiat consumationem suæ perfectionis, sicut accipit puer quando perveoit ad perfectam ætatem, vel augmentum. Hanc autem esse legitimam meotem D. Thomæ sine ullo omninò discrimine, vel contradictione patet primo ex paritate assumpta ibidē, ex qua argumentor sic. Sicut ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes, ità ex fide Divina creditis probatur aliquid apud fideles, sed habitus deducens suas conclusiones ex principiis naturaliter cognitis est verè, & propriè vel quoad substantiam scientia, ut patet in scientiis inferioribus, ergo pariter Theologia deducens suas ex principiis fide creditis, imo à fortiori; probatur consequentia, & simul urgentur hæc omnia ex eodem D. Thoma ibidem 22. q. 4. art. 8, ad 2. ubi egregium fundamentum pro hac scientia, & aliis subalternatis assignat destructivum præcipui oppositæ sententiæ. Undè inquit. *Dicendum quòd cæteris paribus visio est certior auditu, sed si ille à quo auditur, multum excedit visum videntis, sic certior est auditus quā visus, sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur. Et multò magis homo certior est de eo quod audità Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest.* Ex quibus probatur sic. Juxta D. Thomā, & veritatem certior est auditus eorum, ex quibus Theologia deducit suas conclusiones, quam visus aliorū, ex quibus inferiores scientiæ deducunt suas, ergo si istæ ex visu suorum principiorum verè scientificè inferunt, à forriori poterit Theologia verè scientificè inferre ex auditu suorum; antecedens patet ex litera, cum sit auditus à Deo qui falli non potest, sicut falli potest ratio propria, qua dicuntur videri inferiora, &c.

Dices contradictionem oppositam literæ D. Thomæ in eo consistere quod ex una parte docet fidem, & scientiam non posse esse simul, cum tamen constet fidem, & Theologiam esse de eodem, ut de hac veritate Christus habet duas voluntates, ergo si aliàs juxta eundem Theologia est verè scientia, iam de eodem esset simul scientia, & fides, &c.

Sed contra hoc est ex eadem litera; Nam de illa scientia concludit incompossibilitatem cum fide, de qua loquitur in prioribus verbis, si velimus rectè concludere, sed in illis non loquitur præcisè de scientia quoad essentiam, & substantiam scientiæ, sed habente statum perfectum, & connaturalem, cum loquatur de perfecta, sivè quæ perficitur in visione rei, ergo licet affirmet utrumque, & incompossibilitatem fidei cum scientia, & propriam rationem scientiæ de Theologia nulla tamen infertur contradictio, nec vel levissima ejus suspicio in ejus dictis; eò vel maximè quod fides Divina (quidquid sit de humana) non pugnat cum scientia in prædicato certitudinis, imò eam superat in isto, ut dictum est ex eodem Angelico, sed tantum in illo evidentiæ undè eoipso quòd Theologia modo in via non habeat statum perfectum visionis, nec habet illum contrarietatis, ex quo excludenda sit à fide, esto verè, & propriè scientia sit, &c.

Præterquamquod solutione illa ad 2. art. 5. q. 1. ex 2. 2. optimè distinguit inter ea, quæ sunt fidei, & ea quæ deducuntur ex principiis ejus, de quibus est scientia innuens Theologiam non esse de eodem formaliter, de quo est fides; nam ad argumentum contendens, quod ea quæ sunt fidei, possunt esse scita ex eo quod à sacris DD. inducūtur rationes ad ea probandum. Respondet distinguendo, vel quod rationes illæ non sunt demonstrativæ, sed persuasiones quædam manifestantes nostra credibilia non esse impossibilia; vel quod non probant eadē credibilia, sed magis ex principiis fide creditis probant aliquid illatum ex illis, de quibus est Theologia, undè ex eo quod non possit idem simul esse creditum, & scitum, & Theologiam viæ esse propriè scientiam non rectè infertur simul esse fidem, & scientiam de eodem formaliter, &c.

§. TER-

§. III.

Duplici ratione probatur principaliter Conclusio.

PRima sumitur ex D. Thoma hic art. 2. in corp. ubi ait. *Et hoc modo sacra Doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & beatorum.* Ex quo probatur primo sic. Theologia modo viæ in nullo prædicato deficit à conceptu verè, & propriè quoad sobstantiam scientiæ ergo est verè, & proprie scientia Ant. de prędicato certitudinis est certum, quia ex principiis fide Divina creditis infallibiliter infert suas conclusiones, de illo verò evidentiæ, de quo est præcipua difficultas probatur quia procedit, ut ait D. Thomas ex principiis notis lumine superioris scientiæ scil. Dei, & beatorum, ergo nec deficit ab isto prout requiritur, & sufficit, ad essentiam scientiæ; ant. constat; tum quia ab illa superiori scientia derivatur fides viatorum, cum nos credamus illis principiis, quæ ipsi clarè vident; tum quia ut hic ait D. Thomas ad 1. principia cujuslibet scientiæ, vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ; Tum quia Theologia non procedit credendo, sed discurrendo, & penetrando ea, quæ revelantur, ergo ex sui natura, vel ratione suæ speciei non sistit in creditis ut purè creditis, sed tendit ad ea videndum, vel conjungi cum superiori lumine quod signum manifestum est procedere ex notis eodem lumine, cum unumquoque inclinet ad sui principiū; Ex his etiā probatur cōsequentia quia habitus per se procedens ex nobis lumine claro, sivè superioris scientiæ per se exigit claritatem, vel evidentiam, quia per se inclinat, & petit conjungi cum illo, sed hæc sufficit ad scientiam, quantum ad substantiam, vel essentiam, ergo si Theologia sic procedit ex notis superiori lumine non deficit in prædicato evidentiæ sufficienter ad essentiā scientiæ; probatur minor; tum quia sola exigentia proprietatis sufficit ad salvandam veram rationem radicis in essentia, si impediretur ab actuali radicatione ejus; tum similiter in habitu sola exigentia firmitatis sufficit ad salvandam veram rationem ejus scil: esse qualitatem difficilè mobilem, estò per accidens quandoque impediatur ex parte subjecti, ut patet in infirmo, in quo potest facilè perire, & sic de aliis, ergo sola pariter exigentia evidentiæ sufficiet ad salvandam veram rationem scientiæ in Theologia, & ratio est quia sola hujusmodi exigentia sivè evidentia radicalis est, sufficienter distinctiva ab omni habitu intellectuali, qui scientia, vel sapientia non est, ut patet discurrendo per singulos, de quo tamen infrà, &c.

Dices sufficere, ut sit scientia secundum quid, & inchoativè, non simpliciter, vel propriè, & completivè. Sed hæc solutio manet sufficienter impugnata, utraque paritate & ratione. Præterea impugnatur primo sic. Tenemur habitum Theologiæ, vel scientię quoad essentiam (& sic de aliis potentibus crescere, & perfici) distinguere à se ipso, ut habente statum perfectionis, vel consumationis, at si semel genitus quoad essentiam teneretur statim habere actualem evidentiam non haberet sic distingui, cum ut vidimus ex D. Thoma scientia in visione rei perficiatur.

Secundo urgentiùs impugnatur (& est alia optimam alio, pro conclus.) quamvis evidentia actualis requiratur ad substantiam scientiæ, quando certitudo cōclusionis aliundè haberi nequit nisi ex evidētia principiorum, ut dicitur de scientiis naturalibus, aut ut contendunt aliqui de subalternatis intrà illas, (licet ut insinuavimus ex D. Thoma q. illa 4. 22. art. 8. ad 2. & ostendimus in lib. posteriorū sufficienter ibi etiam haberi possit ab attestante scientifico,) non tamen est de essentia ejus, quando ex alio capite potest habere illam, ergo cum Theologia ex auditis à Deo habeat infallibilitatem, & certitudinem superantem quamcunque visionem naturalem, non indiget evidentia actuali, ut sit quoad substantiam scientia, &c.

Præterquam quod non omnes conveniunt, quod de ratione scientiæ sit evidentia, sed solum infallibilis certitudo. Tum quia Aristoteles in definitione scientiæ non posuit evidentiam, sed certitudinē, cum dicit, quod *scire est cognoscere causam, ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, ut aliter res se habeat*, sed totum hoc habetur sinè evidentia saltem actuali ex auditis præcipuè à Deo, & de facto donum scientiæ negari non potest, quod in viatoribus scientia propriè sit cum Apost. primæ ad Corint. 12. scientiā appellet, & verba scripturæ intelligenda sint insensu proprio, ubi non obviat aliquod inconveniens, quod modo assignabile non est, & tamen in nobis viatoribus solum habet certitudinem, & non evidentiam saltem actualem, cum reguletur per fidem, ergo saltem actualis non erit de essentia scientiæ; alias dicamus, etiam quod idem Apostol. probans ibi cap. 15. Resurrectionem futuram per hoc quod Christus Resurrexit (qua instantia utitur etiam D. Thomas q. illa prima prologi ad Hannibal. art. 1. in corp.) non sit Theologus, aut scientificus proptiè secundum hanc scientiam, sed tantum secundum quid, quod videtur alienissimum à supremo illo Doctore gentium &c.

Non contendo, quod salvari etiam possit sinè radicali præcipuè loquendo de Theologia, ut ex his aliqui inferunt, ita ut in sua ratione formali, nec includat, nec excludat obscuritatem, & ideò à fortiori posse optimè stare eandem specie modo in via cum fide, & cum clara visione in patria, sicut similiter cognitio conclusionis per medium probabile stare simul potest cum fide de eadem conclusione, & etiam cum cognitione per medium demonstrativum, quia, & si medium probabile non faciat evidentiam conclusionis, quia tamen ex sua ratione formali non excludit illam ex parte subjecti, non tollit, quin intellectus, in quo est, per medium demonstrativum habeat evidentiam ejusdem conclusionis. Non contendo, inquam; hujusmodi præcisionem à claritate, & obscuritate, vel permissionem utriusque in scientia, & præcipuè in Theologia immobiliter stabili in suis principiis per auditum. Tum quia oppositum videtur conformius menti D. Thomæ, nempè quod sit necessaria evidentia, nam prima 2. q. 67. art. 3. ait; de ratione scientiæ est, quod habeat firmam inhæsionem cum visione intellectiva: tum quia ad ostendendum Theologiam esse scientiam semper recurrit ad evidentiam principiorum, quia nempè procedit

ex

ex notis in superiori scientia, tum quia, ut constabit infrà, vix salvabitur esse virtutem intellectualem, exclusa etiam exigentia evidentiæ; nam hac ratione docet idem in 3. dist. 23. qu. 2. art. 4. quòd Fides non est de numero harum Virtutum, eò quòd non habet conspicuam veritatem, quod etiam docet Cajetanus 2. 2. quæst. 4. art. 5. &c.

Quod ergo intendimus est, ut probavimus, non esse necessariam actualem, sed satis esse radicalem, scil. quòd per se, & ex sua natura evidens sit, lumenque gloriæ, quo Deus clarè videtur, postulet pro habitu principiorum, licèt per accidens, & ex conditione subjecti careat actuali, & pro illorum habitu utatur Fide, ut vicaria ejusdem luminis; quod præter exempla superiora poterat etiam exemplificari in relatione Maternitatis B. Virginis, quæ ut sit vera relatio mutua quoad essentiam, satis est quòd quantùm est ex se, vel ex sui ratione specifica postulet relationem sibi correspondentem ex parte filii, licèt veluti per accidens impediatur habere illam, eò quòd sit filius naturalis Dei, & consequenter incapax correferri realiter ad creaturam. Similiter etiam in justitia commutativa Christi, & nostra, quas juxta probabilem modum dicendi, vidimus 3. p. de satisfactione ejus, esse ejusdem speciei, & tamen in nobis impeditur offerre æquale Deo ex defectu subjecti, sive puræ creaturæ non habentis actionem æqualis valoris pro debito mortali extinguendo, ergo similiter poterit Theologia, eslò per accidens, ratione status, vel ex parte subjecti impediatur ab evidentia actuali, veram obtinere rationem scientiæ ex eo quòd quantùm est ex se, vel ex sua natura exigat illam, utpotè per se procedens ex notis in superiori lumine, ut dicit D. Tho. unde petit ex propriis continuari cum illo, aliàs, ut dictum est, destrueretur in actuali conjunctione cum illo, nec esset illi subjecta, nec per se postularet habere principia derivata ex eodem, quod patet esse falsum: nam hoc, quod est principia, ex quibus procedit Theologia, esse nota lumine superioris scientiæ non se habet per accidens, aut disparatè ad illam, sed verè de facto in eam habet influxum, & connexionem intrà forum illativum, cùm reverà modo per Fidem assentiendo, & tenendo Divinum testimonium, & per Theologiam penetrando, & discurrendo ex creditis ambulemus versùs illam superiorem claritatem &c.

Dices, quòd in definitione habitus scientifici, absque ullo discrimine ponitur utrumque prædicatum certitudinis, & evidentiæ, ergo sicut exigentia certitudinis non sufficit, ad conceptum scientiæ, sed requiritur certitudo actualis, nec pariter sufficiet exigentia evidentiæ, sed erit necessaria actualis &c.

Sed contra hoc est, & in primis hæc solutio videtur de subjecto nō supponente, quòd sit dabilis in scientia exigentia certitudinis, sicut datur altera evidentiæ; unde argumentor primò sic, Quamvis in eadem definitione ponatur utrumque prædicatum, non tamen eodem modo, sed alterum per modum primi, scil. certitudo, alterum verò per modum posterioris supponentis aliud primum, cùm dicitur, quòd est certus, & evidens, ergo optimè salvari potest conceptus proprius scientiæ absque evidentia actuali, non tamen absque actuali certitudine, cum sola exigentia ejus; probatur consequentia. Eo ipso quòd est primum, non apparet, unde possit exigi remota actuali, cùm nullum ante illam sit assignabile prædicatum scientificum ex vi cujus exigi possit, sicut exigitur evidentia ex vi alterius primi, scil. infallibilis certitudinis derivatæ, ut dum est; à lumine superioris scientiæ, ergo licèt ponatur utrumque, non tamen æqualiter attribuendum scientiæ &c. §. Explicatur hoc. Sicut ad scientiam requiritur certitudo, & evidentia, ita ad salutem Fides, & Baptismus, sed nihilominùs quia Fides est primum lumen, seu dans primum accessum ad Deum, licèt exigentia, ut sic dicamus, seu votum Baptismi sufficiat ad salutem, non ita tamen exigentia, seu votum Fidei, sed magis videtur de subjecto non supponente, quòd ante illam, utpotè primum lumen ita assignetur votum Fidei, sicut votum Baptismi, ergo licèt similiter utrumque prædicatum sit necessarium ad scientiam, non tamen æqualiter &c.

Secundò: Etiam impugnatur principaliter. Verus, & proprius conceptus scientiæ quoad substantiā salvari potest absq; evidentia actuali, nō tamen absque actuali certitudine, ergo licèt ponatur, utrumque, non tamen cum æquali necessitate. Probatur antecedens. Nam scire, ut vidimus; ex Philosopho, tria importat ad proprium sui conceptum substantialem, scil. rem per causam cognoscere, & quòd illius est causa, & quòd aliter se habere non possit, sed totum hoc haberi non potest sine actuali certitudine, benè tamen sine actuali evidentia. Ergo; Min. probatur. Quia sic cognoscere, quòd aliter contingere non possit, est actu de re certificari, non tamen actu videre, cùm sine eo, quòd intellectus videat, causam, vel effectum ex causa, possit ex tali causa, vel principiis firma Fide, vel Divina creditis, per evidentē consequentiam infallibiliter inferre conclusionem, ut dum firma Fide teneo Christum esse hominem, & per lumen principiorum omnem hominem esse risibilem, sine alia actuali evidentia, sive præmissarum, sive conclusionis, infallibiliter infero per evidentem consequentiam, quòd Christus est risibilis, modo, quo explicabitur infrà Disput. 2. &c.

Dices ex his pariter convinci, quòd non sit necessaria radicalis, vel exacta si semel potest aliundè habere certitudinem sufficientem ad conceptum substantialem scientiæ, ut constat etiam in Fide, quæ quia alinndè habet immobilem sui certitudinem, neutra indiget; & ratio est, quia quod non est necessarium ad certitudinem in scientia, neq; necessariū est ad conceptum ejus essentialem,

Sed contra hoc est ex dictis, quia licèt ad sui certitudinem non sit necessarium, quòd actu videat, est tamen necessarium, quòd per se procedat ex notis in superiori scientia, ergo est pariter necessarium quòd exigat videre, & continuari cum claritate patriæ, licèt impediatur ratione status viæ, quod est exigere illam, ut probatum est: per quod etiam patet discrimen illius à Fide; nam hæc non solùm non petit continuari, sed magis destruitur in visione rei, unde non ex eo non indiget, quia independenter ab illa habeat, sed quia per se inclinat in oppositum, cùm sit per se lumen ænigmaticum. Et ex his etiam manet impugnata ratio

ad-

adducta; nam licèt evidentia principiorum non sit necessaria ad eandem certitudinem modo in via, est tamen necessarium, quòd sint nota in scientia superiori, ergo est necessaria illi exigentia visionis, de quo adhuc infrà &c.

2. Etiam principaliter prob. conclusio. Theologia est verè, & propriè virtus intellectualis; una ex quinque enumeratis ab Arist. 6. Ethic. c. 3. at non ars, prudentia, aut intelligentia; ergo scientia, vel sapientia, quæ est perfectissima species scientiæ: Min. constat, cùm ejus objectum non sit aliquod factibile, vel agibile, circa quæ versantur ars, & prudentia, sed solùm contemplabile, scil. Deus; nec omnis Theologus est prudens, nec peritus artifex, ut patet: nec etiam est habitus principiorum, ut est intelligentia, sed conclusionis, cùm sit discursiva, nec attingat veritates immediatè, sed illativè: Maj. verò, in qua est præcipua difficultas, probatur à M. Ferre, Serra, Gonet &c. 1. Ex eo quòd est habitus intellectus perficiens illum, seu inclinans ad verum infallibile infallibiliter attingendum, ergo est virtus intellectualis; nam per hoc distinguit Arist. ubi supra virtutem intellectualem ab opinione, & suspicione; (& idem est de errore, vel etiam fide acquisita, in qua contendit Vasquez consistere Theologiam) *nam fieri potest, ut falsum existimatione, opinioneque dicat*. Et idem est de aliis.

Cæterùm hæc probatio nisi aliquid superaddatur, videtur pati gravem difficultatem in superiori instantia de Fide Divina, quæ etiam perficit intellectum infallibiliter in ordine ad verum, & tamen virtus intellectualis non est, ut jam insinuavimus ex D. Tho. & statim ulteriùs constabit; & licèt M. Ferre obiter hic num. 23. in fine juxta modum probabilem videatur oppositum sentire, existimans satis esse ad virtutem intellectualem, quòd inclinet infallibiliter ad verum certum, non verò ad evidens, tamen tom. 1. in 2. 2. tract. de Fide qu. 6. §. 8. ubi ex professo examinat hanc difficultatem num. 50. concl. 2. expressè negat de illa cum Cajetano esse virtutem intellectualem, & probat primò ex pluribus locis D. Tho. & ratione deinde à priori ex eodem in 3. dist. 23. qu. 2. art. 3. ad 3. quæstiunculam, quia nempè, ut ait D. Thom. *Non sufficit ad rationem virtutis intellectualis, quòd per eam cognoscatur verum, sed oportet, quòd actus, quo verum consideratur sit perfectus etiam ex modo* (cognoscendi verum) *ut benè quis intelligat* (bonitate scil. non de linea moris, sed de linea intellectualitatis); *benè autem operari intellectum non contingit ex hoc, quòd ex bona voluntate ejus operatio procedat, sed ex efficacia intellectûs ad objectum proprium conspiciendum, vel in se, vel per resolutionem ad id, quod in se conspicitur; Fides autem per actum suũ ponit intellectum in ultimo quantùm ad objectum, in quantum facit assentiri primæ veritati, non autem quantùm ad modum proprium ipsius intellectus, quia intellectus noster non est per fidẽ tantæ efficaciæ, ut id quod credit per se inspicere possit, vel ad ea, quæ inspicit, reducere, & ideò Fides non est virtus intellectualis*; ergo nec Theologia ex eo præcisè, quòd perficiat, aut inclinet intellectum infallibiliter ad verum, sufficienter habet, quòd virtus intellectualis sit &c.

2. Probant eandem Maj. M. Serra, & Gonet, quia cùm Theologia sit habitus perficiens hominem ad benè operandum, inclinando scil. infallibiliter ad verum, est virtus humana, sed non moralis, cùm non sit perfectiva partis appetitivæ, nec Theologica, cùm non sit per se infusa, sed nostris actibus acquisita, ut constabit infrà, & cùm tantùm dentur tres virtutes Theologicæ, scil. Fides, Spes, Charitas, erit virtus intellectualis &c.

Sed licèt hæc etiam probatio aliàs efficax sit, & fundetur in D. Tho. p. 2. qu. 58. ar. 3. ubi virtutem humanam adæquatè dividit in moralem, & intellectualem; (nam licèt præter istas dentur Theologicæ, istæ tamen, ut docet ibidem ad 3. sunt supra virtutes hominis, prout est factus particeps Divinæ gratiæ); nihilominùs videtur primò pati præcedentem difficultatem, quòd nempe non rectè colligatur esse intellectualem ex eo præcisè, quòd perficiat intellectum infallibiliter in ordine ad verum cognoscendum, sed tantùm, quòd sit virtus intellectûs, non intellectualis, sicut dicitur de Fide, quòd licèt Oviedo, & alli recentiores, quasi rideant contra Cajetanum, & indebitè idem provocet ad Grammaticos, (ad quos tamen de congruentia verborum judicare spectat, non de quidditate virtutum tam aliena ab eorum foro); est tamen certissimum, & ipsi potiùs decipiuntur, ut manifestè patet ex eadem doctrina D. Tho. Sicut enim non est idem esse virtutem hominis, & esse humanam, cum Theologicæ procul dubio virtutes hominis sunt, & tamen humanæ non sunt, sed supra, ut explicat ibi D. Tho. ita non erit idem esse virtutem intellectûs, & esse intellectualem; nam ad hoc 2. ulteriùs requiritur, quod faciat assentiri vero cum evidentia, & non solùm cum certitudine, sive dando eidem efficaciam ad illud penetrandum, in quo stat perfecta operatio intellectûs; & præter alia plura, in quibus redarguit eundè Oviedum, M. Ferre, poterat manifestè etiam instari in subsistentia; nam non est idem esse subsistentiam creatam, & esse subsistentiam creaturæ, ut patet in subsistentia Divini Verbi in Christo, quæ etiam dicitur subsistentia creaturæ, quatenùs etiam facit naturam humanam subsistere, non tamen creata est, cùm non detur ibi, nisi increata Verbi, ut suppono in communi sententia Theologorum contra Nestorium &c. Unde licèt omnis virtus intellectualis sit etiam virtus intellectûs, non tamen è contrà, sicut licèt omnis subsistentia creata, sit etiam subsistentia creaturæ, non tamen è contra &c.

Dices tamen in favorem ejusdem probationis, prout attinet ad nostros relatos, non esse idem de Theologia, & Fide; quia cùm Theologia, ut dictum est, non sit virtus theologica, sed magis humana, & non moralis, ut probatum est, erit intellectualis. §. Sed hæc etiã solutio non caret difficultate, tum quia restat semper ostendendum, quomodò perveniat ad rationem virtutis intellectualis, si nihil aliud de illa exprimitur, nisi quòd perficiat intellectum infallibiliter in ordine ad verũ, cùm id etiã habeat Fides, quidquid sit, quòd hæc sit aliàs virtus theologica ex eo quòd respiciat immediatè Deum, ut objectum; & sit virtus hominis, prout est factus particeps Divinæ gratiæ, ut ait D. Tho. §. Deinde quia nõ desunt inter Thomistas, qui asserant nullum esse inconveniens loquendo de Virtutibus Theologicis, quæ non sunt purè intel-

tellectuales, sive quæ non præcisè ut supra; perficiunt intellectum, ut sunt Fides, Spes, Charitas, concedere præter illas, alias purè intellectuales, ut lumen gloriæ, scientiam infusam Christi, & Theologiam, ut expresse admittit Mag. Caspar Catalam infrà q.1.a.ar.5.dub.5.ad ult. Unde juxta hunc modum dicendi videtur inferri tantùm (sicut similiter de Fide, si nihil aliud superadditur ad hoc quod est perficere intellectum infallibiliter in ordine ad verum); nempe non esse moralem, nec præcisè intellectualem, sed theologalem, & aliquomodò supra humanam, licèt intrà suum purè intellectualem, eò vel maximè, quòd licèt non sit infusa, sed acquisita per discursum, non tamen nudis naturæ viribus elicitum, de quo infra, unde nec desunt graves etiam Thomistæ, qui velint esse adhuc entitativè, vel quoad substantiam supernaturalem, sed quidquid sit de his satis difficilibus &c.

Probatur eadem Maj. reducendo principalem eorum probationem ad sui efficaciam. Theologia verè perficit intellectum ex intrinseca sui luminis efficacia infallibiliter in ordine ad verum, ergo est virtus intellectualis; consequentia tenet ex dictis, & ex D. Tho. ubi supra, quia hoc est, quod desideratur ad rationem virtutis intellectualis, quod per illam intellectus ex intrinseca efficacia sui luminis certificetur de objecto, & non præcisè determinetur ad firmiter illi assentiendum ab extrinseco, sive ex imperio voluntatis, ut contingit respectu objecti Fidei, qua ratione negatur hanc esse virtutem intellectualem. Anteced. verò probatur, quia Theologia illativè infallibiliter procedit ex notis in superiori scientia, ergo ex natura, & efficacia sui luminis determinat illum ad verum exigendo ex vi propriæ rationis specificæ evidentiam ejus per conjunctionem; hæc eadem consequentia iterùm tenet ex dictis, & anteced. latè ostensum est supra &c.

Explicatur hoc, quamvis Theologia modò in via ratione status, vel ex parte subjecti impediatur ab actuali evidentia, non tamen, ut probatum est, à radicali, vel ab exigentia ejus, ergo licèt impediatur à statu virtutis intellectualis, non tamen ab essentia ejus. Probatur consequentia, quia ad salvandam ejus essentiam sufficit, quòd quantùm est ex se exigat illam; sic enim determinat intellectum ab intrinseco, vel ex meritis sui luminis ad certitudinem sui objecti penetrando, & exigendo evidentiam, & non præcisè ab extrinseco, ut facit Fides &c.

Ex his manet etiam probata secunda pars conclusionis, nempè quòd sit habitus distinctus à Fide, nam si semel illativè procedit penetrando, & pondere connexionis inferendo suppositâ revelatione principiorum, ex notis in superiori scientia, & consequenter exigendo evidentiam suarum conclusionum, repugnat esse eundem habitum cum illa, siquidem hæc modo opposito procedit, scil. sistendo, & adhærendo pondere testimonii Divini, sive medii extrinseci, non intrinseci, sicut est connexio, nec solùm caret actuali evidentia, sed etiam radicali; nam cùm Fides sit credere quod non vides, per se inclinat in ea, quæ non videntur, unde in visione rei destruitur, scientia autem perficitur, ut dictum est. §. Tum quia in doctrina D. Tho. nil notius habetur, quàm quòd Fides Divina sit habitus per se infusus, Theologia verò acquisitus, de quo adhuc infrà, sed de his, quæ videntur magis supponenda, quàm inquirenda, præcipuè inter Thomistas, & alios etiam Theologos, videri potest M. Ferre hic qu. 3. ubi latè examinat hanc difficultatem &c.

§. IV.

Statuitur tertia Conclusio de Theologia Beatorum.

Theologia etiam Beatorum, sive intrà, sive extrà Verbum est verè, & propriè scientia. Est iterùm communis inter Thomistas contrà Vasquez, & alios Societatis negantes de prima ob defectū discursus, quia nempè per illam Beati simplici intuitu Deum vident, & in ipso Deo omnia attributa ejus, & omnia fidei mysteria sine omni discursu formali cognoscunt; De secunda verò est difficultas ob impotentiam discurrendi, quia eo ipso, quòd perfectissimè Deum vident intrà Verbum, & omnia, quæ illi possunt formaliter convenire, non videtur ampliùs posse ex visis intrà simplici intuitu, cognoscere ea per discursum extrà, nam in tantum aliquid investigatur per discursum ex principiis, in quantum supponitur non visum in eisdem principiis, unde si semel omnia divina sunt visa intuitivè intrà tàm habitualiter, quàm actualiter, non erunt ampliùs cognoscibilia extrà per discursum.

His tamen non obstantibus probatur primò quoad primam partem. Ad veram & propriam rationem scientiæ requiritur & sufficit rem per causam cognoscere, & quòd illius sit causa, sed Beati intrà Verbum licèt modo divino, vel simplici intuitu omnia divina videant, verè tamen ex parte objecti unum per aliud tanquàm per causam, & quòd illius sit causa cognoscunt, ergo verè, & propriè scientificè Divina cognoscunt. Major patet ex tradita definitione scientiæ, Minor etiam est certa, quia intrà Verbum perfectissimè vident omnia divina, utpotè clarè, & intuitivè, ergo cùm unum se habeat ut radix, aut veluti causa, scil. virtualis alterius, rem cognoscūt per causam, & quòd est causa illius.

Explicatur, & urgetur hoc. Ut dicatur quis rem per causam cognoscere sufficienter ad verum, & proprium conceptum scientificum, non requiritur ut transitu formali ex uno procedat ad aliud ex parte subjecti, hoc enim est imperfectio ejus proveniens ex sui limitatione in cognoscendo, quia nequit uno conceptu, vel actu utrumque comprehendere, unde non est necessarius ad rationem formalem, vel specificam scientiæ, sed satis est eminentialis, vel objectivus, ut patet in Deo, & in Angelis veram, & propriam habentibus scientiā sine formali discursu, (ut latè ostendimus infrà) nēpè ex parte objecti per hoc, quòd unum objectivè cognoscatur esse causam, vel rationem formalem alterius, & quòd aliter se habere non possit, sed Beati ità cognoscunt Divina, ut probatum est, ergo cognitio eorum intrà Verbum habet quidquid requiritur ad veram, & propriam rationem scientiæ.

Scio Vasquez etiam negare infrà de Deo ob eundem defectum discursus, sed immeritò ut constabit q.14., & aliis omissis ne importunè præoccupemus difficultatem patet ex illo ad Rom.11. *O Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*. Constat enim Verba Sacræ Scripturæ esse in sensu proprio intel-

intelligenda, ubi non obviat aliquod inconveniens, ut modò contingit, cùm nullum sit assignabile. Sed præterea impugnatur hoc ipsum urgēdo iterum rationem factam: nam in hoc distinguitur scientia (& idē proportionabiliter est de aliis habitibus intellectualibus) à lumine, vel habitu principiorum, quod quia istius objectum sunt sola prima principia, ut cognoscibilia tantùm simplici intuitu sine ullo medio ex parte cognoscentis, & ex parte objecti cogniti, ex sua ratione formali postulat intelligere sine discursu, cæterùm scientia cum versetur circa cōclusiones, sive circa intelligibile derivatū ex alio, & utroque modo cognoscibile, scil. per discursum formalem, & per solum virtualem, non ità postulat ex propria ratione specifica determinatè intelligere per formalem, sed abstrahit, & salvatur cum solo virtuali, ità ut illi sufficiat attingere ex parte objecti unum per aliud tanquam per sui causam saltem virtualem, sive rationem formalem, & quòd illius sit causa, & quòd aliter se habere non possit, quidquid sit, an id contingat distinctis cognitionibus per motum formalem ex una ad aliam ex parte subjecti, ut modò procedimus in via, an verò una tantùm, vel simplici intuitu, ut in Patria clarè videndo Deum, & in ipso ejus attributa, & cætera Mysteria Fidei more Divino, ut dictum est; ergo immeritò negant ex defectu formalis discursus propriam rationem scientiæ, sive in Deo, sive in Angelis, sive in nostra Theologia intra Verbum &c.

Dices esse discrimen inter Divinam, vel Angelicam ex una parte, & nostram, quòd cùm nostra humana sit, petit essentialiter esse discursiva, illa verò non. sed contra hoc est, & 1. impugnatur eadem præcedenti confirmatione; nam scientia, quæcumque sit ex sua ratione specifica, non habet objectū uno tātùm modo cognoscibile ex parte subjecti, ut dictum est, sed duobus, vel per simplicem intuitum cum solo discursu virtuali, & objectivo, vel per discursum formalem contrapositivè ad habitum principiorum, ergo altero tantùm deficiente non perit ejus ratio formalis, vel specifica. Anteced. constat ex præfato discrimine inter habitum scientiæ, & principiorum; ergo cùm etiam humana elevabilis sit, supposita existentia visionis beatæ; ad sic attingendum scibile Divinum, sive Attributa Divina, non limitatur ex sua ratione specifica ad discursum formalem &c.

2. Impugnatur ex his. Quamvis inter se essentialiter distinguantur, non tamen per hoc, quòd objectum unius, attenta ejus ratione specifica sit tantùm ab illa cognoscibile per discursum formalem, aliarum verò non; quia etiam nostra elevabilis est ad illud attingendum more Divino, salva formali sui ratione contrapositivè ad habitum principiorum, ut dictum est; sed per hoc, quòd humana id habeat elevabiliter, & per gratiam, illæ verò connaturaliter, ergo salvo etiam discrimine inter illas optimè poterit eadem specificè subsistere sine discursu formali &c.

Explicatur, & urgetur hoc; sicut connaturaliter est discursivus habitus scientiæ in nobis, ita pariter intellectus, quem perficiunt, cùm uterque humanus sit, sed potest nihilominùs intellectus noster salva sui essentia elevari ad cognoscendum Divina more Divino, ergo potuit pariter sic elevari habitus nostræ Theologiæ salva essentia sui; & ratio utriusque est, quia dum natura sic elevatur per gratiam, non destruitur, sed perficitur; destrueretur autem, ut patet, si in statu illo elevationis salva sui essentia non posset sic operari, ita ut per transitum ad excellentiorem modum cognoscendi scibile divinum, deberet eadem perire.

Explicatur, & urgetur ulteriùs sistendo in eisdem luminibus. Sicut scientificum humanum est ex sua natura discursivum, ita angelicum ex sua intuitivum, ut infrà ostendimus de Angelis, sed nihilominùs istud, salva sui essentia, potest circa plura objecta tam naturalia, quàm supernaturalia esse discursivum, ut contendit Suarez contra Thomistas lib. 2. de Angelis c. 3. ergo à fortiori poterit nostrum salva propria esse intuitivum cum solo discursu virtuali, consequentia tenet, quia magis repugnat, quòd intelligens perfectum descendat ad intelligendum modo imperfectiori, quàm quòd imperfectum elevetur ad perfectiorem; sic enim illud quasi dejicitur, & istud summoperè perficitur &c.

Itaque dicimus, (& est valde notandum contra Adversarios prosequentibus ad qu. 14. de Scientia Dei & de Angelis ad q. 54. & 3. p. ad q. 11. de Scientia infusa Animæ Christi) quòd loquendo de scientia ut sic abstrahente à creata, & increata non postulat determinatè intelligere cum discursu formali, quamvis illum non excludat, sed tantùm rem per causam cognoscere, & quòd illius est causa, & quòd aliter se habere non possit, sive id contingat cum eodem formali, ut connaturaliter in nobis, sive cum solo virtuali, ut connaturaliter in Deo, & Angelis, & elevabiliter etiā in nobis intrà Verbum; loquendo verò de humana, licèt connaturaliter postulet formalem, & etiam ex propria ratione specifica non postulet intelligere per simplicem intuitum cùm solo virtuali, non tamen ex eadem excludit hunc modum intelligendi, quia potest ad illum saltem per elevationem pervenire, ideò optimè potest salva sui essentia per simplicem intuitum more Divino Attributa Dei intelligere, sicut in simili dicimus de eadem infusa, quod licèt ex sua ratione formali non postulet intelligere cum discursu, quia tamen non excludit illum salva pariter sui essentia, potest esse discursiva. Et ratio utriusq; est, ut insinuavimus, quia objectum scientię non est ab illa sic limitatè cognoscibile, sicut illud habitûs principiorum, unde non tenetur ex sua ratione formali alterum modum cognoscendi per simplicem intuitum cum solo discursu virtuali excludere; unde licèt intelligere cum discursu, & sine discursu sint modi incompossibiles in eodem actu, possunt tamen procedere ab eodem habitu, sicut discursus à priori, & à posteriori licet incompossibiles sint in eodem actu, possunt tamen procedere ab eodem habitu scientiæ, ut rectè advertit M. Catalan ubi supra &c.

Ex his etiam poterat 2. probari conclusio quoad eandem partem, Nam habitus, quo Beati intrà Verbum Divina Attributa intuentur ad nullum habitum intellectûs, nisi ad scientiam, vel sapientiam attinet, ergo est verè scientia. Anteced. patet inductivè, & ex dictis in superiori conclusione &c.

Dices, quòd cùm importet cognitionem per simplicem intuitum, magis erit lumen principiorum, quàm scientiæ, 2. Sed contra hoc est, quia lumen principiorum, ut vidimus, non præcisè est intuitivum, sed ex propria ratione formali exclusivum discursûs, cùm respiciat solas primas veritates, ut tantùm attingibiles simplici intuitu sine ullo medio

ex parte cognoscentis,& ex parte objecti cogniti, sed licet Theologia intrà Verbum sit per simplicem intuitum, non tamen ex ratione specifica scientiæ excludit discursum,cum nõ sit attingentia primi intelligibilis,sed derivati à primo,& cõsequêter habentis medium, vel causam virtualem, sivè rationem formalem, quod est verè, & propriè esse cognitionem rei per causam, ergo non est confundenda cum lumine principiorum, undè etiam in Deo hujusmodi cognitio attribntorum, licet sit etiam per simplicem intuitum,distinguitur tamen à lumine principiorum, &c.

3. Probatur de Theologia extrà Verbum, quia verè est illativa ex principiis necessariis evidenter cognitis,ergo est verè,& propriè scientia prob.ant. sicut fidei habitus in via est habitus principiorum Theolog. sic lumen gloriæ in patria est habitus Theolog. beatorum, ergo sicut modo in via ex actuali consideratione articulorum fidei potest intellectus procedere per eundem habitum ad inferrendas conclusiones, ergo sic poterit procedere ex actuali eorum visione in Patria ad illas inferendas, &c.

Urgetur hoc præoccupando solutionem. Omnis scientia perfecta, supposita evidenti cognitione causæ per habitum principiorum potest evidenter inferre cognoscere in seipsis conclusiones demonstrabiles per illam, sed Theologia nostra in patria est perfecta, ut potè conjuncta cum evidente cognitione principiorum suorum per visionem beatam, ergo conclusiones, vel scibilia visa in verbo potarit evidenter inferre,& cognoscere in se ipsis. Qua ratione etiam probatur 3. p. q. 11. potuisse Christum per scientiam insusam plura itetum discursivè cognoscere jam visa in verbo per scientiam beatam. Et ratio utriusque est, quia licet supponantur jam visa, non tamen omni modo, quo visibilia sunt, & juxtà modum connaturalem,vel proportionatum intellectui humano, quê gratia non destruit, sed perficit, & quia non tantum cognoscibilia sunt ibi in principiis more Divino per simplicem intuitum, sed etiam extrà per discursum in se ipsis juxtà connaturalem modum cognoscendi nostri intellectus, non impeditur hic modus per gratiam visionis, sicut neque impeditur in intellectu animæ Christi discursus respectu scientiæ infusæ, &c.

Dices quòd ad verum discursum, ut insinuavimus in summulis, requiritur, quod conclusio ante sui illationem non sit jam formaliter cognita ab intellectu, quia ut quis dicatur verè moveri à termino à quo ad terminum ad quem,est necessarium quòd dum est in termino à quo sit in potentia formali ad terminum ad quem, cum nihil verè moveatur ad formam, secundum quam jam præsupponitur esse in actu formali, & virtuali, undè si velimus intellectum vero motu intellectuali moveri à præmissis ad conclusionem, oportet quod hujus formalis notitia non præsupponatur ante sui motum, si ergo in verbo per lumen gloriæ clarè attinguuntur conclusiones inferibiles per nostram Theolog., extrà verbum non erit verus discursus, sed magis dialectica quædam major explicatio, & hac ratione etiam excludendus est discursus ab eadem scientia infusa animæ Christi, &c.

Sed contra hoc est. Nam licet supponantur visæ per lumen superius,vel beatificum, tamen ex propriis Theolog.1 nostra extra verbum non pervenit ad formalem earum notitiam habitam in verbo, cum proprium lumen sit discursivum, & intrà verbum non sint cognoscibiles discursivè, ergo verè poterit intellectus per illam adhuc procedere intrà sorum discursivum ad formalem earum notitiam,& consequenter discurrere, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam intellectus habita notitia alicujus veritatis per discursum à priori adhuc potest legitimè inferre illam à posteriori perveniendo ad formalem notitiam illius, ut sic distinctè cognoscibilis, ergo similiter poterit veritatem jam visam per lumen beatificum iterum videre illam per lumen posterius nondum formaliter cognitam intrà istius limites, & ratio utriusque est quia eo ipsò quod intrà alterum forum distinctæ cognoscibilitatis, vel luminis non est adhuc formaliter cognita, optimè salvatur transitus, vel motus intellectualis ab ignoto formaliter ad cognoscendum formaliter, ut requiritur ad mobile per verum motum à termino à quo ad terminum ad quem, non enim est necessarium, quod per nullum lumen præsupponatur notum,sed tantum intrà forum intrà cujus limites sit motus, sic enim ut patet salvantur omnia requisita ad eundem motum: Nec est ulla oppositio inter se, quod intellectus simul per unam scientiam actu aliquid cognoscat, & per aliam actu ignoret; hoc enim solum arguit unam esse altera universaliorem. Quod verò negatur de scientia infusa animæ Christi non est hujus loci examinare, sed latè prob. oppositum ubi suprà, & convincitur gumento facto.

§. V.

Solvuntur argumenta contra primam Conclusionem de necessitate Theologiæ.

Primo arguitur impugnando primam rationem D. Tho. Ex eo præter physicas disciplinas est necessaria Theologia, quia finis,ad quem homo est ordinatus excedit quodcumque lumen naturale, sed hæc ratio tantum convincit necessitatem luminis supernaturalis, non tamen theologici, ergo videtur insufficiens; major est D. Tho. & min. prob. quia ad manifestandum, & dirigendum in hunc finem datur aliud lumen, scil. fidei, ergo non convincitur necessitas luminis theologici, &c.

Dices sufficere hoc lumen ad manifestandum,ut credamus,non ut explicemus, & sustineamus contrà impugnantes; sic enim,ut vidimus ex D. Aug. requiritur aliud scientificum, per quod fides roboratur,& defenditur,& quo juxtà præceptum Principis Apostolorũ reddatur poscenti ratio illius,&c.

Sed contrà hoc est quia idem lumen fidei præcipuè suppositis physicis disciplinis, & consequenter arte sillogizandi videtur sufficiens ad utrumque, ergo non est necessarius aliud scientificum saltem formaliter distinctum prob. ant. lumen fidei est vicarium luminis gloriæ, sed illud est sufficians ad manifestandum, vel attingendam omnem vérita-

ritatem sivè immediatam sivè mediatam, vel conclusionem Theologicam, ergo pariter idem fidei erit sufficiens ad omnes, præmissæ patent ex dictis; ma. quidem, quia fides modo in via supplet vices luminis gloriæ; min. etiam, quia istud in beatis est simul lumen principiorum, & conclusionum, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam de facto Parentes solo lumine fidei sine theologico filios suos instruunt de necessariis mysteriis ad salutem, ergo istud non est necessarium, &c.

Respondetur benè ibi. Ad replicam nego ant. Ad probatur dist. & explico ma. est Vicarium per imitationem quoad omnia nego, supplendo ejus vices ex parte principiorum conc. & concessa etiam mi. nego consequentiam, quia cum lumen gloriæ sit lumen consumatæ revelationis intrà verbum sine omni discursu, sivè quoad sui acquisitionem sivè quoad usum, sed simplici intuitu in uno principio, scil. Deo viso, omnes conclusiones secundum sui perfectionem à se visibiles videat, ideò potest esse lumen principiorum, & conclusionum sine indigentia alterius luminis intrà idē verbum, eo vel maximè, quod revelata ibi plena veritate, & completo omni appetitu cessat omnis quæstio, ut tradit D. Tho. 22. q. 29. art. 3. ad 2. cæterum in nobis modo in via lumen conclusionum in principiis fidei contentarum verè acquiritur per discursum, ut constabit infrà, undè nequit identificari cum lumine principiorum, sivè fidei, neque istud esse sufficiens ad explicandas, vel defendendas sui veritates per exclusionem luminis theologici, &c.

Sed instas. Non solum lumen gloriæ, vel visivum, sed etiam non visivum est sufficiens, si supernaturale sit, & in subjecto discursivo, ad manifestandum, & attingendū principia, & conclusiones, itaut sit lumen utriusque, ut patet in eadem scientia insusa animæ Christi, ergo non videtur id negandum fidei in nobis, cum pariter sit lumen supernaturale, & in subjecto discursivo. Et poterat etiam instari in lumine Angelorum in via, se pariter extendente ad utrumque. Resp. neg. consequentiam; tum quia lumen scientiæ excedit essentialiter quodcumque aliud hujusmodi lumen, supernaturale excepto lumine gloriæ juxtà primam sententiam de quo 3. p. q. 9. art. 3. & q. 11. art. 4. Unde etiam omnis ejus actus est simpliciter perfectior essentialiter entitativè omni cognitione supernaturali præter visionem beatam, cum actus, & habitus respiciant idem objectum formale, & actus habitus nobilioris sit nobilior; Tum quia cum ejus objectum sit Deitas, ut revelans clarè mediatè omnia, quæ de Deo, & in ordine ad Deum sunt cognoscibilia, sivè omnium à Deo revelabilium, ità ut etiam se extendat ad cogitationes cordis, ad quas nec Theologia nostra in beatis se extendere valet, mirum non est, quod ei concedatur præfata amplitudo, & non fidei, eo vel maximè quod est habitus ità perfectus conclusionum supernaturalium per altissimam causam, ut ex natura rei supponat visionem beatam habens necessariam connexionem cum gratia; Tum denique quia discursus ille quem intellectus animæ Christi pro sui conditione, & libertate secundum hanc scientiam formabat, cum non esset acquisitivus novi luminis, non indigebat intrà idem forum à Deo revelabilium distincto lumine ad aliquod eorum penetrandum, & defendendum, sicut indigemus nos, ut optimè etiam norunt, qui propterea scholasticis maledicunt, quia propria sophismata præcavent, & eludunt, &c.

Ad id verò, quod innuitur de lumine Angelorū in via, dicimus esse similiter sicut in nobis distinguenda duo lumina, alterum quo crederent revelatis, & alterum, quo in revelatis cognoscerent ea, quæ nos per discursum, inferimus, unde negandum est, quod idem se extenderet ad utrumq; imò nec etiam post viam, sivè in Patria extrà verbum habent cognitionem, vel scientiam supernaturalem se ità extēdentem sicut superior infusa Christi, cum de supernaturalibus essent illuminabiles ab illo, ut docent PP. in illud Isa. 65. Quis est iste, qui venit de Edom? præsertim D. Dion. lib. 1. de cælesti Hierarc. c. 3. &c.

Quod si instes ex Doctrina infrà q. 62. art. 6. Angelis gratuita, vel supernaturalia fuisse à Deo collata juxtà modum naturalium eorum, sed lumen eorum in naturalibus idem est respectu principiorum, & conclusionum, ergo idem fuit in supernaturalibus in statu viæ. §. Respondetur 1. quòd si æquè procedendum est ab uno ad alium ordinem probari etiam potest hac inst.; quòd sicut in ordine naturæ solo intellectu speciebus objectorum perfecto sinè alio lumine, vel habitu scientiarum superaddito cognoscunt omnia naturalia, pariter illò solo speciebus objectorum supernaturalium perfecto sinè alio lumine, aut habitu superaddito, cognoscere potuissent supernaturalia, quod est alienum, &c.

Respondetur ergo dist. & explico ma. fuerunt data salvis alias omnium juribus, vel meritis con. aliter n. nam cum lumen fidei, ut potè enigmaticum, innitatur revelationi obscuræ, nequit se extendere ad penetrandum scibilia, & quæ apparere possunt, sed adæquatè sistit in obscurè revelatis, ut substant huic revelationi; undè non potuit quoad hoc proportionari modo eorum naturali intelligendi, scil. perveniendo ad conclusiones se ipso intransitivè sinè alio superaddito, ut modo contingit in eorum lumine gloriæ, quod quia innititur claræ revelationi, non solum Deum videt, sed in Deo viso, ut dictum est, se extendit etiā ad conclusiones in illo à se visibiles, & ideò istud potest eorum naturæ proportionari, cæterum in naturalibus cum Angelus sit natura completè spiritualis habet meritum radicandi intellectum, qui superadditis tantum speciebus objectorum, fit vis proxima adequata intelligendi, de quo latè infrà, & aliquid insinuavimus in proœmialibus Logicæ circa necessitatem ejus, & iterum in 2. Physic. circa vim proximā operativā causæ efficientis, &c.

Ad confirmationem principalis argumenti distinguo, & explico antec. ut sup. instruunt filios sufficienter ad defendendum, si impugnentur, & seducantur nego, ad credendum præcisè transeat, vel conc. Parentes ergo instruere possunt dando notitiam prout ab aliis ruditer audierunt, si sint indocti, quia tamen ob malitiam seductorum, fides de qua instruunt, validissimis indiget præsidiis, recta intelligentia scripturarum, notitia Conciliorum, & SS. PP. nec non sophismatum, aut cavillationum contrariorum, & quia etiam cum genita non sit nisi urgentissimis argumentis, & gra-

vissi-

visti marum difficultatum solutionibus, quæ ad solam Theologiam pertinent, ideò præter lumen fidei, quo sunt instructi est necessarium aliud theologicum.

Sed instas quia ex his tantum videtur inferri, quòd Theologia sit necessaria ex suppositione, quòd fides impugnetur, non ad illius generationem,ut contendimos ex Aug. ergo sinè illa poterit, haberi,& etiam conservari simpliciter loquendo, antec. constat nam ex eo dicimus necessarium, quia instructi possunt corrumpi, ergo non requiritur ad ejus generationem, eò vel maximè, quod cum fides,ut dictum est, sit habitus principiorum Theolog. debet illam antecedere, undè magis erit necessaria, ut alii dicunt; ex fide, oon propter fidē idest, non ut sit fides,sed quia est fides,&c.

Respondetur negādo antec. quia non dicimus solum necessariam ob periculum corruptionis, sed etiam, quia secundum cursum ordinarium apud homines,non gignitur in Ecclesia,nisi miris argumentis,ut dictum est, & solutione valdè gravium difficultatum,quod est munus Theologorum,unde ad probatiooem dist. aot. ex eo præcisè, nego, & quia alias etiam gignitor miro argumentorum apparatu,& difficultatum solutione. conc. Ad id verò quod subditur de prioratè fidei Respondetur ità esse stando in eodem subjecto, ut priùs sit fidelis,quam Theologus, secus verò facta comparatione inter docentem, & addiscentem velà toto genere credentium, sic enim præcedit Magisterium Theologiæ proponens,& explanans difficultes,ut regulariter contingit in Ecclesia,per Prædicatores,& Doctores,juxtà illud Apost. 1. ad Corint. 12. *Alii datur sermo scientiæ in eodem spiritu.* Et illud etiam Job. 1. ver. 14. *Boves arabant*, scil.DD. Theologi in explicandis scripturis; *& asinæ pascebantur juxtà eos*, scil. rudes spirituali pabulo misteriorum fidei, &c.

Quod si olterius instes reducendo ad primum fidelem,qui ab alio edoceri oon potuit. Respondetor tunc esse recurrendum ad supremum Magisterium Dei,undè semper aliqua Theologia præcedit fidem; quod tamen non præjudicat necesitati Theologiæ nostræ, sicut nec præjudicat necessitati auditus, idest quod fides necessariò sit ex auditu,esto tunc ab alio non audiatur;nam sicot juxtà D. Tho. 22.q.5.art.1.ad 3; (ubi tangit hujusmodi instantiam,) deveniendo ad primum statum angelicæ conditionis, aut humanæ,ad salvandum fidem esse ex auditu,ut tradit Apost. ad Rom. 10. satis est recurrere ad Deum interius loquentem, quam interiorem revelationem acutè D. Tho. appellat auditum; ità pariter ad salvandum eandem esse, vel gigni ex Theol. satis erit recurrere ad Deum interius instruentem,sicut & Prophetæ audiebant, vel instruebantur juxtà illud psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

2. Arguitur quia in Theologia scholastica plures sunt abusus inutilium subtilitatum, quæ non solum non conferunt ad salutem, sed magis videotur impedire,cum facilè ex illis oriaotur altercationes, quibus docemur disputare non vivere, undè scholæ factionibus plenæ sunt,ergo non modo non est necessaria, sed potiùs inutilis, & noxia, &c.

Respondetur dist. & explico ant. in Theologia, & ex Theologia, neque ex vitio hominum con. nam etiam in scientia reperitur inflatin, quia tamen non est ex scientia,sed ex vitio scientis,(nam scientia,ut potè virtus intellectualis,ut dictum est, perficit quantum est ex se infallibiliter in ordine ad verum) non propterea abjicitur,imò valdè necessaria est, ut vel ipsi hostes fidei non negabunt, nisi velint promovere igoorantiam,& veluti more brutorum vivere, ità pariter quia abusus in Theologia,si qui suot,oon ex ipsa, sed vitio aliquorum proveniunt, (oam ipsa utilia docet, scil. quæ ad christianam religionem pertinent, tractans de Deo, de motu creaturæ rationalis in Deum & de Christo per mysterium Humanitatis nos ducente in Deum,ut in prologo monet D. Tho.)non solum non est noxia, sed summoperè necessaria,sed de his aliquid fortè etiam infra, &c.

§. VI.

Solvuntur argumenta contra 2. principalem de conceptu scientiæ.

1. Arguitur opponendo Philosophum, & D. Tho. Nam primus, ut vidimus in logicis definit scientiam, quod est habitus certus, & evidens per demonstrationem acquisitus, sed modo Theologia licet sit habitus certus, non tamen evideos, ergo deficit à ratione scientiæ. Deindè D. Tho. q. 14. relata de Veritate ar.9.ad 3; ut opponit Arrubal; docet *scientiam subalternatam non propriè attingere ad rationem sciendi nisi in quantum ejus cognitio continuatur quodammodo cum cognitione ejus, qui habet scientiam subalternantem.* Hanc autem continuationem modo in via non habet: In 3.etiam dist.33.q.1.art.2.Qq. 4. inquit *si esset aliqua scientia,quæ non potest reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, neque univocè scientia diceretur.* Constat verò nostram Theologiam, ut potè procedentem ex creditis non posse sic resolvere suas conclusiones, ergo nec propriè, & univocè cum aliis erit scientia,&c.

Ad hoc respondetur, & 1. ad Philosophum, quòd ut benè advertit M. Ferre. si ex eadem definitinne liceret inferre nostram Theolog. non esse verè scientiam, pariter ex definitione, quam tradit idem Phil. de fide,inferendum esset fidem nostram non esse verè, & propriè fidem quia sicut in definitione scientiæ ponit evidentiam, pariter in definitione fidei ponit fallibilitatem, ergo si quia in illa ponit evidentiam, excludenda est Theol. à propria ratioue scientiæ, pariter quia pooit in ista fallibilitatem, excludenda erit fides nostra, ut potè habens infallibilitatem, à vera ratiooe fidei. Dicimus ergo præter superiora, quòd loquitur de naturalibus, vel perfectis,sivè habentibus statum perfectum,quas ipse novit, non de Superioribus, vel theologicis, quas non novit,& quæ præcipuè, ut dictum est,possunt aliundè, & noo præcisè ab evidentia actuali habere suam certitudinem, vel infallibilitatem sufficienter ad substantiam, vel essentiam scieotiæ; sicut in simili etiam dicimus 3. p. circà satisfactionem Christi, quod quaodo idem voluit, actum justitiæ exigere alteritatem personæ realiter distinctæ, intelligeodus est de justitiæ actu inter puras creaturas exercendo, quem

ipse

ipse novit, non de illo Dei hominis, sivè Christi respectu sui, ut Dei, quem non novit, & ad quem sufficit, ut explicavimus ibid. contrà Vasquez, dualitas voluntatum realiter distinctarum ad fundandum distinctum jus cum sola virtuali diversitate suppositi: Et licet etiam diceretur Philosophos non agnovisse certitudinem sinè evidentia non tamen absolutè eam exigunt, ut patet io altera definitione scientiæ superiùs tradita, scil. quòd scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest, quod totum ut ostensum est, etiam ex D. Thom. haberi potest sine evidentia actuali, vel per auditum à Deo superantem etiam ipsam evidentiam, vel ab attestante scientifico, &c.

Ad priorem locum D. Tho. Respondetur corruptè referri in prædicta solutione ad 3. non enim utitur vocabulo *propriè*, *sed perfectè*, quod est verissimum, quià nondùm pervenit ad statum perfectum quamdiù non continuatur, et tamen jam substantialiter scientia, ut dictum est; sed hac occasione monere velim ab initio lectorem, quòd dum agitur de litera D. Tho. præcipuè in his, in quibus ejus Discipuli, vel illius Domestici conveniunt, dignetur sinè ullo, vel minimo cujusquam præjudicio, legere in se ipso, vel apud eosdem Thomistas, quibus commissum est depositum sui Præceptoris, nam licet supponam fide bona aliquos procedere, quia sic unus apud alium legit, nihilominus contingeret quandoque, vel invenire corruptum, vel non inventum, ubi refertur, vel totum oppositum docentem, & maximè in materia morum, ut nuperrimè ostendimus in quodam opusculo circa eandem materiam & videri potest noster Pisanus in suo gladio circa Gedeonis plures propositiones ab Innocentio XI. damnatas, & Gonet de opinionū probabilitate art. 6. ad 1.

Ad posteriorem locum iterum adverto non legitimè referri, ut videre est in textu, ab alio recentiori, nam vice illorum verborum, *naturaliter cognita* refert ipse; *per se nota*, & deinde in fine addit, *neque propriè* quæ verba non extant in D. Tho. nec faciunt ad ejus intentum. Sed quia hic Author est professor Thomista, faciliùs supponendum est voluisse referre juxtà sensum, quem putavit D. Tho. §. Respondetur ergo quod, ut patet ex litera, nihil contineri ibi contrà nos, nam ad ostendendum quod virtutes infusæ distinguantur ab acquisitis, ut fortitudo à fortitudine, & temperantia à temperantia, & sic de aliis, adducit exemplum de scientiis inferioribus, & superioribus, quod sicuti superiores, quia procedunt lumine supernaturali, nec reducunt suas conclusiones ad principia naturaliter, sivè lumine naturali cognita, distinguuntur specie ab inferioribus lumine naturali procedentibus, sivè reducentibus ad cognita lumine naturali, nec esset univocè scientia cum illis saltem in genere physico, quidquid sit in logico, ità pariter, quia virtutes infusæ, vel fines earum non præexistunt in seminariis virtutum naturalium, sed altiùs procedunt, & superant naturam humanam, distinguuntur specie ab acquisitis, quæ continentur, vel procedunt ex eisdem Seminariis; ad hoc autem non refert, quod scientia quoad substantiam scientia teneatur resolvere in principia evidentia, vel per se nota, sed in illa altioris ordinis si sit scientia superior, & tunc rectè conducit ad intentum distinctionis inter utrasq. virtutes, imò cum debitum resolvendi in principia evidentia, sit quid commune utrique scientiæ, potiùs impediret aut cōfunderet præfata distinctionem, & consequenter intentum D. Tho. &c.

2. Etiam principaliter arg. Theologia nostra deficit in prædicato principali scientię, scil. evidentiæ cum procedat ex creditis, ergo non est verè scientia. §. Dices ut sop. deficere in evidentia actuali, non radicali, quæ satis est ad scientiam saltem quoad substantiam. Sed contra: hoc est, quia intellectus scientificè procedens debet convinci ex propriis, & intrinsecis ipsius objecti, non enim captivatur sicut in assensu fidei, ex imperio voluntatis, & testimonio dicentis, ergo ubi non est actualis visio rei nequit verè, & propriè scientificè procedere, cum ex propriis objecti convinci non possit, si semel illa non videt. Dices dist. ant. debet convinci ex propriis proximè vel radicaliter visis & actu firmiter creditis conc., semper proximè subdist. procedens scientificè quoad substantiam, & statum conc. quoad substantiam tantum nego. §. Sed contrà hoc est. Semel scientificè procedens actu hic, & nunc convincitur ex propriis, si velimus contra positivè procedere ad assensum fidei, ergo actu hic, & nunc tenetur videre, prob. cons. quia eo modo scientificè convincitur, quo videt, ergo si actu convincitur, actu tenetur videre, &c.

Explicatur hoc. Radicaliter videre non est actu convinci ex propriis, sed posse, vel exigere convinci ex illis, sed ad rationem scientiæ verè, & propriè, vel quoad substantiam non satis est posse convinci, sed actu convinci ex propriis, ergo sola radicalis evidentia non sufficit ad verum & proprium conceptum scientię, &c.

Respondetur benè ibi, ut latè, patet ex dictis §. 3. nam solum impeditur ex parte subjecti, & ratione status habere actualem non ex sua ratione formali, vel specifica, undè ad ultimam replicam dist. eodem modo ant. convincitur ex propriis proximè, vel radicaliter visis, & actu immobiliter creditis concedo semper actu visis præcipuè, si solum sit talis quoad substantiam nego; hoc enim non est necessarium, ut ostensum est, maximè loquendo de scientia lumine supernaturali procedente, quæ scili aliundè, vel independenter ab actuali evidentia habere potest infallibilem sui certitudinem cum exigentia evidentiæ, ut sufficienter distinguatur à fide, ut dictum est. Et per hęc patet ad explicationem, ad quam nego Ma. nam ut dicatur actu convinci ad præstandum assensum quoad substantiam scientificum, sufficit, quod immobiliter adhæreat præmissis, ut notis in superiori scientia, & ex illis deindè per infallibilem consequentiam innitendo connexioni infallibili inferat veritatem infallibilem, eique ex vi ejusdem connexionis immobiliter adhæreat, quod totum, ut vidimus; habet Theologia etiam in via, &c.

3. Arguitur (& est replica prosequendo, alia via præcedens) Evidentia actualis in scientiis non est de linea consecuti, sed primaria, vel essentialis, ergo illa deficiente non salvatur scientia etiam quoad substantiam prob. ant. tum quia ingreditur definitionem ejus essentialem, ut constat ex definitione tradita; tum quia specialiter loquendo de Theologia, distinguit illam essentialiter à fide Di-

vina:

vina: Tum quià sic requiritur evidentia ad scientiam sicut formido ad opinionem, vel fallibilitas ad fidem humanam, sed actualis fallibilitas, vel formido requiritur ad istarum conceptum essentialem, quâ ratione contendimus actum utriusque non posse componi cum actu scientifico: Tum quia non est assignabile prædicatum, ad quod consequatur, nam certitudo magis consequitur in scientia ad evidentiam, quam è contrà, ergo, &c.

Urgetur hoc. Evidentia, vel claritas in cognitione præcipuè loquendo de cognitione habitus, qui est virtus intellectualis, ut est scientia; non exigitur præcisè propter certitudinem, sed etiam propter se ipsam, & meritum ejusdem virtutis, quia nempè est intrinseca perfectio cognitionis, & virtutis intellectualis, qua ratione, ut dictum est; licet fides habeat certitudinem, & perficiat infallibiliter intellectum in ordine adverum, quia tamen id non præstat ex intrinseca efficacia sui luminis, sicut scientia; virtus intellectualis non est, & ratio est, ut insinuavimus; quià evidentia, vel claritas perficit intellectum secundum naturalem ejus exigentiam, quæ in eo consistit, quod suum assensum quærat præbere ex proprio, & non ex alieno testimonio, & propterea quiescere nequit, donec perveniat ad evidentiam, ergo claritas, vel evidentia non est conditio accidentalis, sed quæritur propter se, & non præcisè propter certitudinem, &c.

Ad hoc vel nego ant. vel dist. primaria, vel essentiali, loquendo de scientia abstrahente ab utroque statu, scil. consumationis, & imperfecto, vel viæ, ut in casu, nego; reduplicato priori consumationis transeat, quià cum essentialiter petat visionem rei tanquam sui centrum, reduplicato hoc statu, evidentia actualis non censetur tunc accidens cognitionis, sed quid requisitum propter se ipsam, quia in illa solum quiescit, sicut grave in centro, cæterum in statu viæ, vel imperfectionis non tenetur essentialiter habere, sed tantum pro merito status exigere, vel tendere ad illã, aliàs in via non esset, undè rectè D. Tho. recurrit ad hoc, quod est procedere ex notis in superiori statu, vel scientia, ut salvet conceptum essentialem scientiæ in Theologia, quia nempè ex eo, quod sic procedit ex notis, tenetur tendere, vel exigere notitiam, vel evidentiam eorum, donec perveniat. & quiescat in statu illo, & antequam conjungatur cum eodem non habet debitum actu videndi, & quiescendi; quia tantum imperfectè scit, scil. imperfectione status, licet verè, aut substantialiter jam sciat, ut probatum est, &c.

Ad primam prob. iterum dist, & explico; ingreditur definitionem essentialem, sumpta cum distributione accommoda pro merito status conc. indiscriminatim, nego; vel juxtà superiora poterat etiam absolutè negari ant. loquendo de scientia ut sic, nam satis est, quod ingrediatur evidentia radicalis, vel exacta, quidquid sit de certitudine, ut explicatum est; non enim omne prædicatum definitivum perpetuò intelligendum est cùm eadem distributione, vel æqualiter verificandum, ut inter alia patet in exemplo adducto habitus, qui etiam definitur, quod sit qualitas difficilè mobilis, & tamen non eodem modo verificatur semper utrumque prædicatũ, nam hoc posteriùs quandoque actu impeditur, retenta sola exigentia, ut patet in scientia, quæ facilè deperdi potest in infirmo ex indispositione ejus, undè sicut eadem exigentia firmitatis est sufficiens ad distinguendum ab aliis, ità pariter sola exigentia evidẽtiæ erit sufficiens ad distinguendam scientiam ab aliis; per quod etiã patet ad secundam, &c.

Ad 3. nego majorem nam cum opinio, sivè ejus assensus opinativus non sit absoluta rei assertio quoad esse, vel non esse, sed cum hoc addito essentiali, nempè cum hoc judicio, quod res aliter se habere possit, id censendum est de essentia ejus, quod ab illo tollit rationem assertionis absolutæ; hoc autem est actualis formido de opposito, nam si hæc separetur ab eodem assensu statim manet absoluta assertio rei, ut patet ex terminis & consequenter non est amplius opinio, undè sicut ad existentiam notitiæ intuitivæ, non sufficit apud Metaphysicos exigentia præsentiæ objecti, sed est necessaria existentia presentiæ ejus, ità ad existentiam assensus opinativi non sufficit sola exigentia formidinis, sed requiritur existentia ejusdem formidinis; idem proportionabiliter tenentur asserere qui dicunt actualem fallibilitatem esse impræscindibilem à fide humana, quod nempè non sit absoluta adhæsio rei, sed cum hoc addito, nempè quod testimonium hominis à qua pendet, est fallax; in quo videntur fundari, qui tenent scientiam subalternatam accipientem principia per fidem humanam, ut contingit in scientiis naturalibus, non esse verè, & propriè scientiam, quia nempè accipit per fidem fallibilem, cæterum in opposita sententia quam, ut probabiliorem sustinuimus de mente D. Tho. 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2. quod scil. fides, vel auditus ab aliquo scientifico potest quandoque superare visionem, & consequenter eandem subalternatam in absentia subalternantis esse verè sciẽtiam, poterat retorqueri: sed eadem impræscindibilitate admissa etiam in fide, non tamen tenemur ad eam obligare scientiam saltem quoad substantiam, quia ut probatum est; independenter ab actuali evidentia potest habere totum, quod desideratur ad ejus essentiam, scil. & rem per causam cognoscere, & quod aliter se habere non possit per hoc, quod firmiter teneat principia, ut præcipuè contingit in Theologia per fidem Divinam, & quod ex illis, ut notis in superiori scientia infallibiliter inferat suas conclusiones ex vi connexionis infallibilis, ut dictum est, &c.

Ad 4. n. ant. ad probat. annexam dist. certitudo magis consequitur ad evidentiam, loquendo de scientia in statu perfecto conc. quia tunc intellectus certificatur de re ex eo, quod illam videt, ut dictum est; loquendo de illa in imperfecto, vel abstrahendo ab utroque statu nego; quia potest aliundè haberi independenter ab actuali visione, ut dictum est, undè videtur consultò præferri evidentiæ in ejus definitione, dum dicitur, quod est habitus certus, & evidens; ex quo ni fallor, videtur evidenter inferri, quòd si semel certitudo scientifica potest præcedere, aut præcedit definitivè evidentiam jam aliundè haberi poterit ad salvandum conceptum scientiæ saltem quoad substantiam, cum definitum illius definitionis sit verè, & propriè scientia; undè altera particula scil. *evidens* non est restringenda ad actualem, sed magis extendenda ad radicalem. Per quod etiam potest iterum fieri satis, imò retorqueri superior illa paritas ex eadem definitione, quod sicut certitudo stat de-

determinatè pro actuali: ità pariter evidentia; imò oppositum inferendum erat, nam si ità est ex tradita definitione, quod si certitudo antecedit, jam non indiget evidentia, ut consequatur, ergo si semel contenduut evidentiam actualem, quia certitudo scientifica consequitur ad evidentiam, tenentur ex eadem definitione inferre non esse hanc æqualiter oecessariam, &c.

Ad Confirmat. jam dictum est unde dist. consequens, evideotia non est conditio accidentalis, respectu scientiæ reduplicato statu perfecto ejus, sive respectu cujuscumque cognitionis ejus transeat: reduplicato imperfecto, sive præcisè respectu cognitionis scientificę quoad substantiam nego, nam quamvis respectu cognitionis perfectæ, sive consumatæ evidentia actualis non sit accidens illius, sed quid requisitum propter se, secus tamen respectu scientiæ tantum quoad substantiam, cum sinè illa optimè salvetur, ut probatum est. Undè sicut non omnis scientia, ut alibi advertimus; est in eodem gradu certitudinis ità nec in omni statu petit eandem evidentiam, sed si in imperfecto sit potest actu non habere, & solum tendere ad illam, qua habita, quiescere, quod pertinet ad statum consumationis; ubi est plena possessio veritatis, &c.

Sed instas Theologia nostra prout in statu viæ est ejusdem speciei cum Theologia prout est in statu Patriæ, ergo si evidentia actualis est de essentia ejus prout est in statu Patriæ, pariter erit, ut est in statu viæ, vel secundum se. §. Dices nego suppositum consequentis, quod sit de essentia ejus prout est in superiori statu, quasi reduplicatio cadat suprà conceptum specificum scientiæ secundum se, sed magis suprà statum, aut suprà perfectissimam cognitionem illius, in qua quiescit, ut dictum est, tanquam in centro, sive etiam suprà scientiam, ut sub est eidem statui, sicut in simili dicimus infrà q. 12. ad art. 5. quod visio est connatoralis intellectui, non secundum se, & absolutè, sed ut habeoti, vel ut informato lumine, ità ut reduplicatio involuat lumen ex parte termini ad quem respectu connaturalitatis, tanque formalem terminum, & rationem propter quam tali conjuncto dicitur connaturalis, &c.

Sed contrà hoc est. In Patria certitudo Theologiæ sequitur ad evidentiam objecti, id est sumitur ex hoc, quod objectum videtur in se, sed quando certitudo sic sequitur ad evidentiam tunc actualis evidentia est de essentia scientiæ, ergo evidentia actualis ibi erit de essent ia illius, ergo cum eadem sit utriusque Theologiæ essentia pariter erit de essentia Theologiæ in via, ma. patet ex dictis, min. verò probatur, quia certitudo consecuta, ut supponimus; est de essentia ejus, nam de certitudine nullus dubitat, ergo etiam evidentia, ad quam consequitur, imò à fortiori, prob. conseq. quia oon potest prædicatum consecutum ad aliud intimios convenire, quam illud, ad quod consequitur, imò minus, ut patet inductivè: ergo si semel essentialiter cōvenit certitudo, à fortiori cōveniet evidentia, &c.

Urgetur hoc quia hoc meritum habet scientia, ut iosinuavimus; in ratione virtutis intellectualis contrapositivè ad fidem, quod perficit intellectum ex intrinseca efficacia sui luminis, ergo habet ex propriis, vel essentialiter meritum videndi, & non accidentaliter, &c.

Respondetur beoè ibi; ad replicam dist. ma. certitudo accidentalis, sive illius status conjunctioni[s] coo. substantialis, & specifica oego, & dist. min. quando certitudo est essentialis, ut dicitur de scientiis naturalibus subalternātibus; transeat, vel conc. quando præcisè est accidentalis, ut est illa, quā obtinent subalternatæ in statu conjunctioois cum subalternantibus nego; undè Theologia nostra præter certitudinem substantialem, quam modo habet in via, alteram consequitur ex eo quod coojungatur cum scientia beatorum, cui subalternatur, quæ sumitur ex hoc, quod objectum suorum principiorū videtur in se, & hæc est accidētalis procedens ex merito status, & nō ex præcisa ratione specifica, &c.

Ad confirmat. dist. conseq. habet meritum videndi exigitivè conc. actualiter nego loquendo de illa præcisè quantum ad substantiam: nec enim est necessarium ad salvandum ejus conceptum in ratione virtutis intellectualis, ut evidentia actualis sit de essentia, ejus, sed satis est, quod ex propriis exigat videre, quod quidem habet dum per se procedit ex notis in superiori scientia, ex hoc enim, quod sic procedens exigat videre inferendo ex vi infallibilis connexionis ex eisdem notis in lumioe superiori jam habet ab intrinseca efficacia sui luminis determinare intellectum ad firmiter assentiendum vero, & non tantum ab extrinseco imperio voluntatis, ut contingit in fide &c.

§. VII.

Solvuntur alia Argumenta etiam contra tertiam.

ARguitur (& iterū est replica prosequendo alia via utriq; præcedēs) scientia verè, & propriè procedere debet, & resolvere in principia nō liberè, sed necessariò acceptanda, sed Theologia non sic procedit, aut resolvit, ergo non est verè scientia. min. constat quià liberè credit illa; ma. verò prob. quià immobilitas assensus circa conclusionem pendet ex immobilitate assensus circa principia, ergo ubi non est immobilis assensus, sed liber circa principia, nec erit immobilis, aut verè, & propriè scientificus circà conclusionem, &c.

Explicatur hoc ex dictis in logica. Scientia verè, & propriè debet ità immobilitare intellectum circa veritatem conclusionis, ut non relinquat liberam in eo potestatem ad non assentiendum; undè in syllogismo demonstrativo necessitatur omninò ad illi assentiendum, sed non potest sic immobilitare, ex assensu non immobili circa principia, cum totum pondus assentiendi conclusioni peodeat ex assensu ad principia, ergo isto supposito libero, & non necessariò nequit haberi assensus verè, & propriè scientificus, &c.

Ad hoc ex Doctrina D. Tho. 22. q. 1. art. 5. ad 2. nego oniversaliter ma. quia ut inquit ibidem *ex principiis fidei probatur. aliquid apud fideles, sicut ex principiis naturaliter notis prob. aliquid apud omnes*, & deindè immediatè subdit, *undè etiam Theologia est scientia.* Ubi manifestè sentit dari verè scientiam, quæ talis non est apud omnes, sed solum apud coocedentes principia, qualis est Theologia respectu fidelium, qui admittunt principia fidei, ex quibus liberè concessis demonstrativè procedit apud eosdem fideles; sicut ex oaturaliter notis procedimus demonstrativè apud omnes: Ad probat. dist. ant. pendet ex immobilitate circa principia, sem-

semper orta ab intrinseco, vel ex meritis solius objecti nego; superaddita quandoque voluntate rationabiliter inclinante, & adherente concedo, non enim est necessarium, quod processus scienticus sit perpetuò ex actuali visione principiorum, ut latè probatum est, & consequenter nec ex immobili adhæsione ad illa immobilitate orta ex præcisa efficacia intrinseca eorum independenter ab omni suppositione, voluntatis rationabiliter inclinantis intellectum, & adhærentis, quia ut vidimus ex D. Tho. auditus præcipuè à Deo superat quamcunque evidentiam naturalem, cum vel etiam auditus à scientifico superat visionem parvæ scientiæ, ut tradit ibidem q. illa 4. 2. 2. art. 8. ad 2. undè præfata immobilitas adæquatè orta ab intrinseco solum poterat desiderari ad scientiã perfectã, seu ad statũ consumationis, ut dictũ est.

Ad confirmationem similiter dist. ant. debet immobilitare, vel ex suppositione auditus, vel ab intrinseca efficacia, aut meritis objecti concedo, præcisè ex meritis istius subdist. loquendo de sciẽtiæ perfecta, seu statu ejus perfecto transeat, vel concedo; quoad substantiam, vel essentiam tantum nego, & ad probatur annexam dicimus quod supposito auditu ab attestante fidei dignissimo potest per infallibilem consequentiam ex vi infallibilis connexionis, ut dictum est, ità immobiliter inferre ex principiis sic auditis, ut obliget omnino intellectum ad assensum conclusionis, de quo tamen latè in lib. poster. &c.

Instas. Necessitas ex suppositione est tantum secundum quid non simpliciter, ergo non est sufficiens ad salvandum proprium conceptum scientiæ quoad substantiam prob. conscientia, quia scientiæ verè, & propriè debet necessitare simpliciter ad assensum conclusionis, aliàs non plenè convincit, ergo; §. Explicatur, & urgetur hoc. Necessitas ex suppositione magis est necessitas consequentiæ, vel illationis, quam consequentis, vel rei illatæ, ut patet ex dictis in physicis de præmotione physica, ergo Theologia sic tantũ necessitans, magis erit scientia consequẽtiæ quã cõsequentis, ut vult Aureolus, &c.

Urgetur ulterius. Intellectus in tantum necessitatur ad assensum conclusionis, in quantum concedit præmissas, ergo si præmissæ Theologiæ liberè conceduntur, assensus ejus circà conclusionem erit liber, & non necessarius, ut requiritur ad assensum scientificum, &c.

Ad hæc dicimus, primò valdè esse diversa hæc duo, nempè actum esse necessarium ex suppositione, quæ dicitur necessitas conditionata, aut secundum quid; & esse necessarium hoc vel illo supposito, istud enim potest esse necessarium simpliciter licet id, à quo pendet, liberè supponatur. In casu ergo assensus scientifici, quamvis principia liberè supponantur, aut concedantur, illis tamen semel concessis, aut suppositis, potest intellectus ex vi necessariæ connexionis determinari per modum naturæ, & consequenter necessitari ad enndẽ assensum conclusionis, eò vel maximè quando præmissæ, cognoscuntur in forma, & figura dispositæ, & eisdem speciebus intelligibilibus, quibus est cognoscenda conclusio quia tunc, ut insinuavimus in lib. poster. cognitio præmissarum est causa naturaliter inferens assensum conclusionis, quidquid sit si cognoscerentur præmissæ per distinctam speciem, vel increatam, ut dicitur de præmissis scientiæ, infusæ animæ Christi cognitis visione beata per essentiam Divinam, ut speciem intelligibilem, tunc enim cognitio earum non censetur causa naturaliter inferens cognitionem conclusionis, nec ità obligans quoad exercitium, ut infrà, &c.

Ex his ergo in forma nego suppositum consequentis prout universaliter tangit assensum scientificum, nam licet in scientiis subalternatis non habeatur nisi suppositis, vel liberè concessis præmissis, non tamen præcise ex meritis suppositionis, sed aliunde ut dictum est, undè optimè potest esse necessarius simpliciter, licet suppositio vel concessio præmissarum sit libera, & præcipuè in scientiis naturalibus, in quibus generaliter militat prædicta conditio cognitionis præmissarum, & conclusionis per easdem species, & de quibus agitur ibi in lib. poster. &c.

Ad primam confirmat. similiter nego suppositũ consequentis, quod præcisè necessitet ex meritis suppositionis, sed magis ex hoc, ut dictum est, quòd suppositis, vel concessis licet liberè præmissis demonstrativè deindè ex eisdem procedendo obligat omninò ad assensum conclusionis, quidquid iterum sit, quod si contingat in hujusmodi scientiis supernaturalibus, vel supernaturali lumine procedentibus, præmissas diversa, vel increata specie cognosci, non necessitetur tunc intellectus etiam quoad exercitium ad eundem conclusionis assensum, sed cessare possit prout explicatur 3. p. q. 11. ad art. 5. Ad id verò quod subditur de præmotione ex dictis ibidem obiter dicimus, quod cum suppositio illius sit ad liberè agendum, ut accommodata naturæ liberæ facultatis, non solum non necessitat, sed magis ex natura rei exigit, ut homo ex judicio rationis indifferente objectivè aplicetur ad volendum, cæterum suppositio, vel concessio principiorum tendit ad totum oppositum nempè ad plenè convincendum, vel immobilitandum intellectum respectu talis objecti, vel conclusionis, ut oppositæ consentire non possit, quod est necessitare ad assensum illius, undè ut deservit demonstrationi theologicæ magis exigit propositionem objecti inferendi cum determinatione ad unum, undè nec scientia, cui deservit; dicenda præcisè est scientia illationum, vel consequentiarum, sed etiam consequentium, vel conclusionum.

Ad 2. pariter dist. ant. in quantum concedit, si ly in quantum reduplicet modum nego, si finem conc. nam ad præmissas nullo modo necessitatur, neque absolutè, neque ex suppositione; ad conclusionem verò saltem ex suppositione, ut dictum est, cæterum concessio, vel suppositio, ut deservit scientiæ, tendit ad illius finem, scil. immobilitandi intellectum circa hanc determinatam veritatem, &c.

5. Arguitur. Nulla scientia agit de singularibus, & contingentibus, sed Theologia agit de his pluribus puta de gestis Abrahæ, Isaac, Jacob, & similibus, ergo non est scientia: ma. constat quia scientia est de perpetuis, & incorruptibilibus, &c.

Ad hoc respondetur 1. com D. Tho. hic ad 2. dist. min. agit de illis principaliter nego: Secũdariò vel introductivè concedo, agit enim de illis, vel quia proponuntur in exemplum vitæ sicut in scientiis moralibus, vel etiam ad declarandam auctoritatem virorum per quos ad nos revelatio Divina processit super quam fundatur sacra Scriptura, seu Doctrina.

2. Respondetur dist. ma. nulla scientia naturalis, vel naturali lumine procedens conc. supernaturalis, vel procedens lumine supernaturali nego, & ratio differentiæ est, quia naturalis utitur essentia, vel definitione subjecti sui pro principio veritatum, quas de illo demonstrat, essentia autem subjecti non habet infallibilem connexionem cum actibus singularibus contingentibus, v. g. me esse animal rationale non habet infallibilem connexionem cum hodierna lectione, locutione &c. & ideò hujusmodi actiones nequeunt per definitionē subjecti demonstrari; cæterum scientia supernaturalis non utitur, ut principio sola essentia subjecti, sed veritatibus à Deo revelatis, cum quibus sepè infallibiliter connectuntur actiones singulares contingentes. Potest ergo Theologia, ut potè saltem mediatè innixa divinæ revelationi salvo conceptu proprio scientiæ agere de prædictis singularibus, sicut & 3. p. plures veritates ostendit de Christo, quæ licet secundum se singulares, & contingentes sint, ut tamen substant determinationi divinæ voluntatis sunt omninò certæ, & infallibiles, & ex suppositione, necessariæ, & cognoscuntur scientificè à Deo in decreto suæ voluntatis, ut in causa, de quo infrà q. 14. art. 13. undè etiam scientificè cognosci possunt per scientiam, quæ eidem revelationi innititur, per quam manifestatur liberū decretum Dei, quod est infallibilis causa futuritionis earom & sumitur hæc solutio etiam ex D. Tho. 22. q. 1. art. 3. ubi ait. *Deum incarnari secundum se consideratum fuit possibile etiam post tempus Abrahæ; sed secundum quod cadit sub scientia Divina, habet quandam necessitatem infallibilitatis, & hoc modo cadit sub fide, undè prout cadit sub fide non potest esse falsum.*

Sed contrà utramque solutionem instas, & 1. contra primam quià de aliquibus singularibus agit etiā per se primò, ut de Deo, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Deindè etiam contrà 2. nam sivè singularia sint contingentia, sive omninò invariabilia, ut suprema Divinitatis, nullū tamen primò, & directè pro hoc statu est attingibile à nostro intellectu, ergo nec primò, & per se attingi à nobis poterit per scientiam realem quæcunque sit; ant. patet ex dictis in 3. de animæ disp. 4. q. 2. consequentia verò prob. quià nequit scientia nostra realis per se primò se extendere, ad quod primò, & directè non se extendit intellectus, cum sit minus universalis, & perficiat intellectum, ut determinatio ejus, ergo, &c.

Explicatur hoc nam sicut intellectus noster pro hoc statu nequit se immediatè convertere ad spiritualia, ità nec primò, & directè ad eorum singularitates, sed abstrahendo ab illis naturam, format conceptum naturæ universalis, & deindè cognoscit singularitatem, qua ratione Deus ut vidimus in summulis, concipitur à nobis cum communitate dialectica per modum termini communis, & similiter natura Gabrielis cum ulteriori cōmunitate logica per modum universalis, quamvis in re sit singularis, quia scil. pro hoc statu inadequatè hujusmodi singularia concipimus, primò naturam, deindè singularitatem, ergo juxtà hanc thomisticam doctrinam nequit admitti, quod aliqua scientia per se primò agat de aliquo singulari, &c.

Ad instantiam respondetur negando suppositum illius, quòd prior solutio ex D. Tho. loquatur de quocunque singulari, sed tantum de relatis in argumento, & similibus, quæ sunt singularia creata, & de his est certum, quod Theologia per se primò, vel specificativè, non agit, cum solus Deus sub ratione Deitatis sit adæquatum ejus subjectum primarium adeò ut etiam Christus ut homo solum pertineat ad materiale secūdariū undè non excludūtur personæ divinæ à ratione primarii, licet sint quædam singularia, &c.

Ad 2. quæ est replica contrà solutionem 3 respondetur ex dictis ibidem de anima præcipuè §. 3. dist. ant. nullum singulare materiale, & repræsentatum per speciem primò abstractam, & cognitum per primam cognitionem, aut simplicem aprehensionem, sivè per primam operationem intellectus conc. nullum immateriale cognoscendum judicativè, aut discursivè per lumen supernaturale, licet semper connotativè ad rem sensibilem, vel corpoream nego, quia licet ità sit, & tradit D. Tho. p. 1. p. q. 84. art. 7. ad 3. etiam incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corporea sensibilia, quorum sunt phantasmata, sicut veritatem cognoscimus ex cognitione rei, circa quam speculamur; habito tamen iam phantasmate, & cognitione ejusdem rei corporeæ non videtur aliquid prohibere, quod tunc proferatur judicium, vel aliquis discursus de re spirituali licet connotativè ad corpoream sicut proportionaliter constat in eodem exemplo veritatis cognitæ ex cognitione rei, & deindè connotativè ad illam, undè etiam dum cognoscit veritates fidei per connotationem errorum, profert hoc judicium, veluti immediatum, aut primariū de illis, quod longè distant ab illis, seu à prædictis erroribus, & hoc est etiam, quod ait ibidem D. Tho. nempè quod *Deum cognoscamus, ut causam, & per excessum, & remotionem*; Et similiter 22. q. 8. art. 7. dicit quòd tantò Deum in hac vita perfectiùs cognoscimus, quantò magis intelligimus eum excedere, quidquid intellectu comprehendi potest, & quantò magis abstrahimus à sensibilium phantasmatibus, non quià his modo non indigeamus ad illius cognitionem, & aliarum rerum spiritualium, sed quià ad perfectè sic cognoscendum tenemur formare prædictum judicium discretivum, quod non sunt hujusmodi objecta sicut formæ sensibiles per quarum connotationem illa cognoscimus; undè per scientiam perficientem 2. & 3. operationem intellectus, ad quas pertinent judicium, & discursus, possumus sic veluti immediatè, aut primariò de illis judicare, & discurrere. Videatur D. Tho. ibidem, & M. Ferre hic q. 3. §. 2. in fine, & latiùs 22. tom. primo tract. 2. q. 19. §. ult. & per hoc etiam patet ad explicationem, &c.

Ultimo Arg. contra 3. de scientia beatorum. Nam hæc habet modum procedendi distinctum, vel oppositum lumini scientifico, ergo non est verè scientia, prob. ant. quià procedit per simplicem intuitum perficiens animam magis ut intuitiva, vel intellectiva est, quam ut rationalis, vel discursiva, ergo magis pertinet ad lumen superius, vel principiorum, quam inferius, vel scientificum, &c.

Urgetur hoc lumen verè scientificum, ut potè essentialiter illativum, solum tendit ut ad objectū formale in conclusiones, non in illas, & principia simul,

ſimul, ſed ſcientia beatorum ſivè lumeo gloriæ reſpicit pro objecto formali utrumq. ſimul, ſcil. eſſentiam, & attributa, ergo nequit ſtrictè eſſe ſcieotificom, &c.

Ad hoc nago ant.ad prob.M.Ferre hìc §. 4. concedit ſcientiam quæ non procedit more humano, ſed divino, qualis eſt lumen gloriæ, ſivè ſcientia beatorum non perficere animam rationalem, ut rationalem, ſed tantum ot intellectivam, nec tamen amittere ſtrictum cooceptum ſcientiæ quià dum anima non ſervat modum connaturalem ſcientificum,ſed elevatur ad modum iotelligendi Dei per ſimplicem intuitum noo tenetur perfici per ſcientiam, ſecundum quod rationalis eſt, ſed tantum ut iotellectiva, &c.

Sed hæc ſolutio niſi aliquid addatur,difficultate non caret, nam ſi ſemel velimus, diſtinguete à lumine principiorum lumen ſcientificum quodcunque ſit, oon videtur poſſe limitari ad eſſe taotum perfectivum animæ, ut intellectiva eſt, ooo verò, ut rationalis,quia perficere illam preciſè,ut iotellectiva eſt, vel intuitiva, & non ratiooalis,eſt proprium munus lumjois principiorum, ut diſtioguitur à ſcientifico, ergo non videtor ſufficienter per id ſalvari proprius,aot rigoroſos cooceptus ſcientiæ in ſcientia beatorum. Præterquam quod ut docet ibidem in ſolutiooe ad confirmat. ex eo quod lumen glorię eſt participatio formalis iotellectus divini, qui ſimul eſt lumen intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, hæc tria pariter habet, ità ut ſecuodum quod participat primum, habet pro objecto omnia divina, quæ formaliter Deo conveniunt, & prout 2. judicat de omnibus per divinitatem, & pro ut 3. ſivè ot ſcientia eſt,tantum habet inclinare in attributa Dei cognoſcendo de illis quod virtualiter radicaotur in Dei aſſentia,& ratione illius Deo conveniunt, ex quo deiodè infert, quòd licet lumen gloriæ omnia Divina formaliter attingat,non tamen ex hoc rationem ſciẽtiæ amittit quià illud cooveoit illi prout eſt formalis participatio intellectus Divini, iſtud verò,ut eſt participatio Theologiæ Divinæ,ergo ſalvo hoc diſcrimioè inter utrumque lumeo non videtur poſſe confundi io illis rationem perfectivi reſpectu animæ, quod etiam ot ſcieotia eſt perficiat eam tantum, ut intellectiva eſt, vel intuitiva & non ut rationalis, &c.

Ex dictis ergo diſt. ant.1.qoo ad 1. p. procedit per ſimplicem intuitom excludentem diſcurſum tam formalem,quam virtualem, ſivè quodcuoque medium tam ex parte cognoſceotia, quam ex parte objecti cogniti nego; formalem tantum; vel medium ex parte cogooſcentis cooc. & deindè diſt. quoad a. perficit animam magis ut intuitivam iotuitu excludẽte omne medium,& diſcurſum nego; formalem,& ex parte ſubjecti conc. undè noo perficit illam præciſè ut intuitivam, & nullomodo ut rationalem,ſivè ut tantum perfectibilis eſt per purum lumen intuitivum,ut eſt illud principiorum, cujus objectum, ut dictum eſt ſunt ſola prima principia, ut taotum cognoſcibilia ſunt ſimplici intuitu ſioè ullo medio tam ex parte cognoſceotis,quam ex parte objecti cogniti; ſed aliquomodo etiam ot rationalem, aut diſcurſivam ſaltem virtualiter objectivè.

Ad confirmat. idem ſapieotiſſimos M. meus Ferre reſp. 1. ità eſſe, quòd loquendo de ſcientia procedente modo limitato ſolum habet pro objecto cooclusiones, quæ non ratione ſui,ſed ratione alicujus medii cogooſcuntur, ſecus verò de procedente modo ampliori,& quæ perfectiſſima ſapientia dicitor, (qualis eſt lumeo gloriæ, vel ſcieotia beatorum, hæc eoim ad utrumqoe ſe extendit, & ad concluſionès, & ad principia; ſivè ad Deum, & ad attributa. §. 2. Reſpondet, quod qnià in Deo tenemur aliquomodo diſtinguere conceptum ſapientiæ ab illo ſcientiæ juxtà illud Apoſt. ad Colloſ. 2. Theſauri ſapientiæ, & ſcieotiæ Dei, diſtinguendi pariter ſunr io lumine gloriæ, quod eſt formalis participatio luminis Divini, undè ut dictum eſt, ſecundum quod participat iſtud, ot eſt ſcientia tantum habet inclinare in attributa Dei, ut cognoſcibilia in eſſentia & ratione illius, ondè licet lumen gloriæ omnia Divina formaliter attingat, non tamen extrahitur à ratione ſcientiæ, quià non exteoditur ad illa ſecundum omnem ſui conceptum,ſed ſecundum quòd eſt participatio intellectus Divini, &c.

Sed utraque hæc etiam ſolutio videtur pati difficultatem,niſi aliquid ſoper addatur, aut explicetur, & primò in eo quòd aſſerunt ſcientiam inferiorem, vel etiam ſuperiorem, proot eſt præciſè participatio Theologiæ, aut ſcientiæ divinæ,tunc ſolom reſpicere concluſiones,ſeù veritates inferibiles, nam ut alibi dictum eſt, & docet D. Tho. p.2.q.8.art.3. potentia, vel habitus, eodem actu, quo fertur in objectum,vel finem fertor in ratiooem formalem ejus, cooſtat autem,quòd principia ſunt formalis ratio aſſentiendi concluſioni, ergo ſi ſemel reſpiciũt iſtã, pariter reſpiciẽt principia,&c.

Deindè ſi ſcientia ſuperior, vel lumen gloriæ, quià eſt formalis participatio intellectus Divini, poteſt ſimul eſſe lumen intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, cur oon poterit ſimul eſſe lumeo theologicum extrà verbum ſinè multiplicatione alterius lumiois,vel ſcieotiæ, com ſola diſtinctione ex parte ſpecierum, cum idem lumen intellectus divini, cujus eſt formalis participatio ad objecta omnium ſe extendat,imò & lumeo intellectus angelici hoc idem habeat, nempè cognoſcendo primariò ſe ipſum per ſuam eſſentiam,ut ſpeciem, & ſecundariò res extrà per ſpecies ſuperadditas, vel infuſas; eò vel maximè, quòd com lumen gloriæ attingat Deum,ut eſt ens ſupernaturale per eſſentiam videtur poſſe ſe extendere ad omnia ſupernaturalia, ſivè viſibilia intrà,ſivè extra præcipue quæ ſunt participationes Dei ejuſdem ordiois cũ illo per eorum ſpecies, &c.

Nihilominos ſuſtioeodo prædictas ſolutiooas ad eandem confirmat. ex D. Tho. ibidem diſt. ma. ſolum tendit in concluſiooes omittendo principia abſolutè ſecundum ſe conc. ut ſunt formalis ratio inferendi oego;ſic enim ingrediuntur forum ſciẽtificum,ſalvis juribus ſuperioris eorum luminis, ut adhuc cooſtabit infrà, ondè optimè poſſunt attingi à ſcieotia ſine eo, qood prout ſic ingrediuntur limites alterius luminis, & diſtincta eodem modo mi. oego conſequentiam,per quod etiam patet ad primã impugoationẽ contrà eaſdẽ ſolutiones, &c.

Ad 2. Reſpondetur quod cum objectum adæquatum luminis gloriæ ſit Deus per ſe ipſum cogniſcibilis intuitivè,& creaturæ prout relucent in Deo ex vi viſionis Dei,nõ eſt elicitivum alterius actus, quam viſionis beatæ, undè oequit ſe extendere

ad aliquid extrà Deum, ut cognoscendum per distinctam speciem à Divina essentia, quidquid sit, quod intrà in foro intuitivo possit esse ampla participatio ejusdem luminis Divini, & simul esse sapientia, & scientia, & lumen intellectus. Nec refert quod subditur de lumine naturali intellectus Angelici, quia istud ut potè potentia est de se indifferens ad diversa objecta, & ad diversos modos cognoscendi per diversos habitus, & species quibus informatur, cæterum lumen gloriæ, cum sit habitus est ex se determinatus ad cognoscendū Deum, ut in se est, & secundariò creaturas, ut relucent in Deo. Per quod etiam patet ad ultimum nam licet ex quo attingit Deum, ut est ens supernaturale per essentiam, attingat etiam alia supernaturalia, non tamen in proprio genere, vel extrà Deum per speciem creatam, sed ut relucent in Deo ex vi visionis Dei, &c.

§. ULTIMUS.

Corolarium ex dictis quod non sit Theologia per se obscura.

EX dictis colligimus, quod licet Theologia modo in via procedat ex creditis, aut per se obscuris, non tamen legitimè inferri potest, quod sit per se obscura, quia sic procedere ex obscuris non convenit illi per se, aut ex sua ratione specifica, sed magis per accidens ex parte subjecti, aut ratione status viæ; potissima verò ratio sumitur ex D. Tho. qui ut statuat esse scientiam ad hoc perpetuò recurrit, ut insinuavimus, quià nempè procedit ex notis lumine superioris scientiæ, quæ est scientia Dei, & beatorum. Ex quo argumentor sic. Habitus per se procedens ex notis nequit per se esse obscurus, sed Theologia per se procedit ex notis lumine superioris scientiæ, ergo nequit per se esse obscurus; Maj. patet, tum quià principia nequeunt derivare prædicatum sibi oppositum, tum quià hac ratione putant contrarii esse per se obscuram, quià per se procedit ex obscuris, vel creditis; ergo per se procedens ex notis nequit esse habitus per se obscurus. Min. verò præterquam quod est expressa D. Tho. probatur efficaciter ex dictis, quià dum continuatur cum superiori perficitur; tum quià alias destrueretur in adventu superioris, ut patet in lumine fidei per se obscuro, ergo signum est non procedere per se ex obscuris, sed notis superiori lumine, &c.

Urgetur hoc nam salvo discrimine Theologiæ modo in via à fide tenemur dare illi obscuritatem distinctam ab illa fidei, sed illa fidei est intrinseca, & per se illi conveniens, ità ut essentialiter exigat subjectum, in quo est quod non videat, si velimus esse argumentum non apparentium, ergo illa Theologiæ erit tantū per accidens, & separabiliter illi conveniens, vel ratione status viæ. Quod etiā evidenter convincitur ex eo; quòd si semel est infallibilis connexio medii cum extremitatibus, statim per vim illativam evidenter concluditur connexio extremitatum inter se, sive contingat præmissas credi sivè actu videri in se, ut ex his duabus sivè creditis, sivè actu visis, scil. Christus est homo, omnis homo est risibilis, eodem modo vi illativa concluditur hæc, ergo Christus est risibilis, ut benè arguit M. Ferre hic §. 1. ergo per accidens se habet ad Theologiam, quod subjectum in quo est actu non videat præmissas, ex quibus infert suā conclusionem, satis enim est illi, ut dictum est, quòd actu certificetur de veritate præmissarum, & quod procedat ex illis, ut notis lumine superioris scientiæ ex sua ratione specifica, quod est per se exigere evidentiam, & consequenter repugnare illi quod per se procedat ex obscuris, licet modo in via ex meritis status enigmatici, qui est illi accidentalis, accipiat per fidem ut suppletivam luminis gloriæ, aut ut vicariam illius, principia visa in patria, quod est per accidens procedere ex illis, ut obscuris, vel creditis, &c.

Sed contra corolarium instas primò. Quod procedit ex per se certis, & evidentibus non potest non esse per se certum, & evidens, ergo quod procedit ex per se obscuris non poterit non esse per se obscurum. Urgetur hoc præoccupando solutionem. Nam sivè procedat per se sivè per accidens nihilominus effectus tenetur participare causam in eo in quo causa influit, aut se explicat in effectum, sed modo præmissæ Theologiæ, ut potè fidei, vel creditæ per se influunt ut obscuræ in assensum conclusionis theologicæ, ergo habitus genitus ex vi hujus assensus non poterit non esse per se obscurus, &c.

Dices esse discrimen inter præmissas per se certas, & evidentes, & inter per se obscuras respectu conclusionis scientificæ; quod priori modo sunt causa per se, posteriori verò tantum per accidens, quia ut dictum est, per se procedit ex notis, non ex obscuris, aliàs deberet magis destrui, quam perfici in actuali conjunctione cum superiori, vel cum subalternante, undè non ità pendet nec ità comparatur ad obscuras, ut ad causam per se sicut ad certas, & evidentes, & consequenter nec ità accipere ab illis, sicut ab istis, sed juxtà sui conditionem, vel capacitatem, scil. certitudinem per se, non obscuritatem. §. Sed contrà hoc est. Nam certitudo præmissarum est essentialiter obscura si velimus esse præmissas fidei, ergo si semel est capax recipiendi per se certitudinem, erit etiam capax per se recipiendi obscuritatem. Quod etiam poterat exemplificari in actu voluntatis immediatè ab eadem procedente; nam quià vitalitas volūtatis est essentialiter de ordine naturæ, non stat aliquem sui actum immediatè participare ab illa vitalitatem non participata naturalitate per se, qua ratione infrà de visione, & de gratia, vel etiam de charitate contendimus nos Thomistæ non posse visionē, aut alium actum supernaturalem immediatè esse ab intellectu, aut voluntate partialiter concurrentibus per vires proprias ad illos sub ratione vitalis, nisi etiam concurrant sub ratione naturalis, ità ut ex quo ab illis sic concurrentibus penderent, tenerentur esse naturales, & consequēter implicet tunc esse adequatè supernaturales, ut ostēdimus infrà, ergo similiter repugnabit præmissas esse per se obscuras, & non influere obscuritatem per se, &c. Itaque si semel conclusio est capax recipiendi certitudinem, per se tenemur supponere illam capacem recipiendi obscuritatem per se, aliàs eadem facilitate dicent contrarii, quòd prædicti actus supernaturales tantum accipient à potentia vitalitatem non naturalitatem ob sui in capa-

pacitatem,& sic salva remanebit adæquata eorum supernaturalitas, estò natura ad illos partialiter immediatè concurrat,&c.

Respondetur benè ibi dictum esse. Ad replicam nego suppositū;quià ex quo non comparatur ad illas,ut ad causam,à qua per se petat procedere,non tenetur habere capacitatem recipiendi utrumque prædicatum, ut habeodum per se, sed tantum illud,quod est de propria linea scil. certitudinem, sicut aliis omissis dicimus in simili 3. p. quod si fuisset assumpta,aut terminata natura irrationalis per subsistentiam Divini Verbi non constitueretur per illam personata, sed præcisè subsistens, quamvis eadem subsistentia sit simul essentialiter personalitas, quià cum talis natura non exigat per se terminari per illam, & solum sit capax subsistendi,non personandi,non teneretur utrumque effectum personalitatis recipere, sed priorem tantum,cuius est capax. Ad instantiam verò annexā de actu voluntatis similiter dicimus,quod ideò tenetur utrumq. participare si semel est immediatè à voluntate,quia ut potè actus vitalis petit per se procedere ab illa,nam de ratione illius est quod sit essentialiter à principio intrinseco, & quod istud per illum se moveat, si velimus in actu 2. vivere, undè si ab illa immediate est, aut per vires proprias,debet ab illa participare, quod est proprium illius,scil. non tantum vitalitatem, sed etiam naturalitatem, & ideò rectè dicunt Thomistæ quod prædicti actus supernatorales non possent esse adæquatè tales, si semel natura immediatè per se ad illos concurreret, nam pront sic ex quo pendent à principio naturali per se influente non possunt non esse naturales, undè partim essent naturales partim supernaturales, ex quo pendent ab altero principio supernaturali, non verò adęquatè supernaturales,ut ipsi etiam concedunt,&c.

Adde ex his posse ut utrobique fieri efficax argumentum pro nostra sententia ad hominem sic. Non obstante, quod voluntas, vel intellectus sit principium non solum vitale, sed etiam per se naturale,potest nihilominus, ut ipsi contendunt præcisivè concurrere ad actus supernaturales dando vitalitatem,& non naturalitatem, ergo pariter licet præmissæ theologicæ modo in via sint non tantum certæ,sed etiam per se obscuræ, poterunt nihilominus præcisivè concurrere ad ejus conclusiones dando certitudinem, & non obscuritatem per se,& quidem à fortiori,cum præmissæ, ut dictum est,non sint causa per se, sicut sunt potentiæ, sed magis per accidens; vel si hoc non obstante, nequeunt habere hanc vim influendi præcisivè ad easdem conclusiones, minus poterunt habere potentiæ ad eosdem actus, &c.

2. Instas ex parte rationis formalis. Quià hæc respectu theologiæ viæ,est per se obscura,ergò,probatur ant.quia,ut communiter docent theologi,revelatio Divina immediatè aplicata credibilibus est ratio formalis objectiva fidei, & mediate aplicata theologicis est ratio formalis theologiæ, ergo ejus ratio formalis est per se obscura. §. Explicatur hoc. In tantum quis assentitur huic conclusioni Christus est risibilis, deductæ ex hac Christus est homo, in quantum Deus immediatè revelando istam mediatè, aut virtualiter revelat priorem, undè revelatio Divina hujus posterioris medio discursu aplicatur priori, ergo cum Divina revelatio modo in via sit per se obscura pariter theol. erit per se obscura, &c.

Huic instantiæ M. Ferre hìc .§. 6. ad 2. admittendo formalem rationem theologiæ esse Divinā revelationem virtualem, vel mediatam prout videntur communiter sentire theologi, distinguit, quòd licet revelatio Divina prout est ratio assentiendi credibilibus sit per se obscura, ut tamen ex illa per veram causalitatem deducuntur conclusiones,per se obscura non est, quià theologia non deducit eas, quià Deus obscurè revelavit, sed quià revelavit, undè revelatio Divina, ut est ratio formalis theologiæ nostræ per se obscura non est, &c.

Cæterum hæc solutio licet videatur communiter tradi à theologis quantum ad hoc, quod ratio formalis theologiæ sit revelatio Divina mediata, scil.mediante discursu aplicata conclusionibus,nisi tamen aliquid superaddatur,aut explicetur, patitur non levem difficultatem, quia nō videtur assignari sufficiens distinctivum illius à fide,si semel formalis ratio assentiendi veritatibus objectivis utrobique est Divina revelatio cum solo discrimine mediatæ,& immediatæ quod non officit; nam revera respectu utriusque tunc motivum formæ assensus est testimonium Divinum. §. Tum quia, ut modo supponimus ex materia de fide, in hoc distinguitur motivum,aut medium fidei ab illo theologiæ, vel scientiæ, quod istud est intrinsecum, ut suprà etiam insinuavimus, scil. infallibilis connexio unius cum alio, fidei autem extrinsecum, scil. Authoritas dicentis, &c.

Vidit hanc difficultatem idem magister suprà q. 1.§. 2.ad 2.undè communem illam doctrinam explicat ad hunc sensum non quod velint Divinam revelationem, qua revelantur præmissæ, mediatè aplicatam conclusionibus esse rationem formalem motivam istarum, sed quia theologia non infert illas nisi ex revelatis à Deo, vel saltem ex uno revelato, undè eadem revelatio respectu theologiæ magis se habeat præsupositivè, quam formaliter, ità ut non assentiatur quis huic, Christus est risibilis,quia revelavit hanc, Christus est homo, sed quià supposita fide humanitatis ejus,infert esse risibilem videns necessariam connexionem unius cū alia, undè formalis ratio movens ad assensum ejusdem conclusionis non est revelatio de eo quod est homo, sed intrinseca inseribilitas illius ex præmissa revelata, ità ut si solum quis crederet Deum immediate revelasse Christum esse hominem præscindendo à revelatione mediata hujus, quod est Christum esse risibilem, adhuc eodem prorsus modo inferre posset ex eadem revelata Christus est homo, hanc aliam Christus est risibilis, nam ad evidentem, inquit, illationem hujus sufficit certitudo antecedentis,quam dat fides. §. Hanc etiam doctrinam tradit tom. 1 in 22. q. 2. §. 6. & 7. ubi ex eo probat,propositionem deductam ex duabus de fide formaliter ut conclusio deducta est, non esse de fide, sed conclusionem theologicam, sicut neque esse de fide assensum illatum ex duabus præmissis,in quibus præcontinetur sui revelatio, quià non assentimur ei prout deductæ, quià Deus eam revelavit,sed tantum,quià connectitur cum revelatis,sic quod illa connexio sit ratio formalis ob quam ei assensum præstemus, undè dum hìc q. 3. §.6.ad 2. contendit salvare theologiam non esse

per



per se obscuram, ex eo quod non deducit conclusiones, quià Deus obscurè revelavit, sed tantum, quià revelavit, intelligẽdus est in sano sensu, cõformiter ad superiorem doctrinam, quam proximè hìc, & longè anteà a.2. Romę antecedenter impressam tradiderat, ne videatur tantus vir sibi contradicere; nempè quod non revelatio veluti abstractivè, sivè præcisum pondus testimonii divini sit formalis ratio assentiendi conclusioni theologicæ, sed ipsa revelatio veluti concretivè, quatenus ex illis, ut connexis sumatur formalis ratio inferendi theologicè, & assentiendi conclusioni deductæ, quod est connexionem cum illis esse rationem formalem, assensus theologici, ut videtur etiam insinuare paulò inferiùs hìc, dum relicta opinione asserente theologiam non exigere ab intrinseco claritatem, sed permittere illam in patria sicut obscuritatem in via, quià est in subjecto non vidente ea, ex quibus procedit, deindè ad instantiam dicit, quòd theologia deducit quidem conclusiones, quià Deus revelavit, at non præcisè, sed cum exigentia deducendi illas in statu perfecto ex clarè revelatis, undè non ad præcisam revelationem, sed ad meritum scientificè deducendi ex clarè visis reducit ejus rationem formalem, & consequenter ad deducibilitatem, sivè connexionem cum revelatis, ut superiùs dixit, &c.

Ad instantiam ergo nego ant. ad prob. dist. & explico ant. Revelatio divina mediata est formalis ratio theologiæ ad hunc sensum quòd sub lumine revelationis inferat suas conclusiones, sicut scientię naturales sub lumine abstractionis conc. præciso pondere, aut motivo illius nego; quamvis, ergo ità sit, quòd Revelatio divina mediata, ut manifestans ea, quæ pertinent ad communem statum Ecclesiæ dicatur ratio formalis sub qua theologiæ, quatenus hìc in via deducit suas conclusiones ex præmissis revelatis, vel sub hoc lumine exhibitis, non tamen quod præcisum pondus revelationis sit ei sicut fidei formalis ratio assentiendi, sed magis connexio earum cum eisdem revelatis, nec tamen cum illis per se loquendo, ut enigmaticè cognitis, sed ut notis lumine superioris scientiæ, ut inquit D. Tho. undè ejus formalis ratio specifica non est obscura, sed magis tendit ad claritatem, &c.

Ad explicat. similiter respondetur nego causalem, ut adæquatam, nam licet theologns non assentiatur eidem conclusioni, scil. Christus est risibilis, nisi ut virtualiter revelatæ idest, nisi ut connexæ cum priori revelata Christus est homo, non tamen præciso pondere, aut motivo revelationis, si velimus assensum theologicum distinguere ab illo fidei; sed magis ex vi connexionis, licet ità sit, quod quià innititur connexioni cum revelata; unde etiam dicitur virtualiter revelata; majorem sortiatur immobilitatem, quam si per puram connexionem ex nõ revelata inferretur; nam oppositum conclusionis theologicæ, sive deductæ ex revelatis censetur erroneum, & non purè improbabile, aut inopinabile, undè multoties, qui pertinaciter profert errorem, venit puniendus pœnis hæreticorum; ut etiam advertit idem M. Ferre hìc q. 3. §. 1. in fine contrà Vasquez, qui hìc c. 1. à num. 8. putat nostram Theologiam esse tantum opinionem, seù fidem acquisitam articulorum fidei, contrà quod tamen videatur idem Ferre hìc q. 1. §. 3. &c. Sed de his infrà disp. seq. q. 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Theologia sit quoad substantiam, vel entitatem supernaturalis, & infusa.



Quoad primam partem variant etiam Thomistæ inter se, nam pro negativa militant Navarrete, Philippus à S. Trinitate, à S. Tho. disp. 2. art. 8. Gonet art. 6. Aravio, & alii Extranei. §. Affirmativam verò sustinent Cano lib. 12. de locis c. 3. concl. 2. Zumel hìc art. 8 q. 4. M. Ferre q. 3. §. 15. Contenson cap. 2. specul. 3. & videtur etiam inclinare M. Gaspar Catalam 3. p. q. 9. art. 3. dub. unico concl. 3. & in solutione ad argumentum 2. opinionis, & favent plures Extranei Molina, Fasolus, Amicus, & alii, qui tamen discriminantur, quoad 2. p. nam alii existimant esse per se infusam, alii verò acquisitam cum Thomistis, &c.

§. PRIMUS.

Præmittuntur quædam necessaria circa quiditatem, & divisionem supernaturalitatis.

Placet ab initio quædam præmittere circa rectam intelligentiam, & divisionem supernaturalitatis, à quibus non solum pendet præsens difficultas, sed aliæ infrà graviores suis locis examinandæ. Suppono ergo primò ens supernaturale, esse illud, quod est supra vires naturę, & super omnem ejus exigentiam, sed quià aliud est tale tantum quoad modum, quià nempè fit modo supernaturali, sivè superante facultatem agendi causarum naturalium, licet in se, vel in sui substantia, vel entitate, quid naturale sit, ut visus cæco nato restitutus, nam visus, & oculus, qui restituitur, secundum suam entitatẽ, vel specificam rationem naturalis est, sed excedit in modo, quià nulla causa naturalis visum semel amissum restituere potest: aliud vero, quod supernatnrale est secundum substantiam, & intrinsecam entitatem, quod nempè secundum suam essentiam, & specificam rationẽ tale est, ut ipsa ejus entitas non possit esse nobis connaturalis nec fieri virtute propria cum solo concursu generali, aut proportionato, difficultas est de isto, in quo consistat, vel à naturali distinguatur, undè dicimus cum Caiet. infrà q. 12. ad art. 5. contrà Scotum, & cum M. Catalam ibid. dub. 6. non distingui præcisè per respectum ad causam efficientem, quasi illud dicatur hoc modo supernaturale, quod à sola causa supernaturali produci potest, alias idem visus cæco restitutus esset supernaturalis secundum substantiam cum à solo Deo

su-

ſupernaturaliter agente reſtitui poſſit, non enim ſunt vires in natura ad faciendum, ut qui cæcus eſt videat. Diſtinguitur, ergo per reſpectum ad entitatem natutalem, ſuprà quam dicitur eſſe, ità ut illud tantum ſupernaturale ſit ſecundum iotrinſecam entitatem, quod ſecundum eam eſt ſoprà ordioem omnis entitatis naturalis; nec ſatis eſt, quod ſit ſuprà entitatem naturalem creatam, aut creandam juxtà ſuavem Dei providentiam in hoc nniverſo, ſed abſolutè requiritur, quod ſit ſupra omnes naturales producibiles de potentia abſolutæ; alias nec eſſet poſſibile aliud univerſam naturale nec alia creatura naturalis præter eas, quæ de facto futuræ ſunt juxtà præſentem providentiam, & quæcunque alia producibilis à Deo perfectior eſſentialiter omnibus naturalibus producendis eſſet dicenda ſupernatoralis quoad ſubſtantiam, quæ ſunt aliena à bona theologia, & contrà omnium ſententiam, &c.

Sed adverto, quod ſicut hic exceſſus ſupra omnē entitatem factam, & factibilem non eodem modo convenit ſubſtantiæ, & accidenti, ità nec eodem convenit eſſe ens ſupernaturale, nam cum accidens non ſit ens per ſe, ſed entis ens, ſeù ens in alio, ut ſit ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam, non requiritur, quòd ſit abſolutè ſuprà omnem entitatem factam, aut factibilem, led tantum reſpectivè, nempè reſpectu ſubſtantiæ, quam perficit, ſi ut ſubſtantivum à quo pendet in eſſe, quià ſicut in ordine ad illam habet eſſe, ità pariter reſpectu illius habet eſſe naturale, aut ſuperoaturale, undè illud accidens dicetur ſupernaturale ſecundum eſſentiam, ſivè excedens totam entitatem naturalem productam, & producibilem, aut ſuprà illam, quod nulli ſubſtantiæ creatę, aut creabili poteſt eſſe connaturale. Cæterum ſubſtantia ſicut eſſentialiter poſtulat habere eſſe per ſe, ità ad hoc ut ſit ſupernaturalis petit ut ſecundum ſe abſolutè, & non reſpectu alterius ſit ſuprà totam entitatem creatam, & creabilem, undè ſubſtantia eſſentialiter ſupernaturalis tantum erit illa, quæ eſt ſuprà totam collectionem ſubſtantiæ factæ, aut factibilis, ex quo infertur nullam ſubſtantiam creatam poſſe eſſe ſupernaturalem eſſentialiter, quià nulla prɇter Deum poteſt eſſe ſuprà totā prædictā collectionem.

Ex quo ulteriùs colligitur aliud potiſſimū caput repugnantiæ ſubſtantiæ ſupernatoralis in creatis, quià nempè in ſuo conceptu formali deberet includere infinitatem, ità ut non tantum diceret eſſe ens per ſe exiſtens, ſed etiam modom proprium, quo per ſe exiſtere convenit Deo, nempè per ſe exiſtere ut excedeos omnem naturam creatam natā per ſe exiſtere, undè licet conceptus ſubſtantiæ abſolutè non habeat ſic illam includere, ſecus tamē ſi ſupernaturalis ſit, & ideò ſupernaturalitas eſt in communicabilis ſobſtantiæ creatæ, nam perfectiones, quæ in ſuo formali conceptu includunt infinitatem, ot eſſe actom purum, Creatorem &c. nequeunt communicari creaturis: Et ex hoc etiam demum inferas nullum accidens ſupernaturale poſſe eſſe connatorale alicui ſubſtaotiæ, quià eſſe connaturale alicui naturæ, ſivè ſubſtantiæ includit eſſentialiter negationem ſupernatoralis ſimpliciter, ut patet examinanti meritum ſubſtantiæ creatæ, unde eſſet hæc, & non eſſet natura, ſed ſuprà omnem naturam, ut dictum eſt, & ideò poteſt ut plurimum dici ſupernaturale ſecundum qoid, ideſt reſpectu illarum rerum ſuprà quarū naturā eſſet, cum quo ſtat eſſe eſſentialiter naturale, &c.

Sed præthereà adverto prædictum ſupernaturale quoad ſubſtantiā dupl. poſſe contingere; primò ità ut taliter excedat, ut à natura etiam elevata per vires ſupernaturales cauſari nequeat, ut eſt gratia, charitas &c. 2. quod licet ità excedat quod ſuprà omnem entitatem ſit modo explicato, & ſuprà omnes vires naturæ, & exiſtentiam ejus, nihil ominùs poſſit ab iſta, ut elevata viribus gratię cauſari, ut eſt actus charitatis, &c.

Supponimus etiam quod præter idem ſupernaturale intrinſecè, vel quoad entitatem, poſſit aliquid ulteriùs dici ſupernaturale extrinſecè, vel connotativè quatenus ſupponit, vel connotat aliquod ſupernaturale, ut dicitur infrà de amore Dei Authoris naturæ in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, qui licet dicatur elici à principio naturali connotat tamen gratiam ſanantem in ſubjecto, in quo eſt per modum removentis impedimenta peccati, & carnis rebellionem, & quidem in hoc ſenſu certum eſt theologiam eſſe ſupernaturalem, cum certum ſit ſupponere fidem, undè Gonet licet contendat cum aliis eſſe intrinſecè naturalem ſatetur tamen radicaliter, & originativè ſupernaturalem eſſe, quià ſaltē verſatur circa objectum ſupernaturale, & pendet ab habitu fidei, in quo tanquam in ſemine, & radice continetur, undè difficultas eſt de ſupernaturalitate intrinſeca, & oritur præcipuè ex eo, quod diſcurſu, & modo metaphyſico acquiritur, & ut habitus, ut dicetur infrà, &c.

§. I.

Statuitur prima Concluſio.

Salva probabilitate oppoſitæ ſeotentiæ nihilominùs dicimus theologiam eſſe habitū quoad entitatem, vel intrinſecè ſupernaturalem. Sumitur primò ex doctrina D. Tho. primo poſt. & ſecundo Metaphyſicæ l. 5. & iam ferè communi, nempè præmiſſas concurrere in genere efficientis ad aſſenſum concluſionis, ergo ubi ſunt ſupernaturales, & ſub lumine ſupernaturali, ut contingit in caſu, aſſenſus erit ſupernaturalis, nam ad effectū ſupernaturalem, requiritur cauſa, vel principium intrinſecè ſupernaturale, &c.

Ex his ergo prob. primò. Aſſenſus theologicus eſt intrinſecè ſupernaturalis, ergo habitus elicitivus illius erit intrinſecè ſupernaturalis. Conſequentia tenet niſi velimus effectum ſuperare ſuam cauſam, & produci à principio non præcontinente illum, cum ſupernaturalis non contineator in principio naturali, ant. verò prob. aſſenſus theologicus procedit ex principiis fidei, quæ ſupernaturalia ſunt, ergo erit ſupernaturalis, &c.

Dices ex doctrina Gonet hìc notabili 3. & ad 1. quod articuli fidei, ex quibus ioferuntur concluſiones theologiæ, dupl. cōſiderari poſſuut, primò quatenus ſunt principia in ſe abſolutè vera, & prout dicunt ordinem ad primam veritatem revelantē, 2. ut dicunt ordinem ad cooclufiones ex illis inferibiles mediante diſcurſu, vel prout ſubſtant lumini, & diſcurſui naturali, licet ergo primo modo, ut potè formaliter revelata, & ſpectantia ad

fidem

fidem influant in assensum supernaturalem ejus, non tamen 2. quià tunc solum materialiter, & specificativè supernaturalia sunt, non tamen formaliter,& reduplicativè, undè res prout sic supernaturales(ut etiam urget à S. Tho. hìc fundamentò 2.) secundum quòd tractantur ad modum Metaphysicæ scientiæ, & discursu naturali conseruntur,possunt influere generando habitum,vel assensum naturalis ordinis,&c.

Sed contrà,& in primis hæc solutio non videtur conformis doctrinæ, ad quam,ut vidimus;recurrit D. Tho. ad salvandum in theologia essentialem conceptum scientiæ; undè impugnatur primò sic. Secundum D.Tho.ut patet hic art.2.Theologia per se procedit ex notis lumine superioris scientiæ, ergo per se procedit ex principiis supernaturalibus,vel fidei, ut dicunt ordinem ad primam veritatem clarè revelantem, & consequenter ex illis, ut formaliter,aut reduplicativè supernaturalibus: hæc ultima consequentia tenet, quià prout sic nota lumine superiori sunt formaliter supernaturalia, primà etiam constat ex antecedenti, &c.

Ex his etiam impugnatur 2. Articuli fidei, ut dicunt ordinem ad conclusiones inferibiles, vel ut tractantur à theologo, & conferuntur intrà proprium forum, sunt per se connexi cum se ipsis, ut dicunt ordinem ad primam veritatem revelantem,ergo si relativè ad illam non possunt non influere supernaturaliter, vel ad assensum supernaturalem, nec poterunt non sic influere priori modo; consequentia tenet, quià assensus intrinsecè vel entitativè naturalis nequit per se connecti cū ente supernaturali, vel per se connexo cum illo, ergo cum assensus conclusionis per se connectatur cum præmissis non poterit merè naturalis derivari ex præmissis supernaturalibus, aut per se connexis cum illis. ant. etiam constat; tum quià, ut dictum est ex D.Tho. procedit ex illis, ut notis lumine superiori clarè revelante,undè fides, ut vidimus, modo substituitur loco luminis gloriæ; tum quià certitudo derivata ex illis priori modo superat omnem certitudinem naturalem, & tanta est, cui nec de potentia absoluta dicitur posse sub esse falsum,ergo non potest non esse ex illis,ut per se connexis, & ut descendentibus à lumine divinæ revelationis, &c.

2. Probatur concl. & iterum impugnatur solutio. Habitus, vel assensus theologicus per se pendet ex radice supernaturali ut fatentur contrarii, dum asserunt præmissas ejus materialiter, & præsuppositivè esse supernaturales, & patet etiam ex superiori doctrina D. Tho. cum per se procedat ex notis superiori lumine, ergo est intrinsecè supernaturalis prob. consequentia, nam per se procedere ex radice supernaturali, sivè esse radicaliter supernaturale, vel exigitivè,ut in casu,est esse per se connexum cum ente supernaturali,at non stat esse entitativè naturalem, & per se connecti cum ente supernaturali,ut patet ex dictis ergo,&c.

Explicatur hoc Quià non stat lumen radicale theologicum esse supernaturale, proximo formali specificativo non existente supernaturali, ergo cum habitus pendens ex proximo specificativo formali supernaturali,sit supernaturalis, jam habitus theologiæ erit supernaturalis; prob.ant.quià lumen formale theologicum per se connectitur cum radicali divinæ revelationis, sivè cum lumine manifestante præmissas juxtà præfatam doctrinam D. Tho. nam lumen scientificum, vel illativum innititur connexioni, sicut fides testimonio dicentis, ut dictum est ergo,&c.

Dices iterum ità esse de hoc lumine proximo, aut præmissa secundum se, & materialiter, non tamen si formaliter prout substat lumini, aut discursui naturali, &c.

Sed contra hoc est. Quià lumen,aut discursus naturalis influere nequit ad conclusionem theologicam non accepta virtute à lumine, aut præmissis supernaturalibus,ut supernaturales sunt,ergo non solum non impedit supernaturalitatem, sed magis indiget illa ad sui influxum; prob. ant. quia certitudo theologica superat puram vim naturalem cum per se procedat, ut sæpè vidimus ex D. Tho.; ex per se notis lumine superioris scientiæ; tum quià ut deducta ex præmissis de fide tanta est, cui per nullam potentiam potest sub esse falsum, cum nequeat falsificari non falsificata aliqua ex præmissis,in quibus præcontinetur, undè, ut dictum est;oppositum non censetur purè opinabile, sed erroneum, ergo, &c.

3. Principaliter prob. concl. objectum theologiæ est intrinsecè supernaturale,ergo erit intrinsecè supernaturalis;ant. est certum, quià est Deus ut sub est Divinæ revelationi, sivè secundum illas rationes,quæ superant omnem naturam creatam, & creabilem,& modo in via proponitur per fidem, & clarè deindè per lumen gloriæ in patria, ut dictum est;cum per se procedat ex notis lumine superioris scientiæ,ut ait D. Tho. consequentia verò prob. quià scientia nequit esse ordinis inferioris objecto, à quo specificatur, repugnat enim quod potentia, vel habitus entitavè naturalis respiciat objectum supernaturale, tanquam sibi proprium connaturale, & proportionatum, &c.

Explicatur hoc. Nam licet intrà ambitum objecti specificativi potentiæ contineri possit objectum excedens, qua ratione ut explicatur infrà q. 12. Deus clarè visus contineri dicitur infrà specificativum intellectus, non tamen ut sibi connaturale, & proportionatum, sed theologia sic Deum attingit ut supernaturaliter cognoscibilem, cum de illo tractet, ut dictum est sub lumine divinæ revelationis,nec aliis principiis, mediis, aut motivis ntatur, quam præmissis supernaturalibus fidei, ergo est intrinsecè supernaturalis,&c.

Dices non sufficere ad id solam supernaturalitatem objecti, sed requiri etiam supernaturalitatem modi attingendi, in quo deficit theologia, cum modo tantum naturali Deum attingat, seù per discursum naturalem inquirendo, & disputando de illo, &c.

Sed contrà hoc est eodem argumento. Theologia ità tendit ad objectum supernaturale, ut ad illud non perveniat nisi ex præmissis supernaturalibus, ergo ità tendit,ut non perveniat nisi modo supernaturali, aut supernaturaliter discurrendo; ant. patet ex dictis; consequentia verò prob. tum quià modus tendendi debet proportionari termino ad quem,& à quo. Tum quià ità tendit ad objectum supernaturale ex supernaturalibus,ut exigat videre illa,ut vidimus, ergo non tendit modo purè naturali, nam tendentia per exigentiam alicujus supernaturalis debet intrinsecè esse supernaturalis, hac enim ratione prob. infrà non posse in intellectu

lectu nostro admitti tendentiam, vel inclinationem ad visionem, vel exigentiam ejus, quià nihil merè naturale potest exigere, ut sui perfectionem aliquid supernaturale, & similiter 1. a. q. 114. dispositiones ad gratiam dicimus debere esse intrinsecè supernaturales, quià eò ipso quòd dispositivè tendunt, seu dispositiones sunt ad formam supernaturalem, exigunt necessariò illam, ergo non cōponitur tendentia ad aliquod supernaturale cum exigentia ejus, & quod sit tendentia purè naturalis; & ratio est, quia cum, ut vidimus, natura entis supernaturalis in eo posita sit, quod sit super omnes vires, & super omnem exigentiam naturæ, repugnat habitum exigitivè tendere ad objectum supernaturale, & modo naturali, aut purè naturaliter tendere ad illud, &c.

Urgetur hoc, nam quia fides ad assensum supernaturalem, ad quem inclinat, pervenire nequit, nisi media compositione, supernaturaliter componit, ergo quià pariter nisi per discursum theologia pervenire nequit ad assensum suarum conclusionem supernaturalium, ad quas inclinat, supernaturaliter discurret, &c.

Explicatur, & urgetur totum hoc. Licet theologia, ut suprà etiam insinuavimus, non præbeat assensum præcisò pondere revelationis, ut facit fides, sed connexionis, nempè quià conclusiones per discursum benè inferuntur ex principiis, nihilominus sicut hæc non pervenit ad assensum supernaturalium conclusionum nisi per discursum, ità nec fides ad suum nisi per compositionem, sed quià fides sic procedit, supernaturaliter componit, ergo theologia supernaturaliter discurret; & ratio est, quià licet theologia innitatur connexioni, & per discursum perveniat, tamen lumen sub quo tendit supernaturale est, & similiter terminus ad quem inclinat, & tendit, conjuncta exigentia claritatis supernaturalis, cum per se procedat, ex notis in superiori lumine, ut sepè vidimus ex D. Tho. ergo sicut hac ratione nempè supernaturalitatis luminis, & termini, fides supernaturaliter componit, pariter theologia supernaturaliter discurret §. 4. etiā principaliter prob. conclus. prosequendo alia via primam rationem. Theologia per se petit causari à causis supernaturalibus, ergo est intrinsecè, vel entitativè supernaturalis; consequētia tenet, quià effectus per se exigens causam supernaturalem solis viribus naturæ produci nequit, ergo est supernaturalis; antec. verò etiam constat ex dictis, quià ut proximè, & sæpè in superioribus dictum est ex D. Tho. habitus theologiæ exigit necessariò causari, à principiis lumine superiori notis, & modo suppletivè à lumine fidei, ergo, &c.

Dices supernaturalitatem effectus non esse attendendam ex causa remota, sed proxima, ut patet in actu fidei informi in peccatore, ubi licet principium radicale influens, scil. anima, nec sit entitativè supernaturale, nec supernaturalizatum, cum careat gratia, quæ subjectatur in anima, quià tamen proximum, nempè fides, est entitativè supernaturale, & intellectus per fidem supernaturalizatur, ad huc est adæquatè supernaturalis, cæterum theologia licet, ut à causa remota pendeat, aut per se petat procedere à præmissis supernaturalibus, sivè notis lumine supernaturali fidei, vel patriæ, proximè tamen procedit à discursu naturali, &c.

Sed contrà hoc est. Licet diceremus præmissas supernaturales esse causam ejus remotam, nihilominus ità per se procedit ex illis, ut per se exigat supernaturalem earum claritatem, cum per se procedat ex notis superiori lumine, ut ait D. Tho. ergo repugnat proximè produci solis viribus naturæ, vel à causa naturali; prob. consequentia, quià repugnat quod effectus per se exigens aliquid de linea gratiæ, vel supernaturali, proximè fit à causa naturali, hac enim ratione dictum est, dispositiones ad gratiam non posse esse à natura, nec proximè, nec remotè, quià exigunt, vel sunt connexę cum gratia, &c.

Urgetur hoc. Nam ideò infrà q. 12. contendimus contrà PP. societatis non posse naturam, vel intellectum proximè influere etiam partialiter ad visionem adhuc sub ratione vitalis, quià est vitalitas gratiæ, sivè descendens à radice, seu vita radicali supernaturali, ergo si pariter theologia procedit, ut sic dicamus, à radice supernaturali, non poterit proximè esse à causa purè naturali, aut per solas vires illius, &c.

2. Impugnatur retorquendo paritatem de actū fidei informi: licet principium radicale naturale non elevatum sivè substantia animæ possit influere per proximum supernaturale, aut naturale elevatum per virtutem supernaturalem ad actum supernaturalem, ut contingit in eodem actu informi, non tamen radicale supernaturale per proximum naturale non elevatum, ergo licet anima in peccatore non elevata per gratiam possit influere ad prædictum actum per solam fidem, sivè per intellectum elevatum per illam, non tamen præmissæ supernaturales per intellectum non elevatum lumine theologico, aut per discursum purè naturalem ad assensum theologicum, vel supernaturalem, prob. ant. quià idem censetur indivisibilis influxus principii radicalis, & virtutis proximæ, qua ratione salvatur posse animam sic destitutam gratia influere ad eundem actum supernaturalem solo intellectu, aut virtute sui proxima supernaturalizata, seu elevata per fidem, quià nempè principium radicale, sivè substantia ejus non habet alium influxum, nisi quem præstat mediis potentiis, ergo sicut non stat radicale naturale, semel influere supernaturaliter non habito proximo supernaturali, aut naturali elevato supernaturaliter influente, nec stabit à fortiori supernaturale radicale juxtà sui meritum supernaturaliter influere, proximo, aut sui virtute non influente supernaturaliter, &c.

3. Impugnatur principaliter quoad sui suppositum, quod nempè præmissæ, vel earū assensus, sint tantum causa remota. Assensus conclusionis proximè immediatè procedit ex assensu præmissarum, ergo hic est causa immediata, & non remota illius, prob. ant. ab illo immediatè procedit, in quo immediatè continetur, sed immediatè continetur in assensu præmissarum, ergo; prob. min. in illo immediatè continetur, ex quo immediatè educitur, sed non educitur immediatè ex discursu, sed ex præmissis per discursum, ut patet ex dictis, nam hac ratione obtinet immobilem sui veritatem superantem omnem purè naturalem, ergo, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Sicut discurrit theologia circà suum objectum, ità pariter discurrit Philosophia, Metaphysica, & cæteræ scientiæ circà suum, sed nihilominùs quantitas perfectionis earū

non attenditur ex quantitate perfectionis discursus, quasi causæ proximæ, sed magis ex illa objecti, aut propriæ rationis formalis, non enim est hæc confundenda cum discursu,cum subtiliùs,aut conformiùs ad regulas sylogizandi sæpè discurrat Dialectica quā Philosophia,aut alia excellentior, ergo non ad mensuram discursus tanquam ad causam directam,aut rationem formalem attendenda est perfectio scientiæ, & consequenter,nec naturalitas, aut supernaturalitas theologiæ,&c.

Explicatur ulteriùs, & urgetur totum hoc exéplo fidei jam insinuato. Nam admisso etiam,quòd theologia naturaliter discurrat, adhuc non infertur ejus entitatem, aut assensum esse naturalem; nam quòd intellectus unius fidelis perfectiùs alio aprehendat, & explicet mysteria fidei per species acqoisitas,& naturales discursus non infert, quòd fides in illo, aut proprius ejus assensus supernaturalis non sit,ergo pariter quod intellectus theol. circa sui objecta naturaliter discurrat,non infert, quòd theologia in se,vel ejus assensus supernaturalis non sit. §. Ratio utriusque est;(& præoccupatur solutio)quià in utraque cognitione, & mysteriorum fidei, & aliorum theologicalium duo sunt distinguenda, alterum quasi materiale, & concomitans, in illa quidem aprehensio, & explicatio rerum fidei,quæ fit per species acquisitas, & naturales discursus, undè à perfectiori intellectu perfectior procedit, ex quo etiam fit, quod sapiens philosophus perfectiùs aprehendit, & explicat eadem mysteria, quam rusticus ignorans; alterum est formale,scil. assensus propositionis fidei,qui est à solo lumine fidei, & hic non potest non esse supernaturalis juxtà meritum ejusdem luminis, vel rationis formalis fidei,undè nec potest esse perfectior ex majori perfectione intellectus, sed solū ex majori perfectione habitus fidei, vel auxilii actualis excitantis; in altera autem theologica alterum veluti concomitans, aut tanquam conditio est dispositio discursus, vel præmissarum in modo, & figura secundum regulas dialecticas;alterum ut formale, scil. assensus conclusionis sub lumine theologico,sive divinæ revelationis mediatæ, aut etiam connexionis sub eodem lumine cum præmissis supernaturalibus, ut notis superiori lumine, & consequenter conjuncta exigentia visionis earum, ut dictum est,licet autem primum dicatur naturale, non tamen secundum repugnante supernaturalitate luminis, & objecti, & prædictæ exigentiæ visionis beatæ, undè non debet primū obstare supernaturalitati assensus, imò nec supernaturalitati totius discursus theologici, sicut nec eadem forma, aut artificium rationis obstat realitati ejus, &c.

§. III.

Statuitur 2. Conclusio.

HAbitus theologię non est per se infusus, sed acquisitus; est contrà aliquos, ut insinuavimus,qui licet nobiscum consentiant esse supernaturalem, ex hoc tamen videntur succumbere illationi contrariorum præcipuè Jo. à S. Tho. nempè ex supernaturalitate inferendum esse quod sit per se infusus, quià licet præcisa supernaturalitas, non arguat rationem per se infusi, ut patet in visione beata, & actibus charitatis, qui supernaturales sunt,& tamen ab intellectu,& voluntate producuntur,imò repugnat, ut potè vitales à solo Deo fieri; benè verò si sit supernaturalitas per modum actus primi, quià tunc contendit à S. Tho. debere esse immediatam participationem Dei, & consequenter immediatè ab illo derivatum. §. Nihilominus concl. sumitur,ex D.Tho.hic art.6.ad 3.ubi expressè asserit hanc sac. doctrinam haberi per studium licet ejus principia sint ex revelatione:deindè 22. q. 45. art. 1. ad 2. ait. *Sapientia, quæ ponitur donum Spiritus Sancti differt a bea,quæ ponitur virtus intellectualis acquisita; nam illa acquiritur studio humano, hæc autem est de sursum descendens,ut dicitur Jacob.3.* Idem docet ibidem supra q.9.art. 1. in corpore,ubi de scientia, quæ est donum, dicit esse quandam participationem divinæ scientiæ, negans acquiri per discursum;scientiam verò,quæ discursu acquiritur,esse humanam, & non scientiæ donum, ergo cum nostra theologia, nec sit donum scientiæ,nec sapientiæ, infusa nun est juxtà D. Tho. sed acquisita,&c.

Dices D.Tho.appellare eam acquisitam, quià ad eam habendam aliquomodo concurrit discursus, scil. dispositivè, licet non effectivè, quo pacto ad neutrum donum concurrit, & ideò hæc absolutè dicuntur infusa, illa verò acquisita,non quià infusa non sit, sed comparativè ad eadem dona excludentia utroq. modo discursum, &c.

Sed contrà hoc est. Nam D. Tho. si velimus contrapositivè loqui, ità affirmat de theologia studio humano acquiri, sicut de dono sapientiæ, quod de sursum à Deo descendat,sed de isto absolutè affirmat de sursum à Deo descendere, ergo pariter de illa, quod acquiratur, &c.

Ratione prob.Habitus theol.supponit principiū, quo potest acquiri, ergo non est per se infusus, sed petit acquiri;prob.antec. quià supponit fidem,sivè cognitionem principiorum modo in via habitam per fidem; sed hæc est sufficiens principium ad illum acquirendum,ergo prob. mi. principium, quo intellectus fit in actu ad acquirendam scientiam, est cognitio principiorum scientiæ, ergo cognitio principiorum theol. habita per fidem est sufficiens principium ad eam acquirendam,&c.

Explicatur,& urgetur hoc. Ideò scientia supernaturalis, quæ ponitur in Christo præter beatam non fuit acquisibilis, sed per se infusa, quia cognitio principiorum ejus, nempè visio beata, cum esset ultimus finis, non potuit deservire, ut medium ad acquirendam scientiam, ut ostenditur 3. parte q. 9. art. 3. sed cognitio principiorum theol. modo habita per fidem, ut potè cognitio viæ,non habet rationem finis,ergo potest optimè deservire intellectui ad acquirendam theologiam,&c.

Dices nil referre quòd supponatur aliud lumen superius, aut cognitio principiorum, quià, ut dictum est; eo ipso, quòd supernaturalis est per modum habitus, aut actus primi, illicò petit ex sua natura infundi, cum sit immediata participatio Dei, qui est ens supernaturale per essentiam, in quo distinguitur ab aliis supernaturalibus per modum actus 2., ut sunt actus, qui ideò possunt à nobis produci, quià sunt participationes mediatæ illius & sic ex ipsa ratione supernaturali, ut tali, non impediuntur, imò petunt procedere ab ipso homi-

homine, vel ab intelligente creato; loquendo autem de ente supernaturali per modum actus primi, idem est esse ens supernaturale, & esse per se infusum, & immediatè à Deo procedens, ut inquit à S. Thoma hic ant. 8. §. *Curautem*. §. Cujus etiam potest assignari ratio ex dicendis infra, quia ex quo præcisè vitale est, utpotè iterùm de linea primi, cùm non constituat subjectum se movens, sed potens se movere, non petit oriri à principio intrinseco viventis, sicut actus per quem constituitur movens se, sed solùm quòd recipiatur in illo,& sit participatio Dei,ut vivens est,ut dicitur infrà de lumine,ex quo verò supernaturale est de eadem linea,petit à Deo immediatè descendere,utpotè immediata participatio ejus, ut dictum est &c.

Sed contra hoc est. Tum quia non ex eo probatur ibi prædictam scientiam Christi esse infusam, & non acquisibilem, quia sit supernaturalis per modum habitus, aut per modum actus primi, sed quia, ut dictum est, nequit supponere principium, quo posset intellectus Christi uti, ut medio ad eam acquirendam, aliàs facilè expediretur quæstio si supernaturalitas per modum actus primi petit indispensabiliter esse per infusionem à Deo. §. Tum quia (& est alia ratio pro conclusione) licèt sit supernaturalis per modum actus primi, non tamen est per se connexa cum gratia, aut concomitans illam, vel proprietas ejus, cùm maneat in peccatore, nec habeatur ab omnibus justis; sed ex eo iterùm probatur de eadem scientia Christi, quod est per se infusa, quia est habitus pertinens ad ordinem gratiæ,& eam præsupponit, & non ex præcisa supernaturalitate, petit per se infundi &c.

3. Ex his impugnatur veluti à priori, quamvis supernaturalitas Theologiæ sit de linea actus primi, sive habitus,est tamen supponens aliam primam potentem deservire, ut medium, nec est per se connexa cum gratia, aut per se concomitans, vel supponens illam; ergo non est immediata participatio, nec petit consequenter ex sui supernaturalitate per se infundi, sed magis acquiri; ant. constat ex dictis, & conseq. prob. quia ut aliquod sit per se infusum, vel immediatè à Deo procedens tanquam immediata participatio ejus, non solùm requiritur, quòd sit supernaturale, sed etiam, quòd non supponat principium supernaturale, quo natura fiat in actu ad illud producendum, ut patet ex terminis, & patet in eisdem actibus supernaturalibus, qui non solùm ex quo vitales sunt de linea ultimi, sed etiam ex quo similiter supponunt principium supernaturale, quo natura fit in actu ad illos producendum, immò ex quo sic vitales sunt, repugnat, ut dictum est, à solo Deo produci, in quo deinde distinguntur à supernaturali per modum habitus, vel de linea primi, quia istud non importat talem repugnantiam suæ productionis à solo Deo, licèt non par se petat infundi, si semel supponit prædictum supernaturale principium; ergo &c.

Dices ergo 2. Eidem rationi, & replicis, non satis esse, quòd supponat lumen Fidei, sive habitum existentem in intellectu principiorum, aut eorum cognitionem, sed præterea requiri, quòd præcederet aliquod lumen discursivum, sive existens in ratione, ut patet in naturalibus, ubi lumen principiorum non sufficit ad acquirendam scientiam, sed ulteriùs datur aliud lumen discursivum, quod dicitur ratio, & hæc discurrendo ex præmissis naturalibus producit in se assensum scientificum conclusionum, vi cujus deinde causatur habitus scientiæ, unde etiam ad causandum supernaturalem habitum Theologiæ præter lumen Fidei, erat necessarium aliud discursivum, quo per discursum supernaturalem ex præmissis de Fide produci posset assensus supernaturalis productivus habitus Theologiæ &c.

Sed contra hoc est. Ut producatur hujusmodi discursus, vel assensus supernaturalis productivus habitus Theologiæ, non est necessarius habitus supernaturalis existens in ratione, ergo poterit optimè produci sine illo; prob.ant. quia ad causandum illum sufficit, quòd in intellectu sit lumen Fidei, vel cognitio principiorum, & in ratione aliquod auxilium supernaturale, cùm ad primam generationem habitus scientifici, nec etiam in naturalibus desideretur qualitas habitualis, ut dictum est de generatione Logicæ; tum quia aliàs prima generatio non esset habitus scientifici intrà hanc lineam; tum quia illis positis sit intellectus sufficienter in actu ad operandum, & causandum habitum secundùm esse saltem imperfectum, ut patet in aliis pluribus solo auxilio actuali à potentia producibilibus &c. ergo &c.

Dices obstare prædicatum permanentiæ in habitu producendo, quod non videtur posse refundi ad solam qualitatem fluidam, vel actualem, aliàs effectus superaret suam causam, quod est impossibile &c.

Sed contra hoc est. Quia sicut in habitu est excessus in prædicato permanentiæ comparativè ad auxilium, vel qualitatem fluidam, ita in actu pariter est prædicatum actualitatis comparativè ad habitum, vel actum primum; sed nihilominùs potentia cum solo habitu, superaddito auxilio potest producere actum sic superantem in actualitate habitum, ut alibi explicatur in materia de habitibus, ergo pariter cum solo habitu principiorum, sive Fidei, superaddito tantùm auxilio producere poterit habitum superantem in permanentia idem auxilium; & ratio utrinsque est quia quando plura principia concurrunt ad aliquem effectum, non requiritur, quòd quodlibet eorum adæquet illum in quolibet sui prædicato, sed satis est, quòd in causa adæquata inveniatur adæquatus, vel correspondens prædicato excedenti, ut etiam patet in actu vitali, vel intellectionis, ad quem similiter concurrunt duo principia, scil. intellectus, & species impressa ut vicaria objecti, & tamen solus intellectus est principium vitale, cùm solus ille vivat per illam, non verò objectum; sicut ergo ad causandum vitalitatem intellectionis non requiritur, quòd omne principium concurrens vitale sit, sed alterum tantùm in causa adæquata ejus, ita ad causandam permanentiam habitus non erit necessarium, quòd omne illius principium permanens sit, sed alterum tantùm in adæquata causa, scil. Fides; & licèt hæc dicatur tantùm remotè, aut radicaliter concurrere, assensus tamen præmissarum, qui proximè influit, sufficiens est tanquàm virtus ejus ad causandam permanentiam habitus geniti, sicut in 2. Phys. dicitur de accidenti, quòd ut virtus substantiæ potest producere effectum substantialem &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra primam Conclusionem.

PRimò arguitur præcipuo fundamento oppositæ sententiæ. Nullus habitus entitativè,& intrinsecè supernaturalis actibus nostris acquiritur, sed Theologia acquiritur nostris actibus, ergo non est intrinsecè supernaturalis; min. constat ex dictis, & traditur ulteriùs à D. Tho. in Prologo Sent. q. unic. ar. 3. quæstiunc. 3. & experimento etiam constat, quòd solùm acquiri videmus ab his, qui speculationibus vacant, & non qui otio indulgent; maj. verò prob. Omne ens supernaturale petit causas supernaturales, & excedētes nostram acquisitionem; tum quia nullus est assignabilis alius habitus supernaturalis nostris actibus acquisibilis, ergo &c.

Ad hoc neg. maj. Ad primam. prob. patet ex dictis, non habere accidens ex sola supernaturalitate, quòd postulet à Deo infundi; nam aliàs nullus actus supernaturalis esset à nobis producibilis, sed ulteriùs requiritur, ut dictum est, quòd non supponat in eodem ordine principium, quo natura, vel potentia fiat in actu ad illud acquirendum, cujus tamen oppositum contingit respectu Teologiæ, ut ostensum est. §. Ad secundam verò dicimus, quòd vel cæteri pertinent ad ordinem gratiæ, vel etiam supponere nequeunt principium, quod deservire possit, ut medium suæ acquisitionis, ut dictum est de scientia infusa animæ Christi &c.

Sed instas ex Gonet; nam si quia Theologia supponit Fidem est nostris actibus acquisibilis, pariter omnes virtutes morales per se infusæ essent nostris actibus acquisibiles, cùm supponant charitatem, per quam voluntas adhæret ultimo fini, ergo &c.

Explicatur hoc. Ita se habet ultimus finis in operabilibus respectu electionis mediorum, sicut prima principia in speculabilibus respectu conclusionum, unde sicut intellectus fit in actu per cognitionem, vel assensum principiorum ad acquirendam scientiam, vel habendum assensum conclusionis, ita & voluntas per intentionem ultimi finis, cui per charitatem conjungitur, ad electionem mediorum, ad quam virtutes per se infusæ ordinantur, ergo si quia Theologia supponit Fidem, est acquisibilis, pariter acquisibiles erunt prædictæ virtutes. Et poterat specialiter instari in prudentia infusa, quæ similiter supponit Fidem, in qua virtualiter, & tanquam in semine continetur, ergo hæc esset pariter à nobis acquisibilis &c.

2. Urgentiùs, ut suprà; instatur ex lo: à S.Tho. nam licèt ita sit, quòd non petat accidens ex sola supernaturalitate infundi si sit actus, secùs verò si habitus sit, ergo; prob. ant. quia in hoc differunt, quòd cùm habitus sit per modū actus primi, est immediata participatio Dei, ut est ens supernaturale per essentiam, actus verò tantùm mediata, & immediatè à vita hominis procedens; nam ex quo vitalis est petit ab ipso vivente procedere, ergo vel Theologia non est acquisita, sed infusa, vel non est supernaturalis; unde idem est esse supernaturale non vitale, seu per modum actus primi, & esse per se infusum à Deo immediatè procedens &c.

Ad primam nego sequelam ad prob. dist. ant. Ita, cæteris paribus nego, aliis disparibus conc. ant. & nego consequentiam; est enim discrimen, ut insinuavimus, quòd prædictæ virtutes pertinent ad ordinem gratiæ, vel eam præsupponunt, ut proprietates essentiam, unde cadere nequeunt sub causalitate effectiva, aut principali nostrorum actuum, ut similiter dictū est de scientia infusa animæ Christi; habitus verò Theologiæ, ut dictum est, non ita spectat, aut per se connectitur cum gratia; unde si aliàs supponit principium potens deservire, ut medium ad sui acquisitionem, nequit exigere infusionem sui.

Aliud discrimen assignari poterat ex his, quæ traduntur infrà de visione, quòd cùm juxtà modum probabilem inter Thomistas, prædictæ virtutes, & alii hujusmodi habitus supernaturales pertinentes ad ordinem gratiæ, qui specialiter dicuntur ordinis divini, suo modo induant rationem potentiæ (de quo tamen ibidem) dando posse simpliciter in ordine illo, non habent, quod nostris actibus generentur, sed magis infundantur à dante essentiam, sicut potentiæ; Theologia verò non sic habet rationem potentiæ in ordine ad cognoscenda supernaturalia, cùm supponat Fidem, sed magis sistit intrà limites puri habitus, qui actibus generari potest &c.

Ad secundam, quæ difficilior est, & tangit materiam satis gravem de supernaturalitate habituum contrapositivè ad illam actuum, ex qua, ut tradimus infrà in eadem materia de visione, deiegant contrarii rationem vitalitatis eisdem habitibus; respondetur tamen ex dictis neg. ant. ad prob. dist. ant. in hoc differunt si sit habitus pertinens ad ordinem gratiæ, aut eam supponens, aut connexus cum illa, vel non supponens principium, quo possit acquiri, con.; si non sit connexus, & supponens principium quo possit acquiri, sive quod idem est, si non sit per modū primò primi, sed supponentis aliud primum, ut contingit in casu, nego.

Nec est universaliter verum, quòd idem sit esse habitum supernaturalem, vel supernaturalitate per modum actus primi, & esse per se infusum, sed sola supernaturalitate spectante ad ordinem gratiæ, vel supponente illam, sive etiam per modum potentiæ, vel actus primi non supponentis principium, quo natura fiat in actu ad illum acquirendum, ut explicatum est &c.

2. Arguitur ex eodem Gonet. Ille habitus est naturalis, cujus causa proxima est naturalis, sed habitus Theologiæ proximè procedit à potentia naturali, ut naturali, ergo est naturalis; prob. minor, quia in sui perfectione crescit ad incrementum perfectionis, & virtutis naturalis intellectus, unde videmus, quòd qui habent intellectum acutiorem, meliùs, ac plures percipiunt veritates theologicas, quàm illi, qui minus subtile ingenium sortiti sunt, & quamvis ad Theologiam prærequiratur habitus Fidei, ex majori tamen, vel perfectiori habitu Fidei non colligitur maior perfectio habitus Theologiæ, cùm plures mulierculæ sæpissimè in habitu Fidei excedant præstantissimos Theologos &c.

Urgetur ex eodem ibidem ratione tertia; nam formalis ratio sub qua nostræ Theologiæ distinguens illam à Fide, & ab aliis scientiis naturalibus, est intrinsecè, & entitativè naturalis, cùm sit revelatio virtualis, quæ nihil aliud est, quàm vis naturalis intellectus creati deducens per discursum natura-

lem

lem intellectus aliquas conclusiones ex principiis revelatis, & fide divina creditis, ergo habitus theologiæ; cum non superet suam rationem formalem sub qua, erit entitativè naturalis, &c.

Urgetur 2. Quia ut dictum est; in principiis theologiæ dupl. ordo distinguendus est, alter ad primam veritatem, alter ad conclusiones per discursum naturalem inferibiles, licet autem primus ordo sit supernaturalis, & specificet habitum fidei, alter tamen est naturalis, & specificat habitum theologiæ, illumquè distinguit à fide quæ discursiva non est, sed immediatè assentitur principiis revelatis, undè licet fides sit intrinsecè, & entitativè supernaturalis, non tamen theologia, sed magis medium tenet locum inter fidem, & alias scientias naturales, quòd nō est esse perfectè supernaturalē, sicut fides, sed mediatè tantum, vel præsuppositivè, & radicaliter, in quo excedit alias, quæ sunt totaliter naturales, &c.

Ad hoc dico in primis, quòd videtur solvendum à contrariis tum in eadem scientia infusa animæ Christi, per quam in sententia Thomistarum poterat Christus discurrere; tum in illa beatorum, seù vespertina, qua isti discurrunt, inter quos dicitur unus alio meliùs, acutiùs, & sublimiùs ratiocinari, non ergo discursus impedit supernaturalitatē, nec melior discursus arguit naturalitatem. §. Pro omnibus, ergo nego min. nam licet intellectus concurrat, non tamen nudis suis viribus, sed factus in actu, vel per lumen superius, vel mediante assensu præmissarum, ut dictum est, ad prob. nego similiter ant. stando in nudis viribus ejus, nam aliàs hæreticos dici aliquomodò posset melior theologus, quam catholicus, cum acutiùs quandoque ratiocinetur, profundiùs materiam intelligat, & subtiliùs philosophetur, & tamen scimus, (ut poterit constare infrà); neq. esse meliorem, nec verè theologum, cum pereunte fide pereat, & theologia, & solum dicatur habere meliorem dialecticā sophisticam rebus divinis se immiscentem, quibus non assentitur ex motivo supernaturali, sed ex propriæ voluntatis electione, ut traditur in materia de fide. Dicitur ergo crescere in sui perfectione; non ex præcisa quantitate, aut perfectione intellectus nudè sumpti, sed ut elevati per lumen superius, aut perfectius auxilium actuale, quo veritates fidei profundè meditatus, eò firmiùs adhæret conclusionibus deductis quò videt eas ex revelatis proximiùs emanare, sicut in simili insinuavimus de formali assensu fidei, qui pariter dicitur crescere, non ex præcisa majori perfectione intellectus, sed solum ex majori perfectione habitus fidei, vel auxilii actualis excitantis, & adjuvantis ad actum fidei, undè non præcisè acumen ingenii, sed auxilium divinum per orationem obtinendum potissimè conducit ad veræ theologiæ perfectionem consequendam; ut patet in Angelico Præceptore, qui licet non acuti tantum, sed admirabilis esset ingenii, magis tamen oratione, quam studio se profecisse fatetur, nec aliter ad theologiæ principatum pervenit: Quin imò plures passim videmus, qui dum proprio nituntur ingenio in tot pravi dogmatis propositiones, vel errores prorumpunt. §. Ad exemplum verò de mulierculis dicimos eas, nec ex perspicacia intellectus, nec ex auxilio superaddito hujusmodi veritates penetrare quoad earum subtilitates, ut supponimus, cū ad earum statum non pertineat, mulieribus docere prohibitis, sed magis humilitate adhærere, &c.

In forma tamen poterat adhuc distingui idem ant. Crescit ad incrementum perfectionis, & virtutis naturalis intellectus, loquendo ex parte materialis, aut concomitantis assensum formalem theologicum transeat, vel concedo, ex parte formalis assensus subdist. virtutis naturalis intellectus nudè sumpti, vel sibi relicti, nego; elevati ut dictum est, concedo; solutio patet ex dictis in eodem simili de fide, undè etiam D. Tho. 22. q. 5. art. 2. fidem, vel credere dæmonum circa materiale, vel concomitans signorum manifestantium mysteria fidei aliquo modo etiam reducit ad perspeicacitatem intellectus eorum, &c.

Ad primam confirm. nego ant. nam juxtà communem doctrinam Metaphysicorum formalis ratio sob qua intellectus assentitur conclusioni sunt præmissæ, ut substant huic, vel illi lumini, quod quidem in Theologia supernaturale est, nec enim sola vis naturalis intellectus nudè sumpta, aut sibi relicta deducit, ut dictum est, sed mediante assensu præmissarum, vel accepta virtute ab illis, ut colligitur ex D. Tho. infrà q. 14. art. 7. ubi distinguens duplicem discursum, alterum secundum successionem, alterum secundum causalitatem, hunc posteriorem asserit esse secundum quòd per principia devenimus in cognitionem conclusionis; ubi dictio illa *per*, applicata principiis apertè denotat principia dare virtutem intellectui ad inferendam conclusionem: undè etiam hic art. 6. ad 2. inquit, quod propria hujus scientiæ cognitio est, quæ est per revelationem, non autem, quæ est per naturalem rationem, & expresšè patet in assensu opinativo, & scientifico, nam licet vis naturalis utrobique deducat, & utatur medio mobili, & immobili, à quo pendent, juxtà tamen conditionem utriusque medii evadit assensus conclusionis, mobilis, & immobilis, &c.

Ad secundam etiam patet ex dictis, quòd cum posterior ordo debeat esse per se connexus cū primo ut probatum est, non potest non esse supernaturalis (licet dupl. iste assensus ad præmissas, ut dicunt ordinem ad primam veritatem revelantem, & ad conclusiones negetur à Contenson) & quamvis dicamus esse intrinsecè supernaturalem, adhuc tamen potest tenere medium locum ex eo, quòd non sit per modum potentiæ, aut per modum primò primi non supponentis aliud primum, ut dictum est, undè est aliquomodo deficiēs in illo ordine, &c.

3. Arguitur in demonstratione theologica, vel utraque præmissa est de fide, vel altera tantum, & altera naturalis, sed utroque modo assensus conclusionis semper est naturalis, ergo & habitus elicitivus illius; mi. quoad 2. p. videtur colligi ex regula illa dilectica, quod conclusio sequitur debiliorē partem; quoad primam verò prob. nam licet præmissæ supernaturales sint, modus tamen discurrendi ex illis, naturalis est, nam eisdem principiis regulatur bonitas consequentiæ apud theologum, sicut aliæ logicales, sed ex modo procedendi, & inferendi attenditur conditio habitus, & non ex præcisa entitate præmissarum, ergo, &c.

Ad hoc nego mi. pro utraque parte; jam enim dictum est naturalitatem, aut supernaturalitatem conclusionis, attendendam esse ex motivo, aut ratione formali sub qua, quæ supernaturalis est, ut vidi-

vidimus, respectu assensus theologici; & quamvis intellectus eisdem principiis regulet dispositionẽ illam syllogisticam, non tamen intrà forum theologicum utitur illis discurrendo, aut inferendo per assensum formalem theologicum sola vi naturali, sed accepta virtute ex præmissis supernaturalibus, ut ostensum est ex D. Tho. si velimus esse discursum, vel assensum secundum causalitatem per principia, in quo importatur communicatio virtutis ad inferendum, & patet in hoc discursu, Christus est homo, Christus habet duas voluntates, ergo aliquis homo habet duas voluntates, nam planè intellectus impotens est ad sic inferendum, vel habendum hujusmodi assensum, nisi priùs fiat in actu per assensum utriusq. præmissæ, in quo virtualiter præcontinetur.

Ad aliam probationem pro 2. p. ex regula dialectica, omissis variis solutionibus, vel doctrinis, quas hic affert M. Ferre ad primum; respondetur intelligendam esse quoad affirmationem, vel negationem, universalitatem, vel particularitatem, ut si una est universalis, altera particularis; vel una affirmativa altera negativa, tunc conclusio sequitur alteram partem debiliorem, scil. logicè, quæ nempè est illa particularis, vel negativa, non tamen tenetur sequi quoad aliud prædicatum secundum quod ex propriis non influit, ut est illud naturalitatis in casu, quià ut alibi vidimus in primo poster., præmissa naturalis assumpta in demonstratione theologica elevatur per lumen supernaturale theologicum, assumitur enim ut elevanda ad forum superius ad majorem manifestationem alterius de fide, vel conclusionis inferendæ, ut eam faciliùs intellectus inferre valeat, undè deducta ad hoc forum aliquomodò supernaturalizatur, aut vestitur lumine ejus, ut legitimè influat juxtà meritum illius, & indigentiam intellectus. §. Sumitur hęc doctrina ex D. Tho. hìc q. p. art. 5. ad 2. ubi ait; *dicendum quod hæc scientia accipere potest aliquid à phylosophicis disciplinis, non quòd ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum, quæ in hac scientia traduntur*; cujus assignans rationem ait; *non enim* accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à Deo per revelationem, & ideò non accipit ab aliis, tanquam à superioribus, sed immediatè per revelationem, sed utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis, sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari, & hoc ipsũ, quod sic utitur eis non est propter defectum, vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quæ per naturalem rationẽ, (ex qua procedunt *aliæ scientiæ*) *cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ sunt suprà rationem, quæ in hac scientia traduntur*. Et suprà etiam ar. 4. innuit eam se extendere ad scibilia philosophica, prout sunt cognoscibilia divino lumine, &c.

Sed contrà priorem, & principalem solutionem instas. Eisdem principiis dialecticis, ut fatemur omnes, regulativè se extendit intellectus ad naturalia, & supernaturalia, ergo eodem discursu naturali poterit pariter se extendere ad utramque materiam, &c.

Urgetur hoc. Si in syllogismo theologico altera præmissa sit probabilis, vel opinativa, discursus, aut conclusio est tantum probabilis, ergo si altera est naturalis, erit tantum naturalis; ex quo etiam impugnatur posterior solutio, vel explicatio prædictæ regulæ, quod non tantum sequatur conclusio debiliorem partem quoad prędicata dialectica universalitatis, & particularitatis, &c. Sed etiam quoad propria probabilitatis, & naturalitatis, &c.

Respond. nego, consequentiam, & disparitas patet ex dicti in logicis, & tangit hic M. Ferre in solut. ad primam confirmat. 3. quòd cum forma rationis, quam ponit directio logicalis in rebus, vel objectis cognitis, & directis, abstrahat ob sui imperfectionem ab omni materia negativè, ità ut nec pervenire possit ad esse imperfectissimum materiæ, nequit variari penes differentias entis, scil. naturalis, & supernaturalis, &c. Undè in omni materia, sivè naturali, sivè supernaturali, sivè substantia, sivè accidenti, perpetuò est eadem invariata manẽs, cæterum discursus capax est hujus variationis, quià nempè intellectus fit in actu ad discurrendum per principia, vel per eorum assensum, undè si actuatur assensu, aut principiis naturalibus discursus fit naturalis, si supernaturalibus supernaturalis, &c.

Ad confirmationem responderi potest primò ex M. Ferre tom. 1. in 22. q. 13. §. in solutione ad confirmationem 3. quod dum theologus assumit probabilem in consortio alterius de fide non procedit tunc ut sciens, sed magis ut opinans, cum opinativa nõ sit capax certitudinis, & tantũ intẽdit concludere opinativè, vel probabiliter, ut passim inter theologos contingit, assignando congruentias; non demonstrativè, undè nequit eidem probabili dare infallibilitatem; cæterum assumendo naturalem, tunc procedit secundum influxum theologiæ, ut supernaturalis est prætendens assensum, vel effectum conclusionis supernaturalem, sicut dum assumit naturalem evidentem, quià tunc utitur illa, ut sciens theologus confert ei ex vi sui luminis superioris, scil. theologici, seu divinæ revelationis, quandam majorem certitudinem, quam non habet eadem ex se, ut potè spectans prout sic ad lumẽ inferius scieotificum, quod est minoris certitudinis; sicut in simili dicitur de artifice utente serra ad faciendum scamnum, quòd derivat in eam quandam vim artefactivam ex arte sua, & in hoc asserit fundari theologas, dum dicunt præmissam naturalem simul cum altera de fide concurrere, ut elevatam ad assensum conclusionis theologicæ, qui supernaturalis est, quià nempè theologia, quæ eam assumit, supernaturalis est, & effectum supernaturalis conclusionis efficere intendit, & sic præfatam vim supernaturalem in eam derivat, &c.

2. Respondetur ex eodem hìc q. 3. §. 16. in solut. ad secundam confirm. tertii, sumpta disparitate ex parte præmissæ assumptæ, quià nempè intellectus, dum semel actuatur præmissa topica, licet simul actuetur altera supernaturali, vel de fide, impeditur tamen ab illa ne ut causa supernaturalis, vel infallibilis in conclusionem influat, undè nequit in se causare assensum supernaturalem, vel infallibilem; & hujus rationem assignat, quià eo ipso, quod altera est topica, connexio medii cum extremitatibus non potest non esse defectibilis, & consequenter assensus conclusionis illatæ non potest non esse formidolosus, quod est alteram supernaturalem impediri, ne influat, ut supernaturalis, vel infallibilis in conclusionem, quià ex summè infallibili nequit causari fallibile, & formidolosum, undè tũc tantum influit in illam per modum cujusdam objecti,

jecti, ficut in fimili dicitur de cognitione opinativa in adventu cognitionis fcientificæ circa aliquod objectum, quod præcisè remanet in ratione cognitionis illius amissa ratione formidinis, ità ut in consortio medii demonstrativi nequeat ampliùs fallibiliter, aut formidolosè influere, &c.

Utraque hæc folutio fubtilis eft; fed adhuc videtur difficultas, cur femel affumpta præmiffa probabili non procedat tunc ut fcientificus, fed ut opinans, & cõnexio medii cum extremitatibus ftatim evadat defectibilis, ità ut impediatur altera de fide, ne infallibiliter influat; & affumpta naturali non procedat proceffu naturali, aut connexio non evadat naturalis impedita fupernaturali, ne fupernaturaliter influat, ità ut in priori prædicato probabilitatis teneatur conclufio fequi debiliorem partem, & non tantum in aliis dialecticis, & non fervãda deindè fit regula in alio naturalitatis, &c.

3. Igitur eidem inftantiæ ficut, & huic replicæ refponderi poteft afferendo difcrimen inter utrũquè prædicatum, quòd cum natura fit nata perfici per id, quod fpectat ad ordinem fupernaturalem, vel gratiæ, optimè poteft præmiffa, quæ eft fecundum fe de ordine naturæ, elevari, & perfici per lumen fuperius fpectans ad ordinem fupernaturalẽ, & confequenter in confortio alterius de fide, non folum non impedire, fed magis juvare, tanquam ancilla, ut loquitur D. Tho. & ut elevata ad fuperiorem ordinem manifeftare id, ad quod manifeftandum affumitur, cæterum cum opinio ex propriis ob fui formidinẽ opponatur fcientiæ non poteft fic perfici, & elevari, undè fi affumitur magis impedit, quam conferat ad influxum alterius, &c.

§. V.

Solvuntur alia duo argumenta contrà eandem.

4. Arguitur (& poteft effe replica) Non repugnat res fupernaturales lumine naturali penetrari, ergo ex fupernaturalitate objecti non rectè infertur fupernaturalitas intrinfeca habitus Theologię: prob. ant. Tum in lumine, quo metaphyfica manifeftat proprietates rerum fupernaturalium, cum agat de univerfo ente probando ejus proprietates: Tum in illo, quo hæreticus, ut infinuavimus, ex creditis fide acquifita difcurrit, & deducit eafdem conclufiones, quas infert fidelis verè theologus. Tum in illo, quo dæmones credunt Deo authori fupernaturali, nam hujufmodi lumina purè naturalia funt, cum metaphyfica fit fcientia naturalis; & in hæretico non fit vera Theologia fupernaturalis, fed magis cadaver illius; & tandem in dæmonibus non fit fides divina, nec laudabilis, cum non credat fecundum aliquem affectum boni, ut docet D. Tho. ubi fuprà 22. q. 5. ar. 2. ad 2. Et patet iterum in hæretico adulto accedente ad baptifmum, ad quem requiritur fides de Deo authore fupernaturali, & tamen ejus fides, fupernaturalis non eft.

Urgetur hoc. Nam intellectus creatus licet fit de ordine naturæ, nihilominus intrà proprium objectum non folum continet ens naturale, fed etiam fupernaturale, aliàs non videretur poffe pervenire ad illud etiam media elevatione, ut dicitur de oculo refpectu objecti fpiritualis, ergo ex propriis debet habere vim aliquam activam fe extendendi ad fupernaturalia, nam fi nullam ex fe haberet, magis diceretur deindè fuftentans lumen fuperius elevans, quam medio illo cognofcere, ut patet in aqua, quæ quià ex fe nullam vim habet ad calefaciendum, magis dicitur calefacere fuftentando calorem, quam medio illo calefacere, &c.

Ad hoc nego ant.; ad primam prob. nego fuppofitum, quòd agat de univerfo ente abftrahendo à naturali, & fupernaturali, nam ejus objectum eft quidem ens comprehendens adhuc divinum, non tamen formaliter, ut fupernaturale eft, fed ut confunditur à ratione entis, undè agit de Deo præcisè, ut eft author naturæ, vel intra limites folius entis naturalis, explicando intrà hoc forum ejus proprietates veri, boni, &c. non fe extendendo ad illum, ut eft author gratiæ, vel effectuum fupernaturalium, hoc enim fpectat ad Theologiam.

Ad 2. Refpondetur ex dictis, & alibi de fide, quòd hæreticus non difcurrit, aut deducit ductus motivo fupernatnrali, cum intellectus ejus non fiat in actu per affenfum fopernaturalem præmiffarum, fed propria imaginatione, vel alia natione fecundum dictamen fidei humanæ acquifitæ, undè mirum non eft, quod difcurrat, aut procedat proceffu, vel affenfu tantum naturali, quidquid fit, quòd fubtiliùs fophifticè fortè difcurrat, quam fidelis theologus fuppofito auditu fupernaturalium præmiffarum de fide, cæterum verè theologus, ut fupponitur fidelis; procedit motivè fupernaturaliter, & objectivè etiam formaliter loquendo, undè difcurrere nequit, vel affentiri purè naturaliter; &c.

Ad tertiam de fide dæmonum eft major difficultas, an reverà fides eorum, fit tantum naturalis, nã D. Tho. mox videtur admittere effe fupernaturalẽ, mox naturalem tantum; primum quidem q. 5. relata ex 22. art. 2. ubi fidem noftram ab illa dæmonũ diftinguit per hoc quod noftra eft laudabilis, quià eft ex ordine voluntatis ad bonum, ut dictum eft; illa verò non, quià eft coacta ex evidentia fignorũ, & non præcisè ex hoc, quòd noftra fit fupernaturalis, altera verò non; undè ait *dicendum eft ergo, quòd in fidelibus Chrifti laudatur fides fecundum primum modum, & fecundũ hoc non eft in dæmonibus, fed folum 2. modo; vident enim multa manifefta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclefiæ à Deo effe.* Secundum verò ibidem ad 2. ubi ait, *Fides quæ eft donum gratiæ inclinat hominem ad credendum fecundum aliquem affectum boni etiam fi fit informis; unde fides, quæ eft in dæmonibus non eft donum gratiæ, fed magis coguntur ad credendum ex perfpicacitate naturalis intellectus.*

Magifter Ferre hic in folutione ad 4. fuftinendo effe fupernaturalem conatur hujufmodi loca cõciliare diftinguendo duplicem fidem fupernaturalem, fumpto fundamento ex eodem Angelico p. p. q. 64. art. 1.; alteram, fcil. affectivam, quæ eft fecundũ affectum ad bonum, alteram purè fpeculativam prout tantum dicit affentiri Deo revelanti myfteria, ficut enim D. Tho. ibidem poft traditam duplicem cognitionem veritatis, alteram, quæ eft per naturam, alteram verò per gratiam, non reputat inconveniens iterum iftam diftinguere in eam,

eam,quæ est speculativa tantum; sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revelantur, quam etiam concedit dæmonibus, & in eam, quæ est affectiva producens amorem Dei, & pertinens ad donum sapientiæ,quam negat eisdem; ità non videtur inconveniens admittere duplicem prædictam fidem supernaturalem, & purè speculativam illis concedere,explicando D.Tho.de affectiva, quando videtur eis negare supernaturalem, undè quando ad 2. ubi suprà ait, quod *magis coguntur ad credendum ex perspicatitate intellectus naturalis*, referenda sunt hæc verba ad ly *coguntur*,non ad ly *credendũ*, ità ut determinent verbum *coguntur*, non verò *credere*: De quo etiam latè disputat quæst. 8. de Fide §. 3.

Cæterum quamvis solutio, & explicatio subtilis sit,& subtiliter sudata in D.Tho. difficilè tamẽ videtur assignare duplicem fidem supernaturalem, quæ in rei veritate verum fidei supernaturalis conceptum habeat, si semel caret, ut caret in dæmone; affectu ad bonum, vel pia affectione ad bona repromissa;neque enim colligi potest ex ejus definitione, aut descriptione, cum includat hunc affectum, dum dicitur substantia sperandarum rerum, §.Dicere autem,quòd ibi definitur fides, quæ est virtus, videtur petitio principii, nam hoc est quòd inquiritur, an detur fides supernaturalis, quæ nullo modo virtus sit sivè quoad statum, sivè quoad essentiã virtutis,ut contingeret in dæmonibus,vel in damnatis; undè M. Serra 22. ibidem dub. unico cum M. Bannez dub.2. existimat esse acquisitam, & omninò naturalem ex parte principii similem ei, quã hæretici habent de mysteriis fidei, quæ non negant,&c.

Favet etiam M.Porrecta ibi corollario post conclusionem, ubi sumpto fundamento in D. Tho.q. 14.de verit.ar.9.ad 4.ait,quòd credere dicitur æquivocè de dæmonibus,& de hominibus fidelibus,quoniam nomen tantum, non autem definitio fidei, utrobique est idem. Deindè infrà q. 18. art. 3. ad 2. explicans quid sit illud credere dæmonum, vel damnatorum, inquit, quod est cognitio quædam credibilium causata per effecta sinè gratia, &c.

Ex his crediderim similiter dici de hac fide dæmonum, sicut in simili diximus de opinione in adventu medii demonstrativi, vel de præmissa supernaturali in consortio alterius topicæ, quòd sicut istæ formaliter loquendo non remanent tunc in ratione opinionis, vel præmissæ supernaturalis, sed in præcisa ratione cognitionis objecti, ut explicatum est ex eodem M. Ferre, ità hujusmodi fides in dæmonibus sit per modum cujusdam cognitionis credibilium, non in ratione fidei formaliter supernaturalis ex defectu formalis eorum motivi, cum non moveantur ex vi testimonii divini, sed magis cogantur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus, ut inquit D. Tho. oblata evidentia signorum, quæ subtiliùs ab eisdem penetrantur, &c.

Nec videtur referre,quod asserit idem M. Ferre ad fundandam hujusmodi supernaturalitatem fidei in illis loco relato de fide n. 16. nempè quòd dum eis divina Secreta revelantur, necessè est, quod præbeant assensum divinæ revelationi,ut exequantur suum ministerium, quo nempè deserviunt Deo Judici, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum; hunc verò assensum præbere non possunt nisi fide supernaturali, cum Deo revelanti non nisi fide supernaturali dari possit firmus.

Non inquam videtur referre,quià hujusmodi revelabilia magis videntur eis manifestari per modum objecti cognoscibilis, quam credibilis, ità ut magis illis adhæreant per viam cognitionis,& coactionis,ut dictum est, quam per viam assensus, & voluntatis, unde D. Tho. in prædicta solut. ad 4. de veritate, inquit; *dicendum quòd dæmones non voluntate assentiunt his, quæ credere dicuntur,sed coacti evidentia signorum.* Ubi notetur ly *dicuntur*, quasi velit eos verè non credere, fide scil. supernaturali juxtà meritum objectorum, sed solum dicuntur credere, scil. æquivocè tantum, ut concludit versus finem.§.Deindè loco relato ex pp. distinguẽs duplicem illam cognitionem revelatorum à Deo, consultò adhuc intrà hanc lineam revelationis videtur uti præciso vocabulo cognitionis,non fidei, dum asserit speculativam non fuisse totaliter ablatam,sed diminutam, quià fortè intendit non remanere ampliùs in illis in ratione fidei formaliter, sed magis in præcisa ratione cognitionis, ut dictum est. Hæc tamen obiter,& disputationis gratia dicta sint, nam infrà loco relato de fide ex professo examinantur, &c.

Ad eandem ergo tertiam principalem probat. respondetur, quod juxtà alterum modum dicendi, quòd habeant fidem,aut cognitionem supernaturalem non habet vires, sed magis est retorquenda; juxtà alium verò,quod habeant fidem tantum naturalem, similiter dicendum est sicut de hæretico, quòd si semel non moventur motivo aliquo supernaturali,sed ex evidentia signorum naturaliter apparentium,ut dum videntur mortui resurgere,&c. mirum non est quòd non habeant motum fidei supernaturalem, cæterum intellectus theologi, ut dictum est, fit in actu per aliquid supernaturale, undè tenetur supernaturaliter procedere, aut assentiri conclusioni, &c.

Ad id verò, quòd iterum de hæretico subditur accedente ad baptismum per solam fidem naturalem respondetur ex D.Tho.3.p.q. 68. art. 8. quòd licet ad recipiendum baptismum quantum ad ultimum ejus effectum,qui est gratia,requiratur recta fides, non tamen quantum ad priorem, qui est caracter, undè etiamsi fidem supernaturalem non habeat,aut non rectè sentiat circa hoc Sacramentum, dummodò intentionem generalem habeat suscipiendi illud, sicut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit,validè suscipit,aliàs hæretici carentes fide supernaturali,vel non rectè etiam sentientes circa hoc,vel alia Sacramenta,deberent rebaptizari,quod est erroneum, &c.

Ad confirmationem latè patebit infrà, & ne eadem iterum agamus breviter dicimus, quòd intrà objectum alicujus potentiæ continetur quandoquè aliquod excedens vires connaturales ejus, ut in proposito est Deus author gratiæ, undè solum potest ad illum intellectus creatus pervenire per elevationem: ad id verò,quòd tangitur de oculo corporeo dicemus ibi objectum spirituale respectu illius esse adæquatè extrà,& non solum excedens, & ideò nullo modo potentiam visivam esse elevabilem ad videndum illud. §. Ex quo etiam patet ad aliud,quod additur, nempè quòd aliàs intellectus magis se haberet passivè, vel per modum subjecti susten-

sustentantis, quam activè per modum potentiæ; dicimus enim, quod licet hujusmodi supernaturalia excedant proportionem, vel vires proximas intellectus, non tamē sunt extrà adæquationē ejus, quià cum sit potentia universalissima spiritualis, intrà illam ambit omne intelligibile, undè dicit coaptationem essentialem ad illa, ità ut tantum indigeat proportionari per aliquid ejusdem lineæ, in quo deficiunt exempla aquæ, & alia similia, ubi non solum est improportio, sed omnimoda extraneitas, & ideò se habent per modum subjecti sustentantis, ut explicatur infrà.

5. Arguitur objectū Theologiæ nequit esse supernaturale sivè ex parte rationis, *qua, sivè sub qua*, ergo nec illa erit supernaturalis: prob. ant. quià aliàs Theologia esset virtus theologica, hac enim ratione fides est virtus theologica; quià ex parte utriusquè rationis habet pro objecto Deum authorem supernaturalem, ergo, &c.

Huic argumento M. Ferre negato utroque antec. distinguit causalem probationis annexæ, quià habet Deum immediatè attactum conc. utcunque attactum negat ant. & distinguit consequens; si Deum ut authorem supernaturalem immediatè attingeret, conc., si tantum mediatè, ideſt mediante discursu, nego, quià ad rationem virtutis theologicæ non satis est, quod Deum authorem supernaturalem ex parte utriusque rationis respiciat, sed ulteriùs requiritur, quòd immediatè illum prout sic attingat, quod tamen non habet Theologia, sicut fides, & charitas, quæ illi immediatè adhærent ut revelanti, vel auxilianti, aut bono divino in se, theologia autem mediante discursu, &c.

Quod si iterum instes; nec fidem posse Deum immediatè attingere, sed tantùm media specie, qua utitur, species autem creata, ut dicemus infrà; nequit Deum immediatè repræsentare, cum quælibet sit inferioris ordinis, ergo si nihilominus virtus theologica est, pariter erit Theologia. §. Respondet, quòd licet fides Deum immediatè quiditativè non attingat, benè tamen immediatè connotativè, ad res creatas juxtà meritum præsentis status viæ, Theologia verò ultrà hoc, quod est non attingere immediatè quiditativè, sed solum connotativè, addit attingentiam mediatam, scil. per discursum, quià nempè non attingit quasi in recto, ut sic dicamus; sed de Deo per fidem cognito habet per consequentias discurrere, & disputare, quod verè tollit rationem virtutis theologicæ non primū, &c.

Sed licet hæc subtiliter dicta sint, videntur nihilominùs efficaciter instari tum in scientia infusa Christi, quæ licet non excluderet discursum attenta conditione intellectus humani ejus, non tamen, ut explicatum est; ex sua ratione formali illum exigebat. §. Tum urgentiùs in lumine gloriæ, quod immediatè intuitivè, & non solum connotativè Deum respicit pro objecto, ergo juxtà utramque solutionem aliæ virtutes theologicæ præter tres communiter assignatas erunt admittendæ, &c.

Propter hujusmodi instantias non desunt, qui ne teneantur admittere plures virtutes theologales, existimant ut probabiliùs, lumen gloriæ, vel alia accidentia supernaturalia solum habere quendam modum habitus, & essentialiter esse potentiā, (de quo tamen infrà de visione) Ità Cabrera 3. p. q. 9. art. 2. disp. 12. concl. 2. §. Cæterum eodem fundamento concludere etiam possent de fide, spe, & charitate, quòd sint essentialiter potentiæ, & solum habeant quendam modum habitus, & consequenter nec sint virtutes Theologales, quod tamen est alienum &c.

Aliter, ut insinuatū est; eidē argumēto, vel instātiis resp. M. Catalam infrà de visione ad art. 5. dub. 5. ad ultimum, quòd licet virtutes theologales, quæ non sunt purè intellectuales sint tantum tres, nullum tamen esse inconveniens concedere præter illas, alias purè intellectuales. Videtur hæc solutio fundari in D. Tho. 1. 2. quæst. 62. art. 2. ad 2. ubi ex eo excludit à ratione virtutis theologicæ sapientiam, quæ à Philosopho ponitur virtus intellectus, quià nempè considerat divina, secundum quod sunt investigabilia ratione humana, theologica autem virtus est circa ea, secundum quòd excedunt rationem humanam; undè etiam ad primum per hoc distinguit easdem theologicas ab aliis inferioribus, sivè moralibus, sivè intellectualibus, quià nempè istæ perficiunt intellectum, & appetitum hominis secundum proportionem naturę humanę, theologicæ verò supernaturaliter, ergo cum lumen gloriæ, & aliæ hujusmodi qualitates supernaturales perficiant intellectum supernaturaliter respiciendo divina, secundum quòd excedunt naturam non elevatam, aut proportionem ejus, non videtur inconveniens ponere illas intrà lineam theologicarū purè intellectualium; sed hæc iterum obiter, & disputationis gratia dicta sint, &c.

§. VI.

Solvūtur argumēta cōtrà 2. Conclusionē.

1. Arguitur. Habitus supernaturales ut potè dantes simpliciter operari, vel habent essentialiter rationem potentiæ, & modum habitus, ut insinuavimus; vel si sunt essentialiter habitus, habent tamen modum potentiæ participando de perfectione ejus, ut alii tenent, sed potentia nequit nostris actibus acquiri, sed supponitur ad omnem actum per modum principii permanentis in subjecto, ergo si Theologia per nos est habitus supernaturalis, non est acquisitus, sed infusus, &c.

Urgetur primò. Tunc per actus præcedentes potest acquiri habitus, quandò supponitur principiū nobilius permanens, cujus virtute actus generant habitum, sed hoc principium nequit in casu supponi antè habitum genitum ad elicientiam conclusionum theologicarum, ergo; mi. constat, quià nullum est assignabile: ma. sumitur ex D. Tho. p. 2. q. 51. art. 2. ad 3. ubi ait, *sicut ipsa ratio est nobilius principium, quam sit habitus virtutis moralis in vi appetitiva per actuum cōsuetudines generatus, & intellectus principiorum est nobilius principium quam scientia conclusionum.*

Urgetur secundò. Quià tenemur dare discrimen inter actum, & habitum supernaturalem quoad eorum productionem, nam de actibus est certum esse à nobis producibiles, non tamen de habitibus, at nisi de his dicatur esse per se infusos non videtur posse salvari discrimen inter illos, ergo; prob. mi. quià in genere causæ exemplaris non solum habitus, sed etiam actus est immediata participatio Dei, ergò nisi ponatur quòd habitus sit etiam immediata in genere efficientis, sivè effectivè, ità ut actus elicia-

eliciatur, aut producatur à nobis mediante habitu, habitus verò immediatè producatur, vel infundatur à Deo, non salvatur inter utrumque discrimen, ergo si theologia est habitus supernaturalis erit infusus, &c.

Urgetur tertiò, nam ante habitum theologiæ, nequit assignari causa sufficiens ad veram productioné habitus supernaturalis, vel actus ejus, ergo; prob. ant. quià præmissæ formales, ad quas nos recurrimus, licet dicantur influere in genere efficientis, non tamen efficientia propria, & immediata, sed tantum radicali, & similitudinaria determinãdo scil. & disponendo intellectum, ut immediatè agat, sed hic influxus non est sufficiens ad veram productionem habitus supernaturalis, vel actus ejus scientifici, ergo; ma. patet, quià habitus, vel assensus scientificus non producitur immediatè à præmissis, sed ab intellectu determinato per illas: mi: verò prob. tum quià habitus, vel actus supernaturalis requirunt verum influxum supernaturalem; tum quià ex eo dicimus electionem mediorum non esse necessariò supernaturalem, estò præcedat intentio, aut imperium supernaturale finis, quià intentio propriè effectivè non concurrit ad illam, sed requiritur aliud supernaturale principium, &c.

Urgetur totum hoc. Si assensus præmissarum esset proxima, & adæquata ratio concurrendi ad assensum, & habitum theologicum, intellectu radicaliter se habente, ut contingit in qualitatibus supernaturalibus respectu actuum supernaturalium, juxtà æqualitatem, vel inæqualitatem assensus præmissarum esset perfectio intensiva assensus conclusionis, sicut infrà contendimus perfectionem intensivam visionis juxtà intensivam luminis, consequens videtur alienum, cum plures fideles hebetioris ingenii intensiùs sepè credant, quã acutioris, ergo, &c.

Denique urgetur. Nam habitus supernaturalis, ut potè ordinis divini, est omninò independens à regulis inferioribus, sivè humanis, vel dialecticis, undè ut insinuavimus ex D. Tho. Theologia utitur scientiis naturalibus, quasi imperans, & vocans ancillas ad arcem, non quasi dependens ab illis, at si esset acquisibilis, teneretur dependere, ut potè effectus earum, ergo, &c.

Huic argumento, ac ejus confirmationibus ferè quoad omnia ex superioribus sufficienter occurri poterat, sed quià iterum militat contrà primam, & latè hic etiam ex quodam recentiori suppresso nomine proponitur à M. Ferre, placet ad uberiorem utriusque conclusionis veritatem quædam superaddere: & primò quidem respondet ad illud idem Magist. distinguendo min., eamquè concedit de potentia, quæ propriè potentia sit, secus verò si tantum in aliquo modum potentiæ obtineat, ut contingit in habitibus supernaturalibus, qui solum in uno, vel altero assimilantur potentiis, &c.

Cæterum hæc solutio videtur pati difficultatem in alio modo dicendi inter Thomistas, qui admittit, ut vidimus, essentialiter esse potentias, licet habeant quendam modum habitus, undè salva probabilitate hujus opinionis, quam modo suppono, non videtur sententia nostra communis de habitu theologiæ; quòd non sit infusus, sed acquisibus; posse componi cum priori conclusione, quòd sit supernaturalis, &c.

Quod si dicas Anthores hujus opinionis non posse deindè sustinere supernaturalitatem ejusdem habitus. §. Cõtra id videtur obstare, nã quidquid sit de hoc; nos tamen, qui utrumque defendimus, videmur obligari adhæc omnia componenda, ne dicatur sententia communis pugnare cum aliis probabilibus inter eosdem Thomistas, &c.

Admittendo ergo etiam hunc modum, distinguo iterum, & explico eandem mi. sed potentia nequit nostris actibus acquiri, sumendo potentiam strictè pro primo principio operationis non supponente aliam virtutem activam illius in subjecto, ut sunt intellectus, voluntas, & aliæ hujusmodi, concedo, præcisè pro principio simpliciter, vel indispensabiliter necessario respectu operationis excedentis vires naturæ, nego; quando ergo juxtà modum illum dicitur habitum supernaturalem esse essentialiter potentiam, non est, nec potest esse sensus, quòd ità perveniat ad conceptum essentialem ejus, ut sit primum principium operationis non supponens aliam vim ejus activam in subjecto, & consequenter sit indispensabiliter datum à Deo ut Auctore gratiæ, sicut intellectus, & voluntas dantur ab illo, ut Auctore naturæ, nam aliàs deberent hujusmodi habitus, vel qualitates esse indifferentes ad bene, vel malè operari, sicut hæc eadem indifferentia convenit potentiis, sed quià cum sint necessarii simpliciter respectu operationũ adæquatè excedẽtiũ vires naturæ, cẽsentur quoad hoc, habere rationem potentiæ, non tamen adæquando ejus conceptum, quià cum aliàs determinentur ad operationem rectam, tenentur supponere potentiam, vel aliud principium, quod determinent, ut potè indifferens ad rectam, vel non rectam, seù difformem, sivè ad bonam, vel malam, undè si semel contiogat, ut in casu, dari aliquam ex his qualitatibus supernaturalibus, quæ supponat præter potentiam aliud principium, quo hæc fiat in actu ad illã acquirendam, jam non obstat conceptus ejus inadæquatus potentiæ, quin possit acquiri, nam in tantum obstat in aliis potentiis, quæ sunt strictè tales, quià nequeunt supponere ut dictum est, aliam vim in subjecto, sed sunt prima vis, aut principium in illo. Sed de proprio discrimine inter potentiam, & habitum in proœmialibus logicæ de necessitate ejus in solutionibus dictum est, & adhuc infrà de visione, &c.

Ad primam confirmationem nego mi. quià ut colligitur ex D. Tho. ibidem, sicut lumen nobilius permanens ad scientias naturales est lumen principiorum, ità ad hanc supernaturalem erit lumen suorum principiorum quod est lumen fidei longè nobilioris habitu theologico, ut infrà, &c.

Ad secundam nego mi.; ad prob. nego suppositum antec. quòd præcisum discrimen inter utrũque attendendum sit penes esse mediatam, & immediatam participationem Dei, ut patet ex dictis, & rectè etiam instat M. Ferre hìc in habitu charitatis, quæ quià tanquam proprietas in essentia continetur in gratia, non est in linea efficientis immediata participatio Dei, nã licet fiat per eandẽ actionẽ, qua fit gratia, nõ fit tamen nisi mediante influxu gratiæ radicantis illam, undè cum etiam Theologia contineatur in fide tanquam in supernaturali ipsius seminario (qua ratione etiam sæpè à D. Tho. vocatur divinitùs inspirata) nequit ejus supernaturalitas in linea efficientis esse immediata Dei

par-

participatio, sed tantùm mediata, scil. mediante lumine fidei, &c.

Sed contrà hanc solutionem instas. Tum quià non assignatur adhuc discrimen inter actū, & habitum supernaturalem, nec videtur aliud sufficiēs assignari, si semel habitus tantùm est participatio mediata, & acquisibilis à nobis in linea efficientis. Tum quià (& retorquetur paritas adducta) quamvis charitas supponat influxum gratiæ, ut propriæ radicis, & seminarii, non tamen fit acquisibilis à nobis, ergo licet etiam Theologia supponat influxū fidei non tamen fiet acquisibilis nostris actibus. §. Et poterat etiam instari ut suprà in scientia supernaturali in Christo distincta à beata, quæ, ut explicat idem magister hic §. 18. ad tertium, supponit similiter eandem beatam ut proprietas radicem, aut seminarium sui, & tamen non est acquisibilis, sed infusa, ergo nec erit iterum acquisibilis Theologia, licet supponat fidem, ut sui seminariū, &c.

Ad primum respondetur nego ant. nam licet non assignetur præcisè penes esse mediatam, & immediatam participationem in eadem linea efficiētis, adhuc tamen assignari potest aliis omissis in eo, quòd actus non solum est producibilis à nobis, sed impossibile est posse aliter produci, ità ut omninò repugnet posse creaturam v. g. intelligere per intellectionem à solo Deo productam, ut infrà de visione, & 3. p. de scientia animæ Christi ostenditur; cæterum habitus supernaturalis, licet possit, ut probavimus; à creatura etiam produci, non tamen ità necessariò hoc petit, ot à solo Deo produci non possit; imò si sit de linea gratiæ, sivè counexus, aut supponens illam, à solo Deo produci potest, ut patet in eadem charitate, & scientia infusa animæ Christi, ut dictum est; per quod patet ad secundam, & tertiam replicam, &c.

Quod si contrà hoc adhuc instes, quòd quià actus est de linea ultimi, ità pendet ab influxu creaturæ, ut omninò ab illa produci debeat, ergo quià habitus est de linea actus primi, ità pendebit ab influxu Dei, ut omninò ab illo teneatur produci, &c.

Respondetur nego consequentiā, & disparitas est, quià loquendo de hujusmodi actibus vitalibus, hoc est eorum meritum, ut vivens per illos se moveat, constat autem esse impossibile, quòd se moveat per actionem à se non productam; cæterum habitus non constituit subjectum se movens, sed solum proximè potens ad se movendum, ad hoc autem, ut sic constituat, non est necessarium quòd producatur ab illo, sed solum quod intrinsecè recipiatur in illo, & quod sit participatio Dei, ut vivens est, vita v. g. intellectuali, ut explicatur infrà de lumine gloriæ, &c.

Ad tertiā principalem cōfirmationem nego ant. ad prob. nego ma. quià ot patet ex superioribus; & ex dictis in lib. posterior., licet præmissæ objectivæ dicantur determinare intellectum præcipuè quoad rationem specificam, quæ attenditur ex parte objecti; formales tamen verè effectivè influunt, undè benè potest intellectus factus in actu per assensum præmissarum supernaturalium producere habitum, & assensum supernaturalem conclusionis theologicę, ut explicatom est: per qood patet ad utrāque probationem maj. & primam min. Ad secundam verò ex paritate intentionis respectu electionis mediorum, dicimus primò posse retorqueri; nam quià intentio finis saltem imperativè influit ad electionem mediorum, non stat esse supernaturalem ex fine, & electionem pariter imperativè supernaturalem non esse, ergo cum præmissæ formales verè efficienter influant ad habitum, & actū conclosionis, non stabit assensum illarum esse supernaturalem, & non esse utrumquè supernatoralem efficienter ab intellectu. §. Deindè est, qoia intentio finis non dicitur causa efficiens electionis, quoad substantiam, sed tantum imperans medium amabile in ordine ad finem, undè non tenetur electio ex necessitate proportionari supernaturalitati intentionis, sed solum, quòd si hæc sit ex fine supernaturali, tunc electio ut dictū est, sit supernatoralis imperativè, nō tamen efficienter, vel elicitivè, &c.

Ad quartam patet ex dictis, undè distinguo. mi. si esset adæquata, excluso auxilio transeat, vel conc., illo incluso, nego, nam juxtà quantitatem istius etiam attendenda est quantitas intensiva etiam respectu actus fidei, ut explicatum est, &c.

Ad ultimam distinguo iterum ma. est omninò independens quoad prædicatum, in quo excedit, scil. supernaturalitatis, conc. quoad aliud purè artificiosum saltem tanquam à conditione, nego, sicut enim scientia, quæ est effectus realis, potest nihilominùs tanquam à conditione dependere ab eadem forma rationis, ità proportionabiliter habitus supernaturalis pertinens ad forum scientificum pendere poterit ab hujusmodi regulis, vel forma rationis saltem tanquam à conditione, eò vel maximè, quòd, ot insinoat confirmatio, utitur inferiorum ministerio tanquam imperans, non quasi deserviens, &c.

2. Arguitur argumento sæpè insinuato. Non stat habitum esse supernaturalem, & non esse infusum, ergo si semel Theologia ponitur habitus supernaturalis, erit per infusionem; ant. præter superiora prob. sic: habitus acquisibilis arte, & studio naturę habet causas in natura, sed habitus supernaturalis non habet causas in ista, ergo non est sic acquisibilis, sed infusus; consequentia tenet, & præmissæ patent ex terminis, &c

Dices nego ant, ad prob. distinguo ma. arte, & studio naturæ sibi relictæ, vel nudè sumptæ, nego, elevatæ per principia supernaturalia, ut explicatum est; conc. ; dicitur ergo habitus habere causas in natura juxtà meritum sui, si sit acquisitus naturalis, naturales, si acquisitus supernaturalis, ut est habitus Theologiæ, supernaturales, vel elevantes naturam ut dictum est, &c.

Sed contrà hoc est. Nam tota ratio, quare augmentum charitatis nequeat effici à natura, sivè elevata, sivè nòn, qoià est aliquod habituale supernaturale, ergo supernaturalitas habitualis nullo modo est acquisibilis. §. Dices non ex eo præcisè, quià habituale supernaturale, sed qoià tale habituale, scil. consecutum ad augmentum gratiæ, quæ quià est immediata participatio divinæ naturæ, nec ipsa, nec cæteræ qualitates ad illam consecutæ, aut connexæ, causari possunt à nobis, sed ab eo tantum, qui est Deus per essentiam, & manifestè instatur in auxiliis, vel gratiis actualibus, quæ licet aliquid habituale non sint, sed qualitates transeuntes adhuc tamen nostris actibus improducibiles sunt, &c.

Sed contrà hoc est, qoia plores sunt de linea gratiæ, ut vidimus, quæ non solum non petunt infudi,

sed omninò à nobis produci, ut patet in visione beata, & actibus charitatis, ergo si semel qualitas habitualis à nobis causari non potest, non præcisè id erit quia spectat ad eandem lineam, sed potissimè etiam, quià habitualis est, seù pertinens ad lineam primam intrà ordinem supernaturalem,&c.

Urgetur hoc. Nulla qualitas præter illam, de qua est sermo, si semel supernaturalis habitualis sit,nostris actibus causari potest, benè tamen si habitualis non sit,estò pertinens ad ordinem gratiæ, ergu improducibilitas illius à nobis non præcisè habetur à merito illius ordinis, sed maximè etiam à proprio conceptu habitualis. Ex quo inferri videtur, quòd quamvis eadem habitualis aliam supponere possit, non tamen in linea prodncibilis extrahenda à linea primi, ità ut ad solam causalitatem divinam non pertineat, sicut in simili dictum est de mobili accidentali in primo physicorũ, quòd licet, quià accidens est, supponat substantiale, in formali tamen ratione mobilis, vel scibilis pertinet ad eandem lineam primariam, vel specificativam, &c.

Ex his etiam videtur posse retorqueri paritas auxilii, vel gratiæ actualis; nam ex eo possumus adæquatè colligere, quod sint hujusmodi qualitates à nobis improducibiles, quià non tantum pertinent ad ordinem gratiæ,sed quia etiam aliquomodo ad lineam primi, cum se teneant ex parte principii,quià si solum tenerent se ex parte actus secũdi, ex hac præcisa linea non viderentur excludi à causalitate nostra, ut patet in eisdem actibus supernaturalibus, ergo à fortiori qualitates omnes habituales,si supernaturales sũt,erunt excludendæ, cum prout habituales, adæquatè sint de linea actus primi,&c.

Respond. benè ibi. Ad replicam patet ex dictis, undè conc. ant. loquendo de actionibus vitalibus illius ordinis ob discrimen adductum, & deindè nego consequentiam, quia non omnis habitualis,ut dictum est, necessariò connectitur, aut supponit gratiam,nec ità est de linea primi,ut aliam supponere non possit, quo natura facta in actu eam acquirere non possit. Per quod etiam patet ad confirmationem, & illationẽ annexam, quia specialis ratio militat de ista, & non de aliis sic supponentibus,aut connexis cum gratia, undè si semel aliam supponit, quæ ultimus finis non sit,ut est habitus fidei in casu, non est inconveniens quod etiam in linea producibilis cadat sub causalitate creaturæ, & non quasi materialiter alteram supponat, ut dicitur de mobili accidentali respectu substantialis, &c.

Ad ultimum circa paritatem auxilii, nego iterum causalem, quia præcisè pertineat ad lineam primi, sed quia si semel est de linea gratiæ tenens se ex parte principii, vel actus primi complens, vel aplicans illum,nequit aliud supponere, quo sit acquisibile, sic exigente gratia, quòd quæ sunt de foro ejus ex parte aliquomodo actus primi ad solam causalitatem divinam principaliter pertineant, ut alibi prima secundæ de gratia, & 22. de charitate ostenditur.

3. Arguitur. Quia videtur expressa mens D. Tho. 22. q. 9. art. 1. ad 2. ubi dupl. scientiam distinguens circa credenda, alteram, scil. per quam scit, quid credere debeat discernendo credenda à non credendis; alteram verò, per quam non solum sic discretivè scit credibilia, sed etiam scit manifestare illa, sivè fidem suam, & alios ad credendum inducere; primam dicit esse donum, & convenire omnibus sanctis; posteriorem verò esse gratiam gratis datam, quæ non datur omnibus, sed quibusdam; constat autem hanc posteriorem esse Theologiam, per quam ut vidimus ex D. Aug. fides gignitur (scil. dispositivè modo explicato) nutritur defenditur, & roboratur, ergo cum gratiæ gratis datæ non acquirantur nostris actibus, sed infundantur, infusa erit Theologia, non acquisita, &c.

Ad hoc dico in primis, quod de mente D. Tho. nullo modo est dubitandum, ut patet ex locis relatis, & præcipuè hìc art. 6. ad 3. ubi similiter distinguens duplicem sapientiam circa divina juxtà duplicem modum judicandi, alterum, scil. per modum inclinationis, sicut habens virtutem, rectè judicat de his, quæ sunt secundùm virtutem agẽda, in quantùm ad illa inclinatur; alterum verò per modum cognitionis, sicut aliquis instructus in scientia morali judicare posset de actibus virtutis etiam si virtutem non haberet; priorem sapientiam, quæ habet de divinis priori modo judicare, dicit esse donum Spiritus Sancti secundùm illud primæ Corint. 2. *spiritualis homo judicat omnia*; posteriorem verò, cui convenit alter modus judicandi, & quam dicit esse hanc sacram doctrinam, sivè Theologiam expressè affirmat esse per studium acquisitam, licet ejus principia ex revelatione habeantur, &c.

Ad argumentum ergo nego mi. quòd pro eodẽ accipiatur ibi scientia, quam vocat gratiam gratis gratam, ac nostra Theologia; nam licet utraquè manifestet fidem, & inducat ad credendum, non tamen eodem modo, vel eadem efficacia, nam gratis grata, quià procedit impulsu Divini Spiritus, ità urget, & premit hostes fidei, ut resistere non possint confundendo eos, & plenè convincendo juxtà illud luc. 21. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri*, undè hæc manifestat usque ad exitum victoriæ, quod non habet nostra Theologia, nam licet intrà proprios limites efficaciter etiam arguat, & defendat, quia tamen id non præstat efficacia ejusdem Spiritus Divini, sed sapientiæ humanæ, nequit ità urgere, ut perpetuò vincat, sicut in simili dicimus de utraquè fortitudine, quæ est donum, & quæ est virtus, nam licet utraquè det firmitatem animi contrà pericula mortis, non tamen eodem modo, vel eadem efficacia, nam quæ est virtus non perpetuò firmat usque ad exitum, vel finem, sed præcisè importat quandam firmitatem animi secundum proprinm, & connaturalem modum hominis, sivè in bonis faciendis, sivè in malis perferendis, ut scil. non deficiat à bono propter difficultatem vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi; sed altera, quæ est donnm ità firmat, ut immobilitet usque ad finem, undè de hac loquens D. Tho. 22. q. 139. art. 1. inquit; *sed altiùs movetur animus hominis* (scil. per idem donnm) *ad hoc, quòd perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quæcumque pericula imminentia, quod quidem excedit naturam humanam*. Solutio sumitur ex eodem Angelico primæ ad Corint. 12. l. 2. ubi ad illa verba; *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum*, subdit; *Est tamen*

men notandum, quòd sapientia, & scientia inter septem dona Spiritus Sancti computantur, sicut habetur Esa. 11. undè Apost. signanter inter gratias gratis datas non ponit sapientiam, & scientiam, sed sermonem sapientiæ, & scientiæ, quæ pertinent ad hoc, ut homo aliis persuadere valeat per sermonem ea, quæ sunt sapientiæ, & scientiæ. Ecce quòd nomine scientiæ, quam vocat gratiam gratis datam, nil aliud intelligit, quam sermonem prædictæ invincibilis efficaciæ contrà adversarios fidei, &c.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum nostra Theologia sit verè, & propriè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, & maneat in Patria.



Difficultas quoad priorem principalem partem oritur ex eo, quòd non videntur posse illi convenire conditiones, quas recensuimus in lib. Poster. ad veram, & propriam subalternatio nem requisitas, undè ex antiquis negant Scotus, Aureolus, Durandus, & alii apud Caiet. hic q. 1. art. 2. §. circa hunc articulum, & sequenti, Ex recentioribus verò Molina, Granadus, Arrubal, & Vasquez apud à S. Tho. hic disp. 2. art. 5. imò postremus ex illis contendit D. Tho. nonque eam dixisse subalternatam, sed quàm immeritò, statim constabit. Illustriss. verò noster de Marinis hic art. 2. cap. 2. apud M. Ferre q. 3. §. 7. concedit esse subalternatam tantum quoad modum, &c. Oppositum tamen tenent iam communiter Thomistæ Capreolus q. 1. Prologi concl. 2. Caiet. Nazarius, à S. Tho. M. Ferre, Gonet, & alii, &c.

§. PRIMUS.

Statuitur prima Conclusio.

Theologia nostra verè, & propriè subalternatur scientiæ Dei, & Beatorum, quam scil. habent intrà Verbum, vel matutinam, non extrà, aut vespertinam, nam hæc dicitur substantialiter coincidere cum nostra, & solum differre accidentaliter penes statum, quia ibi habet statum perfectum. Est expressa D. Tho. hic art. 2. ubi eam illi habitudinē attribuit ad scientiam Dei, & Beatorum, quam dicit Musica ad Aritmeticam, & Perspectiva ad Geometriam, sed in his est verè, & propriè subalternatio ad suam superiorem, ergo erit pariter in nostra Theol.; undè valdè not. est, quod hic rectè advertit à S. Tho. quòd subordinatio, aut dependentia, quam D. Tho. attribuit nostræ Theologiæ, non consistit in eo præcisè, quòd scientia Dei revelet nobis mysteria fidei, quasi faciat solam dependentiam hic in via exhibendo per fidem principia, ex quibus deducat suas conclusiones, sed in eo, quòd eadem principia sint nota lumine superioris scientiæ Dei, & beatorum, ità ut eorum claritatem, & manifestationem, & non solam revelationem reducat ad scientiam superiorem, vel lumen ejus, in quo consistit subalternatio essentialis, scil. ex parte principiorum. Patet hoc ex dictis, quia ut salvet conceptum essentialem scientiæ in Theologia, recurrit perpetuò ad hoc, quia procedit ex per se notis lumine superioris scientiæ, ergo non pendet ab illa in pura revelatione eorum per fidem, sed in notitia, & manifestatione, quod est præcipuum fundamentum hujus sententiæ, &c.

Idem docet, ut infrà alibi dicens, quòd *Theologia in nobis viatoribus est secundum se verè scientia subalternata*, ubi ponderat M. Ferre, quod ly *verè* cadit super utrumquè, & super scientiam, & super subalternatam, ex quò redarguit Vasquez, quàm immeritò velit D. Tho. nunquam dixisse Theologiam nostram esse scientiam subalternatam. §. Hanc authoritatem refert idem magister ex 22. q. 1. art. 5. sed licet ex solutione ad 2. colligi possit, non tamen ibi, nec aliis pluribus in locis invenire potui sub eisdem terminis, in quibus facit vim; nihilominus eam adduxi, non solum quia suppono tantum Virum non fuisse usum, nisi alicubi eam legisset, licet fortè ob inadvertentiam impressoris sit variata citatio, cum aliam in superioribus ejusdem loci mendosam invenerim, sed quia est expressa doctrina ejusdem Angelici hic art. 2. ubi eam etiam explicat utroquè exemplo Perspectivæ & Musicæ, quæ verè, & propriè subalternantur, hæc Aritmeticæ, & illa Geometriæ, undè est perpetua sententia D. Tho. ut inquit à S. Tho.; & videri potest etiam in primo ad Hanibali q. 1. art. 2. ubi iterum docet principia Theologiæ perfectè manifestari in patria, & hic imperfectè, undè principiorum manifestationem reducit ad superiorem scientiam, in quo consistit, ut dictum est; essentialis ratio subalternationis, &c.

Ex his prob. ratione. Theologia nostra respectu scientiæ Dei, & beatorum habet id, quod essentialiter requiritur ad veram rationem subalternationis, ergo est illis verè, & propriè subalternata; prob. ant. Ad veram, & essentialem subalternationem unius scientiæ ad aliam requiritur, & sufficit dependentia in aliquo prædicato essentiali scientiæ, vel per se conducente ad illam, sed Theologia habet hanc dependentiam respectu illarum, ergo; ant: patet, quia eò ipso, quòd sic dependet, verè subordinatur illi intrà proprium forum scientiæ, ità ut sublata superiori, removeretur pariter inferior, cum sit dependentia in prædicato essentiali de eadē linea, ergo ad statuendā veram, & propriam subordinationem nequit aliquid ampliùs desiderari tanquam essentialiter requisitum, ut patet inductivè in omni genere, in quo unum alteri verè, & propriè subordinatur: min. verò prob. quia ab illis solis accipit evidentiam suorum principiorum, neque enim alibi manifestantur nisi in Patria per lumen utriusque, sed hæc evidentia per se requiritur saltem ut perfectio completa, aut consumata scientiæ, ergo; ant. patet ex dictis, undè ut probavimos ex D. Tho.; per se procedit ex notis lumine superioris scientiæ, &c.

Explicatur & urgetur hoc, quia ut constabit infrà.

ſtrà,& ſuprà etiam inſinuavimus,ità dependet à lumine ſuperioris,ut in abſentia ejus,ſtatum ſcientiæ habere nequeat, & ſaltem non exigens illius claritatem ab eſſentia ejuſdem deficiat, ergo non eſt ei deneganda ſtricta ab illis dependentia in prædicato eſſentiali,vel per ſe conducente ad rationem ſcientiæ, & conſequenter nec vera, & propria ſubalternatio, &c.

Dices ex doctrina Vaſquez, quòd licet ſit neceſſaria prædicta conditio dependentiæ in evidentia principiorum, cum tamen alias aſſignaverit Ariſtoteles ad veram, & propriam ſubalternationem, quæ repugnant Theologiæ, non poterit hæc verè & propriè ſubalternari ſecundùm doctrinam ejus utriquè ſuperiori; quod verò ſint aliæ conditiones patet, quia iſtæ ſunt nempè, quòd ſubjectum inferioris addat differentiam, aut conditionem accidentalem extraneam ad objectum ſuperioris, & quòd principia illius ſint concluſiones probatæ, & demonſtratæ ab iſta;neutram autem ſervare poteſt noſtra Theologia, ut patet, quia Deus ſub ratione Deitatis eſt objectum, vel ſubjectum utriuſq; & ſimiliter principia unius ſunt pariter principia alterius, & non concluſiones ejus,&c.

Sed contrà hoc eſt; & in primis mirum eſt loquendo de his ſupernaturalibus fieri hìc vim in doctrina Philoſophi ex eodem Authore,cum infrà diſp. 66. contendat in alia ſimili materia erraſſe Ariſtotelem ob ignorantiam fidei,licet omninò immeritò,ut dicemus;cū idē tradat D.Tho. acerrimus fidei propugnator, & ex ſuis etiam Eminentiſs. Toletus, undè ſi ſemel ob ignorantiam hujuſmodi ſupernaturalium prætendit non eſſe ſtandum doctrinæ ejuſdem Philoſophi, qua ratione nos hìc obligare poterit,ut propter defectum alicujus conditionis ab eodem aſſignatæ denegemus veram ſubalternationem Theologiæ ſalva ſaltem eſſentiali, &c.

Sed prætereà impugnatur adhuc ſuſtinendo Philoſophium. Quamvis dicamus eſſe neceſſarias ad ſcientias naturales, quas ipſe novit, non tamen ad noſtram Theologiam, ad quam non pervenit, ergo ex earum defectu non rectè arguitur ſubalternationis defectus ſalva dependentia in evidentia principiorum; prob. ant. ex eo utraquè prædicta conditio eſt neceſſaria in his inferioribus,ut in Perſpectiva reſpectu Geometriæ addendo differentiā viſibilis ſuprà quantitatē continuam,quę eſt objectū Geometriæ,& in Muſica reſpectu Aritmeticæ addendo rationem ſonori ſuprà quantitatem diſcretam, quæ eſt objectum Aritmeticæ; utraque accipiente concluſiones probatas à ſuperiori pro ſuis principiis; quia earum objectum eſt valdè limitatum, undè non poſſet haberi diverſa hujuſmodi ſcibilitas,nec radix novarum paſſionum,non facta prædicta contractione differentiæ accidentalis ad objectum ſuperioris, & acceptis concluſionibus pro principiis, imò hoc etiam eſt neceſſarium ad ſalvandam dependentiam principiorum, ut attentè conſideranti conſtare poterit, ſed hæc ratio non militat de Theologia, ergo; prob. min.,quia objectum illius ut potè infinitum, & illimitatum ſinè additione alicujus differentiæ accidentalis plures habet modos cognoſcibilitatis, & ſcibilitatis ſufficienter ad terminandas diverſas ſcientias,& ob illius amplitudinem ex eiſdem principiis, ut per ſe viſibilibus, aut notis ſuperiori lumine, & modò ſuppletivè creditis, ad inferendas ab inferiori ſuas concluſiones, ergo non erunt aliæ neceſſariæ ad Theologiam,&c.

Explicatur hoc ex Caietano hìc art.2.Ideò in his inferioribus eſt neceſſaria additio differentiæ accidentalis, quia ſi eſſet objectum omninò diverſum, non poſſet ſalvari dependentia in principiis, nam hæc deberent pariter eſſe omninò diverſa; ſi verò omninò idem, non eſſet diverſitas ſcibilitatis, nec principiorum;ſi verò adderet differentiam ſpecificam, aut proprietatem, ſuperflua eſſet inferior, quia eadem ſcientia agit de genere, & ſpecie,& proprietatibus naturæ, ſed ut probatum eſt,ſalvatur in Theologia ſufficiēs diverſitas,& ſubalternatio ſinè eadem additione, cum ſola dependentia in alio prædicato evidentiæ per ſe cōducente ad rationem ſcientiæ,ergo,&c.

3. Impugnatur admiſſo etiam,quòd aliquomodò eſſent neceſſariæ ad omnem ſcientiam adhuc tamen ſalvari poſſunt in Theologia, ergo verè erit ſubalternata;prob. ant.;quia etiam noſtra Theologia addit differentiam accidentalem ad objectum ſcientiæ ſuperioris,ſcil. rationem revelati, & plures etiam concluſiones iſtius ſunt principia illius, ergo utraquè aliquomodo ſalvatur in illa;prob. ant. quoad primā partē ſic.Objectum noſtræ Theologiæ non eſt præciſè Deus ut eſt in ſe,ſed ut revelatus; ſimiliter plura revelata, licet non omnia; ſunt concluſiones ſuperioris ſcientiæ,cum non deſint ibi rationes à priori plurium myſteriorum fidei,ut Incarnationis, Reſurrectionis, Euchariſtiæ, & aliorū hujuſmodi,ergo hìc etiā aliquomodò ſalvatur additio differētiæ accidentalis;& quòd ſuperioris concluſiones ſint principia inferioris;conſequentia tenet, quia ratio revelati eſt quid accidentale reſpectu Dei, ut cognoſcibilis in ſe, cum accidat illi ut cognoſcibili, quòd cognoſcatur per lumen gloriæ, vel per lumen fidei; inſuper etiam, ſi plures veritates revelatæ,vel myſteria fidei habent in Deo ſuas cauſas,vel rationes à priori,jam plura ex noſtris principiis manifeſtantur ibi quaſi probativè per modum concluſionis videndo eorum rationes.§.Præterquàm quòd etiam reſpectu aliorum principiorum, ſeù myſteriorum, quæ in Deo cauſas non habent, ſed ſunt ipſe Deus,ſalvatur etiam vera ſubordinatio in hoc, quòd hìc ſunt obſcurè credita,ibi autem clarè manifeſtata, non per probationem, ſed per viſionem in ſe ipſis immediatè, undè licet dicatur utrobiquè eſſe idem ſubjectū veluti materialiter, non tamen formaliter, vel eodem modo cognitum, ſed in una ſcientia obſcurè, in alia clarè ſecundùm diverſa principia,vel diverſo modo repræſentata, &c.

Ex quo etiam inferimus meliùs ſalvari hìc ſubalternationem, quam in aliis inferioribus, quia non ſtat ibi, quòd principia per ſe nota lumine ſuperiori, vel principiorum in ſuperiori ſcientia ſint tantum credita,& non per ſe nota in inferiori, quia quod ſemel eſt per ſe notum lumine principiorum,eſt omnibus per ſe notum,& quò principia ſunt ſuperiora, & ad ſuperiorem ſcientiam pertinent, eò ſunt magis nota omnibus propter ſui univerſalitatem,ut benè ad rem advertit à S.Thn.; cæterum intrà forum luminis ſupernaturalis poteſt aliquod eſſe manifeſtum in ſuperiori lumine, & tantum creditum in inferiori per fidem, ergo ſtrictiùs ſalvatur,vel major hìc ſubdordinatio, &

de

dependentia in manifestatione principiorum, quæ in inferioribus etiam respectu ejusdem subjecti, cũ in una inveniatur obscurè cognitum per fidẽ, & in illa clarè per visionẽ, undè potest lumen inferius obscurum subordinari superiori claro manifestanti principia inferiora non probativè, sed visivè immediatè, & plura etiam ut dictum est; veluti probativè, vel visivè mediatè, prout habent medium, vel rationem à priori, &c.

§. II.

Statuitur secunda Conclusio.

Theologia nostra, sivè quam modò in via acquirimus, remanet in Patria; est contrà omnes, qui tenent esse intrinsecè obscuram, nec subalternari Theologiæ Patriæ, sed jam communiter defenditur à Thomistis, uno, vel altero excepto, qui putat tantum manere secundum genus, non quoad speciem, & individuationem, ut Nazarius hic controv. 3. concl. 1. 2. & 3. & consentit Medina obiter p. 2. q. 55. in explicat. art. 4. ad 2. referens pro se Caiet. ad illud primæ Corint. 13. *Cum venerit, quod perfectum est evacuabitur, quod ex parte est*, sed tamen Caiet. hic art. 2. §. quoad secundum punctum expressè tenet hanc nostram conclus. & sequuntur Bannez, Navarrette, Gonzales, Cano, à S. Tho. Gonet, Serra, M. Ferre, & alii, & existimo esse expressam mentem D. Tho. hic art. 2. nam dum docet esse subalternatam superiori in Patria, consequenter etiam probat remansuram cum illa, cum de ratione subalternatæ sit continuabilitas cum superiori, ut potè perficiendæ in unione cum illa ex evidentia principiorum. Tum quia ut sepè vidimus ex eodem; per se procedit ex notis lumine scientiæ superioris, ergo per se exigit videre illa, quod non esset, si semel perveniens ad visionem destrueretur; ex quo ulterius rejicitur fundamẽtum contrariorum desumptum ex prædicato intrinsecæ obscuritatis, quasi sit intrinsecè obscura, & consequenter incompossibilis cum visione Patriæ; nam si juxtà D. Tho. & veritatem per se procedit, ut dictum est; ex per se notis lumine superiori, tantum abest in doctrina ejus, quòd intrinsecè obscuritatem importet, quin potiùs eam excludit, & quantum est ex se, vel secundùm rationem sui specificã tendit ad evidentiam, undè non solum non pugnat cum superiori visione, sed magis eam expectat, ut consomatam sui perfectionem, &c.

Deindè etiam p. 2. q. 67. art. 2. hoc ipsum expressè affirmat de virtutibus intellectualibus, quòd scil. maneant in Patria, constat autem præcipuam inter illas esse Theologiam; similiter q. 68. ibidem art. 6. id asserit de donis Spiritus Sancti, scil. scientię, & sapientiæ, si autem excludenda esset Theologia, pariter excludenda essent hujusmodi dona, cum ratio, ob quam ille excluditur est, quia nempè pendet à fide, & cognitione obscura, sed hanc dependentiam; & directionem ab eadem fide habent etiam dona; per quod evertitur aliud præcipuum eorum fundamentum; nam in tantum negant manere, quia est in illis diversitas principiorum, scil. fides hic in via, & lumen gloriæ in Patria, sed hęc ratio militat etiam de donis, cum modò regulentur per fidem, & in Patria habeant claritatem, & evidentiam, & cessabit fides, ergo si nihilominùs juxtà D. Tho. perseverant dona, poterit etiam manere Theologia non obstante diversitate utrinsque luminis, quia alterum, ut dictum est, est veloti suppletivum superioris, aut accidens ratione status, &c.

Præterea q. relata 67. ar. 3. ubi similiter inquirens, an fides maneat in patria, ut negativè concludat, duplicem distinguit imperfectionem rei, alteram, quæ est de intrinseca ratione ejus, sicut defectus rationis respectu equi, alteram verò, quæ solum accidit illi secundum aliquid superveniens, sicut idem defectus rationis respectu hominis impediti ob usu rationis propter somnum, vel ebrietatem, vel aliquid hujusmodi, ex quo deindè concludit, quod ubi imperfectio priori modo se habet, illa remota non manet amplius substantia rei, ut patet in eodem equo, si esset rationalis, & sic etiam cõtingit in fide accedente visione; benè verò remota posteriori, ut similiter patet in homine cessante somno, vel ebrietate, ergo cum imperfectio obscuritatis, ut vidimus ex eodem D. Tho. non sit de substantia nostræ Theologiæ, sed accidat illi ratione status, cum per se procedat ex notis superiori lumine, ut docet S. Tho. illa sublata adhuc manebit quoad sui essentiam solo variato statu, &c.

Ex his, & ex superioribus ratione prob. destruẽdo fundamentũ oppositæ sentẽtiæ. Theologia nostra quãtum est ex se, vel secundũ rationem sui specificam nullum habet prædicatum repugnans visioni, ergo manet in patria; prob. ant. prædicatum repugnans maximè esset obscuritas, sed quantum est ex se, vel secundùm eundem conceptum specificum non habet illud, ergo; prob. mi. quia per se procedit ex notis lumine superioris scientiæ, ergo non solũ non habet ex se obscuritatẽ, sed magis illi oppositum prædicatum, scil. exigẽtiam evidentię; ant. est D. Tho. ut vidimus, & latè ostendimus suprà probãdo esse propriè scientiam, & deindè subalternatã. Tum quia est participatio, aut velut impressio divinæ scientiæ, ut ait idem Angelicus hic art. 3. ad 2. & habet certitudinem ex lumine illius, ut inquit art. 5. in corp. conseq. verò prob. quia habitus per se procedens ex notis lumine evidenti, per se inclinatur ad eorum evidentiam, ut patet inductivè, ergo tantum abest, quòd intrinsecè illi cõveniat prædicatum obscuritatis, quin potiùs exigat oppositum visionis, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Licet modò in hoc statu actu non videat, non tamen impeditur posse aliquando videre, ergo ex prædicato obscuritatis modò habito in via non impeditur posse cõtinuari cum superiori scientia in Patria, prob. ant. tum ex proximè dictis; tum quia actu non videre, & posse videre non opponuntur in scientia, cum hæc ex se contrapositivè ad fidem tendat ad videndum, ergo si contingat ratione status impediri ab actu videre, non tamen amittit posse videre, ant. patet ex superioribus, & ex alibi dictis in lib. poster. consequentia verò prob. quià optimè stat quòd aliquis habitus ex conditione accidentali subjecti habeat aliquod prædicatum, & mutata in melius eadẽ conditione recipiat oppositum, ut patet in habitu charitatis in via, quæ ob flexibilitatem arbitrii viatoris est amissibilis, & tamen in Patria inamissibiliter possidetur. §. Et à fortiori patet in transitu habitus ut sic, à prædicato sibi intrinseco scil.

scil. firmitatis in subjecto ad oppositum facilis mobilitatis ex indispositione ejusdem subjecti, si v.g. infirmetur, quia tunc facilè deperditur, ergo optimà Theologia à prædicato accidentali obscuritatis poterit transire ad illud evidetiæ,ad quod intrinsecè inclinatur, cum facilior sit transitus ab imperfectiori, & accidentali ad perfectius, & intrinsecè exigitum, quàm è conversò: Tum quia Aritmetica, & cæteræ inferiores subalternatæ in adventu superioris non pereunt, sed magis perficiuntor ex unione cum illis: quælibet enim res, dum conjungitur suo perfectivo perficitur, non destruitur, ergo à fortiori Theologia adveniente lumine divinæ scientiæ perficietur, & non peribit: prob. consequentia, quia ut dicebamus ex D.Tho.; est participatio,vel impressio ejus, & quidem longè perfectior,quam cæteræ inferiores,& certitudinem habet ex lumine illius, ergo urgentiùs inclinabitur perficienda per unionem cum illa, & nullatenus destruetur,&c.

Dices his omnibus assignando simul discrimen præcedenti paritati,quòd cum Theologia viatorum nitatur fidei,ut fides est,si velimus esse Theologiam viæ; non potest ad illam non descendere prædicatum obscuritatis,vel inevidentiæ, quia verò claritas,& obscuritas, vel in evidentia non sunt denominationes extrinsecæ, sed affectiones intrinsecè convenientes, non potest de uno prædicato transire ad aliud sine intrinseca mutatione,undè nec potest eadem perseverare adveniente lumine scientiæ superioris,&c.

Sed hæc solutio manet ex dictis sufficienter impugnata. Nam licet modo pendens à fide, actu non videat, non tamen ex propriis, secundum conceptum sui specificum, ut probatum est, ergo variato statu,& conditione subjecti,nulla est repugnãtia, ut specificè maneat deponendo prædicata status præsentis, & assumat perfectiora status consumationis, ad quæ maximè inclinat, consequentia tenet ex dictis,& paritatibus assumptis. Tum etiam præter illas patet in eisdem donis scientiæ, v. g. & intellectus, quæ licet etiam in via obscuritatem habeant,cum sola fide regulentur, nihilominus manent cum claritate in Patria,ut commune est apud Theologos, neque enim invenitur,ex quo magis ab intrinseco conveniat obscuritas habitui Theologiæ, quàm donis scientiæ,& intellectus, cum utrobique modò in via sit dependentia à fide,&c.

Expl.,& urgetur hoc. Quamvis modò in via actu pendeat à fide,non tamen ità pendet, ut teneatur inseparabiliter contrahere prædicatum obscuritatis,ergo non ità pendet,ut nequeat eodem spoliari, & manere in patria;prob.ant.; tum eadem paritate donorum; tum superiori insinuata charitatis. Nam sicut fides est habitus obscuros regulans pro merito status Theologiam, ità est liber, sivè à quo liberè regulatur charitas pro merito ejusdem status, sed nihilominùs charitas non tenetur ex hoc contrahere inseparabiliter libertatem,cum deposito præsenti statu transeat de libera in necessariam, ergo nec tenebitur Theologia contrahere inseparabiliter obscuritatem. Et ratio utriùsque est, quià non tenentur aliter contrahere nisi juxtà sui conditionem,undè sicut quia de essentia charitatis non est libertas,sed tantom modus ejus conveniens illi pro hoc statu viæ, & meriti, amissibiliter illam contrahit, pariter quia de essentia Theologiæ non est obscuritas, sed tantùm convenit illi pro hoc statu, in quo indiget pro merito illius regulari per fidem,con trahet illam amissibiliter,&c.

Quòd si ulteriùs contendant esse de intrinseca ratione illius. §. Patet ex dictis id gratis asserere, cum nequeat sic Theologiæ convenire, sivè ex quo scientia est,cum potiùs, ut sic contrapositivè ad fidem tendat ad videndum, non enim flectitur pódere dicentis,sivè medii extrinseci sicut fides, sed visione rei,sivè per vim medii intrinseci,aut necessariæ connexionis unius cum alio;neque etiam ex quò scientia talis est,ideft accipiens principia à fide, aut regulatur modo per illam; tum quia hoc illi, ut dictum est; convenit per accidens, & ratione status viç, cum per se procedat ex notis lumine superioris scientiæ. Tum quia etiam dona,& virtotes regulantur per illã,& tamen quod ab illa accipiunt pro merito status,præscindibiliter accipiunt,& non tanquam aliquid de conceptu intrinseco,vel essentiali,ergo à fortiori præscindibiliter accipiet Theologia, cum magis opponatur scientia prædicato obscuritatis, ut dictum est,quam charitas libertati, hæc enim saltem pro hoc statu indiget ad meritoriè influendum, scientia verò per obscuritatem magis impeditur ad scientificè procedendum,&c. Omitto etiam,quæ in superioribus dicta sunt de modo influendi præscindibiliter ex parte fidei,non obstante quod essentialiter obscura sit,&c.

§. III.

Solvuntur argumenta contra primam.

1.] Arguitur. Non est vera subalternatio, ubi non est distinctio objectiva, aliàs sunt eadem scientia;sed Theologia viæ, & Patriæ carent hac distinctione objectiva, ergo nõ est subalternatio inter illas; prob. mi., quia utriusque objectum est Deus, &c.

Explicatur hoc. Scientia subalternata,si velimus esse distinctam à superiori,tenetur habere objectũ distinctum, & consequenter non ità amplum, sed magis contractum,& limitatum per aliquod ab illa superadditum, ratione cujus induat distinctam scibilitatem,& sit radix novarum passionum, quæ in illa demonstrantur,sed Theologia nostra nequit habere objectum sic limitatum,cum habeat Deum sub ratione Deitatis, cui non potest fieri additio limitans illum ad aliud forum scibilitatis; tum quia jam variaretur ejus objectum specificum. Tum quia non est capax limitationis sistendo intrà eandem amplitudinem Deitatis, ergo nequit in illa salvari subalternatio, &c.

Ad hoc nego minor. formaliter loquendo; ad prob. distinguo, & explico ex dictis ant. Est Deus eodem modo cognoscibilis,nego,diverso,conc. nam ob sui infinitatem, ut dictum est; habet diversos modos cognoscibilitatis,& scibilitatis,ratione quorum, ut subftat diversis luminibus potest diversas terminare scientias, ut statim constabit,&c.

Ad explicationem distinguo iterum, & explico mi. debet habere distinctum, sivè minus amplum, semper per aliquod superadditum accidentale nego; vel per aliquod superadditum, si sit naturalis,vel habens objectum finitum; vel aliunde ex meritis objecti,si sit infinitũ fundans ratione suæ

infi-

infinitatis diversam scibilitatem conc. licet ergo respectu harum scientiarum supernaturalium assignetur idem objectum materialiter, cuilibet tamen correspondet ob sui infinitatem secundum diversam rationem formalem objectivam magis vel minus universalem sinè indigentia differentiæ superadditæ, ut contingit in aliis inferioribus naturalibus, & jam insinuavimus, in nostra Theologia non solum comparativè ad beatam, sed etiā in ordine ad infusam, vel supernaturalem animæ Christi, cujus formalis ratio objectiva universalior est, quam formalis nostræ Theologiæ, nam formalis istius, ut insinuatum est, est divina revelatio mediata, ut manifestans ea, quæ pertinent ad communem statum Ecclesiæ, ut suppono ex 22.q. 1. formalis verò illius est divina revelatio supernaturalis mediata, ut manifestativa omniū à Deo revelabilium, qua ratione se extendit ad cogitationes cordium, ad quas nō se extendit Theologia etiam in beatis, undè etiam ejusdem Theologiæ nostræ, & beatorum est quidem Deus, sed diverso lumine cognitus, vel diversimodè revelabilis clarè, vel obscurè, sivè Deus, ut est in se immediatè revelatus, & visus visione clara, & ut tantum revelatus revelatione virtuali, & mediata. §. Imò nec desunt, qui etiam Theologiam nostram dividant in plures species, ità ut constituenda sit specialis scientia pro mysterio Incarnationis eminentior Theologia, quæ agit de aliis mysteriis spectantibus ad purum ordinem gratiæ, ut Alexander de Ales 3.p.q.13.memb. 1.& 2. unde licet sit idem materialiter objectum utriusque, scil. Deus ut Author utriusque Ordinis puræ gratiæ, & gratiæ, vel unionis hypostaticæ, formaliter tamen existimat esse diversum, licet revera, ut constabit infrà, eadem specificè ad utrumque se extendat per se primò respiciens ut objectum specificum Deum Authorem supernaturalem totius ordinis gratiæ, & hypostatici, quo prout sic, nec Incarnatio, nec Christus est excellentior, & ideò optimè potest Theologia se extendere ad omnes res ordinis gratiæ, unionis hypostaticæ, & etiam ordinis naturalis, secundùm quod ad Deum ordinantur.

Sed instas contrà principalem solutionem, quia videtur eadem destruere se ipsam, & præcipuum fundamentum hujus sententiæ. Nam juxtà illam ut distinguatur nostra Theologia ab illa Patriæ, assignatur ei Deus obscurè cognitus, scil. per virtualem, & mediatam revelationem, sed hoc est facere eam intrinsecè, vel specificè obscuram, cum ab objecto speciem capiat, ergo non salvatur ejus subalternatio; consequentia tenet ex dictis, quia eo ipso, quòd est intrinsecè obscura nequit amplius continuati cum superiori, nec dependere ab illa in prædicato requisito ad scientiam, scil. evidentiæ, ut requiritur ad subalternationem, &c.

Huic instantiæ patet ex superioribus explicando formalem rationem Theologiæ, quià dum dicimus eam esse divinam revelationem virtualem, vel mediatam, & consequenter ejus objectum esse Deum obscurè cognitum, vel revelatum, non est præcisè sensus, quòd solo pondere revelationis ei adhæreat, aliàs scientificè non adhæreret, cum medium scientiæ, ut dictum est, non sit extrinsecum, vel purum testimonium dicentis, sed intrinsecum, vel objectivum, sivè connexio necessaria inter extrema, non enim convincitur ex creditis, sed ex visis, si velimus distinguere illam à fide, sed quia modò in via non infert suas conclusiones nisi ex obscurè revelatis de Deo, quæ nvis per se procedat, ut vidimus, ex notis lumine superioris scientiæ, undè licet ex conditione subjecti, & ratione status viæ, obscurè Deum respiciat, non tamen hoc illi convenit secundùm suam rationem specificam, sed magis secundum istam petit videre, vel continuari cum superiori evidente.

In forma ergo nego ant. ad prob. annexam dist. mi. assignatur ei Deus obscurè cognitus, quasi hoc illi per se, & essentialiter conveniat, nego, per accidens, & ratione status, conc. & tunc nego mi; nam Theologiæ nostræ hoc illi dicitur essentialiter convenire, scil. deducere suas conclusiones ex mediatè revelatis, sivè obscurè, ut in via, sivè clarè, ut in patria secundum differentiam status, & consequenter sub ratione minus universali; alteri verò patriæ, hoc quod est tendere in Deum prout in se immediatè revelatum, vel virtualiter objectivè inferre ex immediatè revelatis revelatione visionis, ut in superioribus explicatum est in simili de scientia infusa animæ Christi, undè etiam censetur habere rationem formalem universaliorem sufficienter ad illius distinctionem à nostra, &c.

Sed instas. Lumen immediatè visivum Dei, ut in se est, non est scientificum, sed magis lumen principiorum, quia scientificum versatur circa veritates mediatas, ergo salvo conceptu scientiæ non potest scientia beata respicere Deum, ut in se immediatè revelatum, & consequenter non assignatur adhuc sufficiens distinctivum à nostra ex parte objecti, &c.

Respondetur dist. ant. non est scientificum, si præcisè sistat in primis principiis, vel veritatibus immediatis, conc. si objectivè saltem descendat ad mediatas, & inferibiles ex aliis primis, nego; lumen ergo scientificum, & principiorum non præcisè differunt per hoc, quòd alterum immediatè, alterum mediatè tantum attingat Deum clarè revelatum, sed quia licet utrumque immediatè attingat, non tamen utrumque sistit in immediatis, sed alterum, scil. scientificum, ut potè saltem virtualiter discursivum, transit ad mediatas, vel inferibiles saltem objectivè ex aliis, illud verò principiorum formaliter, ut tale, sistit in immediatis, quià ut in superioribus insinuavimus; ex sua ratione formali postulat intelligere sine discursu, quia ejus objectum, ut dicebamus, sunt sola prima principia tantum, ut cognoscibilia simplici intuitu sinè ullo medio ex parte cognoscentis, & ex parte objecti cogniti, in quo differt à scientia, & aliis habitibus intellectualibus, quidquid sit, quòd eadem beata ob sui eminentiā obtineat rationem utriusque luminis, undè licet eadem sciētia beata distinguatur à nostra penes mediatè, & immediatè attingere, ut dictum est; non tamen per hoc precisè distinguitur à lumine principiorum, vel à se ipso, sub hoc munere, sed per hoc quòd istud mediata, & immediata tantum attingit, illa verò immediatè, & etiam mediata, quatenus videndo immediate Deum penetrat ipsum videndo attributa, & alia, quæ ratione Deitatis videntur, quod non arguit revelationem mediatam, sed penetrationem illius; in quo deficit nostra

ſtra Theologia, quæ cum etiam in Patria concluſiones extrà verbum deducat, nunquam habet pro objecto Deum pront in ſe ipſo immediatè revelatum, ſicut beata; & unico verbo dicatur, quod beata id, quod attingit, ſemper attingit per viſionem, quæ eſt immediata attingentia Dei in ſe; noſtra verò etiam in patria, licet id, quod attingit, attingat in viſione, cum nunquam beatus recedat ab illa, nec recedere poſſit; non tamen per viſionem, ſed per diſcurſum deducendo ex Deo viſo, vel tractando de illo viſo, quod eſt mediatè revelatum attingere intrà immediatam revelationem, non tamen per illum, vel ut immediatè revelatum, &c.

Sed adhuc inſtas. Quià hæc ſolutio videtur confundere utramque ſcientiam, ſivè matutinam, & veſpectivam, nam hæc dicitur cognitio extrà verbum, & illa intrà, vel in verbo, ergo ſi etiam poſterior eſt intrà viſionem, vel revelationem beatam, nec ſalvatur, quod ſit cognitio extrà, nec ſufficienter diſtiƈta à prima, &c.

Reſpond. nego ant. ad prob. annexam diſt. dicitur cognitio extrà, quaſi excluſivè, nego nunquam enim beatus recedit à viſioue; quatenus non attingit per viſionem, ut dictum eſt, conc. eſt enim diſcurſiva ex Deo viſo, non quaſi immediatè de Deo viſo per lumen intuitivum ipſius, &c.

2. Arguitur. (& poteſt eſſe replica) Theologia noſtra ſivè in via, ſivè in patria deficit in principali conditione requiſita ad ſubalternationem, ſcil. dependentiæ ex parte principiorum à ſuperiori beatornm, ergo; ptob. ant. primò de eadem in Patria; Nam ibi ex Deo viſo poteſt per diſcurſum cognoſcere, quidquid cognoſcit beata ratione deitatis viſæ per ſimplicem intuitum, v.g. hoc, vel illud myſterium Incarnationis, vel Euchariſtię, &c. cognoſcendo cauſas, & rationes eorum, ergo, prob. ant. quià non magis connectitur Deus clarè viſus immediatè per ſimplicem intuitum, quam viſus illativè per diſcurſum, ergo quod eſt cognoſcibile per ſimplicem intuitum ratione Deitatis viſæ, erit ibi etiam cognoſcibile per diſcurſum. §. 2. prob. de illa modo in via, quia hìc accipit principia à fide, quæ non cauſatur à ſcientia beata, ſed effectivè à Deo infunditur, ergo independenter à beata deducit ex eiſdem creditis ſuas concluſiones, &c.

Dices ut ſuprà; id eſſe per accidens ratione ſtatus, nam per ſe, nt dictum eſt, procedit ex notis lumine ſuperioris ſcientiæ, &c.

Sed contrà hoc eſt. Quia ſi per impoſſibile theologus fidelis nunquam perveniret ad viſionem Dei, vel myſteriorum fidei, adhuc poſſet ea credere, ſicut modo credit, & ex eiſdem creditis deducere ſuas concluſiones, ſicut modo deducit, ergo non eſt dependentia per ſe à ſuperiori, &c.

Urgetur hoc. Scientia beata modò de facto non influit in noſtram Theologiam, cum ſit ſtatus viatoris, nec communicat ei evidentiam, ergo non ſubordinatur illi, prob. cõſequentia; quia ſubordinatio importat aliquem actualem influxum intrà lineam, in qua eſt ſubordinatio, qua ratione contrà Durandum communiter contendimus non poſſe ſalvari ſubordinationem, val dependentiam in operando cauſæ ſecundæ ad primam ſinè aliquo actuali Dei influxu, cum ſola communicatione, & conſervatione virtutis, ergo, &c.

Ad hoc negoant. ad prob. de Theologia Patriæ nego ant. ad ejus prob. diſt. ant. non magis connectitur, & eodem modo exigitur videri, nego, aliter conc.; licet ergo liberè connectatur cum plutibus myſteriis fidei, quæ ſunt principia noſtræ Theologiæ, nihilominus tamen beata petit videre illa, & non noſtra in Deo, vel ex Deo viſo, & rationem ſubtiliter aſſignat M. Ferre, quia cum viſio ſuccedat fidei, lumen gloriæ, vel viſivum teneтur omnia manifeſtare, vel attingere, quæ hìc creduntur, ſivè liberè, ſivè neceſſariò connectantur cum Deitate viſa, undè de ratione beatitudinis, vel vitæ æternæ eſt, ut non ſolum cognoſcant beati Deum, ſed etiam, quem miſit Jeſum Chriſtum, ut dicitur Jo.17. & ideò de ratione illius erit, ut non ſolum manifeſtentur ea, quæ conveniunt ratione Deitatis, ſed etiam, quæ conveniunt ratione carnis liberè aſſumptæ. §. Alia etiam ratio aſſignari poteſt, quia cum de ratione beatitudinis ſit eſſe perfectè ſatiativam appetitus beatorum, & iſti in Patria veluti naturaliter appetant videre, quæ hìc crediderunt, jam non videretur perfectè ſatiari, ſi ex creditis hìc ſivè liberè, ſivè neceſſariò connexis cum Deitate viſa aliquod eorum lateret, qua ratione etiam dicimus infrà, quòd quilibet beatus videt ea, quæ pertinent ad proprium ſtatum, & ideò ſcientia beata exigit quodammodò ea videre, non tamen noſtra diſcurſiva extrà Verbum, &c.

Ad ſecondam prob. de eadem hìc in via, reſp. benè ibi dictum eſſe. Ad replicam, quæ eſt P. Arriagæ, dico eam involuere inconſequentia, & repugnantia, nam ſuppoſita impoſſibilitate in hominibus, vel Angelis perveniendi ad beatitudinem, nec poteſt amplius in illis ſupponi fides, & conſequenter, nec Theologia, quia cum fides ſit ſubſtantia ſperandarum rerum, & argumentum non apparentium, remotis ſperandis, & non apparentibus, quæ ſunt bona patriæ, removenda eſſet pariter fides, & conſequenter Theologia in eorum opinione, vel doctrina, cum faciant per ſe dependentem ab illa. §. Tum quia cum de ratione creaturæ rationalis ſit eſſe capacem gratiæ, & gloriæ, quatenus per intellectum, & voluntatem capax eſt videre, & amare Deum, ut potè facta ad ejus imaginem, & ſimilitudinem, ut etiam inſinuat D.Tho. 1.2. q. 175. art. 1. ad 2.; (nam in hoc ſpecialiter conſiſtit hujuſmodi imago, & ſimilitudo, quã ratione etiam Deus ſpecialiter habitat in illa ratione gratiæ ſanctificantis tanquam in templo ſuo, ſicut cognitus, & amatus, ut docet idem D. Tho. p. p. q. 43. art. 3.) ſuppoſita eadem impoſſibilitate, impoſſibiles etiam eſſent homines, & Angeli ſicut modo ſunt, undè non tantum non erit amplius ſubalternatio, ſed nec etiam Theologia, nec alia ſcientia, imò nec earnm ſubjectum, &c.

Ad confirmationem M. Ferre hìc inſolutione ad ſecundam confirmationem, reſpondet ſatis eſſe, quòd ſubalternans influat pro ſtatu conjunctionis, ſivè in quo ſubalternata habet ſtatum perfectum ſcientiæ, & non eſſe neceſſarium, quòd influat pro omni ſtatu, undè etiam colligit hanc dependentiam per ſe à ſuperiori beata, quia cum effectus præter cauſam per accidens teneatur habere cauſam per ſe, & modo Theologia, non cauſetur per ſe à fide, ſed tantum per accidens, & ex con-

conditione addiſcentis illam in ſtatu imperfecto viatoris, tenemur ei præter fidem aſſignare cauſam, à qua per ſe dependeat, ſcil. ſcientiam beatam, quæ licet effectivè non influat in illam, influet tamen pro ſtatu Patriæ; & etiam nunc (ſubdit idem) influit terminativè, quia Theologia noſtra adhuc dum eſt in ſtatu noſtro, exigit perfici à ſcientia beata ſuo tempore, ſicut & centrum influit terminativè in grave, adhuc dum eſt extrà centrum, quia eſt terminus innatæ ejus inclinationis, &c.

Sed contrà hanc ſolutionem videtur militare, quod ibidem innuimus urgendo eandem replicam, quia in ea linea, in qua eſt dependentia unius ab alio, eſt neceſſarius, ut dictũ eſt; aliquis actualis influxus ſuperioris, ad inferius, ergo ſi modò ſuperior ſcientia non influit in noſtram Theologiam, ſed ſolum eſt influxura, & ſolum purè terminativè, qui etiam actualis non eſt, non erit modo dependens, nec illi ſubalternata, &c.

Reſp. nihilominus ſuſtinendo, & ſimul explicãdo eandẽ ſolutionem; diſt. ant. ex dictis; modò non influit formaliter, ſive ratione ſui immediatè conc. ſuppletivè ratione fidei nego; hæc enim ut dictũ eſt, eſt veluti vicaria luminis gloriæ, undè gerit vices illius, quaſi deferendo principia ſuperioris ſcientiæ in abſentia ejus, ad quod etiam tendit præcedens ſolutio, dum ait fidem eſſe cauſam per accidens; ſcientiam verò beatam, cauſam per ſe, & ut terminum ſuæ exigentiæ, vel quietis, ſicut centrum reſpectu lapidis. Præterquamquòd non eſt æqualis dependentia unius creaturæ ab alia ſicut à Deo, ut requiratur æqualis influxus, vel formalis, nam ſæpè nos operamur, vel conſequimur effectum per virtualem tantum, ſivè relictum in virtute etiam poſt interitum cauſæ, & conſequenter etiam per ſolam immediationem virtutis, non ſuppoſiti, quòd non contingit in Deo, ut alibi inſinuamus in materia de gratia, & explicatur etiam infrà, &c. Tum quià ex eo ſola receptio virtutis ab initio, & ſucceſſiva conſervatio ejus inſufficiens eſt ad ſalvandã præfatam dependentiã cauſæ ſecundæ ad primam, quia ut oſtendimus de cælo, & mundo, & ibidem de gratia, id totum convenit cuilibet cauſæ creatæ, ſive agenti, ſive non agenti, undè non eſt ſufficiens ad faciendam præciſam dependentiam in linea operativa contrapoſitivè ad lineam eſſendi, cæterum hoc, quod eſt procedere per accidens ex fide, & per ſe ex notis lumine ſuperioris ſcientiæ, exigendo evidentiam, & continuationem cum illa, non eſt aliquid conveniens habitui, ſivè ſcientia ſit, ſive non, ſed determinatè habitui ſcientifico, undè rectè poteſt ſalvare dependentiam ejus ab alio ſuperiori. Per quod patet ad hanc poſteriorem replicam, &c.

3. Arguitur ad probandum, quòd non ſit ſaltem ſubalternata ſcientiæ Dei. Nam ſcientia ſubalternata petit continuari, ut nos aſſerimus, cum ſuperiori in eodem ſubjecto, in quo eſt, ſed ſcientia Dei, & noſtra nequeunt eſſe in eodem ſubjecto; cum non poſſit illa Dei eſſe in nobis, nec noſtra in Deo, ut patet, ergo non eſt illi ſubalternata, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Ad veram ſubalternationẽ requiritur, quod inferior poſſit continuari cum ſuperiori, ſed continuatio fieri nequit niſi in eodem ſubjecto, ut patet, ergo cum ſcientia Dei, & noſtra in eodem ſubjecto eſſe non poſſint, non poterit una alteri ſubalternari, &c.

Huic argumento M. Ferre videtur nutanter reſpondere: & ob eundem defectum continuationis, & identitatis ſubjecti conſentit non ſubalternari propriè ſcientiæ Dei, benè verò ſcientiæ beatorum, undè quando D. Tho. utrumque affirmat, credit ipſe, quòd nomine ſcientiæ Dei, non intelligat ſcientiam, quam Deus habet de ſe ipſo per ſe ipſum, ſed ſcientiam beatam, quę eſt, & Dei objectivè, & beatorum ſubjectivè, primum, quia beati per illã ſcientiã ſciunt more, & modo divino, dum per ipſum Deum eorum intellectibus unitum per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ ipſum Deũ, & alia in Deo vident; ſecundum, quia beatorum ſubjectivè talis ſcientia eſt, ideſt in beatis ſubjectatur tanquam in ſcientibus per ipſam, &c.

Cæterum hæc ſolutio licet ſubtilis, diſplicet tamen aliquomodo in eo, quòd diminuit, aut removet proprium conceptum ſubalternationis reſpectu ſcientiæ Dei. Quia ſalva dependentia ex parte manifeſtationis principiorum optimè videtur poſſe ſalvari cum diſtributione accommoda propriam rationem ſubalternationis etiam reſpectu ſcientiæ Dei; nam ſicut ſalvatur inter utramque ſupernaturalem creatam, omiſſis ob infinitatem ſubjecti aliis conditionibus, quæ deſiderantur in inferioribus naturalibus, ſola ſubſiſtente dependentia ex parte principiorum, ut explicatum eſt, ità pariter ſtante eadem dependentia ex parte eorum, prout etiam manifeſtantur ibi per lumen divinum objectivè unitum ſalvari poterit reſpectu ſuperioris increatæ, cum hac ſola continuatione, vel unione formali, aut objectiva, ſine materiali, vel inhæſiva, aut ſubjectiva; & ratio etiam videtur ea eſſe, quia in tantum reſpectu luminis ſuperioris creati, ſive ſit naturale, ſive ſupernaturale, requiritur hujuſmodi continuatio ſubjectiva ad ſalvandam veram rationem ſubalternationis, quia eo ipſo, quod creatum eſt, & conſequenter finitum nequit ingredi per illapſum limites alterius ſubjecti ad dandam præfatam manifeſtationem principiorum, ſicut ingreditur, & unitur lumen divinum ſe ipſo immediatè, unita divina eſſentia intellectui beatorum ſub utroque munere ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ ad manifeſtanda ibi arcana Divinitatis, ſive myſteria occulta, vel credita in via, &c.

In forma ergo ad idem argumentum diſt. mi. petit continuari cum ſuperiori juxtà conditionem ſuperioris, vel ſecundum diſtributionem accommodam, conc. aliter nego; & diſt. mi. nequeunt continuari continuatione, vel unione inhæſiva, & materiali in eodem ſubjecto, conc. formali, vel objectiva, ut explicatum eſt, nego min. & conſequentiam &c.

4. Arguitur ſola manifeſtatio principiorum, aliis conditionibus omiſſis, non eſt ſufficiens ad ſalvandam propriam rationem ſubalternationis, ergo non erit ex hoc cap. noſtra Theologia ſufficienter ſubalternata ſuperiori beatorum; prob. ant.; tum quia inter ſcientiam, & habitum principiorum non eſt propriè ſubalternatio, ut docent Philoſophi, & tamen lumen principiorum manifeſtat principia, ergo: tum quia ſcientia indita, vel infuſa, quam habent beati, (ut modo ſuppono) præter beatam, & veſpertinam, manifeſtat myſteria noſtræ fidei, & tamen noſtra Theologia non ſubalter-

ternatur illi, ut iterum supponimus, ergo; min. constat quia per illam beati evidenter cognoscunt omnia mysteria fidei, sicut per sui inditam cognoscebat Christus, ergo, &c.

Urgetur hoc (& præoccupatur solutio) licet dicamus per illam non cognosci quiditativè Deum, sed tantum quoad an est juxtà D. Tho. 3. p. q. 11., quiditativè tamen cognoscuntur omnia mysteria fidei, uno excepto Trinitatis, juxtà communem consensum Theologorum ibidem, & consequenter per illam manifestantur principia nostræ Theologiæ, ergo si hæc nihilominus non subordinatur eidem, jam non erit sufficiens eorum manifestatio, &c.

Ad hoc poterat primò ex dictis negari suppositum antec., quia aliquomodo etiam servantur aliæ conditiones, ut dictum est; sed deindè nego ant.; quià per hanc manifestationem habetur dependentia, ut probavimus in prædicato per se conducente, aut spectante ad lineam scientiæ, Ad primam probat. præter ea, quæ traduntur à Philosophis, ex dictis iterum dist. min. manifestat influxu scientifico, vel illativo quantum est ex se, nego; sistendo in illis præcisè, vel immediatè, & absolute per simplicem intuitum conc. idem namque lumen; ut vidimus; cum postulet ex sui ratione formali attingere principia sine omni medio tam ex parte cognoscentis, quam objecti cogniti, non manifestat quantum est ex se ut causas, & rationes conclusionum saltem objectivè, & ideò licet illa videat, non tamen ad manifestandum illa formaliter, ut principia, sive manifestatione scientifica, vel illativa, & ideò formaliter non est depēdentia ab illo intrà forum scientificum, sicut à superiori scientifico, undè etiam, ut insinuavimus; quamvis nostra Theologia subalternetur superiori lumini beatifico, quod simul dicitur habere rationem luminis principiorum, & scientiæ, non tamen subalternatur illi sub priori munere, sed tantum sub posteriori, ut sic salvetur subordinatio, vel dependentia intrà forum scientificum, &c.

Ad secundam dist. min. manifestat mysteria omnia, nego, quæ spectant ad humanitatem conc., quia cum sit lumen inferius ad lumen gloriæ, nequit facere evidentiam omnium principiorum, ex quibus procedit nostra Theologia, sicut facit idem lumen scientiæ beatæ, & ideò huic tantum propriè subalternatur, quidquid sit, quòd inadæquatè, vel secundum quid dici possit eidem subalternari, quod admittit M. Ferre, &c.

Sed instas. Si superior teneretur facere evidentiam omnium probando omnes conclusiones subalternatæ, hæc magis compararetur, ut pars respectu totius, quam verè subalternata, aut specie distincta cum vera subordinatione inferioris ad superiorem, ergo vel ex defectu evidentiæ omnium non est ei deneganda subalternatio respectu etiam inditę, vel erit pariter deneganda respectu beatæ; ant. constat, quia superior ageret de omnibus, de quibus ageret inferior, & hæc solum de aliquibus, ergo, &c.

Respondetur ex dictis dist. min. si faceret evidentiam omnium sub eadem ratione formali nego, sub universaliori, & minus limitata, conc. sicut enim habet universaliorem, & distinctam ab illa inditæ, ità pariter ab illa nostræ Theologiæ, ut sufficienter distingui possit ab utraque, ut insinuavimus; quidquid sit, quòd ex parte objecti cogniti se extendat ad omnia, ad quæ se extendit nostra Theologia; hoc enim non tollit rationem subalternantis à subalternante supernaturali, & illimitata ex parte objecti, ut in casu, sed solum à naturali, & limitata ex parte illius, quia in tantum potest superior limitari, & contrahi ex parte objecti, in quantum potest fieri additio differentiæ, vel conditionis ità extraneæ, ut resultent novæ proprietates de subjecto utriusque scientiæ demonstrabiles; respectu autem scientiæ beatæ impossibilis est hujusmodi additio ex parte objecti; nam licet ad illud addatur conditio revelationis, ut dictum est, non tamen sufficienter ad radicandum nova attributa de illo, sivè de Deo utriusque objecto demonstrabilia, &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contrà secundam.

PRimò Arguitur ex illo primæ ad Corinthios 13. *Charitas numq. excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*; ubi contrapositivè ad charitatem dicit hæc alia dona non remansura in Patria, assignans rationem, quia adveniente perfecto cessat imperfectum, sicut adveniente statu virili, vel perfecto hominis cessat pueritia, & omne spectans ad illam, &c.

Dices id esse intelligendum de scientia non quātum ad substantiam, sed quantum ad imperfectum modum operandi ratione status viæ, scil. cum inevidentia, vel obscuritate, vel secundum conversionem ad phantasmata, ut explicat ibidem D. Tho. lect. 3. &c.

Sed contrà hoc est. Nam si solum intelligeretur quoad imperfectionem status, non videretur sufficienter salvari discrimen inter charitatem, & scientiam, vel alia hujusmodi dona, quam statuit Apostolus, ergo; prob. ant., quia etiam charitas in statu viæ est imperfecta comparativè ad statum Patriæ, ergo si quia cessat imperfectio status, dicitur cessare, vel destrui scientia, pariter dicetur cessare, vel destrui Charitas, cessante ejus imperfectione quoad statum, quod tamen negat Apostolus, &c.

Urgetur hoc. Sicut ibidem dicitur cessare scientiam, ità pariter linguas, & prophetiam, sed hæc dona cessabunt non solum quoad modum, sed etiā quoad substantiam, ergo pariter quoad substantiā cessabit scientia; mi. sumitur ex D. Tho. ibidem, de prophetia quidem *§. deindè*, ubi propter duo explicat excludi à Patria, tum quia prophetia respicit futurum, ibi autem non expectatur aliquid in futurum, sed est finale complementum omnium eorum, quæ antea fuerant prophetata; tum quia prophetia est cum figurali cognitione, & enigmatica, quæ cessabit in Patria: de linguis verò. *§. secundò*, ubi asserit non esse intelligendum nec de linguis materialiter quoad membrum, quia mortui resurgent incorrupti, ideft absque diminutione membrorum, nec etiam quoad earum usum, quia adhuc in Patria erit laus vocalis, psal. 49. *Exaltationes*

tiones Dei in gutture eorum, ut glosa ibidem exponit; *Est ergo intelligendum*, inquit, *quantum ad donum linguarum, quo scil. aliqui in primitiva Ecclesia linguis variis loquebantur*, *ut dicitur act.* 2.

Respond. benè ibi: quam iterum solutionem tradidit D. Tho. p. 2. q. 67. art. 2. ad 1. ubi ait. *dicendum quòd verbum Apostoli est intelligendum quantum ad id, quod est materiale in scientia, & quantum ad modum intelligendi, quia scil. nec phantasmata remanebunt destructo corpore, neque erit usus scientiæ per conversionem ad phantasmata.* Et sumitur etiam solutio ex contextu Apost. Nam statim subdit: *cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*; idest ratio imperfecti, quam habebat in via, *nam pars*, inquit ibi D. Tho. *habet rationē imperfecti*; Et patet ex similitudine assumpta parvulorum, quorum loquela, & sapientia, adveniente perfecta ætate non destruitur simpliciter, sed qoad imperfectionem, &c.

Ad rationem verò, quæ subditur in argumento ex Apostolo respondetur, cum D. Tho. pp. q. 58. art. 7. ad 3. ubi ait, *quod veniente perfecto evacuatur imperfectum, quod scil. ei opponitur, sicut fides, quæ est eorum, quæ non videntur, evacuatur visione veniente.* Constat autem ex dictis, & tradit D. Tho. q. 67. relata ex p. 2. art. 3. ad. 1. scientiam non opponere visioni, imò magis inclinari, vel exigere claritatem ejus, undè, non est necessarium, quòd cesset, sed magis perficiatur adveniente perfectione Patriæ; sicut quia imperfectio cognitionis vespertinæ non opponitur perfectioni cognitionis matutinæ, utraque cognitio stat simul in beatis, ut docet D. Tho. loco proximè relato ex 1. p. & eadem ratione dicitur etiam fuisse in Christo utramque prophetiam, scil. intellectualem, & imaginariam, quia hæc non opponitur priori, licet intellectualis perfectior sit, & postulet sublimius, & perfectius lumen propheticum. De quo D. Tho. 22. q. 174. art. 2. & 3. p. q. 7. art. 8. ad primum, & p. secundæ quæst. & art. 3. relatis, &c.

Ad replicam, quæ est etiam D. Tho. ibidem in expositione textus; respondetur ex eodem, quòd sicut imperfectio quandoque est de ratione eius, & pertinet ad speciem ejus, ut dictum est de defectu rationis respectu bovis, &c. & explicat D. Tho. art. illo 3. ex p. 2. quandoque verò non, ut idem defectus rationis respectu hominis dormientis; ità quandoque est de ratione ejus, non quidem secundùm rationem specificam, sed accidentalem, vel ratione status; quandoque verò non, & ità contingere, ait D. Tho. respectu scientiæ, & charitatis dicens; *Imperfectio est ergo de ratione scientiæ prout hic de Deo habetur, in quantum scil. cognoscitur ex sensibilibus; non est autem de ratione Charitatis, ad quam cognitum bonum diligere pertinet, & ideò superveniente perfectione gloriæ cessat scientia, charitas autem non cessat, sed magis perficitur, quia quanto perfectius cognoscetur Deus, tanto etiā perfectiùs amabitur.*

In quibus egregiè explicat utriusque discrimen, quod quia de ratione scientiæ positæ in tali statu est imperfectio cognoscendi superiora, vel spiritualia ex sensibilibus, quoad hunc modum cessare dicitur adveniente statu perfecto cognoscendi illa per immediatam cognitionem, vel claram visionem, ut paulò ante explicat eodem exemplo Apostoli dicens. *Sicut imperfectio est de ratione pueri, non autem de ratione hominis, & ideò adveniente perfecta ætate cessat quidem pueritia, sed humanitas fit perfecta*: (ubi etiam eleganter rem nostram declarat exprimit, quomodò scil. cesset, & quomodò non cesset, sed perficiatur; primum nempè, quoad statum sui imperfectum, posterius verò quoad sibi propria, vel secundum se); cæterum charitas ad hoc præcisè tendit, quod est bonum cognitum diligere, hoc autem nunquam cessat, sed magis perficitur, quò bonum dilectum perfectiùs cognoscitur, & ideò Charitas non habet imperfectionem, secundum quam cessare dicatur, non solum contrapositivè ad fidem, ut habet scientia, sed etiam contrapositivè ad scientiam, &c.

Ad instantiam ergo in forma, nego ant. ad probatur dist. est imperfecta veluti negativè, in quantum non habet perfectionem Patriæ conc. positivè, quia importet imperfectionem, qua spoliari debeat adveniente statu perfecto, sicut importat scientia nego, &c.

Ad confirmat. dist. min. non manent ob repugnātiam, quam habeant cum beatitudine, nego; dicuntur enim fuisse in Christo, qui simul erat beatus; ob repugnātiam cum statu beatorum transeat, vel conc. similiter anim discurrit D. Tho. præcipuè de dono prophetiæ eadem lect. 3. sicut de illo scientiæ, quantum ad ejus imperfectionem dicens, *Et similiter de ratione prophetiæ* (scil. est imperfectio) *in quantum est cognitio figuralis, & in futurum tendens.* Et suprà ibidem §. *secundò quantum*, de altero dono linguarum explicat cessare ob defectum necessitatis dicens; *In futura gloria, quilibet quamlibet linguam intelliget; undè non erit necessarium variis linguis loqui.* Et rationem subdit, quia sicut *à primordio generis humani, ut dicitur Genes.* 11. *unus erat sermo, & unum labium omnibus, multò magis erit in ultimo statu, in quo erit unitas consumata.* Undè magis dicuntur repugnare statui beatorum, quam beatitudini, prophetia quidem, quia beatis est debita cognitio clara omnium pertinentium ad eos, & ideò nulla veritas ast procul ab eorum notitia, de quo possit unus instrui ab alio, ut exigitur ad prophetiam, quæ petit veritatem revelatam, esse procul à notitia hominum, quibus propheta communicat in hoc statu; & hoc etiā aliquomodò militat de dono linguarum, quod etiam deservit ad instructionem veritatis ignotæ; tum quia earum diversitas, aut varietas locutionis, non ità componitur, ut innuit D. Tho. cum unitate consumata illius status. Neutrum tamen dicitur absolutè pugnate cum beatitudine, cum non importent formalem rationem illi repugnantem, ut patet in scientia omnium linguarum, vel notitia vocum, ubi nulla importatur obscuritas eidem repugnās; tum etiam in lumine prophetico, quod licet regulariter in viatoribus importet obscuritatem, non tamen secundùm se, nam secundùm se, nec claritatem, nec obscuritatem, dicit, sed ut docet Caiet. 22. q. 173. art. 4. tantum tribuit evidentiam quod res reveletur à Deo, & quia sunt veræ, undè licet non tribuat evidentiam Dei revelantis, nec evidentiā propter quid rerum revelatarum non tamen exigit in subjecto privationem claræ visionis Dei, nec evidentiæ propter quid rerū revelatarum, sicut eam exigit fides, & ideò non importat obscuritatem ex

parte

parte subjecti sicut fides, sed ut plurimum ex parte medii, undè sicut stat eandem veritatem cognosci ab eodem intellectu per medium demonstrativum, & simul per medium probabile, ità pariter quod eadem res cognoscatur ab eodem per lumen propheticum, & simul clarè per lumen gloriæ; & hoc modo intelligendus est D. Tho. dum 22. q. 174. art. 2. ad 3. ait, Prophetiam importare quandam obscuritatem, & remotionam ab intelligibili veritate; scil. ex parta medii, non subjecti. Sed hæc obiter dicta sint, & ut satis etiam explanant presantem, & alias hujusmodi difficultates de compossibilitate, vel incompossibilitate habituum, vel actuum, &c.

2. Arguitur argumento iam in superioribus insinuato, sad iterum producitur ob nnam, vel alteram paritatem. Theologia nostra babet obscuritatem omninò à seipsa inseparabilem, ergo stare nequit cum visione baata; prob. ant. quia causatur ex per se obscuris, scil. ex præmissis fidei, ut per se obscuræ sunt, ergo est impræscindibiliter obscura; prob. ant. præmissæ per se obscuræ nequeunt influere nisi ut per se obscuræ, sed præmissæ fidei sunt per se obscuræ, aliàs fidei non essent, ergo ut per se tales influunt in illam; prob. min. præmissa per se evideos nequit non influera, nt evidens, & similiter causa vitalis per se naturalis, neqnit non influere, ut naturalis, ut nos contendimus contrà partiales influxus poteotiarum vitalium naturalium ad actus supernaturales, de qnibus infrà, & sic de aliis, &c. ergo nec præmissa per se obscura potest non influere, ut per se talis, &c.

Explicatur & Urgetur hoc præoccupando solotionem. Nam licat diceremus præmissas fidei, vel earnm assaosum essa causam remotam nihilominus etiam influxus proximns, à quo per se prodncitur, scil. affeosus conclusionis est per se obscurus, qua ratione negant plures Thomistæ Jo. à S. Tho. & alii posse unquam fieri evidentem transeu odo de obscuritate ad claritatem, ergo non poterit Theologia non esse habitns per se obscurus, & incompossibilis cum visione, &c.

Ad hoc patet ex dictis esse solvendum à contrariis in eadem posteriori instantia de potentia vitali per se naturali, qnam contendunt nihilominus posse præcisivè influere nt vitalem, & non ut naturalem. Tum etiam in actu ejusdem poteotiæ, scil. visione, qnæ licet sit intnitiva, & quiditativa attingentia objecti ut in se est, adhuc nihilominus assernnt posse esse præcisivam à prædicatis illi convenientibus ut in se est, sive quiditativis, & summè inter se identificatis, & sub eodem lnmine visibilibus, ubi tamen est manifesta contradictio, ut infrà ostendimns, & sic de aliis similibus, &c.

Sed pro omnibus respondetur negando ant. ad prob. nego min. ad ntramque ejus probationem, vel instantiam magister Ferre hic ad primam negat conseqnentiam, & assignat discrimen, qnià in illis ex eadem veluti radice sumitur utrumque; nam in præmissa evidenti certitudo sumitnr ex ipsa evidentia, & in causa vitali naturali, vitalitas, & naturalitas oritor ex eadem indivisibili forma, undè præmissa evidens nequit concurrere nt certa, nisi quia concurrit ut evidens, & similiter causa vitalis influere nequit, ut vitalis non influens nt naturalis; cæterum fides, vel præmissa ejus non habet certitudinem ax ipsa obscuritate; sed aliundè, scil. ex revelatione divina, obscuritatem verò ex re non visa, undè quoad primum nititur diviuę revelationi, & specificatur ab illa, quoad secundum varò nititur rei non visæ, & specificatur à non visis, &c.

Sed hæc solutio licet subtilis, videtur tamen difficilis; primò quia licet divina revelatio secundum se non importet præcisè obscuritatem, vel claritatem, ut tamen applicata rebus fidei, vel prout est formalis ratio ejus, videtur per se Importare obscuritatem; sicut etiam vitalitas licet secundum se, non præcisè importet naturalitatem, vel supernatnralitatem, ut tamen applicata visioni beatæ, vel hujusmodi actibus supernaturalibus, est per se supernaturalis, nt contendimus infrà de visione; undè licet io solutione ad instantiam §. ad hoc, repugnet hanc illi obscuritatem concedere, suprà tamen §. 6. in solutiona ad 2. n. 48. admittit illam dicens, quod licet revelatio divina, prout est ratio credendi credibilia, per se sit obscura, ut tamen ex illa per veram causalitatem deducuntur conclusiones, per se obscura non est, nisi fortè velit, sicut dicit hic, quòd est tantum obscura negativè, quatenus ex se non facit evidentiam; sad tunc non videretur sufficienter distinguere à revelatione divina virtuali, prout ponitur formalis ratio Theologiæ, cum hæc pariter hic non tribuat evidentiam ergo non poterit sic præcisivè influere, nec ex diverso capite ei cartitudo, & obscuritas convenire, &c.

2. Quia lnmen fidei est participatio divini lnminis, ut obscurè communicati, sicut lumen gloriæ est participatio illius, ut clarè manifestaotis se ipsnm, ergo sicut divina revelatio respectn istius est per se clara, respectu fidei videtur esse per se obscura, ergo sicut hac ratione nequit lumen influere nisi iofluat, ut evidens, nec poterit influere fides non influens ut obscura, &c.

3. Ex eo suprà ibidem recedit à modo dicendi aliquorum Thomistarum Caietani, & aliorum, quòd nempè Theologia nostra in nullo statu sit per se evidens, sed abstrahat ab obscuritate, & evidentia, quia noo procedit ex eo præcisè quòd Deus revelat, ut alii dicunt, sad quia clarè revelat, sicut sit in scieotia beatorum sumpto fundamento ex D. Tho. hic art. 2. quia scil. procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, & consequenter nequit præscindare ab evidentia, sed magis exigere illam, ergo si velimus fidem esse per se obscuram, non videtnr, qnod ejus ratio formalis velnti præcisivè, ant negativè tantum sit obscura, ità ut ab illa sumatur certitudo, & à rebus non visis obscuritas, ut salvetur eam possa influere, ut certam, & non ut obscuram, &c.

4. Quia objectum fidei, nt potè Deus importans lumen per essentiam, de se non est obscurum licet infinitè excedans lumeo nostrnm, ergo in tantum fidei correspondet, ut obscurum, in quantum juxtà meritum naturæ ejus obscurè revelator, ergo ex eodem capite videtur utrumque prædicatum convenire; nndè sicut in exemplis allatis non admittitnr influxus præcisivus, nec videbitur posse admitti in fide, vel ejus præmissis respectu Theologiæ.

Relicta eadem solutione in sua probabilitate, aliter respondetur juxtà doctrinam sepè alibi traditam

dictam negaodo consequentiam, & ad priorem quidem instantiam dicimus esse discrimen, quòd respectu præmissæ per se evidentis est in effecto, sivè scientia, capacitas utriusque prædicati, scil. certitudinis, & evidentiæ, non tamen respectu præmissæ per se obscuræ, undè non ex eo præcisè, quòd causa, per se habet plura prædicata, sive ex eodem capite habeat, sive ex diversis; tenetur semper adæquato influxu concurrere, sed juxtà capacitatem subjecti, ut patet à fortiori in causa formali, quæ videtur minus præcisiva, quam efficiens, cum effectus formalis formæ sit forma ipsa communicata, & tamen non semper communicatur adæquatè, dando omnem sui effectum formalem, ut præcipuè ostendimus 3. p. ad q. 7. de gratia Christi, tum in personalitate Verbi, si fuisset unita naturæ irrationali; tunc enim non faceret personam, sed tantum suppositum juxtà conditionem ejusdem naturæ: tum in eadem gratia habituali Christi, quæ licet dicatur per se facere filium adoptivum, in Christo tamen non præstat hanc filiationem ex incapacitate subjecti, quia non est ibi persona extranea, sed filiatio naturalis, & sic de aliis, de quibus ibidem; undè licet ità sit, qond sicut non stat formam communicari subjecto non dando ai aliquem effectum formalem si plures habeat, non tamen tenetur dare omnem, sed juxtà ejus capacitatem, ità non stabit principium effectivum habens plura prædicata, semel influere in effectum, & non influere secundum aliquod eorum, non tamen secundùm omnia, sed tantum juxtà ejus capacitatem, constat autem Theologiam (& sic proportionabiliter de aliis habitibus scientificis) ut potè procedentem ex principiis notis lumine superioris scientiæ, non esse capacem influxus principii per se concurrentis ut obscuri, sed tantum, ut certi, vel evidentis, & ideò non posse præmissam per se obscuram dare illi obscuritatem, ut potè habenti prædicatum huic oppositum, scil. evidentiam exactam; eo vel maximè, quòd ut dictum est, fides modo non influit in illam quasi ex propriis, sed ut vicaria luminis gloriæ, &c.

Ad secundam similiter respondetur, quod ex incapacite subjecti, vel effectus provenit ex opposito, quòd non possit causa vitalis naturalis præcisivè influere ut vitalis, & non ut naturalis, quia cum actus vitalis sit determinatè de ordine naturæ, vel gratiæ (non enim producitur secundum vitalitatem abstrahentem à naturali, & supernaturali) petit determinatè alteram vitalitatem, ità ut impossibile sit unum produci secundum vitalitatem alterius, vel abstrahentem; aliàs esset, & non esset sui ordinis, vel idealiter magis productus, quam in singulari, quod implicat, & ideò impossibile pariter est, quòd eadem causa concurrat, ut vitalis & non ut naturalis, ex quo rectè etiam infertur implicare omninò, quòd intellectus ex propriis (& idem est de voluntate in ordine ad suos actus supernaturales) habeat partiales vires ad visionem, vel ad aliū actū supernaturalē sub ratione vitalis, & non sub ratione supernaturalis, est enim de subjecto non supponente, quòd actus adæquatè supernaturalis sit capax talis influxus secundum præcisam vitalitatem, vel naturalem, qualis est illa intellectus (si semel actus adæquatè supernaturalis est, ut modò supponimus etiam in opposità sententia) vel præscindentem ab utraque, quæ tamen in re, vel in lineà productionis est fictitia, & magis idealis, ut dictum est; sicut substantia à parte rei, quæ nec esset corporea, nec spiritualis; cæterum habitus scientiæ præcipuè subalternatæ, ut in casu, non petit determinatè produci cum actuali evidentia, vel obscuritate, sed cum sola actuali certitudine, & exigentia evidentiæ, vel præcisione ab utraque, & permissione utriusque pro diversitate status juxtà alterum modum dicendi, & ideò non exigit, ut causa per se obscura influat ut obscura, sed solum ut certa, & maximè, ut dictum est, si sit causa gerens vicem alterius, &c.

Ad Confirmationem, quæ videtur difficilior, aliis admittentibus assensum Theologicum esse per se obscurum, & ideò non posse eundem numero perseverare, & transire ad claritatem; aliis verò non, assignato discrimine à primis inter habitum, & actum, quod actus ut potè magis limitatus, ità elicitur modificatus cum talibus circumstantiis, ut si altera deficiat, pariter deficiet ejus individuatio, & ideò rectè posse habitum spoliari obscuritate, & induere claritatem, non verò actum, &c.

Cæterum hi Authores difficiliùs occurrent eidē confirmationi, sustinendo quòd habitus genitus per se obscurus non sit, si semel assensus immediatè productivus illius per se obscurus est. Præterquamquòd nec est alienum, quod non solum habitus, sed etiam actus spoliari possit aliquibus circūstantiis, vel modis, quando non sunt illi essentiales, nec pertinent ad substantialem ejus individuationem, ut benè instat M. Ferre §. 6. relato in fine, in actu Charitatis B. Virginis perseverante eodem numero in Patria, qui erat in via, cum transitu de libero in necessarium; & in eadem numero propositione transeunte de vera io falsam, & de eodem numero actu similiter transeunte de solum libero iodeliberatum, ergo idem pariter numero assensus theologicus transire poterit de obscuro in evidentem, si inferatur ex principiis visis ab inferente, qui modo infertur ex obscuris, cū revera obscuritas illi tantom conveniat accidentaliter ratione status, vel negativè, quatenus oō videt, & nullatenus causetur ex obscuris, ut per se obscuris, sed ut certa sunt, ut patet ex dictis, &c.

Standu ergo io hoc posteriori modo, quem tenent M. Bannez hic dub. 3. ad 4. & M. Ferre ad 3. & existimo satis conformem superiori doctrinæ D. Tho. nego ant., quia cum Theologia, ut toties dictum est; procedat ex notis superiori lumine, nequit intrà propriam lineam admittere assensum sibi oppositum, vel per se obscurum. Nec refert, quòd inferatur ex per se obscuris, quia ex sui incapacitate, ut dictū est; non infertur ex illis ut per se obscuris, sed tantum ut certis, quo pacto etiam gerunt vices scientiæ beatæ; & non ratione obscuritatis, undè qüod idem numero actos, vel assensus theologicus non fiat de facto clarus, non oritur ex aliqua sui repugnantia ad claritatem, sed quia in morte hujusmodi actus interrumpuntur; fierent autem, si contingeret per miraculum non interrumpi, inquit M. Ferre, &c.

Sed instas. Quia isti actus modo in via sunt per modum notitiæ abstractivæ de Deo, cum saltem de facto sint inevidentes, ergo implicat, quod possint aliquandò fieri evidentes, vel clari, aut se habere in Patria per modum notitiæ intuitivæ, quod est habere

bere intrinsecam repugnantiam ad claritatem, prob. consequentia, quia in bona metaphysica eadem numero notitia abstractiva nequit fieri intuitiva respectu ejusdem objecti, &c.

2. Quia negari saltem non potest probabilitas prioris modi dicendi, ut potè Jo. à S. Tho. & aliorũ Thomistarum, ergo illo admisso sustineri non poterit prædicta permanentia nostræ Theologiæ in Patria, saltem juxtà probabilem modum dicendi inter Thomistas; prob. consequentia, quia eodem admisso non potest habitus nostræ Theologiæ non esse per se obscurus, oam tenemur tunc asserere, quòd causetur per se ex per se obscuris, qood patet ex eo, quia hic habitus noo causatur immediatè ex assensibus præmissarum de fide, sed ex assensibus conclusionum causatis ex præmissis de fide, ergo si ponatur hujusmodi assensus cooclusionum esse per se obscuros, non poterit habitus Theologiæ causatus ex illis, noo causari per se ex per se obscuris, quod est esse per se obscurum, & incompossibilem cum visione, &c.

Explicatur hoc. Nam quia assensus conclusionis causatur immediate ex præmissis de fide per se obscuris causatur per se ex per se obscuris, & consequenter est per se obscuros, & incompossibilis cum visione, ut suppono juxtà modum illum, ergo pariter quia habitus Theologiæ immediate causatur ex assensu conclusionis per se obscuro, habebit causari per se ex per se obscuris, & consequenter erit per se obscurus, & incompossibilis cũ eadem visione, &c.

Ad primam dist. aot. se habent per modum notitiæ abstractivæ ratione sui intransitivè nego, per aliud, vel ratione subjecti modo non videntis, modo videntis principia concedo, & eodem modo dist. consequens; implicat se habere per modum intuitivæ, quasi ratione sui intransitivè concedo consequentiam, per aliud ratione subjecti videntis nego; si ergo perseveraret idem numero actus scientiæ in Patria; transiret quidem à statu notitiæ abstrativæ, vel fidei ad statum visionis, non quia idem indivisibilis actus, qui prius fuisset notitia abstractiva, fieret intuitiva; hoc enim est, quod judicant impossibile metaphysici, sed quia transeunte subjecto ad statum evidentiæ, cujus idem actus est capax, ut potè de foro scientifico; resolvitur in principia visa, qui modo dependet à creditis; sicut in simili proportionabiliter dicimus de peccato veniali, quod potest fieri mortale, non quia idem indivisibilis actus, qui est peccatum veniale fieri possit peccatum mortale, sed quia subjecto intendente finem, aut peccatum mortale, dum committit veniale, tunc istud resolvitur, ut sic dicamus; in finem mortalem, cum ante ordinem ad eundem finem tantum sisteret in mediis, &c.

Ad secundam M. Ferre hic in eadem solutione ad 3. ob rationem ibi adductam existimat modũ illum esse incompossibilem cum hac jam communi sententia, undè omninò illum deserit. §. Cæterom quia, ut dicit instantia, negari non potest ejus probabilitas ob Aothoritatem gravium Thomistarum, adhuc est debitum aliquomodo compooendi, vel respondendi; ut de facto, vel idem M. Ferre ante triginta, & plures annos, ut memini; in ingressu ad Collegium S. Thomæ in urbe, dum contrà me ipsum argueret sustinentem communem sententiam, quod substantia non esset immediatè operativa, & respondentem in via longè probabiliori inter Thomistas ad iostantiam à se productam, obligavit ad respondendum juxtà alium modum minimæ fortè jam probabilitatis inter illos, &c.

Admisso ergo præfato modo dicendi nego consequentiã, ad probationem nego ant. ad prob. annexam, nego sequelam, quòd inferatur causari per se ex per se obscuris; ad ejus iterum annexam probationem, quæ est ejusdem M. Ferre, nego consequentiam, quia si ut dictum est; influxus etiam formalis, qui est immediatè à forma per se ipsam, potest esse præcisivus ex incapacitate subjecti, videtur à fortiori, quòd possit præscindere effectivus, concurrente eodem immediato assensu, ut certo, & non ut per se obscuro ex iocapacitate habitus per se inclinantis ad evidentiam, &c.

Ad explicatiooem, qoæ videtur esse replica contrà hanc solutionem, respondetur similiter dist. ant. quia præcisè causatur immediatè nego, & quia etiam non est repugnantia ex parte assensus causati concedo ant. & nego consequentiam, quia ex parte habitus geniti est repugnantia, ut dictum est, ex eo quod per se procedat ex notis lumine superioris scientiæ. Itaque ad intentum ejusdem modi possumus assignare discrimen inter actum, & habitum præter jam superius iosinuatum, scil. quòd actus est magis limitatus, vel contractus intrinsecè per plures circumstantias, aut modos; nam cum juxtà modum illum prædictus assensus trãsire nequeat ad statum evidentiæ, oec teneatur, ut potè qualitas transiens; sed consumari hìc in statu fidei, non habet prædicatum intriosecum repugnaos obscuritati, scil. inclinationem, vel exigentiam evidentiæ sicut habitus, & ideò si semel causatur immediatè ex per se obscuris, habebit per se causari ex illis, non tameo habitus.

3. Arguitur (& potest esse replica) Habitus Theologiæ modo in via est obscurus, aliàs non esset in statu fidei, ergo est per se talis, & impossibilis in Patria; prob. consequentia, quia habitus intellectuales sicut dividuntur per rationem practici, & speculativi tanquã per differentias esseotiales, ità etiam per rationem clari, & obscuri, ergo sicut semel practicus, vel speculativus est per se talis, pariter semel clarus, vel obscurus erit per se talis, &c.

Urgetur hoc. Quia habet alia etiam prædicata impeditiva status Patriæ, ergo; prob. ant., nam in cõmuni jam sententia à Thomistarũ est acquisitus, & in probabilissima est intrinsecè, & entitativè naturalis, ut etiam patet ex dictis; sed repugnat habitum acquisitum & entitativè naturalem posse scientificè procedere in Patria, ergo; prob. min. quia scientia io Patria infert suas conclosiones ex lumine gloriæ, & visione Dei, ut patet in scientia infusa, quæ admittitur in beatis, & in infusa Christi, quæ ex hoc etiam supernaturales sunt, quia ex eodem lumioe, & visione inferuot illas, sed repugnat scientiam acquisitam, & intrinsecè natural', ex lumine gloriæ, & visione Dei inferre, ut per se patet; ob excessum utriusque luminis, ergo, &c.

Urgetur ulterius. Quia si permansurus esset in Patria non habens per se obscuritatem, à qua impediator, deberet inclinari, vel exigere evidentiam illius status, sed hoc videtur impossibile, si semel est acquisitus, & intrinsecè naturalis, nisi velimus naturam, vel habitum viribus ejus acquisitum per se

se inclinari, vel exigere ea, quæ sunt ordinis gratiæ, & gloriæ, quod est alienum, ergo, &c.

Ad hoc dico in primis, quòd juxtà superiorem, & probabilem modum Gaiet. & aliorum asserentium Theologiam nostram secundum se præscindere à claritate, & obscuritate, sicut dictum est de lumine prophetico; patet non habere vires, & esse de subjecto non supponente, & solum permissivè se habere ad utrumque prædicatum extrà meritū status, in quo reperitur. Juxtà verò alium modum, quem sequimur, satis conformem doctrinæ D. Tho. respondetur dist. ant. est obscurus veluti negativè, in quantum non habet actualem claritatem conc., positivè, vel intrinsecè, quasi obscuritas ei ab intrinseco conveniat nego ant. & consequentiam; ad ejus prob. juxtà priorem modum poterat iterum negari ant., sed dato transeat ad illud, dist. consequens; semel obscurus est per se talis, si sit obscurus positivè, vel intrinsecè conc. si extrinsecè tantum, vel negativè nego; tunc enim licet careat actuali evidentia, adhuc tamen est clarus exigitivè, quatenus per se procedit ut dictū est, ex notis lumine claro superioris scientiæ, undè est contractus per differentiam claritatis, ad quod satis est, quòd exigat illam, licet actu non semper possideat, sed quando est expedita ab impedimentis, ut in simili dicitur de prædicato frigiditatis respectu aquę, quòd licet ab intrinseco ei conveniat, non tamen tenetur semper actu ei convenire, ut patet, quando est calefacta, sed quando est expedita ab impedimentis, undè sicut dum subjicitur igni, veluti extrinsecè admittit in se calorem salva exigentia frigiditatis; ità proportionabiliter nostra Theologia in statu subjectionis ad fidem, veluti extrinsecè patitur obscuritatem, salva exigentia evidentiæ, &c.

Sed instas. Si habitus Theologiæ semel esset intrinsecè clarus, vel contractus per differentiam claritatis, non solum teneretur exigere, sed actu habere illam, ergo si hic actu non habet, non est intrinsecè talis; prob. ant. habitus semel intrinsecè obscurus, vel contractus per oppositam differentiam obscuritatis non solum exigit, sed actu habet illam, ut patet in fide, aliàs eadem facilitate dici poterit posse similiter salvari fidem cum sola exigentia obscuritatis admissâ actuali claritate, sicut per nos salvatur habitus scientiæ cum sola exigentia claritatis admissâ actuali obscuritate, & ità etiam salvari posse fidem in Patria sine actuali obscuritate, sicut salvatur habitus Theologię in via sine actuali claritate, quæ videntur aliena à bona Theologia, ergo, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Quòd semel intrinsecè contrahitur per unam differentiam neque intrinsecè, neque extrinsecè potest admittere prædictum illi oppositum, ut patet in homine, vel in animali in illo, quod quia ibi contrahitur per rationalitatem, nullo modo potest esse, aut denominari irrationalis cum sola exigentia rationalitatis, ergo si habitus Theologiæ esset intrinsecè clarus, vel contractus per differentiam claritatis, nullo modo posset esse obscurus, aut salvari cum sola exigentia claritatis, aliàs iterum videretur posse similiter affirmari de fide, &c.

Huic instantię dico in primis esse solvendam à contrariis in habitu opinionis, quem aliis omissis, ità contendunt posse præscindere ab actuali saltem formidine, ut simul stare possit cum scientiâ de eodem, sivè cum judicio sibi contradictorio de eo, quòd res aliter se habere non possit, & tamen certum est opinionem non importare puram certitudinē, sed certitudinem admixtam formidini, aliàs opinio non esset, sed magis scientia, quam dicunt stare posse sine evidentia, &c.

Pro omnibus, ergo respondetur, vel nego ant., vel distinguo claritatis gratia: non solum tenetur exigere, sed etiam actu habere illam, si sit in statu veluti connaturali, & perfecto concedo; si in imperfecto, ut est viæ in casu, vel absentiæ subalternantis nego: ad prob. transeat ant. & nego, vel dist. eodem modo, & in priori sensu concedo consequētiam, in posteriori negauest ergo in primis discrimen inter fidem, & nostram Theologiam, & sic de aliis subalternatis in absentia subalternantium, quòd fides non expectat intrà propriam lineam alium statum in quo consequatur ultimam sui perfectionem, sed consumatur adæquatè hic in via, cum sit essentialiter de non visis, undè si semel non haberet hìc actualem obscuritatem, numquam posset habere illam, & consequenter, nec exigere; cæterum nostra Theologia perseverante absentia superioris, vel defectu continuationis cū illa, perpetuò manet in statu imperfecto, undè nequit in isto habere omnem sui perfectionem, vel evidentiam, sed tantum exigere, &c.

2. Ex his, & ex superioribus assertur iterum discrimen desumptum ex natura utriusque habitus scientiæ, & fidei, nam cum fides innitatur medio extrinseco, scil. testimonio dicentis, de illius intrinseca ratione est rem attestatam non videre, aliàs non sisteret in pura authoritate ejus; hoc autem non stat sine actuali obscuritate, quidquid sit, quòd possit impediri, aut suspendi actus ejus, si alicui per modum transeuntis concederetur hìc visio Dei, ut dicitur fuisse in via concessam Moysi, & Apostolo Paulo; vel fuisse suspensum, ut in Apostolo Petro, dum dubitavit mergi; cæterum scientia, ut dicebamus, licet teneatur habere actualem certitudinem ex eo, quòd impossibile sit formare judicium de eo, quòd res aliter se habere nō possit, nisi actu certificetur de re judicanda, ut patet; ut tamen sic judicet, vel cognoscat rei causam, esse causam ejus, & aliter se habere non posse, in quo consistit scire; non est necessarium, quod causam videat, vel effectum ex causa, sed quod fide divina, (loquendo de nostra Theologia) adhæreat huic, quod est causam rei existere; & per evidentem cōsequentiam ex tali causa conclusionem inferat, undè paritas fieri poterat respectu prædicati certitudinis ejusdem scientiæ, & tunc poterat retorqueri, cum istud etiam actu conveniat scientiæ, &c.

3. Etiam poterat responderi urgendo primum discrimen, & retorquendo iterum paritatē luminis gloriæ, nam sicut istud quia intrà lineam habitus per se clari, (& sic proportionabiliter de aliis naturalibus subalternantibus) non expectat alium statum perfectiorem, sed est ibi ut in suo connaturali, & perfecto, tenetur actu habere claritatem, & non præcisè exigere illam, ità pariter fides, quia intrà lineam per se obscuri, habet hic, ut dictum est, consumationem sui, tenebitur actu habera obscuritatem, & non præcisè exigere illā, &c.

Ad explicationem respondetur ut suprà ex D. Tho. q. 67. art. 3. dist. ant. non potest recipere prædicatum

dicatum oppositum quasi positivè in se concedo, negativè in quantum impeditur ab exercitio proprii, vel ab habendo illud perfectè nego, nam sicut ibi D. Tho. de eodem homine dicit, quòd illi quandoque accidit defectus rationis, in quantum impeditur in eo rationis usus propter somnum, vel ebrietatem, vel aliquid hujusmodi, & non quasi evadat, aut denominetur irrationalis, ità similiter dicimus de nostra Theologia in via, quòd accidit illi obscuritas, in quantum procedendo sub lumine fidei impeditur in illa claritas notitiæ, quam habitura est in statu perfecto in Patria, & non quasi evadat lumen obscurum, undè libenter admittimus, quòd si semel aliquod intrinsecè convenit rei, nequeat tunc quasi positivè convenire oppositum, qua ratione in tertiò physicorũ, & 3. p. de gratia Christi diximus, non posse dari qualitatem, vel gratiam infinitè intensam, quia illi intrinsecè convenit prædicatum intensibilitatis, à qua licet possit impediri, non tamen admittendo positivè oppositum infinitatis secundùm intensionem, importans non posse amplius intendi, & idem similiter dictum est in logicis de illo communitatis, vel unitatis formalis communis contrà Scotum ex opposito, quòd quia naturæ à parte rei convenit esse contractam, vel appropriatam, & consequenter singularem, nequit illi convenire quantum est ex se, vel intrinsecè prædicatum unitatem, vel communitatem, &c.

Ad primam confirmationẽ argumenti principalis nego ant. ad ejus prob. patet in primis, quòd in nostra sententia, in qua optimè componimus rationem acquisiti cum supernaturalitate in qualitate etiam habituali, vel per modum actus primi, non habet vim, sed sicut indita supernaturalis infert ex lumine gloriæ, & visione, ità inferre poterit supernaturalis acquisita. §. Deindè videtur solvenda ab omnibus ejusdem sententiæ, cum certum sit modo in via inferre ex supernaturali lumine fidei, vel præmissis ejus, &c.

Sed in opposita respondetur adhuc posse componi, quòd salva sui conditione possit sic inferre ex lumine, & visione cum sola supernaturalitate quoad modum, sicut cum sola illa infert, ut dictum est, modo in via ex lumine fidei, & ratio utriusque videtur esse, quia cum per se procedat ex notis lumine superioris scientiæ (quidquid sit an id componatur cum naturalitate ejus quoad substantiam, quod nos suprà negavimus (rectè poterit ut conjũcta superiori, ità perfici, ut ex illo inferat suas cõclusiones, sicut modò infert illas, ut elevata, vel cõjuncta fidei ex lumine ejus cum eadem supernaturalitate quoad modum, sicut in simili dicimus de cogitativa in homine, quod ità perficitur conjuncta in illo parti rationali, ut suo modo discurrere valeat. §. Ad id verò quod subditur de indita Christi, & nostra respondetur, quòd non ex præcisà vi illativa habent esse supernaturales quoad substantiam, sed quia ut dictum est, cum supponere non possit aliquid, per quod intellectus fiat in actu ad acquirendum, ex eo quod visio beata, quam supponunt, ut potè ultimus finis nequeat esse medium ad earum acquisitionem; petunt supernaturaliter infundi, undè etiam dicuntur omnia supernaturalia cognoscere in se ipsis per proprias species per se infusas.

Ad secundam confirmationem stando in eodem modo dicendi, iterum dicimus esse solvendam ab omnibus ejusdem opinionis; cum modo etiam in via inclinetur ad inferendum ex supernaturali lumine fidei, vel præmissis ejus, & præcipuè in opposita sententia contendente esse obscuram ob intimam dependentiam, vel connexionem cum illa. §. Sed pro omnibus eodem modo respondetur; quòd quia procedit ex notis lumine superioris scientiæ, inclinari potest per modum perfectibilis ad idem lumen tanquam ad sui radicem, in qua communicat cum scientia superiori, undè induit supernaturalitatem saltem quoad modum, quod non militat de puro ente naturali in ordine ad alia supernaturalia. §. Præterquam quòd in favorem ejusdem opinionis dici poterat ad hujusmodi confirmationes, quòd sicut scibilia tractari possunt, vel inferri probabiliter, sive per discursum probabilem, ità supernaturalia naturaliter, sive per discursum naturalem, in quo nullum reperitur inconveniens.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum in hæretico sit vera Theologia ejusdem rationis cum nostra.



Upponimus hæreticum non negare omnia credibilia nostræ fidei, nihilominus in illo semel negante, unum respectu nullius amplius manere fidem divinam, undè modo est difficultas, an dum deducit ex præmissis fide humana creditis easdem conclusiones, quas etiam deduceret, si crederet fide divina, verè theologicè discurrat secundum veram Theologiã ejusdem speciei cum nostra; & quidem difficultas extenditur etiam ad theologum fidelem, dum recedit à fide, an similiter deducat discursu verè theologico, retinendo Theologiam, quam prius habebat, &c.

In qua se Vasquez, qui de nostra Theologia negat esse scientiam, & solum ei concedit rationem fidei acquisitæ, vel ad plùs, opinionis, facilè sibi persuasit posse manere in hæretico, ità ut assensus theologicus sive procedat ex creditis fide humana, sive divina semper sit ejusdem rationis; ità tenet hic disp. 1. c. 3. & disp. 7. c. 4. &c.

Magister verò Navarrete licet cum aliis communiter id neget de hæretico, qui nunquam fuit fidelis, affirmat tamen de fideli theologo recedente à fide, ità ut sicut in fideli peccatore non corrũpuntur fides, & spes, amissa gratia, & charitate per peccatum, ità nec corrumpitur in illo Theologia per recessum à fide saltem quoad entitatem, licet non quoad statum perfectum scientiæ, ut similiter dicitur de fide, & spe, &c.

Oppositum tamen contrà Vasquez tenent communi-

munitet Theologi, & contrà Navatrete alii discipuli D. Tho. &c.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

IN hæretico, sive tali ab initio, sive constituto per recessum à fide non manet vera Theologia, nec quoad statum, nec quoad substantiam, vel entitatem, & consequenter, nec ejusdem rationis cum nostra. Existimo quoad utramque partem esse D. Tho., & de priori hæretico non poterit negare Vasquez, qui asserit in illo non habere rationem scientiæ, expressè autem D. Tho. cũ doceat nostrã esse scientiam subalternatam scientiæ Dei, & beatorum, ut potè procedentem ex lumine earum: ex quo etiam infertur, ut constabit, nec posse manere in posteriori. Tum quià 22. q. 1. art. 5. ad secundũ loquens de processu scientifico, ut patet ex littera, inquit, quod ex principiis fidei aliquid probatur apud fideles, ergo sentit ex illis non posse aliquid scientificè inferri extrà fidem. Quod etiam prius docuerat D. Dionisius cap. 2. de divinis nominibus, dicens; *Theologus esse non potest, qui fidelis non est*; & iterum loquens de iis, qui divinis scripturis, vel sacris eloquiis resistit, inquit; *longè omninò erit à nostra Theologia, & curandum non est illius manuductionis ad theologicam scientiam.* Idem docuit Basilius sup. psal. 115., ubi inquit; *Theologiæ mysterium requirit assensum nulla pravia inquisitione nitentem, sed revelationi fidei.*

Ratione prob. universaliter de omni hæretico. Implicat assensum procedentem ex creditis fide fallibili esse ejusdem rationis cum procedente ex creditis fide infallibili, sed hujusmodi sunt assensus Theologi fidelis, & hæretici, ergo implicat esse ejusdem speciei; min. supponitur cum fides hæretici, ut potè humana acquisita sit fallibilis, & illa catholici, ut potè divina, infallibilis; ma. verò prob.; quia implicat esse ejusdem rationis assensum fallibilem, & infallibilem, cum importet judicium contraditorium de eo quod res aliter se habere non possit, & aliter se habere possit; sed prior assensus est fallibilis, & posterior infallibilis, ergo, &c. prob. min. quia assensus conclusionis nequit superare assensum præmissarum, nisi velimus effectum superare suam causam, ergo procedens ex creditis fide fallibili erit fallibilis, & alter procedens ex creditis fide infallibili infallibilis, &c.

Urgetur hoc. Implicat assensum procedentem formaliter ex creditis fide infallibili esse fallibilẽ, ergo pariter implicabit quod procedens formaliter ex creditis fide fallibili sit infallibilis, &c.

Dices id totum manifestè instari in assensu, quo quis acquirit scientiam subalternatam in absentia subalternantis; quem nos Thomistæ contendimus esse verè quoad substantiam scientificum, esto procedat ex creditis fide humana, sicut ergo in his scientiis naturalibus fallibilitas fidei humanæ non obstat infallibilitati assensus conclusionis, ex eo, quod licet fide humana accipiat principia, certò supponit, ac tenet illa, ac si acciperet fide infallibili; ità pariter licet hæreticus credat fide humana, certò tamen tenet, aut credit illa, ac si crederet fide divina, quia reverà certò existimat se credere fide divina, undè sicut uterque assensus scientiæ subalternatæ in præsentia, & absentia subalternantis est ejusdem rationis quoad substantiam, & certitudinẽ, ità pariter uterque assensus in casu sive, in presentia, sive in absentia fidei erit æqualis certitudinis non solum objectivè ex identitate objecti, sed etiam subjectivè, quia ità eisdem creditis adhæret firmiter hæreticus sicut catholicus, &c.

Sed contrà hoc est (& hinc potius sumit vires ratio facta) retorquendo paritatem. Ex eo prior assensus potest esse infallibilis, vel scientificus, quia licet sit ex fide, vel auditu humano, est tamen ex illo, ut innititur anthoritati attestantis scientifici potentis certificare de veritate præmissarum, sed hic auditus non habetur respectu hæretici, ergo ejus assensus est ex fide purè humana, vel fallibili, ant. latè patet, ex superioribus, & ex dictis in lib. poster. & tradit D. Tho. ut vidimus 22. q. 4. art. 8. ad 2., ubi docet auditum posse quandoque incertitudine superare visionem, ob authoritatem, scil. dicentis; min. etiam constat, quia in materia fidei solus auditus à Deo potest infallibilitare, certum est autem, quod hæreticus non audit à Deo, sed magis innititur propriæ aprehensioni, & pertinaciæ, &c.

Nec refert, quod existimet se certò credere, vel fide divina; nã in hoc summoperè decipitur, si velimus esse hæreticum, & magis inniti proprio judicio, quam authoritati divinæ, quam reverà rejicit, cum alterum pro arbitrio admittat, & alterum respuat, cum tamen omnia sint dicta à Deo. §. Tum quia aliud est, quod existimet se certò credere, aliud verò, quòd certò credat; seu cognitione certa adhæreat; hoc posteriùs est falsissimum, cum fide purè humana, & fallibili, imò etiam falsa, vel errorea adhæreat, ut statim constabit; primum verò provenit ex deceptione proprii judicii, quæ propterea nequit ei suffragari ad consequendam ex illa infallibilitem aliquam cognitionis, vel assensus. §. Pono exemplum in una ex damnatis propositionibus ab Innoc. XI. ordine 44., cujus author intrà lineam probabilium tam certò existimabat se proferre veritatem, ut si semel eadem à probabilitate deficeret, vix in tota Theologia ulla alia intrà eandem lineam subsisteret, dum ait; *Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Et tamen valdè deceptus est, & dum tam certò existimabat statuere opinionem in supremo gradu probabilitatis, nec in infimo statuere potuit, ergo idem à fortiori dicendum est de hæretico, cum longiùs deviet à veritate: Et ratio utriusque est. Quia veritas, vel certitudo assensus non pendet præcisè ex conformitate, aut fide existimata, sed ex fide, & conformitate de facto cum objecto, undè cum hæreticus fidem divinam de facto non habeat, sed purè humanam, & fallibilem, assensus pendens ex hac fide nequit esse in se certus, & infallibilis, &c. Hujusmodi autem discrimen videtur insinuasse D. Tho. illa sui humillima, ac doctissima consuetudine, qua utitur, dum se, vel juxtà aliorum opinionem tantum, vel minùs bene locutum alicubi videt, dicere solet; *Hoc enim mihi aliquando visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum quia, &c.* de quo 3. p. q. 9. art. 4. & q. 12. art. 2. & q. 70. ar. 4. ubi distinguit inter hoc, quod alicui videtur, & inter hoc, quod reverà est, & rectè monet non esse hoc posterius regulandũ ex priori, &c.

2. Ex hoc prob. concl., vel magis urgetur precedens ratio sumpto etiam fundamento ex D.Tho. 22.q.10. art. 3. in corp. , ubi inquit. *Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur , quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei , sed magis ab eo elongatur. Nec potest esse quòd quantum ad quid Deum cognoscat , qui falsam opinionem de eodem habet.* Ex his argumentor sic, Assensus conclusionis in hæretico non solum procedit ex fallibili assensu præmissarum , sed etiam ex falso , vel erroneo,ergo impossibile est esse ejusdem rationis cum nostro : consequentia tenet , nisi velimus assensum procedentem ex assensu infallibili , qualis est noster ut potè ex acceptis fide divina , esse ejusdem speciei cum procedente ex assensu non tantum fallibili , sed etiam erroneo,quod est alienum;ant.verò prob.Repugnat esse verum assensum ad unum credibile,alio , vel aliis rejectis,ergo cum hæreticus plura ex credibilibus neget , assensus conclusionis in illo non solum erit ex assensu fallibili,sed etiam falso , vel erroneo ; prob. ant. , & demus aliquem errare circa Deum, ut trinum , & non ut unum ; tunc arguitur sic.Repugnat esse verum assensum ad Deum ut unum , & non ut trinum, vel illo rejecto ut trino , ergo pariter repugnat esse verum assensum ad alium quemcunque articulum,alio, vel aliis rejectis ; & ratio omnium est,quia sicut impossibile est dari Deum , ut unum, & non ut trinum , ità pariter dari unum credibile cum negatione, vel falsitate alterius, cum utrumque sit utrobique dictum à Deo , ergo sicut hac ratione impossibile est vero assensu assentiri Deo , ut uni, & non ut trino, sivè cum negatione illius ut trini , ità erit impossibile verò assensu assentiri uni articulo cum negatione,alterius,&c.

Explicatur , & urgetur hoc. Implicat in terminis assentiri verò assensu alicui credibili , & assentiri illi cum negatione veræ credibilitatis illius , sed hæreticus dum assentitur uni credibili assentitur illi cum negatione veræ credibilitatis illius, ergo implicat habere verum assensum respectu alicujus credibilis , quodcunque sit ; & patet quia esset assentiri , & non assentiri ; min. verò prob. Implicat unum credibile esse verum credibile cum negatione credibilitatis alterius , ergo dum hæreticus assentitur uni cum negatione alterius , assentitur illi cum negatione veræ credibilitatis illius, ant. patet inductivè,quia implicat Deum ut unum esse verum credibile,cū negatione Trinitatis eius, ut dictum est ; similiter post misterium Incarnationis, non est verum credibile , Deus qui pro secunda persona secundum etiam corpus assumptum non sit realiter presens in Sacramento altaris, nisi velimus posse verificari oppositum fidei , ergo nullum credibile est verum credibile cum negatione credibilitatis alterius , &c.

Explicatur,& urgetur ulteriùs:sicut impossibile est dari Deum, qui non sit verus Deus , cum Deus, qui non sit verus Deus sit Deus fictitius,ità impossibile est vero assensu admittere Deum, aut aliquid conveniens Deo , nisi admittat verum Deum , aut quod conveniat vero Deo , sed hæreticus non admittit verum Deum, nec aliquid conveniens vero Deo, ergo assensu vero non admittit , nec aliquid conveniens Deo;prob. min.quia ut dictum est,non est verus Deus, nec credibile conveniens vero Deo cum negatione alterius credibilis ; non enim est , nec potest esse verus Deus , Deus ut unus ,cum negatione sui ut trini,& sic de aliis ; nam licet de potentia absoluta contendant extrà scholam D.Tho. (de quo infrà) posse Deum præcisivè videri ut unum non visum ut trino , &c. non tamen cum negatione prædicati non visi , quia magis esset visio Dei fictitii , quam veri Dei , ut suppono apud omnes , ergo repugnat hæreticum semel negantem unum , vel plura credibilia , posse vero assensu assentiri aliis credibilibus & consequenter omnis ejus assensus illativus erit procedens ex assensu falso,vel erroneo,& non solum fallibili,&c.

Hunc discursum præter D. Tho. elegenter etiā insinuat M. Porrecta ibidem , & super compendiū Catholicæ veritatis B. Albert. mag. lib. 5. ad cap. 60.ubi probat hujusmodi infideles vivere sine Deo, quia eo ipso,quod aliquid negant de Deo,esto aliud admittant convincuntur negare illū , quia verus Deus nequit esse sine credibili , vel credibilibus, quæ ipsi negant ; undè eos redarguit sic. *Quid tu adoras Iudæe , Pagane , Trinitarie , &c. ? unum Deum. Quis ille est ne etiam Trinus?non. Ergo non adoras Deum ; quoniam unus solus est , qui trinus est,& unus. Est ne Crucifixus Deus,quem tu adoras; humanatus,&c. ? Non.Ergo non adoras Deum,quoniam non reperitur Deus ;(non loquor de Persona Patris,& Spiritus Sancti,ut Persona sunt)qui non sit Crucifixus , humanatus , &c, ut in Symbolo, Ubi est ergo Deus tuus ? Convincitur non habere ullum verum Deum;quoniam simplex , ceu Deus, aut totum,aut nihil attingitur , ut etiam Philosophus 1.Metaphisica,inquit,consequitur,ergo convincatur oportet, & fateatur (velit , nolit) Deum à se ipso fantasiatum solummodo habere , nosse , adorare. Christianis igitur demptis,omnes alii negantes scil. Trinitatem,vel aliquid de Deo vero, sunt sine Deo in hoc mundo.*

Ex his etiam manet sufficienter impugnatus alter modus Mag. Navarrete ; nam licet Theologus ante recessum à fide habuerit veram Theologiam, dum tamen recedit ab illa , jam aliquid negat de Deo vero, sine quo Deus verus non invenitur , ergo ejus pariter assensus post recessum procedit ex falso,vel erroneo , & consequenter est impossibile esse ejusdem rationis cum nostro. Sed præterea impugnatur sic. Repugnat habitum scientiæ (& sic de aliis) manere etiam quoad substantiam corrupta ejus ratione formali in subjecto,in quo est , sed in theologo semel aversò à fide, est corrupta ratio formalis Theologiæ,ergo in illo manere nequit etiam quoad substantiam:min. est certa, & patet inductivè in quolibet habitu , quia impossibile est manere habitum , (ut patet de fide in Patria, &c.) pereunte ejus ratione formali , à qua essentialiter pendet;min.verò prob. quia repugnat manere formalem rationem Theologiæ pereunte fide, vel formali ratione ejus,sed hæc perit in averso à fide,cum eidem contradicat,ergo in illo etiam perit formalis ratio Theologiæ : min. constat , quia formalis ratio Theologiæ , ut potè divina revelatio mediata , vel virtualis, modo de facto pendet indispensabiliter à fide , ergo impossibile est manere pereunte fide,vel formali ratione ejus,scil. revelatione divina obscurè tradita,&c.

Urgetur hoc. De ratione Theologiæ etiā quoad substantiam(si velimus verè,& propriè esse scientiam

tiam)est certitudo, & infallibilitas sub eadem ratione formali divinæ revelationis;sed ut latè probatum est in averso semel à fide nequit esse hujusmodi certitudo, & infallibilitas,cū ampliùs non inferat sub eadem revelatione, sed potius sub lumine falso, vel erroneo, ut dictum est, ergo cessat omninò etiam quoad substantiam; & hæc etiam militant de quocunque hæretico; unde est alia optima ratio universalis pro conclusione,&c.

Dices huic rationi,quòd licet non maneant formaliter, manent tamen virtualiter, ut sepè contingit in aliis similibus;nempè in effectu, sive in habitu ejusdem Theologiæ prius genito ex fide supernaturali,quam ex hoc habet, quod quantum est ex se semper exigat illam, & consequenter, quòd perseveret saltem quoad substantiam certus, licet non habeat statum certitudinis, sicut similiter dicimus nos, quod licet nostra modo non inferat ex lumine claro,sed magis obscuro,quia tamen exigit claritatem ex eo quòd procedat ex notis lumine superioris scientiæ, manet evidens saltem quoad substantiam,vel exigitivè, licet non habeat statum evidentiæ,&c.

Sed contrà hoc est ex discrimine superius assignato inter utrumque prædicatum evidentiæ, & certitudinis. Undè insto primò sic. Repugnat scientiam manere certam quoad substantiam pereunte prædicato actualis certitudinis, sed in hæretico quicunque sit, perit hæc certitudo actualis, ergo non manet etiam quoad substantiam habitus veræ Theologiæ, min. latè patet ex utraque præcedenti probatione;mai. verò ex eodem discrimine sumpto ex conceptu scientiæ, ut superiùs explicatum est,de quo iterum infrà,&c.

2. Repugnat iterum manere virtualiter fidem, aut lumen divinæ revelationis supposito subjecto contradictoriè opposito eidem lumini, sed hæreticus quicunque sit contradictoriè opponitur eidem lumini;ergo non manent in illo etiam virtualiter, min. constat,quia quod affirmat veritas prima revelans,ipse negat,& propterea diximus in rei veritate negare Deum,& vivere sine illo,mai. etiam patet ex terminis, undè hac ratione etiam excludimus alia duo lumina,scil. opinativum, & scientificum,tanquam omninò incompossibilia, quia saltem illativè contradictoriè opponuntur,&c.

Hinc pariter inferimus, quòd prædicta solutio videtur petere principium, dum asserit fidem virtualiter manere ratione habitus geniti ex illa,hoc enim est, quod contendimus non posse manere priorem habitum, qui eam exigat, eo ipso, quòd deficit ejus ratio formalis, scil. lumen divinæ revelationis mediatæ, & virtualiter; debere autem deficere patet,quia deficit superius præmissarum, vel fidei,&c.

Ex quibus etiam impugnatur tertiò. Assensus, vel habitus scientificus conclusionis non solum dependet in fieri ab assensu certo, & infallibili præmissarum,sed etiam in conservari,ergo impossibile est,quod isto pereunte, ut contingit in hæretico maneat prior assensus, vel habitus; consequentia tenet ex discrimine inter utrumque effectum dependentem solum in fieri, & etiam in conservari, quòd hic posterior petit existantiam causæ in se,ut patet in his sublunaribus dependentibus à causis superioribus, vel earum influentiis; prior verò solum virtualem,vel in eodem sui effectu, ut patet respectu generantis;aut. etiam est certum,quia intellectu actu errante circa præmissas repugnat esse in illo habitum,vel assensum certum,& infallibilem circa conclusionem, totum enim pondus scientiæ fundatur ut dictum est,in connexione,aut nexu utriusque extremi, vel luminis principiorū, & conclusionis, vel scientifici,ergo sicut impossibile est manere nexum,pereunte altero extremo, impossibile erit manere scientiam pereunte in subjecto lumine, vel assensu infallibili principiorum,quod ad dependere in conservari,& nōn tantum in fieri, &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arguitur. Assensus hæretici circà conclusiones ità est firmus,& immobilis,ac si esset ex acceptis fide divina, ergo est scientificus, & ejusdem rationis cum nostro; prob. ant. quia hæreticus ea, quæ non negat, firmissimè tenet, sicut Catholicus, & si nostram fidem vellet amplecti, non juberetur ea retractare, cum verissima sint, ergo assensus ejus circa conclusiones ità est immobilis,sicut ex acceptis fide divina, &c.

Dices ex superioribus negādo ant. ad prob. vel nego ant., vel distinguo ut suprà;firmissimè tenet firmitate existimationis, vel potiùs deceptionis concedo;firmitate rei nego, tum quia nequit esse major firmitas,quam firmitas fidei,qua credit,quæ ut potè acquisita,fallibilis est, tum quia ut dictum est,cum unum credibile non sit verè credibile cū negatione alterius,repugnat esse assensum firmū, cui deficit veritas;nisi secundùm existimationem, vel magis deceptionem. Quod verò accedens ad fidem non juberetur retractare, quæ non negat, non proveniret id ex veritate sui assensus, sed ex veritate objecti,quod prout dictū à Deo,est omninò verum,& dum abjurat suam sectam, censetur retractare omnem sui assensum falsum,vel erroneū, sicut est quilibet tendens ad novum credibile, cum negatione alterius,&c.

Sed contrà est primò instando ut suprà in assensu scientiæ subalternatæ in absentia superioris; nam firmitas istius nititur pariter fidei fallibili, & humanæ, & nihilominus est sufficiens firmitas ad assensum scientificum, ut nos prætendimus. §. Quòd si iterum dicatur hanc fidem non concurrere præcisè, ut purè humanam,sed ut innixam attestanti scientifico, ideoque posse audientem certificari de principiis sufficienter ad inferendū scientificè. §. In contrà similiter opponi poterit, quod hæreticus ea, quæ non negat, audit non solum à suis Ministris, sed etiam à Catholicis communiter affirmari, undè etiam fides ejus, vel auditus non erit respectu eorum purè humanus, sed innixus testimonio sufficienti ad firmandum ejus intellectum, ut immobiliter inferre possit,&c.

2. Dato etiam quod sit defectus firmitatis, vel certitudinis ex parte subjecti, vel attendendo ad meritum ejus, non tamen est defectus ex parte habitus theologici ab eodem acquisiti, ergo verè adhuc iste retinebit conceptum scientiæ ejusdem rationis cum nostro;consequentia tenet ex dictis, nam hac ratione modo etiam in via salvamus nostram

ſtram Theologiam eſſe verè ſcientiam eſto careat evidentia, quia hìc defectus non tenet ſe ex parte Theologiæ, ſed magis ſubjecti juxtà meritum ſtatus;ex quo etiam prob. ant. nam ideò hujuſmodi carentia evidentiæ in nobis non refunditur in Theologiam, ſed in ſubjectum, quia Theologia quantùm eſt ex ſe,vel ex ſui natura exigit illam, ſed Theologia acquiſita ab hæretico quatenùs eſt ex ſe,vel ex ſui natura exigit certitudinē, ergo defectus iſtius non eſt refundendus in illam, ſed in ſubjectum:mai. eſt noſtra,& min. prob. ideò noſtra quatenùs eſt ex ſe exigit evidentiam, quia ut dictum eſt procedit ex per ſe notis lumine ſuperioris ſcientiæ,ſed etiam Theologia hæretici procedit ex certiſſimis lumine fidei divinæ cum procedat ex iiſdem articulis, ex quibus procedit noſtra, ergo, &c.

Dices ad hoc ultimum ant., quod licet procedat ex præmiſſis certiſſimis ſi ſumantur purè objectivè,vel ſecundùm ſe, non tamen ſi pro earum aſſenſu,ex quibus efficienter cauſatur aſſenſus concluſionis,undè non refert, quòd ſint ſecundùm ſe certiſſimæ, & in nobis cognoſcantur lumine certiſſimo fidei divinæ, ſi aliàs ab hæretico cognoſcantur lumine fidei acquiſitæ, vel purè humanæ, & cum negatione aliorum plurium credibilium, undè earum aſſenſus,ex qua eadem procedit, non ſolum eſt fallibilis,ſed etiam falſus, vel erroneus, ut probatum eſt,&c.

Sed contrà eſt: ſicut Theologia in hæretico procedit ex præmiſſis objectivè certiſſimis; & formaliter,ſcil. pro earum aſſenſu fallibilibus, & incertis,ità pariter noſtra procedit ex illis objectivè notis;& formaliter, ſive pro earum aſſenſu obſcuris, ut potè lumine fidei cognitis, ſed nihilominùs noſtra adhuc ſalvatur per ſe procedere ex notis, & ex ſui natura exigere evidentiam, ergo pariter illa hæretici ſalvari poterit, quòd per ſe procedat ex certis, & ex ſui natura exigere certitudinē, &c.

Explicatur,& urgetur hoc. Quia noſtra Theologia procedit ex præmiſſis objectivè notis, non impeditur ab earum aſſenſu,licet modò in via, vel ex parte ſubjecti obſcuro; à prædicato evidentiæ ſaltem exactę,& neceſſariæ ad conceptum ſcientię, ergo quia pariter Theologia hæretici procedit ex illis objectivè certis, non impeditur ab earum aſſenſu licet fallibili, vel incerto, vel adducatur diſcrimen, cur obſcuritas aſſenſus præmiſſarum non impedit evidentiam ſcientiæ genitæ ex illo,& fallibilitas,vel incertitudo, impediat certitudinē, vel infallibilitatem, &c.

2. Impugnatur urgentiùs in favorem alterius modi M. Navarrette. Nam licet iterum detur priorem Theologiam, ſive puri hæretici,non poſſe habere præfatam certitudinem, quià nunquam proceſſit ex aſſenſu certo, vel pendente à lumine fidei divinæ; altera tamen fuit verè genita ex hoc lumine, ergo ſaltem iſta manebit poſt receſſum; ant. ſupponitur,quia hæc anteà erat ejuſdem rationis cum noſtra, conſequentia verò prob., quia non ſtat fuiſſe genitam ex creditis fide divina, & non conſervare certitudinem ſaltem quoad ſubſtantiam,vel exigentiam ſubjecto adhuc non credente, ergo habet ſufficienter, ut maneat ſaltem quoad ſubſtantiam; conſequentia iterum tenet; quia ad hoc ſufficit certitudo, ut patet ex dictis, ant. verò prob. non ſtat noſtram ſemel procedere ex notis,& non manere evidentem quoad evidentiam,vel exigentiam, etiam in ſtatu obſcuritatis, ergo pariter non ſtabit illam ſemel procedere ex per ſe certis, & non manere adhuc certam ſaltem quoad ſubſtantiam,vel exigentiam etiam in ſtatu incertitudinis, &c.

Ad hoc quod placuit ſuperioribus replicis promovere, cum rationibus non urgeat adverſarius; reſpondetur benè ibi dictum eſſe uſque ad ultimam replicam; ſed præterea, quia ibi plura tanguntur aliquomodo difficilia, reſpondetur ad ſingulas; ad primam quidem ex paritate ſcientiæ ſubalternatæ præter ſuperiora adhuc dicimus,quod in ordine ad ea, quæ continentur intrà limites naturæ,vel luminis ejus, nati ſumus accipere ab homine,vel per auditum ab illo,ſi ſemel non videmus,undè rectè poteſt ſufficere fides humana, nō ut purè humana;ſed ut innititur teſtimonio fide digno quale eſt,vir ſcientificus intrà hoc forum (& ſic de aliis valdè peritis intrà ſpheram propriam);cæterum in ordine ad ea, quæ ſuperant lumen naturale,ut ſunt myſteria gratiæ, non ſumus nati audire per eandem fidem,ſive ab homine potente ratione ſui,vel propriæ authoritatis certificare, ſed ſolum à Deo media propoſitione Eccleſiæ, vel ſupremi ejus capitis, ſive Pontificis, undè nequit eadem fides ibi exire limites ſuæ fallibilitatis, imò ut dictum eſt,dum unum proſequitur cum negatione alterius, non ſolum fallibiliter, ſed etiam procedit falsò, vel erroneè, &c. Et per hæc patet ad id, quod contrà objicitur,nempè etiam hæreticum audire ab aliis, dicimus namque, quod cum pro arbitrio audiat, alterum admittendo, & alterum reſpuendo,quod tamen eſt impoſſibile,ut vidimus, cum non ſit unum affirmabile disjunctivè ab alio, non poteſt non fallibiliter audire, imò falsò, vel erroneè, &c.

Ad ſecundam, ſcil. quòd defectus certitudinis teneat ſe tantùm ex parte ſubjecti, non habitus ab eodem acquiſiti nego ant. ad prob. nego min. ad ejus prob. reſpond. benè ibi dictum eſſe. Ad replicam nego mai. quia Theologia noſtra, ut dictum eſt,ſive pro habitu, ſive pro aſſenſu, nullo modo per ſe importat obſcuritatem, & licet daremus juxtà ſuperiorem modum dicendi importare illam modo in via ex parte aſſenſus, ſecundùm tamen ſui rationem ſpecificam procedit ex notis lumine ſuperioris ſcientiæ; undè licet aſſenſus præmiſſarum,ut potè fidei ſit per ſe obſcurus, non tamen ut dictum eſt;dependet ab illo,ut per ſe obſcuro,ſed ut certo,fide concurrente, ut vicaria luminis gloriæ, cæterum Theologia hæretici cum nitatur fidei purè fallibili, quæ nullius luminis certi, vel evidentis ſuppleat vices,eſt omninò fallibilis tam pro aſſenſu quam pro habitu; per quod etiam patet ad explicationem, &c.

Ad ſecundam replicam, quæ videtur difficilior, & poteſt eſſe replica contrà hanc, & priores ſolutiones, reſpondetur negando conſequentiam, ad ejus prob. nego ſuppoſitum, quod manere poſſit ſemel deficiente ratione ſui formali, vel impedita ab actuali certitudine, ut dictum eſt;quia cum hæc ſit primum prædicatum definitivum ſcientiæ,impoſſibile eſt, quod illo deficiente maneat ampliùs conceptus ſcientiæ,quia ſine illo,ut dictum eſt, nequit ſalvari hoc,quod eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius ſit cauſa, & quòd aliter ſe habere,

bere non possit, quod indispensabiliter desideratur ad conceptum ejus, undè illo sublato non restat prædicatum, vi cujus possit exigere illud, aut permanere, cæterum salva eadem certitudine, ut salvatur in nostra, si semel aliàs ex per se notis procedit, jam habet sufficienter, ut persistat, & exigat claritatem, undè hujusmodi instantia, vel modus dicendi videtur de subjecto non supponente, quod sit ibi, aut possit esse talis habitus, quidquid sit, quòd si esset, ut potè antea genitus ad assensu certo, & infallibili, & etiam ex notis, diceretur habere aliquam axigentiam prædicati non habiti, & debiti, non quidem certitudinis, ut dictum est, cum iterum sit de subjecto non supponente, sed evidentiæ, ut in nobis, &c.

Sed adhuc instas. Nam hæreticus, & præcipuè antea fidelis, certò scit Ecclesiam tenere, quæ ipse non negat, cum de illis fuerit ab eadem edoctus, undè de hoc habet evidantiam, ergo dum illis assentitur, certò, & infallibiliter assentiri poterit sufficienter ad inferendum scientificè; hac enim ratione musicus certò assentitur principiis acceptis ab aritmetico in absentia Aritmeticæ, cui subalternatur musica, quia certò scit, aut credit, quòd aritmeticus in sua scientia peritus tenet illa, &c.

Secundò etiam urgentiùs instatur in damnatis; nam illi carent fide, ut modo suppono ex 22. q. 5. art. 2. & tamen non repugnat aliundè certificari de veritate articulorum fidei, ut traditur ibidem, & patet in dæmonibus coactis ad hoc ex evidentibus signis, ergo similiter hæreticus, & maximè antea fidelis, poterit de illis certificari, & consequenter scientificè inferre per verã Theologiã, sicut videtur contingere in eisdem damnatis, &c.

Ad primam dist. ant. certò scit Ecclesiam tenere illa cum recto judicio de fide, vel infallibilitate ejus nego, cum falso, & arroneo concedo ant., & nego consequentiam; nam parum refert, quòd quis certò sciat ma tenere principium thomisticũ, ut dicatur verè eidem assentiri, vel scientificè ex illo procedere, si aliàs simul judicat me non habera de nostris principiis infallibilitatem, sed posse errara, imò de aliquibus tanquã de falsitate quandoque accusat me ipsum; & licat non neget, vel admittat illud, non tamen credit, vel assentitur illi eadem fide, vel lumine, quo assentior ego; undè nunquã posset ex eodam infallibiliter inferre, sicut infero ego, qoi firmissimè teneo illud, val lumine infallibili, ut modo suppono; sic similiter dicimus in casu, quòd licet hæreticus certò sciat Ecclesiam tenere illud, quod non negat, qoia tamen malè sentit de illa, sive de ejus infallibilitata, & fida, non adhæret eidem articulo ea firmitate, qua adhæret Ecclesia, imò cum de hac corruptum habeat judicium, impossibile est, quod vero assensu, ut dicebamus; adhæreat illi, sed magis falso, vel erroneo, &c.

Ad secundam, quæ videtur difficilior respondetur ex superioribus juxtà doctrinam D. Tho. pp. q. 64. ibidem relata art. 1., dist. in primis, & explico mai. præcipuè loquendo de dæmonibus; carant fida, & omni cognitione supernaturali, vel quæ est per gratiam sive gratuita nego; fide præcisè, ut modo habent fideles concedo, dicit anim D. Tho. quòd cognitio in dæmonibus, quæ est per gratiã, nonquidem affectiva, & producens amorem, sed quæ est speculativa tantum non est totaliter ablata, sed diminuta, quatenus de divinis secretis tantum revelatur eis, quantum opportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis affecta, ut etiam dicit Augustinus lib. 9. de civitate Dei cap. 21. undè licet detor illos verè theologizare, Theologia, scil. purè illustrativa intellectus, non excitativa voluntatis ad amorem, non tamen id concedendum est de hæretico non habente, ut dictum est, nisi fallibilem, vel magis falsam, aut erroneam cognitionem, &c.

Secundò etiam respondetur, quòd licet in illo admitteretur similis Theologia, sicut in dæmonibus, vel damnatis, non tamen judicanda esset ejusdem rationis cum nostra, sicut nec est illa dæmonum, vel damnatorum, quia cum nostra, ut dictum est, procedat ex fide divina, ut vicaria luminis gloriæ, habet per se procedere ex notis lumine Patriç exigendo claritatem ejus, quod alienom est à cognitione, vel existentium extrà statum spei, ut sunt damnati, vel rebellium à lumine fidei, ut sunt hæretici, &c.

2. Arguitur specialiter in favorem posterioris modi dicendi. Non rectè in fertur Theologiæ defectus ex sola amissione fidei, ergo saltem hæreticus antea theologus fidelis retinebit illam prob. ant. Infidelitas non opponitur Theologiæ, sed fidei, ergo ex sola hujus amissione non rectè arguitur defectus Theologiæ; consequentia tenet, nam hac ratione dicimus non amitti fidem per alia peccata mortalia, quia ei non opponuntur, sicut infidelitas: ant. etiam constat, quia ut tradit D. Tho. 22. q. 10. art. 1. propria ratio infidelitatis consistit in repugnantia ad auditum fidei, vel contemptũ illius, juxtà illud Isaiæ 53. *Quis credidit auditui nostro*? ergo ajos oppositio non est ad Theologiam, sed ad fidem, &c.

Urgetur hoc. Nam etiam post recessum experitur in se eandem facilitatem discurrendi, aut vincendi difficultates sicut antea, ergo signum est, quòd in illo non est talis oppositio, sed retinet eundem habitum: consequentia tenet, quia hujusmodi facilitas provenit ab habitu, tanquam effectus formalis ejus; ad hoc enim dantur habitus, ut alibi dictũ est, scil. ad vincendas difficultates formales, &c.

Urgetur ulteriùs. Quia si revertatur ad fidem, tunc veram habet Theologiam sine ulla mutatione intrinseca, ergo signum est, quod permansit sine aliqua oppositione ad se ipsam; prob. ant., & quòd habeat, supponitur, cum sit in statu fidei; quòd verò sine intrinseca mutatione prob. tum quia statim sine difficultate intrinseca per veram Theologiam discurrit. Tum quia Theologia, non sequitur naturaliter ad fidem, sed acquiritur per discursum, ergo licet adsit mutatio intrinseca in iterato adventu fidei, non tamen per novam acquisitionam Theologiæ, &c.

Ad hoc nego ant., ad probationem, dist. ant. non opponitur Theologiæ formaliter, vel immediatè conc.; (sic enim opponitur fidei;) radicaliter, vel mediatè nego sicut enim animalia corrodendo, vel consumendo radicem plantæ destruunt pariter fructus ejus, estò illos immediatè non lædant; sic pariter infidelitas destruendo fidem, à cujus influxu modo in via Theologia indispensabiliter dependet, destruit pariter Theologiam, &c.

Sed instas. Sicut fides est primum lumen, aut prima veluti regula intelligibilium, vel operabilium supernaturalium, ità prudentia est primum, aut

prima

prima regula cognoscibilium, aut operabilium naturalium, sed nihilominus remota prudentia, noo perit adæquatè virtus acquisita, sed solum quoad statum, adhuc manens quoad substantiam, vel entitatem habitus, ergo similiter pereunte fide, adhuc manere poterit Theologia saltem quoad substantiam, licet pereat quoad statum. §. Et idem argumentū fieri etiam poterat de fide, & spe comparativè ad gratiam, quia similiter comparantur ad illam tanquam proprietates ad sui radicem, sed nihilominus pereunte gratia in fideli peccatore, adhuc manent quoad substantiam, licet deficiant quoad statū virtutis, ergo sic etiam manere poterit Theologia pereūte fide licet pereat quoad statū, &c.

Respondetur ad primā instantiam, vel nego, vel dist. mai. ità, & eodem modo nego, diverso cooc. nā fides præbet finem, vel objectum, & rationē formalem Theologiæ, scil. revelationē, ut explicatum est, pereunte autem ratione formali scientiæ, vel habitus, necesse est perire adæquatè habitū, vel scientiā, & non solum quoad statum, undè dependentia ejus à fide non est præcisè quoad exercitiū, vel prædicatū accidētale, sed quoad substātiale, & quoad infallibilitatem certitudinis, quæ est etiam prædicatum essentiale, ut dictum est, nec in materia credibilium habetur nisi à fide, cæterum prudentia dicitur solum determinare, & aplicare electionem medii hìc, & nunc in particulari, quod magis pertinet ad exercitium virtutis, quā ad rationem formalem ejus, undè si semel velint manere quoad statū illa pereunte, tenentur dare illis tantum hanc posteriorem dependentiā, non quoad substantiam, cū nō præbeat illis finem, & rationem formalem, aliàs utroque, modo perirent, sicot pereunt quoad statū, quia quoad istum pendent ab illa; sicut similiter dicitur de influxu logicæ respectu aliarum scientiarū. Et poterat retorqueri in synderesi, qua sublata, quia est habitus primorū principiorū moraliū, removentur virtutes. &c.

Ad secuodam similiter dicimus, quòd utriusque dependētia à gratia est tantum quoad statum virtutis, aliàs perirent adæquatè, sicut perit charitas. Difficultas tamen gravis est, quæ ibidem insinuatur, quomodò, scil. fides, & spes sine gratia manere, aut conservari possiot quoad substantiam, vel essentiam, si semel sunt proprietates ejus; nam quòd possit proprietas separari à sui radice etiam sine miraculo, patet in motu gravis, detenti sursum, ubi impeditur ne actu moveatur sed; quod separata conservetur sinè radice, hoc videtur difficilimum, nec iovenitur, quòd aliquando detur ootns gravis sine gravi, & sic de aliis, undè M. Ferre tom. 1. in 22. tract. de fide q. 6. §. 8. pag. 157. n. 56. fatetur se multis annis fuisse hac difficultate pressum, &c.

Respondetur ergo ex eodem ibi, & ex infrà dicendis de Trinitate, & de Angelis, quòd proprietates snnt in duplici differentia; aliæ sunt, quæ noo tantum exiguntur, sed etiam dimanant, seu quæ statim posita radice, per eandem actionem, secundariò fiūt, per quam ponitur radix, vel essentia, ut risibilitas, vel intellectus in homine, & aliæ hujusmodi; aliæ verò, quæ solum exiguntur, vel sunt debitæ, non tamen dimanant, sed fiunt per actionē distinctam, ut sunt species Angelicæ ab initio infusæ juxtà modum probabilem, vel relationes Filii, & Spiritus Sancti in divinis, quæ non præcisè dimaoant à natura divina, sed producuntur, & hujus generis dici possunt fides & spes proprietates gratiæ, quatenus exigunt infundi simul cum gratia, & hæc exigit infundi cum illis, sed tamen per actionem distinctam; nam si etiam orirentur ab illa, non possent operari nisi ex influxu gratiæ; virtus enim proxima, quæ dimanat ab aliqua radice, est ipsa radix in virtute, ut innuimus in secundò physicorū, qua ratione accidens potest influere ad effectum substantialem, quia est ipsa substantia in virtute, eo ipso quòd oritur ab illa per influxum ejus radicalem; nequit autem dici, quòd fides, & spes necessariò operentur in virtute gratiæ, aliàs in peccatore possent elicere actus meritorios vitæ eternæ, cum ad hujusmodi sufficiat, quod sint supernaturales, & ex influxu gratiæ; quod tamen est alienum. §. Tum quia ut dictum est, non possent coonservari in absentia gratiæ, si semel quoad essentialia orirentur, vel penderent ex radicali ejus influxu, nam quod destrucret gratiam, destrueret pariter influxum conservativum earum, undè per quod libet mortale destruerentur, sicut destruitur gratia, quod iterum est omninò alienm, &c.

Nec refert, quòd gratia dicatur natura ordinis supernaturalis, nec tantum natura supernaturalis, sed etiam theologica, ergo sicut cæteræ naturæ tenentur radicare suas virtutes, vel proprietates, pariter gratia dicetur radicare suas, scil. virtutes, & præcipuè theologicas. §. Non inquam refert; quia non dicitur talis strictè, sed tantum largè, aliàs non præcisè radicaret habitus, sed potentias proximè operativas, uodè dicitur natura, quia habet aliquas proprietates ejus, vel convenientiam in eo v. g. quòd sicut natura habet potentias proximè operativas, & est primum in suo ordine, scil. naturali, ità gratiā habet virtutes proximè operativas, & est primum in suo, nempè supernaturali, differt tamen, ut dictum est; quòd non radicat potentias, sed habitus, qui nō petūt oriri, sicut potentiæ, sed simul infūdi, vel produci, nec etiā dicitur gratia propriè operari per virtutem supernaturalem, sed magis anima habens gratiam; & radicans v. g. intellectum operatur per illum, ut elevatum per eandem virtutem. Imò conceptus naturæ rigorosè loquendo in creatis includit negationem supernaturalis simpliciter, qua ratione dicimus infrà impossibilem esse intrà limites puræ creaturæ substantiam, (cui propriè convenit ratio naturæ) quæ sit de ordine supernaturali, nec cui possit esse connaturale, accidens de hoc ordine, quia nempè esse connaturale alicui naturæ dicit essentialiter negationem supernaturalis simpliciter, ut rectè devisione iofrà ponderat M. Catalam ad art. 5. q. 12. dub. 6. ad 1. sed de his alibi, &c.

Ad confirm. dist. ant. principalis argumenti experitur se habere eandem facilitatem, objectivè, sive ex parte coordinationis specierum trāseat, vel concedo, subjectivè, vel ex parte sui nego loquendo de eadem quasi per identitatem, quidquid sit similitudinariè, & apparēter, sicut ergo non rectè infertur identitas fidei ex eo quod sibi videatur habere eandem facilitatem in credendo, nec pariter inferenda est identitas Theologiæ, ex eo quòd sibi videatur habere eandem facilitatem in Theologizando; hoc enim provenit, vel ex coordinatione specierum, quia nempè manent eodem modo dispositæ, & ordinatæ io memoria; vel ex frequenti exercitio actuum præcedentium, sicut similiter di-

ciuius

cimus de peccatore, qui post amissionem charitatis adhuc retinet quandam inclinationem, vel facilitatem ad opera ejus, scil provenientem ex priori exercitio actuum ejus, & ab ipsa charitate jam amissa, unde utrobique est magis apparens, vel similitudinaria facilitas, quam identica; nam sicut impossibile est manere virtutem pereunte objecto, vel motivo formali ejus, ita impossibile est manere effectum formalem virtutis, vel habitûs, pereunte virtute, vel habitu &c.

Ad secundam nego ant. ad prim. prob. iterùm dicimus, quòd manente dispositione, & coordinatione specierum in memoria facillimè, & quasi insensibiliter recuperatur habitus scientiæ, quantùm ad id, quod est luminis, & certitudinis deductæ ex principiis, cùm in earum ordinatione sit præcipua difficultas acquirendi scientias, ideò statim sine difficultate discurrit per veram Theologiam noviter acquisitam restituto ei lumine Fidei, & non quia intrinsecè non mutetur in adventu novi habitus; per quod etiam patet ad secundam; nam licèt Theologia non sequatur naturali sequela ad Fidem, sed per discursum acquiratur, restituto tamen lumine principiorum, & manentibus speciebus ordinatis, ut dictum est, statim recuperatur, quasi naturaliter resultaret &c.

§. ULTIMUS.

Corolarium ex dictis circa subordinationem Theologiæ respectu aliarum inferiorum.

Ex dictis, & præcipuè ex D. Tho. ar. 5. ad 2. & ar. 6. & 8. pariter ad 2. & 2. contra Gent. c. 4. & primo ad Hannibal. dist. 1. q. 1. a. 2. contra Vasquez, & Granados inferimus Theologiam nostram nullo modo subalternari scientiæ, aut lumini naturali, estò eorum principiis quandoque utatur, ut quando in præmissis assumit alteram naturalem; sic jam communiter Theologi; & rationem etiam fundamentalem tradit D. Tho. locis relatis: quia nulla potest esse subalternatio, ubi non est dependentia, vel indigētia in prędicato quidditativo scientiæ ex parte sui, sed in Theologia non est indigentia accipiendi ex parte sui ab inferioribus, ergo non subalternatur illis. Maj. patet ex dictis, quia subalternatio est quædam subordinatio in aliquo ex eisdem prædicatis; min. verò prob. quia Theologia non accipit ab illis sua principia, sed immediatè à Deo per revelationem; ergo si utitur eorum principiis, non utitur ex indigentia sui, sed propter defectum nostri intellectus, ut inquit D. Tho. quia nempè ex his, quæ per naturalem rationem, (ex qua aliæ scientiæ procedunt,) cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ sunt suprà rationem, quæ in hac scientia traduntur, unde propter hujusmodi imbecilitatem intellectus utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis, sicut Architectonicæ utuntur subministrantibus, ut Civilis Militari, quæ ordinatur ad Civilem &c.

Explicatur, & urgetur ex discrimine alibi tradito inter intellectum angelicum, & humanum, quòd angelicus, quia est naturæ completè intellectualis, audito aliquo principio Fidei, v. g. Pater in Divinis realiter producit Filium, statim penetrat conclusionem inferibilem, scil. esse unum realiter distinctum ab alio sine indigentia habitus scientifici proponentis aliud inferius principium facilitans ad illam inferendam; sed intellectus noster ex opposito ob sui incompletionem, cùm non sit talis naturæ intellectualis completæ, sępè indiget lumine inferiori, v. g. Metaphysicæ exhibentis ei facilius ad eandem inferendam, hoc aliud principium, scil. omne producens realiter distinguitur à producto, & sic de aliis, ergo quòd Theologia utatur principio scientiæ inferioris, non provenit ex defectu sui, sed intellectûs &c.

Deinde contra rationem subalternationis, sive subordinationis est, quòd subalternata perficiat subalternantem, & sit nobilior illa, cùm magis sit indigens, & dependens, ut dictum est; sed Theologia assumendo principium inferioris in consortio alterius de Fide perficit eam, cùm elevet illius principium ad sublimius lumen, dando ei majorem certitudinem; estque nobilior, utpotè agens de perfectiori objecto, scil. de Deo sub ratione Deitatis, ut constabit infrà, ergo nullo modō potest inferioribus subalternari; eò, vel maximè, quòd Deus, ut consideratur prout sic à Theologo cadens sub divina revelatione non continetur sub objecto Metaphysicæ, qua ratione fortè dubitari poterat an Theologia subalternaretur illi, sed tantùm ut confunditur à ratione entis &c.

Sed contra hoc corolarium instas. Præmissa naturalis assumpta in consortio alterius de Fide non tantùm influit ob indigentiam intellectûs, sed etiam ipsius Theologiæ, ergo hæc erit aliquomodò subordinata scientiæ naturali, prob. ant. nam in hoc syllogismo satis familiari, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*; præmissa naturalis valde confert ad inferendum, & judicandum de conclusione, siquidem intellectus assentitur illi ex vi connexionis medii cum extremitatibus &c.

Dices juxta communem solutionem negando ant. ad prob. distinguendo ant. valde confert præcisè secundùm se, vel ut stat sub lumine inferiori, nego, ut elevatur ad superius, & elevatur à Theologia per illud, concedo; & hoc videtur necessariò admittendum ab omnibus; nam cùm ens naturale non habeat connexionem per se cum ente supernaturali, sive velimus præmissam naturalem ex vi connexionis influere ad conclusionem theologicam, vel supernaturalem, est necessarium, quòd elevetur, vel uniatur, aut connectatur ad sic influendum, aliàs frustrà, vel insufficienter assumitur, & in re magis esset entymema, quàm syllogismus &c.

Sed contra hanc solutionem, quæ habet fundamentum in D. Tho. ubi suprà, & præcipuè ad Hannibald. instas. Quia ut una scientia judicet de principiis alterius, est necessarium, ut innuit ibidem D. Tho. quòd habeat principia propria, per quæ possit de illis judicare, sed non est assignabile principium, per quod Theologia judicari possit, & approbare veritatem prædictæ propositionis naturalis in syllogismo facto, vel assignetur; ergo &c.

Explicatur hoc. Nam in tantùm posset Theologia judicare, & approbare illam, quatenùs videret eam conformem, aut connexam cum aliqua de Fide, sic quod illa pereunte non subsisteret fides alterius; hac enim ratione reprobat hanc aliam, nempè nul-

nullum accidens conservari potest extrà subiectum, quia repugnat Fidei Eucharistiæ; & sic de aliis repugnantibus fidei alterius Mysterii; at nullus videtur assignabilis Scripturæ locus, cui veritas prædictæ propositionis sit conformis, vel cum quo connectatur, sic quod ex defectu illius argui possit defectus alterius de Fide, ergo &c.

Explicatur ulteriùs. Demus propositionem moralem, cui consentiant aliqui valde docti Theologi morales, & cui etiam consentiatur ab aliquibos Metaphysicis, vel Astrologis: ex eo quòd illi consentiant primi, utpotè satis periti in eadem materia; magnam obtinebit certitudinem, non tamen ex eo quòd consentiant posteriores, quia isti non habent principium, per qood eam judicare, vel approbare possint; unde relinquent in ea certitudine, qnam habet in se, vel ex Theologorum approbatione; ergo cùm pariter in casu oon iovenìator principium, pet quod Theologia judicare, vel approbare possit prædictam universalem: *Omnis bomo est risibilis*; & aliàs neque dissonet, nec connectatur cum articulis Fidei, non habebit assumpta ab eadem majorem certitudinem, quàm quæ convenit illi in se, vel ex judicio scientiæ inferiotis; unde si semel juvat ad conclusionem theologicam, juvat ex se, & ex vi luminis proprii, noo superioris &c.

Respondetur, benà ibi dictum esse; nam dist. illa prima ad Hannibal. q. 2. a. 2. ad 2. inquit: *Dicendum quòd dupliciter potest una scientia supponere aliquid ab alia, uno modo ut principium, quo de aliis judicet, & sic inferior scientia accipit à superiori. Alio modo, sicut illud de quo judicetur, & sic scientia superior accipit ab inferiori. Hoc autem modo accipit hæc doctrina* (scil. Theologia) *ab aliis, & non primo; ipsa enim judicat de his, quæ sunt in aliis scientiis per propria principia, & non è converso.* Quod etiam repetit hic locis relatis. §. Ad replicam, quam ex se opponit M. Ferre, & in qua ait se habere non parvam difficultatem.

Respondet nihilominùs assignando hoc principium, nempè hoc, quod est Ecclesiam assistentia Spiritus Sancti nè erret, determinare quòd conclusio per evidentam conseqoentiam deducta ex altera de Fide, & altera lumine naturali nota ita sit certa, quòd qui eam neget sit theologicè erroneus, ex hoc ergo indefectibili principio, dum semel videt Thaologia tantam infallibilitatem convenire conclusioni sic illatæ, optimè potest judicare in consortio alterios de Fide adeò esse veram, quòd nollo modo possit esse falsa, dando ei altiorem certitudinem, dum eam assumit, & approbat in tali unione sic aptam ad inferendum, quia cùm ex præmissis conclusio accipiat certitudinem, si semel tantam accipit, ut nullâ viâ falsificari possit, oportet ut præmissa, ex qua infertur, non minorem habeat, sive ordinis inferioris; haberet autem, si solùm haberet, quæ illi convenit ex solo lumine, vel scientia naturali comparativè ad conclusionē theologicā, quæ sub lumine Divinæ revelationis infertur. Per quod etiam patet ad utramque explicationē &c.

Cæterùm licèt solutio prorsit de more subtilis sit, non videtur tamen denegandum aliud principium propinquius, & magis proprium, per quod præfatam propositionem judicet, & approbet, & approbando præbeat ei majorem certitudinem, sumpto fundamento ex D. Tho. hic art. 6. relato ad 2. ubi ait: *Propria autem hujus scientiæ cognitio est, quæ est per revelationem, non autem, quæ est per naturalem rationem; & ideò non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solùm judicare de eis; quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum, unde dicitur 2. Corinth.* 10. *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei.* In quibus D. Tho. tradit quidem generale principium, sed facilè applicandum, ac proximè pro qualibet naturali assumpta, nempè hoc, quod est propriam ejus cognitionem esse per revelationam, & consequenter superiorem cæteris inferioribus, cui tenentur omnes subordinari; ex quo deinde habet meritum, vel jus judicandi de illis, sive reprobandi, vel approbandi, juxta eorum repugnantiam, vel non repugnantiam ad aliquam ex suis revelatis, & non præcisè juxta eorum connexionem, vel conformitatem fundatam in connexione, quia, ut dicebamus, inter illam secundùm se, & præmissam supernaturalem nequit esse connexio, sed magis quandoq; repugnantia, ut innuit S. Tho. unde ex eadem habet, ut possit elevari ad sublimius lumen, & sic assumpta, & vestita altiori certitudine concurrere ad conclusionem theologicam &c.

Ex his ergo præter superiùs traditum principium à sapientissimo meo Magistro, assignamus quantùm ad meritum, vel jus judicandi de omnibus; proprietatem ejus cognitionis habitam ex vi revelationis, ob quam facit sibi omnem inferiorem subjectam ad approbaodum, vel reprobandum secundùm peculiarem repugnantiam, vel non repognantiam ad suas revelatas; unde ad instantiam factam respondetur negando minam sicut, ut exēplificatur in explicatione; per cognitionem, quā accipit ex fide Eucharistiæ rejicit prædictam universalem negativam de perseverantia accidentis extra subjectum, quia videt peculiariter repugnare eidem cognitioni, aut veritati hujus Mysterii; ita pariter per cognitionem, quam accipit ex Fide humanitatis Christi approbat universalem affirmativam risibilitatis de homine, quia videt peculiatiter non repugnare propriæ cognitiooi de hoc posteriori Mysterio, aut veritati ejus; nam cùm per eandem Fidem cognoscat humanitatem Christi esse ejusdem rationis cum nostra, cui per se convenit risibilitas, consequenter videt nullo modo repugnare veritati ejusdem Mysterii, & ideò utitur elevando, & dando ei majorem certitudinem sufficiēter ad inferendum idem prædicatum de Christo. & per hæc patet ad primam explicationem &c.

Ad 2. dicimus esse discrimen, quòd propositio Moralis disparatà se habet ad Metaphysicam, vel Astrologiam, nec tenetur subordinari illis, sicut omnis naturalis subordinatur huic sacræ doctrinæ, ut dictum est, unde optimè potest approbare, vel reprobare secundùm earum repugnantiam, vel oon, ad lumen divinæ revelationis, elevando, & dando majorem certitudinem, ut deserviant ad majorem eorum manifestationem, quæ in illa traduntur, ut ait D. Tho. hic art. 5. ad 3. id refundens, ut dictum est, ad insufficientiam nostri intellectus, ut ex his faciliùs manuducatur in ea quæ sunt suprà rationem, & non ad indigentiam sui &c.

Sed instas: quia Theologia in syllogismo facto,

cum sola supernaturali sine altera naturali nequit infallibiliter concludere, quòd Christus sit risibilis, ergo indiget etiam ex ex parte sui; probatur antec. quia concludit illam ex viconnexionis medii cum extremis, ergo ad concludendum indiget etiam naturali &c.

Huic instantiæ quidam recentior Thomista suppresso nomine relatus à M. Ferre hic ad 2. videtur aliquo modo succumbere existimans, quòd dum D. Tho. ad insufficientiam intellectus nostri reducit prædictum usum propositionum naturalium, intelligendus sit de Theologia, non quando directè procedit inferendo conclusiones, quæ inferibiles non sunt, altera naturali non concurrente, sed solùm quando procedit reflexè, reflectendo scil. ad explicanda principia sui obscura, & obscuras conclusiones ex illis deductas, quas plenè intellectus capere non possit, non adhibitis exemplis, similitudinibus, & propositionibus naturalibus ad ampliorem eorum manifestationem &c.

Sed hæc explicatio videtur apertè pugnare cum litera; nam ex eo D. Tho. in eadem solutione ad 2. asserit Theologiam non accipere ex necessitate, quia omnia sui principia accipit immediatè per revelationem; sed hoc non subsistit, si in aliquo sui discursu indigeret accipere ab aliis, ut patet, ergo in nullo juxta D. Tho. indiget inferioribus quatùm est ex se, sed solùm ob defectum intellectûs.

Præterquamquòd, ut rectè ponderat idem Magister, & patet exemplo ibi adducto de Musico accipiente ab Arithmetico, argumentum procedit de discursu directo; sic enim ab Arithmetico accipit Musicus, ergo dum solvit reducendo ad insufficientiam intellectûs, non Theologiæ; de discursu directo loquitur non præcisè reflexo, unde tandem ex præmissis in eadem solutione de solo intellectu concludit, ut sic faciliùs manuducatur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur, & poterit iterùm hæc ejus mens ex aliis locis manifestè colligi &c.

Aliter ergo ad eandem instantiam distinguo antec. attendendo ad meritum sui, nego, ad imbecillitatem, vel conditionem subjecti, scil. intellectûs nostri, conc. unde ex indigentia illius utitur non sui, ut probatum est, sicut in simili de scientia infusa animæ Christi dictum est, quòd quantùm est ex se habet per simplicem intuitum intelligere; ex conditione tamen subjecti, in quo est, sive intellectus humani ejus, habet etiam intelligere cum discursu; unde sicut hæc licèt ex propria ratione formali non postulet hunc modum discurrendi, potest nihilominùs admittere ex parte subjecti, ita Theologia licèt ex se non indigeat uti hujusmodi naturalibus, quia aliundè per revelationem habet sua principia; potest tamen ex insufficientia nostri intellectus indigere, vel uti illis. Per quod etiam patet ad probationem; nam licèt procedat per viam connexionis cum altero extremo naturali, (elevato tamen, ut dictum est, ad sublimius lumen, & certitudinem,) id nihilominùs provenit ex eadē intellectus imperfectione, qui non præcisè penetrat conclusionem in principio, ut Angelicus, sed ex principio per discursum, & quia ad illam faciliùs manuducitur assumpta altera naturali, ideò ad assensum sui scientificum indiget cōnexione medii cum extremis &c.

Sed adhuc instas. Ergo saltem Theologia nostra, vel prout contradistincta ab angelica indiget accipere ab inferioribus, & consequenter subordinari illis; probatur consequentia, quia prout sic est necessariò discursiva, si velimus esse distinctam, sicut & distinctus est intellectus utriusque; ergo &c.

Respondetur pro nunc distinguo ant. ly prout reduplicante rationem sui formalem, vel specificam, nego suppositum, quòd habeat sic distingui ab angelica: reduplicante modum, vel conditionem subjecti, concedo; sicut ergo ut in alio simili dictum est 3. p. q. 1. ad ar. 2. de satisfactione Christi non desunt graves Thomistæ, qui afferant justitiam commutativam illius, & nostram esse ejusdem speciei ob identitatem radicis (scil. gratiæ habitualis, & objecti, scil. æqualitatis integrandæ, licèt in Christo habeat hunc valorem ad offerendum æqualem satisfactionem, & non in nobis ob insufficientiam subjecti, ita similiter Theologia angelica, & nostra dicuntur esse ejusdē speciei, licèt in nobis discurrat, & in Angelis non: ob identitatem, scil. Fidei, quasi radicis, & objecti huic correspondentis, scil. mysteriorum ejus; sicut & ob eandem identitatem objecti, vel motivi formalis censetur eadem utriusque fides, licèt in nobis componat, & in Angelis non; sed de his infrà q. 12. art. 1. & 3. p. ibidem, & q. 9. ibi ad art. 3. &c.

DISPUTATIO II.

De his, quæ conveniunt Theologiæ ex parte Finis & Objecti.

Duo principaliter se offerunt, alterum potens conveoire ex parte finis, scilicet ratio practici, & speculativi, alterum ex parte objecti, scilicet unitas formalis, vel specifica &c.

QUÆSTIO PRIMA.

An Theologia sit simul practica, & speculativa.

Cum Theologia, ut constabit infrà, habeat pro objecto Deum sub ratione Deitatis, qui simul est prima veritas, & ultimus finis assequibilis, & consequenter prima regula speculationis, & praxis, sive primum speculabile, & operabile, scil. moraliter, quatenùs meritoriè tendimus ad illum consequendum, meritò ex hac parte affirmare possumus utramque illi rationem competere; cæterùm,

quia practicum, & speculativum in communi sententia Thomistarum sunt differentiæ essentiales, vel specificæ habituum, ut patet in habitibus naturalibus, videtur impossibile ex hac alia, quòd uniri possint in aliquo ente creato, quodcumque sit, nisi velimus unum continere differentiam alterius, vel ingredi ejus limites specificos, quod est forum solius Divinitatis. In qua re alii existimant esse speculativam tantùm, ut Henricus lib. 4. qo. 9. Alii practicam tantùm, ut Scotus q. 4. Prologi. Alii verò recentiores multiplicant, & dividunt in eam, quæ est speculativa tantùm, & in eam, quæ est practica tantùm.

Thomistæ verò in uno conveniunt cum D. Tho. hic art. 4. quòd sit simul practica, & speculativa, aliqualiter tamen differunt; nam alii videntur tantùm concedere de simultate eminentiali, sicut dicitur Sol eminenter calidus; ita Cajetanus hic §. *Antequàm Conclusio*, & 22. q. 45. art. 2. §. *Adverto*, 2. quem sequuntur ibi Aragon, Valentia, Suarez disp. 7. Alii verò, quòd sit simul utramque eminenter formaliter, sicut anima nostra dicitur simul eminenter formaliter vegetativa, & sensitiva; ita à S. Thom. hic disp. 2. art. 10. M. Ferre qu. 5. § 4. (licèt 2. 2. q. 6. de Fide, §. 5. num. 28. aliter explicet. Gonet ar. 4. & alii Discipoli D. Tho.

Sed pro hujus levis discriminis, & totius quæstionis, & aliarum similium difficultatum intelligentia adverto ex M. Catalam infrà q. 12. ad ar. 5. dub. 5. & M. Bannez hic dub. unico, quòd sicut ratio potentiæ, & habitûs dupliciter sumi possunt, primò, ut sunt differentiæ oppositæ dividentes essentialiter qualitatē naturalē in potentiam & habitum; secundò verò præcisivè, sive ablatis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur; nempè à ratione potentiæ ablata negatione determinationis ad benè, vel malè, & à ratione habitûs ablata negatione simpliciter necessarii ad operationem, sive ablato hoc, quòd est præsupponere in subjecto virtutem activam suæ operationis, ita similiter sumi dupliciter possunt ratio practici, & speculativi; primò, ut sunt differentiæ oppositæ dividentes habitus finitos, & inferioris ordinis: secundò ablatis imperfectionibus, quibus opponuntur inter se, nempè à ratione speculativi, ablata negatione regulæ directivæ operis, sive ablato hoc, quòd nullo modo sit regula operandi, & à ratione practici ablata negatione ordinabilitatis ad contemplationem, sive ablato hoc, quòd nullo modo ordinetur ad contemplationem.

Ex quo videtur posse utrūq; hunc modū conciliari; nam dum hic posterior contendit esse non solùm eminenter, sed etiam formaliter practicam, & speculativam, intelligendus est de utraque ratione ablatis imperfectionibus; unde sicut in priori simili dicunt aliqui infrà, quòd quia lumen gloriæ est qualitas supernaturalis Divini ordinis, & ideò excellentioris, quàm potentiæ, & habitus naturales, sub ratione formali specie una includit formaliter rationes potentiæ, & habitus naturalis, seclusis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, quòd est eas formaliter includere; ita Theologia, quia pariter est qualitas, vel supernaturalis, ut dictum est, vel supernaturali lumine Divinæ revelationis procedens, vel quædam impressio divinæ scientiæ, ut dicit D. Tho. hic ar. 3. ad 2. includere potest sub ratione formali specie una utramque rationem formaliter sub latis prædictis imperfectionibus. quibus inter se opponuntur, quod est eas formaliter eminenter includere; quidquid sit de illis priori modo, ut sunt differentiæ essentialiter dividentes scientiam finitam; nam prout sic etiam priores rationes potentiæ, & habitûs, ut nempè essentialiter dividunt qualitatem naturalem in potētiam, & habitum dicuntur incompossibiles in eadem forma specie, quia una essentialiter dicit negationem alterius; nam potentia naturalis activa differt essentialiter ab habitu, quia ipsa (ut etiam insinuavimus in Proœmialibus Logicæ de necessitate ejus) est principium operationis non supponens in subjecto aliquam virtutem activam ejusdem, & ideò simpliciter necessarium ad operationem, sed includit negationem determinationis ad bonam, vel malam operationem; habitus verò est principium operandi benè, vel malè determinatè, præsupponens virtutem activam ejusdem operationis, & ideò regulariter non est simpliciter necessarius ad operationem circa proprium objectum &c. His positis sit.

§. PRIMUS,

Statuitur prima Conclusio.

Theologia nostra est simul practica, & speculativa. Est expressa D. Tho. ar 4. in c. ubi ait: *Dicendum, quòd sacra doctrina, ut dictum est*, (scil. artic. præced.) *una existens, se extendit ad ea, quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas propter rationem formalem, quam in diversis attendit, scil. prout sunt divino lumine cognoscibilia, unde licèt in scientiis philosophicis alia sit speculativa, & alia practica; sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque, sicut & Deus eâdem scientiâ se cognoscit, & ea quæ facit.*

Ex quibus prob. primò sic. Theologia nostra habet universalius lumen, vel rationem formalem universaliorem quolibet habitu inferiori philosophico, ergo optimè potest utramque rationem continere; ant. est certum, quia est lumen divinæ revelationis longè eminentius, vel incomparabiliter excedens quodcumque lumen naturale; consequentia verò prob. quia quo lumen est sublimius, vel eminentius, eò est universalius ad plura se extendens, salva sui simplicitate, ut latè ostensum est in eisdem Proœmialibus, ergo si Theologia suo lumine, vel ratione formali excedit omne lumen scientiæ, vel habitus philosophici, ad utramque eorum rationem se extendet, scil. practici, & speculativi utramque simul continens salva sui simplicitate &c.

Explicatur hoc. Quælibet scientia ad ea se extendit, ad quæ se extendit ejus ratio formalis, cùm juxta ejus amplitudinem, vel universalitatem se extendat, ut latè ibidem ostensum est; sed Theologia sub una, & eadē ratione formali ob sui superioritatē, & eminentiam extendit se ad ea, quæ pertinent ad diversas scientias, vel habitus philosophicos; ergo cùm ex his alii sint practici, alii speculativi ad utramque simul per sui continentiam salva sui simplicitate se extendet &c.

Dices ita esse, quòd ad utramque se extendit, quatenùs de utraque agit, scil. de re speculabili, & de re operabili considerando naturam, & ejus proprietates, non tamen procedendo modo compositi-

vo,

vo, sive dirigendo ad rei operationem, quod est esse tantùm practicam materialiter, sive ex parte materiæ non intrinsecè per modum regulæ dirigentis ad opus, unde formaliter loquendo non extrahitur extrà limites habitûs purè speculativi, quia considerare naturam, & proprietates rei operabilis, totum pertinet, formaliter loquendo, ad forum speculativum &c.

Sed contra hanc solutionem militat argumentum factum. Quia repugnat in terminis, quòd tantùm se extendat materialiter, & quòd se extendat ex meritis sui luminis, vel rationis formalis; ergo; prob. ant. quia formalis ejus ratio, sive lumen divinæ revelationis non solùm est speculativum, sed etiam practicum, cùm non tantùm conducat ad Deum contemplandum, sed etiam assequendum; ergo si semel se extendit ad utramque rationem ex vi sui luminis, se extendet practicè formaliter, & non tantùm materialiter. Ex hoc concludit efficaciter ratio D.Tho. dum ait se extendere ad ea, quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas, quatenùs sunt cognoscibilia divino lumine, quia nempè hoc lumen est simul practicum, & speculativum &c.

Urgetur hoc. Ex habitibus inferioribus alii sunt tantùm speculativi, alii tantùm practici, non solùm extrinsecè, vel ex parte materiæ, sed etiam intrinsecè, vel ex parte sui; ergo Theologia erit utrumque simul, non tantùm extrinsecè, vel materialiter, sed etiam intrinsecè; prob. consequentia, quia ob excellentiam, aut superioritatem sui luminis est eminenter utrumque simul, quod inferior est alterum tantùm, ergo si alter habitus ex philosophicis est speculativus, & alter practicus, non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, vel ex parte sui; utrumque erit formaliter, vel ex parte sui Theologia.

Urgetur ulteriùs, & simul explicatur totum hoc, Ex eo alii ex Philophicis sunt speculativi, alii practici, quia alii sub lumine speculativo inferunt conclusiones ex principiis speculativis, alii verò sub practico ex principiis practicis, sed etiam Theologia sub lumine revelationis simul practico, & speculativo, mox infert suas ex principiis speculativis, mox ex practicis; ergo simul erit utrumque, sicut inferiores sunt alterum tantùm, scil. intrinsecè, vel formaliter, & non solùm ex parte materiæ; prob. cons. quia in Sacra Scriptura non solùm continentur veritates speculativæ, ut quòd Deus sit unus, & trinus, omnipotens, incarnatus &c. sed etiam practicæ, ut sunt omnia præcepta sive naturalia, sive divina, sed ex his propriè, & ex necessitate arguit Theologia, ut tradit D.Tho. infrà ar.8. ad 2. ergo &c.

Dices ex his magis colligi oppositum, nempè quòd detur quidem habitus Theologiæ, qui sit speculativus, & qui sit practicus, non tamen quòd idem sit simul utrumque, sicut similiter datur in philosophicis, qui sit practicus, & qui speculativus; non tamen idem, qui sit simul utrumque; unde sicut in his habitus inferens ex practicis est est tantùm practicos, & qui ex speculativis est tantùm speculativus; ita in theologicis qui infert ex speculativis erit tantùm speculativus, & qui ex practicis tantùm practicus; unde sicut Philosophia simul utrumque comprehendit, sed non secundùm identitatem habitus, ità utrumque simul comprehendet Theologia, sed cum diversitate habitus, &c.

Sed hæc solutio iterum impugnatur argumento facto, & ex his, quæ latè expendimus in eisdem proœmialibus logicæ de simplicitate habituum: nam quilibet habitus salva sui simplicitate, & unitate se extendit ad omnia ea, quæ cadunt sub propria ratione formali, sed formalis ratio Theologiæ, sive lumen divinæ revelationis se extendit, ut dictum est, ad utramque rationem, ergo salva simplicitate, ac sui unitate ad utramque se extendet Theologia, &c. mai. patet tum quia habitus, ut vidimus, se extendit juxtà amplitudinem suæ rationis formalis; tum quia est perfectio potentiæ, ergo sicut potentia una simplex se extendit ad omnia, quæ cadunt sub eadem ratione sui formali, pariter habitus unus simplex se extendet ad omnia, quæ cadunt sub sua, ut latè ibi ostensum est impugnando discrimen à contrariis adductum de producibilitate, & improducibilitate inter potentiam, & habitum nostris actibus, quod magis se tenet ex parte efficientis, quam causæ formalis, ad quam recurrendum est in constituendo præfatam simplicitatem, &c.

Explicatur, & urgetur hoc afferendo simul disparitatem inter Theologiam, & alios inferiores habitus. Ex eo isti multiplicantur ad multiplicationem utriusque rationis, quia eorum ratio formalis est valdè limitata, at non sic limitatum est lumen divinum, quo utramque percipit Theologia, sed incomparabiliter excedens, ut dictum est; omne lumen inferius, ergo non tenetur ità multiplicari sicut scientiæ, vel habitus inferiores ad earum multiplicationem; undè ut ibidem, & alibi dictum est; quò magis ascendimus minus multiplicamus, ut patet inductivè, sive in habitibus, sive in potentiis, &c. undè ea, quæ sufficiunt ad multiplicandum inferiora, v. g. actus, non sufficiunt ad multiplicandum superiora v. g. habitus, & quæ ad habitus, non sufficiunt ad potentias, & quæ ad istas, non sufficiunt ad animam, vel principium radicale, & quæ in ordine inferiori non sufficiunt in superiori, vel supernaturali, ob majorem universalitatem superioris respectu inferioris. Nam si superior forma, vel principium non æquivaleret pluribus inferioribus, vel non præstaret una simplex existens, quæ præstant plures inferiores, jam non esset forma universalior, vel excellentior, sed limitata sicut inferior, quod est repugnātia in terminis, &c.

2. Prob. concl. (& iterum urgentur superiora) ex his, quæ ibi subdit S. Tho., scil. *Sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque, sicut & Deus eadem scientia se cognoscit, & ea, quæ facit.* Ex quo argumentor sic. Theologia, seu Sacra doctrina, ut ait idem art. 3. ad 2. est velut quædam impressio divinæ scientiæ, sed hæc una simplex utramque rationem comprehendit, ergo pariter comprehendet utramque nostra Theologia: mai. constat cum sit participatio formalis scientiæ Dei mediante fide, ut latè patet ex dictis de supernaturalitate ejus; vel saltem formalis ratio ejus sit lumen divinæ revelationis, ut dictum est; sive lumē divinæ scientiæ se nobis, vel secreta sua manifestantis mediante eadem fide, &c.

Dices iterum ex his magis concludi oppositum retorquendo superiorem doctrinam: quia licet sit quædam impressio, vel participatio scientiæ divinæ, est tamen participatio deficiens, & limitata,

ergo

ergo juxtà doctrinam traditam, quod habitus inferior,& limitatus non possit gaudere eadem simplicitate superioris,non videtur rectè inferri,quòd utramque rationem comprehendat Theologia nostra una simplex ex eo, quòd utramque comprehendat una simplex scientia Dei, sed magis totum oppositum, scil. cum sui multiplicatione, si velimus in descendendo obligari ad multiplicatodum, ot contendimus io exemplis adductis,&c.

Sed contrà hoc est, & in primis hæc solutio si aliqoid concluderet, jam nullus habitus, nec potentia, aut principium in creatis posset unum simplex plures hojusmodi rationes comprænhendere, cum quodlibet sit deficiens,& limitata participatio Dei. Deindè impugnatur,quia licet sit deficiens,& limitata participatio,est tameo in linea participaodi supremum aoalogatum iotrà forum scientiæ,procedens lumine divino, ergo licet una simplex nequeat se extendere ad omnia,ad quæ se extendit divina scientia, benè tamen ad omnia, quæ cadunt sub propria ratione formali, ut est utraque ratio practici, & speculativi ut probatum est: & in hoc non obstante sui limitatione, & defectu potest imitari divinam simplicitatem in comprehendendo utramque rationem,ut rectè infert D.Tho.&c.

Explicatur hoc paritate jam insinuata, & desumpta ex eodem prima secundæ, q. 54. art. 4. Nam sicut latè examinavimos in prædictis proœmialibus,quamvis habitus ex eo, quòd sit principium magis limitatom, quam potentia, non possit unus simplex ad omnia se extendere, ad quæ eadem se exteodit, ut potè uoiversalior;nihilominus sicut potentia uoa simplex se extendit ad omnia, quæ sunt suo lumine cognoscibilia, sive quæ cadunt sub eadem sui ratione formali, ità pariter habitus unus simplex ad omnia se extendit, quæ sunt cognoscibilia lumine suo, vel quæ cadunt sub propria formali ratioue, ergo licet Theologia nequeat uoa simplex extendere se, ad quæ se extendit scieutia divina una simplex, poterit tamen ad ea, quæ lumine divinæ revelationis cognoscibilia sunt, scil. ad otramque rationem practici,& speculativi, &c.

§. II.

Statuitur secunda Conclusio,

Theologia non solum emineoter, sed etiam formaliter est simul practica, & speculativa; magis autem speculativa, quam practica, sive ut alii dicunt primariò speculativa, secundariò practica.Quoad utramque partem sumitur ex D.Tho. hic art. 4. illis verbis. *Sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque, sicut & Deus eadem scientia se cognoscit, & ea,qua facit.* Sed scientia Dei est simul utrumque formaliter, cum neutra ratio ex præciso conceptu speculativi, & practici imperfectionem importet, cum prior dicat contemplationem veritatis, posterior verò causam activam, & directivam operationis ad extrà, quod dicit perfectionem simpliciter,ergo pariter Theologia,ut potè participatio quædam, vel impressio divinæ scientiæ,ut tradit art. 3. erit simul utrumque formaliter. §. Deindè cum continentia eminentialis formalis distinguatur ab eminentiali virtuali tantum, quod hec,ut insinuavimus, importat solum virtutem efficiendi,quæ alia efficiunt, non tamen formaliter est ea, quæ in aliis plura sunt, ut com dicimus Deum esse eminenter Angelum,corpus,&c. oon quia sit angelus, vel corpus, sed quia virtus ejus est factiva utriusque; prior verò ulterius dicit, quòd in superiori reperiantur formaliter ea, quæ in aliis plura sunt, sive quòd in se eadem adunet, vel comprehendat, licet non secundum modum, ex quo habeot esse plura, vel opponuntur ioter se,vel seclusis imperfectiooibus, proot sunt in subjecto inferiori, vel finito, & limitato, ut cum iterum dicimus Deum esse spiritum,vel subsistentiam creaturæ, noo quia solum habeat vim effectivam eorum, sed quia formaliter in eo reperitur,ratio spiritus, vel se ipso intransitivè reddere potest subsistentem oaturam creatam; satis insinuare videtur prædictis verbis, quòd sit utraque formaliter,dum noo ait præcisè, quòd habeat vim præstandi munera utriusque, sed quòd in se compreheodit utramque ratiooem, sicut eas comprehendit scientia divina, &c.

Secundam etiam partem tradit sequentibus verbis, dicens; *Magis tamen est speculativa, quam practica, quia principaliùs agit de rebus divinis, quam de actibus humanis,de quibus agit secundum quòd per eos ordinatur homo ad perfectã Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.* Qua ratiooe etiam affirmat similiter de fide 22.q.9.art.3. quòd sit primariò speculativa, & secuodariò practica diceos;*Fides primò, & principaliter in speculatione consistit, in quantum scil. inhæret primæ veritati, sed quia prima veritas est etiam ultimus finis, propter quem operamur, inde etiam est, quòd fides ad operationem se extendit secundùm illud ad Galat. 5. fides per dilectionem operatur, undè etiam opportet, quod donum scientiæ primò quidem, & principaliter respiciat speculationem, inquantum scil. homo scit, quid fide tenere debeat, secundariò autem se extendit ad operationem, secundùm quod per scientiam credibilium,& eorum,quæ credibilia consequuntur, dirigimur in agendis*; cum ergo utrumque modum procedendi similiter habeat Theologia, ut jam insinuavimus, & infrà etiam constare poterit,erit juxtà D. Tho. primariò, aut magis speculativa,quam practica,&c.

Sed ratione prob. prima pars; pro qua tamen suppono præcipuam ejus difficultatem etiam inter Authores affirmantes,reduci ad hoc; an scil.ità sit utraque ratio formaliter, ut eas contineat adhuc secundùm qood differentiæ sunt habituum naturalium,an verò solum, ot sumuntur præcisivè, sive ablatis imperfectiooibus modo explicato, nam magister Bannes hic art.4.dub.unico conclus. 2. affirmat de illis hoc posteriori modo, & probabiliter negat concl. 4. priori modo,concedens tandẽ probabiliter de sola ratione speculativi concl. quiota. Magister verò Ferre videtur variè loqui, nam secunda secoodæ ubi suprà, ad hujusmodi continentiam, scil. ut per se differentiæ sunt habituum naturalium,& non sufficere solam superioritatem ordinis, uodè existimat in nullo habitu creato quicumque sit;posse adunari: *Est enim solius divinitatis*(,ioquit;) ob sui infinitatem præcontinere simul rationes differentiales plurium rerum; hic verò §. 4.n.140. distinguit concedendo respectu aliquarum, quod simultanea earum continentia re-

requirat infinitatem, ut est v. g. simultanea continentia plurium durationum præsentis, præteritæ, & futuræ, & ideò quoad hoc sit imparticipabilis à pura creatura æternitas Dei; non tamen esse necessariam respectu omnium, & specialiter in casu respectu practici, & speculativi, & dicit sufficere solam ordinis superioritatem, & consequenter, quòd Theologia participet Dei scientiam quoad hoc, quod est esse simul practicam, & speculativam, quod tamen non audet ibidem concedere de fide. Advertit tamen ibi, quod practicum, & speculativum non quomodocumque sunt per se differentiæ habituum inferiorum, sed solum per se practicum, & per se primò speculativum, undè utrobique asserit, quod tam fides, quam Theologia, primariò tantum sunt speculativæ, secundariò verò practicæ; in quo videtur ex parte conciliare utrumque dictum, quamvis in eo, quod concedit hic sufficere superioritatē ordinis videatur ex alia aliquomodo recedere à priori doctrina, vel eam limitare; undè demum hic §. 3. n. 136. inter probandum conclusionem, ut utramque rationem componat in Theologia, asserit non esse de ratione speculativi, quòd id, quod speculativum est, non ordinetur ad operationem, sed solum est, quòd sub munere speculativi non ordinetur ad illam, & similiter de ratione practici non esse, quòd id, quod practicum est, non ordinetur ad veritatis contemplationem, sed solum est, quod sub munere practici non ordinetur ad illam, & ità optimè possit Theologia inclinari ad utrumque finem cum distributione tamen accommoda, scil. ad contemplationē sub munere speculativæ, & ad operationem sub munere practicæ, comprehendendo prout sic sine oppositione utramque rationem cum prædicto ordine primarii, & secundarii, in quo videtur removere ab illis propriam rationem differentiæ, secundùm quòd una tenetur importare negationem alterius, ut explicatum est, & consequenter, quòd non includit eas ut differentiæ sunt inter se oppositæ, prout tales assignantur respectu habituum naturalium vincendo earum oppositionem ratione superioritatis, itaut non requiratur infinitas ad vincendam illam, sicut ratione istius vincit æternitas divina oppositionem durationum temporalium simul continendo illas, & sic de aliis, ad quod reducitur totum pondus hujus subtilis difficultatis in sustinendo simultaneam continentiam hujusmodi rationum differentialium, &c.

His ergo præsuppositis prob. eadem prima pars intellecta præcipuè modo posteriori, vel ablatis imperfectionibus, ut dictum est; & primò quidem quòd utraque sit formaliter in illa. Theologia habet actus, alios formaliter speculativos, alios formaliter practicos, ergo est formaliter speculativa, & formaliter practica; consequentia tenet, quia qualitas habituum cognoscitur per actus, sicut qualitas actuum per objecta, ant. verò etiam constat, quia ut statim dicemus, ad hoc tendit ut perfectè cognoscat Deum, ut potè sui objectum, & deindè dirigat actus humanos, ut debito modo tendant in illum, ut assequibilem, ergo actus ejus alii sunt formaliter speculativi, & alii practici, &c.

Explicatur hoc ex his, quæ tradidimus in libris de anima. Nā quia videmus hominē, quòd ab illa habet formaliter vegetare sentire, & ratiocinari colligimus esse formaliter vegetativam, sentitivam, & rationalem, ergo quia pariter videmus à Theologia provenire actus formaliter speculativos, & formaliter practicos, tenemur asserere, quod sit formaliter, & non solum virtualiter speculativa, & practica, &c.

Deindè probatur à priori tum ex parte sui, quia est participatio, vel impressio quædam divinæ scientiæ, quæ est formaliter utrumque ut dictum est; tum quia habet pro objecto Deum, qui simul est veritas contemplabilis, & ultimus finis assequibilis, ergo ex sui natura habet meritum formaliter contemplandi, & dirigendi nostros actus, ut tendant modo debito in illum, ut ultimum finem assequibilē; ant. est certum, & constabit etiā infrà, consequentia verò prob. quia quod habet scientia, vel habitus ex meritis objecti, formaliter habet, cum ex parte objecti attendatur essentia, vel perfectio ejus; & natura, vel debitum scientiæ pariter sit respicere objectum juxtà meritum, aut conditionem ejus, ergo, &c.

Explicatur hoc. Quando objectum scientiæ est per nostros actus assequibile, scientia perfectè illud cognoscens, potest eosdem actus dirigere, ut debitè tendant in illud, ergo cum Deus objectum Theologiæ sit non solum speculabilis, sed etiam finis ultimus, Theologia perfectè illum cognoscens poterit actus nostros humanos dirigere in illum ut assequibilem, quod est simul speculativè, & prácticè procedere, &c.

Explicatur ulterius, & urgetur hoc. Ex eo metaphisica dicitur formaliter speculativa, Philosophia verò moralis, practica, quia illa agit de Deo, ut primo principio speculabili, hæc verò de ultimo fine, & mediis ad illum conducentibus, sed hoc ipso, quòd Theologia versatur circa Deum sub ratione Deitatis, ut sui objectum, utrumque exequitur; cum Deus sub ratione Deitatis sit prima veritas speculabilis, vel primum principium, & ultimus etiam finis nostris actibus assequibilis, ergo non solum speculatur illum, sed dirigit actus nostros ad illum, ut assequibilem, &c.

Deindè prob. eadem pars, quòd nempè non contineat ut sunt differentiæ inter se oppositæ dividentes essentialiter habitum inferiorem, vel naturalem in practicum, & speculativum, sed solum ablatis imperfectionibus. Quia speculativum prout sic includit negationem practici, & è converso, aliàs non essent differentiæ inter se oppositæ, ergo impossibile est posse formaliter adunari in eodem habitu, &c.

Dices ità esse si sit habitus naturalis, secus verò si supernaturalis, quia ea, quæ distinguuntur, vel sunt dispersa in inferioribus, habent unitatem in superioribus, undè ratione superioritatis, sivè quoad entitatem, sive quoad lumē habitus superior vincit distantiā, quæ reperitur in ordine inferiori.

Sed contrà hoc est. Nam quamvis habitus sit ordinis superioris, est tamen finitus, ergo impossibile est, quod identificet sibi differentias duorum entium naturalium; prob. consequentia, quia sibi identificare hujusmodi differentias est non claudi propriis terminus, & ingredi alienos, ergo cū quodlibet ens creatum adæquatè claudatur, & constituatur in sui specie per unam tantum differentiam, (undè ut insinuavimus, est forum solius divinitatis ob sui infinitatem continere differentias plurium rerū) nō poterit habitus etiā supernaturalis utrāq. prout sic includere. Ex-

Explicatur & urgetur hoc ex his, quæ tradunt Theologi præcipue Thomistæ 3. parte in materia de Incarnatione. Quia ex eo prob. nullam substantiam creatam, aut creabilem posse terminare alienam naturam, quia nulla ut potè finita est potens formaliter continere differentiã alterius, ergo nullus habitus quantumvis superior poterit utramque rationem continere, ut formaliter differentiæ sunt inter se oppositæ, undè ob sui infinitatem id tantum tribuitur subsistentiæ divinæ, &c.

Dices ex M. Ferre hic §. 4. quòd tunc duæ differentiæ dividentes genus ad varias species ob limitationem generis, non possunt adunari in aliquo superiori etiam creato, vel finito, quando reverà non datur, nec est dabile genus simile ordinis superioris, ut patet v.g. in rationalitate, & rugibilitate dividentibus genus animalis in duas species, nam non ideò præcisè incompossibiles sunt in aliquo genere ordinis superioris, quia differentiæ athomæ sint dividentes per se, vel ex suis rationibus formalibus genus inferius, sed quia animal ordinis superioris nõ est producibile à Deo, *si enim*, inquit, *esset producibile forsan non divideretur animal per rationale, & rugibile, quia ob sui maiorem amplitudinem, utramque differentiam sibi identificare posset*; & idem videtur dicendum juxtà hanc doctrinam de subsistentia cum non detur subsistentia supernaturalis creata, nec dabilis sit (sicut nec substantia supernaturalis, ut dicunt Thomistæ) quæ ob sui superioritatem vincat similiter distantiam subsistentiarum inferiorum. *Quoties autem differentiæ*, subdit idem, *dividunt genus ob sui limitationem ad varias species, & potest dari genus illi simile superioris ordinis, tunc ob sui maiorem amplitudinem, & minorem limitationem potest contingere, quòd differentiæ, quæ dividunt genus inferius, genus superius ordine non dividant. Cum ergo genus scientiæ sit duplex, aliud inferioris ordinis, nempè naturale, aliud superioris ordinis, nempè supernaturale, contingere potest, quod practicum, & speculativum, quæ differre faciunt genus scientiæ naturalis, non dividant genus scientiæ supernaturalis.*

Sed hæc solutio, (nisi velit aliter hìc sentire) non videtur cohærere cum altera, quam tradit, ut insinuavimus, alibi de fide, nam quia hujusmodi practicum per se primò, & speculativum, per se sunt prout sic differentiæ habituum naturalium, negat etiam habitui supernaturali fidei simultaneam continentiam utriusque, & rationem subdit, ut suprà, quia non potest, inquit, una species creata quamvis ordinis altioris sit, sibi identificare duas differentias duorum entium naturalium, est enim proprius solius divinitatis ob sui infinitatem præcontinere simul rationes differentiales plurium rerum, ergo altitudo, vel superioritas nec sufficiet in casu, vel aliàs non erit denegandum de fide, &c.

Secundò. Quia §. 1. hìc statuit Theologiam solũ esse primariò speculativam, & secundariò practicam, sed hoc non videtur importare continentiam utriusque, ut differentiæ sunt habituum inferiorum, ergo vel erit concedendum esse utramque primariò, vel non continere illas, ut differentiæ sunt; prob. min. quia solum ut sunt tales primariò, vel per se primò sunt differentiæ habituum naturalium, undè similiter ibidem defendit concluf. secunda, fidem esse solum primariò speculativam, & secundariò practicam, quia nempè illas continere nequit, ut differentiæ sunt eorumdem habituum, undè difficile apparet, quomodò hic §. 3. & 4. sustineat continere utramque formaliter ut differentiæ sunt, & deindè in quinto velit tantum esse primariò speculativam, & secundariò practicam, nisi iterum velit hujusmodi rationes aliter accipere, &c.

Tertiò. Quia ex eo concedit ibidem lumen scientiæ beatæ, vel etiam lumen angelicum esse per se primò lumen principiorum, & lumen conclusionum, quia existimat hæc duo lumina ut potè convenientia eidem lumini naturali angelico, non esse per se differentias divisivas luminum naturalium, ergo si semel practicum, & speculativum sunt per se differentiæ habituum naturalium, non poterunt prout sic in eodem habitu quantumvis supernaturali adunari formaliter, &c.

Quartò. Quia ut dictum est, licet sit ordinis superioris, est tamen habitus finitus, & unius speciei, ut constabit infrà, ergo impossibile est, quòd contineat formaliter utramque rationem prout differentiæ sunt, sive ut una dicit negationem alterius, aliàs finitus non erit, sed egredietur limites proprios, & ingredietur alienos, &c.

Explicatur hoc exemplo jam insinuato luminis gloriæ, nam licet juxtà modum probabilem ex eo quòd sit ordinis divini, & excellentioris, quam potentiæ, & habitus naturales, sub ratione formali specie una dicatur includere formaliter rationes utriusque sublatis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, quia tamen finitus est, nequit includere illas, ut sunt differentiæ oppositæ dividentes essentialiter qualitatem in potentiam, & habitum, quia una prout sic includit negationem alterius, ut explicatum est, ergo licet similiter Theologia ob superioritatem ordinis, vel luminis possit rationes practici, & speculativi priori modo continere, non tamen ut differentiæ sunt, sive ut dicit una negationem alterius; & ratio utriusque est, quia eadem eminentia, vel superioritas potest dare quidem continentiam utriusque præcisivè ab imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, non tamen illis inclusis, qua ratione dicuntur differentiæ habituum naturalium, &c.

Ex his deniquè prob. secunda pars, quòd nempè sit magis, aut primariò speculativa, & secundariò practica. Quia in tantum est practica, in quantum agit de actibus humanis, quibus homo ordinatur ad Deum, ut tradit hic D. Tho. art. 4., sed de his agit secundariò, & veluti extensivè, si velimus solum Deum sub ratione Deitatis esse objectum ejus specificativum, ergo tantùm secundariò erit practica.

§. Tum quia omnem sui praxim ordinat ad finem speculationis, scil. ad Dei cognitionem in qua æterna beatitudo consistit, ut ait ibidem D. Tho. & suprà art. 3. ad 1. dicens *Sacra doctrina non determinat de Deo, & de creaturis ex aquo, sed de Deo principaliter, & de creaturis secundùm quod referuntur ad Deum, ut ad principium, vel finem*, ergo, &c.

Dices non præcisè esse practicam respectu objecti secũdarii, vel extẽsivi creaturarũ referibiliũ in Deum, sed etiam respectu primarii, vel specificativi, cum agat de illo non solum, ut est veritas speculabilis, sed etiam ut est ultimus finis assequibilis

bilis, qui prout sic pertinet ad lineam practici, &c.

Sed contrà hanc solutionem, (quæ videtur tãgere præcipuam vim in favorem aliquorum Thomistarum concedentium quidem esse magis, vel principaliùs speculativam, quam practicam non tamen primariò, & secundariò) instatur primò sic. Quia aliud est agere de Deo ut fine ultimo, aliud verò agere practicè de illo saltē primariò, & in recto; sed licet admittatur primum, est tamen falsum secundum, ergo non rectè ex hoc infertur, quòd sit primariò practica; min. constat, quia ultimus finis non solum considerari potest affecutivè, ostendendo scil. modum quo per nostros actus est assequibilis, sed etiam quiditativè, ideft ostendendo ex revelatis, prædicata quiditativa, & causalitatem ejus; patet autem hanc considerationem non esse practicam, sed purè speculativam, cum sit contemplatio prædicatorum ejus, ergo non omnis consideratio de fine ultimo tenetur esse practica: mai. verò prob. quia primò, & per se agit de Deo ut est in se, cum verum divinum, ut in se est, sit ejus objectum primariũ, ut verò assequibilis per actus nostros, vel connexus cum illis spectet ad secundariũ, undè omnem hujusmodi dirigibilitatem, & assequibilitatem tractat in ordine ad finem speculationis, scil. ad cognitionem vel contemplationem Dei, ut in se est, in qua vita æterna consistit, ut vidimus ex D. Tho. & ad quam consumativè ordinamur, ergo, &c.

Explicatur hoc. Theologia vel practicè in recto non agit de Deo, ut ultimo fine assequibili per nostros actus, sed magis de illis, ut conducentibus ad Deum; vel esto de illo prout sic agat in recto, non tamen practicè primariò, sed tantum, vel speculativè, vel practicè secundariò, ergo ex nullo capite potest dici practica primariò; prob. ant., quia ut patet discurrẽdo per singulos ejus tractatus; vel agit de illo considerando ejus naturam & proprietates, & tunc procedit speculativè; vel tradit modum, quo actus nostri debitè tendant in illum, & tunc isti veniunt in recto, & Deus in obliquo; vel si denique agit de illo, ut assequibili, vel connexo cum illis, non spectat tunc ad objectum primarium, sicut nec ut connexus cum creaturis spectat ad primarium scientiæ ejus, & beatorum, ergo vel speculativè agit de illo, vel si practicè, & in recto, tantùm secundariò sicut infrà in simili dicimus de voluntate Dei circa constitutivum actus liberi Dei, quòd divina bonitas si consideretur in se, ut continet omnem perfectionem, & est simpliciter, & omnibus modis infinita, est objectũ actus necessarii, & pertinet ad objectum primarium, si verò ut est communicabilis creaturis, & ut exemplar communicationis de facto, est objectum amoris liberi, & pertinet ad lineam, vel tendentiam veluti secundariam divinæ voluntatis, &c.

§. III.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arguitur contrà primam sumpto fundamento ex his, quæ tradidimus in proœmialibus logicæ. Theologia est verè, & propriè scientia, ut probatum est, ergo non potest esse simul practica, & speculativa, sed speculativa tantùm, probatur consequentia, quia juxtà probabilem modum dicendi inter Thomistas, quem ibi cum Jo. à S. Tho. Sãchez, & aliis probabiliter admittimus ex doctrina D. Tho. q. 3. de veritate, art. 3. ibidem relatis, non datur habitus semel scientificus verè, & propriè, qui speculativus tantum non sit, undè negant prædicti Authores scientias practicas, adeò ut Philosophiam etiam moralem solum admittunt practicam secundùm quod includit prudentiam, ut explicat a S. Tho., non prout est quid distinctum, & separatum à prudentia secundùm quòd tractat de moralibus definiendo, dividendo, & argumentando, nam prout sic existimat esse purè speculativum, ergo vel non stat Theologiam esse verè scientiam, vel solum esse speculativã, &c.

Propter hoc argumentum M. Ferre hic §. 2. ad 1. existimat non posse prædicta duo componi, nẽpè quòd Theologia sit verè scientia, & quod deindè sit practica, si semel dari nequeunt scientiæ practicæ, undè sustinet Theologiam moralem etiam ut distinctam à prudentia verè esse practicam, quia ut sic distincta dirigit illam, quatenus explicat principia synderesis, simili modo, quo, inquit; ipse Jo. à S. Tho. hic art. 10. defendit Theologiam esse practicam, quatenus dirigit prudentiam explicando principia fidei, quæ dirigi potest prudentia; undè etiam D. Tho. p. 2. q. 9. art. 1. ad 2. docet, quòd ratio practica etiam utitur syllogismo fundato in principiis communissimis practicis, ergo processus, & discursus argumentativus auferre nequit rationem praxis à vera scientia, &c.

Relicto ergo prædicto modo dicendi respondet optimè stare, quòd processus, vel discursus scientificus sit verè practicus, si aliàs est resolutivus ad principia practica, sicut est verè speculativus, si est resolutivus ad principia speculativa, quod deducit ex eo, quia primus cõclusiones resolvit ad principia, quæ attinguntur per synderesim, quæ est habitus practicus; secundus verò ad principia, quæ attinguntur ab ipsa intelligentia, quæ ut potè habitus primorum principiorum est speculativus, & sic demonstrationes, quæ fiunt per primum processum opportet esse practicas, quæ verò per secundum speculativas, &c.

Quod si ab eodem inquiratur, quomodo stet, quòd uterque speculativus non sit, si semel uterque resolvit ad principia necessaria, qui videtur modus oppositus modo procedendi practicè, nam iste procedit componendo, vel introducendo formam in materia, quod est respicere rem contingenter, sive ut ponitur sub existentia, &c.

Respondet, rem ponendam sub existentia dupliciter respici posse, scil. purè intentivè, vel etiam executivè; primo modo contingit, quando habitus inclinans ad illam, ità eam respicit, ut sit proxima, & immediata regula executionis illius, & tunc in factibilibus spectat ad artem, in agibilibus verò ad pruden tiam, secundò autem quando solum intendit ut finem, non tamen ut exequendum à se ipso, sed ab alio habitu, quem ipse dirigit tanquam regulam proximam factibilitatis, vel agibilitatis ejus, & hoc modo respicitur à scientia practica, cujus resolutio conclusionum usque ad principia necessaria synderesis eò tendit tantùm, ut prudentiam, vel artem, quæ sunt proximæ regulæ operationum, dirigat ad benè operandum, *undè benè stat*; inquit; *quod processus resolutivus sit necessarius, &*

tamen pro fine, ad quem per se inclinat, *rem ut sub existentia ponibilem habeat*; ità ut procedere modo compositivo sit actus artis, sed respectu scientiæ practicæ sit solū finis, & sic ars, vel prudentia procedit modo compositivo, exequendo, scientia verò practica intendendo, sive finaliter, hoc est habendo pro fine sui processus compositionem. §. Et ne videatur hoc ipsum gratis asserere, adducit D. Tho. 2. metaphisicæ lect. 2., ubi ait. *Quia & si practici hoc est operativi intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus*, *non tamen quærunt eam tanquam ultimum finem*, *non enim considerant causam veritatis secundùm se, & propter se, sed eam ordinando ad finem operationis*; quibus verbis videtur demonstrare essentiam scientiæ practicæ consistentem in eo, quòd licet conclusiones universales ad causas, & principia veritatis practicæ resolvat, hoc tamen non facit, ut veritatem agnoscat, sed ut sic veritatem cognoscendo, artem, vel prudentiam rerum factivam immediatè dirigat; sic subtiliter prout de more discurrit idem sapientissimus meus magister, &c.

Cæterum salva probabilitate hujus posterioris modi dicendi, negari tamen non potest, priorem etiam esse satis probabilem, tum ob authoritatem prædictorum DD, tum ob urgentia etiam motiva, quæ in eisdem proœmialibus disp. 1. q. 1. §. 6. insinuavimus, tum ob gravè fundamentum in Philosopho 6. æthic. & D. Tho. locis etiam relatis, undè etiam §. 8. ad 5., vel ultimum sit satis ad ea, quæ opponit hìc idem Magister, supposita autem probabilitate ejusdem modi restat adhuc ab omnibus solvendum præcedens argumentum, ut potè militans contrà communem Thomistarum sententiam, &c.

Respondetur ergo, vel nego consequentiam, vel distinguo; non potest esse practica, sed speculativa tantùm primariò, aut principaliter, vel consumativè conc., secundariò, vel extensivè, aut vialiter nego; itaque ex quo verè, & propriè scientia est, tenetur primò, & per se, & tandem consumativè esse speculativa, ut innuimus ex D. Tho. hìc art. 4. in fine corp., illis verbis relatis, *magis autem est speculativa quam practica*, *quia principaliùs agit de rebus divinis*, *quam de actibus humanis*; in quorum, scil. tractatu habet aliquem influxum practicum, quatenus per eos ordinatur homo ad assequēdum Deum, sed quia id totum dirigit ad finem speculationis, nempè ad perfectam Dei cognitionem; consumativè iterum sistit intrà limites speculationis, & consequenter perpetuò intrà limites habitus speculativi simpliciter; nihilominus ex quo suprema inter acquisitas, vel supernaturalis est, habens pro objecto Deum, qui simul eminenter continet rationem practici, & speculativi se extendit etiam secundariò ad agibilia, ut sunt lumine divino cognoscibilia, salvo eodem conceptu habitus speculativi, cum tandem omnia, ut dictum est; ordinet ad finem speculativum, sicut in simili dictum est de logica ubi suprà, quòd quia inter scientias speculativas ex opposito minima est, vel ministerialis, quatenus scil. ministrat aliis speculationis instrumenta, salvo pariter conceptu habitus speculativi simpliciter, agere potest de his, quorum cognitio saltem secundariò quæritur propter aliud, ordinando tamen omnia ad finem speculationis, in quo licet utraque prout sic videatur aliquomodo declinare à ratione scientiæ, non tamen à ratione formali ejus, imò in Theologia id oritur, ut dictum est, ex eminentia ejus, ut similiter etiam dicitur 3. p. q. 9. ad art. 3. de scientia infusa animæ Christi, quod quia ut sui objectum respicit Deum, non solum ut in se perfectissimè speculabilis, est sed etiā ut est ratio omnium agendorum, salvo eodem conceptu se extendit ad omnia agibilia, & speculabilia, quæ supernaturali Dei revelatione mediata manifestari possunt. Et per hæc etiā patet ad probationem consequentiæ, nam licet ex quo propriè scientia est, nequeat esse primariò practica, potest tamen, quia suprema est, & versatur circa objectum supremum, & utitur lumine ejus, se extendere saltem secundariò ad agibilia, ut sunt eodem lumine cognoscibilia, ordinativè tandem ad finem contemplationis veritatis: quidquid sit de scientiis, aut habitibus inferioribus, vel ordinis naturalis, qui valdè limitati sunt ex parte sui luminis, & objecti, undè nequeunt utramque in se rationem comprehendere, sicut hujusmodi habitus superiores, vel supernaturales, &c.

2. Arguitur (& potest esse replica) impugnando rationem D. Tho. hìc art. 4. Ex eo Theologia simul est utrumque, quia est participatio scientiæ Dei, quæ simul est practica, & speculativa, sed hæc ratio videtur insufficiens, ergo; prob. min. Tum quia etiā lumē gloriæ est participatio luminis intellectualis divini, quod est simul potētia, & habitus, & tamen nequit eadē realiter perfecto lumini in illo ordine esse simul potentia, & habitus: similiter dona supernaturalia sapientiæ, & scientiæ sunt participationes ejusdem virtutis intellectualis divinæ, & tamen nequit una perfectio intellectualis esse simul sapientiæ, & scientiæ donum, ergo, &c.

Ad hoc nego min. ad primam prob. jam vidimus non de esse ex Thomistis, qui ob eandem rationem existimeot non solum esse utrumque, sed etiam eminenter formaliter modo explicato includendo, scil. non differentiam propriam habitus, nec propriam potentiæ, sed perfectionem utriusque ablato eo, quo inter se opponuntur essentialiter, & distinguuntur, &c.

Sed quidquid modo de hac opinione sit, (de qua infrà q. 12. ad art. 5.) adhuc respondetur admisso quòd non possit lumen gloriæ ità esse utraque ratio simul potentiæ, & habitus, sicut affirmatur de Theologia ratio practici, & speculativi ob peculiarem repugnantiam, quam statim assignabimus, nihilominus ob eandem superioritatem ordinis ad habitus purè naturales, quāvis ad eorū speciem, scil. habitus dicatur pertinere, sicut ad illam asserit D. Tho. p. 2. q. 110. art. 3. ad 3. pertinere gratiam; aliquomodo tamen pertingit ad perfectionem potentiæ fungens munere illius, quatenus sicut potentia cognoscitiva non solum est necessaria ad judicandum de proprio objecto, sed etiam ad simplicem aprehensionem ejus, ità lumen gloriæ, non solum requiritur ad visionem, ut est judicium de Deo ut in se est, sed etiam ut habet rationem simplicis aprehensionis, & sicut potentia est receptiva ut subjectum quo speciei intelligibilis, & intellectionis, ità lumen gloriæ visionis juxtà regulam D. Dionisii, qua sepè utitur D. Tho., scil. supremum infimi attingit infimum supremi; undè licet hujusmodi habitus superna-

tura-

turales non habeant rationem potentiæ induunt tamen perfectionem ejus, & secundùm quid potentiæ sunt, virtualiter suogentes quantùm ad aliquid munere ejus, & quò perfectior fuerit habitus supernaturalis eò in pluribus potentiæ muoos iodutt. §. Quarè autem habere non possit rationem potentiæ, ut vult prædictus modus dicendi(& idem est de aliis habitibus supernaturalibus, fide, spe, charitate, &c. cum sit eadem ratio de omnibus) videtur specialiter oriri repugnantia ex eo, quòd si semel admittitur habere rationem utriusque ablato eo, quo inter se essentialiter distinguuntur potentia, & habitus juxtà doctrinam Arist. jam deberent statui pro illis, vel alia prædicamenta præter assignata à Philosopho, vel saltem alia species qualitatis, quia non possent tunc, ut patet; contineri sub specie habitus, & potentiæ assignatis ab illo, sed sub alia excellentiori, &c.

Nec juvat si dicatur sub nulla specie qualitatis contineri directè lumen gloriæ §. Quia cũ sit qualitas completa, & perfectà conveniens univocè in ratione communi qualitatis supernaturalis cum charitate, & aliis virtutibus infusis, & differat specificè ab illis, directè est sub aliquo genere, ergo si ratio qualitatis completæ potest esse univoca ad naturalem, & supernaturalem, lumeo gloriæ cootinebitur directè sub illa, ut genere, ergo vel immediatè ut species diversa à numeratis à Philosopho, vel mediatè, ut contentum sub aliqua ex illis; hoc posterius, ut dictum est, verificari non posset; primum autem videtur inconveoiens non admitteodum, quòd nempè detur qualitas ità excellens, quod ad lineam prędicamentalem ab Aristotele coostitutam non pertioeat, vel saltem ad nullam qualitatis speciem, ità ut vel alia prædicamenta assignanda sint, vel saltem alia species qualitatis; undè satis erit, quod sit simpliciter, & essentialiter habitus, licet quia supernaturalis est, & supremus in hoc genere aliquid de perfectione potentiæ participet; in quo etiam poterat retorqueri paritas; cæterum ratio practici, & speculativi cum non importet determinatè aliquam ex eisdem speciebus, sed magis subdivisiones earum tanqnam ratioes veluti infimæ, faciliùs adunari possunt in qualitate ordinis superioris sine ullo inconvenienti, &c.

Ad secundam probatiooem variè etiam respondent nostri Thomistæ; nam Jo. à S. Tho. hic ad ultimum. §. Sed dices; assignat discrimen in eo, quòd cum de supernaturalibus non liceat discurrere, nisi ex revelatis, & ex his constet Isai. 11. septem esse dona Spiritus Sancti, tenemur donum sapientiæ distinguere ab illo scientiæ, cæterum cum Theologia sit participatio divini luminis mediante fide, & hæc ex scripturis sit simul practica, & speculativa juxtà illud Apost. ad Coloss. 3. *Nos autem gloriam Dei speculãtes*; & ad Galat. 5. *Fides, quæ per dilectionem operatur*; erit simul practicata, & specolativa, &c. M. Ferre §. 2. ad 2. estò aliàs approbet priorem solutionem, ut subtilem, admittit nihilominus, quòd sicut idem lumen Theologiæ est simol practicum, & speculativoum, ità eadem participatio luminis divini sit simul sapientia, & scientia, & solum dici aliud, & aliud donum per correspondentiam ad res creatas, quod sicut in nobis non distinguitur sapientia à scientia, taoquam non scientia à vera scientia, sed tanquam perfectissima scientia à noo sic perfecta, ità eadem participatio divinæ scieotiæ secundùm quòd profert certissimum judicium de credendis per altissimam causam, quæ Deus est, dicitur donum sapientiæ, secundùm verò quòd profert illud per res creatas, dicitur donum scientiæ, simili modo, quo in Deo eadem indivisibilis providentia dicitur generalis secundùm quòd ordinat res creatas ad suos fines; particularis verò, vel prædestinãtio, secundùm quod ordinat creaturam rationalem ad finem beatitudinis supernaturalis; undè divisio illa utriusque doni non est de re absolutè, sed prout tantum significatur nominibos, quæ apud oos rem distinctam significant. §. Fundat hanc solutionem in D. Tho. 2. 2. q. 9. art. 2., ubi explicatis muneribus utriusque doni; sic demum concludit; *& ideò sic accipiendo scientiæ nomen ponitur donum distinctum à dono sapientiæ*. Quasi velit non distingui in se absolutè, sed magis connotativè, prout significantur diversis nominibus, quæ apud nos res distinctas significant, &c.

Sed licet hæc etiam solutio subtilis sit, non caret tamen difficultate; Tum quia, ut ibidem opponit à S. Tho. ex revelatione magis videtur constare oppositum Isai. XI. relato, ex quo probat D. Tho. p. 2. q. 68. art. 4. coovenienter enumerari septem; verba aotem Sacræ scripturæ intelligenda sunt in seosu proprio, & rigoroso, ubi nullum sequitur Inconveniens, ut de facto nullum videtur assignabile in casu, si rigorosè intelligatur hìc nomerus septenarius de distinctione eorum in se, & non solum respectivè quoad diversam significationem nomioum in nobis, sive de sola diversitate penes officium. §. Tum quia si numerum ità expressum in scripturis non tenemur ità rigorosè, sed secundùm præfatam distinctionem nominum accipere, & de sola pluralitate munerum, vel qooad officium intelligere, salva identitate realitatis modo explicato, pariter in similibus, ut de distinctiooe gratiæ, & charitatis, & sic de aliis poterunt fortè contrarii explicare de hac sola distinctione, salva eadem unitate realitatis earom. §. Tum quia ex eo quòd Apost. 2. ad Corint. 12, fidem, spem, & charitatem, tria hæc manere asserat, rigorosè accipimus earum distinctionem, & non solum qooad significationẽ nominum, ergo dum Isa. 7. dona enumerat, id pariter rigorosè videtur accipiendum, & non quoad solam distinctionem significatiols nominum. §. Tum qoia juxtà explicationem D. Tho. ibidem exponentis hunc nnmerum septenarium, non videtur minor distinctio inter officia sapientiæ, & scientiæ, quam inter officia aliorum, v. g. ejusdem sapientiæ, & intellectus, cum tam sapientia, quam intellectus exerceant suum intra lineam vitæ contemplativæ, scientia verò intrà lineam activæ, ut eleganter explicat ibi; sed ex officiorum distinctione, vel diversitate juxtà enumerationem Prophetæ colligimus, ut suppono, aliorum distinctionem non tantum quoad sigoificationem nominis, sed etiam secundùm se, ergo similiter colligenda videtur inter sapientiam, & scientiam. §. Tum denique; quia ubi in sacris litteris designantur hujusmodi dona, exprimi solent quibusdam signis, quę realem distioctionem indicare videntur, ut per septem grados ascensus civitatis

Ezechiel. 40. , Per septem spiritus,& per septem candelabra aurea Apoc. 1. Per septem panes Mat. 15. Per septem mulieres , quæ aprehenderunt virum unum Isa. 4. Per septem oscitationes Elisei super filium mortuum 4. Reg. 4. Per septem columnas ; Proverb. 9. Per septem lucernas lucentes in candelabro. Exod. 25. Per septem oculos existentes in lapide uno Zach. 3. , & Per septem filios Job. Job. 1. ergo , &c. & de his videri potest M. Alvarez p. 2. ubi suprà disp. 117. §. *in reliquis articulis.*

Nec videtur referre, quòd adducitur ex D. Tho. loco relato ex. 22. , quòd sic accipiendo nomen scientiæ , scil. pro certitudine judicii habiti per causas secundas , tunc est donum distinctum à sapientia ; quia cum hoc nomen scientiæ multipliciter accipi possit ut insinuat in art. 1. solum ut accipitur tali modo, ut iterum explicat in secundo;importat rationem doni distincti à dono sapientiæ , quidquid sit an solum distinguatur secundùm significationem nominis , an verò etiam secundùm se , imò hoc posterius videtur colligi ex serie utriusque articuli , & aliis locis relatis, cum habeant tam diversum modum procedendi, & judicandi secundùm res divinas , & humanas, ut explicat ibidem &c. Nec videtur etiam obstare, quod subditur de providentia divina,quia non tenemur perpetuò identificare in nobis sicut in divinis , ob infinitum excessum suæ eminentiæ, & maximè ubi in creatis oppositum constare videtur ex scriptura. Quidquid ergo pro nunc de hac solutione sit , crediderim præcedentem esse conformiorem eidem scripturæ ,ac doctrinæ D.Tho. ubi suprà,&c.

Placet tamen huic instantiæ sicut,& præcedenti ulteriùs respondere ex dictis , & ex his , quibus aliter etiam solvit argumentum M. Ferre n. 134. assignando discrimen ex ma. distantia inter utràque rationem doni , (& idem similiter est de ratione potentiæ , & habitus,) & inter utramque practici , & speculativi , nam priores rationes non ità adunantur in lumine intellectuali divino , cujus est participatio utrumque donum, quòd eidem correspondeant secundùm eandem virtualitatem, nam secundùm aliam idem lumen est sapientia,& secundùm aliam scientia, unde licet sint participationes ejus,non tamen adæquatè , sed secundùm diversam virtualitatem ; quod videtur etiam colligi ex Sacra scriptura , ubi suprà , dum ità expressè distinguit,ac hujusmodi dona multiplicat , quod signum est ; prædictum lumen non correspondere illis secundùm eandem virtualitatem;cæterum posteriores practici , & speculativi, ità divinæ scientiæ conveniunt, ut secundùm eandem conveniant , ut insinuat D. Tho. hic art. 4. illis verbis ; *Sacra tamen doctrina comprehendit sub se utrumque , sicut Deus eadem scientia cognoscit se,& ea quæ facit* , unde Theologia semel eam formaliter participans , participat hanc virtualitatem , & consequenter non poterit non esse simul practica,& speculativa,&c.

3. Arguitur ad idem sumpto fundamento ex D. Tho. ibidem. Theologia juxtà D. Tho. ibi omnia tandem ordinat ad finem speculationis , ergo est solum speculativa, ant. patet , quia in tantum concludit ibi,ut vidimus ; esse magis speculativã , quam practicam,quia licet agat de actibus humanis (qua ratione dicitur practica) de illis tamen agit in ordine ad finem speculationis , nempè *secundum quòd per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem , in qua æterna beatitudo consistit* , ut inquit ibidem ; consequentia verò probatur , tum quia à fine, ad quem per se inclinator , dicitur habitus speculativus , vel practicus ; tum quia hac ratione diximus Logicam esse solùm speculativam , quia liceat habeat aliquam operationem , vel compositionem, omnia tamen ordinat ad finem speculationis , sive cognitionem veritatis ; ergo si Theologia , dum etiam agit de actibus humanis , habet pro fine speculationem , erit solùm speculativa &c.

Ad hoc laudatus M. Ferre respondet , quòd finis iste , scil. perfecta cognitio veritatis , in qua beatitudo æterna consistit , non est intrinsecus respectu Theologiæ,sed magis extrinsecus tenens se ex parte scientis , secundùm quòd ordinatur ad illum , ut assequibilem per actus meritorios ; finem autem intrinsecum Theologiæ esse ipsa opera meritoria, ad quæ facienda debito modo Theologia dirigit prudentiam , unde quamvis ex fine extrinseco sibi speculativa sit , extrinseco tamen practica est , & ex isto attendenda est utraque ratio ; *concludit autem D. Tho.* inquit, *magis esse speculativam,quam practicam,quia est speculativa ex parte utriusque finis, practica autem ex parte solius finis scientiæ &c.*

Cæterùm hæc solutio videtur repugnare textui ; nam loquitur ibi Divus Thomas de Theologia secundùm se , vel secundùm id , quod habet ex meritis sui , & proprii luminis , vel rationis formalis , & secundùm quòd est participatio divinæ scientiæ , quæ nequeunt illi convenire ex præcisis meritis scientis , sed secundùm se , ergo dum asserit esse magis speculativam quàm practicam , quia tandem respicit hunc finem , scil. perfectam Dei cognitionem , non videtur juxta litteram posse intelligi de solo fine extrinseco ex parte scientis, sed magis intrinseco ex parte sui. §. Tum quia ex respectu isto ad talem finem infert esse secundùm se magis speculativam , quàm practicam ; at excessus iste in ratione speculativi non videretur legitimè inferri ex eadem causali, vel respectu, si esset illi extrinsecus , cùm à fine intrinseco magis quàm ab extrinseco , ut dictum est , attendenda sit quantitas utriusque rationis &c.

Quod verò ait idem Magister, ideò D.T. concludere hunc excessum, quia est speculativa ex parte utriusque finis ; videtur hoc iterùm repugnare litteræ ; tum quia cùm finis iste , scil. perfecta Dei cognitio procul dubio sit principalior , magis videretur concludendum oppositum , nempè , quòd esset magis practica, quàm speculativa , si semel finis iste est tantùm sibi extrinsecus ; nam tunc finis speculativus principalior , à quo attendenda est ratio speculativi , esset sibi extrinsecus , & sic videretur magis deficiens in hac ratione, quam excedens. §. Tum quia non concludit D. Tho. eundem excessum ex præcisa dualitate finis , sed ex ultimitate ejus , quia scil. ultimò respicit finem speculativum. §. Tum denique quod convenit scientiæ ex meritis objecti non convenit illi ab extrinseco , vel ex parte præcisè scientis,sed magis ab intrinseco,vel ex parte sui, cùm ab illo speciem capiat,sed respicere prædictum finem convenit Theologiæ ex meritis objecti, quia nempè habet pro objecto specificativo

Deum,

Deum, ad cujus propterea naturæ cognitionem tenetur principaliter tendere, & inclinari ad eam contemplandam, ergo &c.

Aliter ergo respondetur concludi tantùm primitatem, aut principalitatem unius rationis suprà aliam, non adæquationem, vel exclusionem alterius; unde in forma distingo, & explico antec. ad finem speculationis tanquam primarium, & principalem, concedo; adæquatum nego; quia enim, ut dictum est, procedit lumine divino, vel Fidei, quod est simul practicum, & speculativum, & habet pro objecto Deum, qui eminenter continet utramque rationem, nec solùm ut est in se, est perfectissimè speculabilis, sed etiam est ratio agibilium, & finis assequibilis, tenetur se extendere ad agibilia, & speculabilia, ut cognoscibilia sunt eodem lumine, nec potest adæquari per solum finem speculationis, sed utrumque respicere, licèt principaliter, aut primariò illum speculationis juxta meritum sui objecti primariò importantis se ipsum, ut in se perfectissimè speculabilis est, & secundariò ut est finis assequibilis, vel ratio agendorum, ut superiùs explicatum est. §. Deinde nego etiam consequentiam, & ad primam probationem similiter distinctio dicitur à fine adæquato, concedo; inadæquato tantùm nego; ad secundam distingo, & explico eodem modo ant. hac ratione, quia omnia ordinat tanquam ad finem adæquatum, concedo; inadæquatum præcisè nego; licèt enim Logica habeat aliquam compositionem, est magis tamen hæc speculativa, quàm practica; cùm sit purum opus rationis, & illa præcisè ministret speculationis instrumenta, dum aliquid construit, ad manifestandam scil. veritatem, unde ex nullo capite propriè se extendit ad praxim, nam etiam lumen ejus non respicit formaliter, nisi secundas intentiones, tanquam ejus objectum, quæ tantum sunt speculabiles, non assequibiles &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam.

QUartò arguitur ad probandum, quòd non sit simul formaliter &c. quia esse eminenter opponitur huic, quod est esse formaliter, ergo cùm per nos Theologia sit simul utrumque eminenter, non poterit esse simul formaliter; prob. ant. esse eminenter, est esse virtualiter, ut patet in Sole, qui ideò dicitur eminenter calidus, quia est virtualiter talis, seu habet virtutem producendi calorem, sed esse virtualiter opponitur huic, quod est esse formaliter, ut patet in eodem Sole, ergo eidem pariter opponetur esse eminenter &c.

Dices solùm pugnare quando ly *formaliter* imperfectionem importat ex genere suo, quæ cum eminentia stare non potest, secùs verò quando solùm importat illam ex aliqua ratione inferiori, ut in casu instatur ut suprà in anima rationali, quæ licèt sit eminenter sensitiva, vel vegetativa, adhuc tamen est formaliter talis &c.

Sed contra hoc est, quia vegetativum, & sensitivum non sunt prædicata specificè opposita, sicut practicum, & speculativum, sed tantùm sicut superius, & inferius, cùm non sint genera, vel species, sed gradus convenientes eidem formæ, ergo licèt anima nostra ob sui eminentiam possit esse utrumque formaliter, non tamen scientia in creatis, quæcumque sit. esse simul formaliter practica, & speculativa, consequentia tenet, quia hujusmodi rationes in scientiis, ut vidimus, non se habent, ut gradus, sed ut prædicata specifica, seu species distinctæ intrà idem genus, unde si semel conveniunt, solùm convenire possunt eminenter, vel virtualiter &c.

Dices ut suprà, non posse convenire scientiæ, vel formæ superiori si sumantur, ut sunt differentiæ oppositæ inter se, vel cum imperfectione, aut limitatione, quam habent in inferiori, prout una dicit negationem alterius, ut dictum est, secùs verò, ut præscinduntur, vel sunt deporatæ ab illa, quod quidem habere possunt ex merito superioritatis formæ, vel eminentiæ ejus desumptæ, ut dictum est, ex excellentia sui luminis, & objecti, & divinæ scientiæ, cujus est participatio &c.

Sed contra hoc est. Quæ semel differunt, ut differentiæ essentiales intrà aliquod genus, impossibile est, quòd in aliquo ente finito adunari possint, aliàs finitum non esset, vel unius speciei, si semel clauderet differentias plurium rerum, ut patet ex terminis, ergo si practicum, & speculativum sunt semel differentiæ habituum naturalium divisivæ generis scientiæ, ut sic, impossibile erit, quòd in aliquo habitu, quantumvis superiori, formaliter uniri possint &c.

Dices iterùm ita esse si sumantur, ut differentiæ oppositæ sunt essentialiter dividentes habitum naturalem in practicum, & speculativum, secùs verò ablatis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, nempè mutua negatione alterius, scil. secundùm quòd unus est tantùm proxima regula operationis, alter verò speculationis &c.

Sed contra hoc est instantiis jam insinuatis. Quæ semel sunt differentiæ durationum inferiorū in nulla duratione creata, quantumvis superiori, aut supernaturali simul adunari possunt, unde æternitati participatæ denegatur simultanea continentia durationis præsentis, & futuræ. §. Similiter quia subsistentia in nobis est terminus ultimus naturæ substantialis, distinguens illam personaliter à quacumque alia, nulla est dabilis subsistentia creata præcontinens differentiam alterius, aut quæ possit terminare naturam alienam, ergo si semel practicum, & speculativum sunt differentiæ habituum inferiorum, in nullo superiori simul contineri poterunt &c.

Respondetur, benè ibi dictum esse ad argumentum principale, quòd quando ly *formaliter* importat formalitatem, vel perfectionem admixtam imperfectioni, prout solùm reperitur in subjecto inferiori, vel limitato, & non ex genere suo, tunc optimè componitur cum continentia eminentiali in subjecto excellentiori, vel ordinis superioris, ut patet de tot perfectionibus simpliciter simplicibus, quæ dicuntur eminenter formaliter esse in Deo, quia scil imperfectio, quam habent admixtam, prout in nobis, sive ex limitatione subjecti, ratione cujus una importat negationem alterius, vincitur ab eminentia superioris formæ, unde depurari possunt ab illa, cùm eis non conveniat ex suis rationibus formalibus, sed ratione limitationis subjecti, in quo sunt, cùm ergo practicum, & speculativum hoc modo dicantur se habere, attenta præcisè ratione for-

formali utriusque, licèt in habitibus limitatis, vel naturalibus importent oppositionem mutuò exclusivam alterius, non tamen in habitu superiori, vel ordinis supernaturalis; unde parùm refert, quòd non se habeant ut gradus, sed ut differentiæ, vel formalitates oppositæ, quia hanc oppositionem vincere possunt, vel exuere ratione eminentiæ habitus superioris, per quod patet ad primam replicam &c.

Ad posteriores replicas iterùm respondetur benè dictum esse usq; ad hanc ultimam, ad cujus utramq; paritatem dicimus esse discrimen, tum quia continentia ibi indispensabiliter importat infinitatem, & non solam superioritatem ordinis, vel eminentiam in continente, ut in casu, tum quia militat specialis contradictio, præcipuè in prima, & secunda etiam est de subjecto non supponente, ut statim constabit. Quòd ergo importet infinitatem, prior quidem in linea durationis, patet ex eo, quòd simultanea continentia durationis v. g. præsentis, & futuræ, non dicit præcisè diù durare, vel usque ad tempus futurum, sed quòd modo de præsenti jam duret pro tempore futuro, si velimus utramque durationem simul nunc formaliter continere, unde si quia modo formaliter continet præsentem, durat pro tempore præsenti, pariter si simul continet formaliter futuram, modo jam durabit pro futuro, hoc autem est proprium durationis infinitæ, sive divinæ, ut latè etiam constabit infrà ostendendo quomodò ex hac infinitate, & simultate continentiæ utriusque durationis sint futura jam physice præsentia in æternitate. §. Hinc etiam inferimus specialem contradictionem, quam importat hujusmodi simultanea continentia prædictarum durationum; nam si modo de præsenti jam duraret, ut teneretur, pro tempore futuro, modo de præsenti non posset annihilari à Deo, aliàs duraret, ut supponitur, & non duraret pro tempore illo, si modo de præsenti ante ejus adventum annihilatur; nam durare pro tempore illo, & pro quacunque alia differentia est, quòd saltem non deficiat ante defectum ejusdem differentiæ, ut patet ex terminis, ergo multò magis implicabit quòd duret pro aliqua differentia, ante cujus existentiam annihilatur &c.

Quòd verò etiam posterior continentia in linea subsistendi importet infinitatē, constat primò in mysterio Incarnationis; hac enim ratione subsistētia divina supplet vices subsistentiæ creatæ terminando naturam humanam, quia ex quo infinita est in eadē linea, formaliter illam continet. Tum quia si semel formaliter contineret ingrediendo limites illius, jam posset similiter supplere vices ejus terminando utramque naturam in unitate personæ, sicut facit modo subsistentia divina in Christo, quod est omninò alienum, & repugnans enti purè creato, & finito, & soli divinæ conveniens, ut latè ostendimus 3. par. unde sicut continens simul utramque durationem esset, & non esset creatura, ita pariter continens alienam subsistentiam. §. Præterquamquòd, ut insinuavimus, est de subjecto non supponente quòd detur, aut sit dabilis in ordine supernaturali subsistentia purè creata, cùm repugnet omninò natura, vel substantia supernaturalis, ut jam insinuatum est in superioribus, & iterùm poterit constare infrà, si autem daretur subsistentia illius ordinis, deberet esse propria, vel convenire substantiæ, aut naturæ ejusdem ordinis, cùm sit terminus ultimus in genere substantiæ, unde etiam ex hoc capite, sive ex merito ejusdem ordinis, saltem ex parte naturæ, cujus esset subsistentia, teneretur importare infinitatem, quia licèt esse substantiam absolutè, ut dictum est, non includat eam in suo conceptu formali, & ideò posse hanc communicari creaturę, includit verò eam si supernaturalis sit, quia non tantùm dicit esse ens per se existens, sed etiam modum proprium, quo per se existere convenit Deo, scil. ut excedens omnem naturam creatam natā per se existere, unde hæ perfectiones, quæ in suo conceptu formali includunt infinitatem, nequeunt creaturis communicari, ut esse Creatorem, actum purum &c. de quo jam obiter aliquid suprà, & latiùs infrà.

Quintò arguitur. Habitus innotescunt per actus sub eodem lumine, vel ratione formali, sed actus Theologiæ non sunt simul eminenter formaliter speculativi, & practici, ergo neque habitus Theologiæ erit simul utrumque eminenter formaliter. Ant. est certum, cons. etiam patet ex dictis; nam alii sunt determinatè speculativi, alii tantùm practici; non enim quilibet est ab illa, ut directiva prudentiæ in ordine ad mores, ut patet in tot syllogismis purè speculativis; nec quilibet versatur præcisè circa quidditatem, vel attributa, vel alia hujusmodi speculabilia, sed descendit ad praxim, & actus virtutum &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Si semel Theologia esset simul formaliter utrumque, pariter quilibet ejus actus, esset utrumque simul formaliter; consequens videtur falsum, ergo minor patet ex dictis; nam plures reverà sunt, qui nequeunt esse regula virtuosi actus, ut dum Theologus discurrit circa notiones divinas an sint quinque, vel non, & similia, quæ procul dubio sunt purè speculabilia, nec influunt ad honestatem morum; alii verò sunt purè practici; ut dum dicit peccatum mortale privat gratiâ, & charitate, ac inducit reatum pœnæ æternæ. Maj. verò prob. quia in quolibet actu reperiri debet formalis ratio objecti. & habitus, ergo si quia formalis ratio habitûs Theologiæ est simul practica, & speculativa, Theologia est simul utrumque formaliter, pariter erit utrumq; formaliter quilibet actus &c.

Ad hoc aliqui negant. min. existimantes nostram Theologiam sic esse practicam, & speculativam, quòd in singulis suis actionibus sit simul practica, & speculativa, ità M. Gonzales hic disp. 4. concl. 2. & alii; tum ex identitate rationis formalis, unde omnes sunt ejusdem speciei athomæ; tum quia omnes versantur circa Deum ut primam regulam speculabilem, & simul finem nostrorum actuum, unde quilibet terminans ad aliquod operabile, habet aliquid speculativi, quia terminatur ad illud, ut ordinatum ad Deum, vel cognitionem ejus; & quilibet terminans ad aliquid speculabile v.g. ad Deum habet etiam aliquid practici, quia ex Deo tanquam ultimo fine sumitur ratio agibilium; Tum quia cùm Theologia sit quædam impressio scientiæ Dei, & Beatorum, quarum quilibet actus est simul speculativus, & practicus, tenetur eas imitari includendo in quolibet suo utramque rationem &c.

Sed licèt hic modus dicendi ob authoritatem tanti viri, & aliorum non careat probabilitate; oppositum tamen existimo probabiliorem, tum ob motiva jam insinuata in argumento; tum quia non tenetur

netur habitus se explicare, vel influere secundùm omnem sui latitudinem in quolibet actu, cùm à nullo adæquetur ejus amplitudo; unde sicut habitus, quia est determinatio potentiæ, nequit eam adæquare, ita nec potest actus adæquare habitum, cùm sit determinatio ejus; & licèt dicantur omnes unius speciei a thomę comparativè ad habitum propter unitatem rationis formalis ejus, non tamen comparativè inter se, ut alibi dictum est; minùs enim requiritur ad distinguendum actum, quàm habitum; sicut minùs ad habitum, quàm ad potentiã, nam quæ formaliter se habent ad habitũ, & sufficiunt ad illum multiplicandum, materialiter se habent ad potentiam, & nequeunt multiplicare illam ob universaliorem ejus rationem formalẽ, unde similiter dicimus de actu comparativè ad habitum; & licèt dicantur omnes versari circa Deum, cùm tamen nequeat quilibet adæquare rationem formalem habitûs, non tenetur illum attingere sub utraque ratione, unde non est necesse, quòd in quolibet sit aliquid speculabile, & aliquid practicum, nisi comparativè ad habitum. §. Quòd verò subditur Theologiam nostram esse quandam impressionem utriusque superioris scientiæ, solùm convincit debere eas imitari quantùm ad unitatem habitûs, non actûs, cum divina,& beata sint omninò invariabiles objectivè, & subjectivè, unde etiam dicuntur habere unum tantùm indivisibilem actum, & consequenter simul practicum, & speculativum; nostra autem juxta meritum etiam viæ utroque modo variabilis est, & ideò multiplicat actus mox ad praxim, mox ad speculationem &c.

Aliter ergo ex M. Serra hìc dub. unico ad 2. M. Ferre corollario 1. §. 6. & Gonet art. 4. ad 2. distinguo, & explico ant. innotescunt per actus, per singulos adæquatè, nego; inadæquatè, vel per omnes collectivè, concedo; & concessa etiam min. loquendo de singulis, nego consequentiam; nam sicut de anima nostra dicimus, quòd licèt eminenter formaliter sit vegetativa, sensitiva, & rationalis, non tamen quilibet ejus actus est eminenter formaliter vegetativus, sensitivus, & rationalis; ita nec quilibet actus Theologiæ debet eminenter formaliter esse practicus, & speculativus ex eo quòd Theologia sit utrumque eminenter formaliter, quia non quilibet adæquat, ut dictum est, ejus latitudinem, nec fertur in omnia, quæ pertinent ad habitum, nec in aliquid, quod simul sit operabile, & speculabile per eundem actum.

Sed instas, quia ex his sequitur nullum actum Theologiæ posse simul esse practicum, & speculativum, consequens non videtur admittendum, ergo maj. constat, quia ex eo negamus de quolibet, quia nullus adæquat latitudinem habitûs, ergo; nullus poterit simul esse utrumque: min. verò prob. quia licèt id nequeat de singulis concedi, nulla tamen est assignabilis repugnantia, quòd saltem de aliquo affirmari non possit, ergo; prob. ant. Tum quia excessus habitûs suprà actum non infert, quòd non possit aliquis esse talis in tota collectione, sed tantùm quòd non quilibet; nam aliàs nec actus scientiæ beatę videretur posse simul esse utrumque: tum quia ex eodem excessu solùm sequitur, quòd non possit actus se extendere ad omnia, ad quæ se extendit habitus, vel ejus ratio formalis, non tamen quòd non possit ad plura, sicut similiter contingit in habitu comparativè ad potentiam, quam licèt non possit adæquare, vel ejus rationem formalem, utpotè universaliorem ad plura propria tamen se extendit.

Huic instantiæ M. Xantes Mariales tom. 4. relect. 8. membro 4. §. *Aliud*, apud M. Ferre, ubi suprà, concedit sequelam existimans unum, & eundem actumTheologiæ non posse simul esse utrumque. §. Nihilominùs oppositum iterùm existimo probabilius, tum ob motiva proximè adducta. Tum quia de facto sæpè ita contingit, ut suppono, in viris piis: quòd unus & idem actus speculativus Fidei saltem extensivè potest fieri practicus, ut dum vir pius assentitur huic credibili: *Verbum caro factum est*, contemplando in hoc mystrio totius amoris infinitam Dei bonitatem, vehementer inducitur ex fide illius ad redamandum. Tum quia sicut habitibus utimur quando volumus; & habitibus supernaturalibus modò in via uti possumus ad magis, & minùs intensivè operandum intrà suæ perfectionis latitudinem ex eo, quòd tam potentiæ, quàm habitus subdantur nostræ libertati quoad usum, supposito tamen semper majori, vel minori auxilio; ita liberum est nobis uti actibus ad faciendum uno actu, quod semper facimus per duos, ut patet dum Deum, & proximum diligimus uno actu per charitatem, cùm tamen seorsim à nobis Deus diligi possit uno actu, & alio proximus propter Deum, & ut suprà etiam insinuatum est; intellectus animæ Christi per scientiam infusam non solùm poterat intelligere uno actu, aut simplici intuitu, sed etiam discurrendo per plures, & consequenter uno tantùm v. g. antecedens, & consequens, quod poterat per duos; cùm ergo Theologia sit speculativa simul, & practica, poterit in aliquo sui actu utrumque sui influxum aliquo modo exercere, licèt non teneatur in singulis &c.

Aliter ergo respondetur negando ant. ad prob. distinguo, & explico causalem; ex eo negamus, quia nullus adæquat, attendendo præcisè ad meritum actûs, præcipuè loquendo de singulis, concedo, ad facultatem habitûs, & libertatem nostram, nego, nam quidquid sit, quòd non habeant meritum singuli ex propriis ad utramque rationem simul comprehendendam, potest tamen habitus uno attingere, quod posset pluribus, exercendo se in illo secundùm utramque rationem: nec tamen hinc infertur, quòd adæquet habitum, vel rationem formalem ejus, sed solùm quòd in aliqua determinata materia æquivalere possit pluribus actibus, quorum alter sit practicus, alter speculativus, vel practicus tantùm, ex meritis ejusdem habitûs magis, quàm sui, nunquam tamen, quòd æquivalere possit omnibus, quos habitus elicere potest; in hoc enim perpetuò est deficiens actus nostræ Theologiæ, quicumque sit, ab universalitate, vel amplitudine illius, sicut habitus ab amplitudine potentiæ &c.

Sextò arguitur contra alterã partẽ ad probandum, quòd sit utrumque primariò. Nam juxtà D. Tho. hic art. 4. ut vidimus, Theologia ex eo est simul speculativa, & practica; quia sub una ratione formali se extendit, ad quę scientię inferiores se extendunt sub diversis rationibus formalibus, sed ex his nulla est tantùm speculativa, vel practica secundariò; sed omnis primariò, ergo pariter

Theo-

Theologia erit utrumque primariò &c.

Urgetur hoc. Theologia ita est speculativa simul & practica, sicut & fides; sed hæc est utrumque primariò, ergo etiam Theologia.ma. constat, quia est talis, ut vidimus, ex eo quòd gaudet lumine Fidei, vel divinæ revelationis, ex cujus meritis habet se extendere ad prædicta omnia, ad quæ se extendunt practicæ, & speculativæ inferiores sub diversis luminibus; min. verò probatur, quia iterùm juxtà D. Tho. 2. 2. q. 4. ar. 2. ad 3. fides fit practica, sicut fit noster intellectus, scil. extensione; unde per dilectionem operatur ad Galat. 5. sed noster intellectus est primariò practicus, ergo etiam fides. Tum quia aliàs utraque esset tantùm practica secundùm quid, non simpliciter, nec per se respiceret praxim, sed tantùm secundum quid, sicut dictum est de Logica, unde non extraheretur à linea speculativi tantùm, sicut non extrahitur eadem Logica, ergo &c.

Ad hoc distingo mai. ex eodem D. Tho. ibidem: se extendit cum eadem limitatione, vel imperfectione nego, modo elevatiori concedo, nam extendit se, ut dicit D. Tho. sicut quædam impressio divinæ scientiæ, unde extendit se per comprehensionem quidem utriusque rationis, sed non per imitationem, nam quod inferiores sint primariò tales, provenit ex earum limitatione, quia altera adæquatur per speculativum, vel respicit illud tanquam objectum primarium, altera verò per practicum; unde etiam poterat retorqueri; nam si quia se extendit, ad quæ se extendunt inferiores, & istæ sunt primariò tales, tenetur Theologia esse primariò talis; tenebitur etiam utrumque respicere, ut objectum primarium, cum pariter istæ respiciant etiam practicum, ut objectum primarium, quod est alienum, cum Theologia non agat de creaturis, ut de objecto primario, ut dictum est, & constabit infrà, &c.

Ad confirmat. nego mi. ad prob. M. Ferre hic §. 6. admittit.mi., licet alibi de fide ubi suprà renuat admittere illam, ut dictum est, & assignat modo discrimen inter fidem, & intellectum, quòd objectum istius est verum ut sic, sub quo continetur verum practicum, & speculativum ex æquo, & sic non est inconveniens, quòd intellectus sit utrũque primariò; cæterum objectum fidei tantùm est veritas prima in se ipsa, sub veritate autem prima non comprehenduntur ex æquo verum speculativum & practicum, quia hoc, secundarium est circa veritates, quæ sunt circa creaturas, vel circa Deum, ut connexum cum creaturis, ad quæ fides nequit inclinare primariò, & sic neqnit primariò esse practica, ut docet etiam D. Tho. 22., ubi suprà q. 9. art. 3. dicens, *Fides autem primò, & principaliter in speculatione consistit, in quantum, scil. inhæret primæ veritati.* unde ad mai. ejusdem probationis desumptam ex D. Tho. dicit, quod exemplum de intellectu, qui extensione sit practicus, solum tenet quantum ad simultatem utriusque rationis, non quoad primitatem, ità ut fides sit simul utrumque, non tamen quòd primariò, sicut intellectus, &c.

Sed hæc solutio apparet difficilis primò in eo, quòd admittit hic intellectum nostrum esse utrũque primariò, cum hoc ipsum deneget ibi intellectui angelico, dicens solum esse per se speculativum, & tãtum secundariò ad extrà operativum imò, ut supponit ex tractatu de Angelis, in hoc fundat non dari in Angelis potentiam per se primò operativam ad extrà, quia nempè intellectus, per quem operatur ad extrà, solum est per se primò speculativus, & secundariò ad extrà operativus. §. Deindè quòd verum ut sic, quod est objectum intellectus, ex æquo, aut primariò contineat practicum, & speculativum videtur esse contrà id, quod traditur à Thomistis in tertio de anima, ubi ex eo probant intellectum esse perfectiorem voluntate, quia ejus objectum est simplicius, & abstractius ab exercitio, & concretione, sive ratio veri, vel boni appetibilis per modum quiditatis, qua ratione dicimus infrà de voluntate Dei, creaturas possibiles in statu illo esse quidem intelligibiles, sed non amabiles, quia licet habeant rationem boni per modum quiditatis, quæ est objectum intellectus, non tamen bonitatem per modum exercitii, quæ est objectum voluntatis per modum finis; nam voluntas est, quæ trahitur, unde supponit exercitium ex parte objecti; intellectus verò trahit, solam supponens quiditatem; constat autem quòd ratio veri, vel boni per modum quiditatis magis est speculativa, quã practica, & non utraq. ex æquo. §. Tũ quia verũ eò est prius, quò est simplicius, & abstractius, sed verum practicum, ut potè concernens appetitum, quod non concernit speculativum, est minus simplex, & minus abstractum, ergo est posterius semper speculativo, & consequenter non poterit verum ut sic utrumque ex æquo continere, ut rectè etiam arguit hic M. Bannez concl. 3., & videri potest D. Tho. infrà q. 82. art. 3. &c.

Aliter ergo ad eandem probationem nego m in. sicut enim ejus objectum magis est per se primò speculabile quam operabile, ità per se primò intellectus magis est speculativus, quam practicus, unde poterat retorqueri. §. Ad id verò, quod aliàs utraque esset tantùm practica secundùm quid, non simpliciter, & per se (& idem proportionabiliter de intellectu sicut dicitur de logica), respondetur ex dictis negando sequelam, & disparitas est, quia ut vidimus, compositio, vel opus, quod attribuitur logicæ, magis est speculativum, quam practicum, deserviens speculationi per modum instrumenti rationis, unde non extrahit illam à ratione habitus purè speculativi, nec potest dare illi rationem practici per se, vel simpliciter, cum sit magis de subjecto non supponente, quòd propriè pertineat idem opus ad lineam practici; cæterum influxus directivus Theologiæ, vel fidei ad actus nostros humanos propriè ingreditur eandem lineam, dirigendo prudentiam, ut illa media debito modo tendant in Deum, ut dictum est, & cum hoc illis etiam conveniat ex meritis proprii luminis, sive rationis formalis, quæ est simul practica, & speculativa, nequit dici, quod tantũ sit secundũ quid practica, aut quasi per accidēs, & non per se, saltem secundariò, aut simpliciter, idest sine addito juxtà doctrinam D. Tho. 3. p. q. 50. art. 5. Idem similiter dicimus de intellectu; tum quia utrumque continet ex meritis sui objecti licet ordine quodam, ut dictum est; tum quia intellectivum ex propriis habet meritum etiam attingendi bonum, secundùm quòd est conveniens, vel disconveniens ad appetendum, unde est ostensivum illius, qua ratione dicimus infrà ibidem de voluntate Dei,

quòd

quòd omne intellectivum est volitivum, unde convenit illi etiam per se licet eodem ordine, de quo pariter infrà ad q. 19.

Sed instas. Quia quod convenit habitui ex sua ratione formali per se primò illi convenit, vel essentialiter, ergo si ex eadem, Theologiæ convenit ratio practici, per se primò, vel essentialiter conveniet illi, & non tantùm secundariò, aut per se secundò. §. Explicatur, & urgetur hoc. Theologia ex sua ratione formali non solum habet quòd sit simul practica, & speculativa, sed quòd sit simul eminenter formaliter talis, ergo si quia habet ex eadem, est utrumque per se & simpliciter, & non tantùm secundùm quid, aut quasi per accidens, quia pariter est eminenter formaliter, habebit utrumque esse per se primò: ant. est nostrum, & consequentia probatur; esse aliquid eminenter formaliter ob sui excellentiam est esse tale per se primò, ut patet in anima nostra, respectu vegetativi, & sensitivi, & in sensu communi respectu visivi, & auditivi; & præcipuè loquendo de prædicatis, quæ intrà idem genus sunt differentiæ essentiales, ut contingit in casu de ratione practici, & speculativi intrà genus scientiæ, vel habitus intellectualis; & ratio est, quia quod intrà unum genus est semel differentia essentialis nequit intrà idem esse accidens, sive extrà lineam essentiæ, ut per se patet, cum perpetuò sit de conceptu definitivo, ut potè prædicatum per se contrahens idem genus, ergo cum Theologia sit intrà idem genus scientiæ, erit per se primo talis, &c.

Urgetur ulterius. Quod convenit ex ratione formali, convenit ex vi formalis objecti, vel specificativi, sed quod convenit ex vi istius, convenit ex vi conceptus primarii, ergo primariò illi conveniet utraque ratio, &c.

Respondetur ad instantiam distin. ant. per se primò convenit, si conveniat secundùm id, quod primariò importatur in illa concedo; si tantum secundariò nego, & hoc modo importatur solum ratio practici in eodem lumine divino, vel ratione formali Theologiæ, ut dictum est, &c.

Ad primam confirmationē; nego consequentiam ad probat. ex utraque instantia; respondetur ad primam quidem esse discrimen, quòd cum uterque gradus compararetur ad hominem ut superior, & genericus, tenentur convenire illi essentialiter, vel per se primò, quod autem essentialiter convenit subjecto ut constituto per aliquam formam debet etiam convenire formæ constitutivæ, qualis est anima rationalis respectu hominis; cæterum rationes practici, & speculativi licet sint differentiæ habituum naturalium, in quibus ob eorum limitationem, ut dictum est; exercent suam oppositionem importante una negationem alterius, non tamen respectu habitus supernaturalis, quia ejus eminentia vincit, ac remonet talem imperfectionem, vel limitationem, unde reperiri possunt in illo veluti per modum unius, ad quod etiam reducit D. Tho. hic art. 5., quòd Theologia sit simul utrumque, & similiter donum sapientiæ 22. q. 45. art. 3. ad 2. &c.

Ad secundam de sensu communi respondetur iterum esse discrimen, quòd rationes sensibilium particularium conveniunt illi ratione sui objecti primarii, scil. sensibilis ut sic, vel ex terminis, & ideò convenire dicuntur illi per se primò, cęterum ratio practici licet Theologiæ conveniat ex meritis objecti, quod est Deus, non tamen secundùm id, quod primariò importat, sed tantùm secundariò ut explicatum est. Per quod etiam patet ad alia, quæ subdantur nempè quòd prædicatum semel differentiale intrà unum genus sit perpetuò tale intrà illud; negamus namque suppositum, quòd rationes practici, & speculativi sint quomodocunque differentiæ intrà genus scientiæ, vel qualitatis, sed solum quandò sumantur cum prædicta imperfectione, & limitatione, sive quandoq; utraque attenditur ex objecto primario, vel secundùm id, quòd primarium per se primò importat, ut contingit in habitibus inferioribus, vel ordinis naturalis; & per hæc etiam fit satis ad secundam confirmationem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Theologia sit una specie scientia.



Consultò inquirimus an sit Theologia una scientia specie, & non præcisè unus habitus, ut in similí alibi monnimus in logicis, quia cum circa materias theologicas haberi possint non solum assensus scientifici, sed aliqui etiam probabiles, vel opinativi, non est inconveniens generari ex illis habitus opinativos, qui illi materialiter aggregentur; similiter etiam, quia inter assensus scientificos possunt aliqui procedere ex solis, & meris principiis naturalibus, & sine subordinatione, & deductione ex revelatis, ut ex quibus tenetur procedere scientia theologica, alterum saltem assumendo in suis syllogismis, tales demonstrationes solum ut extraneæ dicuntur admitti in hac scientia, nam quidquid est extrà lineā divinæ revelationis, vel non manifestatum per hoc lumen, aut ex subordinatione ad illud, extraneum est respectu hujus scientiæ, ut insinuat D. Tho. infrà art. 5. in corp., & 8. ad secundum.

Pro quo adverto, quòd sicut scientiæ inferiores, vel naturales utuntur lumine abstractivo, ità ut abstractio ab hac, vel illa materia, scilicet passiva, sive, quod idem est immaterialitas orta ex vi abstractionis à materia, sit formalis ratio sub qua in illis, ut explicatum est in logicis, & in primo physicorum; ità in hac superiori, est lumen divinæ revelationis, sive revelatio mediata, ut mani festans ea, quæ pertinent ad communem statum Ecclesiæ, unde sicut in eisdem id, quod non cadit sub proprio lumine extraneum est respectu earum, ità pariter respectu Theologiæ censetur extraneum, quod non subordinatur, aut manifestatur per idem lumen divinum. Hinc verò oritur difficultas, an

K omnia,

omnia, ad quæ se extendit ex propriis, sive quando agit de divinis, sive de humanis una secundùm speciem comprehendat.

In qua re ex antiquis Alensis 3.p.q. 13.membro 1. & 2. specialem statuit scientiam unionis Theologia eminentiorem pro mysterio Incarnationis Vasquez verò disp. 7. cap. 4. multiplicat specificè prout se extendit ad partem moralem. §. Alii verò dicunt esse distinctam secundùm quod procedit ex duabus de fide à se ipsa, ut procedit ex una de fide,& altera præmissa naturaliter probabiliter Molina hic disp. 3.ad finem, & absolutè Granados disp. 8. concl. 2., & alii apud M. Ferre §. 3., & favet; ut insinuavimus; Scotus in 3. dist. 43. q. unica, quatenus priori modo procedentem innuit esse eundem habitum cum fide, posteriori verò esse distinctum ab illo, &c.

Oppositum tenent communiter Thomistæ, & meritò cum sit expressa sententia D.Tho. hìc art. 3., & alibi,ut statim constabit, &c.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

Theologia est una scientia specie, sive priori, sive posteriori modo procedat. Est expressa mens D.Tho.hìc art.3.,ubi absolutè,& sine ulla distinctione concludit esse unam, ad quæcunque objecta se extendat,ut patet in corp., & ad 2. specialiter autem quod etiam ad moralia se extendat salva sui unitate constat manifestè ex art. 4.,ubi, ut vidimus, docet,quod eadem est simul practica & speculativa; certum est autem, quòd de moralibus agit, in quantum est practica. Quod etiam priùs apertè docuerat in primo dist.1. q. 1. art.2., ubi non solum in corp. efficaciter probat conclusionem, sed deindè ad 3. specialiter extendit hanc unitatem ad materiam morum; undè ad argumentum quod sic procedebat nempè. *Ea quæ sunt ab opere nostro sicut opera virtutum, & quæ sunt ab opere naturæ non reducuntur ad eandem scientiam,sed unum pertinet ad moralem,alterum ad naturalem, sed divina scientia determinat de his,quæ sunt ab opere nostro tractando de virtutibus, & præceptis: tractat etiam de his, quæ non sunt ab opere nostro, sicut de Angelis, & aliis creaturis, ergo videtur, quod non sit una scientia.* §. *Respondet. dicendum quòd ea,quæ sunt ab opere nostro,& ea,quæ sunt ab opere naturæ, considerata secundùm proprias rationes non cadunt in eandem doctrinam,una tamen scientia utrumque potest considerare, quæ per lumen divinum certitudinem habet,quod est efficax ad cognitionem utriusque.*

Hoc idem argumentum proponit hic secundo loco sub aliis verbis dicens. *In sacra doctrina tractatur de Angelis, de creaturis corporalibus* (ecce opera naturæ), *& de moribus hominum* (ecce opera nostra) *hujusmodi autem ad diversas scientias phylosophicas pertinent, igitur sacra doctrina non est una scientia.* §. *Ad quod tamen clariùs Respond. sic. Dicendum quòd nihil prohibet inferiores potentias,vel habitus diversificari circa illas materias, quæ communiter cadunt sub una potentia, vel habitu superiori; quia superior potentia, vel habitus respicit objectum sub universaliori ratione forma li, sicut objectum sensus communis est sensibile,quod comprehendit sub se visibile, & audibile, undè sensus communis cum sit una potentia extendit se ad omnia objecta quinque sensuum. Et similiter ea, quæ in diversis scientiis philosophicis tractantur potest sacra doctrina una existens considerare sub una ratione, in quantum scil. sunt divinitùs revelabilia,ut sic sacra doctrina sit velut quædam impressio divinæ scientiæ,quæ est una, & simplex omnium.* In quibus, ut patet, non solum apertè concludit contrà Vasquez, sed validissimè etiam probat, ut statim exponemus,&c.

Denique non esse aliam admittendam pro mysterio Incarnationis, quam vocant unionis,docet idem 3.p. q.9. à 1. ad 3.,ubi in fine ait. *, sed ex parte ipsius unionis non potest poni in Christo aliqua scientia, nam unio illa est ad esse personale,scientia autem non convenit personæ, nisi ratione alicujus naturæ.* Ubi licet admittat præter scientiam increatam, vel divinam in Christo, aliam creatam, sive beatam, & infusam, qua perfectè cognoscat idem mysterium,sicut nos cognoscimus, per theologicam acquisitam, non tamen aliam distinctam, quam contendunt unionis, &c.

Ratione deindè prob. D. Tho. universaliter quoad omnes partes, & modos procedendi; Theologia omnem sui veritatem attingit sub una ratione formali objectiva, ergo in omnibus est una specificè,consequentia tenet,quia ut latè expendimus in lib. post; & infrà ibidem de anima, unitas potentiæ,vel habitus attendenda est ex unitate objecti, cum sit finis ejus; non quidem materialiter sumpti, sive secundùm præcisam rationem *quæ*, sed ut stat sub ratione formali *sub qua*, ut etiam exemplificat D. Tho. hìc in potentia visiva, quæ non respicit hominem lapidem, &c. nisi prout conveniunt in una ratione formali lucidi colorati;undè nec scientias naturales distinguimus, nisi secundùm diversas abstractiones, & non præcisè secundùm diversitatem rationis *quæ*, sed prout hæc determinatur à ratione *sub qua*, quæ est peculiaris immaterialitas,ut dictum est, orta ex vi abstractionis activæ;ant. autem prob., quia omnia, de quibus agit,considerat sub lumine divinæ revelationis,sive ut deducuntur ex illo, vel ex revelatis; qua ratione D. Tho. mox hanc scientiam appellat divinitùs revelatam, mox quandam impressionem divinæ scientiæ, ergo sub eodem lumine omnem sui veritatem attingit,&c.

Explicatur,& urgetur hoc ex eodem in primo ubi suprà. Nam hoc versatur discrimen inter rationem formalem Theologiæ, & formalem scientiarum naturalium, quod hæc, ut potè consistens in immaterialitate objectiva fundata in naturis rerum, multiplicatur juxtà diversitatem immaterialitatis, vel abstractionis attentis naturis objectorum,unde triplex est genus luminis scientifici, ut in logicis explicatum est; formalis verò theologica,ut potè lumen divinum in se unum manens secundùm B.Dionisiū,efficaciam habet se extendēdi,& manifestandi res diversas non solum in communi, sed etiam in particulari, in quo etiam deficit, ut docet ibi S. Tho., supremum lumen naturale scientificum, scil. metaphisicum,quod quidem manifestat omnia in quantùm sunt entia,non tamen descendit ad propriam cognitionem moralium,& naturalium, sicut supremum istud theologicum, ergo Theologia una manens poterit ad hæc omnia sub eodem se extendere,&c.

Ex-

Explicatur, & urgetur ulterius. Hoc iterũ est discrimen inter utrumque lumen scientificum, quòd inferius ut potè desumptum ex naturis rerũ juxtà diversarum earum majorem, & minorem abstractionem à materia, nequit unum adæquare amplitudinem luminis principiorum, unde licet intellectus efficaciam habeat ex isto ad discurrendum non tamen per idem scientificum potest se extendere ad omnia scibilia, sicut se extendit per idem principiorum, sed lumen theologicum, ut potè descendens à Deo per viam revelationis, & non juxtà conditionem objecti, vel immaterialitatem formalem ejus, non tenetur sic partiri, sicut scientificum naturale, sed potest adæquare superius lumen principiorum, scil. lumen fidei, ergo sicut istud unum manus se extendit ad omnia revelata, vel revelabilia, ità pariter theologicum poterit ad eadem ut sunt divinitùs revelabilia unum manens se extendere, & consequenter etiam Theologia sub illo, &c.

Dices Ità esse, quando procedit ex utraque præmissa de fide, secus verò si ex altera tantum, & altera naturali, quia tunc non utitur solo lumine revelationis, sed altero etiam, à quo pendet assumpta naturalis, unde conclusio illata ex una tantum de fide, est virtualiter quidem revelata, sed inadæquatè; continetur enim in altera etiam naturali, &c.

Sed contrà hoc est. Et in primis hac solutione convincere poterant, quòd Theologia non solum esset multiplex specie secundùm plures assensus, sed etiam in uno, & eodem, si semel ambæ præmissæ, supernaturalis, & naturalis uniri non possunt in uno, & eodem lumine, vel ratione formali, unde eadem conclusio erit diversæ speciei, si partim est revelata, partim non, quod tamen est alienum, cum lumen illativum respectu unius conclusionis, sit formaliter unum tantum, aliàs magis erit seductio, vel æquivocatio in inferendo, quam recta deductio, & plures formaliter erunt termini inferentes, quam exigat recta dispositio inferendi, quòd est avertere artem syllogisticam, &c.

2. Sive procedat ex duplici de fide, sive ex una tantùm nunquam egreditur limites divinæ revelationis, ergo salva sui unitate specifica potest sic procedere: consequentia tenet, quia quandiù scientia manet sub eodem lumine, aut ratione formali, perpetuò est una, ut probatum est, ant. verò prob. tum quia omnia, quæ attingit, sub una ratione attingit in quantum sunt divinitùs revelabilia, ut tradit hic D. Tho. §. Tum quia, ut explicat infrà art. 5. ad 2. si semel accipit aliquid ab aliis scientiis non accipit ab illis, ut superioribus, sed utitur eis ut ancillis, ergo nunquam extrabitur, aut descendit ab altitudine, aut superioritate sui luminis, &c.

Urgetur hoc ex eodem ibidem. Licet aliquando accipiat, velutatur eis, non tamen; ut suprà etiam insinuavimus; propter defectum, vel in sufficientiam sui, sed magis subjecti, vel intellectus, quia nempè ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ sunt suprà rationem, quæ in hac scientia traduntur, ergo per se loquendo adhuc dum utitur præmissa naturali semper sistit intrà proprius limites divinæ revelationis, licet per accidens utatur illa ob defectum intellectus nostri, & consequentar salva unitate sui specifica potest illa uti; hæc ultima consequentia tenet, quia unitas specifica, & alia hujusmodi prædicata scientiæ, vel habitus nequeunt variari ex his, quæ tantùm per accidens ratione subjecti illi conveniunt, ut dictum est de prædicato immobilitatis, vel firmitatis ejus, & sic de aliis; sicut licet quandoque ex indispositione subjecti facilè pereat, non tamen tollitur, quin per se sit perpetuò qualitas difficilè mobilis ab illo, ergo, &c.

Urgetur ulterius. Theologia ità innititur ex sua ratione specifica divinæ revelationi; ut aliundè per se non accipiat principia, sed immediatè per revelationem à Deo, ut ait D. Tho. excluso quocunque alio lumina, unde sicut fides, ità immediatè respicit Deum dicentem, ut nullo alio motivo inclinetur ad credendum, nisi quia Deus dicit; & lumen gloriæ ità immediatè intuetur, ut excludat quodcunque medium representativum; ità Theologia immediatè tantum sub hoc lumine, sive ex immediatè tantum revelatis discurrit de illo, si velimus eam distinguere à metaphisica, quæ licet disputet pariter de Deo, non tamen accepto lumine per revelationem ab illo, sed ex creaturis, ex quo, ut dicebamus, caret afficacia descendendi ad propriam cognitionem rerum diversarum, sive naturalium, & moralium, (ut facit Theologia), & solum considerat omnia, inquantùm sunt entia, ut inquit D. Tho. in primo ubi suprà, ergo sive utatur Theologia solis revelatis, sive altera tantũ supernaturali & altera naturali, nunquã recedit à suo lumine, quod quia semper est unum, & simplex, pariter illa erit una, & simplex, &c.

Hinc patet, quomodo divina revelatio virtualis, seu mediata, sit formalis ratio sub qua Theologiæ, quia nonnisi ex revelatis, sive ex lumina divinæ revelationis solum habet vim, & efficaciam inferendi per discursum suas conclusiones, quamvis enim in eo, quòd scientia est contradistincta à fide, non habeat pro sui ratione formali revelationem, ut constituit objectum in ratione crediti, vel revelati; nam prout sic correspondet fidei; habet tamen ut constituit revelabile, vel virtualiter revelatum, hoc est, ut infertur, & scitur ex revelatis, sive ex connexione cum illis; ubi duo interveniunt; ut in superioribus insinuavimus; scil. & pondus connexionis correspondens illi, ut scientia est; & pondus revelationis, sive connexionis cum revelatis, correspondens illi, ut talis scientia est; sive suprema, vel immediatè dependens à lumine divino, ex quo habet efficaciam se extendendi, & descendendi ad propriam cognitione diversarum rerum salva sui unitate specifica, unde pondus connexionis cõtrapositivè ad fidem, (quæ unicè inclinatur pondere revelationis, vel testimonii dicentis,) non facit eam inclinari nisi sub hoc lumine, vel accepta efficacia ab illo, ut dictum est, &c.

Id totum videtur insinuare D. Tho. hic art. 3. in corp. illis verbis. *Quia igitur Sacra scriptura considerat aliqua, secundùm quod sũt divinitùs revelata, omnia quacunque sunt divinitùs revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus scientiæ.* Ubi in eo quòd pro scriptura ponit immediatè revelata, & pro scientia Theologiæ revelabilia, utriusque objectum, & rationem forma-

malem ejus, scil. revelationem formalem, & virtualem insinuat; nam dum dicit, *divinitùs revelata*, innuit objectum fidei, scil. immediatè creditum, vel revelatum; & rationem ejus formalem, nempè revelationem immediatam; dicendo verò *revelabilia*, objectum Theologiæ, scil. virtualiter, vel mediate revelatum, hoc est deductum, vel scitum ex revelatis, virtualiter illud continentibus; & rationẽ ejus formalem, nempè revelationem virtualem, seu mediatam, sive connexionem cum revelatis.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Primò arguitur. Theologia in omnibus suis partibus non procedit eodem lumine, ergo non est una specificè in illis, consequentia tenet ex dictis, & ant. probatur, quia in materia morum attendit ad jus naturale, & civile, in aliis verò utitur lumine divino, ergo, &c.

Urgetur hoc. Nam etiam procedens ex utraque de fide, & deindè ex una tantùm, procedit secundùm diversitatem luminis, ergo non procedit tunc secundùm unitatem specificam: prob. ant. dum assumitur præmissa naturalis, verè, & propriè influit hæc in conclusionẽ, ut principium, si velimus esse syllogismum, non enthimema, ut alibi dictum est in lib. Poster. ergò tunc concurrunt ad istam duo lumina, &c.

Dices præmissam naturalem tunc concurrere, ut elevatam, & non præcisè ex propriis; vel quòd solum se habeat ut conditio ad inferendum, & non ut principium. §. Sed contrà hoc est eodem argumento; quia syllogismus ille in re, magis erit enthymema, quam syllogismus, cum hìc petat concursum duarum præmissarum per modum principii, ut supponimus ex dialecticis, ergo, &c.

Explicatur hoc. Nam secundùm communem doctrinam Thomistarum, quando vis naturalis concurrit, ut elevata per lumen supernaturale, tunc adæquata ratio proxima concurrendi est lumẽ; & vis naturalis solum concurrit mediatè, nec multiplicant in ratione concursus, sed uno, & indivisibili dicuntur concurrere, ut latè ostenditur infrà de visione, ergo si semel tantùm concurreret ut elevata, vel ut conditio jam non esset ibi vera ratio syllogismi, &c.

Urgetur ulterius. Nam conclusio deducta ex una tantùm de fide, & altera naturali, non habet tantam certitudinem, quantam habet deducta ex utraque de fide, quia cum certitudo fidei incomparabiliter superet omnem certitudinem naturalem connexio duarum de fide, majorem efficiet, quàm connexio cum una naturali, ergo erit ibi diversitas luminis, vel rationis formalis: consequentia tenet, quia certitudo sumitur ex formali ratione, & lumine, &c.

Ad hoc nego ant.; ad probationẽ ex D. Tho. ubi suprà distinguo ant.; attendit ad jus naturale, & civile, habito respectu ad lumen divinum, ut ad sui regulam, vel rationem formalem conc., sistendo in illis nego. Nam licet descendat ad moralia, & ad alia hujusmodi, quæ in inferioribus scientiis pendent ab alio lumine, ea tamen attingit prout sunt divino lumine cognoscibilia, ut ait D. Tho. art. 4. qua ratione infert, quòd una existens potest ad ea se extendere, quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas; undè si theologus ad hæc descenderet, sistendo in eorum lumine inferiori, & non relativè ad proprium, vel divinum, non procederet ut theologus, sed magis, ut metaphisicus, vel philosophus moralis, &c. sicut si idem metaphisicus de his, de quibus agit philosophus, vel mathematicus, ageret, secundùm lumen inferius, scil. abstractionis à materia singulari, vel sensibili, & non in quantùm sunt entia, sive sub lumine propriæ abstractionis, scil. à materia intelligibili, non ageret de illis, ut metaphisicus, sed magis ut philosophus, vel mathematicus. Ratio verò cur lumen theologicum possit ad ea pervenire, scil. moralia, &c. sine indigentia alterius luminis quantum ad vim inferendi, & purè utendo per modum ministerii ad majorem manifestationem eorum, quæ in hac scientia traduntur, & non ex necessitate, jam adducta est ex D. Tho., ubi suprà, quia ut potè descendens immediatè à Deo habet efficaciam prædicta omnia comprehendendi etiam secundùm propriam eorum cognitionem, in quo, ut dictum est; deficit lumen metaphisicum, quòd licet ad plura se extendat diversarum scientiarum, non tamen secundum eorum propria, sed in quantùm entia sunt, &c.

Ex his etiam patet discrimen inter considerationem theologicam de his rebus, & purè æthicam, aut moralem (& idem proportionabiliter est de aliis scientiis inferioribus), quòd hæc tantùm respicit moralia, scil. vitia, vel virtutes secundùm difformitatem, vel conformitatem ad legem naturalem, vel civilem, sed prior ulterius procedit attendendo ad conformitatem, vel difformitatem ad legem æternam, ad quam conducit proprium ejus lumen divinum, unde in ordine ad istam solom definit peccatum, quòd sit factum, dictum, vel concupitum contrà legem æternam; & similiter virtutes respicit prout ordinant hominem ad finem ultimum supernaturalem, ut insinuat etiã D. Tho. hìc art. 4. relato, dum ait quòd de rebus, vel actibus humanis agit secundùm quòd per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit, &c.

Ad confirmationem fateor difficile esse explicare hujusmodi concursum præmissæ naturalis assumptæ in syllogismo theologico; Nam M. Ferre alibi de charitate tract. 4. q. 7. §. 10. pag. 276., num. 64. variis adductis, & impugnatis solutionibus, respondet juxtà solutionem datam quòd concurrit, ut elevata ab ipsa Theologia, quæ supernaturalis cum sit saltem ex parte luminis, & principiorum, ut potè per se procedens ex immediatà revelatis à Deo, hoc ipso, quòd illam assumit ad inferendum conclusionem theologicam, ipso usu eam elevat ad ordinem supernaturalem, communicando ei per hoc majorem certitudinem, quam habeat eadem de se, sicut dum ars utitur aliquo instrumento, ei communicat virtutem operativam effectus, quam operari intendit; sumpto fundamẽto ex D. Tho. in 1. ubi suprà, q. 2. ar. 2. ad 2., & hic art. 5. relato ad 2. utrobique docente, ut vidimus; quòd Theologia non accipit aliquid ab inferioribus, quo judicetur (sic enim accipiunt inferiores à superiori), sed quòd ipsa judicet, unde uten-

utendo hoc principio; *omnis homo est risibilis*, ad inferendā hanc aliā, *Christus est risibilis*; quæ propriè theologica est, non cōcurrit præfata præmissa, ut judicata vera à lumine naturali, sed ut judicata vera à lumine theologico, quod judicat per principia immediatè à Deo revelata, ex quo judicio illa veritas naturalis fit certa certitudine supernaturali, & prout sic concurrit ad inferendam conclusionem theologicam, quæ supernaturalis est, &c.

Cæterum hic §. 3. n. 118. licet afferat hoc ipsum, scil. concurrere, ut alevatam, & approbatam, sufficere quidem ad salvandam supernaturalitatem assensus deducti ex eadem naturali, & altera supernaturali, non tamen ad salvandum quòd procedat per solam divinam revelationem, & consequenter unitatem ejus specificam, quia licet talis præmissa elevetur, & approbetur, non tamen per divinam revelationem habetur assensus ejus. Quod confirmat ex eo, quia Theologiam concurrere per solam divinam revelationem, est solum habere pro medio probativo Deum revelasse ad hunc sensum, quòd sicut fides nihil credit, nisi quia Deus revelavit habendo ipsam revelationem pro motivo formali ad credendum, sic Theologia, non præstet alicui assensum, nisi probet ex revelatis, unde, sicut non esset fides divina, illa, quæ crederet, quia Deus revelat, & quia homo dicit; vel quia lumen naturale illud dictat, ità nec esset Theologia illa, quæ ex se assentiretur rei habendo pro causa, vel principio ad assentiendum non solum, quòd Deus revelavit, scilicet supernaturali, vel revelato, sed etiam non revelato, vel dictatn à lumine naturali, unde concludit, quòd ad salvandam ejus unitatem, & modum procedendi ex solis revelatis, vel per solam revelationem, necessariò dicendum sit, quòd usus ejusdem præmissæ naturalis non per se, sed per accidens ei convenit, scil. ut dictum est; ex insufficientia nostri intellectus, unde per se, & ex se tantum procedat ex revelatis, ideòquè in omni suo processu semper fit eadem, &c.

Placet utraque solutio, vel doctrina ut potè desumpta ex D. Tho. locis proximè relatis; nam hic art. 5. ad 2., ut insinuavimus; inquit; *Et hoc ipsum, quod sic utitur eis non est propter defectum, vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt suprà rationem, quæ in hac scientia traduntur.* Nec posterior opponitur priori, nam hic tantùm superaddit, quæ faciunt ad salvandam unitatem scientiæ, & luminis, vel influxus ejus; ibi verò nititur salvare adæquatam supernaturalitatem influxus præmissarum, quam contendebat argumentum, ut deindè inferret vim naturalem posse partialiter influere ad actum, vel assensum supernaturalem, scil. conclusionis. §. In forma ergo nego ant. ad prob. dist. ant. concurrit ut principium, per accidens ex defectu subjecti, & adhuc ut cognitum lumine divino concedo per se ex parte scientiæ, & ut cognitum alieno lumine nego, assumitur ergo præmissa naturalis ad inferendum, sed ob in sufficientiam intellectus, ut dicit ibi D. Tho. & ut cognita lumine divino, ut docet art. 4., unde nunquam per se infert Theologia nisi ex revelatis, nec per accidens etiam utitur præmissa extranea, nisi sub hoc lumine, vel ut eodem cognita, & ideò nunquā procedit etiam utendo extraneis secundùm diversitatem luminis, &c.

Ad probationem verò annexam, sicut ad replicam contrà solutionem datam, admittendo illam modo explicatā, respondetur adhuc rectè salvari rationem syllogismi, dum utramque admittimus concurrere, ut veram præmissam, sed quia naturalis non concurrit per se, nec ut cognita proprio lumine, sed divino, utrumque ad intentum salvatur, nempe quòd per se Theologia semper procedat ex revelatis, & quòd etiam cum identitate luminis, quod erat necessarium ad sui unitatem specificam, cum ea, quæ per accidens conveniunt, ut dictum est, non præjudicent huic unitati, eò vel maximè, quòd ibidem non intervenit alietas luminis, &c.

Ad explicationem dicimus militare contrà eos, qui dicunt concurrere, ut elevatam ab altera supernaturali; sic enim verificatur, quòd adæquata vis proxima concurrendi, sit altera præmissa, vel principium supernaturale, unde præmissa naturalis mediatè tantùm concurreret ad assensū conclusionis, sicut vis elevata per lumen gloriæ radicaliter tantùm, vel mediatè concurrit ad actum visionis, lumine concurrente, ut adæquata vi proxima ad illum, quod est contrà rationem syllogismi, qui petit proximum influxum majoris, & minoris. v. g. si in hoc syllogismo theologico, omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis, universalis naturalis elevetur ab altera singulari de fide, sola universalis concurret ut quod, & altera elevans ut quo, sicut contingit in lumine respectu intellectus, ergo sicut respectu visionis non sunt duo, sed unum tantùm concurrens, ut quod, pariter erit unum tantùm, & non duo, respectu conclusionis, unde in re magis erit enthymema, quam syllogismus; nos autem dicimus quidem juxtà D. Tho., quod concurrit, ut elevata, sed non præcisè per alteram præmissam, sed per lumen theologicum, seù divinum, quo cognoscitur, & judicatur apta ad inferendum, quatenus non est sibi repugnans, & assumit ut veram, ut innuit D. Tho. art. 6. ad 2. &c.

Ex his etiam patet ad secundam replicam, nam en ipso, quòd concurrit, ut cognita, & judicata vera à superiori lumine non concurrit præcisè ex propriis, vel ex meritis sui luminis, sed juxtà judiciū superioris, vel divini, quod est omninò infallibile; unde prout sic participat de certitudine fidei, adeò ut *omnes propositiones theologicæ*, (inquit à S. Tho. hic in solutione ad confirmationem primi.) *per evidentem consequentiam deductæ, etiam si altera sit nota lumine naturali, si negentur, eadem censura qualificantur, scil. ut erronea, & secundùm præsumptionem, hæretica.*

Sed instas, quia impossibile videtur quòd præmissa naturalis participet de certitudine fidei, salvo sui esse naturali, sicut impossibile est, quòd homo participet de esse angelico salvo sui esse humano, quā ratione dicimus infrà non peccasse Angelum appetendo esse divinum, dum dixit *Ero similis altissimo*, quia non poterat ad illud, sive ad divinam æqualitatem pervenire, nisi prius destrueretur in se ipso, & consequenter nisi appeteret destructionem sui, ergo si eadem præmissa concurrit, debet ex efficacia sui luminis concurrere,

rére,& ità non procedit tunc Theologia secundùm identitatem luminis,neque ut una cum se ipsa ut procedente ex duplici de fide,&c.

Huic instantiæ dico in primis, ut suprà, quòd etiam si admitteretur Theologiam uti eadem præmissa secundùm aliquem influxum sui luminis,id magis obstaret supernaturalitati assensus conclusionis non dependentis tunc ex influxu adæquatè supernaturali, quàm propriæ unitati specificæ, quia,ut dictum est, per accidens utitur illa ex indispositione subjecti,vel intellectus, non perfectè, aut plenè percipientis revelationem divinam, seu vim alterius revelatæ, quatenus non penetrat in illa causam adæquatam consequentis, vel propositionis inferendæ, nam si penetraret, non indigeret altera naturali ad faciliùs percipiendam virtualem revelatam, quæ infertur, ut patet in Angelo,ut dictum est;constat autem ex dictis, quod ex his, quæ per accidens se habent ex parte subjecti, non tenetur scientia variari quoad sui essentiam, vel unitatem specificam, unde quantùm est ex se non alio lumine utitur nisi revelationis divinæ, &c.

Cæterum quia tenemur utrumque sustinere, & supernaturalitatem assensus, & unitatem scientiæ respondetur dist. ant., quod participet intrinsecè seu derivante fide, aut Theologia,aliquod sui prædicatum essentiale in illam nego, dando alium per approbationem, & judicium sui de veritate,& non repugnantia ejus ad se ipsam concedo, dicimus enim participare de fide, non quia hæc,aut Theologia communicet ei aliquod sui prædicatum essentiale, vel sibi intrinsecum, sed quia, ut inquit, D. Tho. hic art. 6. relato ad 2., *Quidquid in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans totum condennatur ut falsum; undè dicitur 2. Corint.*10. *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*;& consequenter ex opposito, quod invenitur eidem non repugnans, approbatur, ut verũ, unde ex vi hujus judicii, & luminis theologici, ità elevatur, ut accipiat efficaciam de illo ordine, & fiat certa certitudine supernaturali sufficienter ad inferendam sub eodem lumine conclusionem theologicam, sicut in simili dicunt communiter Theologi & juris periti, quod si ex duabus partibus,vel opinionibus apud theologos anteà probabilibus, sum. Pontifex supposito debito jure, hoc est præmissa consultatione theologorum alteram eligat, val determinet, ità elevatur hæc ad statum certitudinis, ut opposita rejicienda sit tanquam improbabilis, &c.

2. Arguitur,& potest esse replica; prosequendo idem argumentum alia via ut suprà. Theologia procedens ex altera revelata, & altera non, nequit habere eandem rationem formalem cum se ipsa ut procedente ex duplici revelata, ergo non est utrobique una specie consequentia tenet, quia variata ratione formali, variatur unitas scientiæ: ant. verò prob., quia nequit tunc procedere per solam divinam revelationem, ergo non procedit per eandem rationem formalem;consequentia iterum tenet, quia divina revelatio, ut dictum est, est ejus ratio formalis, ant. verò prob. procedere per solam revelationem divinam,ut insinuavimus, est procedere ex revelatis,sivè habendo pro motivo, vel medio probativo suarum conclusionum Deum revelasse, sed concurrente altera non revelata nequit verificari, quod tunc habeat pro motivo, vel medio adæquato Deum revelasse, ut patet ex terminis, cum sit de subjecto non suponente respectu alterius non revelatæ, ergo nec verificatur tunc procedere per solam revelationem, &c.

Explicatur,& urgetur hoc. Præmissa revelata, & non revelata nequeunt uniri in unico medio, vel motivo revelationis, nisi non revelata transeat ad esse revelatam, quod est contrà suppositum, ergo Theologia ex illis procedens non habet pro motivo revalationem; prob. ant. indivisibile motivum revelationis non comprehendit nisi revelata, ut patet ex terminis, cum revelatio non sit de non revelatis, ergo præmissa non revelata nequit convenire in unico, & indivisibili motivo revelationis cum revelata,&c.

Explicatur, & urgetur ulterius. In syllogismo constante ex duplici præmissa de fide, adæquata ratio formalis sub qua est sola fides principiorum;in altero verò constante ex una tantùm de fide, & altera naturali, nequit esse sola fides eorum, cum alteram dictet, & alteram non; ergo ibi non est sola ravelatio, nec eadem ratio formalis, &c.

Denique urgetur totum hoc. Quia ibi nequit esse unicum motivum, nec eadem ratio formalis ubi partim dictat fides,partim non, sed lumen naturale, dum Theologia procedit ex altera tãtùm de fide, & altera lumine naturali nota sic promiscuè influit utrumque lumen, ut supponimus, ergo non est ibi eadem ratio formalis nec sola revelatio,& consequenter,nec eadem scientia; Nam sicut hæc non esset eadem semel habens pro objecto primario solum Deum, cum habente Deum simul,& creaturam seu conflatũ ex utroque;sic nec erit eadẽ,quæ habet pro medio probativo præmissas dictatas à sola fide, & quæ habet alteram tantùm dictatam à lumine ejus, & alteram à lumine naturali, vel conflatum ex utroque, &c.

Propter hoc argumentum, vel difficultatum ejus,ac suarum confirmationum tria dicit M.Ferre hic tum §. 3. n. 118. tum §. 4. in solutionibus n. 119., & sequentibus, primum quod Theologia dũ assumit alteram lumine naturali notam, non utitur per se illa,ut dictum est, sed tantùm per accidens ex conditione subjecti; secundum quod admittit ex parte ejus concursũ luminis naturalis,ità ut ratio tunc formalis sub qua, partim sit fides,& partim idem lumen ordinis naturæ, licet ratio formalis sub qua per se, illi conveniens sit tantùm lumen divinæ revelationis; ità num. 120. in solut. ad primam confirmationem:Tertium,quòd deinde opponens sibi Theologiam esse per se discursivam, etiam ità per se convenire illis, quòd utatur majori,& minori ad inferendam conclusionem,unde teneatur per se accipere alteram à lumine naturæ, quando habet unam tantùm à lumine fidei, & non solum ex defectu subjecti; dicit quòd cum non sit necessarium ad veram rationẽ discursus procedere ex majori,& minori, sed satis sit, quòd ex solo antecedenti, non desinet Theologia esse per se discursiva, esto per se tunc non discurrat ex utraque præmissa, sed ex altera tantùm,ità num. 121. &c.

Sed licet primum ex his, ut potè desumptum ex D. Tho. libenter admittamus, nempè, quòd non assumat per se, aut per se utatur præmissa naturali,

turali, quantum ad debitum utendi; secundum tamen, & tertium videntur pati difficultatem; secundum quidem in eo, quòd admittit mixtam rationem formalem ex naturali, & supernaturali lumine, licet primum dicatur concurrere per accidens. Tum quia videtur oppositum docere D. Tho. hic ar. 4., ubi ex eo, ut vidimus; sustinet Theologiam unam existentem se extendere ad ea, quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas, quia respectu omnium servat eandem indivisibilem rationem formalem, quatenus nempè sunt divino lumine cognoscibilia, ergo non admittit in se ipsa concursum alterius luminis, sive per se sive per accidens, sed omnia etiam extranea comprehendit sub proprio, seu tantùm attingit, ut sunt hoc lumine cognoscibilia. §. Tum quia si semel partialiter influit lumen ordinis naturæ, jam non subsistit adæquata supernaturalitas assensus conclusionis theologicæ, nam licet per accidens assumatur, reverà tamen ex majori, & minori infertur; unde de charitate ubi suprà, ad hoc salvandum dicit, quod ut judicata vera à lumine theologico per principia à Deo immediatè revelata elevatur ad certitudinem supernaturalem, & prout sic concurrit ad inferendam conclusionem supernaturalem, unde nisi velit hic ità pendere per se à sola supernaturali, ut altera per accidens concurrens, vel à qua per accidens pendet, non ponat in numerum in tali syllogismo, non videtur posse salvari eandem supernaturalitatem conclusionis; sed tunc insurgit altera difficultas, quod in re non erit syllogismus, sed enthimema, quod ibidem impugnat, &c.

Tertium denique. Quia ex eò, quod per accidens assumat illam, aut uniat alteri præmissæ, non videtur inferri, quod per illam sic assumptã & unitam verè, & per se discurrere non valeat, salva integrè ratione syllogismi, aut discursivi per se in illo respectu Theologiæ, ergo; prob. ant. tum in subjecto albo, cui licet per accidens dicatur convenire albedo, ut tamen eidem unito, sive ut albo per se illi convenire dicitur esse disgregativum visus: Tum aliis omissis, exemplo, vel doctrina ab eodem desumpta tom. 2. in p. 1. tract. 6. q. 11. §. 7. n. 441.; nam licet similiter religioso secundùm se, vel ut homo est, per se non conveniat status monacalis, sed liberè illum assumat, semel tamen assumpto, vel eidem unito, adeò intimè conveniat regula monacalis, & custodia castitatis connexæ cum regula, ut per se illi, & essentialiter conveniat, unde etiam licet liberè professionem emittat; semel tamen professo per se, & inseparabiliter convenit idem status ut docet ibidem, qua ratione probat non solum non posse religiosum dispensari perseverante, eodem statu, ut aliqui explicant decretalem Innoc. 3. adductam à D. Tho. 22. q. 88. art. 11., sed quòd ulterius non possit monacus de monaco fieri non monacus, sive separari ab eodem stato, ergo licet pariter Theologiæ per accidens conveniat assumere, vel unire sibi, aut propriæ præmissæ alteram naturalem, hac tamen unita, poterit per illam ut elevatam, & proprio lumine judicatam per se discurrere sine influxu alterius luminis, ut sic salventur omnia, & supernaturalitas conclusionis, & integra ratio syllogismi, & ratio per se discursivi in Theologia per illum, &c.

Ad argumentum, ergo nego ant. ad probat nego iterum ant. ad ejus probat. dist., & explico ant. ex doctrina D. Tho. ubi suprà; habendo pro motivo, vel medio adæquatè Deum revelasse, vel per modum dicentis, vel per modum judicatis, sive sumpto lumine divinæ revelationis, vel per modum loquutionis, vel per modum judicii concedo, semper per modum loquutionis sub dist. quando discurrit ex propriis, concedo, quando per accidens assumit aliquod principium extraneum nego, tunc enim satis est, quod per idem lumen judicet alteram non revelatam esse veram, vel non repugnare alicui ex revelatis, vel propriæ veritati, ut innuit D. Tho. art. 6. relato ad 2., semper ergo habet pro motivo, vel medio lumẽ divinæ relationis, quia ut vidimus ex eodem, art. 4. non se extendit ad extranea, nisi prout divino lumine cognoscibilia, sed quia istud lumen est summæ efficaciæ ut tradit in primo ubi suprà, non solum est sufficiens ad manifestandum propria principia per modum loquutionis, sed etiam extranea per modum judicii de eo quòd non repugnent veritati hujus scientiæ, unde semper eodem lumine procedit licet non eodem modo, sed juxtà conditionem præmissarum, &c.

Ex his facilè respondetur ad omnes confirmationes. Ad primam quidem dist. ant. in unico revelationis sumptæ præcisè per modum loquutionis concedo, vel per modum loquutionis, vel per modum judicii nego, ad probationem similiter dist. non comprehendit nisi revelata, sumpta revelatione per modum loquutionis, concedo, per modum judicii nego, cum enim, ut dictum est, se extendat hoc lumen ad res diversas inferiores adhuc secundùm propriam earum rationem, non solum comprehendit dicta à se, sed etiam judicata, ità ut proprium earum lumen, non veniat quasi activè ad influendum ad propriam conclusionem, sed magis passivè, ut judicatum, sic enim elevatur, & concurrit juxtà meritum solius luminis divini judicatis, sicut in simili dicimus de futuris, vel eorum durationibus ante propriam existentiã, quòd juxtà meritum superioris mensuræ jam gaudent physica præsentia non quasi activè, scil. exercendo rationẽ mensuræ respectu futurorum, sed magis passivè, ut mensuratæ ob eminentiam æternitatis, quæ cũ sit tota simul, & infinita, se extendit ad futura, & eorũ durationes elevando, & dando eis presentiam physicam antequam sint in se ipsis, &c.

Ad secundam dist. similiter quoad secundam partem. Non est sola fides per modum loquutionis tantùm, concedo, per modum loquutionis, & judicii nego, nam licet alteram non dictet; eam tamen judicat, ut dictum est. §. Ad tertiam nego mi. quia lumen naturale, sicut & præmissa ejus magis veniunt passivè per modum judicati, ut dictum est; quam activè ex propriis, unde tantum influit, ut stant sub judicio superioris luminis, cum effectus conclusionis, ad quem assumuntur influere, ut potè ordinis superioris; superet vires luminis naturalis, &c.

Tertiò arguitur (& potest esse replica impugnando rationem D. Tho.) Benè stat Theologiam omnia attingere sub eadem ratione formali, ut nempè sunt cognoscibilia luminè divino, & tamen diversificari in plures species, ergo: prob. ant. paritate communi, sed adhuc difficili, quam pariter opposuimus in primo phys. contrà unitatem speci-

ſpecificam Philoſophiæ: Benè ſtat, quòd omnia mathematicalia tractentur ſub una, & eadem immaterialitate, vel abſtractione, & nihilominus partiri Matematicam in plures ſpecie habitus, ut in Aritmeticam, & Geometriam, ergo pariter, &c. ant. quoad ſecundam partem videtur conceſſum ab omnibus, non enim prædictæ ſcientiæ conveniunt in unitate ſpecifica; quoad primam etiam conſtat, quia omnia attinguntur ſub lumine abſtrahente à materia ſenſibili concernendo intelligibilem, ergo gaudent eadem immaterialitate, vel ratione formali, &c.

Ad hoc nego ant. ad prob. variè, reſpondent authores, nam alii admiſſa in illis identitate rationis formalis recurrunt ad diverſitatem principiorum, vel mediorum, ſed hoc non videtur ſubſiſtere, vel eſſe de ſubjecto non ſupponente, quòd ſtet principiorum formalis diverſitas ſtante eadem abſtractione formali, vel lumine ſcientifico, ſive immaterialitate objectiva, ut patet inductivè, nam etiam in phyſicis (& ſic de aliis) ſunt diſtincta principia, vel media ad probandas ſuas concluſiones, & tamen eorum diverſitas, quia eſt intrà eandem abſtractionem à materia ſingulari concernendo ſenſibilem, (quæ eſt una unitate athoma, ut latè ibidem oſtendimus) formalis non eſt, ſed tantùm materialis, & inſufficiens ad variandas ſpecie ſcientias, &c.

Alii verò, ut M. Ferre hìc ad tertium rejecta alia ſolutione, quam probabiliter ſuſtinuimus in phyſicis, & de qua iterum infrà; Reſpondet, quod Aritmetica, & Geometria intrà lineam ſcibilis matematici, non præciſè differunt ſpecie, ſed ſunt primò diverſæ, ita ut Geometria ſolum conſideret continuitatem quantitatis continuæ ex quo diſtinguitur à diſcreta, & non ex quo convenit cum illa; & ſimiliter Aritmetica conſideret tantùm diſcretionem quantitatis diſcretæ prout differt à continua, & non prout convenit cum illa; & rationem aſſignat, quia ſi præciſè differrent ſpecie, deberet dari Matematica, quæ ageret de earum genere, ſive de materia intelligibili ut ſic, aut de quantitate prout abſtrahit à continua, & diſcreta, hoc autem admitti non poteſt, quia aliàs hæc ſola Matematica ſufficeret pro omnibus matematicalibus ſine multiplicatione alterius habitus ſcientifici ſive aritmetici, ſive geometrici, quia ad ſcientiam, quæ conſiderat genus, attinet etiam conſiderare ejus ſpecies, ut patet in phyſica, quæ quia agit de ente mobili in communi agit etiam de mobilibus in particulari, & ſimiliter in Metaphiſica, quæ agit de Deo, & creaturis, quia ad ipſam attinet agere de ente ut ſic, in quo continetur Deus, & creatura, &c.

Nec refert ſi eidem opponas, quòd Aritmetica, & Geometria reſpiciunt etiam aliquid, in quo conveniunt, ſcil. concernere materiam intelligibilem, & abſtrahere ab omni ſenſibili. ℣. Reſpondet enim, quòd materia intelligibilis, quam concernunt, ſcil. quantitas, ut abſtrahit ab utraque, non eſt ſcibile matematicum, ſed metaphiſicum; nam matematicus tantùm conſiderat quantitatem, vel quia continua, vel quia diſcreta, & non quia quantitas ſit, unde intrà lineam ſcibilis matematici non habent aliquod commune, in quo conveniant, vel quod deſcendat ad ſcibile geometricum, & aritmeticum, ſed ſolum in linea entis, & conſequenter ſtando intra limites ejuſdem ſcibilis tantùm habent differre, & non convenire, quod eſt eſſe primò diverſas, & non tantùm ſpecificè ſupponendo ſcibile aliquod genericum infrà proprium ſorum, ſcil. matematicum, undè ſcibile matematicum caret genere de ſui linea, ſed genus ejus eſt ſcibile metaphiſicum, ſicut in ſimili dicimus infrà de voluntate Dei, quod volitivum ſimiliter non habet genus intrà propriam lineam, ſed genus ejus eſt intellectivum, &c.

Quod ſi his iterum opponas, quod dum altera verè tractat de materia intelligibili continua, ſcil. Geometria; altera verò de intelligibili diſcreta, non poſſe non convenire in hoc, quod eſt tractare de materia intelligibili, & conſequenter, quòd habeant aliquod commune veluti genericum, ſub quo differant, ut ſpecies. ℣. Reſpondet convenire in voce tantùm, non in conceptu aliquo objectivè communi in ratione communi, exiſtimat enim, quod ſicut canis æquivocè dicitur, & ſecundùm vocem tantùm convenit ſuis inferioribus, ſcil. tereſtri, marino, & cæleſti; ſic tantùm ſecundùm vocem conveniat materia intelligibilis, ſeu intelligibile mathematicum ut ſic, utrique intelligibili diſcreto, & continuo; nam in re non invenitur intelligibile matematicum niſi in differentiis ipſius quantitatis ſcil. continuæ, & diſcretæ, & non in aliqua ratione communi abſtrahente ab utraque; quia hæc non poſſet eſſe alia niſi quantitas ut ſic, hæc autem abſtrahit ab omni materia, cum in illa prout ſic ſolum conſideretur eſſentia quantitatis, ut communis ad ſuas ſpecies, & conſequenter magis pertinet ut ſic ad ſcibile metaphiſicum, cujus proprium eſt abſtrahere ab omni materia, ut alibi in philoſophicis explicatum eſt, quam ad matematicum; In abſtracto, ergo ſuprà materiam intelligibilem continuam, & diſcretam *non habetur; inquit; ratio materiæ intelligibilis, ſed tantùm habetur abſtractio ab omni materia*, quæ magis conſtituit ſcibile metaphyſicum, & non matematicum ſic ſubtiliter diſcurrit idem ſapientiſſimus magiſter, &c.

Nihilominus videtur difficultas non in eo præciſe, quòd neget differre ſpecie Aritmeticam, & Geometriam, ſed in motivo, quia nempè deberet dari matematica, quæ ageret de genere earum, & quia ad ſcientiam, quæ conſiderat genus, attinet etiam conſiderare ſpecies illius, ſequitur debere etiam dari unam tantùm ſcientiam matematicam; ſicut una tantùm eſt ſcientia phyſica. Nam licet dicamus ſcientiam tractantem de genere, debere etiam agere de ſpecie, non tamen tenetur ſemper deſcendere ad propriam earum cognitionem, imo quandoque non poteſt, ſed tantùm in communi, ſeu in quantùm conveniunt in ſuperiori ratione communi, ut vidimus ex D. Tho. in primo ubi ſuprà; quia non omnes habent efficaciam ad ſic deſcendendum, ſed eſpecialiter id tribuitur Theologiæ ex efficacia ſui luminis, ut una manens ſic deſcendat, ut docet ibidem contrapoſitivè ad Metaphiſicam, ut dictum eſt; quæ omnia conſiderat in quantùm ſunt entia, & non ſecundùm propriā eorum rationem, & conſtat etiam in eadem Phyſica in oppoſita ſententia afferente eſſe unam tantùm genere, nam licet agat de mobili in communi, non tamen deſcendit ad ſuas ſpecies, vel inferiora

riora

riora mobilia secundùm propriam eorum cognitionem, vel mobilitatem in particulari, nt de multiplicantur alii habitus, vel scientiæ tractantes de illius speciebus, vel inferioribus mobilibus, unde utraque instantia de Physica, & Metaphisica videtur quoad hoc eidem opponi quoad intentum;&c.

Deindè videtur iterum esse difficultas in eo, in quo facit præcipuam vim, nempè quod quantitas ut sic communis ad discretam, & continuam, vel abstrahens ab utraque statim transeat ad scibile Metaphysicum, si semel consideratur in hac sui communitate, & solum secundùm vocem sit quid commune utrique intrà forum, vel scibile Matematicum: nam sicut quantitas ut sic abstrahit ab utraque, ità proportionabiliter mobile ut sic à mobilibus in particulari, ut à generabili, & corruptibili, vel etiam à substantiali, & accidentali; sed nihilominus istud adhuc sistit intrà forum, vel scibile Phylosophicum, & abstractionem ejus, & est quid commune secundùm rem, & non tantùm secundùm vocem, ità ut salvetur specifica distinctio inter scientias specie distinctas in eodem foro cum habitudine ad aliquod superius commune veluti genericum, nec statim transit ad aliud scibile, ergo videtur quòd etiam quantitas possit sistere intrà forum suum Matematicum tanquam aliquid commune utrique, ità ut istæ dicantur specie differre cum habitudine ad aliqnod commune intrà illud.

Explicatur, & urgetur hoc præoccupando solutionem: sicut quantitas ut sic abstrahens ab utraque consideratur secundùm essentiã quantitatis, ut communis ad suas species, ità mobilitas ut sic abstrahens à substãtiali, & accidentali consideratur proportionabiliter secundum essentiam mobilitatis, ut communis ad utramque mobilitatem, vel mobilia inferiora, & sicut quantitas est scibile Matematicum, ità mobile est Phylosophicum, sed nihilominus consideratio mobilitatis ut sic, non statim egreditur limites scibilis Philosophici transeundo ad Metaphisicum, sed cum habitudine ad illam distinguuntur in probabili sententia diversi specificè habitus in ordine ad diversa mobilia in particulari, ergo cum habitudine pariter ad quantùm ut sic in communi, distingui poterunt habitus specie distincti intrà scibile Matematicum. Et ratio utriusque videtur esse, quòd hujusmodi rationes secundariæ considerari possunt, vel in quantùm sunt entia, sive secundùm communem habitudinem ad rationem entis, & tunc ut dictum est, pertinent ad lineam Metaphisicam, & abstrahunt ab omni materia; vel secundùm peculiarem rationem talis essentiæ quoad sui specialia prædicata, & tunc pertinent ad hoc, vel illud determinatum scibile, & ad ejus abstractionem, sicut in simili dicimus de ente rationis ut sic, quòd si consideretur in quantùm ens pertinet saltem extensive juxtà diversitatem modi dicendi, ad idem scibile Metaphisicum, si verò in ratione directivi operationum intellectus, & ostensivi veritatis, tunc constituit specialem scibilitatem pertinentem ad forum logicale, ergo non videtur quantitas ut sic, ità statim reducanda ad scibila superius, vel Metaphisicum, ut non possint amplius Aritmetica, & Geometria considerare utramque ejus speciem, cum habitudine ad aliquid utrique commune. Sed hæc disputationis gratia dicta sint in reverentiam tanti Magistri mei Præceptoris; salva ejusdem solutionis subtilitate, ac probabilitate, &c.

Aliter ergo responderi adhuc potest ex dictis in Physicis ad eandem probat. nego ant. quoad primam partem quòd sit ibi eadem abstractio, vel ratio formalis unitate, vel idantitate athoma: ad probationem distinguo: concernendo æqualiter intelligibilem, nego, inæqualiter concedo, nam quantitas discreta, sive numerus, qui est objectum Aritmeticæ, abstrahit à quadam materia intelligibili, vel continuitate, à qua non sic abstrahit continua, nam cum numerus resultet ax divisione continui, tanquam ex parte materiali, comparatur, ut forma respectu continui, unde abstractio à continuitate, est major formalis, & consequentea per se, & formaliter habet inæqualiter concernere materiam intelligibilem, & magis recedere à materia sensibili, quam quantitas continua; cæterum divina revelatio uno tantùm modo contingit in Theologia, & uno tantùm modo applicatur ad probandum, & ideò ad omnia se extandit sine specifica diversitata, &c.

Sed contrà hanc solutionem (præter replicam de mobili corruptibili, & incorruptibili, quæ ibidem videri potest ne eadem repetamus) iterum insurgit M. Ferra. Nam major, vel minor recessus à materia sensibili, qui invenitur inter Mathematicalia, non aufert, quin hæc omnia depurata sint à materia sensibili, ut cadunt sub consideratione scientiarum Mathematicarum, ergo non tollit unitatem rationis formalis, &c.

Confirmatur ex eodem: major, & min. recessus à materia sensibili tunc formaliter variaret scientias Matematicas, quandò per se consideraretur à Matematico, at nõ sic consideratur, ergo non facit formalem diversitatem inter scientias Matematicas; prob. min. Matematicus nullo modo considerat materiam sensibilem, sed solum intelligibilem, ergo quod una materia intelligibilis magis distet à sensibili, quam alia, non cadit sub consideratione Mathematici, sed tantùm materialiter se habet ad id, quod formaliter consideratur, &c.

Explicatur hoc. Quamvis secunda intentio rationis magis distet abente reali, quam prima, tamen Logica, quia considerat illas secundùm quod abstrahunt ab omni esse vero, & reali non variatur formaliter in duas Logicas, quarum altera solum sit de primis intentionibus rationis, altera verò de secundis, ergo quia Matematica abstrahit ab omni Materia sensibili, & considerat intelligibilem, qua talis est, non variabitur essentialiter per hoc, quod linea minus distet à Materia sensibili, quam numerus. Quod verò prima intentio minus distet ab ente reali, quam secunda probat, quia ideò quantitas continua minus distat à materia sensibili, quam discreta, quia prima habet pro subjecto immediato materiam sensibilem, secunda verò quantum continuum, sed etiam prima intentio habet pro subjecto ens reale, & secunda primam, ergo minus distat prima ab ente reali, quam secunda, &c.

Huic instantiæ distinguo iterum ut suprà ant. sunt adæquatè depurata à Materia sensibili, æqualiter concernendo intelligibilem nego, inæqualiter ut dictum est, concedo ant., & nego consequen-

sequentiam; nam omnimoda convenientia ex parte termini à quo, à quo scil. recedūt solū inferre potest identitatem, vel unitatem genericam, non specificam, quæ præcipuè attenditur ex parte termini ad quem, vel materiæ, quam concernunt inæqualiter juxtà diversam immaterialitatem passivam, vel objectivam, quæ scil. relinquitur in objecto ex vi abstractionis activæ à materia, à qua fit recessus, qua ratione licet omnia pariter Physicalia recedant à materia singulari, & fiot ab illa depurata, adhuc tamen in probabilissima sententia Thomistarum Caietani, Capreoli, Soncinatis &c. Philosophia dicitur una genere, multiplex tamen specie, ob formalem diversitatem ex parte termini ad quem, vel materiæ sensibilis, quam inæqualiter concernunt ejus objecta, ut ibidem in Physicis explicatum est, unde quidquid sit, quòd ideotitas recessus faciat identitatem genericam, noo tamen specificam, si aliàs sit diversitas accessus ex parte termini ad quem, ut contingit in casu, & patet etiam in communi sententia io Angelis, qui ut potè substātia completa spiritualis; sunt omnes adæquatè depurati ab omni materia Physica, & nihilominus quia inæqualiter, ut sic dicamus concernunt Metaphysicam, sive potentialitatē, ut potè creaturæ; penes majorem, vel minorem accessum ad Deum actum purum, distinguuntur specificè inter se, ut latè infrà explicatur de Angelis, &c.

Ad Confirmationem nego suppositum maj. quòd præcisè distinguantur specificè penes recessum, sed magis penes accessum, ut etiam innuitur in probatione min. dum recurrit ad habitudinem ad materiam intelligibilem; & deinde etiam poterat negari maj. quòd aliquomodo per se non pertineat, aut non consideretur idem recessus, nam licet dicamus à Matematico non considerari materiam sensibilem, à qua abstrahit, nihilominus ex vi hujus abstractionis, vel recessus, oritur immaterialitas passiva io objecto, quæ per se attenditur in his scientiis, & est formale earum specificativū, seu proprium lumen abstractivum, sub quo per se procedunt, ut manifestante eorum objecta, unde abstractio io scientiis est veluti quidam motus, ad quem, sicut per se suo modo requiritur terminus à quo, & ad quem, ità etiam duplex habitudo recessus, & accessus, licet penes hanc posteriorem consumetur, & capiat suam speciem, de quo latè in Physicis; qoa ratione vidimus io Logicis non posse ens præscindere à suis modis, quia cum præcisio sit similiter quidam motus, petit indispensabiliter recessum mobilis à termino à quo, (nam quamdiù actu manet in illo noo movetur;) qui tamen verificari nequit de ente respectu suorum inferiorum, in quibus ut potè traoscendens; debet actu perpetuò includi, & manere, unde impossibile est, quòd verè, & propriè præscindere valeat, &c.

Ad explicationem nego iterum suppositum, imò duplex suppositum, & quòd præcisè penes eundem recessum attendenda sit specifica distinctio in sciētiis; & quod una intentio rationis rigorosè loquendo magis, vel minus recedere, vel accedere dicatur, quam alia; quia cum omnes abstrahant ab omni materia negativè ob earum imperfectionem, ut dictum est ibidem in Logicis; & omnimoda hujusmodi abstractio in indivisibili consistat, non admitt't latitudinem majoris, vel minoris, sicut quia similiter Deus abstrahit ab omni negativè, licet ob sui maximam perfectionem, ut potè actus purus; in nullo sui prædicato datur major, vel minor recessus, vel accessus à materia, vel potentialitate ad immaterialitatē, vel actualitatē, unde non ex eo Logica est una, quia inæqualis recessus nullo modo conferat ad diversitatem scientiarum, sed quia nec habent inæqualem accessum ad terminum ad quem, si semel omnes abstrahunt negativè ob sui maximam imperfectionem & esse diminutum, ut neque accedant ad perfectionem materiæ. Ad probationem verò ejusdem, suppositi distinguo, & explico maj. quia habet pro subjecto immediato materiam sensibilem, supposita simul latitudine intrà terminos suæ abstractionis, concedo, aliter nego, & distinguo min. prima intentio habet ens reale, secunda primam, cum latitudine iotrà propriam abstractionem nego, sine illa concedo, nam licet prima videatur minus distare, quam secunda, en ipso tamē, quòd omnes abstrahunt ab omni materia negativè nequit esse major, vel minor recessus formaliter, cum in indivisibili consistat hujusmodi abstractio, ut dictum est; nisi dicatur maj., vel minor materialiter prout una non æquè immediatè fundatur, aut consequitur ad ens reale, ac alia.

Ultimò tandem arguitur in favorem Aleosis ad probandum, quòd saltem pro ea parte, quæ tractat de his quæ pertinent ad ordinem hypostaticum debeat dari scientia distincta à Theologia, quæ tractat de aliis spectantibus ad purum ordinem gratiæ. Id, quòd pertinet ad primum ordinem, scil. Christus, est ordinis superioris ad res gratiæ, ergo lumen scientificum, quo attingitur est distinctum, & superius theologico, quo attinguntur res pertinentes ad ordinem gratiæ; ant. patet quia tres sunt ordines rerum, scil. naturæ, gratiæ, & unionis hypostaticæ, qui est cæteris excellentior, consequentia verò prob.; Nam quia res ordinis gratiæ est superior ordine naturali petit lumen distinctum, & superius lumine naturali, quo attinguntur res ordinis naturalis, ergo quia res ordinis hypostatici superior est ad res ordinis gratiæ postulat lumen distinctum, & superius illo, quo attinguntur res primi ordinis gratiæ, &c.

Urgetur. Res ordinis hypostatici, sivè Christus non est pars subjectiva objecti adæquati Theologiæ, ergo non est objectum alicujus partis ejus, ergo est alterius scientiæ; utraque consequentia tenet, prior quidem, quia cum unitas scientiæ; ut dictum est; ex unitate objecti accipiatur, idem est esse objectum partis, & totius Theologiæ, aliàs non esset una scientia; secunda etiam, quià Theologia, nec ulla scientia, se extendit extrà suum objectum; ant. etiam constat, quia ut dictum est, & adhuc dicetur infrà cum D. Tho. art. 7. objectum formale *quo* Theologiæ est divina revelatio mediata; objectum verò formale *quid*, est Deus sub ratione Deitatis, sed Christus, nec divinæ revelationis, nec Deitatis est pars subjectiva, ergo, &c.

Urgetur hoc. Quia Christus ad idem objectum superaddit aliquod accidentale, vel extrinsecum, scil. humanitatem personaliter unitam Verbo, cum de conceptu ejus non sit sola Divinitas, sed etiam humanitas, quæ est quid extrinsecum, & veluti differentia accidentalis, superadditur Deitati, ergo agere de illo non pertinet ad Theologiam, sed

ſed ad iſtam, & veluti ſubalternatam illi, &c.

Ad hoc nego conſequentiam ad probationem nego iterum conſequentiam, & diſparitas eſt, quia lumen naturale, ut potè magis limitatum, reſpicit ſolum ut objectum proportionatum ſibi res naturalis ordinis, & ideò niſi elevetur non poteſt ſe extendere ad res ſupernaturales; lumen verò theologicum, ut potè divinum, & altius, per ſe primò reſpicit, ut objectum ſpecificativū Deum Autorem ſupernaturalem totius ordinis gratiæ, & hypoſtatici; Deo autem ut ſic nec Incarnatio, nec Chriſtus eſt excellentior, & ideò Theologia ex vi ſui luminis, ut inſinuat D. Tho. in primo ubi ſupra, & hìc art. 4.; efficaciam habet una manens ſe extendendi ad res, ordinis gratiæ, unionis hypoſtaticæ, & ordinis naturalis ut ordinantur ad Deum, & ſunt eodem lumine cognoſcibiles, &c.

Ad primam Conf. conceſſo antecedente (ſi de Chriſto ut homo eſt, intelligatur, nam ut Deus, eſt objectum formale ejus) diſtinguo primum conſequens, non eſt objectum formale, vel primarium ſpecificativum Theologiæ, concedo, quia iſtud in omnibus partibus eſt Deus ſub ratione Deitatis, ut dictum eſt; non eſt ſaltem ſecundarium, aut materiale, nego; nec eſt neceſſarium, ut docet D. Tho. hìc art. 7. relato ad ſecundum, quòd omnia, quæ tractantùr in Theologia, comprehendantur ſub Deo, ut partes ſpeciei, vel accidentia, ſed ſatis eſt, quòd ſint aliqualiter ordinata in Deum, &c.

Ad ſecundam nego ant., vel ſuppoſitum ejus, quòd humanitas dici poſſit differentia accidentalis reſpectu Dei, quia ut docet D. Tho. 3. p. q. 16. art. 1. ad 1. Hæc propoſitio; *Deus eſt homo*, Non eſt in materia contingenti, ſed naturali, & prædicatur homo de Deo per ſe, ſicut ſpecies de ſuo ſuppoſito per ſe, & ratio eſt, quia humanitas verè exiſtit, & ſubſiſtit per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam divinam, & ideò etiam Chriſtus non eſt unum per accidens, de quo Capreol. in 2. diſt. 4. q. 2. ad 4. contrà ſecundam. Præterquam quòd; ut inſinuavimus; principia ſcientiæ ſubalternatæ ſunt concluſiones à priori demonſtratæ, vel evidenter notæ in ſubalternante, neutrum autem contingit in caſu, cum principia ſciētiæ de Chriſto ſint articuli, quibus modo perfidem aſſentimur, ſicut & cæteris principiis Theologiæ, unde ex nullo capite poteſt eſſe diſtincta, aut ſubalternata illi, &c.

Ex dictis colligimus primò cur in aliis ſcientiis naturalibus dari poſſit ſub eadem ratione formali, puta Philoſophica, aut Matematica, latitudo, aut diverſitas ſpecifica, ſaltem in probabili ſententia, aut modo dicendi, non tamen ſub theologica, quia ut dictum eſt; formalis ratio ſub qua aliarum ſumitur ex tali modo immaterialitatis, ſeù abſtractionis à materia, ſeù, ut alii dicunt, ex principiis, ut ſubſunt tali, vel tali abſtractioni, ſcil. à ſingulari, ut in Phyſicis; à ſenſibili, ut in Matematicis, & ab intelligibili, ut in Metaphiſica, quæ non conſiſtunt, in indiviſibili, ut modo ſupponimus juxtà eorum placita; cæterum formalis ſub qua Theologiæ non eſt immaterialitas, ſed lumen divinum, deſcendens à Deo, ſive revelatio virtualis aplicata connexioni illativæ per influxum ex revelatis; ſicut enim res non cognoſcuntur per fidem, quia habent talem, vel talem immaterialitatem ſed quia ſunt revelatæ à Deo, ità per Theologiam ſunt ſcibiles, quia ſunt revelatæ mediatè, vel judicatæ veræ, aut non repugnantes ſibi, unde inferuntur ex revelatis, vel ſic judicatis, ut explicatum eſt, & non quia ſubſunt tali, vel tali abſtractioni à materia. Quia verò hoc lumen, vel revelatio eſt unius ſimpliciſſimæ rationis, & ſummæ efficaciæ, ad omnia per ſe ipſum manifeſtabilia ſe extendit unum manens, nec patitur ſcientiam; cujus eſt lumen, in plures ſpecie habitus partiri poſſe; unde ut ait Capreol. q. 3. prologi ad 3. contra 4. *Si quis omnes concluſiones omnium ſcientiarum cognoſceret, in quantùm divinitus revelabiles ſunt; hoc eſt, quòd formalis ratio aſſentiendi in illis concluſionibus eſſet lumen divinæ revelationis, ubique unicum haberet habitum, & non plures.*

2. Colligimus, quòd ſi alicui Deus plures ſcientias naturales infunderet, revelando earum principia, vel objecta, non propterea unicā tantùm ſcientiam haberet de illis, quia tunc, ut advertit Caietanus §. *Pro evidentia*, revelatio non eſſet in illis formalis ratio aſſentiendi, ſed ſolum compararetur ad illas, ut cauſa efficiens ad effectum, unde ſciret idem geometricalia v. g. ſub illamet ratione, qua ſciunt alii Geometræ, & conſequenter non eſſent illæ ſciēntiæ ejuſdem rationis, & ſpeciei cum noſtra Theologia, per quod ſolvitur aliud argumentum contrà rationem D. Tho. &c.

DISPUTATIO III.

De ſubjecto, & modo procedendi Theologiæ.

Dlo principaliter ſe offerunt, alterum de ſubjecto, ſcil. adæquato, addito ibi duplici corolario de certitudine Theologiæ, & conceptu ſapientiæ; alterum verò de modo procedendi, ubi de locis ex quibus ſumit argumenta, & quia principalis eſt Sacra Scriptura, aliquid de illa, vel ejus ſenſibus dicemus in fine, &c.

QUÆSTIO PRIMA.

Quodnam sit subjectum adæquatum Theologiæ.

Aliqui indifferenter loquuntur de objecto, vel subjecto, ut Gonet hìc art. 3. quod tamen displicet M. Ferre q.6. opponenti D.Tho. art. 7., ubi ut probet hanc conclusionem, *Deus est subjectum Theologiæ* assumit hanc propositionem; *Sic enim se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam*; supposito autem, quòd esset omnino idem, subjectum, & objectum, prædicta propositio esset falsa; Tum quia aliqua duo sic se habere, est tantùm proportionaliter convenire, proportionalis autem convenientia non importat identitatem, sed præcisam paritatem exigens quatuor terminos, & totidem distincta significata per illos, qua ratione hæc est vera, sicut se habet substãtia ad suum esse, ità accidens ad suum; hæc autem ex opposito est falsa, sicut se habet homo ad suum esse animalis, ità pariter leo ad suum, quia in priori, esse utriusque est simpliciter distinctum, non sic verò in posteriori, imò fieret sensus, quòd in ratione animalis proportionaliter tantùm convenirent, quod est falsum, & rationam subdit ex Capreol. q. 4. prologi art. 1. conclus. 2. *Quia* nempè *objectum* scientiæ; inquit ibi; *propriè est conclusio demonstrata, sed subjectum scientiæ est illud, quod subjicitur in conclusionibus demonstratis*; idest, est illud, de quo passiones, vel proprietates demonstrantur; & propterea objectum propriè dicitur scibile, subjectum autem non sic, sed est illud, de quo scibilia demonstrantur. Qua ratione etiam potentiis, non assignatur respectu earum, cognitionis subjectum, sed objectum, scientiæ verò utrumque, quia hæc solum datur ad cognoscendum unum de alio, scil. scibile de subjecto, illæ autem tendunt ad absolutè illud, vel simpliciter cognoscendum, &c.

Sed nihilominus, quia, ut subdit ibidem Capreol. dicens; *Verumtamen quandoque unum pro alio ponitur, quia etiam subjectum est objectum scientiæ, ultimatum, scil., ad quòd terminatur actus studendi*; promiscuè utrumque accipi solet à Theologis, & idcircò, ait, Gonet; se quærere in titulo, quodnam sit subjectum, vel objectum, non negans quòd aliquomodo differant.

Hoc præmisso est duplex sententia extrema, & altera veluti media; Prima extrema asserit non esse præcisè Deum, sed ens revelabile abstrahens à creato, & increato; Ità aliqui antiqui, quos suppresso nomine refert hìc D.Tho. art.7. in fine corp. dicens; *Quidam verò attendentes ad ea, quæ in ista scientia tractantur, & non ad rationem secundùm quam considerantur, assignaverunt aliter subjectum hujus scientiæ, vel res, & signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, idest caput, & membra.* De omnibus enim istis tractatur in hac scientia, *sed secundùm ordinem ad Deum.*

Secũda veluti media assignat quidem Deũ sub ratione Deitatis, non tamen, ut subjectum adæquatum, sed tantùm principale, sicut in simili dicimus de mobili substantiali in nostra sententia comprehendente etiam accidentale; vel de demonstratione in Logicis in communi contrà alios, quòd pertinent quidem ad subjectum Philosophiæ, & Logicæ non tamen sunt adæquatum, sed tantùm principale. Hanc tenet Gabriel à S. Vincentio Carmelita Discal. meo tempore viveos Romæ, dispot. 1. hìc dist. 9. refertque ex nostris Bergomens; Sylvestrũ, & Porrectam, &c.

Tertia Extrema determinatè statuit Deũ sub ratione Deitatis tanquam adæquatum, & specificativum. Ità jam communiter Thomistæ cum D. Tho. hic art. 7., Caietanus, Banoez, Gonzales, Aravio, Nazarius, *Gonet, à S.Tho. disp. 2. art. 11. & alii quos refert, & sequitur M. Ferre q.6. §. 2. &c.*

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

Subjectum specificativum Theologiæ est Deus sub ratione Deitatis. Pro intelligentia adverto non loqui præcisè de subjecto quo, seù de ratione formali sub qua, jam enim vidimus hanc esse divinam revelationem mediatam, ut manifestantem ea, quæ pertinent ad commune m statum Ecclesiæ, sed de subjecto quod, seù de ratione quæ, seù materia, quam per se concernit eadem revelatio, quia ut dictum est in præmialibus logicæ, nulla ratio formalis in universum specificat veluti abstractivè, sed in ordine ad determinatam materiam, seù concretivè, unde dicimus Deum sub ratione Deitatis, idest ratione suæ quiditatis esse subjectum quod, sive rationem quæ, vel materiam, quam adæquatè, vel specificativè concernit prædicta revelatio, & non solum principalitatis, ut vult secunda sententia, vel partem duntaxat subjectivam, aut comprehensam sub eote revelabili nt sic, ut vult prima. Dico autem adæquatè, vel specificativè, quia possunt plura alia considerari, & venire sub ejus lumine, ut tradit D.Tho. hic art. 4. & 7. non tamen specificativè, sed magis extensivè, ut similiter dicitur de ente rationis in ratione entis sub lumine metaphisico, prout scil. dicunt ordinem ad objectum specificativũ; per quod præoccupari etiam possunt, & solvi plures instantiæ contrariorum, &c.

Sic explicata prob. ratione D.Tho. Illud est subjectum adæquatum, vel specificativũ scientiæ, sub cujus ratione omnia referuntur ad scientiam, seù de illis agit, sed Theologia omnia attingit sub ratione Deitatis, ergo Deus sub hac ratione est subjectum adæquatum, seù primarium, vel specificativũ; min. declaratur exẽplo objecti visus, nam ideò coloratum est proprium, vel specificativũ objectum visus, quia omnia visibilia sub hac ratione referuntur ad visum, vel attinguntur ab illo; min. verò probatur, quia omnia, de quibus agit Theologia, agit, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ergo omnia considerat sub ratione Deitatis, &c.

Dices ex his solum convinci de objecto principalitatis, non adæquationis, vel specificationis, quia ad rationem istius requiritur, quòd omnia, de quibus scientia tractat, præcontineat in recto, & non in obliquo, continere autem in recto convenit enti divi-

divino per inspirationem cognoscibili, & Deo sub ratione Deitatis, tantùm in obliquo, quæ etiã videtur expressa doctrina D.Thu.in 1. q.1. Prologi ar.4, ubi relatis quibusdam conditionibus inquit: *Si autem volumus invenire subjectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quòd ens divinum cognoscibile per inspirationem est subjectum hujus scientiæ, omnia enim, quæ in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea, quæ ex Deo, & ad Deum sunt, in quantum hujusmodi &c.*

Sed contra hoc est. Et in primis mirum videtur, quòd cùm D. Tho. hic art. 5. apertè statuat nostram conclusionem, ut statim constabit, velint ex loco ex sententiis aliàs non opposito, ut dicemus in solutione ad primum, dubiam reddere mentem ejus, & eam magis contendere ex aliis locis, quàm ex Summa, quæ est ultima definitio ejus, unde etiam si oppositum alibi traderet, nunquam tamen ab ullo Thomistarum recedendum esset ab his, quæ manifestè determinat in Summa &c.

Quòd verò hìc loquatur de subjecto adæquato, patet primò, quia aliàs diminutè procederet, dum ex professo promovens hanc difficultatem, tantùm concluderet de subjecto principalitatis, omittens illud, de quo est præcipua difficultas, quando agitur de subjecto scientiarum, scil. adæquato, seo specificationis. §. Deinde patet ex simili, quod adducit, nam sic statuit Deum esse subjectum Theologiæ, sicut coloratum est objectum visus, sed istud est adæquatum, vel specificativis, ergo pariter Deus juxta mentem ejus erit adæquatum subjectum hujus scientiæ. Tertiò etiam clarè ex ratione ejus; quia eandem omninò causalem assumit hic ad concludendum de Deo, quâ utitur ibi pro ente Divino, scil. vel quia sunt Deus, vel dicunt ordinem ad Deum; sed ibi de ente Divino, ut contendit solutio; concludit tanquam de subjecto adæquato, ergo pariter hìc intendit concludere de Deo tanquam de adæquato &c.

Quod verò distinguit solutio inter subjectum specificationis, & principalitatis, quòd istud in obliquo, illud in recto cætera contineat, videtur hoc contra commonem modum explicandi utrumque subjectum, & præcipuè D. Tho. hic, & ibidem in Prologo. Nam objectum principale, ut patet in utroque exemplo de demonstratione, & mobili substantiali non dicitur per hoc, quod cætera in obliquo contineat, aut ratione illius considerentur à scientia, sed quia est præcipua pars, de qua ob sui excellentiam principaliter tractat scientia, ut vel nomen ipsum judicat; adæquatum verò, ut utrobique explicat D. Tho. sub cujus ratione omnia referuntur ad illam, sed omnia, de quibus agit Theologia, ut iterùm utrobique asserit D. Tho. considerantur sub ratione Deitatis; nam hic etiam ait: *Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem: Unde sequitur, quòd Deus verè sit subjectum hujus scientiæ*; ergo sicut hac ratione, ut dictum est, concludit de colorato, quod est objectum adæquatum visus, & non taotùm principalitatis, quia nempè homo, lapis &c. & cætera visibilia referuntur ad visum, in quantùm sunt colorata; tenemur asserere quòd de Deo etiam concludat esse adæquatum, & non tantùm principale &c.

3. Impugnatur (& est alia optima ratio pro cõclusione) quia ut prosequitur D. Tho. hìc; illud est subjectum hujus scientiæ, quod est subjectum principiorum, vel habitus eorum, sive Fidei, cùm tota scientia virtute contineatur in principiis, sed subjectũ adæquatum, vel specificativum eorum, vel Fidei est solus Deus, si velimus Fidem esse virtutem theologicam, ergo pariter adæquatum, vel specificativum Theologiæ erit solus Deus &c.

Explicatur hoc. Sicut Theologia attingit Deum, & alia à Deo, sic pariter ad alia ab illo se extendit Fides, cùm non solùm de Deo, sed de aliis etiam credat multa prædicata revelata, sed nihilominùs subjectum adæquatum, vel specificum Fidei, non est revelatum commune sub se in recto comprehendens omnia alia, de quibus credit, sed solus Deus ergo nec specificativũ Theologiæ erit ens revelabile commune sub se in rectũ illa alia comprehendens. Ad locum verò ex Prologo, nè eadem repetamus, statim dicemus &c.

§. II.

Solvitur primum Argumentum ex Authoritate.

PRimò arguitur authoritate duplici, altera jam relata ex D. Tho. in Prologo 1. Sent. ubi apertè statuit subjectum hujus scientiæ esse ens Divinum per inspirationem cognoscibile, & non præcise Deum, unde ut omnia componantur in doctrina ejus, illud erit subjectum adæquatum, vel specificativum, Deus verò principale &c.

Altera sumitur ex Apost. 1. ad Corinth. 2. vers. 2. ubi ait: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Ex quo sic arguitur: Theologia nequit aliud subjectum habere, nisi quod protestatur D. Paulus ut Theologus unicè scire, cùm perfectissimè fuerit hęc scientia in illo, sed hoc est Christus, ut dicit ibidem, ergo. §. Urgetur hoc, quia Christus continet omnia de quibus agit hæc scientia, scil. caput, quod est Deus, & membra omnia, sive homines, sive Angelus; & universa Scriptura ad ipsum refertur, ergo erit objectum specificativum &c.

Ad primam variè respondent Thomistæ; nam M. Serra hìc dub. unico ad primum, Gonet ad 3. & M. Ferre §. 2. num. 163. cum Cajetano hìc §. ad 2. explicant D. Tho. non fuisse ibi locutum asserendo, sed opinando, hìc autem assertivè determinavit; unde Capreul. q. 4. Prologi ar. 1. concl. 5. inquit: *Sed tamen teneo, quòd finaliter dixit in Summa.*

Non displicet hæc explicatio, tum ob authoritatem tantorum virorum, tum quia videtur eam insinuare ex modo loquendi; nam inchoando illam positionem, ut advertit Cajetanus, inquit: *Si volumus ponere aliquod subjectum, quòd hæc omnia,* (scil. conditiones ibi relatas) *comprehendat, possumus dicere &c.* ubi innuit se non tam loqui in propria, quàm in aliorum sententia.

Nihilominùs circa hujusmodi solutiones tangentes, vel admittentes contrarietatem aliquam in dictis D. Tho. obiter ab initio adverterim ex M. Purecta litteræ ejusdem peritissimo, & nulli ut crediderim.

derim secundo, 2. 2. qu. 1. ar. 2. ad 3. §. *Ex isto primo igitur &c.* non ita facilè consentiendum, nisi Doctor Angelicus admoneat; quia ut inquit idem M. Serafinus. *Cùm enim se, vel juxta aliorum opinionem tantùm, vel minùs benè locutum alicubi videt (videt autem facillimè pro sua felicissima memoria; cujus felicitatis propemodùm suprahumanæ testis est gravissimus, Catena Aurea super Evangelistas, ubi infinita ferè Sanctorum dicta ordinatim ad verbum è memoria promit) tunc dicere solet. Hoc etiam mihi aliquando visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia &c. Hic est modus ipsius Doctoris humillimè retractandi se, quem à se verbaliter observatum invenies in 3. q. 9. ar. 4. & q. 13. ar. 2. & q. 70. ar. 4. Ex hac ergo humillima, & doctissima consuetudine se ipsum, ubi fuerit opus retractandi, innuit idem Sanctus; retractationes aut rarissimas, aut nullas, (quod melius puto) sibi unquam adscribendas fore, nisi de hujusmodi ille ipse mentionem expressam fecerit. Sua itaque dicta profundiùs semper inspicienda sunt, vel ex contextu, vel aliunde in sua doctrina, & sensus suus verus alta mente repositus est investigandus, non autem dicendum, erat juvenis, aliorum opinionem secutus est, retractavit se.* Aliud namque est, ut subdit ibidem, quòd cùm tempore D. Tho. factus fuerit doctior se ipso, aliud verò retractator sui, quia potest quis altiùs, distinctiùs, clariùs, meliùs, breviùs, & intelligere, & suam proferre sententiam de aliqua re, quàm anteà, (ut sæpè facit idem Angelicus in Summa) respectu aliorum suorum librorum, attamen retinere eundem sensum, unde erit se doctior, sed non sui retractator &c.

Aliter ergo cum aliis etiam utrumque locum componere possumus, & præcipuè cum M. Ferre, qui licèt ubi suprà, priorem solutionem admittat, & commendet; tamen §. sequenti ad primum num. 165. re meliùs considerata existimat D. Tho. in verbis adductis nullo modo esse sibi contrarium in præsenti articulo; quia ibi dum dicit esse ens divinum, intelligendus est non de præciso subjecto specificativo, sed extensivo, sub quo comprehenditur tam primarium, quàm secundarium; sicut ens comprehendens reale, & rationis juxta modum probabilem dicendi determinantem ens reale pro objecto Metaphysicæ, dicimus esse illius subjectum, non specificativum, sed extensivum, quia nempè comprehendit non solùm primarium, sive reale, sed etiam secundarium quod attingitur, prout dicit ordinem ad illud. Favet huic explicationi Capreolus post verba relata, dicens: *Nec tamen est magna controversia, nam in scripto illud vocabat subjectum, quod omnia sub se comprehendit per communitatem prædicationis, & illo modo non est Deus subjectum Theologiæ, sed hoc quod dico ens divinum. Prima parte veri illud vocat subjectum, quod omnia tractata in scientia comprehendit tanquam ad ipsum ordinata, aut aliquam habitudinem habentia.*

Tertiò, poterat etiam responderi sumpto fundamento ex his ultimis verbis, nempè, quòd nomen entis divini non sumitur ibi pro analogo veluti intrinseco, sive analogia proportionalitatis, ita ut omnia inferiora veniant quasi in recto participando intrinsecè formalem rationem objectivam, vel specificativam, sed magis pro extrinseco, sive analogato analogia attributionis, & consequenter supponente pro principali analogato, scil. Deo. Colligitur hæc explicatio primò ex simili, quod adducit, scil. sani, quod est objectum medicinæ, & analogum posteriori analogia, supponenseque pro principali analogato, scil. animali. §. Tum deindè, & manifestè, ni fallor, ex ratione quam adducit, quæ est ratio constitutiva subjecti specificativi, & eadem, ut insinuavimus, cum illa, quam adducit hic ad concludendum esse Deum, scil. *quia omnia, quæ in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea, quæ ex Deo, & ad Deum sunt, in quantùm hujusmodi*, quæ ferè in terminis est causalis præsentis articuli, ubi ut supra, ait: *Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem; unde sequitur, quòd Deus verè sit subjectum hujus scientiæ.* Unde nisi velimus, quòd ex eadem causali inferatur ibi consequentia huic opposita, tenemur asserere, quòd nomen entis divini supponat ad mentem ejus pro principali analogato, scil. Deo. Hanc solutionem crediderim esse magis conformem doctrinæ, & menti ejus &c.

Sed instas primò, quia D. Tho. post relatos varios dicendi modos juxta diversas conditiones, vel habitudines, quas dicit subjectum ad scientiam, proprium deinde statuit, ut distinctum à cæteris, ut omnia comprehendat, dicendo, quòd est ens divinum per inspirationem cognoscibile; sed alter ex præcedentibus est eorum, qui posuerunt Deum esse subjectum, ergo postremus modus, quem statuit, nequit sub nomine entis divini explicari de solo Deo, nisi tanquam de subjecto principalitatis; præmissæ patent ex textu; ma. quidem dum tandem ait: *Si autem volumus invenire subjectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quòd ens divinum per inspirationem cognoscibile sit subjectum hujus scientiæ*; min. verò, nam paulò superiùs inquit: *Secunda comparatio est, quod subjecti cognitio principaliter attenditur in scientia; unde quia ista scientia principaliter est ad cognitionem Dei, posuerunt Deum esse subjectum ejus, ergo &c.*

Secundò in solutione ad 1. quod tale erat: *Omnis scientia debet denominari à suo subjecto, sed ista scientia dicitur Theologia, quasi sermo de Deo, ergo videtur, quòd Deus sit subjectum ejus*, sic ait: *Ad primum dicendum, quòd Deus non est subjectum, nisi sicut principaliter intentum, & sub cujus ratione omnia, quæ sunt in scientia considerantur.* Ubi videtur insinuare, quòd Deus sit tantùm subjectum principalitatis, non specificationis &c.

Ad primam distinguo Ant. Statuit proprium, ut distinctum, & oppositum, vel exclusivum eorum, nego, ut comprehensivum cum distributione tamen accommoda sub ratione Deitatis, concedo, ut enim patet ex littera, non excludit, immò vult omnia comprehendere, licèt cum distributione accommoda, dum assignat ens divinum sub ratione Deitatis, ut detur intelligi, quòd cætera superiùs enumerata veniunt quidem, sed ut dicunt ordinem ad Deum, & consequenter extensivè tantùm; Deus verò ut principale analogatum nomine entis divini importatum, & ut specificativum, vel primariũ &c.

Ad

Ad secundam, quæ videtur apparenter magis urgere, & potest esse replica contra præcedentem solutionem, patet explicatio ex ultimis verbis; nam licèt in prioribus dicat, quòd est subjectum, *sicut principaliter intentum*, ly tamen *principaliter* non est intelligendum contrapositivè ad adæquatum in ratione specificationis, sed prout sonat idem, ac *primarii*, quod manifestè constat ex verbis sequentibus, dum ait: *Sub cujus ratione omnia, quæ sunt in scientia considerantur*. Hæc enim conditio est constitutiva objecti primarii, vel specificativi, ut dictum est, & non præcisè principalis correlativi ad minus principalis, aut distincti à primario &c.

Ad alteram authoritatem ex Apostolo respondet D. Tho. qu. 1. Prologi ad Hannibald. art. 2. ad 4. ubi inquit: *Dicendum, quòd per humanitatem Christi manuducimur in Deitatem cognoscendam, unde quasi lac primò proponebatur incipientibus, quibus tamen postmodùm perfectis cognitionem Deitatis, quasi solidum cibum proponebat, ad quem manuducendi erant*; unde ly *nisi* non est particula exclusiva aliorum scitorum ab Apostolo, sed magis explicativa objecti, vel sciti proportionati respectu incipientium, quibus ergo lac scil. humanitatis potum dabat, ut deinde tanquam perfectis præberet escam Divinitatis; unde nihil concluditur ad intentum contra conclusionem, §. Aliam explicationem tradit etiam D. Thom. ad idem Caput lect. 1. nempè, quòd cùm intentum Apostoli non sit ibi ad ostendendam sapientiam suam, sed virtutem Christi, nè scil. Crux ejus evacuaretur, ideò fatetur se nihil scire, nisi Christum Jesum, unde non est iterùm ad rem contra nos, cùm non tractet ibi de subjecto Theologiæ, aut suæ sapientiæ, sed potiùs hanc omittit, *quia Fidem Christi*, inquit D. Tho. *per sublimitatem sermonis, aut sapientiæ confirmare nolebat*; & ideò etiam subdit: *Et hunc Crucifixum. Quasi dicat*, ait idem Angelicus: *Sic vobis me exhibui, ac si nihil aliud scirem, quàm Crucem Christi*; in quo ostendit modum, quo se gessit, dum eis annunciaret Christum, scil. non in sublimitate sermonis, sed magis in virtute Passionis; juxta illud ad Galat. ult. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi*; ad quod non refert, ut patet; an Deus sub ratione Deitatis, an verò Christus sit subjectum Theologiæ &c.

Ad confirmationem distinguo, & explico antec. Continet omnia explicando rationem formalem Theologiæ, nego; tanquam subjectum extensionis concedo; & nego consequentiam, quia ad rationem objecti specificativi non satis est includere omnia, quæ extensivè pertinent ad scientiam, sed præterea requiritur, quòd explicet rationem formalem, ob quam attinguntur à scientia, quæ, ut probatum est, & tradit D. Tho.; est Deus sub ratione Deitatis, & non præcisè Christus &c.

§. III.

Solvuntur alia argumenta.

Secundò etiam principaliter arguitur. Illud est subjectum adæquatum scientiæ, quod est subjectum adæquatum rationis ejus formalis, sed istud in Theologia non est solus Deus, ergo; antec. constat, quia scientia ultra suam rationem formalem non extenditur, qua ratione etiam sicut ultrà illam non extenditur potentia, illud est ejus objectum adæquatum, quod est pariter adæquatum suæ rationis formalis; conf. verò prob. quia ratio formalis Theologiæ, ut dictum est, est revelatio mediata, vel revelabilitas pertinentium ad lumen divinum, vel Fidei, sed hæc non adæquatur cum Deo sub ratione Deitatis, sed magis cum ente revelabili abstrahente à revelabili creato, & increato, cum nullum sit ens supernaturale, quod non sit revelabile à Deo, ergo &c.

Explicatur, & urgetur. Nullum est ens supernaturale, cui immediatè non conveniat prædicta ratio formalis, vel immediatè eam non participet, cùm quodlibet sit per se, & immediatè revelabile, & possit adhuc independenter ab ipso Deo, ut Authore supernaturali revelari; non enim repugnat ut ipso tantùm naturaliter cognito, revelentur alia entia supernaturalia per Fidem, ergo non solus Deus, sed alia etiam per se spectant ad objectum specificativum Theologiæ; consequentia tenet in objectis aliarum scientiarum; nam ideò mobile accidentale in probabilissima sententia, quam sustinuimus, ingreditur objectum specificativum Philosophiæ, quia illi etiam immediatè convenit, vel immediatè communicat cum substantiali in ejus abstractione formali, scil. abstractione à materia singulari, & sic de aliis in Metaphysica &c.

Urgetur ulteriùs totum hoc præoccupando solutionem. Quamvis in eisdem scientiis detur aliquod principale subjectum, ad quod cætera referuntur, adhuc tamen possunt alia sic participare rationem formalem earum, ut pertineant ad subjectum primarium, vel specificativum, ut patet in Logica de demonstratione, & aliis secundis intentionibus, & in Philosophia de mobili substantiali comparativè ad accidentale, & in Metaphysica de Deo relativè ad alia entia, ergo licèt etiam dicamus alia revelata in Theologia referri ad Deum, non tollitur posse immediatè participare rationem formalem ejus, & pertinere ad objectum specificativum &c.

Ad hoc, quòd est præcipuum oppositæ sententiæ, distinguo maj. ex dictis, quod est adæquatum primarium rationis formalis, concedo, aliter, vel extensivè nego, & distinguo min. non est solus Deus primarium, nego, extensivè transeat, vel concedo: ad probationem distinguo, & explico ulterius maj. est revelabilitas, seu cognoscibilitas per inspirationem abstraheus à creata, & increata nego; increata, vel infinita concedo, & tunc nego min., nam hæc habet Deitatem per essentiam pro quasi subjecto adæquato, aliis verò solum communis est respectivè, sive secundùm habitudinem, sicut & bonitas divina, quæ est ratio formalis objecti charitatis, &c.

Ad primam confirmationem, quæ potest esse replica distinguo ant: cui immediatè non conveniat ratione sui, præcipuè stando intrà forum, vel scibile theologicum modo de facto, nego, per habitudinem ad aliud primarium, & adæquatum specificativum concedo; ad probationem annexam similiter distinguo, quòd libet per se est immediatè revelabile sub hoc lumine Theologiæ nego, sub alio transeat; non enim attingerentur ab hac specificè scientia, vel sub proprio ejus lumine, vel ratione formali, si aliter revelarentur, vel ratione sui sine habitudine, vel depen-

pendentia ad Deum, cum sit specificè sermo de Deo, ut vel ipsum nomen sonat, & non de quocunque alio revelabili, nisi solum extensivè, & cum habitudine ad illum, immò nec quæcunque revelabilitas, aut cognoscibilitas rerum per inspirationem, aut revelationem virtualem, & mediatam pertinet adhuc extensivè ad ejus rationem materialem quæ, sivè subjectum materiale quod, ut insinuavimus; sed tantùm, quæ pertinent ad communem statum Ecclesiæ, si velimus rationem ejus formalem objectivam distinguere à formali objectiva scientiæ infusæ animæ Christi, quæ ut potè excellantior, & universalior se extendit ad omnia à Deo revelabilia, unde etiam se extendebat ejus scientia, ut dictum est; ad cogitationes cordium, ad quas non se extendit Theologia in beatis. Ad exempla verò aliarum scientiarum statim dicemus, &c.

Ad secundam Confirmationem, quæ iterum potest esse replica, respondetur negando suppositum antec., quòd in eisdem scientiis cætera attingantur præcisè in ordine ad principale, sed propter se, vel ratione sui, imò hac ratione, ut præcipuè ostendimus in Physicis, mobile accidentale pertinet ad objectum specificativũ, quia licet materialiter, & in esse entis, sicut & cætera dependeant à substãtia, in ratione tamen principii, vel in genere scibilis obtinet rationem primi, & est de linea mobilis radicaliter, unde attingitur ratione sui, itaut Physica, dum demonstrat mobilitatem ejus sistit in accidenti, unde non agit determinatè de mobili substantiali, vel accidentali, sed de ente mobili abstrahente, & ideò istud est specificativũ ejus, & partes ejus subjectivæ sunt substantia mobilis, & accidens mobile; nam si determinatè de mobili substantiali ageret, & de accidentali per solam habitudinem ad substantiale, tunc istud tantùm esset primarium specificativũ, alterum verò solum extensivè pertineret ad illam, ut tenent alii, & tunc paritas esset retorquenda. §. Idẽ similiter dicimus de aliis, non enim Logica agit de aliis secundis intentionibus per solam habitudinem ad demonstrationem, sed propter se, unde secunda intentio in communi est ejus subjectum specificativũ, & non hæc præcisè, vel illa. Metaphisica pariter non est scientia præcisè de Deo, vel de substantia, sed de ente ut communi Deo, & creaturis; substantiæ, & accidenti, communi quidem in eo, quòd est radicare passiones veri, & boni, in qua ratione non dicuntur analogari, sed univocè objectivè convenire in ratione scibilis, ut alibi in logicis explicatum est; nam si iterum in his scientiis finis earum intrinsecus esset cognitio alicujus particularis objecti, ut Dei, vel substantiæ in Metaphisica, & demonstrationis in Logica, sicut est Dei sub ratione Deitatis in Theologia, tunc illud determinatum esset adæquatum specificativũ, de aliis verò tantùm extensivè agerent, sicut modo affirmamus de Deo, & de aliis in Theologia, unde instantiæ essent in favorem conclusionis, ut reverà sunt in aliorum opinionè, qui affirmant de demonstratione in Logica, & de mobili substantiali in Philosophia, vel in communi, ut suppono; de corpore humano sanabili in medicina, quæ licet plura alia sub eadem abstractione consideret, puta herbas, mixta simplicia, &c. quia tamen hæc omnia in ordine ad idem corpus considerat, hoc solum statuitur pro objecto adæquato specificativo, cæteris relictis intrà forum secundarium, vel materiale, & extensivum; eò vel maximè, quòd Theologia, non præcisè est habitus speculativus, sed etiam practicus, ut dictum est, habitus verò practici, non dicuntur specificari ab aliis, quæ sunt ad finem, sed à fine, quem primariò intendunt, ut est cognitio Dei in casu, &c.

3. Arguitur illud spectat ad subjectum specificativũ scientiæ, de quo scientia demonstrat passiones, sed Theologia non solum de Deo, sed de aliis etiam, ut de Angelis, de gratia, de Incarnatione, &c. id præstat, ergo hæc omnia pertinent ad ejus subjectum specificativum, & non tantùm Deus; & ideò ens revelabile abstrahens erit subjectum adæquatum, &c.

Urgetur hoc subjectum adæquatum specificativũ debet esse causa adæquata omnium proprietatum, quæ demonstrantur in scientia, & de omnibus partibus ejus prædicari, sed hoc non convenit Deo sub ratione Deitatis, non enim sub hac ratione est causa v.g. innascibilitatis in Patre, & sic de aliis in divinis, aliàs cuilibet personæ Trinitatis convenirent hujusmodi proprietates, cum in illis reperiatur Deitas; nec etiam sub hac ratione immediatè facta est Incarnatio, aut terminata humanitas, aliàs ob eandem rationem fuissent omnes personæ incarnatæ. §. Similiter non prædicatur de Angelis, nec de aliis objectis; hominibus, virtutibus, &c. ergo magis idem revelabile abstrahens, cui videntur aptiùs convenire hujusmodi conditiones, & non solus Deus erit adæquatum specificativum, &c.

Ad hoc patet ex proximè dictis, unde distinguo maj. de quo demonstrat per se primò, & ratione sui, concedo, ratione alterius, & per habitudinem ad illud nego, & distinguo min., sed de aliis etiam per habitudinem ad Deum, vel ratione Deitatis, concedo, ratione sui præcisè, nego, omnia enim considerantur, ut dicit D. Tho. vel quia sunt Deus, vel dicunt ordinem ad illum, ut ad principium, vel finem, undè secundariò tantùm, vel extensivè veniunt, & non per se primò, aut ratione sui, nam de gratia tractat secundùm quòd est formalis participatio Dei, & ut conducens ad illum tanquam principium meriti, & sic de aliis, Incarnatione &c.

Sed instas. Ex eo cum Cajetano sustinuimus mobile accidentale per se pertinere ad subjectum specificativũ Philosophiæ, ita ut de illo per se primò, & ratione sui demonstret mobilitatem proximam, & non reductivè ad substantiam mobilem formaliter loquendo, & in genere scibilis, sed tantùm materialiter, & præsuppositivè, quia in illo est radix, & sistit tanquam in radice ejusdem mobilitatis, sed etiam Theologia demonstrat passiones de gratia sistendo in illa tanquam in radice earum, ergo de illa non solùm tractat reductivè, vel materialiter in ordine ad Deum, sed etiam formaliter, vel in genere scibilis, & objecti specificativi &c.

Explicatur hoc. Sicut gratia est formalis participatio Dei, & ab eo derivatur, ità accidens est entis, sive substantiæ ens, & ab illa oritur, sed nihilominùs quia Philosophia invenit in illo rationem primi principii, vel radicis mobilitatis, verè sistit in illo tanquam in radice ejus, nec formaliter aut in genere scibilis reducit illud ad substantiam mobilem, ergo quia pariter Theologia invenit in gratia radicem suarum passionum, verè sistet in illa tanquam in radice earum, nec reducet formaliter,

liter, & in genere ſcibilis ad Deom. Et ratio utriuſque eſt, quia ille eſt proceſſus, vel modus procedendi ſcientiæ, quòd ubi invenit prima principia, vel radices proprietatum ſiſtat ibi in reſolvendo ſuas concluſiones, & adæquatur cum illis, nec fiat reſolutio ad aliud, formaliter loquendo, vel in eodem genere ſcibilis, ergo, &c.

Reſpondetur ad inſtantiam nego min.; nam cum Theologia ſit adæquatè ſermo de Deo, in nullo ſubjecto ſiſtere poteſt ſpecificativè niſi in Deo, & omnia alia tantùm reſpicere reductivè formaliter ad Deum, & non tantùm in eſſe entis, ſicut quia charitas eſt adæquatè virtus theologica, ſolam divinam bonitatem habere poteſt pro ſui ſpecificativo, & omnem aliam ſolum extenſivè, & reductivè formaliter ad divinam, &c.

Ad explicationem, quæ poteſt eſſe replica, diſtinguo, ſicut, & eodē modo in genere ſcibilis, nego, diverſo, concedo; nam mobile accidentale, ità habet radicare ſuam mobilitatem, ut ſubſtātia magis eidem opponat, quam ad ſe illam trahat in genere ſcibilis, ut patet in qualitate reſpectu intenſionis, & remiſſionis, & ideò Philoſophia poteſt in illo ſiſtere, tanquā in principio, vel radice primò prima in hoc genere; unde etiā diſtinguo mi. quia præcisè in illo invenit rationem principii, vel radicis primò primæ concedo, aliter, nego min. & conſequentiam, quia in gratia, & in nulla creatura poteſt Theologia invenire hujuſmodi rationem radicis, aut principii, ſed tantùm de linea ſecundaria, & per habitudinem ad Deum, ſicut & eadem charitas in bonitate creata totum, quod invenit, eſt de linea ſecūdaria, & per comparationem ad increatā.

Ad ejus verò probat. diſtinguo, & explico ant. Iſte eſt proceſſus juxtà conditionem principii, concedo, aliter, nego: fatemor ergo ità eſſe, quòd ſcientia ſiſtat inveniendo principia, & reſolvendo ad illa, ſi tamen ſint de primaria ejus intentione, non ſecundaria, ot in caſu, nam tunc reductio ad illa eſt tantùm ſecundaria, unde licet theologia utatur definitione gratiæ, Incarnationis, & aliorum hujuſmodi, quia tamen, ut dictum eſt; non per ſe primò, nec præcisè ratione eorum utitur, ſed ratione Deitatis, pervenire non poſſunt ad rationem ſubjecti primarii, nec ad illa fieri reductio de linea primaria, &c.

Ad confirmationem principalis argumenti, nego min. ad prob. pro prima parte diſtinguo; non eſt cauſa innaſcibilitatis &c. Sumpta abſtractivè, vel in ſui communitate, concedo, concretivè, vel ot determinata ad alteram perſonam v.g. Patris reſpectù innaſcibilitatis; vel Filii, aut ſubſiſtentiæ ejus, quantum ad terminationem immediatam, nego; licet enim quantū ad influxum effectivū dicatur incarnatio eſſe ab illa, ut communi omnibus perſonis, cum opera ad extrà in hoc genere, ſint indiviſa toti Trinitati; ſubjectum tamen adæquatum ſcientiæ debet eſſe cauſa adæquata omnium proprietatum, quæ demonſtrantur, vel ſecundùm ſe, vel quatenus reperitur in particolaribus ſubjectis determinatum, ut patet de ente mobili, quod ut determinatum ad hoc, vel illud mobile, puta cæleſte, vel elementale, eſt cauſa proprietatum, quæ demonſtrantur de illis. Ad aliud de prædicatione patet ex dictis, & ex D. Tho. ubi ſuprà, quòd cum cætera omnia, vel ſint Deos, ut proprietates ejus; vel dicentia habitudinem per modum effectus, vel medii conducentis ad illum, prædicatur de omnibos in recto, vel in obliquo, quia ſont aliquid Dei, quod ſatis eſt ad rationem ſubjecti adæquati, &c.

4. Argoitur impugnando alteram rationem jam inſinuatam ex D. Tho. Ex eo Deus ſub ratione Deitatis aſt ſubjectum Theologiæ, quia eſt pariter ſubjectum principiorum ejus, vel habitus eorum ſcil. fidei, ſed hæc ratio videtur aſſumere falſum, ergo: maj. patet ex dictis, quia cum idem ſit ſubjectum principiorum, & totius ſcientiæ, & ſubjectum eorum, ut potè articulorum fidei ſit Deus, Deos erit ſubjectum Theologiæ, quia pariter eſt ſubjectum principiorum ejus, vel fidei; min. verò probatur ſubjectum fidei, vel articulorum ejus non eſt Deus ſub ratione Deitatis, ſed primæ veritatis, ut ſuppono ex ſecunda ſecundæ q. 1. art. 1. ergo videtur falſum aſſumi, vel ſi idem eſt aſſignandum ſubjectum, magis erit ſub poſteriori ratione primæ veritatis, quam Deitatis, &c.

Ad hoc nego min. ad probationem, vel nego ſuppoſitum cum Caiet. ibidem §. ad evidentiam, quòd diverſa ſint reſpectu fidei Deus ſub ratione Deitatis, & veritatis, ſicut nec diverſa ſunt reſpectu intellectus ens ſub ratione entis, & ſub ratione veri, vel diſtinguo, & explico ant. non eſt Deus ſub ratione Deitatis, ſed primæ veritatis, loquendo de motivo, vel objecto formali, concedo, de ſubjecto, vel primaria materia ejus, nego: aliud enim eſt ſubjectum de quo fides veritates credit, aliud verò motivum formale, vel ratio formalis teſtificandi, ſub qua veritates illius attinguntur; primum eſt Deus ſub ratione Deitatis, poſterius verò, ſivè objectum formale eſt veritas prima revelans; unde etiam Theologiæ ſubjectum primarium, vel ſpecificativū, de quo, vel in ordine ad quod cætera conſiderat Theologia, eſt Deus ſecondùm ſe, vel ſub ratione Deitatis, & non attributum ejus, vel veritatis, motivum autem, vel objectum formale, ſive ratio ſub qua, eſt revelatio divina mediata, ut dictum eſt, nec oppoſitum traditur ibi 22., ſed ſolum exprimitur formale motivum dicendo ſub ratione primæ veritatis non tamen excludendo Deum in ratione ſubjecti ſub altera ratione Deitatis, &c.

Sed inſtas: ex hac ſolutione ſequitur quòd Deus ſub ratione Deitatis non ſit ſpecificativum Theologiæ, ut modo contendimus, ergo eſt nulla; prob. ant. Per nos idem eſt ſpecificcativū Theologiæ, quod eſt ſpecificativū articulorum fidei, ſed juxtà ſolutionem ſpecificativū eorum non eſt Deos ſub ratione Deitatis, ſed primæ veritatis in dicendo, vel revelando, ergo pariter Theologiæ erit Deus ſub hac ratione, non Deitatis, &c.

Reſpondetur eodem modo diſtinguo ant.; non ſit ſpecificativū per modum rationis *qua*, aut materiæ primariæ, vel ſubjecti, nego, per modum rationis *ſub qua*, concedo, modo autem loquimur de priori ratione, nam poſterior, ut dictum eſt, eſt lumen divinum, ut eam vocat D. Tho., ſive divina revelatio mediata, vel virtualis, ut ejus diſcipuli explicant: Ad ejus probationem jam dictum eſt utrobique eſſe diſtinguendam rationem *qua*, & *ſub qua*, ſive ſubjecti, & luminis in ſcientiis, ut omnia conſonent, & aſſignetur integrum ſpecificatiuum, ſicut aſſignatur in objecto viſus dicendo non præcisè coloratum, ſed lucidum coloratum, alterum

nempè per modum rationis quæ, scil. coloratum, & alterum per modum *sub qua*, scil. lux, quæ est paritas hic assumpta à D.Tho., & sicut coloratum esto non adæquet, vel non explicet utramque rationem dicitur nihilominus specificativum visus, & objectum primarium, & non solius principalitatis; ità pariter Deus sub ratione Deitatis, licet prout sic non importet similiter, aut non exprimat utramque, erit nihilominus adæquatum specificativum per modum subjecti primarii, & non tantùm principalis, sicut pariter assignatur in fide, &c.

Aliud argumentum proponi poterat, quòd subjectum scientiæ probari non debet à scientia, sed supponi; Theologia autem probat Deum esse, unde nequit esse subjectum ejus. §. Sed ad hoc, quod alibi in Logicis etiam similiter proponitur, facilè respondetur, vel quòd solum probatur à posteriori, non à priori; vel quòd non probatur hic existentia Dei, ut est author supernaturalis, prout est subjectum ejus, sic enim creditur, non probatur; sed ut est author naturæ per rationes Metaphysicas, ad quod etiam Philosophus gentilis dicitur lumine naturæ pervenire &c., unde nec probat ex propriis, sed ex extraneis, quod non repugnat scientiæ circa suum subjectum, scil. per accidens ex insufficientia nostri intellectus non statim perfectè cognoscentis ejus existantiam, vel ob illius excessum, ut contingit in casu vel ob ejus defectum, ut in Logica respectu entis rationis; utrumque enim, vel ob altissimam sui perfectionem, vel ob minimam entitatem est valdè occultum, unde non possunt illicò apparere intellectui imperfecto, & in statu obscuritatis, & ideò benè potest Theologia per se aliàs ut cognitam supponens existentiam Dei, per accidens probare illam non ex propriis, sed ex extraneis sibi subordinatis, & deservientibus, saltem imperativè, quidquid sit, an tunc eliciat illa assensum demonstrativum, quo ex creaturis Dei existentiæ assentimur, an verò utatur Metaphisica, ut eliciente, & exequente illum in ordine ad proprium finem; nam cognitio existentiæ Dei est sibi valdè necessaria, ut procedere possit ad demonstrationes theologicas, sed de his Caietanus, hic ar.8. circa solutionem secundi, & videri etiam potest ar.5. ad 2., & q. sequenti ar.3. in principio, & Illustrifs. Godoy disp. præambula §.3. ad 1., & M. Gonzales disp.7. ad 1. &c.

§. IV.

Statuitur Corolarium, circa excessum certitudinis theologicæ suprà quamcunque naturalem.

Ex dictis colligere possumus Theologiam esse certiorem qualibet scientia, & habitu naturali etiam primorum principiorum. Quia excedit ex omni capite, ex quo per se attenditur certitudo in scientiis; scil. tum ex parte principiorum, cum sint articuli fidei; tum ex parte luminis, vel rationis formalis, cum sit lumen divinum, sive revelatio virtualis mediata; tum ex parte subjecti, cum sit Deus author supernaturalis sub ratione Deitatis, & consequenter ex omnibus est omninò immobilis immobilitate incomparibiliter excedente, ut potè de linea ordinis Divini, &c.

Hoc corolarium limitant aliqui, tum ex extraneis, tum ex nostris; nam Arrubal, Granados, & alii, solum admittunt, quandò procedit ex utraque de fide, non tamen si altera præmissa sit nota lumine naturali. §. Zumel verò excipit illud principium. *Quodlibet est, vel non est*, ita ut Theologia non sit certior illo, sumpto tamen, non præcisè, ut est notum lumine naturali, sed quia ob sui amplissimam universalitatem imbibitur in qualibet re à Deo revelata, unde revelando hoc, vel illud esse, revelat oppositum non esse, quia oppositum est hæresis. §. Ex nostris autem Silvester existimat ità esse de Theologia in se, & in intellectu proportionato, & tanquam in subjecto connaturali, scil. Dei, & beatorum, non autem de illa in nobis, in quibus dicit esse quidem certiorem quantum ad adhæsionem, non quantùm ad quietationem intellectus. § Denique Gonet parum recedens à Sylvestro, licet fateatur esse certiorem etiam prout in nobis, negat tamen esse certiorem quoad nos; quia, inquit, ad primum sufficit, quod talis habitus, vel scientia, ut recepta in nostro intellectu, & quatenus illum informat majorem tribuat ei certitudinem, & adhæsionem ad verum; ad secundum verò prætereà requiritur, quòd talis certitudo sit magis connaturalis, & proportionata intellectui nostro, magisque illum satiet, & quietet, magisque ab illo motus hæsitationis, & dubitationis excludat; quæ distinctio; subdit; diligenter annotanda est, ex ejus enim inadvertentia, multa contingit apud aliquos recentiores hallucinatio, & æquivocatio in hac materia, &c.

Omitto limitationem Vasquez, qui distinguens triplicē certitudinē, vel acceptionem ejus, nempè, & pro assensu terminato alicujus partis sine dubitatione, & pro veritate cognitionis desumpta ex convenientia intellectus, cum re, & pro actu reflexo, quo quis judicat nullo modo se falli in eo, quod cogitat; solum hoc tertio modo dicit esse certiorem, sumpta scil. certitudine pro eodem actu, quo judicamus illi cognitioni non posse sub esse falsum, quia putat res non posse propriè dici certas, vel incertas secundum se, sed solum magis, vel minus necessarias: Omitto, inquam; tum quia, ut advertit Nazarius hic, & ex eodem Gonzales disp. 5. in fine, præfata distinctio nulli fundamēto niti videtur: Tum quia idē actus, vel judicium reflexum, si velimus esse verum, tenetur supponere veritatem cognitionis, vel actus directi ab ipso judicati; implicat enim judicio vero judicari rem falsam esse veram, ut patet ex terminis, ergo ipse actus Theologiç antecedenter ad actum reflexum erit infallibilis, & certior aliis scientiis, cum actus reflexus extrinsecè tantùm se habens ad directum, ut potè ad sui objectum, nequeat dare illi intrinsecam certitudinem, vel infallibilitatem, constituendo intrinsecè talem. Tum quia ad sic judicandum debet habere fundamentum, aliàs lubricè judicat, & minus erit certus, quam actus judicatus, qui cum judicetur certus saltem ex parte sui, habet motivum, ut sic judicetur, aliàs prædictum judicium ex utroque capite erit incertum, & fallibile: Vel ergo habet fundamentū ex aliquo lumine ordinis naturalis, vel supernaturalis;

lis; si primum, non poterit esse ibi major certitudo, imò minor, cum careat evidentia, ut potè intrà forum theologicum dependens modò à fide, aliæ verò scientiæ habeant illam; si secundum, vel erit aliquod distinctum lumen revelationis ab illo fidei conveniens specialiter eidem actui reflexo, vel aliqua evidentia supernaturalis, vel lumen scientiæ, & discursus theologici: hoc tertium non est ad rem, quia non haberet iterum majorem, quam actus directus; primum autem, & secundum gratis dicuntur, cum nullibi constet de tali revelatione actus reflexi, nec ullibi sit proposita ab Ecclesia: minus etiam constat de clara evidentia supernaturali, cum nullus in se illam experiatur; Tum quia si de illa constaret, non posset esse controversia de hujusmodi excessu, cum cæteris paribus, sivè supposita utrobique evidentia, longè excellentior sit assensus theologicus, quam alterius scientiæ, vel luminis inferioris, &c.

Hac ergo limitatione omissa sustinendum nihilominus est universaliter nostrum corolarium, quòd nempè sit certior quocunque assensu, vel inferiori lumine, non solum secundum se, & prout in nobis, sed etiam quoad nos, modo statim explicando, quantum ad firmitatem, & immobilitatem subjecti; ità M. Gonzales hic concl. tertia, M. Bannez 22.q.4.art.8. contrà Durandum in 3. dist. 23. q. 7. & videtur expressa doctrina D. Tho. 22. ibidem ad 2. ubi ait *multò magis certior est homo de eo, quod audit à Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione.* Quod enim ibi affirmatur de fide, proportionabiliter est affirmandum de Theologia, cum ejus formalis ratio, ut dictum est, sit auditus virtualis, vel mediatus à Deo. Idem asserit q. 14. de veritate art. 1. ad 7. sumitur etiam ex D. Augustino lib. 7. confess. c. 10. in fine; ubi alloquens Dominum ait. *Clamasti de longinquo ego sum, qui sum, & audivi sicut auditur in corde, & non erat prorsus, unde dubitarem, faciliusque me dubitarem vivere, quam non esse veritatem.*

Sed pro recta intelligentia adverto ex D. Tho. 22. q. 18. art. 4. & in 3. dist. 26. q. 2. art. 4. dupliciter posse in aliquo reperiri certitudinem, scil. essentialiter, & participativè, priori modo reperitur in vi cognoscitiva, & tunc definitur, quòd *sit firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile*, vel est; *Determinatio intellectus ad unum*, ut ait ibidem dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. tertia, & hæc vocatur ab eodem certitudo assensus. Participativè autem invenitur in omni eo, quod ab intellectu movetur in suum finem infallibiliter, & hoc modo dicimus naturam certitudinaliter operari tanquam motam ab intellectu divino unumquodque movente in suum finem, &c.

2. Advertò iterum dupliciter posse eandē accipi, scil. largè, & propriè juxtà definitionē proximè traditā à D. Tho.; prout scil. importat prædictam firmitatem adhæsionis ad objectum cognoscibile, quæ tamen firmitas non præcisè intelligenda est de intensione assensus, cum fides humana possit esse intensior scientia, nec etiam pro exclusione cujuscunque dubitationis, ut putarunt aliqui, quia licet fides secundùm se certissima sit, tamen ut tradit D. Tho. hic ad primum admittit in subjecto indeliberatas dubitationes; sed pro impossibilitate falsificandi assensum, ut docet M. Gonzales hic ex Capreolo in primo dist. 40. q. prima ad primum contra 2.; unde ille assensus, inquit, propriè loquendo certior erit, qui minus potest falsificari; & quia assensum falsificari non posse provenit ex objecto, & causis veritatis ejus, ille assensus, propriè loquendo de certitudine, certior est, qui fertur in objectum, habens infallibiliores causas veritatis propter quas illi assentimus; subdit tamen hujusmodi causas debere esse cognitas, quantùm ad sui infallibilitatem, quia si aliquis ignorans vim demonstrationis adhæret conclusioni scientificæ cum formidine, talis assensus non est certus, quia quantùm est ex modo cognoscendi illam conclusionem propter tales causas non est impossibile aliter se habere. Quia autem verum est proprium objectum intellectus, ideò dicitur, quòd certitudo est firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile, scil. verum. Certitudo largè dicit solam determinationem intellectus ad unam partem sine formidine alterius, qua ratione opinio licet dicat determinationem ad unum extremum, quia tamen est cum formidine alterius, certa esse non potest, sicut ergo prior certitudo, sive propria oritur ex efficacia medii, vel infallibilitate causarum, aut rationis determinantis intellectū ad assentiendum veritati; ità hæc posterior oriri dicitur ex sola motione, & imperio voluntatis determinantis illum ad assentiendum alicui objecto, ut contingere solet in hæreticis, qui non moventur ex vi divinæ revelationis, sed ex eo, quòd judicant unum fidei articulum esse credibilem, & non alium, ex quo convincuntur, ut vidimus, nullum credere, cum non sit credibilis unus cum negatione alterius, unde magis dicenda est pertinacia, quam certitudo, &c.

Ex quo etiam conciliatur aliquale dissidium inter authores in admittenda certitudine circa falsum, aliis affirmantibus M. Soto lib. 3. de natura, & gratia c. 10. Palud. in 3. dist. 23. q. 4. à S. Tho. hic ar. 9. ad 1., & Vega lib. 9. in Concil. Trident.; Aliis Negantibus Capreol. in 3. dist. 29. q. 1. ad primum contrà tertiam, & alii; nam primi intelligendi sunt de largè sumpta, vel impropria, quam videtur etiam admittere idem Trident. refutans errorem hæreticorum dicentium ad justificationem, vel remissionem peccatorum requiri certitudinem de sua justificatione, & D. Tho. quod lib. 6. q. 4. admittens eos habere certitudinem de suis erroribus. Posteriores verò de propria, quam solum esse circà verum docuit D. Tho. in definitione tradita, & de veritate q. 6. ar. 3. ubi in principio corp. ait, *cognitio certitudo est, quādo cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re, sicut est.*

Tertiò demum adverto certitudinem propriam adhuc dividi in objectivam, vel simpliciter, & consistit in hoc, quòd objectum aliter se habere non potest, ut potè habens causas firmas, & infallibiles; & in subjectivam, vel formalem sive ex parte subjecti, quæ subdividitur in plenam, prout ex parte subjecti est plena consequutio objecti per intellectum, ut docet D. Tho. hic ad primum, & 22. q. 4. ar. 8. ad 1., & in non plenam, sive in eam, qua subjectum firmiter quidem, & immobiliter, sed vel simpliciter, vel secundùm quid adhæret objecto cognito, sive consequatur illud, sive non, sive id proveniat ex parte habitus intellectualis, sive ex voluntate movente intellectum, ut poterit constare infrà, &c.

His præmiſſis breviter ſuadetur quoad omnem partem, & primò quod ſecundùm ſe patet ex dictis, quia habet pro objecto Deum, & pro ratione formali lumen divinum, ſive divinam revelationem mediatam, quæ proculdubio incomparabiliter excedit omne inferius lumen, vel naturale. Quoad alteram verò quòd etiam in nobis, & non ſolum in Deo, & in Beatis, convincitur eodem fundamento, quia etiam in nobis verſatur circa idem objectum, & utitur eodem lumine ſupernaturali, unde etiam in via innititur cauſæ omninò infallibili, & immutabili, ut ſunt articuli fidei, licet ex parte ſubjecti, ut dictum eſt, permittat aliquem motum indeliberatum dubitationis, quod non obſtat exceſſui certitudinis ejus, quia hæc non judicatur major, vel minor ex eo quod ſe habet per accidens, ut ſunt prædicti motus ex parte ſubjecti, ſed quod ſe habet per ſe, ut ſunt objectum, vel lumen, ut patet etiam in judicio aliorum inductivè, Unde ſola dubitatio orta ex ipſis fundamentis, & cauſis objecti opponitur certitudini in ſe, & non præciſè orta ex defectu ſubjecti non aſſequentis plenè veritatem ex defectu evidentiæ, ergo etiam ut in nobis certior eſt certitudine tam objectiva, quam ſubjectiva orta, ut dictum eſt, ex efficacia cauſarum, vel medii determinantis intellectum ad aſſentiendum veritati &c.

Quòd verò etiam quoad nos præter authoritates adductas, eſt alia D. Tho. in 3. ubi ſupra quæſtiunc. 3. ad 1. ubi ait. *Dicendum quòd certitudo fidei* (& idem proportionabiliter eſt de theologica ut dictum eſt) *dicitur media inter certitudinem ſcientiæ, & opinionis, non intenſivè per modum quantitatis continuæ ſed extenſivè per modum numeri, Certitudo enim ſcientiæ conſiſtit in duobus, ſcil. in evidentia, & firmitate adhæſionis, certitudo autem fidei conſiſtit in uno tantum, ſcil. in firmitate adhæſionis, certitudo verò opinionis in neutro, quāvis certitudo fidei, de qua loquimur, quantum ad illud unum ſit vehementior, quam certitudo ſcientiæ quantum ad illa duo.*

Ex quibus probatur ſic præoccupando ſolutionem. Licet dicamus certitudinem ſcientiæ naturalis ſuperare quoad numerum, quià pluribus modis habetur; vel etiam quoad connaturalitatem, aut proportionem; non tamen quoad vehementiam, aut formale pondus certitudinis majoris, vel minoris, ergo ſtando intra hujuſmodi terminos formales certitudo Theologiæ etiam quoad nos ſuperat omnem naturalem; antecedens patet ex textu; Additque Capreol. ubi ſupra; has certitudines eſſe diverſarum rationum, quia illa fidei provenit ex ratione formali habitus, & imperio voluntatis, illa verò ſcientiæ ex evidentia, & ubjecto complexo, unde quantumvis creſcat certitudo ſcientiæ nunquā pervenit ad certitudinem fidei, ſicut quantumvis creſcat quantitas lineæ nunquam pervenit ad quantitatem ſuperficiei, ergo licet dicamus ſcientiā naturalē pluribus modis eſſe certam quoad nos, non tamen certiorem, ità ut habeat magis certificare intellectum fidelis.

Explicatur & urgetur hoc. Quamvis evidentia quoad nos ſit magis proportionata, & connaturalis intra proprios terminos ſcientiæ, quia facit plene aſſequi objectum; auditus tamen à Deo ſuperat incomparabiliter omnem viſionem naturalē; imò etiam auditus à viro ſcientifico ſuperat viſionem parvæ ſcientiæ, ut docet D. Tho. art. 2. relato ex 22. ad ſecundùm, ergo audiens à Deo immediatè per fidem, & mediatè per Theologiam eſt certior quocunque vidente viſione naturali, & conſequenter etiam quoad nos erit Theologia certior licet non tot modis, vel titulis certa, quia unus ejus titulus, vehementiùs firmat ſubjectum, quam relati plures ſcientiæ, ut patet ex D. Thom. Cujus etiam ſignum tradit M. Gonzalez hìc in Philoſopho fideli, qui ſi putans ſe habere demonſtrationem alicujus concluſionis, audiat à Theologo fide digno, talem concluſionem eſſe contra fidem, ſtatim dubitare incipit de ſua ſcientia, ergo etiam quoad nos certior eſt Theologia, quam ſcientia inferior &c.

Denique quoad eadem partem ſuaderi poterat ex eo, quòd ut vidimus ex D. Tho. hic art. 5. ad 2. quando Theologia utitur aliqua præmiſſa naturali lumine nota ex inſufficientia noſtri intellectus, elevat illam quoad nos ad ad altiorem gradum certitudinis, itaut ſic judicata, & approbata induit certitudinem ſupernaturalem, & fit potens influere ad aſſenſum, vel concluſionem ſupernaturalem, aut virtuatiter revelatam, ad quam influere non poterat ex præciſa vi ſui luminis naturalis, vel evidentis, ergo etiam quoad nos erit certior quacunque ſcientia, vel lumine naturali &c.

§. V.

Solvuntur argumenta contra præcedens corolarium.

PRimò arguitur ad probandum abſolutè non poſſe Theologiam eſſe certiorem, imò nec tam certam ſicut eſt ſcientia naturalis. Nam principia iſtius ut pote naturaliter nota, nullus negat, nec negare poteſt, & qui exiſtimant ſe illa negare non negant, ſed affirmant, ut docet Philoſof. 4. Metaphyſ., & in ſimili diximus de ente rationis in logicis, quòd magis affirmant, quam negent, qui nolunt admittere illud; ſed prima principia noſtræ Theologiæ negant plures, ut patet in Hæreticis ergo &c,

Urgetur hoc. Principia aliarum ſcientiarum ſuppoſito intellectu rectè diſpoſito admittuntur ab omnibus, nec de ſe ipſis permittunt dubitationem, ſed hanc admittunt principia noſtræ Theologiæ, ut paſſim contingit, ergo &c.

Urgetur ulterius. Quia hæc eadem principia quantum ad aſſenſum certum pro hoc ſtatu pendent à libero arbitrio, ergo nec Theologia pendens ex illis habet tantam firmitatem, ac cœteræ ſcientiæ.

Denique urgetur in illo univerſaliſſimo principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*; quia quælibet ſimplex revelata reſpectu illius comparatur, ut pars reſpectu totius, ſed totum eſt majus ſua parte, ergo prob. maj.; nam, ut inſinuavimus, ità imbibitur in qualibet ſimplici revelata, ut in vi illius, ex qualibet fiat integra disjunctiva contradictoria; ut dum dico, Deus eſt unus, & trinus, vel non eſt unus & trinus, ergo habet rationem totius reſpectu cujuſlibet

libet simplicis revelatæ. Eò vel maxime quòd istud, vel alia hujusmodi principia naturalia sæpè assumuntur ut causa, & ratio assentiendi conclusionibus theologicis, &c.

Ad hæc omnia unico verbo respondetur ex dictis non probari excessum certitudinis supra fidē, theologicam secundùm se, sed solum quòd ab his ex defectu actualis evidentiæ possit admitti aliqua dubitatio orta ex debilitate subjecti, vel intellectus, non tamen ex motivo, vel ratione formali earum §. In forma ergo ad argumentum distinguo min. Negant plures ex defectu motivi, vel rationis formalis, nego, ex passione, vel ex prava dispositione subjecti, concedo; unde qui negant, & qui dubitant indeliberatè de illis, ex delibilitate intellectus non ex habitu fidei dubitant, quia nempè non perfectè, aut consumativè quiescit, objecto non viso, aut clarè cognito, sed hoc est per accidens, ut dictum est, unde non debet ex his sumi judicium rei. Per quòd patet ad primam confirmationem &c.

Ad secundam nego consequentiam, vel suppositum ejus, quòd nempe facta suppositione liberi assensus præmissarum sit amplius liber assensus conclusionis, nam ex vi necessariæ connexionis cum revelatis liberè concessis per evidentem consequentiam sub eodem lumine divino infert conclusionem; & quamvis præmissæ dicantur liberè acceptari, motivum nihilominùs assentiendi utpotè divinum, firmius est quolibet naturali &c.

Ad tertiam distinguo ma. comparatur ut pars, sub luminetamen superiori, & divino, concedo, aliter nego, & distinguo min. præcipuæ stando in magnitudine perfectionis, vel in sensu formali. Totum est majus intra eundem ordinem, vel idem lumen, concedo, intra diversum, vel si sit de ordine, & lumine inferiori, nego; licet ergo simplex revelata sit tantū pars ad integram disjunctivam compositam in vi ejusdem principii, ex parte tamen motivi, superat idem principium regulans totam disjunctivam, unde licet hæc dialecticè, vel in vi disjunctionis dicatur excedere simplicem revelatam, theologicè tamen, vel motivè superatur ab ista. Ad id verò, quod subditur de principio naturali assumpto ad inferendum in consortio alterius supernaturalis, jam dictum est non in fluere ut naturalē sed ut elevatur, & judicatur à lumine theologico modo explicato, unde prout sic intrat forū theologicum, & participat de ejus certitudine &c.

Sed instas. Si præmissa naturalis posset sic in consortio supernaturalis elevari ad certitudinem supernaturalem, posset pariter opinativa elevari ad illam, & etiam minus certa ab habitu principiorum ad majorem, neutrum consequens admittitur ergo &c.

Respondetur nego utramque sequelam, & quoad præmissam opinativam disparitas est, quia ut vidimus ex D. Tho. in 3. proximè relato, cum opinio intra proprium forum nullam habeat certitudinem incapax est ut illam accipiat in consortio supernaturalis, sic enim magis destrueretur, quam elevaretur transeundo ad prædicatum specifice distinctum, sicut destrueretur scientia subalternata, ut vidimus, & non perficeretur, si ante sui conjunctionem cum Superiori, non esset quoad substantiam, vel essentiam scientia, unde quando assumitur propositio opinativa in syllogismo theologico non judicatur, vel approbatur, ut vera, vel certa sicut quando assumitur naturalis per se nota, aliàs enim tale judicium esset falsum, cum revera certa non sit, sed tantum judicatur ut probabilis, unde theologus utens illa, non procedit tunc ut sciens, sed magis ut opinans, solumque intendit concludere probabiliter, non infallibiliter; (de quo Navarrete, & M. Ioan. à S. Tho. art. 9, ad 3. Gonet art. 5. ad 4. & M. Ferre tract. de fide quæst. 13. art. 6. ad 3.) licet ita sit, quòd ex tali approbatione induat majorem probabilitatem, quam haberet secundùm se præcisè, sicut in simili dictum est de judicio Ecclesiæ, quando alteram approbat ex duabus opinionibus servato debito jure, sive prævia consultatione theologorum, quòd ita elevat, aut constituit in tali gradu probabilitatis, ut opposita tunc reiiciatur, ut improbabilis. Paritas ergo fieri poterat, quòd utraque dum assumitur à Theologia crescat, & perficiatur, sed intra proprium ordinem &c.

Quoad alteram vero minus certam, est etiam discrimen, quia lumen principiorum non respicit præmissam minus certam tanquam lumen altius, ut sibi ministret, sed ut inferentem secum ex æquo, unde non tenetur, nec potest dare illi majorem certitudinem, quam haberetur in alia scientia, neque etiam facit, quòd sit ibi assensus de ordine suo (cum assensus principiorum non sit illativus) sicut facit Theologia, dum utitur præmissa naturali per se nota, ut dictum est, & ideo nequit ex lumine principiorum quælibet præmissa accipere majorem certitudinem, vel altiorem ad inferendām conclusionem, quam ad assensum scientificum naturalem, ut bene advertit à S. Thom. &c.

Secundò Arguitur, & potest esse replica contra priorē solutionem. Nā saltem in parte morali non videtur hæc esse capax hujus excessus in certitudine, ergo: prob: ant. pars moralis, ut potè practica, versatur circa contingentia, & singularia, quæ sunt incapacia certitudinis, cum recedant à certitudine scientiæ ergo &c.

Urgetur hoc. Quia non solum in parte morali, & contingente, sed in nullo alio etiam processu scientifico semel constante ex præmissa non revelata, quantumvis per se nota potest reperiri hæc major certitudo, ergo non est saltem universaliter affirmandum, quòd assensus theologicus sit certior quocunque inferiori scientifico; prob: ant. quia consequens ex vi connexionis cum antecedente nequit esse magis necessarium, quam antecedens, sed istud semel constans ex præmissa non revelata, vel naturali non est magis certum, quam præmissa naturalis ergo; prob. mi. complexum ex principio naturali, & supernaturali nequit esse magis certum, quam principiū naturale, ergo; probo ant. tum quia pendet ab illo, & includit illud. Tum etiam à pari; nam conflatum ex duobus, quorum unum est finitum, & alterum infinitum est finitum simpliciter, & tantum secundum quid infinitum, ut constat in corpore, cujus longitudo esset infinita, latitudo vero, aut profunditas finita, adhuc enim esset finitum simpliciter, & solum infinitum secundum quid in genere quantitatis ergo pariter complexum ex utroque principio naturali, & supernaturali conveniet simpliciter in certitudine cum naturali, & solum secundùm quid dicetur excedere illud &c.

Ad

Ad hoc neg. ant., ad probat. dist. ant. versatur circa contingentia, & singularia, sub certis, & determinatis regulis conced., aliter nego; licet enim materia ibi sit material iter contingens, ut tamen subjicitur certis, & determinatis regulis intra forum scientificum, vel quantum ad id, quod spectat in moralibus ad hoc forum est certa, vel infallibilis, sicut in simili dictum ast de aliis singularibus, quòd licet 2. se sint contingentia, aut defectibilia, ut tamen substant lumini theologico, aut divinæ determinationi cognitæ per hoc lumen dicuntur infallibilia, & excedere possunt quodcunqua aliud certum puro lumine naturali. Quæ verò pure opinative tractantur in eadem parta crescunt, ut dictum est; juxtà meritum suæ lineæ.

Ad confirmat. nego ant. ad prob. nego ant., & suppositum illius, quòd altera naturalis sistat intra purum ordinem, & certitudinem naturalem, quia dum assumitur sub hoc lumine, & judicatur ut vera, & non repugnans huic scientiæ, fit certa, ut vidimus, certitudine supernaturali. Ad probat. nego min. ad primam prob., nego ant.; ad prob. dist. ant. dependet, & includit illam dependentia à priori, vel strictè sumpta per subordinationem hujus scientiæ ad illam, nego; à posteriori, & large tanquā à sibi ministrante, & judicata per lumen superius, & ex insufficientia intellectus, concedo, ut enim vidimus ex D. Thom. quando Theologia assumit præmissam naturalem, vel accipit à scientiis inferioribus utitur tanquam ancillis, judicando, & approbando per sui lumen superius, & ex indigentia intellectus nostri, unde non ducitur in sui processu sciantifico ab eadem naturali, sed magis eam elevat ad altiorem certitudinem.

Ad secundam prob., quæ potest esse replica; dist. ant. si pars infinita eminenter per æquivalentiam non contineat finitam, aut transeat, vel concedo; si continebat nego. Unde hac etiam ratione contenditur 3. par. de satisfactione Christi, vel alibi 1. 2. de vitiis, & peccatis, peccatum mortale in ratione offensæ esse infinitū simpliciter, licet constet ex gravitate finita, & infinita, quia hæc sūpta ex majestate offensa infinita, eminenter continet, vel per ęquivalentiam gravitatem derivatam aliis capitibus, & extendit se ad omnem pœnam promerendam; cum antem certitudo theologica desumpta ex lumine divinæ revelationis eminenter paritet, aut per æquivalentiam contineat omnem naturalem aliarum scientiarum, quatenos Theologia eas sibi subordinat, & ad diversa earum scibilia, vel principia ut cognoscibilia sunt lumine divino se extendat, judicando, & approbando, potest conflatum ex utroque principio supernaturali, & naturali sic elevato superate simpliciter pure naturalem, vel alterius principii naturalis; unde poterat retorqueri paritas. Per quòd etiam patet ad aliam paritatem corporis constantis longitudine infinita, & latitudine, vel profunditate finita, quia prior dimensio infinita non ita continet, ut patet, alteram finitam &c.

Tertiò Arguitur contra alteram partem ad probandum non esse certiorem quoad nos. Quia ità videtur expresse sentira D. Tho. hic art. 5. ad 1. quod contendens probare alias scientias esse digniores, vel certiores, ex eo quòd habeant evidentiam, qua caret Theologia, & Fides; solvit dicendo *Quòd nihil prohibet id, quòd est certius secundū naturam, esse quoad nos minùs certum propter debilitatem intellectus nostri &c.*

Idem docet 2. 2. quæst. 4. relata art. 8. ubi inquirens an fides sit certior scientia, & aliis virtutibus intellectualibus; præmissa in corp. duplici consideratione certitudinis, scil. ax parte causæ, ut jam insinuavimus, & ex parte subjecti, concludit, quòd licet priori modo fides sit certior, qnia innititur varitati Divinæ; posteriori tamen est minus certa, quia *sic dicitur certius, quòd pleniùs consequitur intellectus hominis*. Certum est autem, quòd pleniùs consequitur per scientias inferiores, quam per fidem; *Quia ea quæ sunt fidei sunt supra intellectum hominis, non antem ea, quæ subsunt tribus prædictis*, ut subdit ibidem, & patet, quia scientiæ naturales ut pota conjunctæ cum evidentia, & claritate sunt magis connaturales, & proportionatæ intellectui humano, unde earum certitudo magis satiat illum, & quietat, quam certitudo fidei, & theologiæ, quæ est conjuncta cum obscuritate, & inevidentia, ex quo provenit, quòd fides indigeat pia motione voluntatis applicantis intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis, & patiatur motus præfatos dubitationis indeliberatos, non autem scientiæ naturales, & multò minus habitus primorū principiorum §. Id etiam repetit ad primum, ubi ait *Dicendum, quod illa dubitatio non est ex parte causæ fidei, sed quoad nos in quantum non plenè assequimur per intellectum ea, quæ sunt fidei*. In quibus videtur aperte sentire, quòd licet habitus fidei (idem dicendum est de theologia, quæ illi innititur) sit certior secundùm se habitibus scientiæ, sapientiæ, & primorum principiorum, quia habet causas certiores, ut dictum est; cum alii habitus innitantur rationi humanæ; sit tamen minus certa quoad nos, ut expræssis verbis repetit versus finem corp. dicens, *Inde est, quòd fides est simpliciter certior, sed alia sunt certio secundùm quid, scil. quoad nos.*

Ad hoc dico in primis, quòd videtur solvendum à contrariis, quia si aliquid probat juxtà eorum intelligentiam præcipue Gonet, qui magnificè utitur prædictis authoritatibus, non solum videtur probare de eisdem habitibus evidentibus, quòd certiores sint qnoad nos fide, & thelogia modo in via, sed etiam Theologia patriæ, vel visione; quia in tantum notabili 3. & in probatione conclus. 3. contendit prædictos esse certiores quoad nos, quia earum certitudo est magis connaturalis, & proportionata intellectui nostro, & ea, quæ spectant ad fidem sunt supra illum, & ideò magis eundem satiat, & quietat, sed hoc militat etiam respectu Theologiæ patriæ, vel visionis, qnia licet non minus satiet, aut quietet ejus tamen certitudo non est ita proportionata, aut connaturalis, & est perpetuò excessus supra intellectum secundùm se, unde quāvis visio dicatur aliquomodo connaturalis respectu conjuncti ex intellectu, & lumine, ut explicatur infrà de visione, non tamen respectu intellectus secundùm se vel essentiæ ejus &c.

Pro omnibus ergo ex eodem D. Tho. explicatur mens ejus, quòd dum dicit fidem (& idam de Tehologia) esse minus certam, vel cœtera esse certiora quoad nos, non est intelligendus, quòd minus certificetur intellectus fidelis de rebus creditis per fidem, vel scitis per Theologiam, quàm de aliis cognitis lumine evidenti naturali, quia lumen divinum;

vinum;

vinum, coi innituntur, longè efficaciùs est quocumque lumine naturali ad certificandum, ut patet etiam ex D. Tho. a. a. ibid. ad 2.; sed ad huoc sensum, quòd non sic certificetur ex propriis, & connaturalibus ad assentiendum rebus Fidei sicut certificatur ad assentiendum rebus scitis, quia hic certificatur ex lumine naturali, ibi verò ex supernaturali, unde quia istud stando intrà proprium forum & connaturale intellectus nostri nequit sic certificare, dicitur ex parte subjecti intrà eosdem limites certitudinis connaturalis quid minus, cæterum dum jam perfusus hoc superiori lumine utitur illo, etiam quoad se magis certificatur, quàm utendo lumine naturali; ut satis apertè videtur tradere relata solutione ad secundùm, cùm vel etiam auditus à viro scientifico magis certificet intellectum, quàm visio parvæ scientiæ, ut innuit ibidem; quantò autē magis certificabit illum auditus à Deo; & patet etiam superiori experimento Philosophi fidelis, ut explicatum est; & ratio est, quia aliàs non perficeret intellectum quoad se in formali ratione certitudinis, si esset prout sic minus habens ad eorum intentum. Unde licèt plura concurrant ad certitudinem habitam ex vi luminis evidentis inferioris, hæc tamen sunt quid debilius, & infirmius respectu luminis Fidei, etiam comparativè ad intellectum, qui est subjectum ejus, ut patet ex D. Tho. ibidem, & unum tantum, quod miliat ex parte Fidei superat cætera aliarum scientiarum, ut docet in tertio ubi suprà. §. Hujus etiam ulterius signum, vel experimentum habetur in syllogismo theologico constante ex altera naturali per se nota, quæ licèt assumatur, ut vidimus ex D. Tho; ob insufficientiam intellectus, & ex parte ejus; non tamen præcisè concurrit ut pendens ex suo connaturali lumine; nam prout sic censetur insufficiens ad concurrendum ad assensum conclusionis theologicæ; sed ut judicata, & approbata, vel elevata per lumen superius ad certitudinem supernaturalem, quod videtur evidens signum, quòd totum illud connaturale, & proportionatum dependens ab eodem lumine naturali, est quid deficiens etiam in ordine ad intellectum superiori lumine perfusum &c.

Ad id verò, quod subditur scientias naturales magis satiare, & quietare intellectum, nec pati dubitationes, sicut patitur Fides, quæ etiam ob sui obscuritatem, & inevidentiam indiget pia motione voluntatis applicantis intellectum ad assentiendum revelatis; jam dictum est, id non provenire, quia magis certificent, sed quia certificant magis ex propriis, vel faciunt pleniùs consequi ea, de quibus est scientia, scil. cum evidentia, quod non facit Fides, vel Theologia; quia tamen, ut dictum est, istud pleniùs consequi, vel magis ex propriis totum est quid minus respectu luminis superioris jam perficientis intellectum, dum iste utroque utitur, magis certificatur dum utitur divino, quàm puro naturali: non obstant, ut vidimus, dubitationes indeliberatæ in subjecto fideli, quia non oriuntur ex habitu Fidei, sed magis ex intellectu ejus, ut operatur suis viribus naturalibus, nam assensus Fidei impermixtior est dubitatione, & omni cognitione naturali, & licèt Fides quia voluntaria est, vel liberè acceptatur, supponat, aut indigeat prædicta pia motione, nihilominùs liberum arbitrium ita movetur à Spiritu Sancto, ut efficaciter determinet intellectum, immò & captivet illum in obsequium Fidei, unde Fideles parati sunt negare potiùs omnem evidentiam naturalem, quàm principia Theologiæ, & ideò firmitas, quam sortitur intellectus in se virtute Fidei, major est qualibet proveniente ex puro lumine naturali etiam principiorum.

Sed adhuc instas. Quia hujusmodi explicationes videntur contra expressa verba D. Tho. utrobique relata, dum apertè hic de Theologia dicit esse minùs certam quoad nos, licèt certiorem secundùm naturam; & hic ibi affirmat de Fide illis verbis: *Ideò ex hac pariter Fides est minùs certa*, scil. quoad nos; unde sic argumentum. Istæ sunt contradictoriæ Theologia, & Fides sunt minùs certæ quoad nos; Theologia, & Fides non sunt minùs certæ quoad nos, sed prima est D. Tho., ergo posterior erit contra D. Tho. &c.

Huic instantiæ patet ex proximè dictis, quòd non ideò intendit esse minùs certas, quia minus certificent, sed quia non dant sic connaturaliter, & ex propriis, vel illis duobus modis sicut scientiæ naturales, quantùm scil. ad firmitatem adhæsionis, & evidentiam, ut explicat in tertio ubi supra, nihilominùs quia illud unum, quod important Fides, & Theologia, scil firmitas adhæsionis, vehementius est, quàm certitudo scientiæ, quantùm ad illa duo, ut dicit ibi, magis certificant etiam quoad nos, ut expressè asserit solutione relata ex 2. 2. ad 2. illis verbis: *Sicut aliquis parva scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quàm de eo, quod sibi secundùm suam rationem videtur, & multò magis homo certior est de eo quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest*. Et hoc est quod intēdimus, etsi in alio sensu velint habitus naturales evidētes quoad nos, jam non poterit esse hęc major certificatio quoad nos, à Fide, & Theologia, quā asserit D. Tho. cùm minus certum pro ea parte, quā est minùs certum nequeat magis certificare, nec judicare, & approbare, istæ verò etiam judicant, & approbant, ut dictum est, & tradit D. Tho. hic eodem ar. 5. & 6. ad 2. Unde poterat retorqueri formando duas contradictorias oppositas, sic: Theologia, & Fides magis certificant quoad nos; Theologia, & Fides non magis certificant quoad nos; sed prior est D. Tho. argo posterior, si velint in alio sensu esse minùs certas, erit contra D. Tho. Et ratio omnium est, quam tradit verbis præcedentibus; nam loquens de visu, & auditu etiam quoad nos, ait: *Dicendum, quòd cæteris paribus visio est certior auditu, sed si ille, à quo auditur multùm excedit visum videntis, sic certior est auditus, quàm visus*. §. Ad argumentum factum ex contradictoriis juxta superiorem explicationem patet nullam esse ibi contradictionem, unde nego ant. si accipiantur in utroque sensu exposito, quia non sunt secundùm idem &c.

Ex his inferimus certitudinem naturalem, quam habet Hæreticus, vel de rebus Fidei, vel de suis erroribus, nec posse esse majorem, immò nec tantam, quanta est certitudo Fidei infusæ. Primum est contra Molinam in Concord, q. 14. ar. 13. disp. 8. asserentem Hæreticum habere majorem certitudinem de prædictis, quàm Catholicum de articulis per Fidem credibilibus: Secundum contra Vegam lib. 9. in Concil. Trident., cui favet M. Soto lib. 3.

lib. 3. de Natura, & Gratia cap. 10. §. *Quæstio ergo est*, paulò superiùs ante conclusionem, obi ait: *Nemo enim dubitat, quin possit quis ex levitate tam firmum habere assensum, & judicio suo tam certum de re falsa, quam Christianus habet de Fide Catholica*. Quamvis hi duo, ut dictum est, dum admittunt certitudinem circa rem falsam, de certitudine impropriè sumpta intelligendi sint, quæ magis pertinacia in illis, quàm certitudo dicenda est.

Nihilominùs repugnare esse æqualem, & à fortiori majorem patet ex superioribus. Quia Fides non solùm ex parte objecti, & motivi, sed etiam ex parte subjecti excedit quemcumque alium habitum naturalem in perficiendo illud, cùm sit habitus supernaturalis, & auditos à Deo excedit quamcumque visionem naturalem, & non solùm aeream, & pravam adhæsionem hæretici nulli vero fundamento innixam sed purè sophistico, vel apparenti, ergo magis certificat, quàm quælibet naturalis &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam in bona Theologia dubitari nequit, quòd habitus supernaturales magis perficiunt subjectum, in quo sunt intrà propriam lineam, quàm quilibet naturalis, cùm tota natura comparetur ad ea, quæ sunt de ordine supernaturali, vel gratiæ, ut quoddam perfectibile ad sui perfectivum; ergo sicut hac ratione inclinatio charitatis perfectior est, non solùm ex parte objecti, sed etiam ex parte subjecti, inclinatione cujuscumque alterius virtutis, dando illi majorem propensionem in Deum, quàm det quælibet alia in objectum suum, pariter certitudo Fidei utrobique major erit dando intellectui majorem firmitatem adhæsionis, quàm quilibet alius habitus naturalis, aut naturale motivum, & præcipuè inanitimum, vel deceptorium, ut contingit in hæretico.

Urgetur ulteriùs, & præoccupatur solutio. Licèt dicamus hæreticum ex sui prava dispositione assentiri absque dubitatione; non tamen rectè infertur, quòd æqualiter, aut magis certò adhæreat, quàm Catholicus, ergo; prob. ant. tum quia certitudo, ut dictum est, non consistit in præcisa negatione dubitationis, tum quia licèt in illa consisteret, adhuc posset esse major in intellectu Catholici, quia negatio, vel privatio formæ potest suscipere magis & minùs, vel esse inæqualis ex parte causæ, ut sæpè tradit D. Tho. 1. 2. qu. 11. art. 4. ad 1., prima secundæ q. 2 a art. 2. ad primum, & alibi, & patet in macula peccati, pœna damni, & aversione à Deo, sed certum est, causas certitudinis in intellectu fidelis, ut vidimus; esse longè efficaciores causis certitudinis hæretici, non solùm secundùm se, sed ut sunt in illo, ergo &c. Videantur M. Navarrette controvers. 12. & M. Gonzalez hic Concl. 4 &c.

§. VI.

Aliud Corolarium circa conceptum sapientiæ.

Secundò colligimus, Theologiam non solùm esse verè, & propriè scientiam, ut latè probatum est; sed maximè etiam sapientiam inter omnes sapientias humanas, non in aliquo tantùm genere, sed simpliciter; ita etiam D. Tho. hic ar. 6. & patet ex dictis, quia cùm per se primò versetur circa Deum, demonstrat per altissimas causas, quòd est proprium sapientiæ &c.

Explicatur, & urgetur hoc ex D. Tho. hic, ubi ex eodem fundamento sic discurrit. Ille est maximè sapiens, qui considerat altissimam causam simpliciter totius Universi, scil. Deum, sed hanc propriissimè considerat Theologia determinans de illo secundùm quòd est altissima causa simpliciter, ergo est maximè sapientia. Prob ant. In quolibet genere ille dicitur sapiens, qui considerat altissimam causam illius generis, cùm sapientis sit ordinare, & judicare, & judicium habeatur de inferioribus per altiorem causam, ergo ille, qui considerat altissimam causam simpliciter totius Universi, est maximè sapiens &c.

Declarat hoc ipsum D. Thom. duplici exemplo Primum, est in genere ædificii; nam Artifex qui disponit formam domûs dicitur sapiens, & Architector respectu inferiorum Artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides juxta illud primæ Cor. 3: *Ut sapiens Architectus fundamentum posui*. Secundum est in genere totius humanæ vitæ; nam in hoc etiam prudens, sapiens dicitur in quantùm ordinat humanos actus ad debitum finem, juxta illud Proverb. 8. *Sapientia est viro prudentia*. in verò principalis syllogismi etiam probatur, quia Theologia non solùm determinat de Deo quantum ad id, quod est de illo cognoscibile per creaturas (quod Philosophi cognoverunt, ut dicitur Rom. 1. *quod notum est Dei, manifestum est illis*;) sed etiam quantùm ad id, quod notum est sibi soli de se ipso, & aliis per revelationem communicatum, ergo &c.

Difficultas tamen adhuc est in quo consistat ratio formalis sapientiæ contrapositivè ad alias quatuor virtutes intellectuales ab Aristotele enumeratas 6. Ethic. cap. 4. nam modò non loquimur de sapientia infusa, quæ est donum Spiritus Sancti, & quæ importat rectitudinem quandam judicii circa divina conspicienda, & consulenda secundùm quandam connaturalitatem ad res divinas procedentem ex charitate, quæ nos unit Deo, de quo Thom. 2. 2. q. 45. ar. 1. §. Molina ergo hic existimat illam non importare specialem, vel simplicem habitum, sed aggregatum ex pluribus habitibus, scil. principiorum, & conclusionum supremæ scientiæ sumpto fundamento ex Philosoph lib 1. Magnorum Moralium ex eo quòd afferat sapientiam ex intellectu constitui, & scientia &c.

Sed fallitur hic, quia apud Philosophum nulla est alia sapientia nisi Metaphysica, sed hæc apud ipsum primo Metaphysicæ c. 2. est specialis habitus, sive vera scientia ab omnibus aliis specie distincta. Tum quia ineptè distingueret relato 6. Ethic. quinque habitus intellectus, si sapientia non poneret in numerum cum aliis. Tum quia aliàs quælibet scientia prout includens principia, & conclusiones esset sapientia saltem in suo, (quidquid sit, quòd prout non includunt communissima principia, sicut Metaphysica non sint in foro naturali sapientia simpliciter, sicut dicitur eadem Metaphysica;) unde jam non esset opus recurrere ad illam, ut monet idem Philosophus, sed posset quælibet scientia contra negantes, propria principia defendere. Quod ergo dicitur ex intellectu, & scientia constitui, intelligendum est de constituto, non per modum aggregati, sed per modum luminis perfectissimi se extendentis ad eorum objecta, ut dicetur infrà &c.

Alii

Alii verò fatentur quidem simplicem habitum, non tamen qui sit formaliter intellectus, vel scientia, sed utrumque eminenter; ita Nazarius hic, & Cajetanus prima 2. q. 57. ar. 2. §. Sed hic modus displicet M. Banoez hic §. *Sed mihi*, Gonzalez dispor. 6. §. *Secunda opinio*, & Gonet ar. 7. Notabili 3. Quia non videtur intelligibilis hujusmodi habitus superior eminenter continens utrumque inferiorem præcipuè loquendo de intellectualibus naturalibus à Philosopho cognitis; nam vel esset inditus à Natura, & hoc non; quia aliàs quilibet homo haberet illum, & esset sapiens; vel esset acquisitus; & hoc etiam repugnat; quia vel deberet esse acquisitus ex principiis per se notis, & tunc esset scientia; vel ex principiis incertis, & tunc esset opinio; vel per actus habitus primorum principiorum; sed isti non dicuntur generare, nisi habitum similem; hic verò, ut explicavimus in fine Logicæ, licèt sit acquisitus ex parte specierum, dicitur tamen inditus ex parte luminis, vel denique esset acquisitus per actus scientiæ, & ejusdem habitus principiorum, sed cùm isti regulariter deserviant ad faciendam demonstrationem; jam per quamlibet ex his posset generari tertius habitus eminenter cōtinens utrumque, quod videtur alienum, ac difficillimum.

Quamvis ergo, ut in superioribus intinuavimus, intrà forum ordinis divini, detur sapientia, ut est illa Dei, & Beatorum, quæ sit simul formaliter utrumque lumen intellectus, & scientiæ, non tamen quæ pura humana sit, & acquisita; unde de hac loquendo, dum dicitur ex utroque constitui, vel utrumque continere, intelligendum est, quatenùs utriusque officia per altiorem causam, vel modo altiori exercet; alterum nempè scientiæ deducendo conclusiones ex primis principiis indemonstrabilibus; alterum verò intellectus, prout versatur circa illa, vel explicando per terminos universales; vel defendendo contra negantes; vel eorum proprietates manifestando, ut quod, utpotè prima, & per se nota, demonstrari non possint, & tantùm prout sic, sint objecta puri, ac simplicis intuitus, sive cognoscibilia sine medio tam formali, quàm objectivo, & consequenter quòd convincant intellectum, nec possint perceptis terminis, nisi protervè negari &c.

Dicimus igitur eidem difficultati, quòd sapientia est formaliter scientia; ita ut non differat ex æquo ab aliis scientiis, sicut unum genus ab alio, sed sicut species perfectissima unius generis ab aliis minùs perfectis ejusdem generis, quia cæteras dirigit, regulat, & mensurat; unde ab Aristotele Regina scientiarum appellatur. Sumitur ex D. Tho. Opusc. 70. q. 2. ar. 2. ad 1. ubi ait: *Sapientia non dividitur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum, sed quia se habet ex additione ad scientiam. Est enim sapientia, ut dicit Philosophus in 6. Æthic. Caput omnium scientiarum regulans omnes alias in quantùm de altissimis principiis, et propter quod etiam Dea scientiarum dicitur 1. Metaphys.* Et p. 2. q. 57. art. 2. ad 1. inquit: *Sapientia est quædam scientia in quantùm habet id, quod est commune omnibus scientiis, ut scil. ex principiis conclusiones demonstret, sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, in quantùm scil. de omnibus judicat, & non solum quantùm ad conclusiones, sed etiam quantùm ad prima principia, ideò habet rationem perfectioris virtutis, quàm scientia.*

Ex quibus inferimus, non rectè Suarez disp. 1. Metaphysicæ hanc eminentiam, quam ita amplè tribuit D. Tho. sapientiæ supra scientiam, & habitum principiorum, limitare primò, quòd solùm præferenda sit huic habitui, ut tantùm versatur circa principia aliarum scientiarum, non ut versatur circa principia ejusdemmet sapientiæ, putans hanc limitationem colligi ex D. Tho. ibidem ad 2. quatenùs, postquàm docuit sapientiam esse principalissimam, & continere sub se intellectum, & scientiam; deinde inquit, *ut de conclusionibus dijudicans, & de principiis earumdem*, quasi hoc relativum *earumdem* referre videatur ad alias scientias à se distinctas, & principia earum, & non sui ipsius. Secundò explicando de excessu ex parte nobilitatis objecti, quatenùs habet objectum nobilius principiis, quia nempè agit de Deo, & nobilissimis substantiis &c.

Neutram tamen limitationem subsistere, apertè constat ex verbis relatis ad primum, in quibus præfatum excessum non præcisè constituit in hoc, quod est demonstrare conclusiones, quia hoc est commune omnibus scientiis; nec quia habeat objectum excellentius, cùm hoc falsum sit, cum objectum scientiæ objectum principiorum separare nequeat, ut patet in objecto Theologiæ respectu objecti Fidei, quæ est habitus principiorum ejus, sed potissimè, vel omnicè ad hoc reducit, quod de omnibus judicat tam de principiis, quàm de conclusionibus, nec de principiis solùm aliarum scientiarum, explicando scil. & defendendo, ut dictum est, sed etiam propria; & quamvis, simpliciter loquendo, illa præsupponat, tamen hæc magis declarat, & quoad nos probat, & contra negantes tuetur; qua ratione, ut vidimus in superioribus, Fides dicitur gigni, & nutriri à Theologia, non quia effectivè producatur ab illa, præcipuè ex parte luminis; nam prout sic infunditur, & est donum Dei, & magis è converso Theologia pendet à Fide, sed quia disponit ad eam, ut explicatum est, determinando quid credere debeamus; distinguendo de credibilibus; faciendo evidentiam credibilitatis eorum, defendendo, & sustinendo impetum inimicorum ejus, ubi duo præcipuè munera exercet, alterum in quo versatur circa sua principia, interpretando scil. Sacras Litteras ex Traditionibus Ecclesiæ, ex doctrina Patrum, ex peritia linguarum, & ex ipso contextu. Aliud verò ex eisdem Scripturis, & Traditionibus Ecclesiæ, & definitionibus Conciliorum conclusiones deducere, & ratione hujus secundi, scientia est, quatenùs verò utrumque complectitur, sapientia appellatur &c.

Nec refert, quod opponit ex solutione ad secundum; tum quia postquàm tam amplè loquatur D. Th. in solutione ad 1. immeritò restringit illud relativum ad principia aliarum; tum quia in eadem solutione ad secundum, expressè etiam hoc ipsum repetit, dum præmittens duplicem considerationem principiorum, & secundùm se, quo pacto pertinent ad intellectum, & secundùm quòd deducuntur in conclusiones, generaliter infert, quòd sicut scientia pendet ab intellectu, ut à principaliori, quia ad istum pertinent principia, ita intellectus, & scientia dependent à sapientia, ut à principalissimo, quia ad istam pertinent conclusiones, & principia, ergo

N sicut

ſicut ad intellectum pertinent principia nullo excepto intrà forum ſuum,ità ad ſapientiam pertinent concluſiones, & principia ſine exceptione intrà ſuum,ut etiam patet in Metaphiſica,ad quam quia ſapientia eſt ſimpliciter apud Ariſtot., (qui aliam non agnovit) intrà ſorum ſcibilis naturalis, non ſolum pertinet ſuſtinere,ac defendere, vel explicare principia aliarum ſcientiarum, ſed etiam propria. Et ratio eſt manifeſta ex dictis, quia cum intellectus, vel habitus principiorum tantùm reſpiciat ſui objectum,ſive principia purè intuitivè,& nullo modo diſcurſivè, ſuprema ſcientia intrà forum ſuum ex parte principiorum eſſet deterioris conditionis,quam cæteræ, ſi ſemel præferenda non eſſet habitui principiorum, etiam ut verſatur circa ſui principia exercendo præfatum munus ſapientiæ circa illa,ſcil. ſuſtinendo, defendendo &c. Cum cæteræ habeant, quæ propria principia defendat, & explicet &c. Sapientia verò careret;unde ex ultimis illis verbis D. Tho. magis oppoſitum inferendum erat, quòd ſi ad illam pertinet judicare deconcluſionibus, & principiis aliarum, ea defendendo, pariter attineat defendere propria, ne videatur aliis deterior,&c.

Ex his ſatis conſtat,quam verè,ac propriè Sacra Theologia ſit ſapientia, ut potè procedens per altiſſimam cauſam,ac tractans de omnium ſcientiarum fine ſub lumine divinæ revelationis, unde judicare poteſt de illis,& tradere generales rationes,quibus regulentur elevando, ut dictum eſt, ad altiorem certitudinem, quam poſſidet ſuprà illas, quæ ſunt potiſſimæ conditiones aſſignatæ ab Ariſtotele ad verã ſapientiam, ergo eſt vera ſapientia, & potiori jure,quam Metaphiſica, quæ licet ex eo, quòd habet pro objecto ens in communi, aliquomodo perveniat ad cognitionem Dei, non tamen ſub ratione Deitatis,vel ut in ſe eſt per lumen divinum cognoſcibilis,ſed tantum ſub ratione entis, & ut cognoſcibilis eſt ex creaturis per lumen naturale intellectus, &c.

Secundò etiam conſtare poteſt non rectè iterum explicari à Suarez diſp. 1. ſect. 4.exceſſum ejuſdem Metaphiſicæ ſuprà habitum intellectus per hoc quòd ſaltem per cauſam extrinſecam, ſcil. exemplarem, aut finalem poteſt prima principia demonſtrare non ſecundùm actualem exiſtentiam, ſed ſecundùm eſſe poſſibile; vel deducendo etiam ad impoſſibile per illud generale principium, *Impoſſibile eſt de eodem ſimul affirmare, & negare.* §. Nam contrà naturam primorum principiorum eſt,quòd ſint de numero verè demonſtrabiliũ, aliàs prima non eſſent,cum de natura primorum ſit ex ipſa terminorum notitia ſtatim innoteſcere, unde ut vidimus; prout conſtituunt objectum intellectus,ſive habitus principiorum, ſunt tantùm cognoſcibilia per ſimplicem intuitum veri diſcurſus excluſivum tam formalis, quam objectivi; hoc autem patet eſſe falſum, ſi ſemel connexio prædicati cum ſubjecto verè, & propriè demonſtrari poteſt; nam cum vera demonſtratio ſit per medium verè probativum, deberet hoc intercedere inter prædicatum, & ſubjectum,ergo hoc ignoto non apparebit talis connexio, ſicut nec apparet in aliis prædicatis verè demonſtrabilibus de ſubjecto,ſi ignoratur medium verè probativum illius, & conſequenter etiam perceptis terminis adhuc non erunt prima principia, vel eorum extrema per ſe nota, quod eſt alienum à bona Metaphiſica, & contrà Philoſophum primo poſt. tex. 12., ubi docet, quòd omnes propoſitiones, quæ cognoſcuntur lumine primorum principiorum ſunt immediatæ,& conſequenter indemonſtrabiles, & per ſe notæ,ut docet ibidem,&c.

Dices ex his tantùm concludi, quòd ſint indemonſtrabilia per medium, vel cauſam formalem intrinſecam,non per extrinſecam, aut exemplarem,vel per ideam divinã §. ſed contrà hoc eſt eodem argumento;quià repugnat eſſe primum principium, & eſſe verè demonſtrabile per medium, quodcunque ſit ſive intrinſecum, ſive extrinſecũ, ergo;prob. ant. quia prout ſic ſpecificat habitum purè intuitivum, & nullo modo diſcurſivum,ſi velimus illum diſtinguere à ſcientifico, ergo prout ſic eſt tantùm cognoſcibile ſimplici intuitu ſine medio ex parte cognoſcentis, & ex parte objecti cogniti, nam etiamſi medium extrinſecum ſit, ſi tamen eſt verè demonſtrativum, jam deſtruit rationem cognoſcibilitatis per purum, & ſimplicem intuitum, ut patet ex terminis. Per quod etiam excluditur vera demonſtrabilitas per viam reductionis ad impoſſibile,quidquid ſit, quòd explicari poſſint hujuſmodi principia, vel extrema per terminos clariores, ut dictum eſt; vel ulterius declarari à poſteriori ex inconvenienti, quod eſt proprium munus Metaphiſicæ in quantùm ſapientia eſt,in quo ſenſu dicitur judicare de omnibus, quia conſiderat altiſſimas cauſas, & à fortiori id verificatur de Theologia, quæ,ut dictum eſt; conſiderat altiſſimam totius univerſi lumine divino cognoſcibilem, & non tantùm per effectus,&c.

Tertiò iterum conſtat, nec rectè ſect. 5. n. 15. denegare Metaphiſicæ rationem ſapientiæ ſimpliciter,aut completè prout conſiderat communem rationem entis, & ejus attributa, & principia, aſſerendo prout ſic ſolum eſſe inchoativè. §. Nam ut vidimus ex Philoſopho, & D. Tho. duo munera exercet, alterum ſecundùm veram rationem ſapientiæ judicando de principiis quatenus agit de ente in quantùm eſt ens, & de univerſalibus ejus attributis; alterum ſecundùm rationem peculiarem ſcientiæ contradiſtinctæ ab aliis, quatenus demonſtrat concluſiones ex principiis, quod eſt illicommune cum aliis,unde ſecundùm quòd agit de Deo à nobis tantùm cognoſcibili pro hoc ſtatu ex effectibus,magis obtinet rationem ſcientiæ, quã ſapientiæ rigoroſè loquendo, præcipuè quia, ut advertit hìc M.Gonzales ex Sonciuate lib. 12. Metaphiſicæ q. 1. ex mente Commentatoris, & aliorum graviſſimorum Philoſophorum, demonſtrationes,quibus utitur ad probandam Dei exiſtentiam ex Philoſophia naturali,aut morali deſumit; nec prout ſic verſatur circa objecta aliarum ſcientiarum, nec earum principia declarat, ergo licet hoc poſteriori modo magis exerceat munus ſcientiæ,quam ſapientiæ,ſecus tamen priori, &c.

Quartò denique ſequitur contrà eundem ibidem, nec rectè aſſerere; quòd ens in quantum ens, ſive abſtractivè ſumptum prout ſic licet in ratione objecti ſcibilis ob ejus abſtractionem, ſubtilitatem,& tranſcendentiam ſit valdè perfectum, non tamen in eſſe rei, ſed longè minus perfectum eſſe, quam concretivè in particularibus, vel determinatis entibus, & ideò etiam prout ſic deficere Metaphiſicam à conceptu ſapientiæ, quia non ſatis

satis est huic perfectio objecti in præcisa ratione scibilis sine perfectione in esse rei. §. Fallitur enim in eo, quòd ut vidimus, in primo Physiphico: & in 3. de anima, objectum quantò est abstractius, præcipuè abstractione formali, & propria objecti scientiarum, quæ est abstractio per modum formæ à materia; tantò est simplicius, & actualius in se, ut potè magis depuratum à materia, & consequenter perfectius; nam quo major est recessus à materia tantò est major à potentialitate, & imperfectione, qua ratione ostendimus ibidem excessum intellectus suprà voluntatem, quia objectū illius est simplicius, & abstractius, & consequenter perfectius, scil. ens, & verum, unde etiam prout sic abstractum prædicatur in rectò de Deo sine addito, & dicitur reperiri in illo formaliter, quod est proprium perfectionis simpliciter simplicis, vel quæ in suo formali conceptu nullam involuit imperfectionem; unde nec debuerat ex hac parte diminuere conceptum sapientiæ respectu Metaphisicæ, quæ etiam in tantùm agit de Deo, in quantùm considerat rationes elevatissimas in illo repertas, scil. rationem entis, veri, & boni, unde ad ipsam spectat tradere divisiones generales horum transcendentium, dividendo ens in actum, & potentiam, in necessarium, & contingens, finitum, & infinitum, quæ sunt rationes magis depuratæ, aut perfectæ, quam particulares v.g. hominis, leonis &c. nam istæ ità dicuntur involvere imperfectionem, ut non possint ex opposito sic prædicari de Deo in recto sine addito, nec formaliter in illo reperiri, &c.

Adde ex his Metaphisicam non solum esse sapientiam, sed aliquid etiam excellentius habere intrà forum suum, quòd non habet Theologia modo in via intrà suum, dare nempè distinctam cognitionem entis, de quo sunt principia metaphysicalia, quam modo non dat Theologia de Deo, de quo est fides, unde non habet Theologia talem excellentiam, nec tantam suprà habitum suorum principiorum, scil. fidem, quantam habet Metaphisica suprà intellectum, vel suprà habitum suorum.

Sed contrà præcedens corollariū oppones. Quia videtur Theologia in pluribus deficere à vera ratione sapientiæ; nam ad illam requiritur, quòd sit suprema inter cæteras virtutes intellectuales, judicans, & ordinans eas, ut colligitur ex Aristot. lib. 2. Metaphisicæ c. 1. & ex D. Tho. prima secundæ q. 57. art. 2. ad 2., & q. 66. art. 5. ad ultimum, & q. 68. art. 7., sed hic excessus nequit Theologiæ convenire, cum repugnet esse nobiliorem habitu suorum principiorum, scil. fide, à qua causatur, nisi velimus effectum excedere suam causam, ergo, &c.

Secundò, quia ad sapientiam spectat, ut dictum est, continere sub se scientiam, & intellectum, sed hoc non videtur posse iterum competere Theologiæ, si semel velimus eam esse verè scientiam, cum cognitio scientifica magis contineatur in principiis, quam illa contineat, & solum sit de conclusionibus, non de principiis, &c.

Tertiò sapientia ut docet Philosophus primò Metaphisicæ c. 2. consistit in pura contemplatione veritatis, sed Theologia, ut dictum est, non solum est contemplativa, vel speculativa, sed etiam practica dirigens nostros actus, ut debito modo tendant in Deum, ergo, &c.

Quartò; ut iterum docet Philosophus ibidem: sapientia est, quæ potest assignare causas omnium scibilium, sed hoc ut patet; nequit impleri à Theologia, ergo, &c. §. Urgetur hoc: sapientia, & maximè talis, ut contendimus esse Theologiam, est directiva aliarum, ut patet in Metaphisica, quæ dirigit alias scientias, sed Theologia non dirigit Metaphisicam, imò potius videtur dirigi ab illa, ut patet experimento, dum nulla ferè promovetur quæstio in Theologia, in qua plurima non adducantur ex Metaphisicis, ergo, &c.

Respondetur negando ant. Ad primum, quod opponitur de primatu sapientiæ supra alias intellectuales patet primò ex dictis, quòd licet fides modo sit habitus principiorum Theologiæ, quia tamen est talis solum suppletivè sine evidentia, & sine capacitate ejus, magis est habitus, vel virtus intellectus, quam intellectualis, unde quamvis illam non excederet, adhuc tamen verificari potest, quòd sit suprà cæteras virtutes intellectuales: sed deindè distinguo min. repugnat esse nobiliorem simpliciter, transeat, vel concedo; secundum quid, quatenus ad ipsam spectat explicare, & defendere, quod non convenit fidei, nego, nam quoad hoc convenit cum humana sapientia, quòd licet non probet demonstrativè principia, reflectendo tamen explicat, & tuetur, ut vidimus ex D. Aug. 14. de Trinitate c. 1.; unde secundùm aliquid dicitur excedere, licet hæc dicatur excedere illam simpliciter, & hic mutuus excessus potest rectè componi inter effectum, & causam, præcipuè, quæ est tantum talis suppletivè, vel cujus munus non est defendere sibi propria, ut contingeret inter Regem, & supremum ducem exercitus, cujus Rex ob sui imperitiam indigeret ad sui regnum defendendum, nam quoad hoc aliquomodo excederet sui Principem, de quo statim iterum, &c.

Ad secundam similiter respondetur negando min. in sensu explicato; ad probationem annexam patet ex dictis optimè componi conceptum scientiæ cum illo sapientiæ, cum non distinguantur ex æquo, vel sicut unum oppositum contrà aliud, ut vidimus ex D. Tho., sed sicut species perfectissima à minus perfecta; & licet cognitio scientifica ut talis magis contineatur in principiis, quam contineat illa, habitus nihilominus elicitivus illius, qui ob sui excellentiam exercet munus explicandi eadem, & defendendi, dici potest prout sic, quòd contineat veluti reflexivè, aut virtualiter, quatenus habet virtutem, sic manifestandi, ac sustinendi, & tunc formaliter loquendo, aut reduplicativè sub hoc munere non cōparatur præcisè, ut effectus, sed magis aliquomodo ut causa respectu eorum, cum operetur ex propriis, dum illa sic explicat, & defendit, unde prædictus excessus, quem dicitur habere suprà habitum principiorum, non convenit illi præcisè, ut effectui, sed magis secundùm aliquid sibi proprium, & veluti independenter ab illo; per quòd sit iterum satis priori objectioni, &c.

Ad tertiam distinguo, & explico ma. sapientia humana, quæ innititur lumini naturali, & limitato, concedo, quæ regulatur per lumen divinum, ut est Theologia, nego; nam hæc, ut vidimus; ob amplitudinem sui luminis, quod est simul practicum, & speculativum, & quia est etiam participatio, vel im-

impressio quædam scientiæ potest simul esse utrūque, licet primariò sit speculativa, & secundariò practica, ut explicatum est, &c.

Ad quartam distinguo maj. potest assignare, cum debito assignandi immediatè per se ipsam, nego, potest præcisè transeat; nam neque sapientia humana habet hoc debitum, sed tantùm explicare, & tueri principia aliarum: Theologia verò, ut vidimus ex D. Tho., habet judicare illa, vel approbare, cū utatur aliis scientiis, ut ancillis judicando, an conveniant, aut repugnent sibi, & propriis principiis, unde tunc elevantur ad altiorem certitudinem, ut dictum est; propria autem explicat, & defendit, &c.

Ad Confirmationem nego min., nam si semel tenentur omnes deservire ei ut ancillæ, cum lumen eorum sit subordinatum lumini theologico, vel divino, ut perfectibile suo perfectivo & præcipuè Metaphisica, quæ ob sui propinquitatem, ut potè suprema inter reliquas inferiores; ingentius lucrum, vel perfectionem acquirit, dum ei deservit, ut hic etiam verificetur, quòd supremum infimi attingit infimum supræmi; repugnat Theologiam dirigi ab illis, nisi velimus lumen superius dirigi ab inferiori, quod est alienum. Idque totum experimento constat maximè Theologiam D. Tho. addiscentibus, inquit M. Bannez; plus nempè perfici Metaphisicam, dum Theologiæ deservit, quam dum cæteris imperat; Hi enim præ cæteris in Metaphysicalibus eruditissimi evadunt; & longè etiam (sic addere liceat) in Moralibus tutiores, ut frequenti iterum experimento constat in tot damnatis propositionibus adversus principia D. Tho., vel doctrinam ejus promotis. Unde non Metaphisica Theologiam, sed hęc illam potius dirigit, & perficit, &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Theologia sit argumentativa, & quomodo.



Prima pars quæst. fatis pendet ex resolutione secundæ, unde D. Tho. qui illam expressis verbis proponit in titulo art. 8. præmissa in argumento sed contrà, authoritate Apost. ad Tit. 1. ubi de Episcopo dicitur, quòd debet esse potens exhortari in doctrina, & eos, qui contradicunt arguere, statim procedit ad explicandum capita locorum arguendi in sacra doctrina resolvendo difficultatē sic. Sacra doctrina nō argumētatur ad sua principia probāda cū nec alię sciētiæ probent sua: disputat tamen contrà negantes illa, arguendo quidem, si adversarius concedat aliquid eorum, quæ per divinam revelationem habentur, ut potè suprema sapientia, cum hoc etiam faciat inferior sapientia, scil. Metaphisica arguens ex uno principio concesso contrà negantes alia; solvendo verò rationes ejus, si nihil credat eorum, quæ divinitus revelantur. In quibus magis probat secundam partem, & solum, vel ex præsupposito primam, & meritò quidem ut potè omninò certam ut statim constabit.

§. PRIMUS.

Statuitur prima Conclusio.

Dicendum est primò sacram Theologiam esse verè argumentativam. Sumitur ex dictis, quia est verè scientia, ut probavimus, & consequenter habitus illativus procedens ex revelatis per evidentem consequentiam, utendo forma, vel regulis logicalibus, cum evidentia consequentiæ non fundetur nisi in his regulis, ut Dici de omni, & Dici de nullo, & similibus, unde si in aliquo processu theologico negetur aliqua consequantia, non probatur nisi per easdem regulas, &c.

Sed urgentiùs deinde prob. ex Sacra Scriptura primò quidem ex illo 2. ad Timot. 3. *Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, &c.* Cujus rationem insinuat D. Tho ibidem, quia Sacra doctrina utramque rationem continet, ut dictum est, scil. speculativam, & practicam; *Et in utraque* (inquit D. Tho.) *sunt duo necessaria scil. quòd veritatem cognoscat, & errorem refellat. Hoc enim opus, est opus sapientis, scil. non mentiri, & mentientem refellere: quantum ad primum dicit, utilis est ad docendum; scil. veritatem; psal.* 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Quantum ad secundum subdit, ad arguendum.* Ergo cum Theologia sit simul speculativa, & practica, & iterum verè scientia, & sapientia; ad ipsam pertinebit non solum cognoscere veritatem, sed etiam impugnantes arguendo refellere cum præfata distrubitione accommoda quoad principia, & conclusiones; istas quidem demonstrando; illa verò explicando, & defendendo, ut explicatum est, &c.

Urgetur hoc exemplis ejusdem scipturæ, & primò quidem omnium Theologorum Magistri, scil. Christi, qui passim argnebat contrà repugnantes doctrinæ suæ; unde Luc. 6. opponentibus Pharisęis, quòd discipuli ejus confricando manibus spicas violarent sabbatum, occurrit arguendo ex facto David dicens vers. 3. & 4. *Nec hoc legistis, quòd fecit David, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant; quomodò intravit in Domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licet manducare nisi tantum Sacerdotibus.* Ex quo testimonio concludare volebat non esse illicitam etiam illa die discipulorum actionē, ut esurientes comederent.

Deindè accedentibus iterum Pharisęis, & tentando petentibus, an liceret homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa Matt. 19. vers. 3. non statim respondit per simplicem cathegoricam negativam, sed discursivè, vel arguendo; quia ut ait D. Tho. ibidem, *quando quærit aliquis, ut addiscat statim dicenda est veritas, sed ei qui quærit ut calumnietur* (ut in casu), *non statim dicenda est veritas, sed primò dicenda sunt aliqua, quæ nega-*

negari non possunt; onde ex alio testimonio sic redarguit vers. 4. 5. & 6. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fæminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ &c. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ex quibus præmissis conclusit non esse licitum ex quacunque causa illam dimittere, &c.

Tertiò pariter Matt. 21. ex aliis testimoniis argumentatur se esse Messiam contrà Principes Sacerdotum, & scribas eum insultantes post patrata miracula cæcorum, & claudorum quòd pueri magno plausu talem confiterentur dicentes *Osanna filio David*, onde vers. 16. arguit ex illo Psal. 8. *nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*: & iterum ibidem contrà Principes Sacerdotum, & Seniores populi ioiquè interrogantes, in qua potestate ea faceret, quæ ibi narrantur, post alteram interrogationem à se ipso propositam circa baptismum Joannis, qua pleoe eos confudit, & post duas parabolas, alteram de duobus filiis à Patre vocatis ad colendam vineam; alteram de Agricolis servos Domini venientes ad petendum fructum, & novissimè etiam venientem filium, & hæredem ejicientibus extrà vineam, & occidentibus, per quas acutissimè eos feriebat, objicit aliud psal. 117. *Nunquam legistis in scripturis, lapidem, quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli.* Ipse enim erat lapis, quem reprobaverunt idest eiecerunt, inquit ibi D. Tho., & qui factus est idest constitutus in caput anguli, idest in caput judæorum, & gentilium; ex quibus validissimè intulit se esse Messiam prænunciatum lapidem angularem in caput utriusque populi, & consequenter Ecclesiæ. Sed hujus argumenti, ac mystici lapidis ulteriorem, ac pulcherrimam intelligentiam vide apud M. Porrectam ad idem caput annotat. secunda, ubi egregiè aperit hujus lapidis figuram ex magistro hystoriarum in quodam lapide manibus ædificantium templum sepè occurrente, & toties ab illis rejecto, ut inepto, sed tandem ad constructionem unius anguli pro conoectendis duobus parietibus secundùm descriptionem domus relictam à David Salomoni 1. paralip. 29. iterum occurrente mirabiliter apto, & collocato, &c.

Eodem modo sepè procedebant Apostoli inferendo unum ex alio, ut patet in eorum actibus, & Epistolis canonicis; undè D. Paulus 1. Corint. 15. ex Resurrectione Christi arguit communem mortuorum Resurrectionem; quòd etiam fecerat suprà Rom. 8. ampliorem consequentiam deducens illis verbis, *qui suscitavit Christum à mortuis vivificabit, & mortalia corpora vestra*; ubi ut explicat D. Tho. consultò dicit *mortalia* non *mortua, quia in Resurrectione non solum à corporibus vestris auferetur, quòd sint mortua (idest necessitatem mortis habentia), sed etiam, quòd sint mortalia, idest potentia mori, quale fuit corpus Adam ante peccatum. Nam post Resurrectionem corpora nostra erunt penitus immortalia. Esa. 26. vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.*

Dices hinc etiam inferri, quòd Theologia non solum sit argumentativa inferendo conclusiones, sed etiam probando sua principia, cum Resurrectio communis mortuorum sit unum ex ejus principiis, sive articulis fidei, quòd tamen, ut vidimus, negat hìc D. Tho. &c.

Dices secundò, quòd non videtur hæc rigorosa argumentatio, sed magis quædam propositio, vel explanatio articuli Resurrectionis ex simili Resurrectionis Christi, aliàs videretur insubsistens, cum sit simile per locum à majori affirmando, qui non tenet, nam licet Christus Resurrexerit, quia tamen Resurrexit specialiter per virtutem Divinitatis suæ, non videtur posse rigorosè argui, quòd alii puri homines sint resurrecturi, &c.

Sed contrà primam est. Quia Apost. ibi ad Corint. non procedit contrà negantes omnia principia, sed ex uno admisso procedit ad aliud concedendum, sed hic modus, ut dictum est, est proprius sapientiæ, ergo: maj. colligitur ex textu ibi. Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? ecce, quòd unum articulum fidei concedebant, scil. quòd Christus Resurrexit, alterum verò negabant, scil. commooem aliorum resurrectionem; unde non arguit immediatè ad probandum principia, sed ex uno cooce ssoprocedit ad aliud: quamvis etiam prosequendo suum argumentum utatur prophetia Oseæ 13., quasi deducendo ad impossibile; quia, aliàs non adimpleretur, quòd dicitur ibi. *Absorpta est mors in victoria, ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* nam si mortui non resurgerent, mors in æternum vinceret.

Contrà secundam verò: Et si aliqui id concedant non esse scil. locum à majori, sed à simili, quatenus mori, & resurgere competit Christo secundùm naturam humanam; melius tamen ex D. Tho. impugnatur sic. Resurrectio Christi ut potè capitis nostri, & primitiæ dormientium est causa nostræ Resurrectionis scil. efficiens, & exemplaris, ut exponit ibidem, & ex professo explicat tertia parte q. 56. art. 1. præcipuè ad 3. ergo ex Resurrectione ejus procedens ad nostram verè argumentatur, & non purè simpliciter, vel exemplificativè procedit, &c.

Sed difficultas adhuc est (aliis omissis, quæ videri possunt utrobique apud D. Tho.) an homines resurrexissent si Deus non fuisset Incarnatus. §. Cui ex eodem respondetur, quòd licet potuisset aliter Deus ordinare, quia tamen Resurrectionem decrevit per hunc modum fieri, ut patet ex Apostolo; non essent alii surrecturi Christo non passo, vel non resurgente; sicut ibidem dicimus 3. p. q. 1. art. 3. quòd licet potuisset aliter ordinare de adventu ejus, vel de salute hominum, quia tamen decrevit fieri per viam redemptivam, ipso non satisfaciente non fuisset executa redemptio, cum nulla pura creatura posset dare satisfactionem æqualem requisitam ad redemptionem; nec Adamo non peccante venisset, ut latè ostenditur 3. p.

Eundem pariter modum prosecuti sunt Sancti Patres; nam D. Augustinus citat Cypriaonm, & Hieronymum, & Ambrosium. Sæpè etiam admittunt humanarum disciplinarum usum, nec rejiciunt authoritatem Philosophorum præcipuè in his, in quibus per lumen naturale veritatem attingunt; undè iterum verificatur ejusdem Augustini dictum sæpè laudatum, quòd per hanc Sacram doctrinam fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur, &c.

Ex his, & superioribus colligimus dupliciter Theologiam posse principaliter procedere primò. purè

purè Theologicè scil. vel ex duabus revelatis inferre alteram virtualitèr revelatam, ut patet superiori exemplo; Christus est homo, Christus habet duas voluntates, ergo aliquis homo habet duas voluntates; vel ex una revelata alteram revelatam, ut patet exemplo relato Apostoli; & sic etiam procedimus contra Hæreticos ex uno articulo ab eisdem concesso ad alium; vel etiam solvendo rationes, quæ fiunt contra fidem, quod fit etiam evidentèr saltem negativè, quia rationes contra fidem non possunt esse demonstrativæ, sed solum fallaces,& apparentes, cum militent contra verum,demonstratio autem est de vero: secundò & frequentèr procedit accipiendo aliqua, ut dictum est, ex aliis scientiis sibi deservientibus lumine naturali nota elevãdo ad certitudinem supernaturalem,& sæpè etiã ex probabilibus, opinativè inferendo, & in his satis occupatur Theologia Scolastica, quia censetur modus valde conformis nostro intellectui pro hoc statu juvari ad fidem rationibus naturalibus defendendo, & explicando &c. De evidentia verò credibilitatis ejus latè agitur 22.; una tamen ex evidentiis ejusdem credibilitatis est solvere evidentèr rationes contrariorum,quia valde credibile est, ut ait à S. Tho. hic art. 12. quod nulla ratione ostendi potest,repugnare veritati &c.

Sed contra doctrinam proximè relatam instas. Si posset Theologia evidentèr solvere rationes contrarias fidei posset evidentèr cognoscere etiam possibilitatem veritatis ejus, consequens est alienum, quia jam haberet evidentiã de possibilitate ejus, imò etiã de existẽtia loquendo de re conveniente Deo,cùm in æternis idem sit posse, & esse: ma. constat, quia solutis evidentèr rationibus contrariis evidentèr infertur saltem possibilitas veritatis oppositæ, ergo &c.

Huic instantiæ, de qua agitur infrà de voluntate Dei, vel etiam de Trinitate, & adhuc etiam tertia parte de Incarnat. quæst. 1. ad art. primum: distinguo ma. si posset evidenter positivè transeat, vel concedo ma., si tantum negativè, nego, solvit enim quatenus negat aliquam propositionem ex assumptis ex eo quòd non convincat intellectum, vel quia ostenditur nihil repetiri, quod probet veritatem, aut misterium fidei esse impossibile, & non quia habeat media ejusdem, probativa connexionis prædicati cum subjecto in propositione de fide,vel quia ex evidentia fundamenti propriæ sententiæ reducere possit ad evidentiam ejusdem possibilitatis, vel erroris oppositi: vel dici etiam potest, quòd solvit evidentèr manifestando fallacias, & defectus fundamenti oppositi. Unde ex his tantum inferri poterat ad hoc solum,sic solvendo pervenire posse, quòd evidentèr cognoscat non esse idem misterium impossibile, non tamen, quòd sit evidenter possibile, quia ut ostendimus ibidem, alia formalitas est negatio impossibilitatis, alia vero positio possibilitatis; ad evidentiam primi sufficit priori modo solvere, vel negativè, ut explicatum est; ad evidentiam verò secundi requiritur solutio positiva,de quo etiam Cajet. hic ad art. 8.

Sed contrà solutionem instas. Ex duabus contradictoriis, dum evidentèr ostenditur alteram esse fallacem, & non veram, altera remanet evidentèr vera, cum ambæ simul verificari nequeant ex illo principio,Quodlibet est, vel non est,ergo cum veritas fidei impugnetur per sui contradictoriam, si semel hæc evidentèr ostenditur falsa, vel non vera, altera fidei remanebit evidentèr vera &c.

Respondetur distinguo, & explico anteced. eodem modo, altera remanet evidentèr vera, eo modo, quo opposita ostenditur non vera, concedo, aliter nego, & distinguo consequens remanebit evidenter vera quantum ad negationem impossibilitatis transeat, vel concedo, quantum ad positionem possibilitatis, vel existentiæ veritatis rei in se, nego, nam ex eo quòd una pars contradictoria non probatur efficacitèr, & ostenditur evidenter non probari, non statim altera infertur evidenter possibilis, vel vera in se, sed solum quòd ex vi talium probationum ostendi nequit impossibilis, vel falsa; unde etiam in cognoscendo non sunt contradictoriæ, quia licet inter utramque partem fidei, & erroris non sit medium in essendo, est tamen in cognoscendo, ita ut inter hoc, quod est evidenter cognoscere, vel ostendere fallaciam, vel insufficientiam probationis contra fidem,& evidenter cognoscere possibilitatem, vel existentiam mysterii, aut veritatis ejus in se,mediat hoc, quod est evidenter cognoscere negationem impossibilitatis quantum est ex vi rationis oppositæ, ut dictum est; sicut in simili dicimus ibidem 3. par. quòd licet inter esse naturale, & supernaturale, non detur medium, tamen inter cognoscere evidenter aliquod esse, & non esse naturale, & positivè cognoscere, quod est supernaturale datur medium, nempè suspentio judicii circa quod quid est rei &c.

§. II.

Statuitur secunda Conclusio de locis Theologicis.

Decem communiter assignantur loca, ex quibus Theologia sumit sua argumenta. Primus scil. Authoritas Sacræ Scripturæ. Secundus Authoritas traditionum Divinarum. Tertius Authoritas Ecclesiæ Catholicæ. Quartus Authoritas Conciliorum generalium. Quintus Authoritas Summorum Pontificum, & Ecclesiæ Romanæ. Sextus Authoritas Sanctorum Patrum. Septimus Authoritas Theologorum Scolasticorum. Octavus Ratio naturalis. Nonus Authoritas Philosophorum. Decimus Authoritas historiæ humanæ. Conclusio sumitur etiam ex D. Tho. hic ad secundum, ut statim constabit, & quidè magis indiget explicatione, quam probatione &c.

Ex quinque ergo prioribus locis à D. Tho. sub uno cõprehensis, scilicet sub authoritate, quæ divina habetur revelatione, firmissimum argumentum deducitur; ex aliis verò solum probabile, ut statim declarabitur, unde ex his omnibus, alii sunt necessarii, alii probabiles, alii proprii, alii extranei; de quibus latissimè M. Cano de locis, Bannez hic art. 8., & 22. q. 1. art. 10. M. Gonzales hic disp. 8. & à S. Tho. concl. 2., & alii interpretes &c.

Primus locus est Sacra Scriptura, quæ tunc habetur pro canonica, quando ab Ecclesia sic declarata est, sicut declaravit Concil. Trident. quinam sint Canonici sess. 4. Pro his etiam rectè sensu intelligendis attendenda est regula tradita à D. August. & relata à Mag. Porrecta in suis veritatibus aureis; nempè quòd quotiescunque obscurior Scripturæ textus occurrit, tunc ex Sanctorum gestis interpretandus

tandus

tandus est; v. g. dicit Scriptura *nolite jurare omninò* ex alia parte Sancti reperiuntur jurasse, tunc secundùm D. Augustinum glosanda erit scriptura secundùm quòd gesta Sanctorum commonstrant, & non sic simpliciter, ut sonat, intelligenda, & ratio est ex eodem, quia eodem spiritu acti sunt Sancti, quo dictatæ sunt istæ Scripturæ, unde; ut dicemus infrà, hyperbolicè interpretandæ sunt.

Secundus locus ex divinis, & Apostolicis traditionibus sic acceptatis ab Ecclesia traditur etiam ab eodem Concilio ubi supra sic definiente. *Omnes libros tam Veteris, quàm Novi Testamenti; cùm utriusque Deus sit Author, nec non traditiones ipsas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, vel tanquam ore tenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur*. Circa hunc locum plura occurrerent, scil. de nomine traditionum, de distinctione, & earum necessitate; de regulis illas cognoscendi, & demùm de causis tā diuturnæ earum durationis; sed non immoramur; quia alibi de his agitur a. 2. & videri possunt M. Cano lib. 3. c. 3. 4. & 5. & Bellarminus lib. 4. cap. 24. & 9. & novissimè etiam Contenson, præcipuè in primam a. tom. 3. disp. præambula, ubi agit de his locis c. 1. specul. a. & fundantur specialiter in Apost. 2. Thessal. a. ubi ait: *State, & tenete traditiones, quas didicisti, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; ubi subdit D. Tho. *Unde patet, quòd multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis data, & ideò servanda; nam multa secundùm judicium Apostolorum meliùs erat, ut occultarentur, ut dicit Dionysius lib. de Eccles. Hierarch. cap. 7. unde Apost. 1. Corinth. 10. dicit: Cætera cùm venero disponam*. Ratio verò id etiam maximè suadet; quia cælestes veritates non ideò tales sunt, quia litteris, scriptisque traditæ sunt, sed quia sunt à veritate prima inspiratæ, ergo nec rejiciendæ sunt, quia litteris non constant, ut protervè rejiciunt Hæretici moderni &c.

Tertius scil. authoritas, & consuetudo Ecclesiæ tanti ponderis est, ut de illa D. Tho. 2. 2. qu. 10. ar. 12. asserat; *Consuetudo Ecclesiæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet. Unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris*. Et ante ipsum Augustin: Ep. 118. *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, hinc cur ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est*. Unde hac ratione probat ibi D. Tho. non licere invitis parentibus baptizare Filios Infidelium non baptizatorum, qui sub potestate civili Ecclesiæ, vel Principum ejus sunt, quia scil. hoc Ecclesiæ usus nunquam habuit, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, & Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset rationi consonum &c.

Sed hic obiter referam, quæ subdit ibid. M. Ferre circa hanc consuetudinem tract. 2. de oppositis Fidei q. 13. §. 2. concl. 1. pag. 438. num. 4. ubi ait; *Hæc ratio D. Tho. tantùm moralis est, & temporibus D. Tho. majus robur habebat, quàm habeat nunc, forsan quia tunc instantiam non habebat hæc consequentia; Ecclesia non consuevit facere, ergo non licet operari illud &c. sed modò jam exceptionē patitur hæc ratio, cùm videamus ad tempora Scoti solemnitatem*, (scil. Conceptionis, de qua tamen nihil omninò ad præsens ob reverentiam Decretis Pontificiis debitam) *de novo introductam, quam per mille, & trecentos annos Ecclesia non celebrarat*.

Adverto etiam ex eodem circa hunc locum, quòd potest etiam Ecclesia in materia, quæ tantùm probabilis est, pro diversis temporibus variare consuetudinem, unde tunc non valebit; hoc Ecclesia non consuevit facere, ergo hoc fieri non licet; nam potuit Ecclesia non habere prædictam consuetudinem, quia opinionem pro aliquibus temporibus probabilem sequuta est, non verò quia oppositum facere non esset licitum; vel etiam quia facere non expedivit; cum quo benè stat, quòd aliquando expediat; ut patet in simili ex D. Tho. ibidem ar. 10. ubi docet, posse Ecclesiam statuere jus auferendi dominium Infidelium non subditorum Principibus Fidelibus, vel ipsi Ecclesiæ supra Fideles, & tamen id nunquam fecit. Verba D. Tho. sunt: *In illis verò Infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel ejus membris non subjacent, prædictum jus Ecclesia non statuit, licèt posset instituere de jure, & hoc facit ad scandalum vitandum, sicut etiam Dominus Matth. 17. ostendit quòd poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filii, tamen mandavit tributum solvi*.

Ex his etiam patet quid superaddat hic tertius locus supra secundum, quia traditio est vetusti dogmatis propositio, authoritas verò Ecclesiæ se extendit etiam ad nova; & de hoc agit Cano toto suo lib. 4. Victoria relectione 1. & 2. Bannez 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 3. &c.

Quartus ex Conciliis generalibus intelligendus est de approbatis à Romano Pontifice, de quo Cajetanus in primo tract. Victoria relect. 4. Bannez ibidem, & novissimè M. Ferre tom. 1. in 2. 2. tract. 1. q. 15. & Contenson ubi supra cap. 2. specul. 1. Hic verò locus infertur ex præcedenti; nam si tota Ecclesia errare non potest, juxta illud Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; nec etiam errare poterit Concilium generale legitimè congregatum, & approbatum à Romano Antistite, cùm totam Ecclesiam repræsentet, ut innuit Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 18. dicens: *Plenarii Concilii sententia, totius Ecclesiæ confessio est*. Unde Gregorius Magnus quatuor Conciliis generalibus, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi talem se reverentiam protestabatur, ac tanquam quatuor Evangeliis. Et Ambros. Epist. 2. *Sequor*, inquit, *tractatum Concilii Nicæni, à quo nec mors, nec gladius me separabit*. Et Magnus Leo Epist. 78. de rebus apud Nicæam, & Chalcedoneo. definitis ait; *Nullum audemus inira tractatum, quasi dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit authoritas*. Quòd verò ad eorum validitatem, & infallibilitatem requiratur approbatio Summi Pontificis constabit ex sequenti &c.

Quintus scil. authoritas Summorum Pontificum,

quæ

quæ tantæ est infallibilitatis in gubernando Ecclesiã, ot nisi velimus promissionem Christi implendam non esse, nec enrum Fides in ordine ad eam est unquam defectura; pro Petro enim, & Successoribus ejus Luc. 22. vers. 32. rogavit Patrem, dicens; *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; unde, ut benè advertit M. Porrecta 1. 1. qu. 103. ar. 3. ad 3. §. nota versùs finem, Primatus Petri, seu Regimen Pontificis magis pertinet ad Divinum, quàm humanum regimen, cùm Principalis Episcopi, qui in proposito Christus est, & Vicarii sui, qui Petrus cum suis Successoribus est, unus sit quodammodò torus; ad quod annuendum ait Dominus Petro Matth. 16. *Quodcumque ligaveris supir Terram erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super Terram erit & solutum & in Cælis*, Quia igitur Princeps Christus infinitæ bonitatis, infinitæ sapientiæ, infinitæ potentiæ est, & ipse per Vicarium specialiori modo suam regit Ecclesiam, ideò Principatus hic, & Monarchicus, & immobilis, & infallibilis veritatis est, & optimè plusquàm omnia regimina institutus., ut scil. non erret Pontifex in determinando ea, quæ sunt Fidei, ac morum Fidei congruentium; nam cùm Christus in omnibus exanditus sit pro sua reverentia, sequitur, quòd Petrus ut Papa non possit in prædictis errare, & consequenter quòd ipse ut sic à Spiritu veritatis semper in præmissis ducatur, unde rectissimè asserit D. Tho. 2. 2. qu. 1. art. 10. in corp. quòd ad authoritatem Summi Pontificis pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur, ad quem etiam majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in cap. Majores extra de Baptismo. §. Cujus etiam efficacissimam rationem reddit. *Quia una Fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud prima ad Corinth. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; quod servari non posset nisi quæstio Fide de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur*. Ex quo manifestè patet; (ut ibidem etiam concludit) quòd ad ejusdem authoritatem pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi, scil. approbare &c.

Ex his etiam inferimus, mirum valdè esse, quòd voluerint aliqui recentiores infallibilitatem ejus in controversiam deducere, atque etiam impugnare. Etenim si ita est, ut advertit laudatus M. Porrecta in suis Veritatibus Aureis ad cap. 13. Levit. concl. 1. § *Notatio verè aurea*; & tradit D. Th. p. 2. q. 102. a. 5. ad 7. & q. 103. a. 2. ad 3. nẽpè quòd si quandoq; contingeret Sacerdotẽ decipi in judicio Leprosi admittendi ad consortium aliorum, statim Divino miraculo per ritum Legis corporalis sanabatur lepra pro honore Sacerdotis de lata lepræ sententia; quantam curam habebit nunc Deus de Sacerdote Summo nè erret &c. ubique majorem, tum propter honorem Pontificatus nè vilescat, tum propter Ecclesiam nè decipiatur, tum propter eandem Ecclesiam, ut sciat à quo veritatem exquirere debeat. Nam si semel tantùm Ecclesia à Summis Pontificibus se deceptam deprehenderet; perpetuò de ejus fide in ea re dubitaret, unde nunquam ampliùs ad illum recurreret pro habenda firmiter veritate, quòd esset intolerabile inconveniens. Eò vel maximè, quòd antiquo illi summo Sacerdoti, non ità invenitur promissam fuisse indefectibilem veritatem, sicut Petro, & successoribus ejus; unde hoc tam firmiter, & indubitanter tenendum esse admonet idem Magister; *Quòd si per impossibile*; inquit; *Pontifex Maximus in causa fidei judicium falsum proferret, mox divino miraculo succurretur fidelibus aliquomodo; puta, vel quia tale judicium scribere volens non posset, aut contrarium volens scriberet*, (ut de *quodam Pontifice narrari audivimus*) *vel statim in prolatione judicii talis moreretur*. Quia sicut dictum est de Sacerdote synagogæ tam inferiori Papa nostro, ut figura figurato, & cui nec est facta prædicta promissio veritatis, nihilominus tantam curam gessit Deus, ut miraculo ei assisteret ad illius honorem si opus erat; à fortiori inferre libet miraculosã ejus Protectionẽ urgente periculo falsi judicii in nostro, &c. Vid. etiam D. Tho. 3. p. addit q. 25. art. 2. in corp. & q. 40. art. 6.

Nec dicas soli Petro non successoribus ejus factam fuisse promissionem. §. Nam præterquam quòd prædicta infallibilitas veritatis non poterat perpetuis futuris temporibus à solo Petro custodiri, cum non esset solus ipse regnaturus usquead finem mundi; adhuc Matt. 20. habetur extensio hujusmodi promissionis, ut rectè ponderat idem M. Porrecta eadẽ 3. p. addit: quæ 24. art. 1. in append.: nam facta ibi petitione principatus præ Petro in favorem filiorum Zebedæi, (cum essent prælati aliis, ut patet ex admissione ipsorum tantum cum Petro ad suscitationem filiæ Archisynagogi Marc. 5., & ad transfigurationem, 9., & ad orationem in horto, 14.), ut etiam insinuatur secundùm Chrisostomum apud D. Tho. in cat. aurea super Matt. per ly *sedere ad dexteram tuam, & ad sinistram in Regno tuo*. Respondit Dominus, quòd sedere sic, non erat suum dare, sed quibus paratum erat à Patre suo; ut daretur intelligi per illud plurale *quibus*, quòd non uni tantum, sed pluribus, id est non soli Petro, sed etiam successoribus ejus paratus erat idem primatus; & quidem à Patre cælesti, quia nempè fuerat jam ab æterno prædestinatum, & fixum à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quòd talis principatus postmodum à Deo humanato daretur Petro, & cæteris sui vicariis, quòd est etiam esse regimen non purè humanum, ut dictum est, sed de jure divino. §. Sed audiatur D. Bernardus ad unum ex Petri successoribus scil. Eugenium 3. sic Scribens. *Indagamus; inquit; adhuc diligentiùs quid sis; quam geras videlicet Personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es Sacerdos magnus, Tu summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noe; Patriarchatu Abraam; Ordine Melchisedech; Dignitate Aaron; Authoritate Moyses; judicatu Samuel; Potestate Petrus; Unctione Christus, Tu es, cui claves traditæ, Cui oves creditæ sunt; sunt & alii quidem cæli Janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosus, quantò & differentiùs præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, Tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed & pastorum; Tu unus omnium Pastor*. Sed de hoc loco videri possunt Cano lib.

lib. 6. de locis, Caietanus, Victoria, Bannez ubi suprà, &c.

Sextus scil. Authoritas PP. quanti momenti sit patet ex jam insinuatis, & ex praxi Ecclesiæ in suis conciliis generalibus, unde arguendo ex authoritate Doctorum Ecclesiæ arguit Theologia ex propriis, & oppositum judicatur temerariū, & quidem ex adjunctis possunt facere argumentum infallibile, si sit unanimis eorum consensus circà aliquid, quod in materia fidei, vel morum grave sit, quia non sic concordant, ut vidimus, nisi acti divino spiritu, unde communis eorum sensus; ut ait Canoj est ipse sensus Spiritus Sancti. De hoc etiā idē Cano lib. 7. & Baunez dub. 5. & Contensoo cap. 2. speculat. 3., & M. Gonzales hic §. circa sextū, &c. Circa hunc locū vid. omninò monitū D. Th. Opusc. 1. in exordio cōtra errores Græc.

Septimus etiam nempè authoritas Theologorum Scholasticorum si pariter sit unanimis non respuitur sine temeritate, vel sine periculo erroris; quia nec isti dicuntur sic concordare, nisi quia Ecclesia virtualiter ità approbat, vel definit, vel ex scriptura deducitur. In quacunque enim arte peritis credendum est. In hac etiam sede ab aliis reponuntur DD. Canonistæ, vel Decretistæ, sed salva omni eisdem debita reverentia, eorum authoritas videtur magis favere in foro externo, vel pro regimine Ecclesiastico exteriori, quam in materia fidei, vel morum; quia, ut D. Tho. quodlibeto XI. art. 9. ad 1. de illis loquens inquit; *Decretistæ plus sequuntur jus humanum, quam divinum, cum tamen sit plus assentiendum divino*, quam humano, & ideò in his materiis, ut concludit ibidem, quandoque errant; unde Caietanus 22. ad q. 185. art. 3. §. ad hoc quidam dicunt; & M. Soto lib. 3. de justitia q. 6. art. 2. conclus. 10., & lib. 10. art. 7. ad secundum docent Episcopum magis debere esse Theologum, quam Canonistam, quod satis etiam efficaciter probant: unde alibi ibidem M. Soto in his, quæ ad hujusmodi forum interius pertinent, ad Theologos asserit specialiter esse recurrendum. Vid. idem omninò in 4. tom. 2. in Prologo, &c.

Sed quoad istos etiam adverto, quòd authoritas plurium, si in contrarium fiot viri docti licet pauci, non plus roboris habet, quam vel eorum ratio, vel testimonia, quibus eam comprobant, nisi interveniat authoritas Ecclesiæ, quæ alteram partem damnet, vel approbet: præsciodimus verò an authoritas illorum paucorum, vel unius tantum faciat opinionem probabilem, nam de hoc agitur prima secundæ ad q. 19., & quidem contrà illam unius tantùm junioris est decretum Alex. 7. proposit. 27. dānata ubi sic legitur. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem*: sermo est ergo In præsenti de locis arguendi, & probandi veritatem speculativo modo, non de sequenda opinione probabili practicè; ut inquit à S. Tho. &c. De hoc loco videtur Cano. lib. 8., & Bannez dub. ult. &c.

Octavus est ratio naturalis & deservit ut ancilla ad res fidei declarandas, utitur autem, Sacra doctrina ratione naturali ut monet D. Tho. hic ad secundum, *non quidem ad probandum fidem, (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quòd naturalis ratio subserviat fidei, sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati*; *unde & Apost. dicit 2. Corint. 10. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*: & certè cum gentiles, & infideles instructi sint doctrina sæculari, qua veluti castrorum acie impetunt orthodoxam, oportet eisdem armis eos aggredi, & ferire. Qua in re ità excelluit, & rationem fidei D. Tho. servire coegit, ut eruditus quidam, Philosophiæ, ac Philosophorum Apostolum appellaverit, quia quæ ab illis scripta sunt collegit, & in usum fidei vindicavit possessoribus illis injustis erepta, & sordentem per se, parumque, muodam Scholarum barbariem, ut inquit alter eruditus ex nostris, depurgare, atque illustrare aggressus est sapientiæ suæ sole.

De nono verò sive authoritate eorumdem Philosophorum, ità sobdit D. Tho. hìc. Et indè est, quòd etiam authoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt; sicut Paulus actuum 17. inducit verbum Arati dicens; sicut & quidam poetarum vestrorum dixerunt, Genus Dei sumus; sed tamen sacra doctrina hujusmodi authoritatibus utitur quasi extraneis argumentis, & probabilibus. §. Ex quo infertur, quòd Philosophorum ratio, vel authoritas attendendo præcisè ad eorū meritū solū facit opinionem probabilem; ut tamen deducitur manifestè ex aliquo principio naturaliter noto firmum posset facere argumentum, ità ut ex conjunctione ad præmissam de fide ut dictum est, fieret demonstratio theologica, si verò sit solum probabilis, vel topica, pariter conclusio, ut vidimus erit tantòm probabilis, &c.

Decimus etiam historiæ humanæ quantùm est ex propriis facit solum argumentum probabile, si verò similiter conjungatur cum aliqua approbatione superiori, scil. Ecclesiæ, vel scripturæ, ut patet superiori exemplo Pauli approbantis dictum Philosophorum; tunc sortitur majorem authoritatem juxtà modum approbationis ei adjunctæ; sicut pariter firmum est, si contineat traditiones Ecclesiæ, vel acta approbata ab ipsa; unde etiam stando intrà illius limites, si auctores sint accurati, graves, docti, pii, & plures etiam concurrant fide digni in eandem rem gestam narrandam, non licet pro arbitrio detractare eis fidem, & verisimiliora ex ea deducuntur argumenta. Theologis verò specialiter incumbit dare operam historiæ Ecclesiasticæ, quia plura utilia ex illa ad rem suam colligere poterunt, ex quorum defectu apud viros doctos, & eruditos sæpè rudes, & peregrinos maximè his temporibus eorum judicio se exponent.

Verum tamen semper ab ipsis præferenda est ea, quæ narrat acta Conciliorum, & Pontificum, & Ecclesiæ traditiones, & hæreses in Conciliis damnatas; nam ex ea habemus indubitatam authoritatem Concilii: licet namq; ejus definitio non nitatur historiæ humanæ, ut principio veritatis, nisi tamen certò constet de fide historiæ circà Concilium, & authoritatem ejus, qua confirmatum fuit, non poterit ex illo deduci firmum argumentum. Nec etiam poterunt sufficienter sciri definitiones in eo traditæ nisi perspectas habuerimus hæreses illius temporis, & sententias, contrà quas in eo pugnatum est; his enim ignoratis, facilè hærebit circà mentem Concilii. Cæterum quæ purè refert gesta Ecclesiastica; ut plurimum ad or-

ornatum potius, quam ad doctrinam theologicarum quæstionum deservire potest. Agit namque Theologia, ut vidimus, specificativè solum de Deo, & extensivè de actibus nostris, quatenus per illos ordinamur ad illum, & non præcisè de aliis gestis humanis, unde non est tam proprius Theologiæ locus, nisi quatenus interdum utilis est, sicut & proportionabiliter etiam dicit Augustinus 2. de doctrina Christiana, scil. ad clariorem scripturæ intelligentiam, &c.

Sed prohis omnibus, & ad disputationes nostras theologicas rectè dirigendas, placet afferre, quæ passim monet D. Tho. esse in illis observandum, primo cont. gent. c. 2. 8., & 9., de potent. q. 3. art. 5. in 2. dist. 1. q. 1. art. 1., & quodlib. 4. art. 19. in corp. ubi ioquit; *Dicendum, quòd quilibet actus exequendus est, secundùm quòd convenit ad suum finem, disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari: quadam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem an ità sit, & in tali disputatione theologica, maximè utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur, putà si cum judæis disputatur, oportet inducere auctoritates veteris testamenti. Si cum manichæis, qui vetus testamentum respuunt, oportet uti solum auctoritatibus novi testamenti. Si autem cum schismaticis, qui recipiunt vetus, & novum testamentum, non autem doctrinam sanctorum nostrorum, sicut sunt Græci, oportet disputare cum auctoritatibus novi, vel veteris testamenti, & illorum doctorum, quos ipsi recipiunt. Si autem nullam auctoritatem, opportet ad eas convincendos ad rationes naturales confugere. Quadam verò disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & tunc opportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur, alioquin si nudis auctoritatibus magister veritatem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ità est, sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.*

Advertit tamen cap. 2. relato cont. gent. Quòd contrà singulorum errores difficile est procedere propter duo. *Primò quia non ità sunt nobis nota singulorum errantium dicta sacrilega, ut ex his, quæ dicunt, possimus rationes assumere ad eorum errores destruendos. Hoc enim modo usi sunt antiqui doctores in destructionem errorum gentilium, quorum positiones scire poterant, quia & ipsi gentiles fuerant, vel saltem inter gentiles conversati, & in eorum doctrinis eruditi. Secundò (& coincidit cum superiori regula) quia quidam eorum, ut Macometistæ, & pagani non conveniunt nobiscum in auctoritate alicujus scripturæ, per quam possint convinci; sicut contrà Judæos disputare possumus per vetus testamentum; contrà hæreticos per novum: hi verò neutrum recipiunt, unde necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur, quæ tamen in rebus divinis deficiens est.* Unde cap. 8. sequenti circà rationem humanã inquit. Humana igitur ratio ad cognoscendum fidei veritatem, quæ solom videntibus divinam essentiam potest esse notissima, ità se habet, quòd ad eã potest aliquis veras similitudines colligere, quæ tamen non sufficiunt ad hoc, quòd prædicta veritas, quasi demonstrativè, vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus quantumcunque debilibus se mens humana exerceat, dummodò desit comprehendendi, *vel demonstrandi præsumptio, quia de rebus altissimis etiam parva, & debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est*; ut ex dictis apparet, scil. in fine cap. 5. præcedentis. De quibus etiam videri potest par. 1. q. 32. art. 1., & 22. q. 1., art. 5. & M. Porrecta ibidem præcipuè ad 2. §. *Nota* 1.

Ex hactenus dictis in hac disputatione iterom apparet necessitas hujus Sacræ doctrinæ, quæ tot modis, & tam multiplici argumentorum apparatu sustinet, defendit, & roborat causam fidei, & hostibus ejus sive propriis, sive armis extraneis per tot vias resistit, vocando omnes ancillas ad sustinendam arcem. Sed ne prolixiùs in his immoremur ad alia explicanda, vel potiùs delibanda Sacræ Scripturæ pertranseo.

§. III.

Explicatur convenientia utendi Metaphoris in Scriptura; solutis etiam quibusdam objectionibus.

Ex triplici Capite sumitur prior pars de convenientia; primò ex parte Dei, qui juxtà suavem suam providentiam, omnibus providet secundùm quòd convenit eorum naturæ, at est naturale homini, ut per sensibilia perveniat, &c. cũ omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu. 2. Ex parte Scripturæ, ad cujus majestatem pertinet, ut loquatur in misterio, & divinum radium faciat nobis lucere veritate Sacrorum Velaminum circumvelatum, ut tradit Dionys. in 1. Capit. Cælestis Hierarchiç 3. Ex parte hominũ quorũ magna pars rudis est, cum autem Sacr. Scriptura omnibus proponatur secundùm illud ad Rom. 1. Sapientibus debitor sum, conveniens est, ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut sic saltem rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundùm se capiendum non sunt idonei &c.

Sed pro intelligentia adverto, quòd Metaphora apud latinos, idem est, quod translatio, quando semper res aliqua transfertur ad significandam aliam propter aliquam similitudinem, ut dum dicitur Apocal. 5. *Vicit leo de Tribu Juda*, vel Joan. 15. *Ego sum vitis vera, & vos palmites* ly Leo, & ly *vitis* transferuntur ad significandum Christum, & ly palmites ad significandos fideles, ut detur intelligi; quòd Christus est principium, & causa donorum spiritualium, ex quo fideles illa participant.

Ad metaphoram reducuntur alii similes modi loquendi, scil. per parabolas, similitudines, ænigmata &c. quos Græco nomine tropos vocamus. Est enim tropus modus locutionis significantis aliud ex alio, ut etiam Ironia, hyperbole &c. Nam quia Christus, & Apostoli usi sunt hujusmodi modis loquendi sic, ut magna pars intelligentiæ scripturarum in tropis, similitudinibus, & parabolis sita sit juxtà illud Oseæ 12. *Ego Dominus Deus tuus locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu Prophetarum assimilatus sum*;

Secun-

Secundò advertò, quod in his locutionibus metaphoricis rectè intelligendis duo attendenda sunt. Primum, quod juxtà regulam D. Aug. 8. super Genes. ad literam cap. 7. quando voces in significatione propria sensum absurdum, falsumque non dicunt, debent semper in sua propria significatione exponi, nam alias stare non posset firma veritas Sacræ Scripturæ quoad nos, quia recurrerent omnes ad sensum metaphoricum, undè nihil certum ex factis literis haberi posset, si cuilibet liceret ad Metaphoras confugere, ubi nec *contra fidem, nec contra bonos mores*, aliquod inconveniens infertur ex sensu literali proprio &c.

Ex opposito verò, quando in propria significatione reddunt aliquod absurdum tunc confugiendum est ad metaphoricum; nam ex ignorantia hujus metaphoricæ interpretationis, non defuerunt Hæretici credentes Deum habere oculos, manus, & caput, quia sæpè in scriptura fit mentio de his partibus respectu Dei. Undè ex hac regula ab utroque extremo vitioso recedimus; scilicet aliquorum, qui præ delectatione figurativarum locutionum, figuram, vel Metaphoram ibi fingunt, ubi nulla est, & aliorum è converso, qui more Judæorum omnia in propria significatione exponunt, etiamsi metaphoricè scripta sint, de quo etiam infrà quæst. 68., art. 1. in corp. & quæst. 102. art. 1. in corp. &c.

Secundùm, quòd in exponenda Metaphora est valdè necessariũ discretionis judiciũ ne in errores, aut, pueriles ineptias incidamus, unde semper præocnlis habendum est, quod aliud est similitudo, aliud est æqualitas vel identitas; sivè ut alii dicunt, quòd similitudo claudicat centum pedibus, & ideò attendendum est serio ad naturam, vel proprietatem rei, qua metaphoricè scriptura utitur, ità ut ex omnibus illius rei conditionibus, illam præcisè eligamus, in qua fundatur Metaphora, cum hæc utpotè similitudo, non teneat in omnibus; ut v. g. dum Matt. 10. dicitur estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ ad solam illius prudentiam, & hujus simplicitatem, ubi scil. utraque consistit, sistendum est, aliis omissis.

Tertiò adverto, quòd in Sacra Scriptura, ut hic ar. 10. & ad Galat. 4 l. 6. §. Sed hic attendendum est &c. docet D. Thom. non solum voces, sed, & res ipsę sæpè res alias significãt, ut patet; Tũ in superiori exemplo lapidis occurrentis manibus ædificantium, & toties rejecti, & tandem inventi aptissimi ad unionem utriusque parietis, relativè scil. ad Christum lapidem metaphoricè angularem ad unionem utriusque populi, Judæi scil., & gentilis: Tum in aliis pluribus ab initio mundi, ut in interfectione justi Abel à Fratre invido intelligimus occisionem Christi ob invidiam à Fratribus Judæis: Tũ In exaltatione Serpentis Ænei exaltationem Salvatoris in Cruce: Tũ In Lia majore natu, & cæca; cæcitatem Synagogæ. Tum in pulchritudine Rachel, pulchritudinem Ecclesiæ: Tum In Noe inebriato, & in domo propria nudato, & deriso à Filio suo Cham, Salvatorem sic spoliatum, & derisum, & Cham populum Judæorum: Tum In Sansone Amatore meretricis Dalilæ, & multos plures hostes mortuo interficiente, quam vivo; passionem Christi, & amorem in gentes, ex quibus sponsam Ecclesiam elegit, & sic de aliis; Imò in his excellentior est rerum significatio, quam vocum, quia harum significatio sæpe ex placito hominum pendet, illa verò rerum ex Dei voluntate per spiritum suum res quasdam per alias significantis &c.

Sed hic modus significandi rem unam per aliam adhuc dupliciter contingit. Uno modo secundùm translationem per tropologiam, dum scil. non sistimus in rebus, quas propriis nominibus significamus, sed utimur earum nominibus ad aliud significandum secundùm quasdam earundem rerum similitudines, ut dum nomine aquarum, & arborum non res istas, sed homines significamus, secundò dum Author de rebus, quas propriis verbis intelligit, aliquid dicere intendit, & ulterius per easdem mysticè res alias significare. Ex quo oritur duplex Scripturæ sensus scil. literalis, & mysticus per literalem designatus, de quibus infrà; undè Aug. is de Civitate ait, quòd in Scripturis Allegoria quandoque reperitur in vocabulis translatè acceptis, quandoque autem in facto, nam Christus per se & per suos Apostolos docuit, secundùm allegoriam, & figuram mysticarum rerum esse dicta, gesta, & facta ad aperiendum mysteriã Redemptionis nostræ; Undè Apost. 4. relato ad Galat. de duobus Abrahæ Filiis uno de ancilla, & altero de libera, duo testamẽta intelligenda monstrans dicit hæc esse *per allegoriam dicta; idest per alium intellectum subdit* D. Thom., *nam allegoria dicitur ab Allo* inquit ibid., *Quod est alienum, & Goge, ductio, quasi in alienum intellectum ducens*.

Facta autem hujus generis sunt oblationes Abel pastoris ovium, & occisio ejus à Cain fratre Agricola, Arca Noè, Sacrificium Melchisedech panem, & vinum offerentis &c. Hæc, & alia hujusmodi non humana voluntas, sed Christus per se, & suos Apostolos aperuit, ut insinuatum est; esse dicta, gesta, & facta secundùm allegoriam, de qua etiam monet D. Thom. eadem lect. quòd aliquando sumitur pro quolibet mystico intellectu, aliquando verò pro uno tantum ex quatuor infrà referendis &c.

Sed ad pleniorem horum notitiam placet quædam opponere, ac solvere, quæ contrà principalem difficultatem militare possunt. Primò contra rationem D. Thom. nam videtur minus probans; quia nempè, quòd in omni cognitione deberemus perpetuò uti metaphoris, cum omnis habeat ortum à sensu, cui innititur ejus ratio.

Secundò quia in cognitione supernaturali procedimus per descensum à Deo ad creaturas, ut docet D. Thom. 4. cont. gent. c. 1. & patet ex modo, quo specialitèr hic procedimus in Theologia prius agendo de Deo uno, & Trino, deinde de Creaturis, ergo cum usus Metaphoræ sit oppositus, nempè per ascensum à corporeis ad spiritualia, vel à creaturis ad Deum, non videtur conveniens Sacræ Scripturæ, vel Theologiæ &c.

Tertiò quia iterum in hujusmodi cognitione Dei, & aliorum supernaturalium videtur intervenire falsitas, ac deceptio, dum per similitudines metaphoricas repræsentando corporalitèr spiritualia, res concipitur alitèr, quàm sit.

Quartò; quia cum intellectus contrapossitivè ad voluntatem procedat per viam assimilativam, scientia ejus, vel cognitio fit per assimilationem sui ad rem scitam, vel cognitam, sed assimilatio illius, utpotè potentiæ spiritualis, major est, cum rebus divinis, ac Spiritualibus, quam cum corporeis, ac materialibus, ut sunt objecta metaphorica, ergo, &c.

Quintò quia juxtà Philosophum 2. post. t. 22. discursus

scursus scientificus, utpotè importans distinctam, ac univocam unionem extremitatum cum medio, tenetur abstinere ab omni obscura, & æquivoca locutione, aut metaphorica, ergo nequit Theologiæ, utpotè scientiæ, convenire.

Ad primum n. ant., quòd sit nimis probans; ad probat. annexam dist., & explico; deberemus perpetuò, loquendo de debito simplicitèr, vel omnibus modis, & absolutè, nego, debito veluti morali, sivè convenientiori, & faciliori con:, nam cum sit connaturale homini per sensibilia cognoscere, opportet, ut per Metaphoras spiritualia cognoscat, si velimus, ut juxtà modum sibi connaturalem cognoscendi facilè, & convenientèr illa cognoscat, quidquid sit, quòd absolutè, & simplicitèr sine alio circuitu, aut comparationibus metaphoricis possit eadem cognoscere cum sola dependentia à phantasmatibus, ut ex Cajet. docent hìc à S. Tho., & M. Gonzales, unde quando D. Dionysius ait impossibile esse aliter lucere nobis divinum radium nisi veritate sacrorum velaminum circumvelatum, id intelligendum est, vel propter eandem dependentiam à phantasmatibus; vel de impossibilitate juxta suavem sui providentiam, quia sic statuit tradenda esse mysteria juxtà nostrum connaturalem modum intelligendi &c.

Ad secundum dist. ant. in cognitione judicativa conc. aprehensiva, nego; sic enim invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ut dicitur Rom. 1. undè rectè utuntur Sacra Scriptura, & Theologia Metaphoris, & similitudinibus rerum corporalium, ut faciliùs homo, & meliùs aprehendat supernaturalia, & divina, quamvis in judicando alitèr contingat; unde in aprehensione, quæ pertinet ad ordinem naturæ, Paganus, & Catholicus, non differunt, sed in judicio; & ideò in judicio supernaturali est descensus, nam prius judicamus de divinis, & deindè descendimus ad humana, & de his etiam judicamus in ordine ad divina. Undè acutè D. Thom. 2. 2. qu. 15. art. 3. in corp. ait; quod *perfectio intellectualis operationis in homine cõsistit in quadam abstractione à sensibilium phantasmatibus*, quam M. Ferre ibid. tract. 11. de oppositis fidei q. 19 §. 4. n. 25. dicit esse judiciũ discretivũ rei incorporeæ à re corporea, per cujus connotationẽ cognoscitur. sivè, ergo descendamus, sive ascendamus utimur Metaphora, & similitudine rerum materialium, quatenus etiam Spiritualia, & veritates fidei cognoscimus per connotationem ad corporalia; sed cum discrimine, quòd loquendo de cognitione judicativa descendimus prius judicando de divinis, quæ sunt per modum regulæ omnium cognoscibilium; de aprehensiva verò ascendimus à creatura ad Deum, judicanda tamen in ordine ad divina, ut dictum est &c. Videatur ibidem D. Tho., & q. 8. præced. ar. 7., & 1. par. q. 84. art. 7., & M. Ferre, ubi supra latè examinans literam D. Thom. quæ satis juvare possunt ad vitandum in his, aut similibus graves errores antiquos, & modernos, sivè revocatos ad lucem, & proximè damnatos ab Innoc. XI. &c.

Ad tertium similitèr respondetur, quòd dum adest hujusmodi discretivum judicium, ut egregiè explicat ibi M. Ferre non est periculum erroris. Sed præterea ex eodem D. Thom. infrà q. 13. art. 12. ad 3., & q. 14. ar. 6. ad 1., & q. 85. ar. 1. ad 1., & 1. contragent. c. 3. (& aliquomodò coincidit) quod intelligere rem alitèr quam sit, duplicitèr contingit; uno modo ex parte objecti; ut si existimem rem spiritualem in se esse corpoream, ut olim errarunt Anthropomorphitæ, ideſt, qui Deum habere humanam formam arbitrati sunt; alio modo ex parte intellectus, quatenus in intelligendo non servat modum, quem habet res in se, nam materialia, (& sic de aliis;) intelligit modo, spirituali, & in hac alietate intelligendi rem, nulla intervenit falsitas, vel deceptio, quia modus intelligendi non transit ad rem intellectam, nec attribuitur, imò medio superiori judicio discretivo, & recto, sivè materialia intelligat modo spirituali, sivè spiritualia repræsentativè, aut connotativè, ut in casu; ad materialia, judicat rei intellectæ non convenire in se talem modum, aut prædicatum termini connotati.

Ad quartam distinguo, & explico ma. sit per assimilationem præcisè naturalem; sivè in esse naturali, nego, intentionali c., & tunc n. mi. quia cum hæc naturalitèr loquendo fiat mediis speciebus abstractis à sensibus, potest intellectus prout sic magis assimilari sensibilibus, quam divinis &c.

Ad ultimam iterum dist., & explico ant. discursus scientificus proùt speculativè tantũ procedit inferẽdo conclusiones con. & sic est intelligendus Philosophus; practicè persuadendo, vel exhortando, nego, Theologia autem, ut vidimus, non solum est speculetiva, sed etiam practica, undè non solum procedit purè speculativè demonstrando, sed etiam exhortando ideò potest legitimè uti Metaphoris salvo conceptu scientiæ. Quamvis etiam aliæ scientiæ utantur quandoque Metaphoris, quia, ut advertunt M. Bannez, & M. Gonzales hìc ad 1. in 1. parte scientiæ etiam speculativæ, vel demonstrativæ, licitum sit, uti illis quasi parificando, ut patet ex Philosopho 1. Phisicæ; ubi per Metaphoram ad artificiata probat esse duo principia in ente naturali; licet non liceat, ut dictum est, in 2. parte, ubi scientia infert conclusiones &c.

Ex dictis colligi potest in quo sensu passim Scripturæ loquantur; nam enigma frequentissimum est, præsertim in Apocalypsi, & in Canticis Ironia etiam, quam simulatam locutionem vocamus, pluribus in locis reperitur, nam plures ibi locutiones non assertivè, sed ironicè interpretandæ sunt, ut Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, & 3. Reg. 18. ubi Elias illudens falsis prophetis ait v. 27. *Clamate voce majori Deus enim vester est, & forsan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur*. Aliæ verò hyperbolicè, sivè cum excessu veritatis sinè mendacio; ut Matt. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omninò*, & 19. ibid. v. 24. *Faciliùs est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in Regnum Cælorum*, & Luc. 10. v. 4. *Neminem per viam salutaveritis*, & idem est, ac dicere, properate, & sic de aliis hujusmodi &c.

§. IV.

Aperiuntur sensus Sac. Scripturæ.

De his sensibus agit D. Thom. hìc art. 10. efficacitèr ostendens, quomodo sub una litera habeat plures sensus; undè primò dividit in literalem, seu historicum, & spiritualem, sive misticum; Hic autem trifariam iterũ dividitur nempè in allegoricũ, moralem, & anagogicum, vel tropologicum. Literalis

ralis est, qui immediatè habetur ex vi literæ; spiritualis verò per rem, quam primò litera significat. Rursus literalis dividitur in tres partes, scil. in Historiam, Ætiologiam, & Analogiam: Historia est, quæ simpliciter gesta narrat; Ætiologia, quæ significat causam alicujus dicti; sicut cum Dominus Matt. 19. assignavit causam libelli repudii nempè propter duritiam cordis eorum; Analogia verò est, cum veritas unius Scripturæ ostenditur non repugnare veritati alterius; ut passim occurrit in testamento novo; & in epistola ad Romanos, & ad Galat &c.

Primam autem divisionem in literalem, & Spiritualem probat D. Tho. ex eo, quod, ut jam insinuavimus, Auctor *Sac. Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum, accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideò cum in omnibus scientiis, voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces etiam significent aliquid. Illa ergo significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis qui super literalem fundatur, & eum supponit.*

Alteram deindè spiritualis in alios tres probat ibidem. *Sicut enim dicit Apost. ad Hebr. 7. lex vetus figura est novæ legis, & ipsa nova lex, ut dicit Dionis in Eccles. Hierarc. c. 5. est figura futuræ gloriæ. In nova enim lege ea, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundùm ergo, quòd ea quæ sunt veteris legis significant, ea quæ sunt novæ legis, est sensus allegoricus; secundùm verò, quod ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis; prout verò significant ea quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus*; idest sublimis, & sursum ducens ad intelligentiam cælestium, & divinorum in Patria; quæ his versibus comprehenduntur &c.

Litera gesta docet, quid credas, Allegoria
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia.

Hæc patent in hac dictione *Jerusalē*, quæ significat *historicè* præcipuam Palestinæ Urbem; *tropologicè, vel moraliter* animam justam, & Sanctam; *Allegoricè* Ecclesiam militantem. *Anagogicè* Ecclesiam triumphantem; undè *Historia* docet factum; *Tropologia*, faciendum; *Allegoria* credendum; *Anagogia* appetendum. Et hæc omnia iterum ex D. Tho. ubi supra ad Galat. 4. lect. 7. poterant explicari sic, v. g. dum dicitur *Fiat Lux* ad literam de luce corporali, pertinet ad sensum literalem; Si verò intelligatur *fiat lux*, id est nascatur Christus in Ecclesia; pertinet ad sensum allegoricum. Si autem dicatur, *Fiat lux*, idest, ut per Christum introducamur ad gloriam, pertinet ad sensum Anagogicum. Si tandem *Fiat lux*, idest per Christum illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu, pertinet ad sensum moralem.

Difficultas tamen adhuc est primò, an isti quatuor sensus reperiantur etiam in Novo Testamento: nam Abulensis ad cap. 13. Matth. qu. 28. negat de allegorico, ex eo, quòd iste contingit, quando res gestę significant aliquid pertinens ad Ecclesiam Militantem, vel ad Christum; sed in novo non narrantur res gestæ, quæ sint figura Militantis Ecclesiæ, quod etiam videtur docuisse Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 3. ubi id de Veteri Testamento affirmat &c.

Nihilominùs oppositum est communis consensus aliorum Doctorum, & sumitur ex illo, quod narratur Matth. 21. de ingressu Christi in Hierusalem sedentis super asinam, & pullum ejus, quo facto ultra literalem sensum, tres alios ex doctrina Sanctorum Patrum intelligimus mysticè significari, mox scil. allegoricè, unde Chrysostomus ibidem ait, quoòd ita Dominus prophetias adimplebat, ut alterius prophetiæ initium daret, quæ futura erant ipsis factis significando; mox tropologicè, nam deinde inquit idē: Mihi verò non solùm in asina videtur, verùm etiam, ut vivendi Philosophia nos erudiret; regulam enim nobis præbet, nè majora, quàm necessarius usus exigat, requiramus; & Divus Hieronymus explicat factum illud Apost., quòd posuerint vestimenta sua super jumenta, significare, quòd Ecclesiastica dogmata necessaria sunt, ut Christus sedeat super animam; mox tandem analogicè; nam idem Hieronymus, Remigius, & Origenes factum illud Christi figuram ajunt fuisse ingressus ejus in Cælum. Passim etiam Sancti Patres explicant multa Christi miracula, & facta allegoricè de distinctione Populi Judæorum, & Gentilium, sive de conversione eorum, vel de distinctione electorum, & reproborum in futuro judicio.

Ex his ad argumentum neg. mi: quia cùm Christus esset utriusque Populi Judæorum, & Gentium Caput, suis factis, ac mirabilibus non solùm antiqua adimplebat, sed etiam futura in Ecclesia figurabat; unde satis opportunè multa ejus facta allegoricè explicantur à Sanctis &c.

Ad Augustinum verò dicimus, solùm velle, quòd in illo sit allegoria frequentior, non tamen negare de Novo, ex eo quòd affirmet de Veteri; est enim argumentum ab auctoritate negativum, quod nisi fundetur in aliquo positivo excludente non habet vim, ut 3. p. qu. 84. ar. 4. in Append. monet in simili M. Porrecta, unde in Mysteriis Fidei præcipuè urget negativū sic fundatum: qua ratione negamus Patrem, & Spiritum Sanctum esse incarnatos, quia in Scriptura id non constat; nam licèt negetur ex auctoritate negativè, quia tamen est positivum de Incarnatione Filii, de isto tantùm secundùm Fidem affirmare licet &c.

Quod si dicas, etiam in casu est positivum de Veteri, ergo dum de isto tantùm affirmat, erit juxta Augustinum negandum de Novo, sicut negatur de Patre, & Spiritu Sancto, quia est positivum de Filio. §. Respondetur distinguendo ant. est positivum excludens, nego, non excludens, concedo, & nego consequentiam, quia cùm idem Mysterium (& sic de aliis) solùm manifestetur per revelationem, eo ipso, quòd de una affirmatur, & non de aliis Personis, ex sola non manifestatione istarum fundata in affirmatione alterius rectè negatur de illis, unde positivum in his est veluti excludens; cæterum in aliis auctoritatibus positivum præcisè non excludit, nisi aliundè constet de intentione Auctoris, vel quia intendit enumerare, vel explicare omnia; vel aliter ex serie sui Scripti &c.

Adverto tamen ex D. Tho. Quodlib. 7. q. 6. ar. 2. ad 5. circa hujusmodi divisionem sensuum in Sacra Scriptura, non esse necessarium, quòd in qualibet

sui

sui parte sit prædictis quatuor exponenda, sed quandoque quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantùm; unde illud *fiat lux*, ut dictum est, quatuor exponitur; sicut similiter illud Psal. 86. vers. 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; nam ad literam exponi potest de Civitate Jerusalem, allegoricè de Ecclesia; moraliter de mente forti; anagogicè de æterna, aut cælesti Patria.

Si autem quæras quomodò possit certò colligi in Sacris Literis sensus litteralis? Respondetur, illum esse, vel qui à Sanctis omnibus acceptatur, vel qui ex necessitate colligitur secundùm contextum ex præcedentibus, & sequentibus; vel qui à Concilio, vel à Summo Pontifice ex professo assignatur; ita M. Banez hic dub 4. & videri potest M. Cano lib. 7 de Locis. Non desunt tamen plura loca in Sacra Scriptura ita obscura, ut in eorum sensu litterali discrepent inter se Theologi, etiam SS. Patres. Videatur M. Ferre 2. 2. quæst. 12. §. 10. &c.

Circa assensum etiam moralem advertit D. Tho. quodlib 7. q. 6. ar. 2. ad 3. quòd iste, ut etiam innuimus, non est omnis sensus, per quem mores instruuntur; sed per quem instructio morum sumitur ex similitudine aliquarum rerum gestarum; sic enim moralis sensus est pars spiritualis, ita quòd nunquam sit idem sensus moralis, & literalis. §. Si iterùm quæras quis ex prædictis duobus prævaleat, & sit magis à Deo intentus, literalis an spiritualis? §. Respondetur plerumque esse spiritualem; quia sæpè est de rebus altioribus, scil. de Christo, & Ecclesia; unde est nobilior, & à Spirito Sancto magis intentus; quod etiam satis clarè tradit Apost. 1. Corinth. 9. vers. 9. ubi relato illo antiquo præcepto Deut. 25. *Non ligabis os bovi trituranti*, statim subdit: *Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hæc dicit? nam propter nos utique scripta sunt?* Unde dum hic ait D. Tho. in fine: *Sensus literalis est, quem Auctor intendit*, Intelligendus est non quia sèmper magis intendatur, sed quia primò, & proximè; quamvis ergo literalis dicatur certior quoad nos, & aliquo modo potior, quãdo tamẽ habet mysticum conjunctum, (ut sæpè accidit) tunc dicitur prævalere spiritualis; hic enim, ut dicit Origenes se habet, ut animus; literalis verò ut corpus, unde dicit Apostolus: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*, 1. Corinth. 8. Et licèt etiam ex solo sensu literali certum argumentum sumi dicatur, ut innuit D. Tho. hic ad 1. cum D. Augustino dicens: *Ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quæ secundùm allegoriam dicuntur*; id tamen intelligendum est, quando de allegorico certò non constat per scripturam, aut aliundè; nam cùm sit sublimior, non ita facilè innotescit, sicut literalis, qui ex verbis ipsis constare potest, unde si de allegorico, & spirituali certò constet, magnam vim habere dicitur ad fidem faciendam, & firmum præbet argumentum, ut patet ex illo superiori: *Non alligabis os bovi trituranti*, ex quo probat Apostolus alendos esse Ministros Evangelii, ut explicat ibi D. Tho. lect. 1. dicens: *Non alligabis &c.* id est, *Non prohibebis Prædicatorem vivere de Evangelio. Triturare enim est separare granum à paleis, quod facit Prædicator abstrahendo animas à terrenis, discernendo virtutes à vitiis, separando utilia à vanis. Hierem. 15. Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.*

Itaque quando sensus spiritualis est certus ex alio loco literali Scripturæ, tunc sumitur ex illo certum argumentum; nam aliàs nisi fulciatur aliquo literali, non est idoneus ad confirmandum veritates Fidei, ut loquit D. Tho: q. 2. in Prolog. Sent. ar. 5. ad 2. ex D. Augustino de Doctrina Christiana; unde nullus sensus Scripturæ, qui non fundatur in litera Scripturæ, censetur aptus ad comprobandam veritatem ejus &c. Sed de his videatur M. Gonzal. sect. 5. Ex quo inferimus juxta communem consensum Thomistarum, sensum accommodantium, (quem aliqui contendunt apud sacros Scriptores canonicos,) non esse annumerandum inter sacros sensus, intendit per S. Scripturã, vel quibus usus, quos Spiritus S. est per eosd. canonicos Scriptores, quia dũ isti utuntur aliquo loco antiquioris Scripturæ utuntur illo ad comprobandam aliquam veritatem Fidei, ut latè probat, vel inductivè M. Ferre hic q 7 §. 4. in omnibus locis, in quibus contrarii existimant inveniri hunc sensum, sed iste, ut dictum est, non est aptus ad probationem ejusdem veritatis, cùm consistat in eo, quòd id, quod dicit Scriptura de uno, applicetur deinde alteri, non quasi dictum de utroque, sed solùm per quandam accommodationem, vel allusionem, quatenùs congruit huic, cui accommodatur; quo pacto etiam adduci possunt historiæ prophanæ, ergo Canonici Scriptores, dum sic procedunt, non sunt præcisè interpretandi de tali usu; esset enim valdè debilitare eorum auctoritatem, & probationem; eò vel maximè, quòd res significatæ per verba Scripturæ Sacræ, quæ ex antiquiori Scriptura recitantur ab illis, fuerunt figuræ rerum, quas historicè narrant, ut facilè constare poterit in locis adductis à contrariis; cur enim negabimus, duas olivas, & duo candelabra, de quibus fit mentio in Apoc. 11. & locutus est Zacharias fuisse figuram Eliæ, & Enoch; & sic de aliis; unde hujusmodi probationes apud prædictos Scriptores, non præcisè in hoc sensu, sed in aliquo primario, vel secundario, nempè literali, vel mystico accipiendæ sunt &c.

§. V.

Expeditur altera difficultas de pluralitate sensuum literalium.

Vidimus jam, quòd sub una litera plures sensus contineantur, sed est adhuc dubium, an etiam contineantur plures literales, quia negat Michael Medina lib. 6. de recta in Deum Fide c. 25. & refertur etiam Adamus in Præfat. super Isaiam. Oppositum tamen tenent jam communiter Theologi cum D. Tho. hic, nempè posse unum locum Scripturæ duos habere sensus literales, etiam prout ab eodem Sacro Scriptore proferantur. Quod probat D. Th. ex eo, *quia verò sensus literalis est, quem Auctor intendit: Auctor autem Sac. Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. Confess. c. 18. 19. 20. 24. & 31., si etiam secundùm literalem sensum in una litera Scripturæ plures sint sensus.*

Dixi ab eodem Scriptore; nam quòd habeat, si à diversis, sive prout citatur in Veteri Testamento

ha-

habeat unum literalem, & prout in novo alium literalem videtur satis manifestum, & patet in pluribus locis, nam dictum illud: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*; 2. Reg. 7. de Salomone ad literam intelligitur; Hebræor. verò 1. applicatur Messiæ ab Apostolo in sensu literali, & sic de aliis. Et reverà non tantùm iste locus, sed & omnes, qui in novo Testamento, sive à Christo, sive ab Apostolis, sive ab Evangelistis adducuntur ab aliquid probandum, duplicem sensum literalem habent, unum secundarium, alium principalem; secundarius est, qui tunc in antiquo Testamento verificabatur, v. g. quòd Salomon pro tempore bonæ vitæ suæ esset Filius adoptivus; quòd lapis materialis sæpè ab ædificantibus reprobatus, esset postea aptissimus ad unionem duorum parietum in unum angulum; quòd Populus Israeliticus pro Filio Dei adoptivo habitus exierit Ægyptum, tanquàm ab Ægypto à Deo vocatus &c.

Principalis verò, qui in Novo Testamēto impletur; nempè quòd Christus per Salomonem figuratus sit verus Dei Filius, tanquam figuratum super excedens figuram: quòd Christus per lapidem figuratus, multoties reprobatus sit à majoribus Judæorum, & deinde aptissimè conjunxerit duos Populos, scil. Judaicum, & Gentilem in unam Fidem, ut habetur Matth. 21. Quòd Christus à Populo Israelitico figuratus sit, & post moram in Ægypto ob persecutionem Herodis, posteà à Deo Patre vocatus sit ex Ægypto per Angelum dicentem Joseph: Surge, accipe Puerum, & Mariam Matrem ejus, & vade in Terram Israel; ut Matth. 2. Ratio deinde est, quia cùm certum, vel efficax argumentum modo explicato ex solo sensu literali trahi possit, ut etiam monet Augustinus in Epistola contra Vincentium Donatistam, teneremur asserere, quòd dum Christus, & Apostoli, vel Evangelistæ probant intentum suum per auctoritates Veteris Testamenti, non probarent efficaciter, vel maximè in his, in quibus apud infideles Judæos, quorum conversationi, vel potiùs justæ confutationi insistebant, tanquam in argumentis firmioribus, vim magnam facerent, quod nefandum esset asserere. Præterquamquòd si in hoc sensu Prophetas non adducerent; non solùm eos non convincerent, sed potuissent ab eisdem redargui dicentibus, quòd sensus, in quo Prophetas adducebant, non erat ab illis literaliter intentus, qui tamen aliàs, ut in superioribus; præcipuus est, & ideò quod credere nolebant ob insufficientiam talium motivorum, quod est alienum. Est ergo uterque admittendus, tanquam duplex ille spiritus, quem Elisæus ab Elia 4. Reg. 2. postulabat, alter tanquam secundarius pertinens ad antiquum; alter principalis ad Novum Testamentum, quia finis Legis Christus est, & ideò literalis pro Christo à Prophetis intentus, principalis est; unde si apud aliquem Auctorem alicubi inveniatur, quòd antiquæ illæ sententiæ in Novo Testamento adducantur in sensu mystico, intelligi debet de mystico, vel spirituali non contrapositivè ad literalem, sed ad literalem talem, scil. sensum magis occultum; nam literalis antiquus erat manifestus, literalis verò præsens, sive Novi Testamenti, est satis occultus, & solùm Prophetis, qui omnes ad dies Messiæ prophetabant, notus: unde hic mysticus accipitur pro literali occulto, ad differentiā literalis manifesti &c.

Quòd autem eadem pluralitas sensus literalis reperiatur etiam sub uno Scripturæ loco constat in variis ejusdem locis, tum in Veteri, tum in Novo Testamento. Nam illud Isa: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, ad literam significat exitum utriusque Filii, scil. adoptivi per gratiam, sive Israelitici, & naturalis, scil. Christi, de quo inquit Matth. *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam ex Ægypto vocavi Filium meum*: similiter prophetia Danielis 19. nempè, *Et erit in Templo abominatio desolationis*: de utraque desolatione Templi Hierosolymitani literaliter exponitur, altera facta à Rege Antiocho, de qua 1. Machab. 1. altera à Romanis, de qua Matth. 24. Illud etiam Psal. 2. *Ego hodie genui te*: de æterna Christi Nativitate ad literam intelligitur ab Apost. ad Hebr. 1. & iterùm de ejus Resurrectione ab eodem Act. 13. Demùm illud Deuteron. *Os non comminuetis ex eo*; ad literam ibi præcipitur de Agno Paschali, & deinde etiam de Christo crucifixo literaliter intelligitur ab Evangelistis, dum dicunt, ut adimpleretur Scriptura; os non comminuetis ex eo.

In Novo etiam Testamento, quòd dicitur Mat. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, mox secundùm literam à Patribus interpretatur de Christo; mox ab aliis de Petro; ab aliis de Fidei confessione, & videri potest D. Tho. ibidem, ubi ad hanc petram refert etiam lapidem illum, quem Jacob Genes. 28. supposuit capiti, & unxit; à qua *unctione*, inquit D. Tho. *Omnes dicti sunt Christiani, unde non solùm dicimur Christiani à Christo, sed à Petra &c.*

Ratio omnium est, quam insinuat D. Tho. ubi supra ex D. Augustino; nam Auctor Sacræ Scripturæ est Deus simul omnia suo intellectu comprehendens, sed quia simul omnia perfectè comprehendit, volens plura significare per res significatas per verba, plures intendit sensus spirituales, ergò volens plura significare per voces, vel verba, plures sub sub una litera intendet literales &c.

Rem ducamus ad praxim cum M. Serra hìc dub. unico. Etenim de Sacra Scriptura dupliciter loqui possumus, vel prout est in suo fonte, vel originali hebræo, vel græco; vel ut est in aliqua translatione authentica, qualem esse nostram editionem vulgatam statuit, & declarat Concil. Trident. sess. 4. Si de illa priori modo, fit manifesta pluralitas literalis in tot, tamque diversis translationibus, quæ aliud non sunt, quàm Hebraici originalis plures interpretationes literales; si verò posteriori modo, videtur etiam certissima eadem pluralitas; nam vox latina correspondens utrique originali hebraicæ, & græcæ, aliquando habet eandem amplitudinem significationis, & quandoque etiam majorem, ut patet in illo 2. Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*. Nam hæc vox latina virtus ampliatur ad virtutem, quæ est habitus, & ad illam, quæ est potentia, & tamen in originali græco constat determinatè pro potentia, quia in illo non habetur *Areti*, quod significat habitum virtutis, sed *Dinamis*, quod significat potentiam.

Contra tamen hanc pluralitatem oppones, primò contra rationem D. Tho. quia si semel inferenda est pluralitas sensuum, ex eo quòd Deus est Auctor omnia simul suo intellectu comprehendens, eodem motivo inferenda esset unitas, scil. quòd totius Sac.

Scrip-

Scripturæ unicus esset sensus, cùm tota nobis explicet unicum Dei conceptum, quo omnia sine ejus multiplicatione comprehendit, ergo &c.

Secundò, nam juxta pariter D. Tho. hic ad 1. non infertur ex multiplicitate sensuum æquivocatio in Scriptura, quia non est multiplicitas significata per vocem, quasi una vox multa significet, sed quia res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa, quatenus omnes sensus fundantur super unum scil. literalem, ergo nisi velimus, vel quòd D. Tho. insufficienter respondeat, vel quod detur æquivocatio in Scriptura, non videtur admittenda pluralitas sensus literalis &c.

Urgetur hoc. Nam admissa hac pluralitate, non solum ex eadem litera sumi potest æquivocatio, vel occasio erroris, sed etiam videtur inutilis constitui ad inferendam conclusionem, & convincendos infideles, quia dum Theologus utitur illo loco in uno sensu, dicet Hæreticus, vel Judæus esse alium sensum literalem, ergo &c.

Urgetur ulterius, quia non est verosimile, quòd Sacer Scriptor eadem voce plura significare voluerit, vel ob prædicta inconvenientia, vel quia unum tantum sensum mente concipiebat, ergo unicus erit tantum sensus literalis in una litera; prob. conseq. quia illa est tantum literalis, quem Sacer idem Scriptor intellexit, ac exprimere voluit, aliàs in scribendo se haberet, ut amanuensis dumtaxat, aut ut irrationale quoddam instrumentum, ergo &c.

Tertiò denique: nam ex eo contenditur hæc multiplicitas literalis, nè scil. cogamur concedere plura testimonia veteris testamenti afferri in novo, in sensu tantum spirituali, non literali, sed nullum est in conveniens hoc admittere, cum sensus spiritualis, vel allegoricus, si de eo constat magnam vim habeat ad fidem faciendam, ut dictum est; multaque in eo implicita esse affirmari potest, ergo, &c.

Ad primum, nego sequelam, & suppositum ejus, quòd pluralitas attendatur in ordine ad conceptum divinum secundū se, sed magis in ordine ad nos, qui cum eminentiam divini unico conceptu ex haurire, vel adæquare non possimus, indigemus hac multiplicitate sensuum, ut aliqualitèr illum percipiamus, qui licet etiam sit unus formalitèr, est tamen virtualitèr multiplex, unde poterat retorqueri &c.

Ad secundùm respondetur D. Thom. solvere ibi argumentum contra pluralitatem sensuum spiritualium quasi ex ista sequatur confusio, & deceptio, vel æquivocatio, & consequenter inefficacia argnendi ex Sac. Scriptura; unde recurrit ad hoc, quòd cum æquivocatio specialiter committatur, si semel committitur; quando una vox multa significat, nullum potest esse periculum æquivocationis, vel confusionis ex multiplicitate spiritualium, quia isti non sumuntur ex multiplicatione significationis per vocem, sed rerum significatarum per illas, quatenus possunt esse signa aliarum rerum, & tandem fundentur super unum, scil. literalem: ex quo solo potest modo explicato trahi argumentum, unde plenissimè solvit illud; quidquid deinde sit, an id solum sufficiat ad incurrendam æquivocationem; nempè quòd una vox multa significet, & tunc dicimus, neque id sufficere, sed etiam requiri, quòd significet multa, ut multa, quod non contingit in casu, quia pariter hi literales semper habent inter se aliquam proportionem, & similitudinem; & per hæc patet ad primam confirmationem &c.

Ad secundam, nego suppositum ant. quòd hæc pluralitas præcise attendatur ex intentione Scriptoris, sed magis Sācti Spiritus, qui voluit plura per verba significare; imò nec tenetur Sacer Scriptor omnia intelligere, quæ scribit; sicut in simili dicit D. Tho. 2.2. quæst. 173. ar. 4. in fine corp. de veris Prophetis, non opus esse, quod omnia cognoscant, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit. Neque hinc sequitur, quòd sit purum amanuensis, vel instrumentum irrationale, sed solum quòd sit instrumentum deficiens, qua ratione negat ibi, D. Tho. de Prophetis; non enim adæquant conceptum divinum, vel intentionem Spiritus Sancti, licet non reputetur inconveniens, quòd aliquando Sacer Scriptor plures sensus literales intellexerit Deo illi revelante, ut de S. Ioan. Evangelista satis constare potest in illis verbis Caiphæ Io. 11. v. 50. *Expedit vobis; ut unus moriatur homo pro populo*; in quibus duos literales agnovit, alterum à Caipha conceptum, alterum à Spiritu Sancto intentum, pempè quòd Caiphas id à semetipso non dixit, sed Prophetavit nesciens. Unde D. Tho. q. 4 de potentia ar. 1. in corp. versus medium inquit. *Non est incredibile Moysi, & aliis Sacr. Scripturæ Auctoribus, hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea, quæ sub una serie literæ designarent.*

Ad tertium, nego, ma., non enim ob timorem, sed ob alia superiora motiva id asserimus; quamvis etiam, ut insinuatum est, & §. sequenti amplius constabit, in testimoniis veteris testamenti in novo relatis, præcipuè, quæ in Christo, & in Ecclesia impleta esse dicuntur, duplex literalis esse dicatur, alter purè literalis, alter cum allegorico mixtus, quem etiam mysticum dicimus, quia est occultus; at quia est etiam intentus à Spiritu Sancto in vocibus illorum testimoniorum, dicitur pariter literalis, imò literalis principalis, quia, utpotè prout sic importans figuratum, est principale illius intentum, de quo statim &c.

§. VI.

Duo Corolaria, ex dictis.

EX dictis, & juxtà D. Tho. hic ad tertium duo inferimus, quòd sensus literalis, qui correspondet vocibus, duplex est, alter secundùm quòd per vocem significatur aliquid propriè; alter verò secundùm quòd per illam significatur aliquid figuratè. Prior, ut dictum est; vocatur propriè literalis, posterior verò mixtus cum allegoria, unde idem sensus, qui etiam dicitur allegoricus; quandoque etiam vocatur, estque necessariò literalis, quod est valdè notandum ad totius Sac. Scripturæ, ubicunque de allegoriis agitur; verā intelligentiā: v.g. Sacer Scriptor, ut Psalmista &c. per aliquam rem antiquitus gestam à se ipso historicè narratam intendit prophetare, sive procol fari, de pertinentibus ad futurum tempus, quod est tempus novi testamenti, tunc sensus talis intentus vocatur allegoricus, & in isto etiam importatur literalis mixtus, sive allegoricus sapiens literalem, ità ut voces, quibus narratur factum

ctum antiquum, relatæ ad idem factum important sensum purè literalem, relatæ verò ad figuratum, quod principaliter intendit Propheta scribens, important allegoricum, sive literalem mixtum cum allegorico &c.

Explicatur hoc sumendo v. g. Psalmum, quem frequenter legimus tertium in ordine. In isto namque David compendiosè, prout de more, narrat persecutionem sui excitatam ab Absalon 2. Reg. 15. cum glorioso sui, & ignominioso Persecutoris eventu, ubi ad duo respexit, scil. ad factum persecutionis, & ad figuratum illius, scil. ad Mysterium Christi in illo tanquam in occulto significatum, ut illud propheticè nobis indicaret, veluti rem realiter faciendam: primum importat sensum purè literalem, qui est ille Historicus antiquus; posterius verò literalem mixtum, sive mysticum de Christo prophetatum; quia, ut dictum est, mysticus etiam potest dici literalis, non enim dicitur contrapositivè ad istum, sed ad manifestum, cùm hoc nomen *mysticum* latinè interpretetur occultum, & quia etiam, ut vidimus, potest esse intentus per voces, quibus correspondet literalis, sed quia tamen non correspondet illis propriè, sed figurativè, non dicitur purè literalis, sive manifestus, sed mixtus, sive literalis occultus; scil. in persona, vel etiam universaliùs ut res in re. §. In persona quidem, ut in illa Absalonis &c. subintelligitur persona Cyphæ, Pharisæorum, aliorumque Christi tunc persecutorum; sub persona verò David intelligitur Christus. In re autem facta ab Achitophel, scil. quòd se suspendit desperatus, intelligitur Judæ traditoris suspensio præ desperatione. In exaltatione verò David post persecutionem patienter toleratam, introspicitur à verè sapientibus exaltatio Christi post Judaicam persecutionem incessabili patientia ex obedientia, & Charitate acceptatam. In confusione tandem, dispersione, occisione &c. persecutorum David, confusio, dispersio, occisio &c. persecutorum Christi. Et sic de cæteris similibus allegoriis mysticis &c.

Sed pro ampliori hujus, & totius Sac. Scripturæ intelligentia adverto, quòd cùm totum vetus Testamentum nihil aliud sit, nisi imago, & figura novi grosso modo lineata, & depicta, ut dixit, & probavit D. Augustinus in lib. contra Faustum, ita ut nullum mysterium in veteri dictum, scriptum, aut factum sit gratia sui, sed in gratiam novi, sive ad præfigurandum, & prænunciandum mysteria Christi, & Ecclesiæ in Testamento novo futura, duos Spiritus Sanctus in Legis, & antiquorum Prophetarum Scriptis sensus literales habet, unum principalem, qui est tanquam finis; alium secundarium, seu minùs principalem, qui scil. ordinatur ad priorem, ut ad sui finem. Principalis est qui pertinet ad novum Testamentum; alter verò, qui ad vetus; unde principalis vocatur simul allegoricus, & literalis, sed sub diversa ratione: allegoricus quidem, quia est de Christi, & Ecclesiæ mysteriis à veteri Testamento significatis; literalis verò, quia est à Spiritu Sancto in vocibus veteris Testamenti loquente principaliter intentus; nam ut vidimus ex D. Tho. hìc, sensus literalis est, quem Auctor per voces significare intendit, sive propriè, sive figurativè, ut explicat ad 3. &c.

Quòd si opponas, quòd in sensu allegorico juxta D. Tho. hìc, & veritatem, non sunt voces puta David, sed res, putà persona ejus, quibus aliquid significatur, ergo non videtur posse literalem, sive habitum per voces confundi cum allegorico, sive habito per res. Respondetur primò, distinguo; & simul explico juxta D. Tho. ant. non sunt voces, ut significant propriè, concedo, figurativè, nego; nam prout sic ingrediuntur modo explicato forum allegoricum, quod simul est, ut vidimus; literale mixtum, quod non dividitur contra allegoricum, sed contra literale purum, sive manifestum. §. Secundò respondetur, quòd sicut voces in his Scripturarum allegoriis, dum figurativè significant, induunt aliquomodò modum rei, quatenùs intrant, ut dictum est, forum allegoricum; ita res similiter induunt modum vocis Deo illis utente tanquam vocibus. Nam sicut ipse, ut dicitur Rom. 1. vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, ita in talibus Scripturarum locis accipit res illas ad significandum tanquam voces, ut nempè salvetur sensus literalis in illis allegoriis, unde non sunt purè allegoriæ, sed allegoriæ sensum literalem continentes, qui prout mixtus cum allegoria vocatur literalis principalis, ut dictum est, (de quo etiam utpotè conveniente cum parabolico, seu metaphorico, quem D. Tho. comprehendit sub literali,) videatur idem in relata solutione ad 2. &c.

Sed adhuc instas, quia juxta D. Tho. hìc in corpore sensus literalis dividitur contra spiritualem trifariam dictum, ut vidimus, scil. moralem, allegoricum, & anagogicum, ergo nequit allegoricus esse literalis, sed erunt hi duo sensus perpetuò separati; hæc enim est conditio, condivisorum inter se. §. Huic instantiæ patet ex dictis; fide dist. & expl. ant., literalis purus, conc.; mixtus, nego; & sic est intelligendus D. Tho. quando literalem dividit, aut separat ab allegorico, unde sicut datur literalis purus, & mixtus, ita & duplex allegoricus, purus, & mixtus, sive continens literalem, unde non omnis allegoricus dividitur contra literalem, sed tantùm allegoricus purus. Discrimen autem inter utrumque sumitur ex eo, quòd licèt uterque istorum fundetur super literam Scripturæ; mixtus tamen fundatur ibi ab ipsis ejusdem Scripturæ canonicis Scriptoribus; nam cùm intendant sensum literalem historicum, vel purum, à fortiori intendere debent sensum literalem mixtum, qui est finis illius, juxta regulam illam in lib. Topicor.; si de quo minus videtur inesse, inest; de quo plus videtur, magis inerit; cæterùm purus fundatur ibi ab aliquibus aliis hominibus, sæpè enim reperiuntur ex his, quorum intellectus perspicacitas nititur ex sibi occurrentibus Scripturis eruere per se allegorias; & ideò dicuntur puræ, quia sunt factæ à puris hominibus, id est ab his, quos de necessitate salutis, Spiritu Sancto dictante locutos fuisse, credere non tenemur, cùm Fides nostra tantùm innitatur revelationi, Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta, ut tradit D. Tho. art. 8. &c.

Hanc dualitatem sensus literalis puri, & mixti, vel ipsis Christi inimicis, scil. Scribis, & Pharisæis, aliis in Lege Doctis fuisse notam negandum

P non

non est; & constare etiam potest ex uno ab illis descendentium scil. Rabbi Salomone, dum super Zacharism dicit, quòd non sunt locuti Prophetæ nisi ad tempora Messiæ; & ex altero scil. Rabbi Moyse de Ægypto, dum in suo libro lumine dubiorum dicit, quod ceremonialia legis non sunt gratia sui, sed sunt absolvenda per Messiam: Tum quia, ut dicebamus, iidem scribæ, & Pharisei, utpotè adeò infensi, ut vel etiam in sermone eum capere tentarent, Matt. 22., non omisissent arguere illum taxando de Scripturarum ignorantia, quando audiebant eum adducentem dicta veteris testamenti in sensu allegorico, (ut sæpè procedit in Evangelio) nisi cognovissent, quòd talis sensus esset literalis figuratus, & pro tali cognitus, & prænunciatus à Prophetis, unde ex tantorum, & Doctorum dictis, & inimicorum taciturnitate, non leviter arguitur hæc eorum præfata notitia. Se de his videatur Mag. Porrecta non solùm hic in Append. sed etiam tom.1. in psalter. ad psalm.1. fol.25., & sequenti &c.

Secundò etiam principaliter colligimus sensum literalem nec esse nocivum, nec mortiferum, ut aliqui existimarunt, quos suppresso nomine refert M. Ferre hic q.7.§ 8. ex Julio Rogerio in suo Opusculo de sens. Sacræ Scripturæ. Nam si, ut patet ex dictis; est intentus à Spiritu Sancto, quem certum est nec mentiri posse, nec fallere, nec velle nos perdere, & vel ipse etiam magister veritatis expressè commendat Matt. 19., dum approbat ibidem illud Genes.2. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Unde D. Tho. hic ad 3. concludit, quòd *sensui literali Sac. Scripturæ nunquam potest subesse falsum*. Et in laudem; & usum illius videri possunt Sancti Patres, Athanasius in sermone ad illud; *Inveri ntis pullū alligatū*; Chrysostomus in proœm, in psal. Hieronym.in Amos.4. August.de genes.ad lit. 8., ubi ait. *Sanè inquam, quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt secundum literam accipere; idest non aliter intelligere, quam litera sonat, & potest evitare blasphemias, & omnia cōgruentia fidei Catholicæ prædicare, non solum ei est invidendum, sed præcipuus, multumque laudabilis intellectus habendus est*.

Sed pro recta eorum intelligentia, & plurium solutione, quæ opponi poterant, & adducit M. Ferre §.9 adverto ex eodem ibidem, sensum literalem Scripturæ esse duplicem, alium in re verum, & germanum, alium solum apparentem. Primus est, quem revera Spiritus Sanctus intendit secundùm rectum ejus significatū, & de isto firmiter dicimus, nec nocivum, nec mortiferū esse, sed magis laudabilē, ut potè omninò veracē, & consequenter nec reijciendum, cū nulla veritas justè reijci possit. Apparens autem est, quem litera aliquādo sonare videtur, vel qui plus nimiò, aut quasi superstitiosè regulis grammaticalibus adstringitur, cum tamen Spirit. Sanctus non illis obligetur, sed magis super illas plena libertate imperet, unde intentio ejus non est accommodanda his regulis, sed magis è contra; nec attendenda ex puro sono literæ, ac syllabarum, sed ex recto earum significato, unde ajebat Augustinus. *Non enim sonum literarum, ac syllabarum, sed quod ipse sonus significat, & quod, eo sono verè, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere*.

Ex quibus duplex resultat sensus apparens; alter ex sono secundum translatam, ac figuratam locutionem expressus, qui est satis frequens in scriptura; ut dum v.g. scriptura nominat brachium Domini, aut aliud quid simile figurativè pronunciat; tunc sensus literalis apparens est id, quod sonat litera, scil. membrum corporale; sed verus, & germanus est virtus operativa Dei, quia, ut hic tradit D. Thom. ad tertium, in his figurativis locutionibus non ipsa figura est literalis sensus, sed figuratum, & ideò concludit, ut dictū est; quòd sensui literali nunquam potest subesse falsum. Alter verò est, qui ex propriis quidem eruitur; sed magis tamen attenditur ad rigorem, vel sensum grammaticalem, quam ad intentionem Spiritus Sancti; ut dum Ezechielis 20. dicitur, quòd *dedit Deus præcepta non bona*; & secundæ Corint.3. quod *litera occidit, spiritus autem vivificat*, & sic de aliis. Si attenderemus ad sensum grammaticalem viderentur divina præcepta esse reprobanda, vel legem veterem fuisse malam, ut volebant Manichæi, cæterum attendendo ad intentionem Spiritus Sancti est utrobique, & in omnibus similibus legitimus, unde in priori, ut explicat D. Thom.1. 2. quæst 98. ar.1. ad 1. fit sensus, quòd præcepta, de quibus ibi loquitur Dominus, scil. ceremonialia, dicuntur non bona, non quia rectè non sint instituta, sed quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur, cum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent, unde idem sonat, non bona, quòd imperfecta, quæ quidem imperfectio congruebat pro statu illo, scil. figuræ deficientis à figurato, sive statu gratiæ, vel mysteriorum Christi & Ecclesiæ, ut dictum est. In secundò etiam est sensus, ut exponit ibidem q.99. ar. 2. ad 2. ex D. Augustino lib. de spiritu, & litera cap.14. tom.3., Nempè quod *etiam litera legis quantum ad præcepta moralia occidere dicitur occasionaliter, in quantum scil. præcepit, quod bonum est, non præbent auxilium gratiæ ad implendum*, & hoc etiam congruebat pro eodem statu, quia cum lex nova sit lex gratiæ, *opportuit primò, quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere*, ut inquit idem infra q. 106 ar. 3. imò ex Apost.5. ibi. *lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum superabundavit, & gratia*. Nec propterea inferendus est defectus divinæ providentiæ respectu illius status; quia quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, scil. fides mediatoris, per quam justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur, & sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia, ut inquit, ubi supra q.98. ar.2. ad 4., & videri potest loco relato ad Corint.

Ex quibus inferimus, quòd si alicubi Sancti Patres videntur reijcere sensum literalem de apparente intelligendi sunt, non de vero, & intento à Spiritu Sancto, quam hic verax, utilis, & salutaris est, licèt non ubique servandus, nec in eo semper sistendum est, sed ad spiritualem progrediendum, qui tamen cum literali non pugnat, sed proportione quadam illi optimè correspondet, Dei semper implorato auxilio ad rectè intelligendum, & attenta explicatione Patrū, & judicio Ecclesiæ de vero sensu ad rectè procedendum, cū munus Ecclesiæ, sit judicare de vero sensu, & interpretatione Script. secundùm Trid. sess.4. &c.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
DE DEO, ET EJUS ATTRIBUTIS.

CUm Sacra Doctrina, sive Theologia habeat pro subjecto sui specificativo Deum, sitque impressio Divinæ Scientiæ, & consequenter, non tantum scientia, sed etiam Sapientia utens lumine Divinæ Revelationis, ut dictum est; recto ordine post tractatum de illa immediatè descendimus, ad hunc posteriorem de Deo, quia ubi desinit sapientia hūmana, ibi incipit Divina. Unde in quinque disputationes dividemus, dicturi; in prima de existentia Dei; in secunda de existentiæ illius demonstrabilitate; in tertia de ejus natura, & quiditate; in quarta de attributis illius in communi; in ultima de illis in particulari.

DISPUTATIO PRIMA
De existentia Dei.

DUo principaliter inquirimus in hac disputatione; alterum est, quomodo sit per se nota hæc propositio *Deus est*; alterum verò an de existentia Dei possit dari ignorantia invincibilis, sive in primo instanti usus retionis, sive post illud, quibusdam præmissis circa divisionem propositionis per se notæ.

QUAESTIO PRIMA.
An hæc propositio Deus est *sit per se nota secundum se sed non quoad nos.*



DE Deo, non pront confusè significatur termino aliquo communi, ut sub ratione boni ut sic, vel beatitudinis, est sermo in presenti; nam prout sic cognoscere illum, est nobis naturaliter insertum, inquit D. Tho. hìc ad primum, sed prout in singulari significatur hoc nomine *Deus*, secundum quòd importat ens necessarium à se existens, incausatum, & quòd sit aliorum causa, & id quod optimum est, & quo majus, aut meliùs excogitari non potest, ut tradit idem primò Cont gent. cap. 11., & hic ad 2., & infrà quæst. 13. ar 8. ad 2., & sumitur ex Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap 6. ubi ait *Omnes latinæ linguæ peritos, cum aures sonus istius vocabuli* Deus *tetigerit, monet ad cogitandum excellentissimam quandam, immortalemque naturam.*

§. PRIMUS.
Quibusdam præmissis circa divisionem, & quiditatem propositionis per se notæ referuntur sententiæ.

SUpponimus ex lib. poster., & ex D. Thom. hic, & ibi. in 1 lect. 5. scil. propositionem per se notā dividi in per se notam à se, & quoad nos; & in per se notam secundùm se tantū, & non quoad nos. Utrumque explicat primò hìc ad mentem Philosophi, scil. quòd est illa, cujus prædicatum non solum includitur in ratione subjecti, vel est de ratione ejus, sed etiam termini illius sunt tales, quòd sunt in notitia omnium, sicut ens, & unum, & alia, quę cōvenient enti, in quantum ens, nam ens est prima conceptio intellectus, unde oportet, quod tales propositiones non solū in se, sed etiam quoad nos quasi per se notæ habeantur, sicut non contingit idem esse, & non esse, & quod totū est, & non est majus sua parte, & similia &c. unde & hujusmodi principia omnes scientiæ accipiunt à Metaphysica, cujus est considerare ens simpliciter, & ea, quæ sunt entis. Altera vero est cujus termini non sunt apud omnes noti, unde licet prædicatum sit de ratione subjecti, tamen quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium, quòd talis propositio ab omnibus concedatur; sicut hæc, omnes recti anguli sunt æquales, quantum est in se est per se nota, sive immediata, quia æqualitas cadit in definitione anguli recti, non tamen apud illos, qui prædicatum, & subjectum propositionis ignorant; & ideo contingit, quòd quædam sunt communes animi conceptiones, & per se notæ apud sapientes tantum. Hanc divisionem reijcit

Molinæ hic q. 1. art. 1. in proprietate loquendo, licet enim admittat de objectis, vel significatis propositionum, sive de propositionibus objectivis, seu fundamentaliter acceptis, non tamen de ipsis propositionibus, sive de formalibus, ut sunt in intellectu, vel voce. Cæterum dum se opponit D. Tho. necessè est etiam, ut arguat Philosophum de impropriete locutionis, cum sit unū ex primis ejus rudimentis in bona Dialectica, &c.

Deindè id patet apertissimè, nam quælibet propositio, in qua prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, idem apud omnes sive sapientes, sive ignorantes indispensabiliter significat, cum sit essentialis, vel necessaria connexio, & consequenter immobilis inter prædicatum, & subjectū, & tamen certissimum est plures ex illis non constare ex terminis apud omnes notis, ut patet in exemplo adducto à D. Tho., & statim constabit in propositione tituli examinanda. §. Præterea est etiam certissimum, ut patet in priori ejus exemplo, & in aliis similibus, quas vocamus Dignitates, quòd ex hujusmodi immediatis, & essentialibus, vel necessariis constant aliquæ exterminis ità patentibus, quòd nullus hoc ipso quòd rationalis est, ignorare valet. §. Tandem etiam certissimum est alias ex eisdem, quas dicimus Positiones, constare exterminis solum notis apud peritos in scientia, ad quam pertinet, ut iterum patet in posteriori exemplo, vel dum dico; *Incorporalia non sunt in loco*, ergo tenemur omninò propriè loquendo non solum præfatam divisionem admittere, sed de ipsis etiam propositionibus, & non solum de objectis, &c.

Sed instas ex eodem, quem sequuntur Arriaga, & Smising, quatenus negant dari propositionem notam secundùm se, & non quoad nos. Extrema propositionum dupliciter concipi, vel explicari possunt, nempe confusè, & insufficienter ad manifestandam convenientiam prædicati cum subjecto; vel ità distinctè, ut ex ipsis terminis statim appareat, sed in hoc posteriori sensu est per se nota utroque modo, in priori autem neutro, ergo non datur sic per se nota discretivè secundùm se, & non nobis, sed erit omnis per se nota utroque modo, vel neutro, &c.

Respondetur in primis negando suppositum maj. quoad priorem partem; quòd si semel sunt extrema necessariò, vel essentialiter connexa possint ità confusè significari, ut amittant rationem noti per se, quidquid sit, ut dictum est, quòd ignoratis terminis non appareat eorum connexio, vel convenientia, unde non ex insufficientia cognitionis erunt ignotæ, sed subjecti ignorantis terminos, &c.

Sed deindè dato transeat ad maj. distinguo min. quoad secundam partem; in priori autem neutro; si id contingeret ex vi suæ significationis, quòd sive sciens, sive non sciens quiditatem objecti ejus pervenire non posset ad eandem notitiam convenientiæ extremorum, transeat, vel concedo, si solum ex defectu subjecti intelligentis, nego, tunc enim erit nota secundùm se, & non quoad nos, unde attendendo ad propositiones secundùm se, vel ad meritum significationis earum, semper altera erit secundùm se per se nota, &c.

Sed instas prædicatum semel conveniens secundùm se debet perpetuò & respectu cujuscunque convenire, qua ratione probetur in Logicis naturam non esse secundùm se universalem, quia aliàs in omni statu etiam in singularibus hoc prædicatum ei conveniret, ergo propositio semel secundùm se per se nota debet esse nota per se respectu cujuscunque intelligentis, &c.

Huic instantiæ præter ea, quæ diximus in Logicis circa prædicatum universalitatis respectu naturæ, & prædicabilitatis de pluribus specie distinctis respectu differentiæ athomę; Respondetur ex dictis suprà de illo evidentiæ respectu sciētiæ distinguendo ant; debet perpetuò convenire, eo modo, quo convenit per se, concedo; aliter nego, ratio autem per se noti convenit propositioni non præcisè quoad actuale exercitium, sed quoad exigentiam, & prout sic perpetuò convenit, ut dictum est de eadem evidentia respectu Theologiæ, vel scientiæ subalternatæ, cæterum universalitas neutro modo per se convenit naturæ secundùm se, sed tantùm negativè, seu non repugnanter, vel permissivè in utroque statu, &c.

Sed est adhuc aliquale discrimen circa præfatā divisionem inter Thomistas, an præter utrumque membrum jam assignatum, sit aliud admittendum, scil. propositionis per se notæ quoad nos, & non secundùm se, quatenus scil. secundùm se habet medium, nobis tamen est certa absque indigentia medii; ut *nix est alba*, quia patet sensui, unde non indiget probari, licet detur causa albedinis, ut statim constabit; & ideò recentiores aliqui, inter quos Marleta hic controversa prima referens Capreolum in primò dist. 2. q. 1., Nazarium hic controversa 1. conclus. 3., & Xantes Mariales controversia 12. cap. ultimo tom. 2. q. 2. de Esse, existimat esse addendum hoc tertium membrum, & videtur favere Illustris. Godoii hic disp. 2. §. 3. n. 34., quatenus ait causalem D. Tho. hic art. 1. nempè *Ex hoc aliqua propositio est per se nota, quòd prædicatū includitur in ratione subjecti, ut homo est animal*, intelligendam esse de causa sufficienti ad rationem per se noti, non de necessaria, quæ scil. importat non solum universalem affirmativam, ut facit sufficiens, sed etiam exclusivam, vel exceptivam, ut si dicatur, *quia aliquid est rationale est intellectivum proximè*; hæc enim causalis est sufficiēs, non adæquata, vel necessaria, quia licet inferat universalem affirmativam, quòd omne rationale sit intellectivum, non tamen excludit, vel excipit à ratione intellectivi omne aliud à rationali, ut patet in Deo, & Angelis, qui licet rationales non sint, sunt tamen intellectivi; & hoc, inquit, sufficere ad intentum D. Tho.; scil. ad probandum, quòd propositio enuncians existentiam de Deo sit per se nota secundùm se, cum existentia sit de intrinseca ratione Dei. Favet etiam idem Illustris. suprà §. 2. n. 22. concl. prima in eo, quòd in probatione ejus, rationem propositionis notæ per se secundùm se non præcisè reducit ad carentiam medii probativi, sed ad non indigentiam illius. Videtur etiam favere M. Serra hic in expositione art. 1. &c.

Hunc modum dicendi retulimus etiam in lib. poster. tract. ultimo q. 5. §. 1., & aliquomodo admisimus; id tamen velim non esse in sensu rigoroso intelligendum, sed magis largè pro eo quòd facilè non strictè loquendo de propositione per se nota, pro exclusiva medii probativi, unde ma-

magis videtur dicenda propositio nota, quam per se nota, sicut in simili dicit idem Illustris. hic n. 18. in fine, nempè quòd propositio cognita per discursum, potest quidem esse nota discurrenti, non tamen per se nota, sed potiùs nota per aliud, scilicet per medium probativum, cui discursus innititur, unde longissimè distant hæ duæ rationes noti, & per se noti; prima enim est veluti superior, & communis ad rationem noti sive per se, sive per aliud; posterior verò importat determinatam rationem noti, scilicet ex propriis per exclusionem medii probativi; unde ad primam sufficit quòd innotescat, sive id contingat mediatè, sive immediatè; ad secundam verò requiritur quòd immediatè, nam si semel sit propositio nota per medium, magis erit dicenda notificata, quàm per se nota.

Crediderim ergò cum M. Ferre propriè loquendo, & in rigore dialectico præfatam divisionem in priora duo membra, scilicet per se notæ secundùm se, & quoad nos, & per se notæ secundùm se, & nō quoad nos esse adæquatam; tum quia prædicta propositio *nix est alba*, rigorosè loquendo non est per se nota quoad nos, cum verè, & propriè sit scibilis, & demonstrabilis à nobis per medium verè probativum, nempè per tale, vel tale temperamentum, ex quo oritur, quòd nix sit alba, ergò non est per se nota tantùm quoad nos, & consequenter insufficiens ad constituendum propriè tertium membrum; probatur prima consequentia quia à superiori ad inferius negativè tenet consequentia, ut vidimus in Summulis, & patet dum dico non est animal, ergò non est tantùm animal, ergo cum esse per se notum quoad nos sit quid superius ad esse per se notum tantùm quoad nos, & non tantùm, propositio non per se nota quoad nos, non erit per se nota tantùm quoad nos.

Deinde quamvis dicatur per se nota, quia patet sensui, ex hoc tamē nō fit nota sufficiēter ad artificiū dialecticū in processu demōstrativo, ergò in rigore dialectico non est sufficiens ad ponendum in numero cum aliis membris in prædicta divisione; consequentia tenet, quia ad hoc præcipuè deserviunt hujusmodi instrumenta logicalia; antecedens verò probatur; tum quia est de prædicato accidentali, & contingenti, vel non incluso in ratione subjecti, nec identificato prædicabiliter, aut per modum proprii cum illo; tum quia experimentalis notitia sensus, non sufficit ad infallibilitandum intellectum circa cognitionem objecti, imò sine divina protectione quandoque illam sequi, posset esse deceptio, ut patet in materia Sacramentorum, & innuit D. Tho. 3. par. q. 76. ar. 5. ad 2. ubi ait, quod *intellectus, cujus est proprium objectum substantia* (ut dicitur in 3. *de anima* tex. 26.) *per fidem à deceptione præservatur, &c.*

Denique id videtur satis urgere causalis D. Tho., quæ non purè exemplificativè, aut sufficienter, sed adæquatè, & exclusivè videtur accipienda, quia videtur primò definire propositionem per se notam, deinde eam dividit in utrumq. superius membrum, ergò videtur magis se habere per modum definientis, quàm purè exemplificantis, aut sufficienter manifestantis propositionem per se notam, unde etiam alibi de illa loquens ex professo q. 10. de veritate art. 12. & 1. cont. gent. c. 10. & 4. Metaphysicæ l. 7. nunquam meminit hujus tertii membri. Contra hunc modum possent aliqua opponi, quæ quia tamen militant contra rationem D. Tho.; de his infra opportunè, ne eadem repetamus, &c.

Instas tamen specialiter sic. Supposita sensuum experientia, statim sine medio venimus in cognitionem talium propositionum, ergo quoad nos sunt immediatè sufficientes ad constituendum tertium membrum, scil. per se notæ tantùm quoad nos, ant. patet iterum experientia, &c.

Huic instantiæ omissis variis solutionibus, quas subtiliter adducit M. Ferre, distinguo, & explico ant. statim venimus; attendendo præcisè ad meritum earum, nego, quia cum secundùm se habeant medium intrinsecum, sunt secundùm se scibiles, & demonstrabiles, unde magis exigunt per illud probari, quàm sine illo apparere: attendendo ad vim, vel meritum experientiæ sensuum, subdistinguo, statim venimus; contingenter, & fallibiliter, quantùm est quandoque ex vi Judicii sensus, vel etiam juxtà mobilem convenientiam prædicati cum subjecto ut dictum est, concedo; unde non videntur sufficientes quantùm est ex se ad constituendam rationem noti per se, & consequenter nec rationem noti per se tantùm quoad nos, &c.

His præmissis est secunda sententia extrema, & aliæ mediæ; Prima sentētia extrema negat tā secūdùm se quàm quoad nos. Pro hac referuntur Scotus in 1. dist. 2. Ocham dist. 3. q. 3. Gabriel q. 4. & alii, quos sequuntur Arriaga tract. de Deo uno disp. 2. sect. 1. rejiciens ut supra præfatam distinctionem propositionis per se notæ, &c.

Secunda extrema affirmat esse per se notam utroque modo. Hæc tribuitur B. Alberto Magno in sum. tract. 3. q. 7. D. Bonaventuræ in 1. dist. 8. art. 1, q. 2. Ægidio Carthusiensi, Lirano, Aureolo, Alensi, & aliis, & videtur subscribere Vasquez hic disp. 19. c. 3. in eo quòd asserit sibi hactenus non esse probatum, (sed immeritò ut constabit) quòd non sit per se notū quoad nos.

Tertia media concedit esse quidem per se notam nobis, non tamen omnibus, sed tantùm sapientibus. Pro hac etiam adducuntur plures ex relatis pro secunda, & expressè tenet Albertus p. 1. sum. tract. 3. q. 17. & sequitur Raphael de Aversa q. 2. sect. 1. dist. 2. & videtur etiam inclinare M. Jo. à S. Tho. hic disp. 3. art. 1. concl. 1. §. *Secunda pars in fine*, ubi ait: Quare tales propositiones; (scil. Deum esse, & similes) solùm sunt per se notæ sapientibus, id est supposita sapientiā, seu discursu, non autem absolutè sunt per se notæ ex sola explicatione terminorum ante omnem discursum, sicut quòd incorporalia non sunt in loco, vel Angelus est intellectivus. Cæterum ut jam insinuavimus; quod fit notum per discursum non est de linea per se noti, sed tantùm noti, vel notificati, ergo si Deum esse soli discurrenti est notum, non est per se notum; nisi fortè velit, ut inquit Illustrissimus Godoy; quòd supposito discursu detur in nostro intellectu notitia existentiæ Dei distincta ab illa, quæ per discursum habetur, innitens solis terminis prædictæ propositionis, discursu ad hoc deserviente ut ejus termini explicentur.

Quarta distinguit de Deo sub conceptu Deitatis; & quatenus est à nobis conceptibilis sub ea ratione, qua potest à nobis naturaliter cognosci, scil. primæ causæ incausatæ, vel simili; & de illa priori

modo

modo affirmat esse per se notam, licet à nobis viatoribus non possit sub ea ratione cognosci, quod est per accidens, nec impedit rationem per se noti in propositione; negat autem posteriori modo. Ita Theodorus Smixing hic q. 1. & 2. disp. 1. &c.

Ultima tandem est jam communis Thomistarum affirmans esse per se notam secundùm se, non tamen nobis viatoribus. Ita D. Tho. in Primo dist. 3. q. 1. art. 2.; De potentia q. 7. art. 2. ad ultimum; De veritateq. 10.; Lib. 1. cont. gent. c. 11. & hic q. 2. art. 1.& sequuntur Capreol. in Primo dist. 2. q. 2. art. 1. Ferrara ad idem cap. 11. c. gent. Caiet. Banez, Zumel, Nazarius, Navarrette, Gonzales, Gonet, M. Ferre §. 5. & alii Thomistæ, &c.

§. II.

Statuitur duplex Conclusio.

PRima. Hæc propositio *Deus est*, sive existit, est per se nota secundùm se: sumitur ex D. Tho. ubi supra, & præcipuè hic art. 1. ubi ait: *Dico ergo, quòd hæc propositio Deus est quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum est idem cum subjecto: Deus enim est suum esse, ut infra patebit.* Ex quibus probatur sic. Illa propositio est per se nota secundùm se, cujus prædicatum est idem cum subjecto, vel includitur in ratione ejus: sed hæc *Deus est*, est hujusmodi. ergo est per se nota secundùm se; consequentia tenet, & præmissæ constant; major quidem, quia illa est per se nota secundùm se, quæ quantum est ex se., vel non habet, vel non indiget medio ab extremis distincto ad sui evidentem cognitionem, sed propositio, cujus prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, vel idem cum illo, non habet, vel non indiget ad sui evidentem cognitionem medio ab extremis distincto, cum sit immediata in materia necessaria, unde eo ipso, quòd extrema sic immediatè connexa perfectè cognoscuntur, statim apparet immediata eorum connexio, cum non sit assignabile medium impediens evidentem ejus cognitionem, vel necessariò conducens ad illam, ut patet ex terminis, ergò cujus prædicatum est de ratione subjecti, vel idem cum illo, est per se nota secundùm se. min. verò, quia Deus est suum esse, ut probatur q. 3. sequenti art. 4. & patet cum Deus sit actus purissimus, & ens per essentiam, ergò nequit per aliud dici, aut constitui existens, sed est identificans sibi esse, vel includens illud in ratione sui, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Quod est formalis ratio essendi seipso immediatè existit, sicut quod est formalis ratio videndi seipso immediatè videtur, ut patet in luce, & in aliis rationibus formalibus, qua ratione ostendimus in primo Physic. materiam, & formam, quia, ut potè essentialiter actus, & potentia; sunt formalis ratio recipiendi, & actuandi, seipsis immediatè uniuntur, aliàs ad rationem formalem deberet dari alia ratio formalis in infinitum: tum quia ratio formalis in eo genere in quo est formalis ratio, est primum, nec potest admittere aliud prius, aliàs non esset talis, sed Deus ex eo, quòd est ens per essentiam est formalis ratio totius esse, & implicat in terminis, quòd concipiatur in eo aliquid prius per modum rationis essendi, sive respectu sui, sive aliorum, ergo existentia immediatè, & formaliter illi convenit, ergò propositio affirmans existentiam de illo affirmat prædicatum formaliter, & immediatè conveniens, & consequenter explicatis terminis statim innotescit sine ullo medio probativo ab extremis distincto, vel sine indigentia ejus, quòd est esse per se notam secundùm se, cum propositio per se nota secundòm se, ut jam insinuavimus ubi supra in lib. poster. illa sit, quæ non per aliud medium intrinsecum, vel à priori, sed ex sola notitia terminorum, statim apparet quoad necessariam, & immediatam connexionem extremorum, ut patet ex terminis, unde ut vidimus ibidem ex D. Tho. qualibet immediata præcipuè in materia necessaria, ut in casu, est per se nota, & è contra, unde sicut infra dicitur de ratione intellectivi, & immaterialis juxta diversum modum explicandi; ratio per se noti vel comparatur ut effectus ad rationem immediati, vel ut duæ rationes, aut conceptus inadæquati respectu ejusdem propositionis per se, &c.

Dices ex præcisa identitate non posse præcisè probari rationem per se noti, aliàs omnes aliæ, in quibus affirmantur de illo divina attributa essent etiã per se notæ, cùm identificentur omnia cum Deo, quod tamen est falsum, nam unum verè demonstratur per aliud ut æternitas per immutabilitatem §. Deinde existentia cum sit terminus naturæ Divinæ magis comparatur ut attributum, quam prædicatum formaliter inclusum in essentia Dei, sed tantùm radicaliter erit in illa, sicut & cætera attributa, eo vel maximè, quòd in probabilissima sententia Thomistarum, ut constabit infra; non esse à se, sed intelligere radicale, vel actuale est constitutivum divinæ naturæ, &c.

Sed hæc solutio rejicitur eodem argumento; nam quidquid sit de existentia Dei, ut imperfectè à nobis concipitur, & connotativè ad modum existendi rerum creatarum, de qua infra; nihilominùs Deo secundùm se, nequit formaliter & immediatè non convenire, ergo solutio est nulla; probatur ant. Deus secundùm se est formalissimè ens per essentiam, & ipsum subsistens in ipsa plenitudine essendi, & consequenter est ipsissima ratio formalis essendi, ergò seipso intransitivè, & non per aliud, est formaliter, & immediatè, & non tantùm radicaliter existens, &c.

Nec refert quòd ponant aliqui constitutivum Dei intra lineam intellectivam, quia non moventur isti, nec moveri possunt, ut dictum est, ex eo quòd existentia, vel esse à se, formaliter Deo non conveniat, sed quia est prædicatum transcendens, & ideò existimant esse necessariò recurrendum ad aliud speciale prædicatum, & primum intra genus, & lineam perfectissimam, qua ratione etiã in nobis ens licet essentiã hominis dicatur formaliter transcendere, non tamen ingreditur formale constitutivum ejus, ergò licat dicamus esse Dei non constituere formaliter, aut metaphysicè essentiam, vel naturam divinam, adhuc poterit convenire formaliter, &c.

Secunda Conclusio: Hæc propositio *Deus est* non est per se nota quoad nos: Ita D. Tho. hic ubi ait, *Sed quia non scimus de Deo quid sit, non est nota per se nobis, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad natu-*

naturam, scil. per effectus.

Ex quibus probatur sic. Illa propositio est per se nota nobis, cujus termini sunt nobis per se noti, sed hæc non est hujusmodi, ergo; major patet ex terminis, & ex conceptu definitivo propositionis per se notæ, quia hæc est, ut vidimus, quæ ex propriis terminis, sine medio probativo ab ipsis distincto innotescit, ergò cujus termini non sunt nobis per se noti, non est per se nota nobis, sed indiget per aliud magis notum nobis manifestari, Minor verò probatur quia significatum hujus termini *Deus*, pro hoc statu est nobis quiditativè ignotum, &c.

Explicatur, & urgetur, nam nomine *Dei* non præcisè intelligitur quiditas, aut ens nobilissimum intra totum genus entis creati, sed existentia, & supra illud, sed hoc an detur in rebus existens, vel non detur solo lumine principiorum certò à nobis concipi nequit, ergo nobis non est per se notum Deum esse. Major est certa, & minor probatur; ex eo hoc ens nobilissimum existere, posset eodem lumine certò cognosci, quia existentia est de ratione ejus, vel essentialiter illi convenit, sed hoc non sufficit ut dicatur per se notum nobis existere; probatur minor, nam si id sufficeret, pariter Trinitatem personarum existere, esset per se notum nobis, sine indigentia medii probativi, cum eadem Trinitas sit pariter Deo essentialiter conveniens, ergò, &c.

Explic. ulteriùs. Ex eo hæc propositio est per se nota nobis, scil. *Omne totum est majus sua parte*, non quia præcisè prædicatum, vel majoritas totius sit de ratione subjecti; sed quia & sensui, & intellectui statim prolata apparet, sine medio probativo ab extremis distincto, vel indigentia ejus; sed Deum existere, nec sensui, nec intellectui statim apparet, nec apparere potest, cum transcendat omnem sensum, nec cadat sub experientia nostra, cum sit extra omnem ordinem creatum, & intellectus solum per discursum perveniat, &c.

Ex his potest iterum formari ratio D. Tho. sic. Illa propositio est per se nota nobis, quæ sine medio probativo ab extremis distincto, vel sine indigentia ejus potest à nobis evidenter cognosci; sicut illa est per se nota secundùm se, quæ secundùm se non habet, vel non indiget eodem medio ad sui evidentem cognitionem, sed hæc *Deus est*, nequit à nobis sine tali medio, ut probavimus; evidenter cognosci, ergò non est per se nota nobis; major iterum patet ex dictis, & ex definitione propositionis per se notæ, quæ ex eo dicitur quia prædicatum est idem, vel includitur in ratione subjecti, ut ait D. Tho. seu quòd idem est, quia non habet, vel non indiget medio probativo, unde per carentiam hujus medii, vel indigentiæ ejus constituitur, &c. Et quidem videtur implicantia in terminis, quòd extremum, vel subjectum quiditativè non cognitum manifestet prædicatum sibi quiditativè conveniens, unde licet existentia Deo quiditativè conveniat, vel necessariò, aut essentialiter connectatur, illo tamen non cognito quid sit, sive quiditativè, non poterit esse per se notum nobis, quòd existat &c.

Præcedens ratio D. Tho: ad superiores formalitates redacta displicuit P. Vasq. eamque, ut inefficacem rejiciens; aliter putat efficaciùs probare ex eo, quòd cùm Deus modò à nobis cognosci non possit absolutè, sed tantùm respectivè ad creaturas, solùm per istas cognoscibilis est à nobis viatoribus, & consequenter illum existere non est per se notum nobis, sed magis per aliud &c. Cæterum hoc sui fundamentum, nisi reducatur ad vim rationis Divi Tho. in pluribus deficit; primò quidem, quia confundit hoc, quod est cognosci in ordine ad aliud, & cognosci per illud; nam benè stat unum cognosci relativè ad aliud, & tamen non cognosci per illud, sed magis è contra, ergo ex cognoscibilitate relativa Dei ad creaturas, non rectè infert necessitatem cognoscibilitatis per illas; prob. ant. tum in cognoscibilitate causæ ut causæ, & effectus ut effectus, secundùm quam non sunt nisi mutuò relativè cognoscibiles, & tamen in cognitione à priori causa ut sic non cognoscitur per effectum, sed magis è cõtra; & in cognitione à posteriori, effectus ut effectus cognoscitur, & ex illo infertur cognitio causæ, & tamẽ nõ effectus per causã cognoscitur, sed magis è cõtra,

Urgetur hoc; nam causa aliquando est notior suo effectu, unde etiam est nota quoad nos in ratione causæ, ut patet in Sole, per quem cognoscimus suos effectus, estò relativè cognoscatur ad illos, §. Deinde lux utpotè formalis ratio videndi colorata, cognoscitur relativè ad illa, & tamen ista fiunt visibilia per illam: denique unum relativũ cognoscitur in ordine ad aliud, & tamen cùm unum non sit notius, utpotè simul natura & cognitione, non cognoscitur unum per aliud, ergo ex eadem cognoscibilitate relativa non rectè infert cognoscibilitatem unius per aliud &c.

2. Quia supposita insubsistentia hujus fundamenti, quòd nempè relativa cognitio unius in ordine ad aliud faciat unum per aliud cognosci, tenetur ad aliud recurrere, ut probet Deum existere non esse per se notum nobis, & cùm non sit aliud assignabile, nisi quod assignat D. Tho: nempè, quia de illo ignoramus quid sit, nequit prædictus Author sufficienter procedere, nisi rationem suam ad illam D. Tho. reducat. §. Itaque in eo quòd recurrit ad ignorantiam subjecti, rectè procedit; nam in ea fundatur ratio D. Tho. unde quoad hoc non alia ratione utitur ab illa D. Tho., quam proindè immeritò rejicit ut inefficacem; sed quòd deinde assumit, scil. hanc ignorantiam vinci per creaturas, quia solùm fit Deus cognoscibilis per illas, quatenùs pro hoc statu est tantùm cognoscibilis in ordine ad illas; tunc dum putat se specialiter probare recedendo à D. Tho., inefficaciter procedit, & insubsistenti fundamento innixus, ut probatum est: tum quia per id solùm sequitur, quòd modò in via, non sit a nobis perfectè, & quiditativè cognoscibilis, sed imperfectè, & quoad an est, & per conceptum connotativum, quod modò non contendimus, sed magis an hæc deinde cognitio imperfecta sit naturaliter debita, sive an istud quoad an est Dei, aut propositio, in qua affirmatur de Deo, sit nobis per se nota, quod non probatur per sui rationem, sed omittitur; & solùm per illam D. Tho. efficaciter concluditur, ut dictum est; quia cùm existentia sit de intrinseca ratione subjecti, sive Dei; ignorato quid sit, vel quiditativè Deo, nequit esse per se nota nobis cõvenientia talis prędicati cũ subjecto, & consequẽter nec propositio affirmãs illud de Deo &c.

Præterquamquòd falsum videtur etiam principale fundamentum, cui innititur, scil. Deum non posse

posse pro hoc statu aliquo modo absolutè, sed tantùm respectivè ad creaturas cognosci, quia cùm Deus concipiatur, prout nominatur, nec semper significativè nominetur nomine respectivo ad creaturas, sed quandoque respectivo, ut sunt *Dominus, Princeps, Causa, Gubernator &c.* quandoque absoluto, ut sunt *bonus, sapiens*, & vel ipsum nomen *Deus*, cùm sit distinctum ab illis, & quantùm ad id, ad quod nomen significandum imponitur, vel ex parte rei significatæ significet naturam divinam, licèt attendendo ad id, à quo impositum est, dicatur ab operatione, ut docet D. Tho. infrà q. 13. a. 8. non purè respectivè, sed aliquo modo etiam absolutè concipi poterit, licèt imperfectè, de quo D. Tho. ibidem ar. 1. & 2. &c.

Sed instat Vasquez contra rationem D. Tho. opponēdo duplicē propositionem per se notam nobis, estò de subjecto ignoretur quid sit. Prima est universalissima illa disjunctiva Quodlibet est, vel non est, cujus subjectum, utpotè includens Deum, & Angelos, quiditativè ignoratur; & idem similiter est, dum eam profero in particulari de Deo, scil. Deus est, vel non est; quæ sic disjunctivè prolata per se nota nobis est naturali lumine ejusdem universalissimi principii subjecto quiditativè ignorato. §. Secunda est, quòd spiritualia, vel incorporalia non sunt in loco, vel non commensurantur illi, quæ pariter per se nota est nobis, licèt non omnibus, sed sapientibus, ut docet D. Tho. hic, & tamen rei materialis conceptum quiditativum non habemus, ergo ratio D. Tho. recurrens ad ignorantiam quiditatis subjecti non obstat perseitati notitiæ quoad nos &c.

Sed in primis videtur mirum, quòd hic Author non advertat, aut fortè advertere dissimulet, has instantias si semel militarent contra rationem Divi Tho., apertè etiam militare contra propriam; nam sicut D. Thom. recurrit ad carentiam cognitionis quiditativæ de subjecto; ita Vasquez ad carentiam cognitionis absolutæ de illo, ergo si non obstante priori carentia, potest nihilominùs dari propositio per se nota nobis, ut ipse prætendit, licèt immeritò contra D. Tho., ut statim constabit, poterit pariter dari, non obstante carentia posteriori, & quidem à fortiori, ut patet ex superioribus replicis. Quid ergo dicet ad salvandam propriam rationem, dicemus & nos ad salvandam nostram &c.

Pro omnibus tamen distinguo, & explico, primam quidem sic: Subjectum ignoratur, loquendo de materiali, & implicito, transeat, vel concedo; de subjecto formali, & explicito, nego; nam formale subjectum ejusdem propositionis correspondet huic prædicato disjuncto, est, vel non est, non est præcisè Deus, nec Angelus, vel aliud quodcumque spirituale secundùm sibi propria, quo distinguuntur à cæteris, sed ut comprehenduntur à communissimo hoc nomine, *quodlibet*, sub quo venit omne id, quod à nobis accipi potest, ut subjectum in enunciatione, sive illud existat, sive non, unde etiam prout sic per se notum est nobis chimæram esse, vel non esse; nam ad salvandam perseitatem ejusdem propositionis, non opus est quiditativè cognoscere quodlibet contentum sub illo, aut habere conceptum quiditativum particularem de Deo, aut de aliis spiritualibus, quia non enunciatur aliquod speciale prædicatum, aut quiditativum de illis in particulari, sed communissimum conveniens tam enti, quàm non enti, unde satis erit scire quid sit hoc generalissimum subjectum *quodlibet*, aut quid hoc nomine intelligatur, quod nullus est qui ignoret, ut dictum est; unde poterat retorqueri; nam secundùm quòd prædicta propositio est per se nota, verè scitur de subjecto formali ejus quid est.

Ex his etiam patet ad eandem disjunctivam in particulari de Deo, dum dicimus, Deus est, vel non est; nam cùm hoc prædicatum non conveniat Deo ex propriis, sed communiter, scil. sub conceptu communi tam enti, quàm non enti, adeò ut non sit per se nota talis propositio, nisi quatenùs includitur in superiori universalissimo principio, Quodlibet est, vel non est, non tenemur scire in particulari, vel ut est subjectum materiale illius *quid sit*, sed tantùm ut est confusum à ratione entis, vel conceptu universaliori enti, & enti communi, sicut in simili dicimus, quando illum, vel alia entia supernaturalia comprehendimus intra objectum specificativum nostri intellectus, quòd non tenetur ex propriis pervenire ad illa, ut entia formaliter supernaturalia sunt, sed ut confunduntur à ratione entis; sicut ad Deum etiam, prout sic pervenit metaphysicus, quia tantùm prout sic continetur sub ejus objecto; & ratio deinde est; nam in tantùm, ut vidimus, in hac propositione, *Deus est*, si esset per se nota nobis, deberet sciri de eo, *quid est*, quia cùm prædicatum sit de intrinseca ratione Dei, formaliter ut Deus est, ignorato quid sit, impossibile est, quòd appareat nobis quiditativa ejus connexio, aut convenientia cum Deo, ergo si in prædicta disjunctiva prædicatum non est conveniens Deo ex propriis, sed sub conceptu communi, non tenemur de illo, ut Deus est, scire quid sit ad salvandam perseitatem notitiæ ejus, sed tantùm secundùm conceptum communem, ut dictum est &c.

Ad secundam de incorporeis similiter respondetur; unde dist. cons. rei immaterialis non habemus conceptum quiditativum in particulari, concedo, in communi, nego; nam licèt modò pro hoc statu non dicantur quiditativè cognosci secundùm suas ultimas differentias, secundum tamen rationem communem incorporei, vel sub ratione illis, & enti rationis communi, scil. negationis materiæ, & compositionis ex illa, qua ratione veniunt, ut subjectum formale ejusdem propositionis; dicuntur quiditativè cognosci; quis enim ignorare potest quid sit incorporeum secundùm hanc communem rationem? Constat enim esse, quod caret corpore, quod satis est, ut sit illa propositio per se nota nobis; nam cognito subjecto immateriali, prout sic, statim connexio prædicati cum subjecto ex terminis, sine medio probativo ab extremis distincto evidenter innotescit &c.

Sed contra hujusmodi solutiones instas; nam ratio communis, in qua dicitur Deus convenire cum creaturis; scil. ratio entis, non cognoscitur per speciem propriam, cùm hanc modò in via solùm habeamus de ente materiali, ergo non cognoscitur quiditativè, cùm quiditativa cognitio sit per speciem propriam. Similiter cùm nec de ente rationis habeamus propriam, sed per illam entis realis cognoscatur, non poterit iterùm ratio communis Angelis, & enti rationis, scil. ratio incorporei esse quidita-

ditativè cognoscibilis, ergo non solùm quiditativè ignoratur subjectum talium propositionum materiale, vel implicitum, sed etiam formale, ergo perseitas notitiæ quoad nos adhuc salvatur ignorato subjecto adæquatè quoad sui quiditatem. §. Præterquamquòd si semel communis ratio Deo, & creaturis est cognoscibilis quiditativè, cùm pariter existentia conveniat Deo ex eadem ratione communi, scil. ratione entis; (cùm Deus, & creatura in existendo conveniant,) jam formale subjectum istius propositionis, *Deus existit*; erit à nobis quiditativè cognoscibile, & consequenter propositio per se nota nobis &c.

Ad primam nego consequentiam, ad prob. annexam distinguo illam; per speciem propriam, vel alterius eam continentis in actu, concedo; præcisè semper per propriam, nego; aliàs Deus cognoscendo creaturas per sui essentiam, non cognosceret quiditativè, aut perfectè illas, unde etiam videmus, quòd partes cognoscuntur per speciem totius, & sic de aliis, quorum unum actu continetur in alio, cùm ergo gradus entis actu contineatur in ente materiali, non solùm istud, sed etiam idem communis gradus entis poterit quiditativè cognosci; & idem similiter dicendum ad secundum, cùm ens rationis contineatur in ente reali ut in causa, ad cujus similitudinem fit, unde non obstat ejus cognitioni quiditativæ quòd per speciem entis realis cognoscatur, & consequenter gradus entis communis reali, & rationis per speciem realis poterit quiditativè cognosci &c. De quo D.Tho.infrà q.14.ar.5.& 6.&c.

Ad id quod subditur de existentia, nego suppositum, quòd existentia prout importatur in præsenti propositione conveniat Deo ex communi ratione essendi Deo, & creaturis, aliàs istis etiam conveniret essentialiter sicut Deo, quod est alienum; unde secundùm quòd convenit ex eadem communi ratione essendi, convenit convenientia astrahente ab essentiali, & non essentiali, juxta meritum extremorum, quibus convenire dicitur &c.

§. III.

Solvuntur Argumenta contra primam Conclusionem.

PRimò arg. contra primam instando iterùm rationem D. Tho: nam datur proprositio per se nota secondùm se, cujus prædicatum non includitur in ratione subjecti, ergo non rectè explicatur, aut definitur propositio per se nota secundùm se, in quo fundatur ejus ratio, prob. ant. in propositione, in qua prædicatur passio de sui subjecto, aut definitione ejus; nam hæc, utpotè immediata, seu carens medio secundùm se probativo ab extremis distincto, est per se nota secundùm se, & tamen prædicatum cùm sit de linea attributali, vel secundaria, non est de intrinseca ratione, vel essentiali subjecti, sed extra illam, ergo &c.

Urg. hoc. Nam vel hæc eadem propositio admittitur per se nota secundùm se, vel non? si primum jam dabitur propositio per se nota secundùm se, prædicato non incluso in ratione subjecti, si verò secundum, dabitur ex opposito propositio immediata in materia necessaria, non per se nota secundùm se, quod est etiam contra superiora &c.

Explicatur totum hoc. Quia dupliciter prædicari potest prima passio; vel immediatè de subjecto, ut dum dico: homo est disciplinabilis, vel immediatè de definitione ejus, ut animal rationale est disciplinabile; sed licèt daremus priorem, non esse immediatam, aut per se notam, ex eo quòd inter illam, & subjectum mediet ejus definitio; posterior tamen immediata est, & carens secundùm se medio probativo, cùm inter illam, & definitionem nihil mediet, ergo per se nota erit secundùm se, licèt prædicatum non sit de ratione subjecti &c.

Propter hoc argumentum variè sentiunt etiam nostri Thomistæ circa præfatam propositionem; nam M. Ferre hic §.2. cum M. Jo: à S. Tho. in Log. q. 25. ar. 2. licèt admittat esse per se notam, quando prædicatur immediatè de definitione ob rationem factam; negat tamen, quando prædicatur de subjecto, quia tunc, inquit, est per se scibilis, & demonstrabilis; nam ad veram demonstrationem sufficit, quòd medium sola ratione distinguatur à subjecto; aliàs si requireretur realis distinctio, nec Metaphysica propriè scientia esset, cùm passiones entis realiter non distinguantur ab ente, nec de Deo veræ, & propriæ demonstrationes fierent à Theologo; siquidè mediū probativū de Deo non distinguitur realiter ab ipso; ex quo sequeretur Theologiam non esse scientiam de Deo. §. Cæterùm an præcisa definitio subjecti sit sufficiens medium probativum secundùm se, an verò etiam quoad nos, ostendimus ubi suprà in Logicis, nè eadem repetamus; nam adhuc in hac opinione solvendum est argumentum. §. Alii verò cum Cajetano hìc ar. 1. tenent oppositum; nam cùm definitio secundùm se non ponat in numerum cum definito, vel subjecto, sed tantùm sit explicativa naturæ ejus (de ratione enim totius est, quòd dicat suas partes) ita ut secundùm se sit ipsissima quiditas illius, non videtur secundùm se, quòd possit esse medium verè probativum; tum quia propositio immediata in materia necessaria non indiget tali medio ad sui evidentem cognitionem, ergo si talis propositio secundùm se est immediata, ut probatum est, secundùm se non indiget illo, licèt non sit in primo modo dicendi per se, sive definitionem supponat quoad nos, in ratione puri instrumenti dialectici, ergo erit per se nota secundùm se &c.

Sed utroque modo dicendi admisso respondetur, & primò quidem juxta modum illum probabilem, nempè quòd licèt omnis propositio, in qua prædicatum includitur in ratione subjecti sit per se nota, non tamen, quòd illâ solâ, nè excludantur aliæ, in quibus vel prædicatur prima passio, vel unum generalissimum negatur de alio: patet argumentum non habere vires; nam in hoc sensu dicunt esse intelligendum D. Tho.; & tunc etiam secunda pars primæ confirmationis est falsa, quòd detur propositio immediata in materia necessaria non per se nota, per quod etiam patet ad secundam &c.

Sed deinde respondetur in alio modo dicandi, in quo videtur difficilior solutio, scil. quòd sola illa sit per se nota; unde distinguo ant. non includitur immediatè formaliter, concedo; immediatè, vel proximè virtualiter, nego; ad prob. distinguo eodem modo mi. non est de intrinseca ratione subjecti formaliter; id est secundùm suum esse formale, concedo; virtualiter proximè, id est secundùm id, ra-

t one cujus cum subjecto connectitur, nego quia ratio proxima connectendi illam cum subjecto, est ipsum esse subjecti, & ejus prædicata essentialia, unde licet secundùm se, aut secundùm proprium esse formale non ingrediatur lineam essentiæ, ratione tamen illius, ratione cujus convenit, pertinet ad illã, seu ad rationem intrinsecam subjecti, quod satis est, ut dicatur per se nota secundùm se. sicut satis est, ut dicatur immediata, quia eo ipso, quòd sic convenit, excludit medium probativum à priori, vel indigentiam ejus ad sui evidentem cognitionem; & per hæc patet ad utranque probationem, nam admittendo esse per se notam dicimus prædicatum esse de intrinseca ratione saltem virtualitèr proximè &c.

Instas hinc sequi, quòd etiam hæc *homo existit* sit per se nota secundùm se, cum pariter immediata ratio convenienti prædicatum subjecto, sit propria entitas, vel essentia subjecti, nam licet hæc dicatur realiter distingui ab existentia, ut nos contendimus, non tamen admittit medium inter se ipsam, & existentiam; consequens autem est falsum, ut suppono ex D. Thom. de veritate qu. 10. ar. 2. in corp. versus finem ergo proxima inclusio virtualis non sufficit ad perseitatem notitiæ secundùm se &c.

Urgetur. Ex eo juxtà D. Thom. ibidem non est per se notum *Creaturam existere*, quia esse in nullius creaturæ ratione perfectè includitur; sed hæc ratio militat etiam de prima passione. ergo; prob. conseq.; ex eo esse creaturæ perfectè non includitur in ejus ratione quia est aliud, ut inquit ibi, ab ejus quidditate, sed etiam prima passio est aliud ab essentia subjecti, ut dictum est, cum sit extrà illam, ergo &c.

Quòd si dicas esse quidem extrà, necessariò tamen connecti cum illa, unde fundat, ut vidimus; propositionem immediatam in materia necessaria, & consequentèr per se notam secundùm se. § Inconcra est; quia ex eo colligimus esse connexionam necessariam, quia posita essentia statim naccessariò consequitur sed etiam posita essentia, vel actualitate ejus à parte rei statim necessariò ponitur existentia, ergo vel utraque erit per se nota secundùm se, vel neutra &c.

Respondetur ad priorem instantiam, nego sequelam; ad prob. annexam, nego anteced., ità enim existentia accidit creaturæ, ut solum dicatur prædicari de illa prædicatione accidentis, quinti prædicabilis, unde nec formalitèr, nec proximè virtualitèr potest dici de intrinseca ratione, sed magis venit ab extrinsecò, sive ab extrinseca actione agentis; de quo alibi in primo de Cœlo, & Mundo dictum est. Ad probationem dist., non tamen admittit medium, & immediatam connexionem intèr illas, vel quia intrinsecè exigat illam sicut exigit sui proprietatem, nego, ob indigentiam sui ad perseverandum à parte rei, transeat, vel conced. Non enim existentia dicitur immediatè convenire essentiæ, quasi per se illi conveniat per seitate metaphisica, aut logica in primo, aut secundo modo dicendi per se, ut convenit prima passio, sed perseitate tantum physica, vel secundùm quid, aut ex suppositione, quia nempè supposito, quòd ponatur, aut perseveret à parte rei, requirit exercitium actualitatis ejus salvari sine existentia, de quo etiam in primo Physic. &c.

Ad confirmationem, nego min., ad prob. distin., & explico ma. quia est aliud, alietate perseitatis tam logica, quam metaphisica, concedo, alietate ut cumque, nego, & dist. mi., est aliud alietate formali intra idem forum essentiæ, conced., alietate etiam virtuali proxima, vel à toto genere perseitatis logicæ, aut metaphisicæ, nego, nam licet ratione sui intransitivè ad illud non pertineat, ità tamen exigitur, & ità necessariò connectitur cum illa, ut si deficeret ejus continentia, variaretur eadem essentialitèr, cum proprietatum continentia in sui radice sit prædicatũ ejus essentiale, unde si sit prima passio, rectè dicitur virtualitèr proximè pertinere ad rationem subjecti &c.

Ex quo ad replicam contra solutionem datam respondetur dist. ma., quia statim consequitur, sequela logica, vel metaphisica conc., purè physica ex suppositione, quod ponatur essentia, vel conservetur à parte rei, nego, & hoc modo solum sequitur existentia; non logicè, vel metaphysicè, sicut prima passio, unde non arguitur sufficiens connexio ad constituendum propositionem immediatam in materia necessaria, vel per se notam secundùm se, sicut dum prædicatur prima passio de subjecto, vel existentia de Deo &c.

Secundò etiam principalitèr arguitur instando alia via ex opposito rationem D. Thom., quòd nempè detur propositio immediata, & cujus prædicatũ est de intrinseca ratione subjecti, & tamen non sit per se nota secundùm se; nam hæc *Deus est trinus* est immediata in materia necessaria habens prædicatum de intrinseca ratione subjecti, & tamen nullus dicit esse per se notam secundùm se, cum sit de fide. Similitèr contingit in hac. *Intellectus est qualitas*, cujus paritèr prædicatũ est de intrinseca ratione subjecti, & tamen non est per se nota, cùm plures dubitent de veritate ejus. Tertiò in hac alia. *Gratia est possibilis*, quæ est etiam immediata, & de prædicato intrinsecè, vel essentialitèr conveniente, cum possibilitas remota immediatè conveniat rebus creatis, & in earum ratione includatur, ergo non videtur rectè fundari perseitas notitiæ secundùm se in hac convenientia immediata, vel intrinseca prædicati cum subjecto &c.

Ad hoc, quòd plus nimio magnificant contrarii; Ad primam dico in primis, quòd iterum videtur mirum; tam liberè ab eisdem proferri, quòd à nemine dicatur per se nota secundùm se, cum graves Thomistæ id negent, & expressè M. Bannez hic ad primùm, quod in secunda serie argumentorũ proponit; nec refert, quòd sit de fide, nam hoc tantum probat non esse per se notam nobis, non tamen secundùm se, nam quòd non possit propriis viribus, aut lumine naturali principiorum veritas ejus apparere, solum infert excessum supra captum nostrum, ut clauditur ex propriis intrà idem lumen, non tamen tollit exclusionem medii probativi à priori, & immediatam convenientiam, aut necessariam connexionem, vel essentialem prædicati cum subjecto, in quo proprimmè consistit saltem inadæquatè, ut dictum est, ratio propositionis per se notæ secundùm se, ità ut omnis hujusmodi propositio sit per se nota secundùm se, quidquid sit an illa sola sit talis juxtà diversum modum explicandi: Unde nullo modo infatur per illam ratio D. Thom. & ideò in forma nego mi.

Secundò poterat etiam responderi in probabilissima sententia, de qua infrà, quòd existentia in Deo sit prædicatum metaphisicè constitutivum Deitatis;

tunc

tunc enim, nego ma. metaphisicè loquendo, quòd sit immediata tam formalitèr, quam virtualitèr, quia Trinitas prout sic supponit aliud prædicatum primum, nec est ità immediatè de ratione Deitatis sicut existentia, unde licet daretur hanc non esse per se notam secundùm se, bene tamen, in qua prædicatur existentia de Deo. Prior tamen solutio magis eligenda est utpotè conformior menti D. Tho.; nec omnes admittant hanc posteriorem sententiam de constitutivo Dei &c.

Ad secundam juxtà eandem priorem solutionem, nego mi., nam ex eo quòd plures dubitent non infertur, quòd non sit per se nota secundùm se, sed tantum quoad nos, & eodem modo respondetur ad tertiam, nec dabitur instantia in contrarium, quòd sit immediata in materia necessaria, seù de prædicato incluso in ratione subjecti saltem virtualitèr proximà, & non sit per nota secundùm se &c.

Sed instas sistendo adhuc in prima. Nam eadem propositio *Deus est trinus*, nequit esse immediatè cognoscibilis ab intellectu creato, cum sit de fide, ut dictum est, ergo nequit esse per se nota secundùm se prob., conseq., quia ut sit talis secundùm se non sufficit cognoscibilitas ejus immediata ab intellectu divino, nam alias omnis propositio vera, esset per se nota secundùm se, cum omnis sit immediatè per se ipsam evidentèr cognoscibilis à Deo &c.

Huic instantiæ respondetur primò dato transeat ad antec., nego conseq., ad ejus prob. nego ant., ad prob annexam nego sequelam, ad prob. iterum annexam nego omninò illam, imò nulla veritas creata est immediatè cognoscibilis per se ipsam ab intellectu divino, nisi velimus Deum ut intellectivum excedere se ipsum, ut intelligibilem, cum ut intellectivus se extenderet ad aliquod objectum, ad quod non se extenderet, ut intelligibilis; idest se extenderet immediatè penetrando illud non prius repræsentatum per divinam essentiam, ut speciem intelligibilem, de quo latè infrà ad qu. 14. contrà Defensores scientiæ mediæ. Tum quia non omnis propositio vera est immediata, vel carens medio à priori probativo, licet autem Deus, ut jam supra in proœmialibus insinuavimus, & iterum dicemus infrà ad eandem qu. 14., non cognoscat propositiones mediatas per medium ex parte sui, cum non sit discursivus discursu formali, cognoscit tamen mediatè illas ex parte objecti, sicut dicitur similitèr discurrere discursu objectivo, attingendo unam objectivè inferibilitèr ex alio, ut explicatum est, si velimus attingere, ut veritates mediatæ aut ut scibiles sunt, sivè juxtà meritum earum &c.

Secundò respondetur dist. ma., ab intellectu creato per vires proprias conc., elevato per vires gratiæ, aut per lumen supernaturale, nego, nam modò de facto cognoscitur ab illo per lumen fidei, & in patria à beatis per lumen gloriæ; nec enim ad propositionem per se notam secundùm se, abstrahendo à naturali, & supernaturali requiritur, quòd præcisè attingatur per lumen naturale principiorū, sed quòd attingibilis sit quantum est ex se per idem lumen, præscindendo à naturali, & supernaturali, nam si intrà utrumque ordinem verè datur propositio habens conditiones requisitas, & assignatas in lib. post; non est limitanda ad solum lumen naturæ, cum attingibilitas alterius supernaturalis, ut contingit in casu, sit de subjecto non supponente ob illius excessum supra totum ordinem naturæ &c.

Arguitur tertiò propositio per se scibilis, & demōstrabilis, per se nota non est, sed hæc *Deus est* est per se scibilis, & demonstrabilis, ergo non est per se nota secundùm se; mi. constabit infrà.

Dices juxtà communem solutionem, quòd est per se scibilis, vel demonstrabilis non à priori, sed tantum à posteriori, quod non tollit rationem per se noti secundùm se, sed tantum quoad nos &c.

Sed contra hoc est; quia in probabili sententia etiam inter Thomistas, existentia De disting. ratione ab essentia, eamque virtualitèr, ut priorem supponit, sicut in nobis supponit ut priorem realitèr, ergo sicut hac ratione alia attributa sunt demonstrabilia, & propositiones illa enunciantes non sunt per se notæ secundùm se, paritèr dicendum est de existentia, & de propositione illam enunciante &c.

Urgetur hoc in prædicato intellectivi, quod licet essentialitèr Deo conveniat, quia tamen supponit conceptum immaterialis, ut priorem ratione, à priori prob. ex isto, & propositio illud enuncians nequit esse per se nota secundùm se ergo idem iterum de existentia &c.

Respondetur benè ibi t Ad replicam, nego suppositum consequentis, quòd eadem virtuali immediatione distinguantur alia attributa ab essentia, ac dist. existentia, cum hæc in genere entis sit actus immediatè illi correspondens, unde etiamsi distingueretur majori adhuc distinctione, quā virtuali, ut eam admittunt Scotistæ intèr eadem prædicata divina, nihilominus esset propositio per se nota secundùm se, ut in superiori popositione, in qua enunciatur prima passio de subjecto, aut de definitione ejus, quæ adhuc est per se nota secundum se, ut vidimus; estò illam dicamus realitèr distingui ab illo, aut definitione ejus summè identificata cum eodem; quia sive sit realitèr, sive virtualitèr distincta, est tamen extremum immediatè necessariò connexum carens medio, à priori; qua ratione M. Ferre hic licet admittat eandem propositionem esse per se notam secundùm se, quando passio prædicatur de definitione subjecti, quia intèr utramque non est medium; negat tamen, quando prędicatur de subjecto, quia tunc est medium à priori secundùm rationem, scil. definitio, unde in subjecto, ait; solum continetur mediatè, in definitione vero virtualitèr immediatè, & ità proportionabilitèr dicimus de attributis, aut prædicatis divinis, quod licèt dicantur omnia essentialitèr, vel necessariò convenire, non tamen omnia, ut pertinentia ad conceptum primum, vel virtualitèr immediatè, sed unum mediantè alio, unde infrà de voluntate Dei efficacitèr probatur Deum esse volitivum, quia est intellectivus, & hac iterum ratione qu. 14 ostenditur Deum habere scientiam non solum creaturarum, sed etiam suorum attributorum, quia saltem objectivè fundamentalitèr cognoscitur unum, ut ratio à priori alterius &.

Ad confirmationem responderi potest primò juxtà modum illum probabilem, quòd prædictæ rationes intellectualitatis, & immaterialitatis se habeant, ut duo conceptus inadæquati, quorū unus inadequatè probetur per aliū, & non quasi positivè à priori secūdùm rationem, quod tunc adhuc immediatè conveniunt, unde propositiones, in quibus enunciantur de Deo ambæ erunt per se notæ secundū se. Cæterū si supponamus, alteram probari à priori scil. intelle-

 ctualitatem

ctualitatem per immaterialitatem, ut alii frequentèr explicant infrà eadem q. 14. tunc similitèr respondetur sicut de aliis attributis posterioribus, virtualitèr tantum mediatè convenientibus, quòd sicut propositiones, in quibus ista enunciantur, non sunt immediatæ, sed tantum de prædicato virtualitèr mediatè conveniente, & consequentèr demonstrabiles, ità similitèr ista in qua enunciatur intellectualitas, qua ratione Pater à S. Laurētio in suo spicilegio, & Eminentiss. Cardinalis Ferrarius ad hoc videntur reducere constitutivum metaphysicum Dei scil. ad intelligere quidem radicale, non tamen de formali linea intellectualitatis, ut importat formalitèr gradum contradistinctum ab aliis, sed magis de linea essendi, ut nempè importat rationem per se subsistentis summè immaterialis tanquam rationem totius intellectualitatis, de quo infrà &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam.

PRimò arguitur. Illa propositio est per se nota quoad nos, cujus veritas statim cognitis terminis innotescit, sed termini hujus *Deus existit*, sunt omnibus noti, ergo est per se nota etiam quoad nos; prob. mi. hoc nomen *Deus* significat id, quo majus excogitari non potest, sed nullus ignorat hoc significatum de Deo, ergo nec ignorat terminos ejusdem propositionis; ma. constat, quia alias non concipitur Deus, si aliquid omittitur de summitate ejusdem magnitudinis; mi. etiam patet ex praxi omnium concipientium Deum, est enim communis hominum conceptio de illo &c.

Ad hoc respondetur ex D. Tho. hic ad secundum, & ubi supra de veritate q. 10. ar. 12. ad 2., & 1. Cont. genr. c. 11. ad 1. ratione; nego mi., ad prob. nego iterum mi. quia ut ait D. Tho. hic, *Forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit. Cum quidam crediderint Deum esse corpus* Nempè Antropomorphitæ, qui Deo membra humana affingebant; constat autem corpus non esse id, quo majus excogitari non possit, cum spiritus sit supra illud. Sed deinde etiam dist., & explico mi. nullus ignorat hoc significatum speculativè, vel abstractivè loquendo, transeat; concretivè, vel practicè in re, nego; nam si daretur Deum sic ab omnibus concipi, quo majus excogitari non possit, veluti signatè, & in abstracto, sic tamē concipiens dubitare potest, an revera detur à parte rei, non enim desunt, qui negent, ut insipiens, qui dixit in corde suo non est Deus, quia nempè id totum concipere potest speculativè per modum quiditatis, non practicè per modum exercitii à parte rei &c.

Sed instas; quia videtur manifesta repugnātia Deū semel concipi esse id, quo majus excogitari non possit, & concipi cum defectu existentiæ à parte rei, vel dubitare de eo, quòd existat à parte rei, ergo, prob. ant. quia defectus existentiæ à parte rei est defectus maximè perfectionis, vel actualitatis, ergo repugnat concipiens sic summè excellens, & concipi, ut non existens in re. §. Urgetur hoc quia repugnat in terminis concipi Deum, & concipi Deum non esse; cum hæc propositio *Deus non est*, sit repugnans ex terminis &c.

Urgetur ulteriùs; non minus implicat concipere Deum, & concipere illum non esse, aut dubitare, quòd sit, quam concipere totum, & concipere non esse majus, aut dubitare, quod sit majus vel in plus se habens, quam quælibet pars, ergo sicut revera implicat istud sic concipere, aut dubitare de ejus excessu, paritèr implicabit sic concipere Deum, aut dubitare de ejus existentia in re, unde sicut propositio enuncians hunc excessum est per se nota nobis, quorum est communis conceptio de magnitudine totius, ut fatetur D. Thom., ubi supra, ità altera enuncians existentiam de Deo, erit nota omnibus, quorum est communis conceptio de summa existentia Dei &c.

Huic instantiæ dist. claritatis gratia ant., videtur manifesta repugnātia; si verè Deus concipiatur conc., si falsò, ut concipit insipiens, nego, ex quo non infertur, quod propositio enuncians existentiam de illo sit per se nota omnibus, quia eo ipso, quòd potest falsò concipi, signum est, quòd hic terminus Deus, nō est, omnibus notus sufficientèr ad faciendam propositionem per se notam nobis; nam ad hanc requiritur, ut oppositum illius non possit falsò concipi, cum per se pateat, ut dictum est; notitiam terminorum. Ad prob. conc. ant., dist. similitèr conseq. si verè coocipiatur idem summè excellens concedo, si falsò, nego &c.

Ad primam confirmationem dist. eodem modo ant., & concipi non esse si verè coocipiatur conced., si falsò, nego, Ad secundam, nego ant., est enim latum discrimen, quòd excessus, vel majoritas totius patet experientia, & omnes licet valdè rudes, sensu illam percipiunt; non sic tamen naturam Dei, ut potè à sensibus remotissimam; unde, ut innuit D. Tho. hic, & pricipuè etiam cap. illo 11. ad primam rationem, adhuc illi, qui concipiunt Deum, ignorare possunt, hoc nomine *Deus* significari id, quo majus cogitari non potest. Ità etiam sentit Durand. in 3. qu. 3. ad ultimum; ubi docet non esse notum, quòd hæc sit ratio nominis, quod est Deus; nempè Deus est, quo nihil majus cogitari potest; unde si aliqui ex PP. videantur oppositum sentire scil. non posse Deū concipi, non concepto, quo majus excogitari non possit, intelligendi sunt de vera cogitatione, sive habita per fidem, sive per laborem, & industriam ex effectibus à posteriori &c.

Sed adhuc instas; nam sive verè, sive falsò concipiatur Deus, impossibile est, concipi cùm negatione existentiæ à parte rei, ergo, prob. ant., quia aliàs simul conciperetur, & non conciperetur, cum Deus sit suum esse, sicut conciperetur, & non conciperetur homo, si conciperetur cum negatione rationalitatis, & ratio utriusque est; quia implicat de aliquo cogitari, quod idem de seipso prædicetur, nisi velimus posse concipi cum negatione sui, quod est simul concipi, & non concipi, ergo &c.

Urgetur hoc. Propositio enuncians idem de se ipso, utpote identica, est per se nota nobis, ut homo est homo, imò concipere oppositum est implicatorium, cùm nequeat idem negari de se ipso, aliàs esset, & non esset idem; sed propositio enuncians existentiam de Deo enunciat idem de se ipso, cùm Deus sit suum esse, ergo erit per se nota nobis, nec poterit opposi-

tum

um concipi sine contradictione &c.

Urgetur secundò: cùm Deus sit ipsum ens per essentiam seù ipsum subsistens in plenitudine essendi, habet hoc nomen sibi proprium *qui existit*, seù *qui est*, ut dicitur Exod. 3. ergo propositio enuncians existentiam de illo, est eadem cùm ista, *ipsum existens existit*; ergo cùm hæc, ut potè iterum identica sit per se nota nobis, paritèr & illa erit nobis nota &c.

Tertiò denique, quia repugnat concipere Deum, & non concipere ens necessarium; in quocunque deinde ejus natura consistat; sed repugnat concipere ens necessariũ, & non concipere existens, aliàs non concipitur, ut necessarium, sed magis, ut contingens, ergo repugnat concipere Deum, & non concipere, ut existentem, ergo sicut hæc est per se nota nobis, *ens necessarium existit*; paritèr erit nota nobis, Deus existit &c.

Respondetur ad instantiam, nego ant., ut patet in eodem insipiente; ad probationem dist., & explico ant. conciperetur, & non conciperetur, si revera agnoscerent naturam subjecti, quod concipiunt, vel imaginantur esse Deum, conc.; si non agnoscant, ut de facto non agnoscunt, nego, nam licèt concipiant, vel imaginentur ens sic excellens, cùm tamen nobis per se nota non sit quiditas ejus, vel quòd Deitas sit esse Dei, sed solum videntibus illum per essentiam, aliis ad hoc tenendum indigentibus, vel demonstratione, vel fide, non sequitur, quòd concipiant, & non concipiant, sed tantùm quòd concipiant, vel imaginentur naturam sic excellentem; quasi negativè deindè se habentes circa convenientiam illius in re, quantum est ex vi luminis principiorum, quatenus per illud præcisè ad eam pervenire non possunt, unde dubitant aliqui, vel negat insipiens, ut dictum est; licèt falsò, & quamvis etiam dicamus concipi, & non concipi, adhuc tamen non est de eodem, sed prout diversimodè attingitur, scil. speculativè, vel in abstracto, quo pacto concipiunt, vel affirmant; & practicè deinde, vel concretivè, ant. in re, quo sensu non concipiunt, vel negant. Et per hæc etiam patet ad simile de homine, vel de aliis similibus, si quæ adducantur, nam horum significatum supponitur notum; nec potest quis dubitare de homine, & minus negare, quòd existat, nisi neget proprium sensum &c.

Ad primam confirmationem dist. ut supra; est per se nota nobis, si etiam termini sint noti, conc., aliter, nego, & pricipuè in casu, quia licet Deus sit suum esse, quia tamen in se modò non cognoscitur à nobis, sed solum in Patria, nequit esse per se nota nobis identitas existentiæ cùm illo; & licet idem negari non possit de se ipso cognitis extremis identitatis, illis tamen ignoratis potest simul ignorari veritas propositionis sive affirmabilitas, vel negabilitas unius de alio. Præterquamquòd cum propositio identica possit esse de subjecto non supponente, vel in materia repugnante, potest esse falsa, ut si dicatur Antichristus hic, & nunc exercitè existẽs, hic, & nunc exercitè existit; vel creatura propriis viribus videns Deum, propriis viribus videt illũ, quæ licet identicæ, sunt ambæ falsæ, cùm subjectũ primæ modò non supponat, & prædicatum secundæ repugnet subjecto &c.

Ad secundam similiter respondetur ex D. Thom. ibidem ad 10.; ubi inquit, quòd quamvis nomen Dei sit *qui est*, non tamen hoc est per se notum nobis; unde nec propositio enuncians esse de Deo potest esse per se nota nobis. Præterquamquòd, ut dicebamus ex eodem; non infertur ex hoc, quòd existat in re, sed tantum in aprehensione, vel imaginatione, cùm nominis significatio non inferat existentiam rei significatæ in re, imò quandoque nec possibilitatem ejus; plura enim significantur, quæ nec existunt, nec existere possunt; ut cum dico *Mons aureus*, vel *non Deus*, & sic de aliis, quæ ex parte rei significatæ important impossibilitatem in re, scil. existentiæ chimeræ, vel montis aurei, vel negationis existentiæ Dei &c.

Ex his etiam ad 3. dato transeat ad ma. dist. mi., & non concipere existens, vel in re, vel in aprehensione, transeat; præcisè in re, nego; nam dari in re ens necessarium, & præcipuè supremum, quod est Deus, non est per se notum nobis, sed solum fide, vel discursu cognoscimus; unde D. Tho. hujusmodi argumentis dupliciter ubi supra occurrit, uno modo quòd fortè non ab omnibus admittitur talem esse significationem hujus nominis *Deus*, scil. quo majus cogitari non possit, & consequenter summè necessarii, vel necessariò existentis; alio verò quòd eadem admissa solum sit in aprehensione significatum ejus, sive ens sic excellens, & necessarium, non tamen in re, unde in re concipi possit licet falsò sub non existentia, quod satis est, ut vidimus; propositionem enunciantem existentiam de Deo, vel de ente necessario non esse per se notam nobis &c.

Secundò Arg.: Illa sunt per se nota nobis quorum cognitio est naturaliter indita nobis, sed cognitio existentiæ Dei est hujusmodi, ut docent PP. Nazianzenus orat. 24. Damascenus lib. 1. de fide cap. 1., Hieronymus in illud Job. 3. Omnes vident Deum, ubi ait *Per natura bonum notitia Creatoris inest cordibus hominum*, & demum Ansel. in prosologio cap. 2., & 3. dicens; *Taliter Deum esse, quod cogitari nequit non esse*. Et obycieus sibi insipientem, quòd dixerit in corde suo non est Deus. Respondet *hoc dixisse, quia non cogitavit rem significatam per nomen, sed tantum nominis significationem attendit, ergo &c.*

Huic argumento dupliciter ex D. Thom. occurrere possumus; primò hic ad primum, nego mi., & ad prob. annexam dicimus PP. præcipuè tres priores intelligendos esse de Deo sub aliqua ratione communi, ut vel ab initio insinuavimus; scil. Beatitudinis, vel boni in communi, cum omnes naturaliter appetant bonum, vel esse beati, quod tamen non est simpliciter cognoscere Deum esse, nam alii eam posuerunt in divitiis, vel in aliis similibus à vera Dei natura infinitè distantibus. Ad D. Ansel. specialiter resp. admittendo cum D. Thom. de Veritate ubi supra in corpore, in ea fuisse opinione, quòd Deum esse sit per se notum in tantum, ut nullus possit cogitare interiùs Deum non esse, quamvis Illustrissimus Goduii hic num. 93. conetur explicare, & ad sensum, vel sententiam communem reducere, sumpto fundamento ex eo, quòd totum librum præcedentem, quem Homologium inscripsit, in probanda Dei existentia idem S. Doctor insumpserit: frustra autem videretur tantum laborem assumpsisse, si adeò esset per se nota omnibus, ut ex ipsis terminis innotesceret, unde explicat dicendo, quòd cum docuit non posse cogitari rem significatam per hoc nomen Deus; & negari Deum existere, intelligen-

dus

étis est de cognitione orta ex doctrina parentum, quam scil. per humanam fidem, ex eorum, vel aliorum doctrina à pueritia didicimus, vel de illa, quã ex creaturis discursu quasi imperceptibili,& per facilimam consequentiam inferimus; qua ratione etiam dicuntur ambæ naturales, nec possunt, ut potè moraliter certæ, saltem moraliter componi cum assensu opposito de negatione existentiæ Dei; vel tandem de illa, quæ humana industria, & labore per discursum evidentem ex rerum creatione, & gubernatione colligitur, quæ est metaphysicè certa; unde minus cum illa componibilis est idem assensus, non autem de illa, quæ præcisè, aut undè habetur ex re significata siue alio medio, quod erat necessarium, ut Deum existere esset nobis per se notum; & hanc rei significatæ cognitionam dixit esse quasi hyperbolicè cognitionem significationis nominis, ex eo quòd est imperfecta, & cùm cognitione quid nominis eam quodammodo confundens.

Nec refert, quòd Ansel. in prosologio c.4. arguat insipientem, quòd negaverit Deum in corde suo, quia non attendit ad rem significatam per nomen, sed tantum ad nominis significationem; Respondet idem Illustris. n.99. tantum velle, quòd non attendit, vel non cogitavit significatum hujus nominis *Deus*, cogitatione perfecta, fide habita, aut humana industria acquisita verum ejus significatum, quam explicatione desumit ex D Thom. in 1.dist.3.qu.1.ar.2.ad 4. ubi ait; *quòd ratio Anselmi procedit ex hac suppositione, quòd supponatur aliquid esse, quo maius cogitari non potest*; unde licet ità sit, quòd postquam intelligimus Deum, scil. cognitum, vel fide, vel discursu, ut dictum est, non possit simul intelligi, quòd sit Deus, & cogitari non esse; *ex hoc tamen non sequitur*, subdit ibidem; *quòd aliquis non possit negare, vel cogitare Deum non esse; potest enim cogitare* (scil. cognitione imperfecta) *nihil hujusmodi esse, quo maius cogitari non possit*.

Altera solutio D. Thom. ad eosdem priores PP. est, quòd intelligendi sunt de cognitione naturaliter indita non formaliter in se ipsa, sed virtualiter in radice quia; ut inquit; de veritate ibidem ad 1. *omnibus naturaliter insertum est aliquid unde potest pervenire ad cognoscendum Deum esse*; sicut in simili dicit 1. 2. quæst 63. ar. 1. quòd virtutes tam morales, quam intellectuales insunt nobis à natura, quia in homine insunt quædam principia, vel seminaria ad eas acquirendum; unde sicut hac ratione dicuntur esse ab illa tantum inchoativè; quantum verò ad consummationem, & perfectionem acquiruntur, ità proportionabiliter cognitio existentiæ Dei radicaliter tantum, vel inchoativè, erit ab eadem, non vero formaliter; & in se; & hoc modo etiam explicat ibi. Damascenum adductum in favorem primi argumenti; dum ait, huminem naturaliter habere justitiam, castitatem, humilitatem &c, scil. inchoativè, ut dictum est; non formaliter, & in se, seù quantum ad consummationem, vel perfectionem &c.

Tertiò arg: ex inconvenientibus, nempè, quia alias videretur admittenda ignorantia invincibilis de existentia Dei contra illud Job. 36. *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul*; & similiter removenda obligatio convertendi se in Deũ præcipuè in instanti usus rationis contra D. Th. 1. 2. q.98. ar.6. ad 3., & iterum colendi eum, cùm ad ejus cultum præsupponatur cognitio, ergo &c, Occasione hujus argumenti placet ejus difficultates specialiter resolvere, unde sit &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An detur ignorantia invincibilis de existentia Dei, adeò ut sit excusabilis non se convertens ab initio, vel non colens aliquando illum &c.



Difficultas iterum est de existentia veri Dei non implicitè, aut confusè sub ratione aliqua communi cognoscibilis, sed in particulari, ut explicatum est quæstione præcedenti; & pro affirmativa referuntur aliqui etiam ex nostris Bannez q.10. at.1. dub. 2. Cajet. Medina, Alvarez, Serra 1.2. quæst. 89. ar. 6. ubi circa secundam difficultatem §. *Affirmantem verò partem* versus medium ait. Advertendum tamen est, non opus esse, ut homo in primo instanti usus rationis convertat se in Deum, hoc facere explicitè per actualem amorem ipsius, Nam potest Deus invincibiliter ignorari à puero nutrito in sylvis, sed satis esse, ut saltem se convertat in Deum implicitè proponendo vivere secundùm regulas rationis, & prosequendo bonum honestum virtutis. Ex professo etiam tenet hic Marleta Controversia 10. & ex extraneis Molina hic ad ar.1.

Oppositũ tamen tenent alii doctissimi Thomistæ; M. Gonzales hic disp 11. concl 4. à S.Thom.disp.3. art. 1. ad 2. Illustrissimus Godoii disp. 2. §. 5. ad prob. ult. & iterum disp.3. §. ult. in fine num.252. & 253. Gonet, Contenson, M. Ferre §. 9., & 10. asserens ad id teneri omnes, qui intendunt sequi doctrinam D. Thom., & non succumbere difficultati argumenti, & M. Torre 22. quæst 94. ar.2. disp. 3., & alii extranei &c.

§.I.Sta-

§. I.

Statuitur Conclusio.

NEc in primo, nec in aliis instantibus, aut vitæ decursu admitti debet ignoratia invincibilis de existentia Dei, unde nequit aliquis legitimè excusari à conversione ad illum, vel à cultu ejus. Prima pars de 1. instanti sumitur ex illo Jo. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ex quo probatur sic, Deus ità primò moraliter venientē illuminat, scil. ad eum cognoscendum, at non præcisè sub ratione boni in communi, ergò in particulari secundùm prædicatum sibi proprium, scil. supremi legislatoris referendo se, & omnia sua in illum, prob. min. & primò quidem in doctrina D. Tho. non videtur de illa esse difficultas, nam 1. 2. q. 89. art. 6. docet tunc esse debitum implendi præceptum illud Zacar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, & quòd si tunc homo se convertit, vel se ordinat ad illum consequitur per gratiam remissionem originalis peccati, ergò vid. manifestè sentire, quòd in illo instanti Deus illuminat ad cognoscendum seipsum in particulari, ut supremum Legislatorem, cum observantia legis, vel præcepti supponat cognitionem illius, & hæc cognitio cognitionem Legislatoris, quia ut antequam quis se subdat legi, necessarium est cognoscere, à quo Legislatore dimanet talis lex; imò etiam ut auctorem gratiæ, cum justificatio, vel remissio peccati sit ab illo ut authore supernaturali, vel gratiæ, nequit autem quis sic se ordinare, vel convertere, nisi illum cognoscat, &c.

Secundò prob. eadem minor. Prima illa illuminatio est ad dirigendum hominem in seipsum, ut in ultimum finem, ergò non est præcisè ad cognitionem sui sub ratione boni in communi; ant est certum, quia aliàs non esset ad dirigendum hominem in seipsum, cum ad ipsum dirigi nequeat, nisi tanquam in ultimum finem, ut potè essentialiter talem contrapositivè ad creaturam; consequentia verò prob. Ratio boni honesti sic in communi nequit habere rationem ultimi finis, cùm abstrahat à bono creato, & increato, nam aliàs utrumq; ut potè confusum in illo haberet rationem ultimi finis, quod enim convenit essentialiter superiori, convenit cuilibet contento, vel confusè in illo, ut patet in rationali, & irrationali respectu animalis; utrumq; enim est substātia animata sensibilis, ergò si semel illuminat in ordine ad seipsum, ut ultimum finem non præcisè illuminat ad cognitionem sui sic in communi, & confusè, sed in particulari, &c

Explicatur, & urgetur hoc. Illuminatio directiva in Deum, ut ultimum finem, est directiva in illum, ut efficaciter super omnia diligendum; ad hoc enim illuminat ut juxtà meritum sui, & debitum creaturæ convertatur hæc ad seipsum, & efficaciter diligat ut finem ultimum super omnia; sed hæc conversio, & dilectio efficax super omnia nequit esse ad bonum honestum sic in communi, aliàs iterùm creatura confusa in illo haberet rationem ultimi efficaciter diligibilis super omnia, quod est alienum, ergò erit ad Deum cognitam in particulari, &c.

Dices esse quidem ad Deum, ut finem ultimum diligendum super omnia, non tamen explicitè, sed implicitè, quatenus puer sic illuminatus elicit propositum vivendi secundùm rectam rationem, & servandi totam legem, in quo implicitè clauditur dilectio Dei super omnia, unde non est necessaria Dei cognitio explicita, vel in particulari, &c.

Sed contra hoc est, & in primis hæc solutio excluditur argumento facto; nam si semel non est ad illum explicitè, & in particulari, erit ad aliquod commune utriq; sed hoc est impossibile ut probatum est, ergò §. 2. Illuminatio illa, ut efficaciter probat ibi D. Tho.; ad hoc est, ut impleatur præceptum conversionis in Deum, primitias enim requirit Deus à creatura; sed per prædictum propositum, nequit sufficienter impleri hoc præceptum, ergò requiritur ulterior motus in Deum explicitè, vel in particulari cognitum; probatur min. quia simplex propositum servandi, vel implendi præceptum, non est impletio ejus, vel conversio, sed tantùm affectus illius, sicut propositum dolendi, non est dolor, sed affectus illius, conversio enim, & dolor important executionem propositi, & non præcisum propositum, ergò sicut non impleret quis præceptum dolendi, nec sufficienter accederet ad Sacramentum pœnitentiæ per solum propositum doloris, nec implebit præceptum se convertendi, nec sufficienter accedet ad Deum juxtà exigentiam ejus per solum propositum conversionis, vel observantiæ legis, aut præcepti. §. Tum quia si prædictum propositum implendi præceptum, vel legem, includeret dilectionem Dei super omnia, simplex etiam dolor attritionis requisitus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ includeret illam, & consequenter esset saltem virtualis conversio ad Deum super omnia, consequens non admittitur, ergò ma. patet, quia etiam attritio requisita ad valorem ejusd. Sacramenti actu claudit propositum nunquam peccandi, & consequenter implendi, vel servandi totā legē; min. etiā cōstat, quia aliàs attritio esset dolor perfectus, sive contritio, & ultima dispositio ad gratiam etiam extrà Sacramentum conferendam, ergò, &c.

Secunda pars, quòd etiam post illud instans; videtur expressa mens SS. PP. qui passim docent totam naturam Divinitatem prædicare *tam clarè*, ait Chrysostomus homil. 9. ad populum; *ut & Scita, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super terram incedens hanc vocem audiat.* Et D. Basilius super illud Isa. 1. *Cognovit bos possessorem suum, Israel autem non cognovit*; inquit in Persona Dei; *Qui cælo enarrante innotesco, & per omnem creaturam nulli non palàm significor.* Et D. Gregorius exponens illud Job. 26. *Omnes homines vident Deum*, ait lib. 27. moral. cap. 3. *Omnis homo ex hoc ipso quòd rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit Deum.* D. Augustinus in Psal. 74. pulchrè addit. *Deus ubiq; secretus est, ubiq; publicus, quem nulli licet ut est, cognoscere; & quem nemò permittitur ignorare.* D. Ciprianus tract. de vanitate Idolorum, ait; *Deum ignorare non potes.* Eusebius de præparatione evangelica lib. 7. c. 2. inquit, *Sicut domum sine artifice non ædificari, & pannum*

sine

sine texente non fieri, *ita mundum sine Deo non esse factum certum est*, Unde D. Tho. ad Rom. c. 1. lect. 5. ad illa verba, *Deus illis manifestavit*. Subdit, *vel interiùs infundendo lumen*, *vel exteriùs proponendo visibiles creaturas*, *in quibus sicut in quodam libro Dei cognitio legeretur*; & iterum ad sequentia scil. *Per ea quæ facta sunt*. ait; *Sicut enim ars manifestatur per artificis opera*, *ità & Dei sapientia manifestatur per creaturas*, Sap. 13. *A magnitudine enim speciei*, *& creaturæ*, *cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Et videri potest etiam lib. 1. cont, gent. c. 11. & 12. &c.

Ratione deinde prob. ignorantia invincibilis, ut suppono ex communi consensu contra Jansenium, lib. 2. de statu naturæ lapsæ, excusat à peccato, sed ignorantia hujus veritatis *Deus est*, non excusat ab illo, ergò non est invincibilis, prob. min. quia ignorantes illam justissimè accusantur de illo, cùm de facto reprehendantur in Sac. Scriptura sapientiæ 13. ubi dicitur; *Vani sunt omnes homines*, *in quibus non subest scientia*, *& de his*, *quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum*, *qui est*. Et infra. *Iterùm autem*, *neq; his debet ignosci*, *si enim tantùm potuerunt scire*, *ut possent extimare sæculum*, *quomodò hujus Dominum non faciliùs invenerunt*, *&c.*

Dices ità esse regulariter loquendo, non per exclusionem casus extraordinarii, in quo possibilis est homo tantæ ruditatis, ut hanc veritatem scire non possit; nam ex stupidis, qui dari possunt in mundo, si detur aliquis in sylvis, vel terris, aut montibus enutritus, non videtur culpandus, ob hanc ignorantiam nullo prorsùs audito de divinitate verbo, aut de universi creatione, unde prædictæ scripturæ videntur intelligendę, sicut in simili dicitur, quòd *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *& Spiritu Sancto*, *non potest introire in regnum Dei*; & sic de aliis juxtà cursum ordinarium tantùm verificandis, &c.

Sed contra hoc est, Quia nullus, quicunq; sit, caret medio manifestativo ejusdem veritatis, ergò nullus sive regulariter, sive extraordinariè loquendo potest inculpabiliter eam ignorare; prob. ant. quia medium manifestativum illius, ut patet ex PP, & Scriptura: est hoc universum, cunctis ubiq; patens, ergò nullus etiam remotissimè vivens caret illo; in ullo namque quantumvis stupido ità potest diminui lumen rationis, ut perspecto universo in supremi moderatoris notitiam assurgere non valeat, sicut perspecta bene ordinata civitate, nullus est ita stupidus, qui ad hanc notitiam non perveniat, quòd sit ibi sapiens, gubernator, vel sapientes incolæ, unde Sap. 9. dicitur *à magnitudine speciei*, *& creaturæ poterat cognoscibiliter Creator eorum videri*: saltē enim negari nō potest, quòd ex manifestissimis hujus veritatis indiciis conjecturam aliquam, aut probabilitatem percipiat, unde teneatur de eadem inquirere, & ad illam pervenire, quòd si hoc spernat, vel negligat, habebit ignorantiam vincibilem, & culpabilem, & licèt dicatur possibilis, infidelis negativè, sive inculpabiliter ignorans mysteria Religionis Catholicæ, non tamen quem sine peccato Dei existentia lateat. 2. Si posset invincibiliter ab aliquo ignorari existentia veri Dei, posset etiam invincibiliter coli existentia falsi, consequens est alienum, nisi velimus posse aliquem excusari ob ignorantiam à peccato idololatriæ, de quo M. Raphael de la Torre 22. q. 94. art. 2. disp. 3. conc. 3. unde D. Tho. ibid. art. 4. ad 1. inquit; *Quòd causa dispositiva idololatriæ fuit ex parte hominis naturæ*, *defectus*, *vel per ignorantiam intellectus*, *vel per inordinationem affectus*, *& hoc etiam ad culpam pertinet*; ergò nequit in adulto admitti inculpabilis ignorantia veri Dei, &c.

Explicatur, & urgetur hoc præoccupando solutionem. Hoc est discrimen inter idololatriam, sive ignorantiam veri Dei, & inter alias infidelitates, sive ignorantiam rerum fidei, quòd quia hæç vinci non potest ex solis principiis naturæ indiget ductore externo, quo inculpabiliter deficiente dicitur quis inculpabiliter infidelis; sed ignorantia veri Dei solo lumine naturæ ex visibilium intuitu superari potest ut patet ex scriptura, & PP. ergo non est equaliter excusanda, sicut altera mysteriorum fidei.

Secundù probatur conc. Hæc veritas *Deus est*, ex principiis naturaliter notis facillima consequentia deducitur, ergò nequit invincibiliter, aut inculpabiliter ignorari; ant. constat ex dictis, consequētia verò prob. quia ut cōmuniter traditur p. 2. q. 76. non solùm non admittitur in nubis ignorantia invincibilis circa prima principia practica, ut *Bonum esse faciendum*, *malum fugiendum*. *Quod tibi non vis*, *alteri ne feceris*, sed nec etiam circa conclusiones ex illis facili consequentia inferibiles, *ut parentes esse honorandos*, qua ratione nec admittitur circa præcepta Decalogi, ut de adulterio, homicidio, &c. quia sunt conlusiones deductæ ex communibus principiis naturalibus, ut tradit ibidem D. Tho. q. 100. art. 1. & 3. ergò nec erit admittenda in speculativis circa istam *Deus est*; aut circa hanc aliam etiam in practicis *Deus est colendus*, ut potè immediatè, aut facillimè inferibiles ex illis, præcipuè loquendo in hac posteriori de Deu in particulari, & distinctè cognito, sic enim non est principium, sed conclusio deducta ex primis principiis pertinens ad primum præceptum Decalogi, licet in communi, & confusè accepto, *Deus est colendus*, dicatur primum principium per se notum, &c.

Dices, quòd videtur arg. nimis probans, nempè quòd non solùm non possit eadem veritas, invincibiliter ignorari, sed etiam quòd sit per se nota quoad nos, quia notitia hujus scil. *Deus est colendus*; ut potè practica supponit notitiam alterius speculativæ, nempè *Deus est*, unde si superior practica est per se nota, etiam quoad nos, ut modò contendimus, pariter altera etiā erit per se nota quoad nos & non solùm vincibiliter, &c.

Sed contra hoc est. Nam licèt cognitio practica supponat speculativam, non tamen tenetur supponere illam quantùm ad modum perseitatis, ergò nō tenetur speculativa præcedere eadē perseitate, qua gaudet practica, prob. ant. quia intellectus speculativus extensione fit practicus ergò post cognitionem, vel speculationem etiam per discursum habitam possunt oriri veritates practicæ per se notæ etiam quoad nos, sive principia practica, quæ non tam respiciunt veritatem rei, quàm convenientiam ad finem; unde ex eo quòd si hæc veritas, vel principium practicum, *Deus est colendus*, sit per se notum etiam quoad nos; pariter hæc speculativa *Deus est*, sit etiam per se nota quoad nos,

nos, & ante omnem discursum tam practicū quàm speculativum, quidquid sit ante practicum, sed tamen post speculativum, præcipuè loquendo, ut dictum est; de Deo vero, vel in particulari, aut distinctè cognito.

Tertiò probatur ex gravi inconveniente, ex Alexand. 8. decreto proximè emanato. Admissa ignorantia invincibili veri Dei sequitur posse dari actum humanum naturæ rationali, & rectæ rationi disconvenientem, qui offensa Dei, vel peccatum mortale non sit dissolvēs ejus amicitiam, neq; æterna pœna dignum; consequens est ab eodem Pontifice damnatum 21. Augusti 1690. ergo non est admittenda hæc ignorantia de vero Deo. Min. constat ex prædicto decreto, ubi damnatur hæc secunda propositio. *Peccatum philosophicum, seù morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, &c. Quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, vel peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pæna dignum*, maj. verò probatur Deo invincibiliter ignorato non offenditur, si velimus ignorantiam invincibilem excusare à peccato juxtà communem consensum Theologorum, ut dictum est; sed admissa hac ignorantia invincibili potest adhuc dari in sic invincibiliter ignorante actus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, ergo, prob. min., quia in sic ignorante adhuc remanet notitia illorum principiorum, quòd tibi non vis, alteri ne feceris, & quòd parentes sunt honorandi, sed hac supposita potest quis ex passione, vel ira contrà operari graviter offendendo, vel occidendo parrem, ergo est dabilis prædictus actus disconveniens, Deo invincibiliter ignorato, &c.

Ex quibus manet impugnata solutio cujusdam recentioris, qui aliàs scripsit ante Decretum, nempè quòd solùm convincitur de peccato philosophico, non theologico, sive de injuria graviter offensiva hominis, non Dei; nam Summus Pontifex damnat ibi, ut dictum est, peccatum, quod licet esset grave q. idem in ignorante Deum, vel actu non cogitante de illo, non tamen quòd esset offensa Dei, ergo non est dabilis actus humanus conveniens naturæ rationali, vel rectæ rationi, ex quo tantùm offendatur homo, & non Deus &c. unde D.Tho. 2.2. q. 20. ar. 3. docet non stare conversionem inordinatam ad creaturam sine aversione inordinata ad Deum, dicens: *Si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale &c.*

Nec huic doctrinæ, aut veritati opponitur quod sustinent aliqui Thomistæ de puero veniente ad usum rationis, nempè, quòd teneatur tantùm se convertere ad Deum, ut contentum in communi ratione boni, & non in particulari, aut distinctè cognitum; quia adhuc supposito, quòd tantùm sic obligetur, nequit tamen ab illo bono recedere, nisi etiam à Deo, ut in illo præcontento recedat, sicut neque ad illud voluntariè accedit, nisi pariter ad Deum, ut præcontentum accedat, ergo nunquam dabitur actus inordinatus per recessum à recta ratione, vel à bono illi consono, nisi sit simul offensa Dei, vel actus inordinatus per recessum ab illo juxta mentem D. Thom., & Summi Pontificis; unde displicet, quòd vir altàs subtilis, & doctus, & doctrinæ D. Tho. addictus ad hujusmodi solutionem recurrat, licèt ante Decretum impresserit. Vid. etiam D. Tho. p. 2. qu. 73. art. 1. ad 1, & q. 87. ar. 4. & 22. q. 34. ar. 2. ubi licèt statuat hoc discrimen inter peccatum odii Dei, & alia peccata, quòd in illo voluntas peccantis secundùm se avertatur à Deo, in aliis verò non sic, nihilominùs in his adhuc semper est annexa aversio ab illo; unde ait: *In aliis peccatis, putà cùm quis fornicatur, non avertitur à Deo secundùm se, sed secundùm aliud, in quantùm scil. appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem à Deo.* Unde imprescindibilis est juxta D.Tho. à peccato mortali hujusmodi ratio offensæ, vel aversionis à Deo &c.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arg. ex eodem recentiori sumpto fundamento ex doctrina D. Th. q.14. de Fide ar.11. ubi inquirens an sit necessarium aliquid explicitè credere, objicit sibi primum argumentum de puero enutrito in sylvis, vel inter bruta animalia nullo supposito auditu de rebus Fidei; cui respondet: *Quod si ductum rationis naturalis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*, Act.10. Ex quo arg sic: Juxta D.Tho.puer iste est certissimè illuminandus si tantùm sequatur bonum rationi naturali consonum, ergo admittit in illo ignorantiam invincibilem, vel inculpabilem de Deo, prob. consequentia, quia ex eo asserit esse certissimè illuminandum, quia *ad divinam providentiam pertinet*, (ut ait in prioribus verbis) ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodò ex parte ejus non impediatur; at si non supponatur ignorantia invincibilis, jam ex parte ejus esset impedimentum ignorantiæ culpabilis, ergo admittit in illo inculpabilem &c.

Urgetur hoc. Nam idem puer est de numero infidelium negativè, quos nempe admittit D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 1. & sunt qui nihil audierunt de Fide, nec de existentia veri Dei, sed isti laborant ignorantia invincibili; nam de hac infidelitate ait ibidem, quòd non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, nec sunt hujusmodi infideles propter illam damnandi, sed propter alia peccata, juxta illud Domini Joan. 15. si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, scil. infidelitatis, ut explicat Augustinus. §. Tum quia, ut dictum est; si ignorantia hujus infidelitatis supponeretur culpabilis jam impedirent certissimam illam illuminationem, quam infert D. Tho. ergo &c.

Ad hoc patet ex dictis solùm probare de ignorantia opposita cognitioni Fidei, non simplici cognitioni Dei, licèt utramque prædictus recentior confundat, sed immeritò, quia prior ad sui remotionem indiget auditu, posterior verò visu, ut dictum est; unde rectè ait D. Tho. certissimè eundem puerum fore illuminandum perseverando in sequela boni, & fuga mali secundùm ductum rationis natura-

turalis, quia prout sic non ponit impedimentum, cùm loquendo de ignorantia mysteriorum Fidei, non sufficiat visio creaturarum, sed requiratur auditus externæ prædicationis, habitis viribus gratiæ ad credendum; supposito tamen, quòd aliàs non deficiat in cognitione existentiæ veri Dei, quia tunc apponeret impedimentum, unde in eadem sequela boni, & fuga mali includitur conatus ad cognoscendum ex creaturis Deum esse in particulari, quo sublato statim ex parte sui adest obex, nè illum illuminet &c. Et per hæc patet ad confirmationem; negamus enim quòd sit ideo puer de numero infidelium negativè, quos ait D. Tho. non esse damnandos propter hoc peccatum, sed propter alia peccata, ut statim iterùm constabit &c.

Sed instas. Quia nō minùs sunt infideles absolutè, qui sic enutriti in sylvis, vel inter barbaros, & præcipuè inter atheos negant existentiam Dei, quàm qui negant alia mysteria Fidei; nam inter atheos non solùm non audiunt existentiam Dei, sed magis negationem ejus, ergo si de cæteris sic enutritis asfirmat D. Thom. esse purè infideles negativè non damnandos ob eorum infidelitatem ex ignorantia invincibili procedentem, similiter erit affirmandum juxta D. Tho. de aliis tanquam de infidelibus negativè invincibili ignorantia laborantibus &c.

Respondetur, vel nego, vel distinguo ant. non minùs, & eodem modo, nego; diverso, concedo; nam qui negant existentiam magis sunt infideles contrariè, quàm purè negativè; habent enim debitum, & sufficientiam luminis per visum, ut dictum est, ad cognoscendum illum quantùm ad præcisam sui existentiam, non tamen quoad altiora ejus prædicata ordinis supernaturalis, vel gratiæ; unde de priori cognitione præter relatos SS. PP. ait Chrysostomus Epist. 3. ad Nepotianum: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius, Turca ipsum agnoscunt, bellorum feritas, & pedistarum turba populorum, stridorem suum in dulces nominis ejus fugerunt melos, & tot ut Mundi una vox Deus est.* Unde Hilarius 11. de Trinit. ait: *Neque Mundo ignorabilis effici potest &c. quem tota natura prædicat, & quem concors populorum omnium consensus esse testatur.* Non refert ergo, quòd sint nutriti in sylvis, vel inter atheos, dum tota natura objecta visui oppositum prædicat, & eorum falsitatem detestatur.

Nec juxta D. Tho. confundenda est cum altera infidelitate opposita mysteriis Fidei, nam de hac expressè loquitur ibid. 2. 2. ut patet ex testimonio adducto Jo: 15., quam scil. Christus judicavit esse inexcusabilem post sui adventum; constat autem, hanc non concernere præcisam existentiam Dei, sed eundem sui adventum, Divinitatem, & alia mysteria gratiæ; & de hac etiam loquitur qu. relata de Fide, ut apertè iterùm patet ex littera, dum ait vel Deum ei revelaturum, quæ sunt ad credendum necessaria, vel directurum ad eum aliquem Fidei Prædicatorem, confirmans ex illo Act. 10. ubi de notitia Christi, & mysteriorum ejus fit mentio, unde loquendo de infideli ignorante existentiam Dei, non solùm damnandus est propter alia peccata, sed etiam propter istud, quòd noluerit Deum authorem naturæ cognoscere, cùm posset, & deberet &c.

2. Arg. (& potest esse replica) sumpto fundamento ex Apostolo ad Hebr. 11. ubi postquàm docuit Fidem esse argumentum non apparentium, & sine illa impossibile esse placere Deo, statim addidit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Ex quo arg. sic. Juxta Apostolum accedens ad Deum oportet credere, *quia est*, ergo saltem rudiores, aut tardissimi ingenii ad hujus veritatis notitiam indigent revelatione divina, vel externo auditu, ita ut his seclusis eorum ignorantia sit excusabilis, prob. conf.; quia si possent aliunde habere illam, non videretur necessarium recurrere ad Fidem, vel revelationem divinam, ad quam recurrit Apostolus, ergo &c.

Urg. hoc. Quia lumen naturæ solùm dictat hanc conditionalem, si Deus est, colendus est; non tamen absolutè quòd *Deus sit*, sed tantùm habetur medio discursu, ut dictum est; sed loquendo de hominibus incultis, & agrestibus, vel enutritis in sylvis, non est dicendum, posse per se ipsos formare discursus evidentes, aut demonstrativos ejusdem veritatis, ergo eorum ignorantia, & omissio cultus erit excusabilis &c.

Urgetur ulteriùs. Nam de existentia Dei dupliciter loqui possumus; vel quatenùs cognoscibilis est ut unus verus Deus, quem nos Catholici colimus, & cæteri quoad hoc nobiscum consentientes; vel præcisivè ab eo, in quo reperitur ratio veri Dei, & ab eo, quòd sit unus, vel plures in re; est auté duplex error, alter eorum, qui ignorant verum Deum esse unum, & ponunt plures in re; alter eorum, qui rationem veri Dei applicant creaturæ, ut Soli, Lunæ, & aliis hujusmodi; si loquamur de illo priori modo, non solùm non est à rudibus cognoscibilis, sed vix à subtilioribus Philosophis, non sine ingenti labore cognosci potuit; si verò posteriori, etiam constat tot barbaris Nationibus fuisse incognitum, cùm alii pro vero Deo adoraverint Solem, alii Lunam, vel alia huiusmodi ficticia Numina, ergo carentiam istius etiam cognitionis saltem in rudibus, & sylvestribus erit invincibilis &c.

Ad hoc respondetur, locum Apostoli non adduci ad rem, quia non loquitur ibi de cognitione naturali Dei authoris naturæ, sed gratiæ; quia, ut egregiè docet D. Tho. 2. 2. qu. 1. ar. 7. in corp. prima credibilia, in quibus cæteri articuli implicitè continentur, sunt hæc duo, quæ præcipiuntur ab Apostolo; scil. accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator est; certum est autem, quòd cæteri articuli, utpotè spectantes ad ordinem gratiæ, contineri nequeunt in art. *quia est*, si de Deo auctore naturæ intelligendus sit, nisi velimus, quòd in cognitione naturali contineatur fides supernaturalis; vel in principiis naturalibus principia supernaturalia, quod est hæresis Pelagiana. §. Tum quia de Fide illius loquitur, ad quem fit accessus per justificationem (de hoc enim accessu ad justitiā tractat ibidem) sed per justificationem non fit accessus præcisè ad Deum authorem naturæ, sed gratiæ; nam prout sic est justificator, & glorificator, ergo. §. Tum quia loquitur de illis veritatibus, quæ fuerunt semper necessariæ ad eandem justificationem, & quæ aliquando sufficiunt non facta expressiori revelatione, sed hæreticum est dicere cognitionem naturalem Dei authoris naturæ pro aliquo tempore sufficere ad illam,

jam. §. Tum deinque quia de illis iterùm veritatibus loquitur, quæ subjiciuntur Fidei, prout est argumentum non apparentium, de qua est sermo ibi, sed veritates naturales sunt apparentes, & cognoscibiles per ea, quæ facta sunt, ergo.

Ad argumentum ergo factum nego suppositum consequentis, quòd veritas, cujus fidem præcipit, sit cognoscibilis simplici lumine naturali, nec apud omnes indigeat revelatione, vel externo auditu; unde D. Tho. lect. 1. ibidem, objectioni factæ contra dictum Apostoli, nempè quòd creditum non potest esse scitum, nec visum; Deum autem esse est demonstratum; respondet, quòd de Deo multipliciter potest haberi notitia; uno modo per Christum quoad ea scil., quæ ipse docuit de Personis Divinis quoad unitatem essentiæ, & trinitatem Personarum, & hoc; inquit; tantùm est creditum, nec in veteri Testamento fuit explicitè creditum, nisi à majoribus tantùm. Secundo modo, quòd solus Deus est colendus, & sic etiam creditum est à Judæis. Tertio modo quòd est unus Deus; & hoc notum est etiam ipsis Philosophis, & non cadit sub fide. Ecce quod secundùm quòd cadit sub fide, quam præmittit Apostolos non pertinet ad cognitionem purè naturalem. §. Sed nè fiat æquivocatio circa hunc tertium modum, adverto ex eodem q. 14. de Verit. ar. 9. ad 8 quòd unitas divina dupliciter sumi potest, primò quasi solitariè, & prout demonstratur à Philosophis, & tunc Deum esse unum non est articulus Fidei, sed præsuppositum ad articulos; nam cognitio Fidei præsupponit cognitionem naturalem, sicut & gratia naturam; 2. qualis ponitur à Fidelibus, scil. cum omnipotentia, & omnium providentia, & aliis hujusmodi, quæ probari non possunt, & hoc modo articulum constituit, nec simplici lumine naturali cognosci potest &c.

Sed instas primò. Juxta D. Thom. lect. relata, Deum esse colendum, ponitur inter credibilia, ergo saltem ab eisdem rudibus, vel enutritis in sylvis, qui nihil audierunt, invincibiliter cultus ejus ignorari poterit, sicut ignorantur alia credibilia. §. Secundò, & urgentiùs. Quia idem 2. 2. qu. 2. ar. 4. inquirens utrùm credere ea, quæ ratione naturali probari possunt, sit necessarium; respondet: *Quòd necessarium est homini accipere per modum fidei, non solùm ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam qua per rationem cognosci possunt*; quod probat tripliciter, primò, *ut citiùs homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat &c. 2. Ut cognitio Dei sit communior &c. 3. ut si esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo*, ergo juxta D. Tho. Deus etiam ut author naturæ potest cadere sub fide, & consequenter quòd ab aliquibus saltem tardioris ingenii possit invincibiliter ignorari, aliàs non videretur necessarium tradere ejus cognitionem per modum fidei &c.

Ad primam dist. & expl. ant. loquendo de Deo, ut cognito à Judæis, à quibus dicit fuisse creditum, concedo; ut cognoscibili simplici lumine naturali, nego; aliàs non distingueret notitiam ejus secundo modo, ab illa tertio modo traditam, & concessam Philosophis. Judæi enim non præcisè cognoscebant, ut auctorem naturæ, sed etiam gratiæ, & per Fidem Christi venturi justificabantur; immò Moyses eorum Dux, aut Legislator pleniùs fuit instructus de Divinitate, quàm præcedentes Patres, ut egregiè ostendit D. Tho. 2. 2. q. 174 ar. 6. probans ex eo quod Dominus dicit Moysi Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob, in Deo omnipotente, & nomen Adonai non indicavi eis*, quia scil. ut subdit D. Tho., præcedentes Patres fuerant instructi in fide de omnipotentia unius Dei; sed Moyses posteà pleniùs fuit instructus de simplicitate divinæ essentiæ, cùm dictum est ei Exod. 3. *Ego sum qui sum*, quod quidem nomen significatur à Judæis per hoc nomen *Adonai*, propter venerationem illius ineffabilis nominis. Videatur ibi per totum, ubi ad rem, & ad plura alia, scitu dignissima tradit &c.

Ad secundam respondetur solùm probari de invincibilitate ignorantiæ opposita cognitioni scientificæ, seu pro carentia scientiæ strictè dictæ, quæ longâ indiget, & difficili excussione, qua ratione movetur principaliter ibid. D. Tho. ad statuendam præfatam necessitatem; non prout importat careotiam omnis cognitionis Dei; hæc enim, ut dictum est, ex naturaliter notis facillima consequentia deducitur, unde hanc Dei cognitionem SS. PP. ut insinuavimus, vocant naturaliter insertam. §. Præterquamquòd D. Tho. in principio, & in fine corp. non dicit absolutè, sed aliquo modo restrictivè, quòd sit necessarium homini accipere ea, scil. per modum Fidei, & non præcisè per Fidem, quod explicat cum particula iterùm diminuente, nempè *quasi dicta à Deo*; ut detur intelligi, quòd cognitio etiam perfecta Dei auctoris naturæ non pertinet præcisè secundùm se ad forum Fidei, sed ex insufficientia ex parte nostri saltem in pluribus reperta, fide vel non nisi post mult: tẽpus haberetur, vel minùs cõmuniter, vel etiã periculosè, ut explicat ibid. D. Tho. & ideò dici potest, quòd Deum esse auctorem naturæ sit necessarium credibile non singulis hominibus, sed communitati hominum, quia multi sunt inepti, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, & necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi, qui omninò à Dei cognitione fraudarentur nisi eis proponerentur hujusmodi divina per modum Fidei, ut inquit D. Tho: unde hoc est discrimen inter hæc duo credibilia: Deus est auctor naturæ, & Deus est auctor gratiæ; quòd primum credere est necessarium soli communitati, (& de hac necessitate loquitur ibi D. Tho:) secundum verò est necessarium singulis hominibus, si velint ad Deum converti, & de hac loquitur Apostolus, dum ait, quòd accedentem ad Deum oportet credere; *quia est, & inquirentibus se remunerator est &c.*

Ex his ad primam confirmationem principalis argumenti, nego ant. quoad primam partem, quòd natura id tantùm conditionatè dictet, cùm tota ubique terrarum prædicet, ut dicit D. Hilarius; & concors omnium Populorum consensus: quoad secundam verò disting.; habetur medio discursu proportionato cognitioni, concedo; aliter nego; nam loquendo de cognitione perfecta, seu certa, & indubitata, habetur per discursum scientificum, vel etiam per modum Fidei, ut dictum est. De imperfecta autem, vel probabili, aut conjecturali per facillimã consequentiam, ut explicatũ est; quod satis est, ut dicantur inexcusabiles, etiam enutriti in sylvis; sicut enim viso fumo quilibet devenit in notitiam ignis occulti, sic visis effectibus

deveniet in notitiam Dei, &c.

Ad secundam similiter dicimus nos loqui de existentia veri Dei, ut cognoscibili saltem probabiliter, aut conjecturaliter, à qua nemo potest jure excludi, ut probatum est, quidquid sit, de scientifica, &c.

DISPUTATIO II.

De existentiæ Dei demonstrabilitate quoad an est *per vires naturæ.*

TRia inquirimus in hac disputatione; primum veluti preambulare, quid scil. de hac demonstrabilitate secundùm fidem tenendum sit; secundum de qualitate demonstrationis, an à priori, vel à posteriori; tertium de efficacia rationum D. Tho. &c.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit de fide existentiam Dei esse demonstrabilem solis viribus naturæ.

FUit olim quorundā opinio, quam D.Tho. refert, erroremque appellat 1. cont. gent. cap. 12. qui nempè dicebant, Deum esse non posse per rationem inveniri, sed per solam viam fidei, & revelationis esse acceptum; sed impugnat ibi D. Tho. tum ex demonstrationis arte, quæ ex effectibus causas concludere docet: tum ex ipso scientiarum ordine: nam si non sit aliqua scibilis substātia supra substantiā sensibilem non erit aliqua scientia suprà naturalem, ut dicitur in 4. metaphisicæ, tum ex Philosophorum studio, qui Deum esse demonstrare conati sunt: tum etiam Apostolica veritate asserente Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ubi etiam Hier. ait, *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Nam licet Deum corporeis oculis non videatur, ex effectibus tamen nobis manifestus est. *Sæpè enim* (inquit Athanasius oratione contra idola) *ex operibus cognoscitur artifex, etiamsi in oculis non sit. Quemadmodum referunt de Statuario Phidia, quem sua opera ex commensione, & proportione partium inter se etiam absentem, extraq; intuitum positum repræsentarint; ità quoq; ex mundi ordine ejus Opifex, & Conditor intelligendus est, tametsi corporeis oculis spectari nequeat.* Et D. Greg. Naziaz. orat. 34. id etiam pulchrè declarat exemplo Cytharæ, quam conspiciens, aut ipsius cantum audiens; *Nil aliud, quam ipsum Cytharæ conditorem, atq; cytharedum mente reputat.*

§. I.

Statuitur Conclusio.

DE fide tenendum est existentiam Dei esse demonstrabilem solis viribus naturæ. Ità videtur jam communis consensus Theologorum. Sumitur primò ex illo Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Sunt enim cœli, (ut rectè expendit M. Serra hìc ad ar. 2.) quasi liber quidam apertus: ob id namq; insinuandum Psal. 103. v. 3. dicitur; *Extendens cælum sicut pellem*; quia ex pellibus olim fiebant libri; & Isa. 34. v. 4. *Complicabuntur sicut liber cæli*: Unde sicut Libri res gestas narrāt, ità cœli enarrant gloriam Dei, non solùm autem narrant quasi libri mutis elementis, sed etiam quasi quibusdam vocibus prædicant, & clamant; ut ibid. innuitur vers. 4. *Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Unde Chrysost. homil. 9. ad populum ità subtiliter prosequitur. *Tacet cælum sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit per oculos non per aures nos docens: sic enim sensus à natura est illo certior, & manifestior, si enim per libros docuisset, & litteras; litterarum peritus scripta didicisset, nesciens verò nihil inde adjutus abiisset: si quis alius non dixisset, & dives quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursum vocem quidem illam per litteram significatam sciens intus positam nosset, Scita verò, & Barbarus, & Iudus & Egyptius, & omnes lingua carentes illa nihil docti abiissent, Hoc autem de culo dicere non licet, sed & Scita, & Barbarus, & Iudus, & Egyptius, & omnis homo super terrā incedens hanc vocē audiet.*

Secundò probatur etiam principaliter ex Apost. ubi suprà vers. 19. 20., & 21. illis verbis; *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ità ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Quibus Apostolus invehit contrà gentiles lumine fidei destitutos, & dicit esse inexcusabiles, quòd non sicut Deum glorificaverunt, quia reverà cognoverunt, quod probat tum ex parte objecti, tum ex parte luminis, tum ex parte medii; ex parte quidem primi, *quia quod notum est Dei.* id est, quòd cognoscibile est ab homine de Deo per rationem naturalem, *manife-*

stum

ftum est in illis. Ex parte verò luminis; quia in eis erat lumen intrinsecum, juxtà illud psal. 4. *Multi dicunt quis ostendit nobis bona; signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; ex parte autem medii, quia exterius proposuit eis Deus signa suæ sapientiæ, scil. creaturas sensibiles, in quibus, ut dictum est, sicut in quodam libro, Dei cognitio, idest suorum invisibilium, quæ nempè à nobis in præsenti vita, clarè videri non possunt, legeretur; quia *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Sed audiamus D. Tho. ibid. l.c. 6. egregiè hoc ipsum explicantem ex D. Dionys. lib. de divinis nominibus cap. 1. §. 3. & 5. ut advertit ibi noster Nicolai lib. 2. & etiā innuit D. Tho. *Sciendum est ergò* (,inquit Angelicus,) *quòd aliquid circa Deum est omninò ignotum homini in hac vita*; scil. *Quid est Deus.* Unde & Paulus Act. 17. invenit Athenis Aram inscriptam *Ignoto Deo*; & hoc ideò, quia cognitio hominis incipit ab his, quæ sunt ei connaturalia, scil. à sensibilibus creaturis, quæ non sunt proportionatæ ad repræsentandam divinam essentiam. Potest tamen homo ex hujusmodi creaturis Deum cognoscere. Uno quidem modo *per viam causalitatis.* Quia enim hujusmodi creaturæ sunt defectibiles, & mutabiles, necesse est eas reducere ad aliquod principium immobile, & perfectum, & secundùm hoc cognoscitur de Deo *an est.* 2. *Per viam excellentiæ.* Non enim reducuntur omnia in primum principium, sicut in propriam causam, & univocam prout homo hominem generat, sed sicut in causam excedentem, & ex hoc cognoscitur quòd est super omnia. 3. *Per viam negationis*; quia si est causa excedens, nihil eorum, quæ sunt in creaturis potest eis competere; sicut etiam neque corpus cæleste propriè dicitur grave, vel leve, aut calidum, vel frigidum. Et secundùm hoc dicimus Deum *immobilem*, & *infinitum*, & si quid aliud hujusmodi dicitur: hujusmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis inditum; Psal. 4. *Multi dicunt, &c. Signatum est, &c.* Deinde cum dicit, *Deus illis manifestavit*, ostendit à quo authore hujusmodi cognitio eis fuerit manifestata, & dixit, *quòd Deus illis manifestavit.* Secundùm illud Job 35. *Docet nos super jumenta terræ.* Ubi considerandum est, quòd unus homo alteri manifestat explicando conceptum suum per aliqua signa exteriora, puta per vocem, vel scripturam: Deus autem dupliciter aliquid homini manifestat: uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit: Psal. 4. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*: alio modo proponendo suæ sapientiæ signa exteriora, scil. sensibiles creaturas Ecclesiast. 1. *Effudit illam*; (scil. sapientiam) *super omnia opera sua.* Sic ergò Deus illis manifestavit, vel interiùs infundendo lumen, vel exteriùs proponendo visibiles creaturas, in quibus sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur.

Deinde cum dicit. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, &c.* Ostendit per quem modum hujusmodi cognitionem acceperint. Ubi primò considerandum est, quæ sunt ista, quæ de Deo cognoverunt, & ponit tria. Primò quidem *invisibilia ipsius*, per quæ intelligitur Dei essentia, quæ sicut dictum est, à nobis videri non potest. Jo. 1. *Deum nemo vidit unquam*; scil. per essentiam vita mortali vivens: 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & invisibili.* Dicit autem pluraliter, *invisibilia*, quia Dei essentia non est nobis cognita, secundùm illud, quod est, scil. prout in se est una, sic enim tantùm erit nobis in patria cognita: *& tunc erit Dominus unus, & nomen ejus unum*, ut dicitur Zachar. ultimo. Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quæ id, quod in Deo unum est, multipliciter participant, & secundùm hoc intellectus noster considerat unitatem divinæ essentiæ sub ratione bonitatis, sapientiæ, virtutis, quæ in Deo unum sunt. Hæc ergò *invisibilia Dei* dixit, quia illud unum, quod his nominibus, seu rationibus in Deo respondet, non videtur à nobis: Hebreor. 11. *Ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Aliud autem, quod de Deo cognoscitur, est virtus ipsius: secundùm quam res ab eo procedunt, sicut à principio. Psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus.* Hanc ergò virtutem Philosophi perpetuam esse cognoverunt: unde dicitur *sempiterna quoque virtus ejus.* Tertium cognitum est, quod dicit, *& Divinitas.* Ad quod pertinet, quod cognoverunt Deum, sicut ultimum finem, in quem omnia tendunt. Divinum enim bonum dicitur bonum commune, quod ab omnibus participatur: Propter hoc potius dixit *Divinitatem*, quæ participationem significat, quàm Deitatem, quæ significat essentiam Dei: Colofs. 2. *Et in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Hæc autem tria referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos: nam *invisibilia* cognoscuntur per viam negationis: *sempiterna virtus* per viam causalitatis: *Divinitas* per viam excellentiæ.

2. Considerandū est, per quod mediū illa cognoverunt: quod designatur cum dicit *per ea quæ facta sunt*: sicut enim ars manifestatur per artificii opera, ita & Dei sapientia manifestatur per creaturas: sapientiæ 13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Hæc præclarissimè, prout de more D. Tho. Ex quibus apertè cōstat existentiā Dei nō excedere lumen rationis naturalis, undè dum ab Apostolo asseritur fuisse ab eisdem gentilibus cognitam, relinquitur de fide esse, quòd solis naturæ viribus demonstrabilis sit, &c.

Ratione deindè ex his probatur concl. Id, quod non excedit vires naturæ, nec ex parte luminis, nec ex parte medii est naturaliter demonstrabile, sed juxtà Apostol. existentia Dei est hujusmodi, ergo de fide est esse naturaliter demonstrabilem; min. patet ex superiori explicatione D.Tho.&c.

Urgetur hoc. Nam Apostolus, ut patet ex eodem D. Tho. distinguit de Deo, alterum, quod est notum illius, & alterum non, scil. inter Deum unum, & trinum, at nisi id, quod est notum, accipiatur ut tale per rationem naturalem, ut explicat D.Tho., & communiter interpretes, præfata distinctio non subsistit, quia per vires gratiæ omnia sunt cognoscibilia, eò vel maximè quòd idem notum Dei dicit esse notum ex effectibus naturalibus, & sensibilibus, quæ solum fundare possunt cognitionem naturalem, ergo, &c.

Urgetur ulteriùs; quia Apostolus damnat gentiles tanquam inexcusabiles ex eo, quòd non glorificaverint, sicut cognoverunt, sed isti ut dictum est, carebant lumine supernaturali fidei, ergo aper-

apertè sentit, quòd per solum lumen naturæ habuerunt cognitionem de Deo sufficienter ad illum glorificandum, & gratias agendum, &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

PRimò arguitur ex quadam authoritate D. Augustini, quæ videtur aliqualiter difficilis desumpta ex lib. 2. de Civitate c. 7., ubi de Philosophis antiquis ait; *Et quidam eorum quædam magna, quantum divinitus adjuti sunt, invenerunt, quantum autem humanitus impediti sunt, erraverunt*, ergo sentit quòd solo lumine naturæ nudè sumpto non potuerunt de Deo scire, quæ sciverunt, alias non indiguissent lumine soperaddito, vel Dei adjutorio, quod statuit Augustinus, nec ità errassent humanitus impediti, &c.

Urgetur hoc ex D. Tho. hic art. 1., & 22. q. 2. art. 4. ubi utrobique, ut vidimus, docet, quòd *etiam ad ea, quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata à paucis, & per longum tempus, & cum ad mixtione multorum errorum homini proveniret*, ut ait hic in corp. Et deindè etiam 22. in fine corp. ioquit; *Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens, cujus signum est; quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt, ut ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, opportuit, quòd divina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest.* In quibus videtur sentire, quòd lumen naturale nudè sumptum, vel sibi relictum non sit sufficiens ad hujusmodi divina certò, vel demonstrativè cognoscenda, sed magis humanitus impediti, ut inquit D. Augustinus; erraverint, &c.

Ad D. Augustinũ communiter responderi solet, quòd tantùm loquitur de adjutorio generali incluso in dono creationis, quod quidem etiam ad cognitionem naturalem certum est esse necessariũ, non autem de speciali, quod specialis gratia sit. §. Sed contrà hoc est; quia Augustinus loquitur de adjutorio, quod divinitus adjuti sunt ad quædam magna invenienda, sed generale non est præcisè ad magna, sed ad quemcunque actum etiam facillimum, ut tradit D. Tho. p. 2. q. 109. art. 9. ergo de speciali ex littera ipsa videtur magis explicandus. §. Secundò quia de illo adjutorio intelligi debet, de quo poterat esse difficultas ad illa magna invenienda, sed de generali nulla potest esse, ut innuit D. Tho. ibidem, ergo. §. Tertiò quia ut opponit M. Ferre adjutorium Dei generale, & ordinis naturæ non dat vires ad sciendum aliquã veritatem, vel ad benè operandum opus bonum, sed tantùm applicat vires hominis ex se proportionatas ad eliciendam cognitionem talis veritatis, ergo dum Augustinus ait prædictos Philosophos humanitus impeditos errasse, & divinitus adjutos quædam magna invenisse, negat humanæ naturę vires proportionatas ad sciendum magna de Deo. §. Aliter ergo respondet Augustinum non loqui præcisè de existentia Dei cognita tantùm quoad anest; nec de cognitione magnorum de quibus ait Apostolus, *quod notum est Dei manifestum est in illis*; sed de aliquibus forsan spectantibus ad objectum beatitudinis nostræ supernaturalis, ad quorum cognitionem certum est requiri gratiam specialem. Fundat hanc explicationem in textu, quia docet ibidem divinam providentiam permisisse in Philosophis hujusmodi errores, *Ut viam pietatis ab humilitate in superna surgentem etiam istorum comparatione monstraret.* Quibus videtur intendere, quòd ideò permissi sunt in plures errores cadere, quia de proprii ingenii viribus superbientes ad superiorum Dei, id est occultissimorum ejus cognitionem ascendere prætendebant; unde non est sermo ibi de pùra existentia Dei, ut modo loquimur, quia ad hanc pervenire solis viribus naturæ ex discursu creaturarum nulla est superbia.

Fundat secundò in eo, quòd ibidem sic subdit. *Verumtamen si Philosophi aliquid invenerunt, quod agenda bona, vitaque adipiscenda satis esse possit, quantò justius talibus honores divini decernuntur*; ubi iterum innuit se loqui de his, quorum cognitio satis est ad vitam beatam adipiscendam, hæc autem, ut supponimus, non est præcisa cognitio existentiæ Dei authoris naturæ, &c.

Utraque solutio sustineri potest, & hæc quidem posterior ulteriùs fundari in D. Thoma, aliquomodo aperiente illa magna circa finem ejusdem lect. 6., ubi refert Glossam sic aliter explicantem superiùs adductam authoritatem Apostoli; unde ait, *Glossa* autem dicit, quòd per *invisibilia* intelligitur persona patris 1. Timot. *ult. quem nullus hominum vidit, &c. per sempiternam virtutem*, persona Filii secundùm illud 1. Corint. 1. *Christum Dei virtutem, &c. per Divinitatem*, persona Spiritus Sancti, cui appropriatur bonitas, & deinde subdit; Non quod Philosophi ductu rationis potuerint pervenire, quantùm ad propria, quæ non significant habitudinẽ causæ ad creaturas; sed secundùm appropriata, dicuntur tamẽ defecisse in tertio signo, id est in Spiritu Sancto, quia non posuerunt aliquid respondere Spiritui Sancto, sicut posuerunt aliquid respondere Patri (scil. primum principium) & aliquid respondere Filio, scil. primam mentem creatam, quam vocabant *paternum intellectum*, ut Macrobius dicit in lib. super somnium Scipionis, (scil. lib. 1. c. 14.) Ità D. Tho. In quibus videtur utrumq; illud Augustini tangere; nempè id, in quo humanitus impediti defecerunt; & aliud magnum, sive mysterium Trinitatis, licet cum defectu, unde ad illud solo auxilio generali non videbantur posse pervenire ob illius, etiam im perfectè sic cogniti magnitudinem. De quo iterùm videatur q. 32. art. 1. ad 1. ubi hanc repetit, & clariùs prolequitur explicationem, & rationem etiam subdit, quare permissi sunt errasse, vel in tertio signo defecisse dicens: *Et licet appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse. i. in cognitione tertiæ personæ, quia à bonitate, quæ Spiritui Sancto appropriatur, deviaverunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt Rom.* 1. unde infra prima secundæ q. 98. art. 6. monet ob hanc declinationem à bonitate legem naturalem adeò jam antiquitùs fuisse obscuratam, talemq; homines pati defectum rationis, ut usq;

ad

ad idololatriam, & turpissima vitia circa tempora Abrahę prolapsi sint.

Ex his etiam, qui priorem solutionem sustinere voluerit; ad replicas respondere poterit; ad 1. dist. mi., non est pręcisè ad magna, quæcunque, transeat; de quibus modò loquimur, scil. de existentia, nego; nam licet hęc comparativè ad alia occulta prędicata Dei, vel spectātia ad ordinem gratię non videatur sic magnum, quodlibet tamen ejus prędicatum, semper est magnum, & infinitè excedens omnem creaturam, unde quidquid sit, quòd ad alia requiri dicatur ab Augustino speciale adjutorium, non tamen ad istud; & licet etiam diceremus exigere ad istud, aliquod speciale, non tamen, quod esset à Deo authore supernaturali, sed tantum ordinis naturę, cujus necessitas non obstaret cognitioni naturali, quia adhuc intrà hunc ordinem sunt aliqui actus ità excellentes, ut requiratur ad illos speciale adjutorium de eodem tamen ordine, ut communiter traditur 1. 2. q. 109. de dilectione efficaci Dei, ut finis naturalis, & de victoria gravis tentationis ex honesto naturali motivo. Et per hęc etiam patet ad 2., & 3.; quia vel existentia Dei non est de numero illorum magnorum, ad quod requiritur speciale auxilium, sed sufficit generale; vel si demus requiri speciale, adhuc erit de ordine naturę, nec pręcisè aplicabit, sed dabit vires, vel complebit, ut similiter dicitur de illo in ordine ad actus relatos, modò alibi explicato in materia de gratia &c.

Secundò arg. Non potest objectum cognosci per aliquod sibi dissimile, sed creaturę in eo, quod est proprium Dei, sunt illi dissimiles, licet alias assimilentur in prædicatis communibus, nempè entis, substantię, aut viventis intellectualis, ergo nequit ex illis secundum sibi propria cognosci; ma. est certa, quia cognitio objecti fit per viam similitudinis, ut latè ostenditur infrà pręcipuè de Trinitate ex discrimine utriusque potentię intellectus, & voluntatis in modò procedendi &c.

Dices juxtà communem solutionem dist. ma., si sit purum medium, vel instrumentale, per quod res illativè cognoscitur, ut est v. g. fumus respectû ignis, nego; si formale, & in quo, ut est species impressa, vel expressa, quæ sunt formalis similitudo objecti, concedo; creaturæ autem deserviunt, ut medium, per quod inferimus existentiam Dei, unde earum representatio non fundatur in similitudine, sed in dependentia; quam reverà habent à Deo, & ideò non tenentur conducere ad illius cognitionem ex vi similitudinis, sed dependentiæ; est enim veluti naturalis inclinatio, & pondus ad cognoscendam causam cognito effectu, ut dicitur infrà quæst. 12, ar. 1. &c.

Sed contrà hoc est. Quia, ut docuimus in lib. de anima, & infrà de visione, & de Angelis; præter medium per quod, vel ex quo, aut instrumentale, est necessarium formale, vel in quo sive species impressa, & expressa ad cognitionem objecti; paritur enim notitia ex potentia, vel concæptu, & objecto., non purè præsenti per solam indistantiam, sed per præsentiam, vel unionem intentionalem habitam per speciem superadditam, præcipuè in nobis viatoribus; quidquid sit in Patria de quo infrà; ergo si nulla creatura potest habere hanc similitudinem cum Deo in propriis ejus prædicatis, nulla potest deservire ad hanc ejus cognitionem &c.

Dices dist. conseq.; nulla poterit deservire, ut immediatè formaliter repræsentans propria ejus prædicata, concedo, mediatè nego, & hoc modo potest species creata repræsentare Deum, scil. in alio prius repræsentato, & habente dependentiam ab illo, quia, ut vidimus in logicis; eadem species potest unum primariò repræsentare, cum quo habet similitudinem, & alterum secundariò, esto cum illo similitudinem non habeat, ut patet in specie repræsentante primariò ens reale, & secundariò, vel mediatè ens rationis, esto non sit ei similes; vel etiam in essentia divina, per quam Deus tanquam per propriam speciem cognoscit comprehensivè creaturas, quibus non assimilatur; quæ est etiam doctrina D. Thom. quæst. 2. de veritate ar. 3. ad 5. ubi ait. *Dicendum, quod aliquid intelligitur dupliciter, uno modo in se ipso, quando scil. ex ipsa re intellecta, vel cognita formatur acies intuentis, alio modò videtur aliquid in altero, quo cognito, & illud cognoscitur.*

Sed contra hoc est. Licet demus per eandem speciem impressam posse sic duo repræsentari, alterum primariò, alterum secundariò sibi non simile, ut tamen illud cognoscatur secundum sibi propria, debet formari conceptus, vel species expressa propria illius, sive immediatè terminata ad illud, qua ratione, ut ibidem dictum est de ente rationis; licet possit secundariò repræsentari per speciem impressam entis realis, requiritur tamen ad illius cognitionem verbum sui proprium; aliàs daretur æquivocatio in conceptu ultimato, sed non minus petit similitudinem cum objecto species expressa, quam impressa, imò majorem, cum sit actualior, & expressior repræsentatio ejus, ergo non poterit ex creaturis cognosci &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Sicut in cognitione entis rationis cogniti secundum sibi propria, & repræsentati per speciem impressam entis realis, duplex requiritur cognitio, altera immediatè terminata ad ens reale, & altera immediatè ad ens rationis formativa verbi ejus, cum non sit pura contemplatio, sed dictio; ità, & in cognitione Dei ex creaturis cogniti, vel repræsentati per speciem impressam earum, (si semel detur posse sic cognosci, & repræsentari) duplex pariter intervenit cognitio, altera immediatè terminata ad creaturas, & altera immediatè ad Deū formativa conceptus, vel speciei expressæ immediatè illum repræsentantis, cùm non solum sit contemplatio, sed etiam dictio, vel cognitio ejus secundum sibi propria, ergo si quælibet species immediatè repræsentans objectum, tenetur habere similitudinem cum illo, præcipuè cognito, & repræsentato secundum sibi propria, non poterit secundum illa infinitè dissimilis cognosci ex creaturis, aut per speciem creatam immediatè repræsentari &c.

Secūdò impugnatur. Quia licèt per eandem speciē superiorem, aut perfectiorē possit alterum repræsentari immediatè, & alterum mediatè, ut patet utroque exemplo adducto, non tamen per imperfectiorem objectum perfectius, non enim per impressam entis rationis probabiliter admissam, repræsentari potest etiam mediatè ens reale, & ratio utriusque est, quia superior, vel perfectior potest aliquomodò, vel eminenter continere objectum inferius, non tamen è contrà, ut patet in eisdem exemplis,

ergo

ergo non poterit per speciem creatam infinitè inferiorem repræsentari etiam mediatè Deus &c.

Huic arg. dico in primis esse ab omnibus solvendum, quia non solum probat non esse Deum modò in via cognoscibilem ex creaturis, sed nullo modò etiam per fidem, cùm sit perpetuò necessaria aliqua species creata, ergo si per nullam ex his ob defectum similitudinis potest cognosci, nullo modo hic in via erit cognoscibilis à nobis, quod est alienum &c.

Sed pro omnibus respondetur benè ibi dictum esse usque ad ultimam priorem replicam; ad quam Illustriss. Godoii hic disp.3.§.r.n.14. respondet distinguendo duplicem speciem expressam, alteram, quæ est immediata objecti representatio tam motivè, quam terminativè, idest, Deo movente per se ipsum, & immediatè terminante illius repræsentationem, & hanc dicit repugnare respectu Dei, quia petit similitudinem immediatam, vel univocam cùm objecto repugnantem creaturæ in ordine ad Deum; alteram verò, quæ est tantum repræsentatio immediatè terminativè, sed non motivè, quatenus inter ipsam, & objectum nihil mediat per modum repræsentati; objectum tamen non movet ad illius repræsentationem, sed magis aliud objectum per distinctam speciem repræsentatum, & cognitum; & hanc dicit non repugnare, quæ scil. immediatè repræsentativè terminetur ad Deum non motivè, adeò ut licèt inter ipsam, & Deum non medient creaturæ, ut repræsentatæ, mediant tamen, ut moventes, quatenus ad illarum instar, Deum quoad an est repræsentat, & per illarum speciem producitur, in quo nullum est inconveniens, imo necessariò admittendum subdit ex Capreol. in 1. dist.1. q.2. ar.1. conclus.8., & probat ex D.Tho.1. cont. Gent. c.14. ubi docet, quòd licèt de Deo in hac vita non scimus quid est, potest tamen considerari in quodam conceptu composito ex aliquo communi conceptu, & ex multis differentiis negativis, per quas cognoscimus ejus differentiam à creaturis. Ex quo non sequitur; subdit idem; quòd Deus in se ipso per talem speciem cognoscatur, quia ut ait D. Tho. ubi supra de veritate, *Tunc aliquid in se ipso cognoscitur, quando ex ipsa re intellecta, vel cognita formatur acies intuentis*; unde si prædicta species solum terminatur ad Deum, & non formatur ex ipso, sed ex creaturis priùs cognitis, à quibus ad Dei repræsentationem movetur, non poterit per illam in se ipso cognosci. Vel potest etiam dici, concludit ibidem; quòd est repræsentativa Dei in se ex parte rei repræsentatæ, non ex parte medii, sicut de creaturis; docet infrà D. Tho. q. 14. ar.5., quòd cognoscuntur à Deo in se ipso ex parte medii, & in se ipsis ex parte rei cognitæ, terminantisque cognitionem &c.

Hanc solutionem M. Ferre hic tract. 2. q. 2 §.1. licèt probabilem fateatur, eam tamen impugnat ex eo, quòd si semel inter eandem, & Deum nihil mediat, ut repræsentatum, necesse est, quòd Deus prout in se ipso est; (ut vel etiam innuit proximè, Illustriss. Godoii) repræsentetur ab illa, & non ut præcontentus in alio, ergo opportet, quòd sit immediata similitudo Dei; prob. conseq., quia nequit sic immediatè repræsentare non exprimendo illum, ut patet inductivè in qualibet specie sic immediatè repræsentante objectum, sed implicat sic immediatè intelligibiliter exprimere Deum, nisi per expressam similitudinē ejus, ergo si immediatè repræsentat, deb et hanc similitudinē habere ad illum; mi. explicat quia homo nequit immediatè exprimi nisi per hominem; nam si activè sic exprimēs hominem, non est in esse intelligibili homo, non exprimet hominem, sed illud aliud, quod est in eodem genere, & ratio deinde est, quia species non repræsentat nisi in quantum similis, ergo species semel immediatè repræsentans, & exprimens intelligibiliter Deum ponit in se, vel secundum propria prædicata ejus, tenetur habere expressam similitudinem cùm illo, vel esse Deus in esse intelligibili continens illum secundum propria ejus prædicata, quod repugnat puræ creaturæ, ut ostenditur infrà &c.

Huic tamen impugnationi, quam aliquo modò etiam sibi obiicit idem Illustriss., respondet ità esse, quòd debet habere similitudinem, & continentiam intelligibilem; sed eo modo, quo repræsentat, & exprimit, & quia non repræsentat perfectè, & quidditativè, sed tantùm imperfectè, & quoad an est, solū imperfectam, & quoad an est, vel analogam tenetur habere, non perfectam, & quidditativam; tum quia cum non moveatur ab illo immediatè, sed tantùm terminativè respiciat, motivè autem creaturam, ex qua causatur; non tam cùm Deo illius habitudinem terminantē, quam cùm creatura movente petit commensurari &c.

Sed contra hanc solutionem adhuc videtur urgere præcedens replica, quæ præcipuè facit vim in eo, quòd si semel est immediata Dei repræsentatio, ità ut per modum repræsentati nihil mediet, debet esse immediata repræsentatio illius, ut in se est, & non ut in alio contentus, sed hoc salvari nequit, nisi sit immediata similitudo ejus, cum teneatur prout sic immediatè ipsum solum exprimere, ergo cùm species id totum præstet per modum formæ, ut explicatur infrà, tenebitur habere convenientiam formalem, & univocam cùm Deo in propriis ejus prædicatis, quod repugnat creaturæ &c.

Sustinendo nihilominus præfatam solutionem; quæ revera fundatur in D. Tho. proximè relato; respondetur ex eodem Illustriss., dist., debet esse repræsentatio illius, ut est in se; si immediatè repræsentaret utraque immediatione motiva, & terminativa, conc; si tantum terminativa, nego; quia ut ait D. Thom. ibid. de veritate, ut vidimus; tunc aliquid in se ipso cognoscitur, quando ex ipsa re intellecta, vel cognita formatur acies intuentis, quod non contingit in casu, ut dictum est; sed causetur ex creaturis priùs cognitis &c.

Sed adhuc ad eandem priorem replicam principalem poterat primò in opinione, quam admittunt, ut probabilem Capreolus, Ferrara Sylvester & Ledesma infrà q.8. ar.6., negari mi., scil. quòd petat eandem similitudinem speciei expressa, ac impressa, quia cum illa non emanet ab objecto efficienter sicut impressa, sed producatur per cognitionem, qua exprimitur, non tenetur commensurari cùm objecto, ut est in se absolutè, sed tantum juxtà modum, quo attingitur per eandem cognitionem, & ideò dicunt aliqui non ità repugnare expressam in patria, sicut impressam, quia hæc in eo, quòd sic ab objecto emanet naturaliter non habet unde limitari possit: sed quia jam communiter oppositam tenent Thomistæ, ut dicemus, cum non sit de ratione speciei impressæ sic emanare, ut patet in speciebus angelicis à solo Deo infusis, quæ imò secluso

mira-

miraculo non potuerunt à proprio objecto efficienter emanare, ut advertit M. Catalam infrà qu. 12. dub. 5. ad ar. 2.

Aliter ex eodem ibi. dub. 4. in solut. ad 2. resp. dist. ma., debet formari species propria, sive immediatè terminata ad illud, adæquatè, vel inadæquatè illud repræsentans, conc.; adæquatè tantum, nego; unde licet in casu dicatur formari species expressa immediatè terminata ad Deum, non tamen repræsentans illum adæquatè, sed inadæquatè tantum, idest prout consideratur secundum suam realitatem, & rationem formalem existendi, vel causæ, non considerata quantitate perfectionis, quam includit, ut in simili dicitur de divinis attributis, ut nostris conceptibus inadequatè concipiuntur, vel partialiter etiam à Beatis, quod non est cognoscere, aut repræsentari objectum, ut in se est, vel secundum rationem formalem, & quiditatem, quam includit, ut est in se, sed solum inadæquatè, vel præcisè secundum suam realitatem, & quoad an est, unde non tenetur species sic repræsentans, & præcipuè in casu, habere formalem, vel univocam convenientiam, cum objecto, vel Deo, sed tantum analogam; unde etiam D. Tho. in 1. dist. 3. q. 1. ar. 3. §. ult. concedit videntes Deum per essentiam posse formare diversos conceptus attributorum, scil. per cognitionem vespertinam, quæ non est quiditativa evidens eorum, ut in se sunt, sed solum quoad an est evidentia in attestante, ut similiter dicitur de cognitione, quam habet Christus de eisdem per scientiam infusam; de quo 3. p. q. 11. ar. 1. Et per hæc patet ad confirmat &c.

Aliam solutionem huic affinem adhibet M. Ferre iterum dist. sic, species terminata ad Deum, ut fundat veritatem hujus propositionis *Deus est*, concedo, prout in se est, nego; itaque; inquit; cum ex creaturis argumentamur Deum esse, non cognoscimus Deũ in se, vel prout in se, sed tantum secundum quòd fundat veritatem hujus propositionis *Deus est*; idest tantum cognoscimus, quòd sit verum, quòd existat, & detur de facto in rerum natura, unde non est necesse, formare verbum de Deo prout in se ipso est, vel quòd repræsentet esse Dei, sed solum veram esse haoc propositionem *Deus est*, & cum hac habeat immediatam similitudinem, non cum Deo, nec cum esse Dei prout in se ipso est: quam solutionem fundat in D. Tho. infrà q. 3. ar. 4. ad 2. ubi ait. *Esse dupliciter dicitur; uno modò significat actum essendi, alio modo significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit conjungens prædicatum subjecto. Primo igitur modò accipiendo esse, non possumus scire esse Dei, sicut nec ejus essentiam, sed solum secundo modo. Scimus enim quod hæc propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, Deus est, vera est, & hoc modò scimus ex ejus effectibus.*

Ex his etiam patet ad secundã, vel ultimam replicã ad quã dist. aut., non tamen per imperfectiorem, objectum superius, adæquatè, aut quiditativè, ut in se est præcipuè in casu, conc. ant., inadæquatè; vel secundum quòd fundat veritatem propositionis modo explicato, nego; & ad rationem factam, nego suppositum, quòd debeat continere prout in se; sed magis, ut contentum, aut ut relucat in effectibus secundum rationem existendi, vel causæ, ut dictum est, vel secundum quòd fundat prædictam propositionem; unde intellectus noster non pervenit ad veritatem illius, quia videt objectum ejus in se, sed infert esse veram, quia videt effectus existere, at quod non requiritur verbum immediatè repræsentans Deum prout in se est &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodò existentia Dei sit demonstrabilis.



Difficultas est, an sit demonstrabilis etiam à priori, & non tantum à posteriori, vel per effectus, unde Suarez tom. 2. metaphisicæ disp. 29. sect. 3. licet fateatur simpliciter loquendo esse indemonstrabilem à priori, tum quia causam non habet; tum quia etiam si haberet, non tamen ità exactè, & perfectè cognoscitur Deus, ut illam ex propriis assequamur, quo sensu explicat D. Dionys. 7. cap. de divinis nominibus dicentem, nos non posse Deum ex propria natura cognoscere; nihilominus sicut supposito jam aliquo demonstrato à posteriori de Deo, possumus à priori unum attributum ex alio demonstrare, ità similiter demonstrata jam à posteriori, vel ex effectibus existentia entis necessarii, de quo primo cognoscatur esse, deinde esse ab intrinseco necessarium, & ex hoc esse unicum in tali ratione, & modo essendi, tandem ex hoc procedere possumus ad concludendum tale ens necessarium esse Deum.

Huic modò dicendi favet ex parte Illustriss. Godoii hic §. 1. concl. 1., ubi ait; Si existentia est primũ prædicatum divinam essentiam constituens, nullo modo à priori potest demonstrari de Deo, si autem ratione, & virtualiter ab essentia distinguatur, non potest demonstrari de Deo demonstratione à priori secundum se, bene tamen demonstratione à priori quoad nos. Unde similiter discurrit quoad hanc sui 2., & 3. p., sicut in simili dictum est in lib. poster. de prima passione, ad quam demonstrandam à priori quoad nos assumitur definitio subjecti, quæ tamen non sufficit ad illam demonstrandam secundum se, cum secundum se non distinguatur ab illo &c.

Oppositum tenent jam communiter Thomistæ Capreol. in 1. dist. 3. q. 1. ar. 1. Hispalensis ibid., & Durand. q. 1. Cajet., Bannez., Zumel., Nazarius, à S. Tho., M. Ferre, Gonet, & alii in presenti, quos sequuntur, plures ex Societate Molina, Valentia, Vasquez, Franciscus de Lugo; Arriaga, & alii sustinentes solum esse demonstrabilem à posteriori.

§. I.

Statuitur Conclusio.

Existentia Dei non est demonstrabilis à priori, sed tantùm à posteriori. Sumitur ex D. Tho. hic art. 2., ubi præmissa distinctione utriusque demonstrationis, scil. per causam, vel *propter quid*, quæ est per priora simpliciter; & deinde per effectum, vel demonstrationis *Quia*, quæ est per priora quoad nos, concludit, hoc modo esse demonstrabile Deum esse, nempè per effectus nobis notos, quia ex quolibet effectu nobis notiori potest demonstrari causam esse, cum à causa dependeat effectus; Deum verò esse causam horum visibilium præsupponit tanquam verissimum, q. infrà 44. art. 1. § Deinde quia ut rectè ponderat M. Ferre § 2., cum D. Tho. ex professo conatus sit variis rationibus demonstrare hanc propositionem *Deus est*; ut patet art. 3. & constabit infrà, & nullam assignet à priori, sed tantùm à posteriori, signum est apud ipsum non esse assignabilem, unde licet sit argumentum prout sic ab auctoritate negativum, quia tamen fundatur supra aliquod positivum est magnæ efficaciæ ut supra, & alibi insinuavimus; nam apud ipsum hoc etiam invenitur discrimen inter *esse Dei*, & alia attributa, quòd hæc apud eundem habentur probata à priori, non tamen ipsum *esse*, imò oppositum, cum doceat nos tantùm posse scire existentiam *quoad an est*, non *quoad quid est* demonstratio autem à priori, ut patet ex eodem hic, tangit quoad quid, & non præcisè quoad an est rei, &c.

Deniq; quia postquā docuit ar. 1. hanc propositionem *Deus est* esse per se notam secundùm se, non tamen quoad nos, deinde art. 2. concludit, quòd secundùm quòd non est per se notum *Deum esse*, quoad nos demonstrabile est per effectus nobis notos; ergo videtur non esse de mente D. Tho. asserere, quòd sit aliter, vel modo opposito demonstrabile, sive à priori; probatur consequētia, quia ut patet ex doctrina corp., non tantùm intendit prob. substantiam demonstrationis, quòd nempè sit demonstrabile, sed etiam veluti qualitatē scil. à posteriori, vel à priori, ergò dum concludit à posteriori, hoc tantummodo erit demonstrabile ad intentum, vel mentē ejus: aliàs etiam videretur diminutè procedere si esset aliter demonstrabile, dum ex professò tractans ejus demonstrabilitatem, inadæquatè eam assignaret. Et hoc est prædictum positivum, cui nititur arg. negativum, scil. quòd velit nos sufficienter instruere

Ex his etiam videtur sufficienter impugnari solutio, quæ afferri potest ex Illustrissimo Godoy, nempè quòd ideò D. Tho. docet prædictam propositionem esse per se notam, quia prædicatum est idem cum subjecto; sivè quia per medium virtualiter distinctum ab essentia probari non potest, sed tantùm probatur per ipsam definitionem Dei, quæ non mediat virtualiter secundùm rem, sed tantùm dialecticè. Nam si hic expressè ait, quòd esse Dei quantùm ad id quod non est per se notum quoad nos prob. ex creaturis, dum aliàs ex professo intendit explicare demonstrabilitatem ejus, signum est, quòd aliam non agnoscit. Tum quia iterùm apertè videtur hunc modum demonstrationis per medium definitionis à priori in utroque art. excludere. Nam ideo recurrit ad medium à posteriori, sive ad creaturas, quia medium istud probativum quoad nos, debet esse notum vel magis notum, ut discurrit hic art. 2.; sed *quid est Dei* est nobis ignotum, ut dicit art. 1., qua ratione ibid. concludit sic; sed quia non scimus de Deo *quid est*, non est nobis per se nota, (scil. prædicta propositio *Deus est*) sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scil. per effectus, ergo excludit medium probativum à priori &c.

Urgetur hoc. Nā D. Tho. duo dicit in 1. art. in fine corp. circa existentiam Dei, vel hanc propositionem *Deus est*, nempè, quod quia prædicatum est idem cum subjecto, est per se nota secundùm se, quia verò nos non scimus de Deo, *quid est*, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minùs nota quoad naturam, scil. per effectus, ergò videtur manifestè excludere etiam quoad nos medium à priori, scil. *quid est*, vel definitionem Dei, sive distinguatur virtualiter ab esse, sive non, nam etiamsi virtualiter distinguatur, non propterea fit notum nobis, ergò cum hac ratione dicat esse recurrendum ad magis nota quoad nos, scil. ad effectus, per hos tantùm juxtà D. Tho. probari potest quoad nos existentia Dei, &c.

Ex his probatur ratione. Nullum est assignabile medium demonstrativum à priori, sed tantùm à posteriori, ergò tantùm à posteriori, non à priori probari potest existentia Dei; probatur minor, existentia Dei juxtà varia authorum placita, vel est prædicatum formaliter constitutivum Dei, vel prædicatum transcendens omnia divina, vel est virtualiter distinctum à Deo per modum ultimæ actualitatis purè terminantis naturam divinam, sed nullo ex his modis habet medium demonstrativum à priori, ergo; minor quoad primam partem est certa, quia ante prædicatum constitutivum, vel differentiale non est aliud prius; quoad secundam etiam constat, quia eo ipso quod est formalissimè transcendens, est formaliter, & virtualiter idem, quia non habet medium à priori, imò hac ratione, ut dictum est, est extremum propositionis per se notæ secundùm se, quia est idem, ut ait Divus Thomas, ità ut nihil mediet inter illam & essentiam. Quoad tertiam verò, in qua est major difficultas probatur, tum quia ut vidimus ex D. Tho. licet admittatur virtualiter distinctum, *quid* tamen Dei est nobis ignotum, qua ratione tam variè sentiunt Authores; (ut constabit infrà) de constitutivo metaphysico Dei, ergò de eodem foro nequit assumi prædicatum demonstrativum, vel manifestativum existentiæ ejus. Tum quia estò ponatur virtualiter distincta, non tamen per modum proprietatis, aliàs esse Dei intelligeretur esse ab illo, sicut cæteræ proprietates divinæ, quod repugnat, cum esse Dei sit omninò à se, & non ab alio; ergo modò in via non habetur prædicatum à priori quoad nos, ad quod intelligatur consequi ut proprietas.

Urgetur totum hoc. Nam demonstratio naturalis, vel quæ fit solis viribus naturæ, debet esse ita certa, & evidens, ut ejus conclusio resolvatur in principia nobis certa, & evidentia; in hoc enim differt à supernaturali, aut theologica, quòd hæc

pro

pro hoc statu tantùm exigit claritatem, & evidentiam, ut dictum est, sed modò existentia Dei, ut naturaliter, vel solis naturæ viribus demonstrabilis, vel non habet medium à priori, cùm non sit proprietas, vel estò habeat, scil. quod quid est Dei, est nobis ignotum, nec certò assignabile, sed opinativè, ut dictum est, ergo non est à priori solis eisdem viribus demonstrabilis &c.

Dices ita esse absolutè loquendo, secùs tamen supposita cognitione unius, vel alterius prædicati, ut dictum est; aliàs non posset unum attributum à priori demonstrari per aliud, cùm etiam respectu eorum assignari nequeat prædicatum aliquod certum, & evidens, nisi velimus, quòd idem *quid est Dei*; quod est omnium primum, sit nobis notum respectu aliquorum, & ignotum respectu aliorum, quod est alienum &c.

Sed contra hoc est. Ex eo de divinis attributis potest dari demonstratio à priori, quia potest assignari prædicatum priùs certò, & evidenter nobis notum, sed respectu existentiæ nullum est assignabile, ut probatum est, ergo licèt dari possit de illis, non tamen de existentia, prob. ant., quia certò, & evidenter scimus Deum esse intellectivum, volitivum, immutabilem, æternum &c. sed unum ex his est causa virtualis, vel ratio formalis alterius; à priori enim probatur esse æternum, quia est immutabilis; vel esse volitivum, quia est intellectivus, ergo &c.

Expli. & urg. hoc. Ut unum probetur per aliud à priori non est necessarium, quòd per certitudinem, & evidentiam perveniamus ad quod quid est Dei, sed satis est, quòd certò sciamus habere essentiam debitam sibi, vel proportionatam; unde etiã ut Metaphysicus similia prædicata ex transcendentibus probet de illo, ut esse verum, bonum, aliquid, unum &c. satis est, quòd certò sciat habere essentiam, estò ignoret, in quo præcisè consistat; ad quamlibet enim certò consequuntur hujusmodi attributa, ergo ad sic probandum eadem de Deo non est necessarium certò scire quod quid est illius &c.

Urg. ulteriùs totum hoc. Quia ad probandum à priori existentiam requiritur certò scire *quodquid est Dei*; non tamen ad demonstrandum alia attributa, ergo dum certò nescimus in quo Dei essentia consistat, non est demonstrabilis existentia ejus à priori, prob. ant., quia *quid* est respectu existentiæ est unum prædicatum à priori, non tamen respectu aliorum, ut probatum est, ergo si semel velimus juxta meritum demonstrationis naturalis, vel solis naturæ viribus elicitæ resolvere in aliquod certum, & evidens, tenemur supponere ad illius demonstrationem, quòd certò quis sciat essentiam, non tamen ad demonstrationem aliorum; unde nisi supponatur essentia certò cognita, non est possibilis hujusmodi demonstratio, & non solùm absolutè &c.

Dices, quòd licèt ita sit, quòd statim incipiendo à conceptu quiditativo non possit à priori inferri existentia Dei, benè tamen si aliàs eadem existentia supponatur jam probata à posteriori per effectus, quia tunc cùm ex parte subjecti hujus propositionis *Deus est*, supponatur existentia ejus saltem exercitè, rectè potest ex hac alia *Deus est radix intellectionis*, vel ex quacumque alia exprimente conceptum quiditativum Dei, inferri à priori, quòd existat, quia ad eundem conceptum quiditativum non potest non sequi prædicatum existentiæ, & ita ex vi conceptus solius essentiæ poterit à priori demonstrari quòd existat &c.

Sed hanc solutionem impugnat M. Ferre ex eo, quòd licèt subjectum ejusdem propositionis sit Deus non purè objectivè conceptus, sed existens in supponendo, licèt non in significando; tamen medium assumptum à priori, non est existentia, sed sola essentia, sed in principiis ipsius non habetur exigentia existentiæ, ergo adhuc non habetur medium illativum à priori existentiæ; prob. min., quia essentia sub terminis essentiæ solùm dicit esse objectivum, ergo in conceptu solius essentiæ non habetur intrinseca exigentia existentiæ. §. Explicat hoc. Nam conceptus solius essentiæ nec dicit esse à se, nec esse ab alio, ergo solùm explicat non repugnantiam, vel indifferentiam ad esse à se, & ad esse ab alio, ergo in solo conceptu essentiæ non explicatur exigentia existentiæ.

Hæc tamen replica, nisi aliquid superaddatur, videtur pati difficultatem; nam licèt conceptui essentiæ abstrahentis à creata, & increata, vel etiam creatæ in puro statu probabililatis non sit debita existentia, secùs tamen loquendo de increata, aut de creata supposita jam exercitè existente, ergo in casu, & maximè supposita existentia subjecti illius propositionis saltem exercitè, videtur sufficienter à priori inferri ex conceptu essentiæ ejus existentia, prob. ant. quia si existentia est increata utpotè ab alio independens, est expers omnis potentialitatis, vel actus purus; ad quod etiam pervenit Philosophus existimans non posse esse nisi unum Deum ob carentiam totius materiæ, sive ex conceptu actus puri; si verò creata extra statum possibilitatis, tenetur vel dicere ordinem ad existentiam, si supponatur in illo futuritionis; vel esse conjuncta cum illa, si in illo præsentiæ, ita ut sine illa saltem de lege ordinaria esse non possit à parte rei, ut in primo Physicorum insinuavimus, ergo utrique est debita; & ad hoc etiam recurrit Illustriss. Godoy loquendo de divina; ut concludat esse illi debitam, quia nempè est summè actualis (de quo tamen infrà;) sicut ergo in simili dicimus de Deo, & ente rationis, quod utriq; est debita abstractio ab omni materia negativè, sive abstrahunt ab illa negativè, Deus quidem ob sui maximam perfectionem, vel actualitatem, ens verò rationis ob summam sui imperfectionem; ita utrique essentiæ est debita existentia; divinæ quidem ob summam sui actualitatem, vel perfectionem, creatæ verò extrà statum possibilitatis ob sui imperfectionem, quia sine illa conservari non potest &c.

Aliter ergo in sui subtilitate relicta priori replica, impugnatur solutio ex D. Tho: ubi suprà; nam licèt supponatur existentia, ut probata à posteriori per effectus, perpetuò tamen pro hoc statu non scimus de Deo *quid* est, quidquid sit, quòd conentur Theologi opinativè indagare ejus constitutivum, alii recurrentes ad unum, alii ad aliud prædicatum; ergo nequit conceptus ejus quiditativus assumi ut medium à priori quoad nos ad certò, vel demonstrativè probandum ejus existentiam, prob. conf., quia ut probat hic D. Tho. ar. 1. ignorato de Deo *quid est*, indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minùs nota quoad naturam, scil. per effectus, ergo &c.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arg. ex Illustrifs. Godoy hìc n.34 sumpto fundamento ex D.Tho.infrà q.14. ar.1.& q.19. ar. 1. Nam intellectus, vel scientia, aut voluntas sunt primum attributum Dei, sed nihilominùs quia ratione, vel virtualiter distinguuntur à natura divina, probantur ibi de Deo rationibus verè demonstrativis à priori, ut communiter accipiunt Thomistæ, ergo supposita distinctione rationis, vel virtuali existentiæ ab essentia poterit à priori demonstrari de illo demonstratione quoad nos. §. Urgetur ex eodem. Nam primum attributum immediatè cum essentia connectitur. aliàs primum attributũ non esset,& tamen demõstratur demonstratione à priori quoad nos, ergo pariter quamvis existentia divina immediatè conveniat essentiæ, poterit demonstrari à priori hoc demonstrationis genere &c.

Ad hoc di c. & expl. ma.; Sunt primum attributum quomodocumque, nego; supponens in essentia radicem sui,& prædicatum sufficienter notum,& inferens à priori quoad nos, concedo; & tunc nego causalem min. quòd ex præcisa distinctione rationis, vel virtuali probentur à priori, sed quia supponit præfatam radicem, & prædicatum; est ergo discrimen inter eadem attributa, & existentiam, quòd illa in essentia supponunt naturam, vel radicem sui, & prædicatum sufficienter illativum à priori; nam intellectivum, ut ostenditur infrà, variè infertur ex ratione summè immaterialis, & volitivum ex intellectivo; formando discursum sic: *Ens summè immateriale est intellectivum, sed Deus est summè immaterialis, ergo est intellectivus. Similiter, Omne intellectivum est volitivum, sed Deus est intellectivus, ergo est volitivus.* Ad quos discursus non requiritur scire de Deo *quid sit*; cæterum esse Dei, ut vidimus suprà, cùm sit esse à se non potest comparari ut proprietas derivata ab alio, & consequenter nec supponere prædicatum ad quod per modum proprietatis consequatur, aut inferatur à priori quoad nos, unde rectè dicit D. Tho., quòd ad illud demonstrandum tenemur recurrere ad ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & solùmpoteit à priori probari supposita notitia *quid est Dei*, qua modò caremus. Per quod etiam patet ad confirmationem &c.

Sed instas ex eodem Illustrifs. argumento jam insinuato. Sicut prædicta habent prædicatum, vel medium, per quod formari potest discursus verè demonstrativus eorum à priori, ita pariter habet existentia, ergo, prob. ant., nam supposito existentiam distingui ab essentia divina, potest hic discursus formari: *Omne ens summè actuale actualitate essentiæ necessariò est in actu existendi, sed Deus est summè actualis actualitate essentiæ, ergo est necessariò existens.* At supposita distinctione actualitatis essentiæ, & actualitatis existentiæ in Deo nihil deficit discursui facto, ut sit demonstratio à priori,ergo illa distinctione supposita potest existentia à priori demonstrari de Deo, cùmque non sit demonstratio à priori secundùm se, erit demonstrabilis à priori quoad nos; ita arguit idẽ ductifs.Thomista n.37.&c.

Hæc instantia olim M. Ferre adeò difficilis visa est, ut insinuaverit mihi se immorari per unam, vel alteram, & supra diem, ad plenam, vel adæquatam ejus solutionem, & demùm eam invenisse, quam assignat hìc ad secundum; negando scil. suppositum ant., nempè quòd supposita virtuali distinctione existentiæ ab essentia,haberi possit in ista cõceptus summæ actualitatis, unde ait, quòd in hypothesi, quòd essentia virtualiter distinguatur ab existentia, ille discursus non est demonstratio; nam major illius est falsa, utpotè affirmativa de subjecto non supponente; hoc enim subjectum,omne ens summè actuale actualitate essentiæ, non supponit; nam essentia non habet, neque habere potest ex vi solius essentiæ summam actualitatem, nisi ipsa existentia sit formaliter, & virtualiter ipsa essentia; summa enim actualitas est ultima actualitas: hæc autem est primarius effectus formalis existentiæ, ergo si ponatur, quòd essentia non sit virtualiter existentia, dabitur intelligi, quòd ex sola essentia habeat summam actualitatem, quod falsissimum est in præfata hypothesi &c.

Hæc solutio, licèt iterùm acuta sit, videtur nihilominùs adhuc pati difficultatem in eo, quòd major ejusdem syllogismi supposita distinctione inter utramque actualitatem essentiæ, & existentiæ, non assumit subjectum sui cum summa actualitate absolutè, sed cum summa de linea essentiæ, & tunc contendit idem Illustrissimus inferre, quòd ens sic summè actuale, scil summa actualitate de eadem linea debet omninò esse realiter conjunctum, vel identificatum cum actuali existentia, unde non videtur esse propositio de subjecto non supponente, siquidem loquitur restrictivè, addendo ly *actualitate essentiæ*, ex quo deinde conceptu, summi,prout convenit essentiæ intrà suam lineam existimat legitimè inferri necessitatem actualis existentiæ in tali subjecto; nam ex quo est summa in eadem linea, licèt prout sic distincta virtualiter ab actualitata existentiæ non sit summa absolutè, vel omnibus modis, est tamen supremum analogatum in linea actualitatis essentialis, ergo non videtur posse falvari conceptus ejus sine necessitate actualis existentiæ in eodem subjecto. §. Et poterat hoc ipsum declarari in opinione ejus infrà circa constitutivum naturæ divinæ, quod tenet cum eodem Illustrissimo esse intelligere radicale; nam sicut in isto salvat conceptum actus primi, simul & in summo, estò sit alia ulterior actualitas, scil. de linea actus secundi, à qua virtualiter distinguitur, ita ut quando contrarii instant, quòd ratio actus puri, sive in summo, est ratio actus ultimi, & consequenter, quòd non possit in eodem intelligere radicali, vel de linea primi, ut virtualiter distincto ab actuali salvari hæc puritas actus, vel in ultimo; dicit, quòd est in ultimo, vel in summo de linea graduali, aut essentiali, non de attributali, vel existentiæ; immò quia est in summo prout, sic petit realem identitatem cum ista, ob quam deinde salvatur sine omni potentialitate; ita proportionabiliter dici poterit hic, quòd actualitas essentiæ, ut virtualiter distincta ab illa existentiæ est in summo, non tamen tenetur esse de omni linea, sed tantùm de sua, & quia est prout sic in summo,petit realẽ idẽtitatem cũ illa actuali existentia,ita ut salvari nequeat cumcaretia illius, sicut nec salvarentur prior ratio actus puri cum caretia ulterioris actualitatis, ũde adhuc videtur urgere

gere prædicta instantia, nisi aliquid superaddatur &c.

Salva nihilominùs eadem solutione in sua subtilitate, ac probabilitate, placet ulteriùs respondere ex dictis, vel negando aliter suppositum ejusdem ant. ex parte prædicati, nempè quòd existentia, vel esse Dei sit aliquod inferibile ex tali prædicato per modum consecuti, vel proprietatis, cùm sit esse à se, ut dictum est; vel dist., debet esse necessariò existens necessitate prædicati constituti, vel per modum proprietatis, nego; à se, concedo; est ergo discrimen, ut jam insinuatum est, inter prædicatum existentiæ, vel esse Dei, & alia attributa, scil. intellectivum, & volitivum, quòd illud, utpotè à se non potest concipi à nobis secundùm habitudinem consecuti, vel proprietatis ad prædictam rationem summè actualis, sicut concipimus intellectivum ad rationem summè immaterialis, vel volitivum ad intellectivum, sed magis comparantur quasi duo conceptus, ut sic dicamus, inadæquati, sicut idem intellectivum, & summè immateriale juxtà probabilem modum dicendi respectu nostræ intellectualis, de quibus infrà M. Ferre de Constitutivo Dei in manuscriptis ad ultimum inquit, quòd probat D. Tho. Deum esse summè cognoscitivum, quia est summè immaterialis, non sicut proprietas probatur per radicem, sed sicut explicatur radix ratione unius conceptus inadæquati per se ipsam secundùm quòd dicit alium conceptum inadæquatum, qua ratione infrà idem D. Tho. qu. 50. ar. 1. è contra probat, Angelos esse incorporeos, & immateriales, quia sunt intellectuales, assumendo conceptum intellectualitatis ad probandum conceptum immaterialitatis &c.

Sed instas; ergo sicut discursus, quo q. 14. ar. 1. probat D. Tho., Deum esse intellectivum, quia est summè immaterialis, est vera demonstratio à priori, ut suppono ex communi consensu, pariter erit, dum probatur Deum esse, quia est summè actualis. §. Respondet idem Magist. Ferre hic in impressione q. 3. §. 11. ad 4 negando suppositum consequentis, quòd probet D. Thom. de quocumque intellectivo etiam radicali, sed tantùm de proximo, quod se habet per modum consecuti, & proprietatis; quod patet, inquit, quia inquirit, utrùm in Deo sit scientia, & concludit: *Unde cùm Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur, quòd ipse sit in summa cognitionis*. Non ergo ex immaterialitate concludit intellectivum radicale, quod adæquatè coincidit cum summa immaterialitate in eadem radice; sed proximum, scil. Deum habere intellectum actu cognoscentem, vel qui sua cognitio sit, & sic concluditur Deum esse in summo cognitionis &c. Sed de hoc resolutoriè infrà.

Sed instas. Quia D.Tho. ibid. in corp. paulò superiùs ait: *Patet igitur, quòd immaterialitas alicujus rei est ratio, quòd sit cognoscitiva*, ergo ex immaterialitate videtur à priori inferre rationem cognoscitivi. §. Respondetur ex pro nunc eodem, quòd ibi nomine cognoscitivi non videtur intelligendus Divus Thomas de cognoscitivo præcisè radicali, sed proximo cum sua cognitione conjunctum, quod non leviter videtur colligi, tum ex verbis immediatè sequentibus, quæ indicant actualem cognitionem; nam statim subdit: *Et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis*; tum quia immediatè adducit exemplum de sensu, & intellectu, (qui non sunt principium radicale, sed proximum,) dicens: *Unde in 2. de Anima (scil. text. 124. to. 2.) dicitur, quòd plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem; sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia, & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est à materia, & immixtus, ut dicitur in 3. de Anima*. Sed hæc obiter dicta sint, & disputationis gratiâ; nam infrà ex professo examinantur; Quod addo ob alium locum infrà referendum.

2. Arg. ex eodem Illustriss. n. 35. Demonstratio à priori quoad nos illa est, in qua prædicatum aliquod demonstratur media definitione subjecti, quæ ideò dicitur à priori, quia medium, quod assumitur, causa est, vel ratio conveniendi prædicatum; ideò autem à priori quoad nos, quia medium, nempè definitio non differt in re à subjecto, nec reali, nec virtuali distinctione; sed tantùm ratione nostra penès explicitum, & implicitum; v. g. in hoc discursu: *Omne animal rationale est proximè intellectivum; homo est animal rationale, ergo est proximè intellectivus*; in quo animal rationale, quod assumitur pro medio est definitio hominis, solumque penès explicitum, & implicitum differt ab homine; at existentia, supposito quòd ratione differat ab essentia in Deo, potest demonstrari de ipso mediante definitione essentiæ, ergo potest demonstrari demonstratione à priori quoad nos; consequentia est bona, ma: certa, supposito quòd detur illud genus demonstrationis: min. autem prob:, ideò intellectus potest demonstrari de Deo mediante definitione naturæ divinæ, quia natura est radix intellectus, & hanc definitionem explicat naturæ divinæ definitio, sed supposito quòd essentia distinguatur ratione, & virtualiter ab existentia, hæc in illa radicatur, & rationem hujus radicationis explicat definitio essentiæ, ergo potest existentia demonstrari de Deo mediante definitione essentiæ &c.

Ad hoc iterùm ex dictis, vel nego suppositum min. quòd existentia Dei utpotè esse à se se habeat per modum consecuti, vel proprietatis: vel hoc etiam admisso, nego adhuc aliud suppositum, nempè quòd definitio *quid est* Dei sit quid nobis notum, & consequenter medium assumptibile quoad nos ad illam probandam; quia ex eo D. Tho:, ut vidimus, recurrit ad ea, quæ sunt magis nota quoad nos, quia nos non scimus *quid est* Dei, unde licèt juxta modum illum probabilem, definitio subjecti sit medium sufficiens à priori quoad nos, non tamen in casu, scil. ignorato à nobis *quid est* subjecti &c. Et per hæc etiam patet ad probationem &c.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA,

Utrùm rectè probetur à D. Thoma Existentia Dei?



AD quinque Capita reducit D. Thom. vim suarum probationum; quibus efficaciter concludit debere dari principium movens immobile, primam causam efficientem, primum ens necessarium, & à se, primum, & maximum ens, primum omnium Gubernatorem; unde, ut advertit à S. Tho. hîc ar. 2 ex Cajet. in præsenti, art. 3., eisdem rationibus non solùm probat D. Tho. quinque priores conditiones, vel attributa, quæ solùm in ente increato inveniri possunt, sed cætera etiam, quæ de illo in hoc opere demonstrantur; nam ex immunitate ab omni mutatione, & motu infertur attributum immutabilitatis, & consequenter immensitas, æternitas &c Ex ratione primi efficientis omnipotentia respectu creaturarum. Ex plenitudine essendi, vel entis à se, & necessarii plenitudo perfectionis, bonitatis, actualitatis, sive immaterialitatis, vel puritatis actus, intellectualitatis, cognoscivitatis &c. Ex summitate, & primitate entis, simplicitas, eminentia supra omnem rationem corporei, & lineæ prædicamentalis; identitas cum proprio esse, infinitas, unitas &c. Ex primitate tandem regiminis ratio sapientiæ, voluntatis, providentiæ, idæarum &c.

Est tamen difficultas an in omnibus demonstrativè concludat, & quidem de illa sumpta ex divina efficientia, fatentur ferè omnes Theologi; de aliis verò dubitant, & præcipuè de prima desumpta ex motu, de qua negat Suarez in Metaphysica disp. 29. sect. 1. & 8. quem sequuntur alii frequentiùs ex eadem Societate existimantes non posse ex motu existentiam Dei demonstrari &c.

Oppositum tenent cum suo Angelico Præceptore hîc, & 1. contra Gent c. 3. Capreol. in 1. dist. 3. q. 1. ar. 1. ratione 2, Ferrara ibid. cont Gent. c 13., Cajet., Bannez, Nazarius, à S. Tho., Illustriss. Godoy hîc disp. 3.. & M. Ferre q. 2. §. 4, & sequentibus, & adhærent ex Societate Granadus controv. 1, tract. 1. disp. 2., Fasolis art. 3. dubit. 7, & alii recentio es &c. Sed de omnibus etiam videndus est noster Granata concione 1. in festo SS. Trinitatis § 1. ubi pro more eruditè satis, ac piissimè de illis discurrit &c.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

REctè, ac demonstrativè probat D. Tho. existentiam Dei. Hæc conclusio meliùs probari non potest, quàm exponendo rationes ejus, & præcipuè primam, tum quia ex declaratione ejus facilè aliarum vis poterit esse manifesta; tum quia cùm fundetur in illo principio, quòd omne, quod movetur, ab alio moveri debet, quod satis favet præmotioni physicæ, quam negant, satis eisdem displicet; unde conantur, sed inutiliter, variis eam instantiis impugnare, ut ex ejus expositione constabit &c.

Prob. ergo primo sic, ratione desumpta ex motu, & eidem principio innixa, scil. Omne quod movetur, ab alio movetur, sed in moventibus, & motis nequit dari processus in infinitum, ergo deveniendum est, & sistendum in primo movente immobili, & consequenter existentia primi moventis immobilis, quod est Deus, rectè probatur à posteriori ex motu; utraque conf. tenet, 2. ex 1., & 1. ex præmissis; mi. constabit proponendo secundam rationem, vel demonstrationem D. Tho.; ma. verò, in qua est præcipua difficultas, & quam negant contrarii, prob. inductivè à Philosopho; quia quæcunque moventur, vel moventur violenter, vel moventur, ut non viventia, vel ut viventia; de primis est certissimum, quòd non moventur à se, ut patet ex definitione motus violenti; similiter etiam de secundis, ut latè ostendimus in physicis, & pluribus rationibus probat ibid. Philosophus lib. 7., & 8. à tex. 27., & seqq., tandem concludens gravia, & levia moveri à generante; & patet ex discrimine inter viventia, & non viventia, quod indubitatum semper fuisse apud Philosophos docet ibi. M. Soto q. 3.; de viventibus etiam satis constat in ipsa dispositione naturali eorum, nàm in istis assignatur pars se movens distincta à parte per se mota, ut in nobis cor est movens, aliæ verò partes motæ, nam hac ratione dedit eis natura partes heterogeneas; deinde etiam prob. ratione, quia implicat quòd idem secundum idem sit simul movens, & motum respectu ejusdem, quia simul esset in actu jam habens, & in potentia ad habendum, nam prout movet, est in actu, & prout movetur in potentia, ergo omne quod movetur ab alio movetur &c.

Huic arg. frequens, aut communis solutio est distinguendo priorem propositionem, scil. implicare quòd idem secundum idem respectu ejusdem formæ sit simul in potentia formali, & actu formali; secus verò quod sit in potentia formali, & actu virtuali, vel eminentiali, quod conantur pluribus exemplis confirmare quæ quia tamen in physicis impugnata sunt, non vacat singula referre, præcipuè quia physophica sunt, & ex dicendis facilè iterum alia via, & efficaciùs impugnari poterunt &c.

Contrà solutionem tamen variè insurgunt nostri Thomistæ, sed aliis impugnationibus omissis; eã primò reiicit Illustriss. Godoii ex eo, quòd alias in viventibus non esset distinguenda realiter pars per se movens à parte per se mota, quia si semel idem secundum idem, id est absque reali distinctione potest

se est efficere, & recipere motum per continentiam in actu virtuali, aut eminentiali, & per carentiam formalem, jam poterit vivens sine eadem distinctione, sed secundum se totum esse principium effectivum motus, & ejusdem recaptivum. §. 2. quia motus, de quo loquitur Philosophus est actus imperfecti, quatenus mobile per illum est in potentia merè passiva ad formam, ad quam movetur, unde in hoc genere est aliquod valde imperfectum, sed quod est in actu virtuali, aut eminentiali licet careat forma secundum esse formale, est tamen jam in actu respectu illius, cum eam virtualiter, aut eminentialiter contineat, ut patet in intellectu respectu intellectionis, ergo non est aliquod imperfectum hoc genere imperfectionis, quæ ad motum à Philosopho definitum requiritur, imò contra eosdem motus metaphysicos dividitur, qui sunt actus perfecti &c.

Neutra tamen solutio placet M. Ferre, quia neutra videtur salvare universalitatem principii assumpti, & sustinandi respectu omnium mobilium tam motu physico, quam metaphysico, ut ex generali ratione moventium, & mobilium universaliùs, & efficaciùs procedat ratio D. Tho.; unde primam impugnat, quia sicut non omnia moventia, & mobilia sunt ejusdem rationis, nec pariter sunt omnes motus, ergo licet pro aliquo se movente sufficiat esse in actu virtuali, & potentia formali, non id sufficiet pro omni movente se, unde non videtur rectè inferri, quod superfluè natura distinguat hujusmodi partes per se moventis, & motæ. Explicat hoc ipsum exemplo eorumdem motuum intentionalium; nam quia in istis datur motus liber, & motus deliberatus, qui ejusdem rationis non sunt, non sequitur, quòd si ad liberum sufficit unus actus, supe fluè requirantur duo ad deliberatum, ergo quia pariter in genere motus dantur mobilia, & mota diversæ rationis, non sequitur, quòd si ad unum motum sufficit esse in actu virtuali, & potentia formali superfluè natura ad alios requirat distinctionem realem inter partem per se moventem, & motam &c.

Secundam verò, quia inter moventia, & mobilia per ascensũ usque ad primum motorem dantur moventia intermedia non solum motu physico, sed etiam metaphisico, vel intentionali, ergo cum solutio data de his procedat, non videtur sufficieuter reiici per hoc, quòd motus, de quo ibi loquitur Philosophus, est physicus, sive actus imperfecti ea imperfectione, quæ etiam excludat actum virtualem, unde utrobique videtur diminui universalitas, & efficacia ejusdem principii, & rationis D. Tho. ad generaliter concludendum primum motorem &c.

Aliter ergo ex eodem M. Ferre, & M. Serra impugnatur sulutio, & est doctrina D. Tho locis statim referendis.) Implicat aliquod semel mobile, vel in potentia formali ad motum movere se independenter ab alio, vel priori extrinseco motore, ergo est universaliter verum, quòd id, quod movetur, ab alio movetur, & consequenter deveniendum est ad primum motorem omninò immobilem nè detur processus in infinitum; utraque consequentia tenet, & ant. prob.; implicat aliquod sic mobile esse movens primũ, quia implicat se movere independenter ab alio motore; cons. iterùm tenet, quia in eo genere, in quo aliquod est non primum tenetur subordinari primo, subordinatione de eodem genere, aliàs non erit, & erit non primum in illo, ut patet ex terminis, ergo si est non primum, impossibile est se movere independenter ab alio movente, hæc enim est formalis subordinatio in genere motus, ut infra de voluntate Dei, & alibi in Physicis de subordinatione causarum ostensum est. Ant. etiam constat, quia eò ipso, quod est mobile, vel in potentia formali ad motum, est aliquod potentiale, cum prout sic importet formalem carentiam, ergo repugnat esse primum movens, prob. consequentia, quia primum movens ut potè alteri non subordinatum, nec capax accipiendi aliquid ab alio, excludit omnem potentialitatem: Tum quia cum movens moveat secundùm quòd est actu; quod est primò movens primò, & per se, debet totum esse actu, quòd est esse actum purum, sicut cui primò, & per se convenit esse actu; primum ens, & actus purus est, ergo quod semel est mobile, vel potentiale, repugnat esse primum movens, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Quod est tantùm in actu virtuali, & in potentia formali ad motum à se realiter distinctum debet necessariò esse in potentia purè passiva in ordine ad motorem extrinsecum, ergò tenetur omninò moveri ab illo, ergò erit universaliter verũ, quòd omne, quod movetur, ab alio movetur; hæc secunda consequentia tenet ex prima, & prima ex antecedẽti, quia quod est in p tẽtia purè passiva ad aliud comparatur, ut deficiens respectu illius, ergò indiget illo in ea linea, in qua est in potentia, ergò si est in linea motus, indiget moveri ab illo; nec sufficit accepisse virtutem, vel conservari, quia hoc convenit cuilibet moventi secundo, sive actu se moveat, sive non, unde non salvat dependentiam, vel subordinationem in præcisa linea motiva, vel operativa ut contradistincta ab aliis, ut latè ubi supra ostensum est, & consequenter nec salvat ejus potentiam purè passivam ad illum hic & nunc in hac præcisa linea, dum movet se, si nihil accipit; erit enim de subjecto non supponente comparatio ista passivi: Antecedens verò probatur, quod est in actu tantùm virtuali, & in vera potentia formali ad actum nequit ad istum reduci nisi ab aliquo existente in actu formaliter, ergò est in potentia passiva ad motorem extrinsecũ, probatur ant. quia ut dictũ est, sic existens in vera potentia formali ad actum, est aliquid potentiale in hac linea, ergò impossibile est, quòd se solo independenter ab alio existente in actu formaliter, vel ab omni extrinseco motore reducatur ad actum, probatur consequentia, quia implicat, quòd sic semel potentiale respectu actus habeat omnem perfectionem debitam in actu secundo movendi se, aliàs potentiale non esset respectu illius, ergò impossibile est, quòd se solo reducatur ad actum independenter ab extrinseco motore existente formaliter in actu, &c.

Sumitur hæc doctrina ex D. Tho. infra q. 19. art. 3. ad 5. ubi hac ratione docet non indigere Deum motore aliquo, aut determinante extrinseco, quia est causa ex se necessitatem habens, id est quia cum sit summè actualis, habet omnem perfectionem debitam in actu secundo ad se determinandum sine dependentia à quocunque alio extrinseco, cæterum quia quodcunq. agens, vel movens inferius, ut potè in potentia formali ad motum, vel actum à se realiter distinctum, non est purum movens, sed simul mobile, vel potentiale, ideò

& ideò nequit se solo habare quidquid requiritur ad se movendum, vel extrahendum sa à tali potentia independenter ab alio puro, motore, vel existente in actu formaliter, ut locis ralatis, & alibi in materia de gratia expendimus.

Neque huic, quòd est moveri ab allo opponitur huic, quòd est movere se, ut advertit idem Angelicus infrà q. 105. att. 4. ad 2. dicens *moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio*; sed solum repugnat huic, quòd est movere se primò, imò est omninò necessarium, quòd movens se moveatur ab alio, si sit aliquod potentiale, ut dictum est; unde ostendens ibidem quomodo hæc duo componantur, ait, quòd moveri ex se, præcisè dicit principium intrinsecum, non tamen excludit principium extrinsecum movens, imò si potentiale est, & non primum tenetur omninò pendere ab illo, &c.

Hinc etiam patet, quòd quæ aliqui opponunt de motu gravium, & levium, & de illo cordis, quòd sit à se ipsis, & non à generante, & de quocunque alio viventium non obitare eidem principio, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, quia nullus asserit, vel asserere potest, ità moveri à se ipsis, quòd à se primò moveantur, aut sint causa prima sui motus, unde nunquam repugnat moveri ab alio, imò necesse est, quod à prima causa dante eis esse virtutem, & motum, moveantur, ut egregiè etiam ponderat M. Serra, &c.

§. II.

Alia ratione, vel demonstratione D. Tho. probatur Conclusio.

Secundò probatur per viam efficientiæ sic. Omne quod causatur, & fit, ab alio fit, & causatur; sed in causis efficientibus per se subordinatis nequit dari processus in infinitum, ergò deveniendum necessariò est ad causam primam à nullo causatam, aut causabilem, & consequenter via efficientiæ demonstrativè concluditur existentia causæ primæ, vel entis à nullo alio causati, quod est Deus; Ma. præterquàm quòd est expressa omnium Patrum, & Scholasticorum hac ratione probantium distinctionem realem personarum in divinis, & rationem ingeniti in prima persona, sivè Patre, quia nempè nequit idem à seipso produci, & quia Filius procedit à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio; patet manifestè ex terminis, quia si idem esset causa efficiens sui ipsius, deberet esse prius seipso, & ante sui existentiam, cùm causa efficiens teneatur præcedere saltem prioritate productionis suum effectum, nec possit illum producere, nisi pro eadem prioritate sit jam existens, cum nemo det, quod non habet, ergò.

Minor verò, de qua est major difficultas, & qua ut vidimus, utitur etiam D. Tho: in priori ratione, ut rectè percipiatnt adverto ex eodem infra q. 46. art. 2. ad 7. quòd dependentia effectus à pluribus causis dupliciter contingit, scil: per se, & per accidens; priori modo dependet, quando ad sui productionem indiget concursu omnium superiorum causarum, qua ratione effectus sublunaris dependet à cælo, & cælum ab intelligentia, & hæc à Deo, quia nempè est talis subordinatio inter illas, quòd nequeat proxima influere ad effectum, superiori non influente, ex quo evidenter concludit D. Tho., ut statim constabit, non posse in his dari processum in infinitum: per accidens autem contingit, quando ex opposito ad ejus productionem non oportet, quòd omnes causæ illum præcedentes concurrant, ut patet in homine modò genito, qui licet successione generationum dependeat ab Adamo, & ab aliis intermediis, non tamen est necessarium, quòd ad ejus generationem influant omnes, qui præcesserunt patrem suum, sed satis est influxus patris, unde licet ab isto per se dependeat, non tamen ab aliis, sed veluti per accidens se habet, quòd præcesserint ante concursum patris.

In his ergo causis per accidens admittit D. Tho. processum in infinitum, quia eodem adhuc admisso non impeditur productio effectus, cum à præcedentibus per se non dependeat, unde parum refert, quòd infinitæ præcesserint, ut dicatur produci hic, & nunc; satis est enim, ut dictum est, quòd adsit proxima productiva ejus, quæ cum non supponat necessariò aliàs priores, nec agat in virtute earum, nec dicantur omnes tenere ordinem, nisi unius causæ, & per accidens fiat multiplicatio earum, non tenetur supponere ordinem sui ad mediam superiorem, & hujus ad primam, & consequenter nec impediri potest à productione effectus, sive finitæ, sive infinitæ fuerint ante concursum sui; cæterùm in causis per se ob oppositā rationem impossibilis est processus per ascensum in infinitum, ut statim manifestè ostenditur, &c.

Probatur ergò mi. principalis ex D. Tho. sic. In causis per se subordinatis primum est causa medii, & medium ultimi, sive media sint plura, sive unum tantùm, sed remota causa, removetur effectus, ergo si non fuerit primum in illis, sed procedatur in infinitum, nec erit medium, nec ultimum, & consequenter nec effectus; quod patet experientia adducta ibid. à D. Tho., nam si lapis ut moveatur indiget baculo movente, & baculus ut moveatur indiget manu movente, & sic de aliis prioribus moventibus procedendo in infinitum, ità ut quolibet movente nunquam verificari possit de illo, quod primò moveatur, nullum erit assignabile primum movens, quod sit causa moventis, vel causæ mediæ; & cum hæc agere non possit nisi in virtute primæ, nec deinde ultima nisi in virtute mediæ, impossibile erit produci effectū admisso ascensu in infinitum removente primam, &c.

Huic rationi variè occurrunt Authores, nam alii existimant non convincere ex eo, quòd licet causa media teneatur supponere aliam priorem, non tamen primam, quia de ratione medii nil aliud exigitur, quam quòd sit inter duo extrema: neq; enim tenetur ex quo causa præcisè est, aliàs etiam prima teneretur aliam supponere; neq; ex quo etiam media est, quia prout sic tantum importat habitudinem ad duo, non tamen determinatè, quę sint primum & ultimum, ut patet in partibus proportionalibus circuli, in quo sunt partes mediæ, non tamen prima & ultima; nec tandem ratione utriusque, sive ex quo simul causa media est, quia prout sic tantùm petit mediare in causando, quod sufficienter salvatur, si inter priorem causam

ſam, & effectum ſit aliqua cauſalitas media, unde ex nullo capite videtur concludi neceſſitas cauſæ primæ, & conſequenter & impoſſibilitas proceſſus in infinitum etiam in cauſis per ſe ordinatis, &c.

Alii verò dicunt non habere vim, niſi ſuppoſita impoſſibilitate infiniti in actu, quia licet aſcenſus, aut deſcenſus in infinitum non poſſit ſucceſſivè pertranſiri, & conſequenter cauſa media, aut illius effectus dependere à cauſis infinitis una poſt aliam cauſantibus, ſecùs verò ſi in uno, & eodem inſtāti ſine ſucceſſione cauſēt, unde ſi ſemel admitteretur poſſibile infinitū in actu, poſſet illud à Deo in inſtanti, produci & tūc omnes cauſæ iſtæ infinitæ exiſtētes ſimul influere poſſent in unū, & eundē effectum, & quia hactenus demonſtratum non eſt, quòd iſtud infinitum in actu implicet, ideò ratio D. Tho. huic fundamento innixa nequit eſſe demonſtrativa, &c.

Sed contra primam eſt ex Caietano hic §. *Unde ſciendum eſt ſecundò.* Implicat cauſam actu producere effectum efficientia, vel cauſalitate ſui non completa, ſed adhuc complenda, ſed non ſuppoſita prima nequit cauſa media habere efficientiam, vel cauſalitatem ſui completam, ſed perpetuò complendam, ergo repugnat actu producere effectum, non ſuppoſita prima; maj. patet ex terminis, quia cum cauſa dicatur ab efficacia, vel efficientia in cauſando repugnat intelligi conſtitutam in actu ſecundo ad cauſandum, non intellecta efficientia, vel cauſalitate ſui completa, ſed adhuc complenda, quia nequit tunc intelligi adhuc ſufficienter diſpoſita ad dandum actu effectum non habito ultimo ſui complemento ad efficientiam ejus, ut per ſe patet; min. etiam eſt manifeſta, quia non ſuppoſita prima perpetuò intelligitur dependens à priori, & à priori in infinitum, ergo eadem non ſuppoſita nunquam intelligitur completa, ſed perpetuò complenda, nam cum indigeat influxu omnium, quibus ſubordinatur, ſi velimus ordinem per ſe inter illas, vel cuilibet priori eam ſubordinari, nunquam finitur ejus complementum, donec perveniat ad primam, in qua fiat ſtatus, nam alias ſemper expectabit illud ab alia, & ab alia priori in infinitum, &c.

Ex his etiam impugnatur poſterior ſolutio, P. Suarez. Nam ſive admittatur poſſibile infinitum in actu, ſive non, nunquam tamen intelligitur cōpleta, vel finita, aut terminata cauſalitas cauſæ mediæ, non ſuppoſita prima; aut determinata, in qua fiat ſtatus, ergo cum in ſerie cauſarum in infinitum non poſſit deveniri ad hanc primam, aut determinatam, nunquam intelligetur cauſalitas ejus completa, vel finita, aut terminata ad productionem effectus, ſive ſimul deindè concurrant, ſive ſuceſſivè, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam admiſſo adhuc infinito in actu, & ſimultaneo concurſu cauſarum in infinitum, ſemper tamen eſt ordo, vel dependentia cauſæ mediæ, vel proximè productivæ effectus à priori, & priori in infinitum ſaltem prioritate naturæ; nam modo loquimur de per ſe ſubordinatis, ergo cum in aſcenſu in infinitum nunquam ſit aſſignabilis prima, impoſſibile eſt, quòd ex hauriatur ut ſic dicamus, ejus dependentia per completam terminationem ſuæ cauſalitatis, vel efficientiæ, &c.

Explicatur ulteriùs in omnipotentia divina. Nam licet in illa ſit ſimultanea continentia poſſibilium in infinitum, quia tamen eſt deſcenſus cū impoſſibilitate aſſignandi ultimum, impoſſibile eſt ejus virtutem productivam intelligi aliquando completam, & terminatam, vel poſſe aliquando exhauriri reſpectu eorum, ergo licet pariter admittamus concurſum cauſarum in infinitum eſſe ſimultaneum, quia tamen eſt aſcenſus intra ordinem earum cum impoſſibilitate perveniendi ad primam, impoſſibile erit, quòd dependentia, aut dependentia propriæ cauſalitatis, & efficientiæ intelligatur aliquando exhauſta, ſive completa, & terminata; & ratio omnium eſt, quia implicat in terminis, quòd aliquid in eo genere, in quo eſt complebile, aut terminabile intelligatur compleri, & terminari non aſſignato, nec aſſignabili termino ſui complementi, aut terminabilitatis, &c.

Denique urgetur, & explicatur totum hoc. Nam loquendo de cauſis ſubordinatis, & non quaſi diſparatis, aut ad modum cauſarum partialium, aut totalium in opinione admittente idem infinitum in actu, debet inter illas ſalvari ordo, aut prioritas ſaltem naturæ, ergo impoſſibile eſt earum concurſum poſſe ſufficienter pertranſiri ad complendam, aut terminandam dependentiam cauſæ inferioris, vel proximæ, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè concurrant, ant. eſt certum, aliàs non erit ſubordinatio inter illas; conſequentia verò probatur; ideò nequit pertranſiri ſucceſſivè concurrentibus ſecundum prioritatem inſtantium realium, vel temporis; quia impoſſibile eſt in multitudine infinita cauſarum aſſignare primum inſtans temporis, in quo incipiat earum influxus, ſed ante quodlibet eſt aliud, & aliud prius; ſed neque etiam aſſignabile eſt primum inſtans naturæ, cum ſuppoſita multitudine infinita, ante quodlibet inſtans naturæ ſit aliud, & aliud aſſignabile, ergo, &c.

Ex his etiam patet diſcrimen ad ſimile inſinuatum de partibus proportionalibus, quia inter iſtas non eſt talis ordo, aut dependentia in cauſando, ut rectè etiam advertit Capeol. in primo diſt. 3. q. 1. præcedens enim non eſt cauſa poſterioris, nec poſterior dependet à prima eſſentialiter, ſicut in cauſis ſubordinatis; & licet diceremus, quòd in his prior ſit cauſa poſterioris, non tamen prima eſſet cauſa mediæ, aut proximè producentis effectum ſuppoſita earum infinitate, quia tunc nulla eſſet prima, ut dictum eſt, &c.

Ex quibus etiam fit ſatis utrique argumento inſinuato à Suarez, & Capreolo; nam ſuppoſito, quòd concurrant cum ordine, debet ſalvari ſaltem prioritas naturæ, unde eſtò ſimul concurrant, nunquam poterit, ſi ſemel infinitæ ſunt, perveniri ad aliquam priorem qua non ſit alia, & alia in infinitum prior, & conſequenter nunquam intelligetur completa, & terminata dependentia, vel cauſalitas cauſæ proximæ effectus non perveniendo ad primam, quòd eſt removere productionem illius, quia non habito hujuſmodi complemento nunquā intelligitur ſufficienter conſtituta in actu ut exeat in productionem ejus. Similiter eodem ordine ſuppoſito non tantùm tenetur cauſa media dependere à priori, ſed etiam à prima, quia non perveniendo ad iſtam, in qua fiat ſtatus, nunquā efficientia

ejus intelligitur completa, & terminata, & consequenter insufficiens ad produceodum, unde non ex præciso conceptu causæ, nec ex præciso mediæ, sed ratione utriusque, vel mediæ, in subjecta materia, scil. causarum subordinatarum per se, quia tunc ratio medii non præcisè importat esse inter duo extrema, sed com exigentia dependendi à primo, ut terminetur, & compleatur ejus exigentia, & causalitas, &c.

§. III.

Exponuntur aliæ rationes D. Tho.

Tertia ratio sumitur ex possibili, & necessario, & tendit ad concludendam necessitatem entis necessarii, & à se, quia hoc excluso cætera remanent contingentia, seu possibilia esse, & non esse, hæc autem ex se nequeunt consequi esse, quia quod tantùm possibile est esse, & non esse aliquando non est, quod autem non est, nequit sibi dare esse, aliàs esset antequam esset, vel ante sui existentiam, quod est manifesta contradictio. §. Formatur ergo ratio sic. Experimento constat in rerum natura dari quædam contingentia, seu possibilia esse, & non esse, sed hæc impossibile est esse sublato omni ente necessario, vel à se, ergo tenemur istud admittere, sive Deum, cum hoc sit proprium ejus prædicatum. Ma. patet, quia quædam generantur, & corrumpuntur; min. verò probatur, quia possibile esse, & non esse ex propria, vel intrinseca sui ratione aliquando non est, id est meretur se solo non posse esse, cum in eo quòd est in potentia ad esse careat illo, implicat autem, quòd in signo ejusdem carentiæ det sibi esse, aliàs esset, antequam esset, nam qood dat esse, debet jam esse, ut patet ex terminis, ergo impossibile est, quòd sublato omni ente necessario, sive omninò existente, vel à se detur aliud esse. Probatur conseq. quia eodem sublato cætera manent possibilia esse, & non esse, utpotè potentialia, & dependentia ab alio in essendo, à quo expectant esse, si semel à se non habent, ergo remoto ente necessario, & à se nullum aliud esse poterit, &c.

Explicatur hoc. De quolibet habente esse verificari debet quòd habeat vel à se, vel ab alio, cum non sit assignabile medium, ergò vel admitti debet ens necessarium, & à se, vel nullum esset dabile ens in rerum natura, probatur consequentia, quia remoto ente à se, cætera remanent, ut dictum est, eos ab alio, sive cum potentia ad esse, sed hæc nequeunt sibi dare esse, nisi velimus iterùm illud habere antequam sint, sed indigent accipere ab alio jam habente illud, ergo nisi perveniamus ad aliquod habens esse à se, nullum erit assignabile quod primò habeat esse, & à quo cætera habeant illud, & consequenter nullum posset esse in mundo, &c.

Explicatur ulteriùs. Nam sive loquamur de tota collectione entium, sive de singulis ejus partibus, implicat tamen de illis affirmare esse, excluso primo ente, sive omni necessario, & à se, ergo, prob. ant. quia modo non loquimur de prædicato quantitativo importante diversitatem in modo conveniendi toti, & partibus, sed de intrinseco, & necessario conveniente toti multitudini ex convenientia partium, ut est dependentia ab alio in quolibet ente non necessario, vel possibili esse, & non esse, sed de nullo ex his, ut probatom est, & patet ex terminis, verificari potest quod à se habeat esse, ergò, excluso ente necessario, vel à se, à quo habeat illud, nullum esset dabile ens in rerum natura, sive divisim, vel in particulari, sivè collectivè; sicut si de nullo homine in singulari verificari posset, quòd esset risibilis, nec posset verificari de tota eorom collectiooe, &c.

Ex his etiam patet recta intelligentia illius propositionis, scil. contingentia, sive *possibilia esse, & non esse, aliquando non fuot, vel non fuerunt*; cui præcipuè videtur inniti ratio D. Tho. non enim obstat ejus veritati, quòd admittatur mundus possibilis ab æterno, & quòd in, eo casu semper fuisset, & consequenter, quòd tunc eadem possibilia esse, & non esse, nunquàm fuissent sub non esse, quod videtur contrariari prædictæ propositionis. Non inquam, obstat, quia sensus illius non est, quòd supposita existentia entis necessarii, vel à se, non potuerint perpetuò esse, sed quòd attento eorum merito, cum non possit idem possibile esse, & non esse, habere istud à se, ut dictum est; si aliàs non admitteretur idem necessarium, deberent aliquando supponi sub non esse, unde qui ponunt mundum ab æterno, vel possibilitatem ejos, supponunt ens necessarium, & à se, à quo habuit, vel potuit ab æterno habere illud, &c.

Quarta ratio D. Tho. tendit ad statuendum aliquod maximum, & nobilissimum ens, quod sit similiter causa cæterorum, & sumitur ex variis gradibus bonitatis, & perfectionis, qui in rebus inveniuntur; unde arguitur sic. Invenitur in rebus aliquid magis, & minus bonum, & verum, & nobile, & sic de aliis, &c. Sed magis, & minus dicuntur de diversis secundùm quòd appropinquant diversimodè ad aliquid, quod maximè est, sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maximè calido, ergo datur aliquid, quod est verissimū, & optimum, & nobilissimum, & per consequens maximè ens; nam quæ sunt maximè vera, sunt maximè entia, ut dicitur 2. Metaphisicæ, quod autem dicitur maximè tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis, sicut ignis, qui est maximè calidus est causa omnium calidorū, ut in eodem libro dicitur, ergo datur aliquod, quod omnibus entibus est causa esse, & bonitatis, & cujuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum, &c.

Dices propositionem illam, cui præcipuè innititur ratio D. Tho. scil. *maximè tale, vel nobilissimum in aliquò genere est causa cæterorum in eodē genere*, non esse universaliter veram, & videtur manifestè instari in speciebus athomis cujuslibet generis; nam nobilissimum in genere animalis est homo, & in genere colorum est albedo, & sic de aliis, & tamen nec homo, nec ulla alia species est causa omnium sui generis, unde non videtur ratio facta procedere ex omninò veris, aut necessariis, & consequenter nec esse demonstrativa, &c.

Sed contrà hoc est, quia solutio æquivocat, vel dissimolat intelligentiam ejúsdem propositionis; nam nomine generis, nec juxtà D. Tho. nec secundùm rectam propositionis intelligentiam ve-

nit genus stricte sumptum pro superiori ratione univoca æqualiter participabili ab inferioribus, ut est ratio animalis, sed pro analoga participabili, vel communi illis inæqualiter, ut est ratio entis, sed intra hoc genus, quod est maximè tale, est causa cæterorum, ut patet inductivè; nam quia substātia est maximè talis, sive supremum analogatum in genere entis est causa omnium accidentium, & quia ignis est supremum in genere calidi, est causa omnium calidorum, & quia Deus est supremum omnium erit causa omnium creaturarum, ergò universaliter verum est idem axioma rectè intellectum &c. Major verò quoad D. Tho. constat ex litera, *Nam quarta via*, inquit, *sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur*; & deinde subdit, quòd *magis*, & minus dicuntur de diversis, secundùm quòd diversimodè appropinquant ad aliquod, quod est maxime tale, ergò loquitur de genere, sive de ratione communi secundùm diversam graduationem, vel accessum ad illam, & non de præcisa generica, vel univoca: deinde etiam quòd recta ejusdem propositionis intelligentia sit hæc, patet, quia maximè tale in aliquo genere dicitur correlativè per excessum ad id quod, est minus, & magis tale in illo, ergò nequit prout sic ratio generis esse aliqua superior univoca, sed magis analoga suscipiens magis, & minus, sive inæqualiter participabilis ab inferioribus, &c.

Ex his patet non esse ad rem instantias de speciebus, quia istæ non dicuntur nobilissimæ, vel maximè tales per excessum in participando rationem superiorem genericam, quasi hæc in una inveniatur adæquatè, vel abundantiùs participata, & in aliis per defectum, & non integrè, vel inæqualiter, nam aliàs non esset univoca, sed quia excedit in sui ratione differentiali perfectius contrahendo rationem genericam, unde cum sit tantùm excessus in ratione inferiori, non verificatur de illis, quòd sint maximè tales in proprio genere, ità ut teneantur influere ad alia ejusdem generis; est enim de subjecto non supponente, cum non magis participent de illa, quam cæteræ species; cæterum quando ratio superior est analoga, & in uno invenitur adæquatè; (quod propterea est maximè tale in illo genere, ut præcipuè contingit respectu Dei comparativè ad cætera entia;) in aliis verò in adæquatè, tunc ex supremo illo analogato derivatur veluti ex fonte de genere illo in cætera ejusdē generis, nam si non esset istud primum principium influens, nullum esset aliud assignabile influens, cum non superiora ab inferioribus, sed hæc magis à superioribus participent, & dependeant, unde quantò aliqua ex inferioribus sunt propinquiora eidem primo influenti, tantò abundantibus participant de illo, quod est aliud axioma, ex quo 3. p. probatur plenitudo gratiæ in anima Christi, & in B. V. juxtà earum conditionem, & propinquitatem ad Deum, &c.

Dices hanc doctrinam non cohærere cum exēplo adducto à D. Tho. de igne respectu aliorum calidorum, quæ univocè conveniunt cum illo in ratione calidi; unde non videtur explicari prædictum axioma ad mentem ejus de superiori ratione analoga, & non univoca, &c.

Sed contrà hoc est. Quia iterum hæc solutio æquivocat, vel dissimulat vim ejusdem exempli, prout adducitur à D. Tho., unde impugnatur sic. Licet ratio calidi sumpta nominaliter, sive prout dicit essentiam caloris in indivisibili consistentem, univocè dicatur de illis, non tamen sumpta participativè, sive gradualiter, vel intensivè, sed hoc modo sumitur à D. Tho., ergo de ratione analoga intelligendum est nomen generis juxtà mentem ejus; maj. constat; quia prout sic non participatur æqualiter, sed ab igne in summo gradu intensionis, vel in sui plenitudine, ab aliis verò remissè, & ideò omnia calida dicuntur talia participativè ab igne, magis, vel minùs secundùm majorem, vel minorem accessum ad illum, min. verò etiam patet ex litera, quia, ut dictum est, sumit hanc rationem ex gradibus perfectionis repertis in rebus secundùm diversam propinquitatem ad maximè tale: tum quia ut rectè ponderat M. Ferre, in doctrina D. Tho., hoc est certissimum, quòd quando aliqua ratio dicitur de causa, & effectu non adæquante causam, secundùm illam rationem analogicè dicitur de illis, sed certum est rationem calidi dictam de igne, & aliis calidis dicitur de illis tanquam de causa, & effectibus non adæquantibus causam, sive ignem in calore gradualiter sumpto, ergo nequit ad intentum, & mentem D. Tho. sumi essentialiter, sed participativè & gradualiter, &c.

Explicatur hoc. Nam ignis non est causa aliorū calidorum, quia præcisè est calidus, sed quia est maximè calidus; sed certum est alia calida non adæquare illum in hoc summo gradu, vel plenitudine caloris, ergo ratio calidi non dicitur de illis prout sic juxtà D. Tho. univocè, sed analogicè, &c.

Ultima tandem ratio sumitur ex gubernatione rerum, & tendit ad probandum dari in rerum natura aliquod supremum intelligens, à quo omnia naturalia dirigantur in suum finem, unde formatur sic. In rerum natura experimento constat plura non habentia cognitionem, scil. corporalia naturalia operari propter finem, quia semper, aut frequentiùs eodem modo operantur, ut consequantur id, quod est optimum, & consequenter non à casu, sed ex intentione perveniunt ad finem; sed quæ carent cognitione non tendunt in illum, nisi directa ab aliquo cognoscente, & intelligente, sicut sagitta à sagittante, ergo est aliquod intelligens à quo omnes res naturales ordinantur ad finem, & hoc dicimus Deum, &c.

Dices ex ipso pondere, aut impetu suæ naturæ tendere prædicta corpora ad suum finem; nam gravia naturaliter descendunt ad centrum, & levia ascendunt nullo impellente, ut patet in aqua, igne, &c. unde non videntur quoad hoc indigere superiori dirigente, &c.

Sed hæc solutio, vel infelix evasio Athæorum excluditur argumento facto. Nam licet ità sit, quòd res naturales habeant inclinationem, & propensionem ad suos fines naturales; sinintelligibile tamen est, quòd regulatissima hæc, & infallibilis consecutio finis, sit veluti à casu, aut cæco modo, sed non posita intelligentia dirigente, & intendente talem finem esset à casu, vel cæco modo, ergo est omninò admittenda, prob. min., quia illa non posita nullus intenderet eundem finem cum prædicta corpora careāt cognitione, ergo esset à casu, consequentia tenet, quia consecutio finis non intenti est à casu, &c.

Urgetur hoc. Sicut hæc naturalia ob sui gravitatē, vel levitatem, habent naturalem inclinationem, vel

vel proportionem ad suos fines, ita pariter plura arte facta ad suos, ut cythara ad melodiam, & sic de aliis, sed hæc à casu redderent sonum artifice perito non pulsante, aut non intendente illum, ergo pariter eadem naturalia à casu consequerentur finem suum non priùs ab aliqua intelligentia cognitum, & intentum.

Urgetur ulteriùs. Quia ut vidimus in Physicis, & constat experimento, quandoque hujusmodi corpora urgente bono communi moventur motu opposito propriæ inclinationi, ut dum aqua ascendit sursùm ad impediendum vacuum, ergo cùm non possit tunc fieri recursus ad impulsum naturæ eorum, tenemur omninò admittere superius intelligens, & respiciens ad conservationem boni communis &c.

Dices secundò eidem rationi, quòd eadem facilitate videretur posse probari non tantùm dari unum Deum, sed etiam trinum, sive secundùm pluralitatem Personarum; quia lumine naturali, & experimento in nobis constat, quòd intelligens ex hoc ipso, quòd intelligit, format verbum, undè supremum illud intelligens formabit verbum, quod est ratione naturali concludi prædictam pluralitatem in divinis. contra jam communem consensum Theologorum infrà de Trinitate qu. 22. art. 1. &c.

Sed contra hoc est. Quia licèt in nobis intelligens producat verbum, non tamen secundùm identitatem in esse reali, vel naturali cum re intellecta, sed purè intentionali; nec etiam productum ex fœcunditate, sed ex necessitate; ut objectum, quod est extrà, fiat intrà in actu fecundo, scil. intellectum, ergo licèt ratione naturali rectè inferatur à D.Tho. existentia alicujus supremi intelligentis, non tamen, quòd sit multiplex in Personis; ant. est certum, & conf. prob. quia productio verbi secundùm prædictam identitatem, & fœcunditatem inferri nequit ex modo producendi illud in nobis tam diminuto, & deficiente, sed solo lumine Fidei innotescit, ergo &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Primò arg. contra primam impugnando iterùm illud principiũ: Omne quod movetur ab alio movetur, & omissis aliis instantiis, quas jam insinuavimus, & solvimus; instatur sic. Non est necessarium, quòd in omni motu fiat resolutio ad primum motorem omninò immotum, ergo in vi illius nequit certò inferri existentia istius, prob. ant. primò in motu aquæ calidæ recuperantis suam frigiditatem recedente calore; nam nullo infrigidante recuperat illam ex nativa sui virtute. 2. In motu alterationis, qui sufficienter habetur per reductionem ad primum alterãs inalterabile, scil. cælum sine indigentia alterius motoris. 3. In motu locali cæli, quod licèt indigeat movente immoto secundùm eundem motum, non tamen secundùm quemcumque alium; nam ad nihil conferre potest immobilitas in quocumq; alio respectu intelligentiæ moventis illud localiter. 4. Quia non videtur repugnare circulus in linea moventium, sicut non repugnat in linea causarum, ergo sicut istæ sunt sibi invicem causæ saltem in diverso genere, pariter poterunt moventia se invicem movere in diverso genere motus, sine debito assignandi unum movens omninò immotum in omni genere. 5. Nam dato etiam quòd esset necessitas assignandi illud, non tamen respectu cujuscumque motus, ita ut teneatur movens inferiùs perpetuò moveri ab illo, ut moveat, sed satis est ab initio habuisse virtutem ab illo, & mox ab eodem conservari, ut patet in gravibus, & levibus, quæ semel accepta virtute gravitatis, & levitatis à generante, moventur sine indigentia alterius motionis ab illo, & salva etiam debita subordinatione ad illum, ergo non subsistit universaliter idem principium, quòd omne, quod movetur, debeat perpetuò ab alio moveri ex debito subordinationis ad superius movens &c.

Ad hoc patet ex dictis, & unico verbo respondetur primò ad hæc omnia, quòd si semel movens non est primum per carentiam totius potentialitatis, impossibile est, quòd in illo fiat status, ut probatum est, præcipuè in moventibus, & motis, in quibus est per se ordo, & subordinatio, unde nego primum ant. Ad singulas deinde instantias, & ad primam de aqua dicimus recuperare frigiditatem non quasi per motum superadditum, sed magis naturali resultantia ex determinatione primò habita à generante sublatis impedimentis; est enim proprietas ejus, ut non impeditæ.

Sed instas. Si frigiditas est proprietas aquæ sic naturaliter dimanans, non posset in illa admittere oppositum sui prædicatum; nam licèt dicamus posse impediri resultantiam proprietatis, vel exercitium ejus in subjecto, v. g. risibilitatis in homine, non tamen admitti in illo prædicatum oppositum, nempè inhibilitatis &c. ergo si semel aqua admittit calorem frigiditati contrarium, non poterit hæc esse proprietas ejus naturali sequela, vel quarto modo debita &c.

Respondetur negando ant., ad prob. annexam distinguo, loquendo de proprietatibus, quæ absolutè rei conveniunt, concedo; si aliquo modo respectivè, vel connotativè ad aliquod extrinsecum, nego; quia ut in simili dictum est 3. par. circa assumptibilitatem naturæ jam personatæ ab aliena persona, quòd sicut aliqua prædicata conveniunt rei ita absolutè, & in se, ut dicant negationem unionis cujuscumque alterius oppositi, ut indivisibilitas entitativa rei spiritualis, v.g. animæ nostræ; ita ut nullo modo possit hæc esse ẽtitativè divisibilis; alia verò nõ sic, scil. quę aliquo modo respiciunt ad aliquod extrinsecum, ut divisibilitas localis; potest enim idem corpus, v. g. Christi esse divisibiliter in uno loco, scil. in cælo, & indivisibiliter in alio, ut in Sacramento; unde proportionabiliter dicimus de his proprietatibus, quòd aliquæ ita absolutè conveniunt, ut importent omnimodam negationem cujuscumque prædicati oppositi, ut est risibilitas in homine, & sic de aliis; aliæ verò aliquo modo respectivè, vel connotativè, ut est motus gravis in centrum, vel frigiditas aquæ, unde sicut grave potest conjungi cum quiete opposita eidem motui, ita aqua cum calore opposito suæ frigiditati; nam quia aqua contraria est igni, & sæpè pugnat cum eodem, habet frigiditatem, quæ non omninò absolutè,

sed

sed aliquomodo respectivè ei convenit, unde secundùm quòd superari potest ab illo, pariter etiam conjungi cum calore propriæ frigiditati opposito, quod non contingit in aliis omninò absolutis, & præcipuè vitalibus, ut sunt risibilitas, & inhibilitas, quæ nequeunt convenire subjecto, nisi radicentur, aut dimanent ab illo; unde si semel inhibilitas conveniret homini, deberet ab ejus essentia dimanare, & in illa radicari, quod est impossibile, cùm nequeat eadem essentia radicare oppositas proprietates; hoc autem non militat de calore respectu aquæ, sed satis est ad ejus unionem, ut ab extrinseco agente calefiat &c.

Sed instas. Licèt calor ignis non sit proprietas vitalis, nec absolutè illi conveniens, sed respectivè, quia tamen est proprietas naturaliter consequens, vel quarto modo, nunquam admittit in illo oppositum sui prædicatum, sive frigiditatem, ergo si etiam hæc esset similiter proprietas aquæ, nunquam admitteret in illa calorem &c.

Dices primò negando causalem, quòd ideò in igne admitti nequeat oppositum prædicatum calori, quia hic sit proprietas ejus, sed quia est talis in summo, sive ut replet totam ejus capacitatem, unde à nullo agente extrinseco infrigidari potest; aqua verò non est in summo frigida, sed citrà summum, vel in gradu remisso, ut etiam explicatum est tract. 2. de Ortu, & interitu q. 1. §. 3. & patet experimento, nam in adventu infrigidantis extrinseci, magis, ac magis frigescit, quod non contingit in igne, qui nunquam magis, vel minùs calefit &c.

Dices secundò, aliud discrimen assignando, nempè quòd frigidum in summo, de quo possemus imaginari, pugnare posse cum calore ignis, non habet activitatem respectu ejus, cùm frigiditas magis sit de genere passivi, quàm activi, ut subtiliter colligit M. Ferre hìc ad 5. ex D.Tho. ad illud Job 38. *Quis est Pater pluviæ?* & ad illud: *De cujus utero est glacies?* ubi notat D. Tho., quòd pluvia generatur à calore Solis, vi cujus resolvuntur vapores, & calor est qualitas masculina, ideò dicitur *Quis est Pater pluviæ?* sed quia glacies causatur ex frigiditate, quæ est qualitas fœminina, ideò dicitur: *De cujus utero est glacies?* constat autem, quòd masculinum activè se habet ad fœmininum, & hoc passivè ad illud, unde licèt calidum in summo agere possit ad frigidum in summo, non tamen è contra &c.

Sed contra primam solutionem est. Quia infrà de lumine gloriæ ex eo probatur non posse etiam in gradu remisso alteri à Deo, sive non habenti naturam divinam convenire, quia est ei connaturale, aut per modum proprietatis convenìens, ergo ratio connaturalitatis, vel proprietatis impedit convenire, & non præcisa ratio summi. §. Secundò. Si aqua esset frigida in summo, adhuc posset ignis agere in illam, & facere eam calidam, ergo non ideò ignis impeditur frigifieri, quia est in illo calor in summo replens ejus capacitatem, sed quia est proprietas ejus, vel connaturaliter consequens ad ejus essentiam.

Contra secundam verò sic; & urgetur præcedens. Quia de facto aqua extinguit ignem, ergo frigidum agere potest in summè calidum. §. Quod si dicas ex dictis ibidem de generatione, quòd aqua in summo humida non agit in ignem ratione frigiditatis, sed magis ratione humiditatis, quæ directè agit in siccitatem, & indirectè in calorem; siccitate enim destructa nequit remanere calor. §. In contra est, quia ut ibid. vidimus, sicut ignis est calidus in summo, ita pariter est siccus in summo, ergo si quia est calidus in summo, non habet capacitatem per modum passivi in hac linea, ut opposita ei qualitas agat in illum, nec habebit in linea sicci, ut in illum agat summè humidum; vel si semel oppositum contingit, jam ratio summi in priori linea non ita replebit ejus capacitatem, ut in eadem impugnari non possit à sui contrario &c.

Respondetur benè ibi: Ad primam replicam contra priorem solutionē dist. ma.; non posse alteri convenire connaturaliter, conc; aliter, nego; nam ibi difficultas est de cōvenientia connaturali, cùm aliàs uniatur intellectui ad videndum Deum, unde hoc modo nec calor habet convenire aquæ ut fiat connaturaliter calida, immò calefactio est ei contraria, & solùm comparatur ad calorem, ut subjectum sustentans illum, intellectus autem adhuc comparatur, ut perfectibilis per lumen, ut explicatur ibid. cùm habeat coaptationem essentialē ad Dei visionem &c.

Ad secundam patet ex posteriori solutione, quia si solus calor est qualitas activa non frigiditas, rectè poterit ignis agere in aquam, & non è converso ratione frigiditatis, estò hæc esset in summo.

Ad ultimam verò replicam contra secundam solutionem respond. iterùm benè ibi: Ad replicam respond., quòd humiditas non est passiva, sicut frigiditas, sed magis activa, & ideò potest activè se habere respectu siccitatis; sicut calor activè se habet respectu frigiditatis. Quod verò subditur, quòd jam ratio summi non repleret capacitatem ignis; nego suppositum; nam dum humiditas prævalet, non diminuitur præcisè calor ignis, quasi in illo admittat de frigiditate opposita, sed extinguitur, unde perseverante calore adhuc est repleta per exclusionem sui contrarii, licèt pereunte siccitate ex prædominio humiditatis pereat idem calor, & consequenter ignis &c.

Ad secundam principalem instantiam argumenti de motu alterationis, nego ant., quòd possit fieri status in primo alterante inalterabili, nisi supponatur illud movens immotum omninò tale; nam aliàs erit adhuc movens potentiale, & consequenter impossibile est, quòd sit primum; nam reverà si ad sic activè alterandum non indigeret in aliquo alio genere moveri ab alio, jam esset movens omninò immotum, quod intendit concludere ratio facta. Quod si verò indiget, ut de facto indiget, localiter moveri ab intelligentia; de hac est eadem difficultas, unde cùm in per se moventibus, & motis subordinatis nequeat dari processus in infinitum, sistendum omninò est, vel perveniendum ad aliquod movens omninò immotum. Et per hæc etiam patet ad tertiam &c.

Ad quartam nego suppositum, quòd in moventibus, & motis varietur genus causæ, licèt dicamus variari materiam motus; nam tota eorum subordinatio reducitur ad formam efficientis, quatenùs inferius accipit virtutem, & efficaciam ad movendum à superiori, sive deinde moveant, vel moveantur intrà idem genus motus, unde licèt cælum v.g., alia à se moveat alterando, ut tamen sic moveat, debet accipere vim, sive efficientiam ab intelligen-

tia

tiamovente illud localiter, & hæc ab alio motore, ut dictum est, unde perpetuò sistunt in dando sic efficaciã in movendo intrà idem genus efficientis &c.

Ad ultimam patet ex dictis, & latè alibi ostensum est sine actuali influxu primi moventis, non posse salvari dependentiam, vel subordinationem inferioris ad se ipsum, quia ut dictum est, accepisse virtutem, & eam conservari, convenit cuilibet causæ secundæ, sive operanti, vel moventi, sive non, unde non facit præcisè dependentiam in hac linea operativa, vel motiva. §. Ad instantiam verò de gravibus, & levibus suprà etiam jam insinuatum est, & ex professo in Physicis; sed adhuc dato, quòd posset salvari dependentia per solam collationem virtutis ab initio, & successivam ejus conservationem, nihilominus ad intentum optimè subsistit idem principium, scil. ad inferendã efficaciter existẽtiam primi motoris, quia saltem est necessarius influxus ejus conservativus, in ordine ad quem cum passivè se habeat in hac linea, adhuc retinet habitudinem mobilis ad illud, cum necessaria indigentia ejus &c. Alias solutiones ad hanc instantiam adhibent Illustris. Godoy, & M. Ferre, subtiles quidem, sed difficiliores, ut conferantur cum communi doctrina Thomistarũ in materia de subordinatione causarum, ideomitto, &c.

Secundò arguitur impugnando aliud principiũ de processu in infinitum, cui etiam innituntur superiores rationes ex P. Esparza hìc q. 2., qui licet fateatur eundem processum rectè inferri non assignata causa prima, & quòd pariter sit impossibilis; nihilominus dubitat de efficacia rationis D. Tho ad convincendam hanc impossibilitatem, imò existimat confundi hanc veritatem ex doctrina, quam tradit idem Angelicus infrà q. 46. art. 2. ad 7., ubi admissa possibilitate mundi ab æterno admittit inter causas, & effectus per accidens dari processum infinitum, Ex quo arguit sic. In causis, & effectibus per accidens, datur ultimus effectus, & ultima causa, & causa media sine eo quòd detur prima causa, & primus effectus, ergo etiam inter causas per se, & effectus per se, poterit similiter dari causa media, & ultima, sine eo quòd detur prima, & primus effectus, unde sicut in priori genere causarum potest dari processus in infinitum; pariter admitti poterit in secundo, &c.

Ad hoc patet ex dictis, & immeritò dubitatur confundi unam doctrinam ex alia, cum apertissimum sit discrimen jam assignatum inter utrumque genus causarum, & effectuum, unde immeritò etiam relicta forma rationis D. Tho. ad aliam recurrit, quam efficaciter impugnat M. Ferre hìc n. 304. Respondetur ergo, negando consequentiam, quia cum in priori genere, ut dictum est, non sit dependentia per se inter ultimum effectum, & priores causas mediatè præcedentes, sed tantùm per se dependeat à causa immediata, ex qua fit, parum refert ad productionem sui, quòd præcesserint, vel non præcesserint infinitæ ante illam, sed satis est ad existentiam ejus supponere eandem immediatam, à qua fit; cæterum in causis, & effectibus per se subordinatis est dependentia per se ab omnibus, unde non assignata prima, à qua intelligatur compleri, & terminari efficientia, vel causalitas mediæ, vel mediarum, & proximæ, impossibile est effectum poni in re. §. Et poterat primò in paritate assumpta retorqueri, nam sicut in causis per accidens, quia effectus ultimus, per se pendet à causa immediatè sui productiva, impossibile est, quòd hac non existente ponatur; ità in per se subordinatis, quia per se pendet à prima, ut probatum est, impossibile erit prima non assignata produci. §. Secundò etiam in forma, ad quam recurrit; nam si quia in linea producentium, & productorum, seu moventium, & motorum sive finita, sive infinita sit, nullum est sufficiens se solo, ut moveatur, vel sit excluso producente improducto, vel movente immoto, & se solo sufficiente ut sit, tenemur omninò extrà totam illam multitudinem quærere hoc producens, & movens immotum; quia pariter in serie causarum, & effectuum per se subordinatorum nulla est sufficiens exclusa prima complere & terminare causalitatem, & dependentiam mediæ, & ultimæ in producendo effectum tenemur omninò assignare, & pervenire ad primam se sola potentem complere, & terminare rejiciendo processum in infinitum, &c.

Sed instas contrà solutionem. Quamvis in causis per accidens, vel in generationibus succesivè factis non perveniamus ad primam, adhuc tamen subsistit media, & ultima, ergo licet in aliis per se subordinatis non assignetur prima, adhuc subsistere poterit media, & ultima. §. Respondetur eodem discrimine, quia ratio medii, & ultimi in primis non est talis per se, sed per accidens, & omninò independens à prioribus, & à prioribus, unde esto non assignetur, adhuc subsistere potest ratio medii, vel ultimi, unde nec impeditur productio effectus; cæterum in causis subordinatis per se, cum media per se dependeat à priori, vel prima, & ultima à media; si velimus esse ordinem per se, subtracta prima, statim cessat media, & consequenter ultima in ratione potentis producere ob defectũ complemẽti, ut dictũ est, &c.

Tertiò arguitur (& potest esse replica) Non est necessarium etiam in causis per se, assignare primum, ut salvetur ratio medii, & ultimi, & consequẽter productio effectus, ergo; prob. ant., licet quia intrà totam collectionem earum quælibet teneatur supponere, non tamen tota collectio aliam productivam sui, ergo salvabitur utraque ratio sine eadem reductione ad primam, prob.; ant. ex regula illa, quòd in multitudine infinita non licet arguere à singulis distributivè ad totam collectionem, qua ratione in materia de gratia dicimus hanc non valere, potest quis vitare hoc veniale, & hoc veniale &c. ergo omnia; & similiter qui in Physicis tenent mundum etiam quoad successiva possibilem fuisse ab æterno dicunt, ut vidimus; quòd licet ante quamlibet partem motus sit alia, & alia, non tamen ante omnem, ergo pariter licet ante quamlibet causam sit alia, & alia reducẽs ad esse non tamen ante omnem, &c.

Urgetur hoc. Quia etiam in causis per se efficientibus non videtur repugnans mutua causalitas, ergo poterit in illis fieri status sine reductione ad aliquam primam; prob. ant.; nam juxtà D. Tho. q. 28. de veritate art. 8. ad 2., contritio, ut est pars Sacramenti pænitentiæ virtute clavium, quibus se subjicit pænitens, efficit gratiam, quamvis secundùm se considerata tantùm habeat disponere ad illam, sed in probabiliori sententia contritio affectivè procedit ab ipsa gratia tanquam à causa, cui per se subordinatur, ergo in causis etiam efficien-

ficientibus per se subordinatis potest esse causalitas mutua, &c.

Urgetur ulteriùs dato etiam, quòd esset necessitas perveniendi ad causam sic causantem, quòd à nemine causetur, non tamen videtur ex hoc legitimè inferri existentia Dei, ergo; prob. ant.; quia Deus non præcisè est causa à nemine causata, sed quæ omnia causat, ergo præcisè inferre causã à nemine productã non est inferre existentiã Dei, &c.

Respondetur ad argumentum, quod est præcipuum fundamentum Atheorum esse ab ipsis manifestè solvendum, primò in dependentia, quam habent generationes à materia prima, nam quia vident generationes viventium dependere ab illa, ut ab aliquo indispensabiliter necessario fingunt illam ab æterno improductam, sic quòd rectè arguatur, singulæ dependent, ergo etiam omnes; constat autem, quòd magis necessarium est entibus contingentibus primum efficiens, quam materia generationi, cum causa efficiens det esse, & potens sit, vel ipsam materiam producere, quæ ut potè infima omnium, ad genus efficientis nunquã pervenire potest, undè tenentur à fortiori dare primum efficiens improductum, à quo singula, & omnia contingentia dependeant. §. Deindè etiam ut suprà in similibus materiis, vel prædicatis manifestè instatur; nam istæ sunt optimæ consequentiæ, singuli homines sunt risibiles, ergo omnes, vel tota eorum collectio; singuli sunt albi, ergo omnes, & sic de aliis, ergo pariter valet; singuli reducuntur ad esse, ergo omnes, vel tota collectio. §. Ex dictis ergo nego ant., ad prob. nego iterum ant., ad probat. jam dictum est, quòd licet non valeat sic arguere à singulis distributivè ad totam collectionem in prædicatis quantitativis, sive quantitate molis, sive virtutis, ut in victoria omnium venialium, quia collectio majus pondus, ob continuationem, vel gravitatem importat, quod non important singulæ partes, ut per se patet, vel victoria singulorum venialium; cæterum in prædicatis essentialibus, vel necessariis, vel abstrahentibus à quantitate; ut est dependentia effectus à sua causa per se, vel causæ proximæ à media, & mediæ à prima, cui per se subordinatur, optima est eadem consequentia ad omnia collectivè, quia collectio nil superaddit, quod specialiter militet de se ipsa non militans de partibus, sed eadem est ratio de omnibus, unde si intrà ambitum illius nulla est causa producens improducta, vel independens ab alia, à qua cæteræ dependeant, & in qua possit fieri status, nulla, sive distributivè, sive collectivè accepta intelligi potest completa in sui causalitate, vel efficientia ad actu causandum, sed sicut singulæ, ità & omnes indigent compleri, & reduci ad esse. Et per hæc etiam patet ad aliam instantiam de successivis ab æterno, nam ibi pariter fit argumentum in quantitate quasi discreta, aut affini, ut sunt partes motus, vel circulationes. Præterquamquòd argumentum supponit possibilitatem processus in infinitum in causis per se subordinatis, quæ sufficienter jam reprobata est, &c.

Ad primam confirmationem nego ant., ad prob. omissis variis solutionibus apud M. Ferre hic n. 314., distinguo, & explico min.; effectivè procedit à gratia prout efficienter influit ad illam, ut contingit in Sacramento pænitentiæ, vel ut est pars ejus, nego, ut dispositivè tantum, vel materialiter, ut contingit extrà Sacramentum, concedo, nam priori modo magis dicitur esse ab auxilio quodam gratuito, quam à gratia habituali, & consequenter tunc eam præcedere non solum sub munere formæ perfectæ, vel justificantis, sed etiam sub munere auxiliantis, licet extrà Sacramentum prout dispositivè tantùm se habet ad illam, probabiliùs ab eadem sub priori munere dicatur effectivè procedere; nec oppositum traditur ibi à D. Tho.; sed tantùm ait, quòd *si consideretur in quantum habet virtutem clavium in voto sic sacramentaliter operatur in virtute Sacramenti Pænitentiæ, sicut & in virtute baptismi, ut patet in adulto, qui habet Sacramentum baptismi in voto tantum.* Non tamen ait, quòd tunc efficiatur à gratia. Videatur, & ponderetur ibidem ad 5. &c.

Ad secundam nego ant., ad prob. nego suppositum anteced., quòd stet semel inferre primum efficiens, vel primam causam improductam, & non inferre causam, quæ omnia causet, maximè loquendo de causis per se subordinatis, quia cum subordinatio, ut vidimus, in hoc potissimè consistat, quòd una non influat in effectum sine dependentia ab alia influente, impossibile est aliquã produci, qui à prima non sit, cum major sit dependentia à prima, quam à qualibet alia; unde eo ipso quòd efficaciter concludit primum efficiens improductum subjectivè, vel in se, concludit pariter illud, ut influens activè pro aliis, vel respectivè ad omnem causam, & effectum, &c.

Sed adhuc instas. Licet inter numeros sit ordo, quòd unus excedatur ab alio, non tamen deveniendum est ad unum, qui omnes excedat, & à nullo excedatur; similiter inter possibilia, licet dicatur unum aliud excedere, ità ut perfectius, & perfectius sit semper à Deo producibile, non tamen deveniendum est ad unum, quod cætera excedat, vel totam eorum collectionem, & à nemine excedatur, ergo pariter licet sit ordo inter causas, non tamen erit necessarium devenire ad unam ità improductam, & excedentem, quòd cæteras excedat, & producat, vel causet, & earum effectus, &c.

Respondetur negando suppositum, quòd inter numeros sit talis ordo dependentiæ in prædicato excessus, sicut est inter causas in prædicato efficiẽtiæ; nam ternarius non excedit binarium, quia excedatur à quaternario, sicut causa media influit in ultimam, & ejus effectum, quia prima influit in se ipsam, sed quia abundat pluribus unitatibus, undè magis prout sic est ordo per accidens, ità ut non existente etiam quaternario adhuc excederet eundem binarium, &c.

Ad secundam instantiam de possibilibus; omissis variis solutionibus, quas hic adducit & impugnat idẽ M. Ferre n. 310. & sequenti; nego iterum suppositum, quòd unum excedat aliud, quia excedatur ab alio, nam etiam si aliquod ex superioribus fieret impossibile adhuc inferiora retinere possent ordinem excessus inter se ob excellentiam propriorum prædicatorum, vel gradus, cum intrà proprium forum nullus adhuc sit influxus, vel dependentia in essendo, sicut est in causis subordinatis in efficiendo, ut dictum est; unde neque inter illa tenemur devenire ad unum, quod cætera, vel totam collectionem excedat, sicut inter causas ad unam,

unam, quæ non solum singulas, sed etiam totam collectionem producat, &c.

Ultimò tandem arguitur sic contra concl. D. Tho., seù contra existētiā Dei. Nomine Dei intelligimus quoddam bonum infinitum, sed in rerum natura nequit hoc admitti, ergo; prob. mio. quia si in rerum natura datur unum contrarium infinitum, totaliter destruitur aliud, sed in mundo invenitur malum, ergò non potest in illo admitti summum bonum, vel infinitum; ma. constat, quia si unum est infinitum debet implere omnia, & consequenter si est de linea boni debet excludere omne malum &c.

Ad hoc respondet D. Thom. hic ad 1. *Quod sicut dicit Augustinus in Enchir.* (scil. c. 11. circa princ.) *Deus cum sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens, & bonus, ut benè faceret etiam de malo. Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, & ex eis eliciat bona*. In quibus videtur docere, quòd licet posset Deus excludere omne malum, quia tamen est summè bonus, permittit mala, ut vel in his bonitatem suam commendet eliciendo bonum, & benefaciendo de illo, in quo summè differt ab aliis rectoribus hujus Mundi, qui licet dicantur permittere mala, quatenus non puniunt cum possent punire, vel ne molta bona impediant, aut ut majus malum evitatur, non tamen eliciendo bonum, ut facit Deus &c.

Sed instas. Nullus effectus creatus est capax infinitè participandi divinam bonitatem, ergo non potest à Deo excludi omne malum in suis effectibus; prob. cons., nam in tantum Deus excludit malum in quantum communicat suam bonitatem illi oppositam, ergo si in nullo effectu creato, nec in tota eorum collectione communicari potest infinita bonitas, sed tantum inadæquata, & valdè deficienter non poterit à Deo excludi omne malum in illis; sicut si daremus solem infinitè calidum, & à nullo inferiori esset adæquatè participabilis hæc plenitudo caloris, sed tantum inadæquatè, & deficienter, non posset ab illis excludi omne frigus, sed necessariò remaneret aliquis gradus &c.

Urgetur hoc. Ex eo quòd creatura est tantum inadæquata, & finita participatio Dei, nulla est potens in se ipsa unire, aut componere naturam sibi contrariam, nam ad hoc requiritur eminentia infinita propria solius Dei, ut suprà, & alibi 3. pat. de Incarnatione ostensum est; sed ex naturis inter se contrariis, & repugnantibus necesse est sequi malum in universo, ut patet in elementis, ex quorum pugna sequitur corruptio mixtorum, ergo &c.

Huic instantiæ, ut respondeatur, & plenius solutio D. Thom. ex D. Augustino percipiatur, adverto in eo præcipuè consistere, quòd si attenderemus in Deo præcisam rationem suæ bonitatis, de cujus ratione est esse summè diffusivam sui, ut patet in mysterio Incarnationis, cujus possibilitas, vel convenientia hac ratione probatur à D. Thom. ibid. q. 1. ar. 1. facilè conciperemus nulli esse illaturum malum, unde dicebat Apostol. 1. ad Timot. 2. quòd vult omnes salvos fieri, attenta scil. inclinatione suæ bonitatis, quæ potissimè est ad benefaciendum, nec deesset illi modus, utpotè infinitè sapienti, & omnipotenti, si voluisset, impediendi pugnam illam naturalem, quàm modò res habent in hac rerum serie, vel juxtà suavem ejus providentiam, qua operatur id, quod est magis consentaneum naturis rerum; nihilominus quia ex hoc eodem motivo, quòd est infinitè sapiens, & omnipotens, potest ex malo elicere bonum ordinando illud ad suam bonitatem, & aliàs magis connaturale est naturis contrariis adinvicem pugnare, & sibi nocere, ideò juxtà eandem providentiam, & sapientiam, qua voluit alia sui attributa manifestari in universo, habet hujusmodi mala permittere, & suam bonitatem sic diversimodè participari in suis operibus, de quo videri etiam potest infrà quæst. 22. ar. 2., & quæst. 23. ar. 5. ad 3., ubi ex hac eadem radice, quòd res creatæ inadæquatè participant divinam bonitatem, vel ad ejus simplicitatem attingere non possunt, egregiè explicat, quomodò necessaria sit hujusmodi contrarietas, vel diversitas in Mondo; unde inquit, *necesse est autem, quòd divina bonitas (qua est una, & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quòd res creata ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, quædam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas gradnum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur*. Quod deindè referens ad mysterium prædestinationis subdit; *Sic igitur considerèmus totum genus humanum sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo; & hæc est ratio, quare Deus quosdā eligit, & quosdam reprobat &c.*

Ex his facilè ad replicam disting. conseq.; non potest excludi omne malum per viam communicationis transeat, aliis viis, nego; nam licet à creaturis dicatur non posse illud excludi per infinitam communicationem sui contrarii, quia creatura est incapax infinitæ bonitatis, potest tamen aliis viis impedire illud; non enim se habet, sicut agens creatum, & finitum, quod nequit expellere unum contrarium, nisi media productione, aut communicatione alterius, ut patet in sole, qui tantum medio calore expellit frigus; Deus autem in thesauris suæ infinitæ sapientiæ, & omnipotentiæ habet alias mirabiles vias componendi utramque naturam, vel impediendi earum pugnam, ne una alteri noceat, sicut compescuit ignem Babylonis, ne noceret pueris in fornace. Et per hæc etiam patet ad confirmationem &c.

Subdit tamen M. Ferre D. Tho. sic solvisse arg., ut solis Augustini verbis uteretur, nam alias potuisset facilè eidem occurrere dicendo ad illam propositionem; quod unum contrarium destruit aliud, nempè si sint in eodem subjecto, secus verò si in distinctis; contraria enim sunt, quæ ab eodem subjecto maximè distant, & mutuò se expellunt; ex quo tantum concluditur, quòd cum Deus sit infinitè bonus non permittit in se malum, permittit autem in creaturis, quia illis non se communicat adæquatè, sed inadæquatè producendo in illis bona finita, & limitata, per quæ malum adæquatè non excluditur; & ob aliud etiam superius motivum proximè relatum ex eodem Angelico &c.

DISP. II.

DISPUTATIO III.

De Quiditate Dei.

IN hac disputatione sub una quæstione plura resolvemus quæsita ad eundem finem tendentia, scil. ad indagandum constitutivum metaphysicum Dei, ut statim explicabimus; unde successivè ob varia Authorum placita per distinctos §§. ea expediemus &c.

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam sit constitutivum metaphisicum naturæ divinæ.

DE constitutivo metaphysico naturæ, ut concipitur à nobis, inquirimus scil. de prædicato, quod à nobis concipitur tanquam radix, & ratio à priori aliorum divinorum, & consequenter sub ea ratione, sub qua ab eisdem distinguitur, nam loquẽdo de physico, seu reali constitutione naturæ secundum se, supponimus omnes formalites Dei realiter illũ constituere, cũ omnes sint de quiditate, & substãtia ejus, utpotè non solum identicè, sed essentialiter illi convenientes prout est in se, de quo latè infrà de Trinitate: & similiter loquendo de illo sub ratione, aut conceptu, quo à creaturis distinguitur, omnia pariter divina; utpotè ens à se, & actus purus essentialiter; Deum distinguunt ab illis; unde recurrere possumus ad prædicata transcendentia omnem formalitatem, & perfectionem divinam, quæ consequuntur rationem entis divini, quia in his conveniunt omnia divina, prædicatum autem constitutivum nequit esse commune, ut patet in animali respectu hominis, & leonis, & in prædicato entis respectu substantiæ, & accidentis; ex quo etiam excluditur ratio entis à se per exclusionem causæ, nam istud etiam convenit cuilibet divino, cum nullum sit, nec possit esse ab alio tanquam à causa, sed solienti potentiali, vel dependenti id convenire possit.

Ex his etiam supponimus, ut detur locus quęstioni, esse omninò admittendam aliquam distinctionem inter prædicata divina, sicut & prioritatem, & eo modo esse assignandum constitutivum, quo distinguitur ab aliis, nam de ratione constitutivi est, quòd aliquomodo distinguatur, & sit prius respectu eorum, quæ non constituunt, ut per se patet, & præcipuè, quia, ut dictum est, concipitur à nobis, ut radix, & ratio, aut causa veluti virtualis aliorum, unde eo modo constituet, quo distinguitur, & est prius, ità ut si distinctio sit formalis, & ex natura rei, ut volunt Scotistæ; constituet formaliter, aliis formaliter non constituentibus; si virtualis, vel per rationem, sic etiam virtualiter, vel per rationem constituet, aliis, vel alio non ità constituente; & idem similiter est de prioritate, quia hęc non potest qualitatem distinctionis excedere, & consequenter, nec constitutionis; unde si distinctio esset per rationem exclusiva conceptuum; prædicata non constituentia, nec explicitè, nec implicitè pertinerent ad conceptum prædicati constituentis naturam; si verò sit tantum non explicativa, sive penes implicitum, & explicitum, ut veriùs sustinent nostri; tunc erunt de conceptu illius implicito, sed non explicito, per quod sufficienter salvatur unum metaphysicè eandem naturam constituere, aliis verò non &c.

His præmissis satis variè sentiunt Theologi in hac re; nam alii sequuti Scotum in 1. dist. 3. q. 1. constituunt in conflato ex divinis perfectionibus, scil. absolutis, non relativis, sive in cumulo omnium perfectionum simpliciter simplicium, adeòque in collectione omnium attributorum, licet non relationum, quas non putant esse perfectiones simpliciter simplices. Ità Ruitz. disp. 8. de Trinitate sect. 5. dictu 2., & alii recentiores ex eadem familia referentes Molinam, Suarez, & Valentiam, eo quòd afferant divina attributa esse de conceptu essentiali divinæ essentiæ, de illaque essentialiter prædicari; sed eadem facilitate possent omnes Thomistas referre, cum pariter afferant se mutuò includere, & ad invicem prædicari, de quo infrà &c.

Alii tenent constitui per rationem entis à se; sed hi adhuc dissentiunt inter se, & diversimodè explicant. Nam quia conceptus essentiæ, & conceptus naturæ licet frequenter accipiantur pro eodem, aliquomodo tamen distinguuntur saltem ex modo significandi, (de quo tamen infrà) nam prior dicitur per respectum ad esse, posterior verò ad operari, unde alii dicunt, quòd sub illo essentiæ constituitur per rationem entis à se, quod tamen dupliciter sumitur, scil. & ut dicit ipsum esse per se subsistens, sive rationem substantię immaterialis per essentiam, & ut dicit exclusionem essendi ab alio; secundum, ergo priorem acceptionem videntur specaliter affirmare plures ex nostris, Capreolus, Cajetanus, & alii, quos novissimè sequitur Eminentissimus Card. Ferrarius in manuscriptis infrà ad q. 13. ar. 4. dub. 2. concl. 1., ubi ait, quòd essentia sub expressione essentię metaphysicè constituitur per rationem substantiæ summe immaterialis, primò, & per se excurrentis absque ulla distinctione etiam virtuali usque ad ultimum actum essendi, licet aliter constituat sub conceptu naturæ, ut statim dicemus; & ità etiam tenet Corneyo ibid. disp. 1. dub. 3., & 4., & alii extranei &c.

Alii verò, & meritò reducunt ad gradum intellectivum, eò vel maximè, quòd nomen naturæ in rigore loquendo ad hoc sit, ut significet essentiam rei pro ut est primum, & radicale principium operationis, unde ascendendo ad Deum tenemur assignare perfectissimum gradum vitæ, & operationis, qualis est intellectivus; sed tunc etiam divisi sunt, nam alii dicunt esse ipsum intelligere purissimum, & actualissimum, ut est per se subsistens in ordine actuali, sive ultima hujus ordinis actualitas. Ità ex nostris Nazarius, à S. Thoma, Gonet, Salmanticenses, & Gonzales disp. 36. concl. 3., ubi ait intellectualitatem per essentiam in actu ultimo, seu quod idem est; intelligere per se subsistens est nostro modo intelligendi, quasi gradus differentialis constituẽs divinam naturam: cæterum concl. 3. negat actionem intelligendi esse formaliter ipsam naturam, quæ duo non videntur ità facilè componi, ut etiam advertit hic Illustriss. Godoii disp. 4. §. 2. Alii verò sistunt in ipso intelligere radicali, seu in ipsa radice intelligendi, prout importat gradum intellectivum perfectum, vel completum, quo Deus habet radicaliter intellectionem, qua primò intelligit se ipsum: ità idem Illustriss. §. 12, M. Ferre n. 59. Curiel, Philippus à S. Trinitate, & relatus Eminentiss. concl. quòd scil. essentia Divina sub expressione naturæ metaphysicè constituitur per esse radicaliter intellectivam intellectione comprehensiva summi intelligibilis. Pro qua etiam referuntur Cajet., & Capreolus &c.

§. PRIMUS.

Statuitur prima Conclusio negativa de Conflato, seù cumulo divinarum perfectionum.

ESsentia, vel natura divina non consistit metaphysicè in conflato ex divinis perfectionibus, vel in earum cumulo, aut collectione attributorum. §. Prob. ex dictis; nam in bona metaphysica illud est constitutivum rei, quod primò intelligitur cum fundamento in re convenire illi, ut radix aliorum, sed illud nequit esse conflatum respectu divinæ naturæ, ergo; ma. patet inductivè in rebus creatis, ad quarum modum concipimus nunc divina; tum quia, ut dictum est, modò loquimur de quacunque constitutione metaphysica, in qua alterum venit per modum radicis, & alterum per modum radicati; ex quo etiam prob. mi., quia non omnia divina veniunt cum fundamento in re per modum radicis, ergo non important propriam rationem constitutivi, vel radicis, prob. ant., quia attributa, quæ veniunt in conflato sunt quid absolutum consequens naturam; concipiuntur enim à nobis ad instar similium perfectionum, & per species earum, quæ inveniuntur in creaturis, de quibus constat non habere rationem radicis, neque omnes æquè primò convenire, sed ordine quodam; ut in nobis prius convenit intellectus, deinde voluntas, & ambo supponunt naturam, vel essentiam hominis, ut radicem sui, unde voluntas probatur per intellectum, & iste per conceptum definitivum hominis, ergo non omnis divina perfectio prout concipitur à nobis venit de linea primi, vel radicis &c.

Dices primò negando suppositum, vel præfatum ordinem inter perfectiones divinas per modum radicis, & radicati, sed omnes æquè primò convenire, aliàs esset imperfectio in illis, ut patet in ordine radicis, & radicati in creatis; nec ex eo quòd ad instar, vel per similitudinem istarum concipiuntur, sequitur debere concipi cum eodem ordine, aliàs etiam deberent concipi, ut accidentia Dei, sicut similes perfectiones sunt accidentia in creaturis &c.

Dices secundò admisso adhuc prædicto ordine, nego iterum suppositum ma., quòd in una tantum perfectione, natura, vel essentia divina, utpotè infinita consistere possit; hoc enim videtur repugnare in terminis, nã si semel infinita, vel summè perfecta est, petit non determinari ad unam, vel primam tantum, sed plenitudinem, vel collectionem omnium importare.

Sed neutra solutio satisfacit, imò potius confundit, non distinguens inter constitutionem physicam, & metaphysicam, nec inter naturam secundum se, & ut concipitur à nobis, ut dictum est, sive inter naturam prout in se est pelagus infinitum essendi, & ut correspondet conceptui nostro, quando illam concipimus sub cõceptu explicito essentiæ, & naturæ divinæ, sub quo modo constitutionem inquirimus; non solũ prout distinguitur à creaturis, sed etiã ab aliis divinis; unde non relinquunt locũ quæstioni, quæ tamen non immeritò promovetur post assecutam cognitionem de Deo quoad an est, ad assequendam alteram quoad quid est, non quidem quiditativam, nam hæc solum est possibilis in patria, ut permanenter habenda, sive beatis illum videntibus; sed tantum connotativa, prout hic & nunc possibile est Dei quiditatem cognoscere connotativè ad res creatas; & quia prout sic debemus de natura divina discurrere proportionaliter, ac de creata remotis imperfectionibus; & sicut illius metaphysicum cõstitutivũ tanquã differentia ultima ejus essentialis est illud, quod est primum, & radix aliorum, cætera verò tantum secundariò ei conveniunt, vel supponunt naturam jam constitutam; ità pariter in Deo illud erit prædicatum metaphysicè constitutivum, quod tanquam radix, & ratio à priori aliorum concipitur in illo, & per quod natura divina distinguitur, & non solum ab aliis creatis, sed etiam à cæteris divinis &c.

Ex quibus impugnatur utraque solutio, prima quidem, quia negari non potest, quòd ratione nostra sit assignabilis perfectio primò conceptibilis in Deo, ut Deus est, ex qua juxtà nostrum modum concipiendi aliæ consequantur, sicut concipimus unum verum, & bonum, non ut constitutiva entis, sed ut passiones consecutas ad illud, licet sint omninò idẽ realiter cũ illo, ergo attendendo ad nostrum modum concipiendi cum fundamento in re, non est denegandus prædictus ordo, aut prioritas objectiva &c.

Secundò. Quia hic ordo, aut prioritas nullam arguit imperfectionem in Deo, ergo non est ex hoc capite deneganda; prob. ant.; tum quia de facto contrarii constituentes in conflato ex solis absolutis, non relativis, admittunt illam inter hæc duo, ità ut relativum supponat absolutum, cum prædicatum non constitutivum supponat constitutivum; tum quia iterum admittunt in Deo, & tenemur omnes

admit-

admittere distinctionem saltem virtualem, vel secundum rationem, si velimus dare locum quæstioni, ergo etiam ordinem, prob. conf., quia ordo ad virtualem distinctionem superaddit tantum connexionem unius cum alio, cum mutua implicita continentia sine sola explicatione, in quo nulla omninò imperfectio relucet, nec carentia actualitatis, sed pura non explicatio, ubi non est debitum explicandi, cum sint distinctæ lineæ, ut latè infrà &c.

Tertiò quia non admisso hoc ordine, vel prioritate, non remanet via ad probandum unam perfectionem divinam per aliam, quod est ferè contra communem consensum Theologorum; nam revera infrà q. 10. prob. æternitas per immutabilitatem; & q. 19. quod sit in Deo voluntas, quia est intellectus, & sic de aliis, ergo &c.

Quartò quia non admisso iterũ hoc ordine nequit salvari ratio essentiæ, & consequenter, nec naturæ, quod est totaliter destruere suppositum quæstionis, ergo; prob. ant., quia, ut vidimus; essentia duplicem dicit habitudinem, alteram ad esse, & sic dicitur essentia; alteram ad operationem, & sic dicitur natura; at prout sic non salvatur non derivando virtutem operativam, ut per se patet, cum implicet in terminis, quòd intelligatur agens operari absque virtute operativa, ergo sublato utroque ordine non sustinetur in bona metaphysica vera ratio essentiæ, & naturæ &c.

Contrà secundam verò, quæ specialiter consundit naturam secundum se, & ut concipitur à nobis, instatur sic. Licet ad rationem infiniti simpliciter in tota linea entis tam quoad rationem implicitam, quam explicitam requiratur collectio omnium perfectionum in eadem plenitudine entis, non tamen ad præcisam rationem explicitam naturæ, vel essentiæ, sed tantum quòd formaliter, & explicitè dicat esse summè perfectam in linea entis essentialis, & radicaliter in linea attributalis, & personalis; hoc enim tantum est meritum, vel debitum essentiæ, vel naturæ, aut radicis, & cujuslibet perfectionis in sua linea, ut patet inductivè in qualibet perfectione divina, non enim tenetur misericordia, (& sic de aliis;) importare explicitè perfectionem justitiæ, sed tantum suæ lineæ; ergo ex eo quòd infinita est, nec tenetur natura formaliter, & explicitè importare perfectionem aliorum divinorum, sed tantum de linea essentiæ, vel naturæ, aut radicis, si semel velit hæc solutio supponere, ut supponit, distinctionem, & ordinem inter illa &c.

Dices esse discrimen, quod alia divina, vel attributa sunt quid infinitum in linea particulari, & ideò non teneutur formaliter, & explicitè esse omnis alia perfectio divina; cæterum essentia, vel natura est infinita in ipsa plenitudine entis, quod essentia, ut dictum est, comprehendit utraque sui habitudine, unde sicut utramque de formali, & explicitè importat, pariter eodem modo importare debet omnem perfectionem in tota linea entis &c.

Sed contra hoc est. Licet eam dicamus infinitam in tota linea entis per utramque sui habitudinem ad utrumque ordinem essendi, & operandi, non tamen ad salvandam hanc sui infinitatem tenetur eadem expressione importare habitudinem, & terminum habitudinis, ergo nec est necessarium, quòd eadem importet perfectionem illius, sed satis est, quòd explicitè dicat vim radicandi illam, eamque implicitè contineat, & sibi realiter identificet; prob. ant.; tum quia quælibet essentia dicit habitudinem radicis ad suas proprietates, & tamen nulla importat illas formaliter, aut constitutivè, sed tantum radicaliter, & originativè, vel derivativè; Tum quia licet sit infinita in omni linea, non tamen formaliter pertinet ad omnem lineam, sed tantum suam, nisi velimus essentiam formaliter pertinere ad lineam attributalem, ergo nec tenetur formaliter importare perfectionem istius, sed tantum suæ; & hac ratione etiam cætera divina, vel attributa tenentur solum importare formaliter, & explicitè perfectionem suæ. Unde quoad hoc optimè militat paritas eorum, quidquid sit, quòd universalior sit linea naturæ in eo, quòd habet radicare omnia, quod non habet quodlibet particulare attributum respectu alterius &c.

Explic., & urg. hoc. Sicut intellectus, & voluntas sunt vis proxima cognoscitiva, & volitiva, & sic de aliis; ità essentia, vel natura est vis, aut principium radicale omnium divinarum perfectionum; & sicut intellectus, & voluntas divina ex eo, quòd sunt quid divinum, sunt actus purus, & quid infinitum, ità, & natura, vel essentia Dei actus purus est, & infinita; sed quia voluntas, & intellectus sunt tantum formaliter tales de linea proxima, & sua, de hac tantum important perfectionem pro formali, & cõstitutivè, ergo quia esẽtia, vel natura formaliter tantum est de radicali, vel essentiali, solum de ista importabit perfectionem pro formali, vel constitutivè, & non omnium &c.

Itaque ne fiat æquivocatio; aliud est, quod subjectum habens essentiam, & proprietates dicatur importare formaliter omnia, & aliud est quod essentia, quæ est de linea radicis, teneatur formaliter importare, quæ sunt de linea secundaria; hoc posterius negamus, & est negandum, ut patet in homine; nam licet formaliter non solum dicatur esse animal rationale, sed etiam risibile, admirativum &c., non tamen est omnia ista formaliter ratione solius essentiæ, sed tantum radicaliter, unde ratione illius est tantum formaliter rationalis, cætera verò per suas proprietates; sic pariter dicimus ascendendo ad divina juxtà nostrum modum concipiendi, quòd licet Deus dicatur esse omnia formaliter, non tamen ratione solius essentiæ, sed ratione misericordiæ v. g. est formaliter misericors, & sic de aliis; & ratione ejusdem essentiæ est tantum radicaliter, & sic omnia consonant juxtà distributionem accommodam prout divina concipiuntur à nobis salva eorum infinitate juxtà meritum suæ lineæ, quoad debitum explicandi perfectionem illius, & non alterius cum solo debito implicitè continendi, & identificandi, vel radicandi in subjecta materia &c.

Secundò prob. concl., & iterum impugnatur utraque solutio. Non minus Deus est summè, & infinitè ens, quam sit summè, & infinitè perfectus, sed quia est infinitè ens non tenetur ratione solius naturæ, sive secundum rationem explicitam ejus constitui metaphysicè per cumulum omnis esse, etiã relativi, ergo nec quia est infinitè perfectus tenetur ratione illius per cumulum omnis perfectionis; mi. suppono ex contrariis; tum quia alias Filius in divinis non esset verè, & metaphysicè Deus, cum non sit formaliter explicitè paternitas, quæ tunc esset prædicatum metaphysicè constituens rationem explicitam

tam Deitatis, sive importat non formaliter explicitè per illam; sublato autem aliquo prædicato ex metaphysicè constitutivis statim deficit constitutum, ut patet inductivè &c.

§. I I.

Solvuntur argumenta contra præcedentem Conclusionem.

PRimò arg. Deus est ipsum formaliter subsistens in plenitudine essendi, ergo ejus essentia debet consistere formaliter in ipso esse infinito simpliciter, & consequenter in confla o, vel collectione omnium perfectionum, vel attribu.orum divinorum; ant. patet ex illo Exod. 3. *Ego sum qui sum; qui est misit me ad vos*, ubi impor a nr proprietas subsistendi in ipsa plenitudine essendi, unde de hoc nomine, inquit, D, Thom infrà q 13. ar. 11. quòd explica id, quod est proprium Dei, scil ra io subsistentis in eadem plenitudine; prima verò conseq. infertur ex antec., quia non intellecta infinitate simplici er in eodem esse, nequit intelligi ratio subsistentis formaliter in plenitudine ejus, ut per se patet. Et hinc e.iam infertur secunda, quia aliqua deficiente nequit haberi infinitas, aut plena ratio sublisitendi in illo &c.

Ad hoc patet primò ex dictis esse solvendum à contrariis, quia ex eadem plenitudine, & infinitate in linea essendi, non solum infertur conflatum, aut collectio omnium absolutorum, sed etiam relativorum, præcipuè in sententia asserente, quòd relativa important perfectionem de propria linea, & superaddunt essentiæ, absolutisque perfectionibus. Sed deindè nego utramque conseq.; quia divina essentia secundum explicitam sui rationem, prout de illa loquimur, non est formaliter, sed tantum identicè infinita in omni genere, unde licet teneatur includere omnem perfectionem, non tamen explicare, aut formaliter constitutivè metaphysicè importare, sed tantũ de sua linea, sicut dictũ est proportionabiliter de suis attributis; quidquid sit de Deo, non tamen ratione solius essentiæ, ut explicatum est. Nec amplius ex antecedente, & ejus probatione sumpta ex verbis Exodi inferri potest; nam licet idem nomen sit proprissimum Dei, & consequenter quòd respectu Dei utpotè dicentis, ut vidimus; non solam essentiam, sed etiam attributa, colligi possit debitum exprimendi omnia, non tamen respectu essentię, prout de illa est modo difficultas, ut scil. contra distincta ab attributis, nam satis est, quòd exprimat perfectionem de sua linea, ut distincta ab illis. Præterquamquòd dictũ illud, ut egregiè explicat D. Tho. 2a. q. 174. ar. 6. in corp., non præcisè est ad manifestandum quiditatem Dei, sed magis ejus attributum, scil. simplicitatem divinæ essentiæ; nam post notitiam datam præcedentibus Patribus de sui omnipotentia ampliorem dare voluit Moysi manifestans sui simplici atem; unde ait ibid. D. Thom. *Sub lege autem facta est revelatio prophetica de his, quæ pertinent ad fidem divinitatis excellentius, quam ante, quia jam opportebat circa hoc instituí non solum speciales personas, aut quasdam familias, sed totum populum; unde Dominus dicit Moysi Exod. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob. in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis, quia scil. præcedentes PP. fuerunt instructi in fide de omnipotentia unius Dei, Sed Moyses postea plenius fuit instructus de simplicitate divinæ essentiæ, cum dictum est ei Exod. 3. Ego sum, qui sum, quod quidẽ nomen significatur à Judæis per hoc nomẽ Adonai propter venerationem illius ineffabilis nominis. Postmodum verò tempore gratiæ ab ipso filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis, secundum illud Matth. ult. euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ecce ad quid tendat expressio ejusdem nominis; unde magis poterat hæc authoritas retorqueri; quod est etiam valde notandum pro dicendis infrà contra alios, qui recurrunt ad prædicatum entis à se &c.

Sed instas. Quia hæc solutio videtur contraria asserere, ergo est nulla, prob. ant; non stat Deum esse ipsum subsistens in eadem plenitudine essendi, & essentiam ejus non importare essentialiter omnem perfectionem divinam. ergo, prob ant. Ens sic subsistens essentialiter est infinitum simpliciter, cùm esse hoc modo infinitum nequeat illi accidentaliter convenire. Sed essentia entis infiniti simpliciter est essentialiter infinita simpliciter, ut per se patet; nam quia homo est essentialiter rationalis, pariter est simpliciter, & formaliter talis, ergo si Deus essentialiter importat vel explicitè omnem perfectionem, pariter essentia ejus impostabit formaliter omnẽ &c.

Respondetur negando ant., loquendo iterùm de essentia, prout de illa inquirimus constitutivum, & ut concipitur à nobis; ad prob. dist. min., est essentialiter infinita simpliciter, si sumatur tam physicè, quàm metaphysicè sive tam secundùm se, quàm prout concipitur à nobis, concedo; si metaphysicè tantùm, vel ut à nobis concipitur, nego; sic enim solùm implicitè, & identicè importat infinitatem in omni genere entis, non explicitè, & formaliter, vel constitutivè metaphysicè, eò vel maximè, quòd infinitas magis importat modum naturæ, quàm naturam; dicit enim modum habendi aliquam perfectionem sine termino, & fine &c.

2. Arguitur: (& potest esse replica) Formalissimus conceptus Dei importat formaliter pluralitatem perfectionum, ergo nequit in una tantùm metaphysicè consistere cum sola implicita continentia aliarum; consequentia tenet, quia quando formalis rei conceptus importat pluralitatem, nequit ejus essentia intelligi plenè constituta, non intellecta integrè eadem pluralitate prædicatorum; ant. verò prob., quia formalissimus Dei conceptus haberi nequit non habita ratione actus puri, infiniti simpliciter, & optimi, quo melius excogitari non possit, ut concipiunt omnes, ergo consistit in pluralitate perfectionum; consequentia iterùm tenet, quia prima ratio importat actualitatem in omni linea; secunda verò continentiã omnium perfectionum simpliciter simplicium; tertia autem omnium formalitatum, qua concipitur, ut meliùs, ergo &c.

Ad hoc patet primò ex dictis, quòd sit æquivocatio; nam aliud est loqui de formali Dei conceptu, aliud verò de formali essentiæ; similiter aliud est, quòd id formalis Dei pluralitatẽ perfectionum importet formaliter, aliud verò, quòd constitutivè me-

metaphysicè importet illam; nt totum patet in homine, ut vidimus; nam homo non solùm est formaliter rationalis, sed etiam risibilis, admirativus &c. essentia verò ejus solùm radicaliter est proprietas illius, non autem formaliter. Et licèt etiam homo dicatur formaliter utrumque, non tamen constituitur metaphysicè nisi per solam rationalitatem, & ratione istius ut dictum est, solùm est radicaliter risibilis; formaliter verò per risibilitatem, unde ex eo quòd formalis conceptus Dei importet formaliter collectionem plurium, vel omnium perfectionum, non rectè infertur, quòd formaliter eam importet essentia ejus; nec ex eo quòd idem conceptus formalis Dei formaliter importet, tenetur importare constitutivè metaphysicè, vel etiam formaliter ratione solius essentiæ &c.

Ex his ad argumentum dist. ant., importat formaliter ratione solius essentiæ, vel essentialiter, aut constitutivè metaphysicè prout concipitur à nobis, nego; cum distributione earum accommoda, concedo; nam quamlibet importat in sua linea, non omnem in linea essentiali, vel metaphysicè constitutiva, nisi velimus omnem importari per modum radicis, quod esset magna confusio in Deo, prout concipitur à nobis, & sine fundamento invertere prædicata, aut perfectiones divinas, cùm reverà, ut jam insinuavimus, concipiatur una, ut ratio alterius à priori &c.

Sed instas. Si in explicito, & metaphysico constitutivo Dei non veniret eadem pluralitas, conceptus ille non esset explicitè, & metaphysicè conceptus Dei, ergo non possumus ab illa etiam explicitè & metaphysicè præscindere, prob. ant.; Deus explicitè, & metaphysicè debet esse id, quo majus, aut meliùs excogitari non possit; nam non habito hoc conceptu juxta communem conceptionem, non habetur conceptus Dei, at nequit iste haberi non habita eadem pluralitate, prob. min.; quia tunc conflatum ex essentia, & aliis perfectionibus conciparetur ut quid majus solâ essentia, ergo &c.

Respondetur eodem modo distin. anteced. Si non veniret, id est nullo modo veniret nec radicaliter, nec formaliter, concedo; si præcisè formaliter, vel explicitè, nego; nam si etiam in conceptu definitivo, vel metaphysicè constitutivo hominis, nec formaliter, nec radicaliter veniret risibilitas v. g., tunc non subsisteret conceptus essentialis hominis, quia essentia rei est essentialiter radix suarum proprietatum, non tamen perit conceptus hominis, si non veniant istæ explicitè, aut formaliter ex vi solius essentiæ; nam satis est, quòd veniant radicaliter ex vi illius: sic etiam dicimus ut subsistat formalis, & primus conceptus metaphysicus Dei ut concipitur à nobis, satis est, quòd propter primam perfectionem constitutivam veniant aliæ radicaliter, vel per implicitam continentiam. Ad ejus verò probationem distin., & explico ant., qua majus, aut melius &c. salva eadem distributione accommoda prædicatorum, concedo; aliter, nego, & dist. min.; non habito hoc conceptu sine tali distributione, concedo, cum tali distributione, nego; immò sine ista, ut dictum est, magis haberetur confusio, quàm ordo essentiæ, attributorum, & proprietatum necessarius ad perfectum conceptum rei metaphysicè constituendæ. Ad illius autem probationem distin. iterùm, & explico, conflatum ast quid majus solâ essentiâ, & aliàs est quid repugnans in opposita sententia, concedo; aliter nego; nam si omnia venirent ut metaphysicè constitutiva tolleretur, ut dictum est, prædictus ordo, & magna esset confusio in prædicatis metaphysicis, ut patet inductivè: & poterat retorqueri argumentum in aliis prædicatis divinis; nam sicut tenemur Deo tribuere rationem summè infiniti, ita pariter rationem summè simplicis, & sic de aliis, ita ut sicut esset essentia melior, explicans, quàm non explicans omnes perfectiones, ita esset melior excludens. quàm non excludens omnem distinctionem etiam virtualem, & secundùm rationem, & tamen quia summa simplicitas sic excludens est repugnans ex eo, quòd tolleret rationẽ summę eminentiæ, qua æquivalet pluribus distinctis in creatis, & fundat distinctionẽ rationis, nequit admitti essentia ita sũmè simplex per talẽ exclusionem, ut suppono etiã in sententia opposita, & ostenditur infrà, ergo quia pariter ratio summè infiniti sic explicans est repugnans, ut probatum est; nequit admitti essentia ita infinita, ut teneatur explicare omnem, vel importare metaphysicè constitutivè &c.

Sed adhuc instas. Nam ens summè, sive primò, essentialiter, & intrinsecè infinitum debet importare omnas perfectiones simpliciter simplices perfectissimo modo, sed perfectior modus est importare illas, aut continere explicitè, quàm solùm implicitè, ut patet, ergo &c.

Resp. iterùm disting. ant., perfectissimo modo non repugnante, vel possibili, concedo; repugnante, vel impossibili, nego; satis est ergo, ut sit & dicatur Deus sic summè infinitus; (& sic de aliis prædicatis) vel quo meliùs excogitari non possit; quòd omnia, ut dictum est, importentur juxta earum conditionem, & exigentiã naturæ, id est ut vel perfectio constitutiva, vel modus, aut attributum, vel ut proprietas; sive quòd infinitas importatur ut modus divinæ naturæ; sicut ut creatura dicatur, & sit intrinsecè finita, sufficit finitatem esse modum naturæ ejus. Satis est etiam, quòd concipiatur, ut eadem identicè cum essentia; nam propter hoc etiam Daus dicitur bonus secundùm substantiam: satis pariter est, quòd essentia concipiatur à nobis ut radix infinitatis; & denique satis est, ut sit de conceptu formali essentiæ consideratæ, ut est in se &c.

Tertiò arg. (& iterùm est replica) Non repugnat conflato, aut cumulo omnium divinorum constituere essentiam Dei, ergo est concedendum, conseq. tenet, quia tunc concipitur ut quid melius sine repugnantia ant. verò prob.; nam tota repugnantia est, quia non salvatur prædictus ordo, secundùm quem una perfectio debet concipi ut prior, & alia subsequens, vel supponẽs priorẽ, ita ut essentia constituenda sit in primo, & per primũ conceptũ, ex quo alii oriuntur, ut petit cõstitutio metaphysica; sed hoc non obstat, ergo; prob. mi.; potest aliquid constitui duplici conceptu, vel perfectione, una alteram supponente, ut patet pluribus instantiis; nam relatio adæquatè constituitur secundùm ultimam sui differentiam per conceptum *in*, & *ad*, quorum prior respicit subjectum, posterior verò terminum, & supponit primum, unde adæquatum ejus constitutivum est *inadaleitas* importans non solùm *in* absolutum commune omnibus accidentibus, sed etiam res-

respectivum sibi proprium, quo respicit subjectum referendo illud ad terminum, ut alibi in logicis, & infrà de Trinitate. 2. Essentia hominis secundùm ultimam differentiam plura habet eodem ordine, ut esse aprehensivam, compositivam, & discursivam, esse intellectivam, & volitivam. 3. In eadem essentia prior est conceptus essentiæ, & deinde naturæ, & utterque essentialis, ergo &c.

Ad hoc nego ant; ad prob. dist. ant., ut prior, & subsequens quomodocumque, nego; enim vero ordine radicis, & radicati, concedo; hoc enim requiritur ad verum, & proprium conceptum naturæ, quòd sit radix formalis, vel virtualis suorum attributorum, vel proprietatum, & consequenter erit necessarium ad illum perfectissimæ, qualis est divina, prout concipitur à nobis ut constituenda metaphysicè; unde in illa perfectiona, quæ cum fondamento in re concipitur ut radix saltem virtualis, vel ut ratio à priori aliarum consistere debet. Per quod etiam patet ad singulas instantias; ad primam quidem, quia conceptus *in*, & *ad* sunt veluti duo inadæquati conceptus, vel munera ejusdem virtualitatis relativæ, ut innuit argumentum; nam adæquatè importat inadaleitatem, unde unus non est radix alterius, nec perfectio in linea relativa compl ta, & idem est de aliis; quia vis apprehensiva non radicat compositivam. neque hæc discursivam; nec radicale intellectivum radicale volitivum, sed magis est eadem radix, cùm volitivum intrà propriam lineam non habeat radicem sui, ut ostendimus infrà de voluntate Dei, unde pertinere non potest ad lineam primam, sed solum ad attributalem, nec sit vita primariò, sed tantùm consecutivè, ut iterùm infrà de Trinitate; qua ratione etiam processio amoris excluditur à ratione generationis. Nec denique conceptus essentiæ radicata potest conceptum naturæ, aliàs in illo essentiæ salvaretur jam ratio naturæ pro priori ad conceptum naturæ, cùm conceptus radicis, ut dictum est, sit conceptus naturæ, & sic daretur processus in infinitum, quod implicat; qua ratione pariter substantia, cùm per se habeat rationem primi, vel radicis & consequenter naturæ, si semel creata est, includit intrinsecè negationem supernaturalitatis, quia aliàs esset, & non esset supernatusalis, sed magis per se de linea naturæ, de quo etiam infià de visione, & alibi &c.

Sed instas. Quia adhuc loquẽdo de prędicatis, quorum unũ oritur ex alio, potest aliquid constitui per plura ex illis, ergo solutio est nulla, prob. ant. quia ita de facto contingit in constitutione physica plorium; nam compositum substantiale, v. g. leonis physicè constituitur ex materia, & forma, quæ non tantùm supponit materiam, sed etiam educitur ex illius potentia, ut dictum est in primo physicorum. Deinde extra scholam D. Tho. beatitudo physicè constituitur per visionem, & amorem, qui non tantùm supponit, sed etiam oritur ex visione, utpotè volitivum ex intellectivo. Denique prædestinatio in opinione pariter probabili extra eandem scholam similiter consistit in actu intellectus, & voluntatis, sive in electione, & imperio subsecuto, & radicato, sive in electione, quæ dicitur habere efficaciam, & sic de aliis, ergo poterit similiter dici da constitutione metaphysica &c.

Resp. Nego ant., ad prob. dist., ex constitutione plurium, quæ se habeant singula; ut quid incompletum. & insufficiens ad constituendum conceptum essentiæ, vel radicis, ut contingit in materia, & forma respectu compositi, concedo, aliter nego; unde licet dicatur forma supponere materiam, non tamen quasi proprietas radicem, sed ut sui compartem in genere causæ materialis, à qua si forma materialis sit, quia ab illa dependet in esse, fieri, & conservari, dicitur educi, sivè de ejus potẽtia, quod non est sufficiens ad constituendam se sola rationam essentiæ, cum sit quid incompletum, & potentiale §. Ad alias instantias extrà scholam D. Tho. dicimus, quòd teneotur eodem modo philosophari, si velint sustinere propriam sententiam, quòd dum plura concurrunt ad constitutionem physicam, unum non supponat aliud, ut proprietas radicem, sed simul constituant unã essentiam, ut radicem aliarum proprietatum, unda assignando conflatum visionis, & volitionis, (& sic de aliis) ad constituendam beatitudinem, tenentur asserere, quòd istud sit radix impeccabilitatis, inamissibilitatis, &c. tanquam sui proprietatum, & quòd volitio supponat tantùm materialiter visionem, in quantum nihil volitum, quin præcognitum; vel ut conditionem objecti, & non ut radicem sui, cujus oppositum contingit in pręsenti, ut probatum est; cum attributa verè concipiantur consequi ad priorem perfectionem tanquam proprietas ad radicem, & non purè materialiter, vel ut ad conditionem. Præterquam quòd ex hujusm odi opinionibus alienis solùm poterat inferri, quòd sicut probabilis est apud ipsos constitutio in eisdem instantiis ex constitutione plurium, ita etiam probabilis sit apud eosdem presens constitut io divinæ naturæ ex cumulo plurium, non enim intendimus damnare probabilitatem opinionis alienæ in casu intra eorum scholam, nec possunt ampliùs exigere à nobis, cum neque teneamur defendere nostram sententiam juxtà eorum probabilitatem, quamvis sit adhuc latum discrimen, ut dictum est, &c.

Quòd si velint adhuc instare in hoc universo composito ex collectione creaturarum, quarum plures completæ sunt, ut cœli, elementa, &c. & una supponit aliam, & pendet ex illa ut causa sui physica §. Resp. facilè, quod universum est tantum unum unitate ordinis, undè est necessarium, quòd constituatur per collectionem multorum ordinatè se habentium secundùm prioritatem, & posterioritatem, ac dependentiam unius ab alio; cæterum Deus est unus purissima, ac perfectissima unitate, excludente omnem dependentiam, & compositionem sive realem, sive rationis cum fundamento in re, unde ejus constitutio vocatur à Theologis constitutio per simplicitatem, scil. unius simplicis naturæ, cujus conceptus in perfectissima radice attributorum salvatur, ut dictũ est, unde instantia non est ad rem. &c. Aliæ instantiæ vel solvi possunt ex dictis; vel non sunt iterum ad rem, aut de subjecto non supponente, ut est illa de persona Christi composita ex extremis divino, & humano, ut infrà de Incarnatione, nam ut ostendimus ibidem, nulla est ibi constitutio, aut resultantia essentiæ, vel naturæ, neque etiam personæ humanæ, sed tantum dicitur persona ejus composita ex illis, quatenùs resultavit una hypostasis subsistẽs in duabus naturis, & ambæ naturæ in

Ver-

verbo sunt extrema ejusdem compositionis ordinata ad subsistendum in eadem persona, de quo latè ibi &c.

§. III.

Statuitur secunda conclusio de esse entis à se, & existentiæ.

Essentia vel natura divina sumpta, ut sumpta pro radice, aut ratione à priori attributorũ non constituitur per rationẽ entis à se, sive ut dicit aseitatem, sive existentiam tanquam per ultimam sui differentiam metaphysicam. Prima pars suaditur ex D. Thc. infrà q. 13. art. 12, ad 1. ubi ait. *Hoc nomen Qui est, est magis propium Dei, quam hoc nomen Deus, quantum ad id, à quo imponitur, scil. ab esse &c. Sed quantum ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis propium hoc nomen Deus, quod imponitur ad significandum naturam divinam.* Hoc autem vid. talium si semel prædicatum de præciso gradu, vel linea essendi esset constitutivum Dei; quia hoc nomen *Qui est* significat esse, ut explicat in corp., unde etiam significaret naturam divinam &c.

Deinde in primo dist. 8. q. 1. ar. 1. in corp., & ad 4. ex D. Damasceno docet, quòd hoc nomen, *Qui est* non significat *quid est Dei*; sed quoddam pelagus substantiæ infinitum quasi non determinatum, ideſt aliquid transcendens in ordine increato, & communi omnibus divinis, scil. naturæ, attributis, & relationibus &c.

Ex his prob. ratione. Constitutivum, ut modò loquimur; debet esse discretivum naturæ, ut radicis à cæteris divinis, & non solum à creaturis, sed ratio entis à se non est hujusmodi, ergo; prob. ant. quia ratio entis à se, sive increati, & per essentiam formalissimè convenit omnibus divinis, nisi velimus aliquod divinũ non esse formaliter increatum, quod est alienum, ergo &c.

Dices ex P. Esparza hìc q. 5., quòd licet ratio entis à se, ut dicit negationem entis ab alio, ut à causa, vel per veram actionem, conveniat omnibus divinis, non tamen ut etiam dicit negationem essendi ab alio, ut à radice; hæc enim aseitas soli essentiæ convenire potest §. sed contra hoc est eodem argumento. Nam esse à se transcẽdit utramque præfatam aseitatem, ergo nequit assignari ut constitutivũ differentiale naturæ divinæ, sive alterius extremi à se dicentis negationem ab alio etiam ut à radice; ant. est certum, nam esse à se est quid infinitum superius ad utrumque ens à se, scil. & ut negat esse ab alio tanquam à causa, aut per veram actionem, & ut negat etiam ut à radice; utrumque enim verè est ens à se, si velimus esse quid divinum; consequentia verò prob.; tum quia prædicatum differentiale, nequit esse quid commune, & superius; tum quia prædicato transcendenti repugnat esse radicem, cum conceptus radicis importet suam lineam determinatam; tum quia aliàs hoc ipsum conveniret cuilibet inferiori, sicut & convenit superior ratio transcendens, ergo &c.

Explicatur hoc. Nam quia ens est transcendens utrumq; genus substantiæ, & accidentis, nequit alterum ex his constitui per rationem entis, tanquam per sui differentiam veluti metaphysicam, ergo quia pariter esse à se trãscendit utrumque ens à se, & negans alietatem causæ, vel veræ actionis, & etiam alietatem radicis non poterit aliquod ex his metaphysicè, aut tanquam per ultimam sui differentiam constitui per rationem entis à se.

Explicatur ulteriùs. Non minùs esse à se utpotè infinitũ transcendit utrumque extremum increatum, scil. negans alietatem ut à causa, aut per veram actionem, & negans etiam alietatem ut à radice; quam esse ab alio per dependentiam transcẽdat utrumque creatum, scil. importans alietatem ut à causa, aut per veram actionem; & importans etiam alietatem, ut à radice, quod convenit solis proprietatibus, non naturis; sed quia esse ab alio sic transcẽdit, nulla natura creata in universum tanquam per sui differentiam metaphysicam potest constitui per rationem entis ab alio, ergo nec poterit divina constitui per rationẽ entis à se; unde sicut quælibet creata constituitur per prædicatũ, aut perfectionem de linea determinata, (& idem etiam de utroque genere) ita etiam divina constituenda erit per perfectionem determinatam, cui conveniat altera determinata aseitas, scil. negans alietatem etiam ut à radice &c.

Dices ex eodem, negando prædictam transcendentiam in ente à se, quia licet omnia divina sint transcendentaliter entia, non tamen entia à se; hoc enim, inquit, solum convenit naturæ divinæ, quæ sola est radix omnium divinorum. §. Sed contrà hoc est, & in primis negari non potest duplex præfata aseitas in divinis; nam verè concipimus cum fundamento in re ens negans alietatem, ut à causa, quod convenit omnibus divinis; & negans etiam ut à radice, quod soli naturæ est conveniens; sicut concipimus in creatis esse ab alio, ut à causa, quod cuilibet creaturæ convenit, & esse realiter ab alio etiam ut à radice, quod solis proprietatibus est conveniens; vel sicut in linea prædicamentali iterùm cõcipimus ens ab alio, ut à causa, quod cuilibet ent prædicamentali convenit (supposito, ut modo supponimus ex logicis, quòd Deus non ponatur in prædicamento), & ens ab alio etiam, ut à sustentante, quod soli accidenti est conveniens; ergo sicut ens, vel ens ab alio est quid superius transcendens utrumque extremum creatum, vel prædicamentale, pariter ens à se erit trauscendens utrumque increatum, vel omnia divina. Tum quia ex quo aliquod ens semel est divinum, est omninò increatum ergo à se secundùm aliquam rationem aseitatis; sicut ex quo aliquod ens est non divinum tenetur esse dependens, & creatum secundùm aliquam rationem alietatis, ergo cum omnia sint ens à se, & non tantum ens; & non omnia nostro modo concipiendi negent alietatem ut à radice, duplex aseitas est ibi distinguenda, ad quas esse à se comparetur ut superius trascendens &c.

Secundò impugnatur. Quia videtur petere principium, nec assignare constitutivum; nam id est, quod inquirimus, cui nempè prædicato, vel perfectioni conveniat aseitas exclusiva alietatis, etiã ut à radice, & sit propria solius naturę, non enim dubitamus, quòd perfectio, cui semel convenit hæc aseitas, sit constitutiva naturæ; cum natura hoc meritum habeat contrapositivè ad alia prædicata, sive in ente creato, sive in increato, quod ab alio non originetur, & omnia originentur ab illa, quæ spectant ad sui lineam sed magna difficultas est apud Theo-

Theologos in assignando hanc perfectionem, ut dictum est, unde assignare aseitatem pro constitutivo naturæ divinæ, est ferè idem, ac assignare conceptum radicis pro constitutivo ejus non determinando perfectionem ' quæ hunc conceptum, vel aseitatem importet &c.

Ex quibus instatur sic. Vel esse à se sumitur ex terminis per negationem essendi per dependentiam ab alio, vel prout tantùm dicit negationem essendi ab alio ut à radice; primum transcendit omnia divina; secundum est commune tam naturæ creatæ, quàm increatæ, ut utrumq; per se patet, ergò non assignatur peculiaris perfectio constitutiva naturæ, &c.

Secundò prob. principaliter conclusio. Quoad 2. part. in qua dicimos naturam, vel essentiã divinã non constitui, aut consistere in ejus esse vel in ratione entis, ut dicit existentiam, cui inter alios novissimè se opponit Eminentiss. Ferrarius ubi supra dubio primo dicens, non posse divinã naturam metaphysicè constitui per prædicatum virtualiter distinctum ab esse actualis existentiæ, & consequenter existentiam esse formaliter, & virtualiter ipsam Dei essentiam, sed eam tamen sustinent alii doctissimi ex nostris M. Gonzales disp. 36. concl. 2. Serra hic concl. 2. Illustriss. Godoy concl. 4. M. Ferre §. concl. 3. novissimè M. Bonifacius Grandi hic concl. 1. & alii apud eundem Illustriss., & tenentur à fortiori sustinere qui ponunt, & multiplicant in divinis existentias relativas, nam cum natura ibi multiplicari non possit, nec sit de genere relativo, tenentur omninò distinguere conceptum existentiæ à conceptu naturæ. §. Prob. ergò ex D. Tho. ubi supra (aliis auctoritatibus ejusdem omissis, quibus utitur idem Illustriss., sed eas, ut minus ad intentum urgentes ostendit M. Ferre, ac dimittit;) Nam art. 11., ut vidimus ad 1. docet, quòd licet hoc nomen *Qui est* sit magis proprium nomen Dei, quàm hoc nomen *Deus* quantum ad id, à quo nomen imponitur, nam hoc nomen *Deus*, imponitur ab universali providentia, quæ cum actum liberum importet magis distat ab essentia Dei, quàm existentia, vel esse Dei, à quo imponitur nomen, *Qui est, sed quantùm ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium hoc nomen* Deus, *quod imponitur ad significandum naturam divinam.* At si esse, vel existentia, (ut supra etiam inferebamus de aseitate) esset omninò idem tam formaliter, quàm virtualiter, vel tanquam differentia ultima, aut quasi ultima, non posset id verificari, quia ut docet in corp. hoc nomen *Qui est* significat ipsum esse; undè quandò in eodem corp. ab initio ait, quòd *esse Dei est ejus essentia* intelligendus est vel de constitutione physica, sive de essentia secundùm se, ut est Pelagus infinitum essendi, ut innuit ibi versùs finem, dicens *Hoc nomen qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes, & ideò nominat ipsum Pelagus substa infinitum*, ut priùs etiam docuerat in primo, ubi supra ad 4. ubi ait, *Quod alia nomina dicunt esse determinatum, & particulatum, sicut sapiens dicit aliquod esse; sed hoc nomen qui est, dicit esse absolutum, & indeterminatum per aliquod additum, & ideò dicit Damascenus, quod non significat quid est Deus, sed significat quoddam Pelagus substæ infinitum quasi non determinatum.* Ex quo inferens modum procedendi in Deum per viam remotionis iterùm concludit quid significet idem nomen dicens; *Unde quando in Deum procedimus per viam remotionis, primò negamus ab eo corporalia, & secundò etiam intellectualia secundum quod inveniuntur in creaturis, ut bonitas, & sapientia, & tunc remanet tantùm in intellectu nostro, quia est, & nihil amplius, unde est sicut in quadam confusione.* §. Vel si adhuc intelligendum velint de essentia, ut metaphysicè à nobis concepta, solùm verificari poterit, quòd pertineat ad illam per modum termini ejus, ut statim dicemus, & non per modum perfectionis tanquam ultimæ ejus differentiæ, aut veluti in recto importatæ ex vi solius conceptus objectivi essentiæ, &c. Huic authoritati solutio, & ejus impugnatio constabit infra, ne eadem repetamus, &c.

2. Prob. iterũ ratione. Verè in Deo cõcipimus existẽtiã, ut terminum naturæ, ergò nequit à nobis concipi ut constitutiva ejus tanquam ultima sui differentia, consequentia tenet, quia terminus naturæ ex vi proprii conceptus objectivi non dicit naturam, sed actualitatem terminativam ejus, ut suppono in bona metaphysica, & patet inductivè in creatis; ant. etiam constat, quia modo loquimur de hujusmodi prædicatis, aut perfectionibus divinis prout à nobis concipiuntur ad modum rerum creatarum, &c.

Dices ex eodem Eminentiss. dist. ant., ut terminum naturæ formaliter tantùm nego, formaliter, & eminenter simul, concedo, nam loquendo de divina hoc meritum habet supra existentiam creatam, sicut & natura divina supra naturam creatam, quòd quia divina simul est actus purus, sive in actu ultimo suæ lineæ, non præcisè habet esse alterum tantùm formaliter, ut contingit in natura, & existentia creata ob potentialitatem naturæ, vel essentiæ creaturæ, sed simul est talis eminenter formaliter, itaut natura seipsa intransitivè objectivè sit terminata, & consequenter existentia non sit præcisè terminus formaliter, sed simul eminenter, unde in conceptu objectivo coincidit formaliter cum natura ob ejus summam actualitatem, & perfectionem, qua non tantùm identicè, sed etiam formaliter, & explicativè habet trahere secũ sui ultimã actualitatem, unde non tenetur terminus ex sua ratione formali in communi semper distingui à re terminata, sed tantùm significat esse ultimum rei, ultra quod res non transeat; hoc autem potest contingere, ut dictum est, & cum distinctione, & sine illa à re terminata, si semel hæc ex sua ratione formali sit ita ultimò perfecta in sua linea, ut non indigeat ulteriori termino, aut complemento in illa, nam tunc seipsa intransitivè est ultimò terminata, & completa, ut contingit in casu. §. Et exemplificat in intellectione divina, quæ ob eandem rationem est ultimus terminus, & intrinsecum complementum intellectus divini, estò ab illo non distinguatur, quia scil. est ultimus, & complementũ intransitivè, non transitivè, quatenùs intellectus divinus ex sua ratione formali est intellectus in actu puro, adeòq; in actu ultimo. Ex quo etiam assignat discrimen inter principium, & principiatum, & inter terminum, & rem terminandam, quia scil. principium ex suo communi conceptu

signi-

significat influxum in principiatum, sicut principiatum originem à principio, ideoq; implicat principium eo modo, quo est principium, non distingui à principiato, quod tamen non militat de ratione formali termini, ut dictum est; & contendit etiam manifestè instare in relatione divina comparativè ad creatam; nam licet hæc utpotè non subsistens supponat, & non constituat personam creatam, non tamē infertur, quòd divina se habens per modum subsistentis supponat similiter, & non constituat personam divinam, ergo licet pariter existentia creata utpotè non per se subsistens, non constituat, sed supponat naturam creatam, in qua recipitur, & limitatur, secùs ipsum esse divinum, quod est per se subsistens. Ita subtiliter prout de more resp. idem Eminentis. hîc ad 1., cujus olim pro debito officii in studio generali Bononiensi, ingenii simul mirabar acumen, & meritum venerabar, &c.

Sed salva, quam profiteor eidem Eminentiss., ejusque ingenti merito summa reverentia: contra solutionem tamen videtur militare D. Tho. ubi supra; nam esse etiam divinum, ut patet ex utroque loco non significat *quid*, sed magis *quia*, ergò ex vi proprii conceptus objectivi prout concipitur à nobis, est terminus tantùm, & non constitutivè natura tanquam differentia ejus metaphysica, consequentia tenet, quia aliàs propriissimè significaret *quid*, quod negat D. Tho.

Secundò, (& impugnatur præcipua vis solutionis) quia ex eo quòd natura divina est actus purus solùm infertur quòd physicè, & prout est in se, & non constitutivè metaphysicè prout à nobis concipitur, identificet sibi objectivè existentiam, ergò, prob. ant., tum quia D. Tho. ideò asserit, quòd *esse* est ejus essentia, quia hæc est Pelagus infinitum essendi, ut iterùm patet præcipuè ar. 11. relato 1. par., sed hoc pertinet ad constitutionem, vel identitatem physicam, & ad considerationem prout est in se, ut vidimus ergò. Tum quia dato etiam quòd esset necessaria explicatio existentiæ, ut salvetur conceptus actus puri in natura, non est necessarium, quòd exprimat illam, ut sui differentiam, sed in præcisa ratione termini, ergo ex vi ejusd. conceptus non tenemur extrahere existentiam à ratione formali termini, & constitutivè illam trahere ad formalem naturæ; prob. ant., quia ex eo præcisè quòd exprimat illam ut terminum, excluditur omnis potentialitas etiam dialectica, (quæ aliàs nec obstat conceptui actus puri in re cum sit pura non explicatio, ubi non est debitum explicandi ut patet in attributis) & aliàs in re supponitur summa identitas; & si semel esset debitum explicandi satis est ut explicet, vel explicativè exigat illam juxta sui conditionem, scil. in ratione termini, non specifica, vel naturæ, quia ut ait D. Tho. loquendo etiam de divina, non pertinet significativè ad *quid*, pertineret autem ut patet, si ingrederetur conceptum specificum naturæ, ut differentia metaphysicè constitutiva ejus, unde non videtur ad mentem D. Tho. in subjecta materia, quòd de ratione formali termini sit esse præcisè ultimum rei, ultrà quod non transeat cum indifferentia objectiva ad esse constitutivè naturam, si semel ex propriis non significat quid: sed de hoc iterùm præcipuè ad primum: exemplum hujus replicæ dabimus impugnando sequentem solutionem. Ad quartam instantiam verò de relatione dicemus infrà &c.

Dices ex eodem Eminentiss. ad ultimum explicando authoritatem D. Tho., cui maximè innititur hæc replica, quòd licèt *esse* secundùm rationem quasi genericam non pertineat ad *quid*, seu non explicet illud, vel naturam quasi adæquatè, & consequenter, nec prout sic naturam divinam adæquatè constituat, cum prout sic solùm explicet rationem essendi in communi, & indeterminatè, benè tamen si sumatur tali modo, scil. per essentiam per se subsistens, per modum actus purissimi; & quia hoc totum significat hoc nomen *Deus*, ex vi significationis, non verò nomen *qui est*, ideò illud dicitur impositum ad significandam naturam, scil. adæquatè, & incommunicabile; quod est id, quod intendebat explicare D. Tho. cùm tamen alterum *qui est*, quod explicitè solùm significat esse in communi sit communicabile creaturis; immò existimat eandem authoritatem magis favere oppositæ sententiæ, quam nostræ, siquidem, inquit, ideò D. Thom. docet, quòd nomen *qui est* sit magis proprium nomen Dei, quàm hoc nomen *Deus*, quantùm ad id, à quo imponitur, quia ly *qui est* dicitur ab esse, ly Deus verò ab universali providentia, esse autem est magis intimum Deo, utpotè non solum realiter, sed nec virtualiter est distinctum à Deitate, à qua tamen universalis providentia divina virtualiter saltem distinguitur; dicitur tamen magis proprium nomen ly Deus, quantùm ad id, ad quod significandum imponitur, quia ly *Deus* imponitur ad significandum naturam divinam adæquatè, ly verò *qui est* significat eandem inadæquatè &c.

Sed in primis quantum ad motivum retorquendi authoritatem, & consequenter rationem factam cum suis replicis, prout deducuntur ex illa, non videtur legitimè inferendum, quòd nomen *qui est*, sit magis proprium, quia *esse* à quo sumitur, sit magis intimū, utpotè, nec realiter, nec virtualiter distinctum à Deitate; tum quia majorem proprietatem ejusdem nominis non infert D. Thom. in sui prima ratione ex intimitate, ut exclusiva totius distinctionis, sed solius realis, hoc enim satis est ad intentum ejus, ut patet ex serie totius litteræ in eodem ar. 11., & in ar. 4. q. 3. hic, ad quem se refert, & alibi in 1 q., & ar. relato, quia cum esse importet primam, & universalissimam lineam essendi, & sit primam trāscendentiam, eo ipso, quòd est identitas realis intrà hanc lineā cum actuali implicita inclusione orta ex summa actualitate, scil. inter essentiam, & existentiam, statim infertur pelagus illud infinitum essendi cum omnimoda indeterminatione, ad quod recurrit in 2., & 3. sui ratione ad probandam majorem proprietatem ejusdem nominis; & quamvis sit etiam identitas realis inter Deitatem, & providentiam, à qua sumitur nomen *Deus*; non tamen habet eandem amplitudinem præcisè ex meritis suæ lineæ, & ideò non dicitur ità propriè sicut hoc nomen, *qui est* quia ut ait, in 2. ratione, *quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo à nobis.* Tum quia datur prædicatum, quod est maximè proprium Dei, scil. summa simplicitas, & tamen non solum non excludit, sed tenetur omninò admittere distinctionem virtualem, ut infrà de Trinitate ostendimus contrà Aureolum, unde licet esset major simplicitas

 quæ

quæ etiam excluderet virtualem, & non tantum realem inter absolutum, & absolutum; vel absolutum, & relativum; non propterea eam admittimus in Deo, utpotè incompossibilem cum summa ejus eminentia, qua continet, & æquivalet cæteris perfectionibus creatis, unde non potest non admittere aliquam multiplicitatem virtualem, ergo prædictus excessus convenientiæ in hujusmodi prædicatis, non est præcisè attendendus ex excessu identitatis, sed indeterminationis, & universalitatis, vel intimitatis secundum hujusmodi rationes &c.

Secundò impugnatur solutio quoad alterum principale, scil. quòd hoc nomen *qui est* prout sumitur ab esse significet etiam *quid*, sive naturam constitutivè metaphysicè, licèt inadæquatè, sive tanquam differentia ultima, de qua modo contendimus. Quia, ut vidimus ex D. Tho. 2.2.q 174. ar.6 expressio, aut revelatio facta Moysi Exod.3. per hoc nomen, *qui est* ad hoc maximè tendebat, scil. ad significandam non præcisè naturam, sed simplicitatem ejus, de qua adhuc non fuerant instructi priores PP., sed tantum de omnipotentia, ut dictum est, unde significatur à Judæis per hoc nomen Adonai, quod juxtà D. Thom. ibid., significat eandem simplicitatem divinæ essentiæ; & ideò dictum ast Moysi cap.6., *& nomen meum Adonai non indicavi eis*, ergo non videtur rectè aplicari ad intentum Scripturæ, ad significandum *quid* vel divinam essentiam tanquam differentia metaphisicè constitutiva, & consequenter nec *esse* ab eodem importatum significabit constitutivè naturam, sed magis supponet tanquam gradum, quem faciat formaliter terminatum, & formaliter existentem &c.

Urgetur hoc ex eodem in primo, ubi supra; quia ut innuit ibid. D. Thom., esse sic depuratum ab aliis particularibus rationibus secundum quòd inveniuntur in creaturis, magis pertinet, aut reducitur ad *quia*, quàm ad *quid*, ut patet illis verbis, *unde quando procedimus in Deum per viam remotionis, primò negamus ab eo corporalia, & secundò etiam intellectualia, secundum quòd inveniuntur in creaturis*, ut bonitas, sapientia, & tunc remanet tantum in intellectu nostro *quia est*, *& nihil amplius*, ergo non videtur etiam inadæquatè significare *quid*, sive naturam, ut imperfectè concipitur à nobis, & consequenter nec constituere illam, ut ultima ejus differentia &c.

Urgetur ulteriùs, & explicatur totum hoc. Ut egregiè advertit sapientissimus M. Porrecta, & ex eodem relatus M. Grandi, & evidenter patet ex textu corp. hic; præcipuus finis D. Thom. locis relatis, & alibi est ostendere, quòd in Deo *esse* non est accidens, idest non est *esse* receptum, & ità divina essentia est suum esse, & ideò rationabiliter fuit impositum Moysi, ut interroganti de nomine Dei, responderet; *qui est misit me*, solus enim Deus est, *qui est*, cætera verò à Deo sunt habentia esse, vel recipientia illud, sed ad hoc totum salvandum, non facit præcisè, quòd esse significet quid, sive essentiam, vel quòd eam metaphisicè constituat, sed tantum quòd cum ea realiter identificetur, ergo ex nullo capite tenemur ad eundem conceptum objectivum, vel identitatem etiam virtualem reducere &c.

Dicas teneri ad salvandum conceptum actus puri non præcisè in re, vel physicè, sic enim sufficit identitas realis, sed metaphisicè prout còncipitur à nobis, quia cum sit ultima actualitas ejusdem lineæ, debet omninò explicari ab essentia ex vi proprii conceptus objectivi, unde non potest non per inere ad eundem gradum naturæ, in quo maximè fundatur idem Eminentiss., ut constabit infrà &c.

Sed contrà hoc est. Quia, non jam insinnavimus; admisso etiam debito explicandi, non tamen explicandi eam, ut sui differentiam constitutivam, sed tantù ut terminum; nulla enim est necessitas variandi ejus formalem rationem termini, & transferendi ad lineam gradus, vel naturæ, cum per solam explicationem ut sic, sufficienter salvetur, ut dictum est, ratio actus puri etiam dialecticè, unde differentia penes creatum, & increatum non variat formalem rationem termini in rationem naturæ, sed tantum facit, quòd in Deo sit esse irreceptum, & consequenter omnimoda carens potentialitate tam ex parte sui, quam ex parte naturæ vel essentiæ, cujus est terminus, de quo adhuc infrà ad primum &c.

Explicatur hoc. Licet ad objectum specificativum fidei desideretur ratio non visi, & ad objectum specificativum voluntatis ratio cogniti, (& sic de aliis) ità ut specificativum illius sit res divina non visa, & specificativum istius bonitas apprehensa, non tamen ratio non visi, vel aprehensi pertinent ad illud, ut differentia constitutiva sed ut conditio intrinseca, vel modus ejus, ergo licet pariter dicamus ad conceptum naturæ adæquatum requiri ipsum esse, vel existentiam, non tamen ut differentiam constitutivam, sed ut terminum illius ut revera contingit in creatis, ad quorum similitudinem modo concipimus divina, salvis quidem juribus naturæ divinæ, quòd nempè respectu illius sit esse irreceptum ad quod satis est dentitas realis, vel fortè explicatio modo dicto, sed invariatis manentibus rationibus formalibus utriusque; per quod etiam videtur posse conciliari utramque sententiam. Et quidem si esse, vel existentia Dei non redderet existentem, vel terminatum aliquem gradum per modum termini ab illo distincti, sed ipsa existentia intransitivè esset essentia existens, sequitur, quòd dum ex creaturis per veram demonstrationem scimus dari in rerum natura illud supremum existens à se, demonstrativè cognosceremus quiditatem Dei, consequens non est admittendum, cum ad quiditatem Dei per rationem naturalem demonstrativè per veniri non possit, ut patet ex dictis, & modo supponimus; unde linea essendi est veluti partibilis in duas athomas, alteram per modum gradus, ad quem pertinet essentia, & alteram per modum termini, ad quam pertinet existentia ut infrà &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra præcedentem Conclusionem.

Primò arg. laudatus Eminentiss. ratione, ut ait; desumpta ex D. Thom. 1. cont. gent. cap. 45. Sicut intelligere se habet ad intellectum, ità esse actualis existentiæ ad essentiam, sicut enim intelligere est ultimus actus intellectus in linea intelligendi, ità esse est ultimus actus essentiæ in linea essendi, sed intellectus divinus nec virtualiter distin-

guitur

guitur ab actuali intelligere; ergo neque divina essentia ab esse actualis existentiæ, adeòque nequit metaphisice constitui per prædicatum virtualiter distinctum ab existentia; mi. supponit probatam à se ipso in superioribus &c.

Urget hoc ipsum. Quia essentia nequit virtualiter, & ratione nostra distingui ab eo, quo explicitè præcisso non intelligitur, ut actus purus explicitè in linea essentiæ, sed præcisa explicitè actuali existentia, essentia divina non est conceptibilis, ut explicitè actus purus in sua linea, ergo; prob. mi, nulla perfectio est conceptibilis explicitè ut actus purus, nisi concipiatur explicitè in actu ultimo illius lineæ, in qua est actus purus, sed ultimus actus essentiæ in linea essentiæ est esse actualis existentiæ, sicut ultimus actus virtutis operativæ est operatio actualis, ergo præcisa explicitè actuali existentia non est conceptibilis essentia divina, ut actus purus explicitè in linea essentiæ; sed sicut essentia creata, quia realiter distinguitur ab existentia est potentialis, & non actus purus in tali linea realiter, ità essentia divina non esset actus purus in linea essentiæ explicitè, si explicitè distingueretur ab existentia &c.

Ad hoc dico in primis, quòd in opinione similiter distinguente intellectum ab actuali intelligere virtualiter, quam sustinent Illustriss. Godoy, & alii cum ipso, patet non posse hic efficaciter concludere; statim enim negarent mi., unde oporteret egredi limites præsentis quæstionis. Sed admissa adhuc virtuali identitate, vel rationis inter intellectum, & intellectionem; vel nego, vel disting. ma., ità esse actualis existentiæ quantum ad realem identitatem, concedo quantum ad virtualem, vel rationis, nego, quia qui virtuali et identificant intellectum cum intellectione hoc ideò affirmant, quia existimant pertinere ad eandem lineam veluti athomam, sive attributalem, ut similiter discurrunt de voluntate, & volitione, cæterum qui negant hic de essentia, & ejus existentia, ideò ex opposito negant, quia existentiam constituunt in distincta quasi athoma, scil. complementi, & termini essentiæ, vel naturæ, & non in linea earum; unde distingunt hanc lineam essendi, ut dictum est, in duas veluti athomas, sicut lineam intelligendi in radicalem, & proximam, vel attributalem, unde poterat retorqueri &c.

Ex his etiam ad confirmationem disting. mi., præcisa explicitè adæquatè; sive per modum tam prædicati quidditativi, vel essentialis, quam per modum termini, vel complementi essentiæ, transeat; inadæquatè, vel priori tantum modo, nego; nam admisso etiam, quòd esset explicanda, non tamen ut prædicatum lineæ, ad quam non spectat, scil. naturæ, sed termini, vel complementi, sicut in simili dictum est, quòd licet in specificativo voluntatis, quod est bonitas ut aprehensa, vel in illo fidei, quod est res divina non visa, veniat utraque ratio aliquomodo explicitè, non tamen de eadem linea, aut per modum prædicati formalis, cum ratio aprehensi non sit de linea boni, nec ratio non visi se habeat, ut formale prædicatum, sed magis ut modus illius; quamvis ita sit, quòd hujusmodi actus, scil. existentia, & subsistentia, cum ex suis rationibus formalibus magis habeant supponere, quam constituere, qua ratione nos Thomistæ communiter 3. p. dicimus, quòd non teneantur uniri essentiæ, vel naturæ informativè, sed tantum terminativè, scil. reddendo illam incommunicabilem alteri ut supposito, ut facit subsistentia in nobis, vel personando, aut dando perseitatem independentiæ ab alio, ut sustentante, ut faciunt relativa, & absoluta in divinis; vel ponendo extrà omnes causas, ut itarum in nobis facit existentia; vel terminando adæquatè in linea entis, ut facit divina; ideò constitui nequeunt in eadem indivisibili linea naturæ. Per quod etiam faciliùs defenditur mysterium Incarnationis, tum ex parte naturæ assumptæ; quia si ponamus esse de ratione subsistentiæ, & existentiæ ut sic, & non tantum creatæ, quòd naturam non constituant, sed magis supponant constitutam, & solum terminent, faciliùs sustinetur ibi unitas personæ contrà Hæreticos, & similiter unitas existentiæ contrà alios Theologos in favorem Thomistarum, quia faciliùs tunc intelliguntur separari, cum in creatis possint aliqua distingui, & tamen ob necessariã connexionem, si unum sæpè mutuo sit de conceptu alterius, sint inseparabilia, ut patet in relativis; tum deinde etiam ex parte assumentis, quia faciliùs salvatur, quòd possit Deus supplere rationem existentiæ, si hæc non habet nec pervenire possit ex propriis ad rationem naturæ, ità ut faciliùs tunc concipiatur Deum uniri naturæ humanæ formaliter sub conceptu existentiæ, & non naturæ, quod esset, & hæreticum. Nam quidquid sit, quòd possit hoc ipsum salvari ex diverso modo significandi, ut respondet idem Eminentiss.; dicimus nihilominus, id faciliùs defendi, & magis favere huic veritati fidei, dum sitimus in his, quæ communiter metaphisici, (ut suppono) præcipuè Thomistæ fatentur de hujusmodi actibus, scil. quòd non constituant naturam, sed supponant constitutam, nec sit necessitas invertendi, aut limitandi eorum rationes formales ex debito salvandi puritatẽ actus in natura ut dictũ est; tum quia si esset aliqua potentialitas, esset pure dialectica, vel ex modo significãdi, quę non præjudicat summæ puritati divinæ, sicut similit er dictũ est in logicis, de communitate dialectica, quæ nullo modo præjudicat divinæ singularitati, dum concipimus Deum, ut terminum communem &c.

Sed instas ex eodem ut suprà. Ex eo, quòd relatio creata personam creatam supponat, & non constituat, non rectè infertur, quòd similiter divina relatio personam divinam supponat, & non constituat, ergo pariter quamvis existentia creata naturam divinam supponat, & non constituat, non rectè infertur, quòd divina etiam existentia naturam divinam supponat, & non constituat; & ratio utriusque est jam insinuata, quia in tantùm relatio creata non constituit, benè verò divina, quia hæc est subsistens, non verò illa, sed hoc etiam versatur discrimen inter existentiam creatam, & increatam, quòd hæc est ultima actualitas naturæ, quæ est actus purus, & consequenter in actu ultimo, unde tenetur exprimi in conceptu illius, vel ad illam pertinere; illa verò est ultima naturæ potentialis, unde tenetur distingui, & supponere illam, ergo &c.

Huic instantiæ dico in primis, quòd videtur solvenda ab omnibus, nam si aliquid prob. ex paritate assumpta, videtur etiam probari non solùm esse nullam probabiliter consequentiam ab existentia creata ad divinam in ordine ad constituendam naturam, sed etiam esse impossibilem in communi

jam sententia Theologorum, & præcipuè Thomistarum; sicut impossibilis est, & non solùm probabiliter nulla à relatione creata ad divinam in ordine ad constituendam personam, cum incommunicabilitas ad hanc requisita nequeat omninò haberi ab aliquo de linea absoluta in divinis, uno vel altero ex antiquioribus excepto; quod tamen est alienum, cùm sint tot insignes Theologi, ut vidimus, qui sustinent hanc nostram sententiam, & videtur eidem etiam satis favere D. Tho., ut ostensum est, unde tenentur omnes assignare discrimen, cùm de relatione fateamur omnes, quòd per modum subsistentis (modo, quo explicatur infrà de Trinitate) constituat, & non supponat personam divinam constitutam; de existentia verò negant, ut dictum est, doctissimi Thomistæ satis conformiter ad communem doctrinam Metaphysicorum &c.

Pro omnibus ergo hoc nego consl., quia, ut jam insinuavimus; ad habendam pluralitatem personarum in divinis, & consequenter ad salvandum mysterium Trinitatis est maxima necessitas recurrendi ad aliquid de linea relativa ad constituendam personam, ut dictum est, ob impossibilitatem habendi incommunicabilitatem ab aliquo absoluto; non est autē eadem necessitas respectu existentiæ in ordine ad cōstituendā naturā divinam; tum quia tenemur omnes sic affirmare, ut dictum est; sicut affirmamus omnes de relatione; tum quia adhuc salvari potest ratio actus puri, ut pariter ostensum est, & prætendunt salvare ut suprà Authores relati, cùm tamen de incommunicabilitate personali constanter omnes fateantur salvari, vel haberi non posse nisi ab aliquo relativo. §. Et quidem hoc præcipuum ejus fundamentum, scilicèt necessitas salvandi in conceptu naturæ rationem actus puri, non solùm à superioribus, sed etiam videtur specialiter excludi à D. Tho. q. 1. de Potentia ar. 1. ad 2. quod tale erat. *Omne perfectissimum est Deo attribuendum secundum Anselmum, ergo quod respicit aliquid se perfectius, non debet Deo attribui, sed omnis potentia respicit se perfectius, si si passiva, formam, si activa, operationem, ergo potentia Deo attribui non potest.* Cui argumento sic respondet. *quod licet omne perfectissimum sit Deo attribuendum, non tamen oportet, quòd omne illud, quod Deo attribuitur sit perfectissimum, sed oportet, quod sit conveniens ad designationem perfectissimi, ad quod competit aliquid ratione suæ perfectionis, quod habet aliquid se perfectius, cui tamen deest illa, quam aliud habet*; in quibus egregiè docet non esse necesse, quòd quidquid Deo attribuimus perfectissimum explicet, sed tantùm quòd explicet aliquid, cui ex sua ratione competat respicere aliquid perfectius se, ergò ponere in Deo conceptum naturæ per modum gradus non explicantis ultimam actualitatem suæ lineæ, prout linea dicit gradum essentialem, & terminum illius, nulla erit imperfectio, si quidem dicit aliquid, cui ex ratione suæ perfectionis convenit respicere aliquid perfectius se, scil per modum ulterioris actualitatis, sive existentiam, & conducit ad designandum, quòd nulla perfectio deest in linea essendi, siquidem ponitur natura per modum gradus, & identicè existens, sive in actu ultimo, unde sufficit quòd intelligatur formaliter actualiter perfecta omni perfectione de linea graduali, & essentiæ, & sit radix omnis alterius perfectionis attributalis; hoc enim est, quod naturam constituit, unde quòd conceptus ejus prout sic non explicet ultimam actualitatem per modum termini de linea essendi, non ponit in illa imperfectionem potentialitatis, quia illam formaliter habere non convenit illi ex præciso conceptu naturæ, sed termini, unde ad salvandum conceptum ejus prout sic in ratione actus puri, sufficit quòd sit conveniens ad designationem perfectissimi, sive actualitatis ultimæ, quod est valdè notandum pro presenti, & sequenti conclusione, &c.

2. Arg. ex eodem. Si essentia divina distingueretur virtualiter ab existentia, ita ut hæc non pertineret constitutivè ad illam, sed tantùm sisteret intrà limites termini illius, non haberet existentiam à se, sed ab alio tanquam à causa efficiente, sed hoc implicat, ergo, min. patet, quia aliàs Deus non esset primum ens, & prima causa efficiens; ma. verò prob., essentiâ divinâ, ut virtualiter distincta ab existentia non haberet existentiam à se formaliter constitutivè juxta adversarios, nec effectivè per efficientiam realem, ut patet, nec per efficientiam virtualem, ergo nullo modo à se; prob. ant. quoad ultimam partem ratione desumpta ex D. Tho. primo cont. Gent. cap. 22. ratione 3., ubi ostendit, quòd esse Dei nequit esse causatum à divina essentia, quia, inquit, ex hoc sequeretur, quod idem sit sibi ipsi causa essendi; hoc autem est impossibile, quia priùs natura intelligitur causam esse, quàm effectum esse, si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse antequàm haberet esse, quod est impossibile. Ex quibus infertur, quòd licèt daretur D. Tho. ex professo ibi probare, quòd essentia divina non sit causa realis esse divini, tamen ratio, quam adducit probat etiam non posse esse causam efficientem virtualem, siquidem causa efficiens eo modo, quo est efficiens, debet præintelligi existens ante suum effectum; sicut ergo si essentia divina esset causa efficiens realis sui esse juxta D. Tho, ob hanc rationem sequeretur esse realiter antequàm haberet esse prioritate naturæ reali, pariter si esset causa efficiens virtualis, sequeretur esse, antequàm haberet esse prioritate virtuali, quod est manifestè implicatorium &c.

Ad hoc patet primò ex dictis solùm probare ad intentum D. Tho., quòd existentia in Deo non sit accidens, seu actus receptus, & consequenter quòd essentia divina sit suū esse, & Deus sit sua essentia, & suum esse, & hoc specialiter concludit causalis D. Th., quòd aliàs esset aliquod causatū, quod est impossibile, ut egregiè probat ibidem, unde quòd deinde distinguatur virtualiter, vel non explicetur ab essentia, non facit ad mentem ejus; nec oppositum inferendum est ex eadem causali, ut statim dicemus. §. Sed prętereà respondetur admisso discursu D. Th., nego suppositum illius, quod ex illa infertur, nempè existentiam sic virtualiter distinctam, vel non explicatam ex vi præcisè conceptus objectivi essentiæ, remanere effectibilem virtualiter, quia cum esse Dei, ut dictum est, sit esse à se, nequit ullo modo concipi cum fundamento ut ab alio, & præcipuè etiam ob rationem adductam à D. Tho, scil. quòd essentia esset saltem virtualiter antequàm esset, si semel cum fundamento existentia conciperetur sic virtualiter effectibilis, aut emanans ab illa, cum causa eo

mo-

modo, quòd est efficiens, vel emanans teneatur præcedere effectum, cui dat esse, sive per rigorosam efficientiam, sive per emanationem, ut subtiliter arguit idem Eminentiss.: sed dicimus virtualiter quidem distingui, vel non explicari ex vi ejusdem conceptus, sed cum summa identitate in re, tam physica, quàm metaphysica, vel etiam logica per exclusionem cujuscumque indifferentiæ, aut potentialitatis objectivæ, unde solùm infertur diversitas rationis formalis, quæ quia est per modum termini, & à se, ut dictum est; non attributi, non tenetur etiam virtualiter effici, vel egredi per emanationem, sed tantùm terminare per summam identitatem, utpotè terminus essentiæ summè actualis actualitate essentiæ, vel summè perfectæ, & actus puri, unde debetur ei per identitatem existentia, licèt non explicatio ejus tanquam ultimæ differentiæ ex præciso sui conceptu de linea essentiæ, vel gradus &c.

Sed instas ex eodem. Nam D. Tho. loco relato cont. Gent. & hic q. 3. ar. 4 probat, quòd si existentia Dei esset realiter distincta ab ejus essentia, esset existentia causata, vel ab aliquo exteriori principio, vel ab ipsa essentia; quia, inquit, omne, quod est in aliquo præter essentiam illius, causatum est, vel ab efficiente extrinseco; sicut calor in aqua est ab igne, motus cæli ab intelligentia; vel ex propriis essentialibus rei, sicut risibile sequitur essentiam hominis. Ex qua doctrina arguit sic. Existentia realiter distincta ab essentia est realiter causata, vel ab intrinseco essentiæ, vel ab agente extrinseco, ergo pariter existentia virtualiter distincta ab essentia est virtualiter causata vel ab agente extrinseco, vel ex intrinsecis essentiæ. Si enim juxta D. Tho., & apertam veritatem, quod inest alicui, & est præter essentiam illius realiter, illi convenit ex vi alicujus causæ realis, ergo pariter quod inest alicui, & metaphysicè, seu virtualiter non est essentia illius, necessariò ei convenit in vi alicujus causæ efficientis virtualis &c.

Huic instantiæ iterùm patet ex dictis, quòd præcipuum intentum est excludere esse divinum à ratione accidentis, vel actus recepti, de quo solo potest militare ratio effectibilitatis, nam esse tantùm virtualiter distinctum, vel purè non explicatum ex vi conceptus objectivi essentiæ, cùm aliàs sit summè identificatum in re, est omninò incapax illius, sive realiter; sive virtualiter; aliàs etiam cum fundamento posset concipi ut aliquid de linea entis per participationem, sicut infert D. Tho. de eo, quod est præter essentiam; quod tamen implicat in terminis, supposita omnimoda identitate in re cum essentia, quia hac supposita implicat cum fundamento extrahi à linea entis per essentiam, aliàs id, quod est verè ens per essentiam posset aliquando concipi, ut ens per participationem, quod est implicatorium, conciperetur enim, & non conciperetur ut ens per essentiam; unde videretur etiam, quòd teneremur omninò removere omnem distinctionem virtualem ab attributis, si hæc posset dare fundamentum concipiendi, aut subtrahendi à linea entis per essentiam, si autem hæc est insufficiens respectu aliorum, quia omninò conveniunt in eodem esse cum essentia, à fortiori erit insufficiens respectu ipsius *esse*, quod est proximius, & intimius nostro modo concipiendi, & quia ratio effectibilis coincidit cum ratione entis per participationem, ut modò suppono ex metaphysicis, & patet ex D. Tho. hic ar. 4; argoere quoad hoc prædicatum effectibilitatis ab *esse* realiter distincto ad *esse* virtualiter tantùm distinctum, vel non explicatum, est de subjecto non supponente. §. Quod poterat aliqualiter explicari ex eodem Angelico infrà q. 42. ar. 4. ad 1. ubi licèt ex D. Hilario lib. 9. de Trinitate admittat (cautè tamen id pronunciandum esse monet M. Porrecta ibid. §. not.) Patrem authoritate donantis majorem esse Filio, non tamen per hoc subtrahitur ab æqualitate cum Patre, aut dicitur minor illo, quia unum & idem esse donatur illi, unde si semel minoritas verificaretur de Filio, videretur retorquenda in Patrem, quod est implicatorium &c.

Ex his etiam videtur posse retorqueri instantiam sic. Nam per adversarios hæc est bona consequentia. Existentia realiter distincta ab essentia est realiter causata, aut effectibilis, vel ab exteriori principio, vel ex intrinsecis essentiæ, ergo virtualiter distincta erit effectibilis, vel causata virtualiter; ergo hæc etiam erit bona; essentia realiter distincta à sui existentia est de linea realiter causabilis, vel effectibilis, saltem ab exteriori principio, cùm sit de linea creaturæ, & consequenter ponibilis à parte rei, vel deducibilis ad statum præsentiæ, vel productionis, ergo etiam essentia virtualiter distincta ab existentia erit de linea virtualiter causabilis, vel effectibilis à principio saltem exteriori, & ita essentia divina semel virtualiter distincta erit de hac linea, quod tamen nullus legitimè opponet nostræ sententiæ; sicut ergo essentia ob eandem summam identitatem in re cum sui existentia, & præcisa distinctione virtuali, vel non explicatione nunquam extrahitur, nec extrahi potest cum fundamento à linea entis per essentiam, sive incausabilis, tam realiter, quam virtualiter, ita nec extrahi poterit existentia solum distincta virtualiter, vel non explicata, &c.

In forma verò admisso discursu D. Tho.; ad rationem factam nego consequent., vel suppositum ejus, ut dictum est. Ad ejus autem probationem desumptam ex causali D. Tho. vel nego iterum suppositum consequent., vel dist. & non est virtualiter, virtualitate exclusiva, & potentiali, ut contingit inter gradus metaphysicos in nobis, concedo, purè non explicativa, nec opposita puritati actus in se, imò nec conceptui actus puri, ut dictum est, nego; nam aliàs etiam arguenda esset effectibilitas, vel causabilitas in attributis divinis; quidquid sit quòd respectu istorum non importetur in essentia superior contradictio de prius esse, antequam esset. §. Præterquam quòd videtur adhuc salvari posse respectu existentiæ, esto daretur virtualiter emanare, ut consentit Illustrss. Godoy, quia cum sit virtualitas conjuncta summæ identitati in re per exclusionem cujuscunque potentialitatis, tam physicè, quàm metaphysicè, aut logicè ut dictum est, non admittit prioritatem in quo, sed tantùm à quo, unde in nullo signo verificari potest etiam rationis, quòd essentia sit, & existentia non sit, & consequenter nec quòd essentia sit, antequam sit etiam antecedentia causalitatis, vel effectionis, & non solùm durationis, nisi velimus hujusmodi divina coincidere cum

crea-

creaturis si essent ab æterno productæ. Unde virtualis hæc emanatio magis est conditionalis, quàm absoluta, id est ad hunc sensum, quod si esse divinum haberet aliquam causam, vel radicem suæ emanationis, esset intrinseca, sive essentia (ab extrinseco enim, utpotè primum *esse* impossibile est posse concipi esse ab alio) sicut similiter dicimus de æternitate respectu immutabilitatis, (& sic de aliis, ut in simili dictum est etiam de proprietatibus entis rationis) quòd si æternitas haberet aliquam causam, vel radicem essendi, esset immutabilitas; unde dicitur hæc causa virtualis, sive ratio à priori, veluti formalis essendi, vel illativa illius, & hoc modo etiam proportionabiliter essentia divina, utpotè summè actualis actualitate essentiæ esset, velut ratio proprii esse, sed quia est summè idem in re, ut dictum est, nequit in se ipsa admittere prioritatem essendi, antequàm sit.

2. Arg. ex eodem, & aliis, (& est etiam replica contra præcedētē doctrinā) si essentia divina virtualiter, seu constitutivè metaphysicè distingueretur ab existentia, sequitur, quòd existentia esset simpliciter perfectior essentiā divinā quoad rationem explicitam essentiæ; hoc nequit dici, ergo non sic distinguitur, nec potest existentia esse effectus illius, etiam virtualiter emanativè; utraque conf. tenet, posterior quidem, quia quod emanat effectivè ab aliqua causa, debet in illa radicaliter actu præcontineri, ac proinde nequit esse illā simpliciter perfectius, qua ratione nulla proprietas sive physica, sive metaphysica est simpliciter perfectior essentia, à qua emanat, prima verò ex præmissis; min. etiam constat; quia essentia divina ex proprio sui conceptu objectivo, utpotè radix omnium divinorum, & consequenter Pelagus infinitum essendi, est summè infinitè perfecta, ergò nequit dari alius conceptus simpliciter perfectior; Ma. verò prob. ex D. Tho. q. 7. de potentia art. 2. ad 9. ubi ait; *Hoc, quod dico esse inter omnia perfectissimum, quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia, qualibet autem forma signata non intelligitur in actu nisi per hoc, quod esse ponitur, nam humanitas, vel igneitas potest considerari ut in potentia materiæ existens, vel in virtute agentis, aut etiam in intellectu, sed per hoc quod habet esse efficitur actu existens, unde patet, quod hoc, quod dico esse, est actualitas omnium actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum*; ergò ex D. Tho. existentia ex sua ratione formali est perfectior quacunque alia perfectione, & natura, adeoque etiam essentia divina, si ab ea distingueretur §. 2. prob. ratione insinuata à D. Tho. Actus est perfectior eo, cujus est actus, eo modo quo est actus, si actus secundùm quid, putà accidentalis, est perfectior secundùm quid, si actus simpliciter, est perfectior simpliciter, sed supposito quòd existentia Dei distinguitur virtualiter ab essentia, esset actus simpliciter illius, ergo constitueret illam in actu essendi substantiali, adeoque simpliciter, ergo esset simpliciter illa perfectior. §. 3. Denique quia existentia creata est simpliciter perfectior excessu reali essentia creata, à qua realiter distinguitur, ergo existentia divina erit simpliciter perfectior excessu virtuali, si ab ea virtualiter distinguitur; Ant. licet negent aliqui Thomistæ, tamen insigniores illud defendunt, Caiet., Ferrara, Serra, & alii; id: ue etiam testatur se tenere M. Lemos tom. 1. d. sertat. theologicarum tract. 2. cap. 9. tanquam sententiam D. Tho., & meritò, quia non solùm loco relato, qui est clarissimus, sed etiam D. Dionys. cap. 1. de divinis hominibus expressè cum eodem docet, & probat, quòd Deus convenienter principalius præ aliis nominibus laudatur sicut existens, quasi ex digniori nominū suorum, quia scil. Deus nominatur à nobis ex suis effectibus, & inter effectus Dei, quod est principalius, & dignius, est ipsum esse; unde hoc nomen *Qui est* principalius tribuitur Deo juxta illud exod. *Qui est misit me ad vos*: Consequentia verò superior prob.; eundem ordinem perfectionis servant virtualiter aliquæ formalitates in Deo, in quo virtualiter distinguntur, quem habent realiter creaturæ, in quo distinguntur realiter, ut patet de intellectu, & voluntate, ergo. §. Rursus ideò existentia creata est simpliciter perfectior essentia creata, quia est simpliciter actualior, eò quòd est ultimus actus illius in propria linea essendi, sed totum hoc haberet existentia divina respectu divinæ essentiæ, si ab ea virtualiter distingueretur, ergò, &c.

Quòd si dicas in favorem superioris doctrinæ, & modi dicendi, quòd licet divina essentia virtualiter distinguatur ab existentia, quia tamen illam radicat, & virtualiter præcontinet, non est necesse quòd ab illa simpliciter perficiatur, unde ma. argumenti solùm verificari potest de existentia, quæ omninò ab extrinseco advenit essentiæ, hæc enim cum supponat essentiam in potentia ad se ipsam, & à se impotentem reduci ad conjunctionem cum seipsa, simpliciter excedit illam in perfectione, non tamen de illa, quæ actu implicitè continetur in essentia tanquam in actualitate purissima, & oritur ab illa, ut contingit in casu, &c.

Contra hoc instat; quia licet contineatur actu implicitè, non tamen explicitè, ut dicit solutio, ergo quoad explicitum existentia divina esset perfectior ratione explicita essentiæ, sicut quia existentia creata realiter distinguitur ab essentia creata non continetur actu in actualitate essentiæ creatæ, & est ea realiter perfectior, & sicut essentia creata non est realiter actus purus in linea essentiæ, quia realiter distinguitur ab actuali existētia creata, pariter essentia divina, quia explicitè distinguitur ab actuali existentia divina non erit explicitè actus purus in linea essentiæ, &c.

Ad hoc dico in primis, quòd in eo, quod assumit, & urget paritatem ab essentia, & existentia creata ad divinam, videtur solvendum in opposita sententia, quia ut vidimus, idem Eminentiss. ad solvendam eandem paritatem prout assumitur à nostris ad probandum, quòd sicut in creatis existentia est terminus, & supponit naturam, pariter erit, & supponet in divinis.

Resp. non esse eodem modo regulandam divinam, sicut creatam, sicut nec eodem modo esse regulandam relationem divinam, sicut creatam, ergo nec erit eodem modo regulanda essentia, & existentia divina, sicut creata quoad prædicatum perfectionis; quia si semel ob infinitum excessum divinæ supra creatam contendunt divinam non teneri ad conditionem creatæ in prædicato termini, vel debito supponendi naturam constitotam, nec pariter tenebitur ad conditionem illius in prædic-

prædicato perfectionis, cum utrobique sit summa identitas in re, nec aliàs sit debitum explicandi, ut dictum est; & statim iterùm dicemus; salva puritate actus &c.

Sed deinde ex dictis, & ex D.Thom. ubi suprà adhuc in favorem utriusque modi dicendi, quòd oriatur scil., vel non oriatur, sed summè indentificetur, salva distinctione tamen virtuali, resp. quòd pura non explicatio non arguit in essentia defectum, nec in existentia excessum perfectionis etiam in conceptu explicito, nisi fortè purè dialecticum, ut dictum est; tum quia ut expressè tradit D. Tho.q.1.relata depotentia ar.1.ad 2., licèt omne perfectissimum sit Deo attribuendum, non tamen opportet, quòd omne illud, quod Deo tribuitur sit perfectissimum, (scil. explicativè,) sed opportet, quòd sit conveniens ad designationem perfectissimi, & hoc quidem habet essentia divina, eo ipso quòd est summè actualis actualitate essentiæ, quia prout sic formaliter habet, quòd sit radicaliter sibi ratio essendi juxtà alterum modum; vel quòd ex propriis sibi summè identificet independenter à quocunque extrinceco propriam existentiam, & hoc etiam habet formaliter, & explicativè, & quia in hoc utroque conceptu relucet fons totius esse, licet istud non explicetur quasi in recto, vel per modum prædicati constitutivi ex vi ejusdem indivisibilis conceptus objectivi essentiæ, quia tamen venit ex vi illius, vel summè identicè radicatum, vel summè identificatum, nullus potest esse recessus in eodem conceptu ab illo perfectionis, neque excessus supra illum in altero existentiæ, nisi fortè dialecticus, ut explicatum est; quatenus ex nostro modo concipiendi concipitur existentia, ut ulterior expressio ejusdē in re actualitatis non explicatæ indivisibiliter ex vi conceptus essentiæ, habitæ tamen ex vi illius, ut radicatæ, vel summè identificatæ cum illo, &c.

In forma ergò, vel nego suppositum ma., quòd pura nun explicatio, ubi est summa identitas habita formaliter, vel ex propriis, arguat defectum, vel excessum in extremis sic identificatis; vel disting., esset perfectior purè dialecticè transeat, vel concedo, logicè, vel physicè, aut metaphysicè nego. Et per hæc etiam patet ad probationes, nam licet dicamus existentiam esse simpliciter perfectiorem essentia semel potentiali physicè, aut metaphysicè, secùs tamen quæ est summè actualis, ut dictum est, actualitate essentiæ, sic enim cum ex propriis vel eam radicet, vel sibi summè identificet, nullum potest pati in proprio conceptu defectum perfectionis, nam quamvis non exprimat ex vi illius hanc ultimam actualitatem tanquam sui differentiam (cum revera ad sui lineam quasi athomā non pertineat ut dictum est, sed magis sit terminus illius,) quia tamen formaliter exprimit, vel esse radicem ejus, vel meritum sibi summè in re illa identificandi, nullum exprimit recessum à perfectione, licet non exprimat omnem perfectionem, quod tamen non est, ut vidimus ex D.Tho., necessarium, sed satis est quòd ex propria ratione formali postulet omnem sibi summè identificatam, & maximè proprium esse, nam prout sic excludit ex eadem omnem potentialitatem etiam logicam adhuc à concepto sui explicito, eum non teneatur ulteriùs exprimere, sed solùm eam lineam naturæ, vel gradus, nec aliàs teneamur invertere rationes formales extremorum, ubi nullū est præjudiciū ex sola non explicatione, cum sit aliquid purè dialecticum, & præcipuè non existente debito explicandi, ut probavimus in casu, &c.

Ex his etiam patet ad replicam contra solutionem datā in favorē alterius modi dicendi; nam eadem admissa nego in primis suppositum ant. rigorosè, vel in proprietate loquendo, quia pura non explicatio non opponitur continentiæ, nec dicitur correllativè ad negationem ejus; (hæc enim propriè arguit potentialitatem, vel defectum perfectionis,) sed ad negationem expressionis, quæ ut dictum est, est aliquid purè dialecticum non præjudicans actualitati puræ ipsius conceptus; vel dato eodem distinguo conseq., erit perfectior purè dialecticè transeat, vel concedo, logicè, vel physicè, aut metaphysicè nego, &c.

§. V.

Statuitur secunda Conclusio resolutiva quæsiti.

Essentia divina sub conceptu, vel expressione essentiæ constituitur metaphysicè per rationem substātiæ summè immaterialis, sub illa verò naturæ per intelligere sumptum per modum gradus, non per modum intellectionis, sivè per esse intellectivam non actualiter, sed radicaliter intellectione comprehensiva Dei. Conclusivo supponit priorem illam distinctionem de essentia sub utroque conceptu, quam insinuat D. Tho. infra q.39. art. 2. ad 3. ubi ait, quòd natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, id est sub conceptu essentiæ dicitur per ordinem adesse, sub illo verò naturæ per ordinem ad operationē, non quia importent distinctas virtualitates, ut constabit infra contra Corneyo, sed solam diversitatem munerum sufficienter ad assignandum distinctum metaphysicè constitutivum, ut in simili diximus in primo de anima, de qua duplex pariter assignatur ibi definitio secundùm diversam habitudinem, scil. ad corpus, cujus est forma, & ad operationem, cujus est principium. Præcipua autem difficultas est circa secundam partem, nam pro utroq; extremo militant gravissimi Thomistæ, pro intelligere scil. actuali M. Jo. à S. Tho., Gonzales, Gonet, Salmatic., & alii; pro radicali verò Capreol., Caiet., Illustrissimus Godoy, M. Ferre, Eminentissimus Ferrarius, & alii.

Prob. ergò, quoad 1. part. de natura sub expressione essentiæ. Per illud constituitur sub hac expressione, per quod constituitur radix attributorum Dei, sed hoc habet ex prædicato substantiæ summè immaterialis, ergò per istud constituitur sub ratione essentiæ; ma. est certa quia conceptus qoiditativus cujuscunq; essentiæ est esse radicem suarum proprietatum, vel attributorum; min. autem prob. quia primum attributum divinæ essentiæ est scientia, sive esse summè cognoscitivum, vel intellectivum sumptum pro potentia proxima cognoscendi, vel intelligendi, sed hoc habet ex ratione substantiæ summè immaterialis, ut ostenditur infra q. 14. ergo ex eadem habet, quòd sit radix omnium

nium; ma. iterùm conſtabit ibid. & patet, quia eſt primum prædicatum perfectiſſimum de linea conſecuti reſpectu entis perfectiſſimi; conſequentia verò etiam tenet, quia id, per quod eſſentia habet eſſe radicem primi attributi, habet eſſe radicem omnium, ut patet inductivè, ergo, &c.

Dices, quòd cum ratio ſubſtantiæ ſummè immaterialis tranſcendat omnia divina, ſcil. eſſentiam, attributa, & relationes, non poteſt comparari ut radix, aut prædicatum quaſi de linea ſpecifica, aut graduali, nam cum in Deo nullum ſit accidens, nec ulla omoinò potentialitas, ut dictum eſt etiam logicæ, neceſſe eſt, quòd omnia ſint ſubſtantia ſummè immaterialis, ſive recedens à quacunq; materia tam phyſica, quàm metaphyſica, & logica, ſive indifferentia objectiva, &c.

Sed contra hoc eſt. Quia licet omnia divina, ex vi propriæ lineæ, vel explicitè, utpotè actus purus ſint formaliter, & explicitè ſummè immaterialis, non tamen ſubſtantia, ſed tantùm materialiter, & identicè, vel implicitè, ſcil. ratione eſſentiæ realiter, & implicitè identificatæ, ergo formaliter loquendo, ut modo loquimur, non tranſcendit, ſed verè poteſt concipi ut radix, vel ratio à priori aliorũ; prob. ant. quia miſericordia, & ſic de aliis; non minùs ex quo divina ſunt, ſunt aliquid infinitum, quàm ſint ſubſtantia, ſed nihilominùs ex vi propriæ lineæ, vel explicitè præſcindunt ab eſſe infinitam, vel finitam ſimpliciter in toto genere entis, aliàs eſſent determinatè ex vi illius, & explicitè finita, vel infinita ſimpliciter in illo, quod eſt falſum cum in creatis ſint quid finitum, ergo ex vi ejuſdem, & explicitè præſcindunt à ratione ſubſtantiæ, & accidentis aliàs ſimiliter eſſent determinatè ſubſtantia, vel accidens ex vi illius, quod iterum eſt falſum, cum in creatis ſint accidens, &c. Unde eadem ex vi propriæ lineæ importat ſolùm vim infinitam per modum actus puriſſimi in linea miſerendi, & ſic de aliis. §. Præterquam quòd ſi teneremus rationẽ ſubſtantiæ ſummè immaterialis eſſe omninò indiſtinctam etiam virtualiter ab ultimo actu in linea eſſendi, ſcil. exiſtentia, tune faciliùs ſubtrahitur ab eadem tranſcendentia, & ſolùm divinæ eſſentiæ formaliter convenire poteſt, cum attributa, & relationes non primario, & per ſe, ſed ratione impliciti, & eſſentiæ quaſi ſecundariò exiſtant, quia ſoli eſſentiæ primò, & per ſe immediatè correſpondet exiſtentia ut proprius ejus actus, vel terminus; unde D. Tho. q. 8. de potentia art. 2. ad 11. *In divinis*, inquit, *nullo modo eſt eſſe, niſi eſſentiæ, ſicut nec intelligere, niſi intellectus, & propter hoc, ſicut in Deo eſt unum tantùm intelligere, ita etiam unum eſt eſſe.*

Deinde prob. concl. quoad 2. p. quòd non intelligere actuale, ſed radicale, ſcil. intellectivum completum, vel perfectum per modum gradus ſit conſtitutivum divinæ eſſentiæ ſub expreſſione naturæ, & primò ex D. Tho. infra q. 26. art. 2. ubi poſtquam in corp. concludit Deum eſſe beatum per intellectionem, ſicut qualibet natura intellectualis per intellectionem beata eſt, in ſolutione ad primum, ait, quòd Deus eſt beatus ſecundùm ſuam eſſentiam, non autem ei convenit beatitudo ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectus, ubi apertè diſtinguit inter rationem eſſentię, & rationem intellectus, vel intellectionis, ita ut intellectio ſecundùm quàm dicit eſſe beatum, non conveniat ei ſecundùm rationem eſſentiæ, ſicut nec ſecundùm iſtam convenit ei beatitudo, ergo juxta D. Tho. intelligere actuale ſupponit rationẽ eſſentiæ, ſive eſſentiã jam conſtitutã, aliàs beatitudo habita per intellectionẽ conveniret ei ſecundũ rationẽ eſſentię; (ſi ſemel intellectio eſſet conſtitutiva iſtius,) quod tamẽ negat D. Tho. Similiter q. 1. de potentia art. 1. ad 1. inquit; eſt autẽ de ratione operationis habere principiũ, non de ratione eſſentiæ, unde licet eſſentia divina non habeat aliquod principiũ, neq; re, neq; ratione, tamen operatio divina habet aliquod principiũ ſecundùm rationem, ergo juxta D. Tho. intelligere divinum ſumptum pro actualitate ultima totius lineæ intellectivæ, ſcil. pro operatione non pertinet ad lineam naturæ, ut à nobis metaphyſicè concipitur tanquam radix, ſeù de linea primi non ſupponentis aliud primum ſub hac expreſſione.

Ex quibus prob. ratione, primò ſic: & quidem quòd ſit intellectivum patet, quia prout ſic debet conſtitui per eſſe operativum operatione primaria vitæ perfectiſſimæ juxta conditionem naturæ, ſcil. divinæ, vel perfectiſſimæ; conſtat autẽ vitam perfectiſſimam eſſe de linea ſupremi gradus, nempe *intellectivi*: quòd verò non ſit actuale, probatur. Conceptus naturæ ſub hac expreſſione, ut metaphyſicè concipitur intra forum operativum, eſt conceptus primi non ſupponentis aliud primum, ſed intelligere ſumptum pro operatione non eſt hujuſmodi etiam in Deo, ſed ſupponit primum noſtro modo concipiendi ſaltem ratione, licet non in re, ergo non conſtituit naturam, ſed magis ſupponit conſtitutam; ma. ſupponitur ex metaphyſicis, & ex his quæ traduntur in ſecundo phyſici: min. verò traditur à D. Tho. locis proximè relatis, & præterea conſtat, quia ſicut natura metaphyſicè, vel ex terminis naturæ, eſt primum in ſua linea, ità operatio eſt ſecundum, vel ultimum, in quo conſumatur tota linea operativa, ergo ſicut conceptus naturæ non habet ſupponere, operatio ex oppoſito habebit ſupponere, & conſequẽter etiã intelligere ſumptũ pro operatione, &c.

Urgetur hoc. Nam quia natura ex terminis eſt primum in hac linea, repugnat cõcipi à nobis cum fundamento in re per modum ſecundi ſupponentis primum, ergo quia operatio eſt ultimum, vel ſecundum repugnabit concipi à nobis cum fundamento de linea primi non ſupponentis primum. Explicatur, & urgetur ulterius ex doctrina adverſariorum præcipuè M. Jo. à S. Tho. qui ut vidimus ſupra, ex eo contendit habitum Theologiæ non poſſe eſſe entitativè ſupernaturalem, quia cum habitus ſit de linea primi, & ſupernaturalitas ſi ſemel eſt de hac linea eſt de linea per ſe infuſi, id eſt non ſupponentis principium acquiſitivũ in nobis, non poſſet eſſe de oppoſita per ſe acquiſibilis, ſivè ſupponentis principium acquiſitivum, ut communiter ponitur à Thomiſtis, ſed neceſſariò eſſet per ſe infuſus; unde argumentor ſic.

Quia ſupernaturalitas ſemel per modum primi in qualitate, vel ente creato, eſt per ſe non ſupponens principium acquiſitivum, & acquiſibilitas in illo eſt per ſe ſupponens illud, repugnat illam concipi, ut ſupponentem, & hanc ut non ſupponentem, qua ratione; ut dictum eſt, contendunt habitum Theologiæ, ut potè de linea primi, ſemel

[illegible] naturam non posse acquisibilem, sed magis per se infusum, vel non supponentem tale principium; & semel acquisibilem, ut fatemur omnes, omninò supponere illud, vel non posse esse per se infusum, ergo pariter, quia natura ex terminis est per se de linea primi, vel non supponentis principium, & intellectus, vel operatio est de linea secundi, sive supponentis illud, repugnabit illam concipi ut supponentem, & istam ut non supponentem, & consequenter ut constitutivam naturæ, vel de linea essentiali, &c.

Dices primò ex M. Gonzales disp. 36. relata concl. 3. & 5., actum intelligendi posse dupliciter sumi, vel per modum actionis, vel per modum ultimæ actualitatis, & gradus; & licet priori modo, utpotè spectans ad lineam secundi, constituere non possit, bene tamen posteriori, quatenùs importat intelligere per se subsistens. §. Sed contra hoc est. Quia semel admisso intellectionem habere rationem actionis repugnat simul esse intellectualitatem per modum gradus, sive constitutivam naturæ, ergò nequit se habere, ut intelligere subsistens constitutivum illius, prob. ant., intellectualitas per modum gradus est principiū, à quo egreditur actio, sed repugnat eandem virtualiter actualitatem simul esse egressionem à principio, & principium à quo egressionis, aliàs idem omninò tam formaliter, quàm virtualiter esset principium sui, quod implicat, ergo semel admissa in intellectione divina vera ratione actionis sub nullo sui conceptu potest intelligi constitutiva naturæ, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam conceptus ultimæ actualitatis in actione divina, vel antecedit conceptum actionis, vel subsequitur ad illum; si primum jam non pertinet ad lineam actionis, sed principii, cum actio immediatè egrediatur à principio, quod omninò importat virtualitatem distinctam ab actione, unde nequit tunc verificari, quòd ead. virtualitas actionis sub aliquo sui conceptu constituat, sed magis actualitas virtualiter distincta; si verò secundum; patet etiam prout sic non posse constituere: nam si actio sub priori conceptu actionis non constituit, sed supponit naturam, vel principium sui jam constitutum, cum egrediatur ab illo, à fortiori supponet jam constitutum sub posteriori supponente priorem, ergò sub nullo erit constitutiva, &c.

Explicatur, & urgetur ulteriùs. Nam intellectio, vel actio divina cum non sit accidens, omninò adæquatur per conceptum *Ab*, quia hoc remoto nihil restat, quod pertineat ad lineam actionis, ergò omnis ejus actualitas pertinet ad hunc conceptum, ergo omnis supponit principium, vel naturam constitutam, prob. hæc consequentia, quia conceptus *Ab* adæquatè sumptus, utpotè ab alio, supponit principium à quo egressionis, ut patet ex terminis. §. Ex quo absolutè inferimus, quòd si sub priori conceptu *Ab*, sive sub conceptu actionis non constituit, sub nullo amplius constituere potest, quia conceptus *Ab* in actione est primus, ergo quod actio supponit sub isto, tenetur supponere sub omni, cum id quod antecedit primum à fortiori antecedit omnem supponentem primum, &c.

Secundò etiam principaliter impugnatur, evertendo præcipuum ejus fundamentum & omnium, qui admittunt veram rationem actionis in intellectione divina, quam aliàs tenemur admittere, ut constabit infra; unde argumentor sic. Admissa vera ratione actionis in intellectione divina aptiùs assignatur pro constitutivo naturæ actualitas præcedens, & virtualiter distincta ab illa actionis, quam eadem actionis sub quocunque sui conceptu, ergo sub nullo tenemur eam assignare ut constitutivum, prob. ant., quia eadem admissa in assignando virtualiter distinctam, nullū infertur inconveniens, aut repugnantia sicut infertur, ut probatum est; in assignando virtualiter identificatā, ergo aptiùs assignatur præcedens, prob. ant., quia præcipuum, aut totum inconveniens esset, quòd actualitas antecedens, & virtualiter distincta deberet concipi, ut potentialis, & determinabilis per actum secundum, sive per ulteriorem distinctam, sed admissa vera ratione actionis, non potest nobis opponi hoc inconveniens, argo; ma. patet ex eodem authore concl. 6. est enim fundamentum illius; min. verò prob. quia eadem admissa tenetur pariter admittere principium virtuale, à quo egrediatur non constitutum per illam sub ratione actionis, ergo tenetur etiam supponere, quòd in actualitate illius principii sic virtualiter distincta, & constitutiva naturæ nulla possit concipi cum fundamento potentialitas, aut determinabilitas illativa illius, prob. consequen., quia si posset semel concipi cum fundamento, non posset admitti hoc virtuale principium respectu actionis, ut actio est, cum prout sic verè concipiatur, ut determinabile per illam tanquam per actum secundum saltem virtualiter, & omnis potentialitas etiam concepta præcipuè cum fundamento, vel objectiva, à Deo actu objectivè purissimo sit releganda, ergo signum est posse salvari hanc actualitatem virtualiter distinctam sine omni imperfectione potentialitatis, ut etiam constat ex dictis, ut potè spectantem ad diversam lineam, in qua non tenetur explicare, &c.

Alii ergo aliter rationi factæ respondent negando veram rationem actionis in intellectione divina, sicut universaliter negant in Deo ad intrà, licèt in illo admittant ad extra, quæ naturam non constituat, sed supponat constitutam tanquam principium suæ egressionis; unde dicunt intelligere actuale solùm esse actionem, vel operationem dialecticè, vel grammaticaliter, sive ex modo concipiendi, & significandi, quia concipitur, & significatur ad modum actionis, & per speciem actionis creatæ quæ actio est; non verè, & propriè, vel objectivè; sic enim tantùm habet rationem actus purissimi, seu formæ perfectissimæ ex se subsistentis, ex quo solùm inferri poterat non constitui per intellectionem ex modo concipiendi, & significandi, non tamen, quòd objectivè non constituatur per illam &c.

Sed contra hoc est, & in primis hæc solutio videtur esse contra D. Tho. in 1. cont. Gent. cap. 10. ubi versùs finem inquit, *quòd intellectus, & voluntas in Deo non sunt ut potentiæ, sed ut actiones*; ex quo sic arguitur. Eo modo D. Tho. affirmat in intellectu, & voluntate Dei rationem actionis, quo negat rationem potentiæ, cùm loquatur contrapositivè, at non negat, nec negari potest ratio potentiæ ex parte modi concipiendi, vel significandi, ut patet, cùm prout sic nulla imponatur imperfectio ex parte objecti, sed præcisè ex

ex parte concipientis, ergo non tantùm ex modo concipiendi, vel significandi affirmat rationem actionis, ſed etiam ex parte rei conceptæ, vel objectivè &c.

Dices ita eſſe; quòd affirmat rationem actionis, ſed in ordine ad extra, ſcil. comparativè ad factum; vel ſi ad intrà, in ordine ad terminum, non ut ſiſtunt intellectio, & volitio in pura linea abſoluta, quod videtur apertè colligi ex litera; nam ſicut reſpectu illarum prout ſic negat rationem principii in intellectu, & voluntate, conſequenter etiam negat rationem actionis, & ſicut ſolùm admittit tunc rationem potentiæ ſecundùm modum intelligendi, ita pariter rationem actionis, ut legenti textum conſtare poterit. Ait namque: *Quia verò nihil eſt ſui ipſius principium, cum divina ratio non ſit aliud, quàm ejus potentia, manifeſtum eſt, quòd potentia non dicitur in Deo, ſicut principium actionis, ſed ſicut principium facti. Et quia potentia reſpectum ad alterum importat in ratione principii; (eſt enim potentia activa principium agendi in aliud, ut patet per Philoſoph. in 5. Metaphyſ.) manifeſtum eſt, quòd potentia dicitur de Deo per reſpectum ad facta ſecundùm rei veritatem, non per reſpectum ad actionem, niſi ſecundùm modum intelligendi.* Conſtat enim quòd non poteſt poni ratio actionis, niſi ſecundò quòd reſpectu illius ponitur ratio principii, cum actio ſit egreſſus à principio, unde ſi reſpectu illarum, ut ſiſtunt in ſe, vel in linea abſoluta non ponitur ratio principii niſi ſecundùm modum intelligendi, nec etiam poni debet ratio actionis juxtà D. Tho., niſi ſecundùm hunc modum, & ſolum dici poterunt vera actio, quatenus ſunt vera productio effectus ad extra, vel termini, aut perſonæ ad intrà, quia cum prout ſic, ſint quid notionale important aliquid diſtinctum ab abſoluto, vi cujus intelligi poſſunt, ut verus proceſſus ab alio in alium, & ſic habere poſſunt veram rationem actionis, quod in linea abſoluta non contingit, cum in hac linea nihil producant, neque aliquid ſuperaddant ad ultimam actualitatem ſuæ lineæ, ratione cujus intelligi poſſint, ut aliquid egrediens, &c.

Sed contrà hoc eſt, & in primis quod attinet ad authoritatem D. Tho. dicemus infrà in ſolutionibus, ſolum advertendo pro nunc, quòd non excludit ibi omnem rationem principii ex parte rei conceptæ, ſed tantùm ſecundùm rem, vel præcisè reſpectu intellectus, & voluntatis, de quo eſt difficultas etiam inter auctores noſtræ ſententiæ, alios affirmantes eſſe eandem virtualitatem cum intellectione, & volitione, alios verò negantes, cæterum reſpectu naturæ negari non poteſt etiam ab adverſariis, cum divina volitio, ut potè diverſæ lineæ; virtualiter diſtinguatur à natura, ut ſuppono in communi ſententia Thomiſtarum, unde non poteſt non habere virtuale principium, excludendo tantum reale. §. Deindè impugnatur ſolutio; nam intelligere, & velle etiam ut ſiſtunt, in linea abſoluta ſunt verè, & propriè in Deo exercitium vitale, cum vere, & propriè Deus vivat intelligendo, & volendo, ſed vivere in actu ſecundo eſt verè, & propriè operari, ſeù agere, & non eſſe in otio, ergo verè ſunt de linea actionis, &c.

Dices vere eſſe exercitium vitale, ſed tamen verè ſimul ſubſiſtens, & ideò non poſſe induere veram rationem actionis. §. Sed contrà hoc eſt. Nam etiam relatio divina eſt verè ſubſiſtens, & tamen adhuc verè habet rationem relationis, vel conceptum *Ad*, ergo pariter divina intellectio vere poterit habere rationem actionis, vel conceptum actionis, aut conceptum *Ab*, licet ſubſiſtens ſit. §. Et idem argumentum fit de ſcientia actuali, quam iſti ponunt eſſe attributum Dei, & de volitiune divina, quam etiam diſtinguimus omnes virtualiter à natura; nam utraque pariter ſubſiſtens eſt, & tamen ſi velimus eſſe attributum, verè intelligimus egredi virtuali egreſſu ab illa, & conſequenter veram habere rationem actionis, ergo ratio ſubſiſtentis non obſtat. §. Deindè quia non ſtat verè eſſe exercitium vitale, niſi verè ſit actus vitalis, ſive actualitas ſecunda, vel ultima in linea operativa, ſed de conceptu eſſentiali actus vitalis eſt, quòd procedat à principio intrinſeco vivente, per hoc enim, ut dicimus infrà; diſtinguitur à principio proximo vitali, quòd iſtud non eſt neceſſarium, quòd procedat à radicali, ſed ſatis eſt, quòd intrinſecè recipiatur, & ſit participatio Dei, ut vivens eſt, vita v. g. intellectuali, ut patet in lumine gloriæ; ſecus autem de actu, & ratio utriuſque eſt, quia de ratione principii proximi non eſt, quòd potentia conſtituatur ſe movens per illud, ſed tantùm proximè potens ſe movere: poteſt autem ſic conſtitui per qualitatem tantum receptam licet non egredientem à radicali; cæterum de ratione actus vitalis eſt, quòd per illum actu ſe moveat, non poteſt autem ſe movere per actum à ſe non productum, vel egredientem, qua ratione communiter jam fatemur, non poſſe intellectum intelligere per intellectionem à ſolo Deo productam, & paſſivè tantùm in illo receptam, quia actu vivere eſt actu ſe movere, ergo idem exercitium eſt verè, vel objectivè operatio, &c.

Dices quòd de ratione actus vitalis, ſeù hujus, quòd eſt vivere in actu ſecundo, ut abſtrahit à creato & increato, non eſt quòd vivens determinatè ſe moveat per illum tanquam per motum, vel actionem à ſe operativè productam, vel egredientem, (hoc enim ſolum convenire poteſt viventi creato, ut potè realiter diſtincto à ſua operatione, quam propterea cauſare poteſt), ſed quòd habeat à ſe motum, ſive per ſummam identitatem, ut contingit in Deo, ſive cauſatum, aut per influxum, ut in creatura, &c.

Sed contrà hoc eſt. Nam actus vitalis, ſeù vivere in actu ſecundo importat poſitivè exercitium vitæ etiam in Deo, ſed habere perfectionem præcisè per ſolam identitatem non importat hoc exercitium, ergo nequit in eu ſufficienter ſalvari actus vitalis, ma. eſt certa, & mi. prob.; Deus non ſulum habet à ſe per identitatem perfectiones, quæ ſunt de linea vitæ, ut intellectionem, volitionem &c. Sed tot alias, quæ non ſunt de hac linea, ut exiſtentiam, ſubſiſtentiam &c. & tamen per nullam ex his dicitur vivere in actu ſecundo, ergo in hoc, quòd eſt habere perfectionem à ſe per identitatem nequit præcisè conſiſtere conceptus vitæ in actu ſecundo, ſed tenetur aliquid ſuperaddere, ſcil. habere per motum egreſſu ſaltem virtuali, &c.

Explicatur hoc. Id quod eſt commune utrique extremo nequit eſſe diſcretivum unius ab alio, ſed

hoc

hoc, quod est habere à se per identitatem convenit Deo respectu utriusque perfectionis tam de linea vitæ, quam non; qua ratione communiter nos Thomistæ contendimus, & ostensum est in physicis non posse sufficienter salvari dependentiam causæ secundæ ad primam in linea operativa per hoc, quod est recepisse virtutem, & eam conservari à Deo, quia cum id conveniat cuilibet illarum, sive operanti, sive non, nequit esse discretivum, aut constitutivum dependentiæ in una linea præ alia, ergo nec habere præcisè à se per identitatem erit sufficiens ad salvandum conceptum vitæ in actu secundo, sed erit necessarium aliquid superadditum scil. habere causativè realiter ut in nobis, vel egressivè saltem virtualiter, ut in Deo; sicut necessarium est ad salvandam prædictam dependentiam superaddere aliquem actualem influxum Dei, ut communiter fatentur Theologi contra Durandum, & aliquem etiam ex parte causæ, ut in eisdem Physicis dicimus nos contra alios extra scholam D. Thomæ de quo tamen ibidem.

§. VI.

Aliis rationibus probatur eadem secunda pars.

SEcundò prob. concl. quoad eandem 2. p. Gratia habitualis est formalis participatio divinæ naturæ secundùm proprium, & formalem conceptum naturæ, scil. radicis, & principii divinarum operationum, & attributorum, cum sit radix in nobis videndi, & amandi Deum ut in se est, & virtutum infusarum charitatis, &c. At non est etiam formalis participatio divinæ intellectionis, ergo hæc non pertinet constitutivè ad formalem conceptum naturæ; min. est certa, quia præcisè fitit in conceptu radicis, aliàs deberet etiam identificari, aut confundi cum visione beata, &c.

Dices esse formalem participationem divinæ naturæ inadæquatè, quia cum hæc indivisibiliter, vel identicè virtualiter importet tria, quæ spectant ad genus intelligibile activum, scil. conceptum principii radicalis, proximi, vel intellectus, & actualis intellectionis, primum tantùm formaliter participat, est enim formalis quidem participatio ejus, sed deficiens, unde nec dicitur Deus in recto, sed in obliquo, scil. aliquid Dei, &c.

Sed contra hoc est; quia juxta D. Tho. de potentia ubi supra; de ratione essentiæ, vel naturæ, est non habere principium, nec re, nec ratione, ergo intelligere comprehendens illa tria nequit esse constitutivum naturæ, prob. consequentia, quia respectu intellectus, & intellectionis assignatur principiū saltè ratione; cōmuniter enim infra contra Durandum contendimus divinas processiones non esse immediatè à natura, sed mediante intellectu, & voluntate, ergo si de ratione naturæ est non habere principium, intelligere comprehendens illa tria non erit constitutivum illius.

Secundò quia intelligere comprehendens illa tria importat perfectiones ex suis rationibus formalibus diversas, ergo nequit illa sub eadem virtualitate comprehendere; consequentia tenet, quia quæ semel distinguntur ex suis rationibus formalibus, & non ex præcisa limitatione subjecti, etiam in Deo distinguntur, ut patet in intellectu, & voluntate, & sic de aliis, &c. Ant. verò prob. quia ut dicit naturam formaliter, & per se, importat rationem substantiæ, ut verò dicit intellectionem, vel intellectum præscindit ab esse determinatè substātiam, vel accidens, cum in creaturis sint accidentia, & in Deo ex eo quod sunt aliquod divinum, sunt materialiter substantia, ergò ex propriis important diversas rationes formales, &c.

Tertiò. Quia si non essent diversæ rationes formales, sed una, & eadem omninò virtualitas, non solùm gratia habitualis esset formalis participatio divinæ naturæ, sed etiam lumen gloriæ, & visio beata, imò perfectiùs; consequens non est in bona Theologia admittendum, ergo; prob. ma. quia visio beata est participatio ejusdem intelligere secundùm quod magis exprimit de actualitate, sive actualitatem ultimam totius lineæ intellectivę, & similiter lumen gloriæ utpote participatio principii proximi, propinquiùs accedit ad hanc ultimam, ergo non solùm erunt formales participationes naturæ, sed etiam perfectiùs, si semel idem intelligere indivisibiliter comprehendit, aut virtualiter illa tria, &c.

Quartò denique. Quia si intelligere divinum in constituendo naturam indivisibiliter importat illa tria, non stat semel dari formalem participationem naturæ, & non esse adæquatam illorum trium, ergo vel gratia non erit formalis participatio naturæ, vel erit adæquata omnium, aut si non est omnium, sed tantùm radicalis, istud solum erit constitutivum; prob. ant. nam quia Deus in ratione objecti beatifici, vel visionis indivisibiliter importat omnia divina, tam absoluta, quàm relativa, iterùm contendimus nos communiter Thomistæ, repugnare semel videri, & non videri adæquatè secundùm omnia, ergo &c. Alio etiam exemplo id declarat M. Ferre. Nam quia Trinitas divina est indivisibiliter, sive copulativè unitas trium, & non disjunctivè, si semel daretur formalis participatio Trinitatis, non posset esse inadæquata, scil. unitatis tantùm, vel Trinitatis tantùm, sed teneretur in una conjungere utrūq., ergo si pariter ratio differentialis, vel constitiva. naturę divinæ est intelligere divinum prout conjunctivè dicit illa tria, non stabit gratiam esse formalem participationem ejus, & non esse adæquatam participando conceptum radicis, intellectus, & intellectionis; vel si tantùm participat primum; signum est quòd alia duo non veniunt constitutivè in conceptu naturæ, sed virtualiter distinguntur ab illo, & solum radicale erit adæquatum constitutivum metaphisicū. §. Tandem poterat probari conclusio ut supra destruendo præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, nempè quod nulla inferatur potentialitas objectiva in Deo ex eo, quòd ponatur intellectivum per modum actus primi radicantis intellectionem; sed quia id sufficienter ostendimus in superioribus, præcipuè ex D. Tho. q. 1. de potentia art. 1. ad 2., ne eadem repetamus pertranseo, cum vel ibidem nulla arguatur imperfectio ex hoc, quòd ponamus ad intrà rationem productivi per modum actus primi radicantis productionem per modum actus secundi. §. Deindè etiam prob. alia ratione jam insinuata. Per id constituitur sub hac altera expressione naturæ, per quod

quod constituitur prima radix divinarum operationum, vel primæ, & perfectissimæ operationis divinæ, sed hoc est intelligere radicale, vel per modum gradus, ergo, ma. constat, quia in hoc formaliter consistit, ut dictum est, conceptus naturæ, quòd sit nempè prima radix operationum, vel prima, ad quam sequuntur cæteræ; & si natura sit perfectissima, primæ perfectissimæ qualis est intellectio comprehensiva Dei; min. verò prob., tum quia ut vidimus ex D. Tho. de ratione operationis est supponere principium saltem secundùm rationem, ergo ratio primæ radicis operandi debet esse de linea superiori, vel gradus, & consequenter de linea intellectivi radicalis non proximi. §. Tum quia, & simul prob. hæc posterior conseq.; prima, & perfectissima operatio in Deo est intellectio, vel comprehensio ad quam sequitur volitio, sicut voluntas ad intellectum, sive linea volitiva ad intellectivam, ut latè infrà de voluntate Dei, &c. sed respectu intellectionis, vel comprehensionis Dei non est aliud assignabile radicale principium, nisi intellectivum, utpotè omnium perfectissimum in linea vivendi, vel operandi, cui immediatè correspondet, sive intra eundem gradum vivendi, vel operandi, ergo, &c.

Explicatur hoc, & simul urgetur præcedens ratio. Si cum fundamento in re admitti potest in Deo ratio intellectivi radicalis virtualiter distincti ab actuali intellectione, est sufficiens ratio constituendi naturam divinam sub conceptu naturæ, sed potest admitti, ergo est constitutivum illius; ma. licet ab aliquibus negetur, videtur tamen manifesta, tum ex proximè dictis; tum quia ratio principii radicalis operandi ut sic est sufficiens ratio constituendi naturam ut sic, ergo ratio principii radicalis in determinata linea, vel divina, erit sufficiens ratio constituendi naturam in illa, vel divina; tum quia eo ipso, quòd admittitur idem conceptus principii radicalis virtualiter distincti ab actuali intellectione, debet iste, ut patet, esse prior, & supponi ad illam, ergo est sufficiens ratio constitutiva naturæ, cum primum prædicatum, quòd cum fundamento in re concipitur in Deo intra suum operativum sit constitutivum naturæ sub hoc conceptu, ut dictum est: min. verò, de qua est major difficultas iterùm prob. ex dictis; quia nullam arguit imperfectionem, sive potentialitatem, aut perfectibilitatem, nisi secundùm explicari, vel purè dialecticè, ut tradit D. Tho. proximè relatus de potentia; tum quia ut ex eodem ponderavimus ibidem ad primum; tenemur in linea operativa admittere actualitatem per modum principii non supponentis principium, nec re, nec ratione; & actualitatem supponentem illud saltem ratione, sed prior, ut patet, pertinet ad lineam radicalem; posterior ad proximam, vel ad actualem operationem, ergo cum fundamento in re possumus, imò tenemur in Deo admittere rationem intellectivi radicalis virtualiter distincti ab actuali intellectione, ut revera ponimus intra lineam productivi sine eadem perfectione: tum deinde quia, ut suppono etiam ex adversariis; admittitur cum fundamento in re radicale volitivum virtualiter distinctum ab actuali volitione sine omni imperfectione objectiva, ergo poterit sine omni pariter admitti intellectivum radicale virtualiter distinctum ab actuali intellectione; ant. est certum, quia velle Dei in communi sententia Thomistarum non pertinet ad constitutivum metaphysicum naturæ divinæ, unde eam metaphysicè supponit radicaliter volitivam; conseq. verò prob.; non minùs Deus est actus purissimus in linea volendi, quàm intelligendi, ergo si nihilominùs potest in illa admitti cum fundamento, & sine omni imperfectione utraq; ratio virtualiter distincta, poterit pariter in ista, &c.

Dices esse discrimen quòd linea volitiva, sive tam voluntas, quàm actualis volitio distinguuntur à linea volitivi radicalis, cum istud sit de linea intellectivi, nam volitivum radicatur in intellectivo; cæterùm tam intellectus, quàm actualis intellectio sunt de eadem linea, unde rectè possunt in eadem virtualitate convenire non supponendo distinctam per modū radicis § Sed contra hoc est; & in primis non desunt graves Thomistæ, inter quos Eminentiss. Ferrarius ubi supra, qui intellectivum radicale constituunt formaliter in linea essendi superaddito tantùm respectu, vel connotatione ad actualem intellectionem, ita ut sicut esse radicaliter volitivum idem est, ac esse formaliter intellectivū; cū radix voluntatis sit intellectus; ita esse radicaliter intellectivū est esse formaliter entitativū immateriale, quia in ipso esse immateriali fundatur intellectivitas, ut innuit D. Tho. infra q. 79. ar. 1. ad 4., ergo sicut esse radicaliter volitivū, etsi explicetur cū respectu ad volitionē, non tamē pertinet formaliter ad lineā volēdi, sed præsuppositivè se habet ut quid virtualiter distinctū ab illa, ita esse radicaliter intellectivū, etsi explicetur cū respectu ad intellectionē, non tamē pertinebit formaliter ad lineam intelligendi, sed præsuppositivè se habebit, ut quid virtualiter ab illa distinctum; cum linea essendi distinguatur à linea proximè operandi, in creaturis quidem realiter, in Deo autem virtualiter. De quo tamen videatur M. Serra hic concl. 4. & explicatur infra q. 14.

Sed sustinendo etiā quòd intellectivum radicale formaliter pertineat ad lineam intelligendi, vel operandi, cum utrq; ordo essendi & operandi, ut. potè per se primò intenti sint de linea primaria, & solùm materialiter hic posterior supponat illum essendi juxtà communem modum explicandi Thomistarum in 2. Physicorum, adeò ut existentia, quæ est ultimus terminus illius sit tantùm conditio, non formalis ratio operandi, ut alibi etiā explicatur 3. p. ad q. 13., adeò ut mereri videatur etiam hic posterior principiū suū radicale formaliter spectās ad propriā lineam operativam, & non solùm connotativè tanquā terminū cōnotatū ab illo essendi, de quo tamē infra: adhuc tenemur intellectivū radicale pront sic virtualiter distinguere à proximo, actuali, & itaut licet pertineant, ut insinuavimus, ad eand. lineā veluti genericā, non tamē athomā, quia ut supra ostendimus ex D. Tho. de ratione principii radicalis est non supponere aliud sivè re, sive ratione, de ratione verò proximi, vel operationis est supponere aliud saltem ratione, ergo important diversas rationes formales, & consequenter distinctam lineam saltem athomam, nam ut infra de voluntate Dei ostendimus, diversitas lineæ non præcisè attenditur ex diversitate prædicamentorum; cum intellectus, & voluntas ad idem genus qualitatis pertineant; sed ex diverso modo tendendi, vel procedendi, (hac enim ratione intel-

intellectivum, & volitivum pertinent ad distinctas;) ergo si intellectivum radicale, & proximum, vel actuale ita se habent à toto genere intellectivi, quòd alterum in procedendo nullo modo supponat principium etiam ratione, alterum verò supponat illud saltem ratione, pertinere non poterunt ad eandem veluti athomam, quidquid sit de proximo, & actuali, sive de intellectu, & intellectione, de quo adhuc est difficultas inter Authores nostræ sententiæ &c.

§. VII.

Solvuntur Argumenta contra præcedentem Conclusionem.

PRimò arg. contra 1. par. quòd gradus substantiæ summè immaterialis non constituat divinam naturam sub expressione essentiæ. Quia hujusmodi ratio substantiæ summè immaterialis est quid commune transcendens omnia divina, cùm quodlibet divinum formaliter, utpotè actus purissimus, sit summè immateriale, & subsistens, ergo nequit esse prædicatum per modum differentiæ constitutivæ. Urg. hoc. Nam vel hic conceptus substantiæ summè immaterialis sumitur pro perfectissimo gradu, sive intellectivo, vel pro distincto, sed neutro modo potest esse constitutivus naturæ divinæ sub expressione essentiæ, ergo; prob.mi., quia priori modo est constitutivus ejus sub altera expressione, scil. naturæ, ut dicimus in 2. parte conclusionis; sub posteriori verò non importat gradum supremum, per quem constituenda est suprema, sive perfectissima essentia ex tribus, qui communiter numerari solent, scil. esse, vivere, & intelligere, ergo nullo modo est potens constituere sub eadem expressione &c.

Ad hoc ex dictis dist. ant.; est quid commune formaliter loqendo, nego; materialiter, concedo; non enim omnia divina formaliter, vel ex propria linea sunt determinatè de illa substantiæ; nam misericordia (& sic de aliis, ut dictum est) præscindit prout sic à ratione substantiæ, & ab illa accidentis, cùm in creaturis sit accidens, & in Deo substantia, quatenùs est qnid divinum, unde formaliter loquendo ratio summè immaterialis, prout contracta, ut sic dicamus, ad rationem substantiæ est propria naturæ, & non est qnid commune omnibus divinis, sicut in simili dicimus de eadem ratione substantiæ, quæ prout contracta per differentiam angelicam, non est quid commune corporeæ, & incorporeæ, sed est determinatè spiritualis, & propria Angelorum &c.

Ad confirmationem juxta explicationem M. Ferre hic concl. 4. facilis est solutio dicendo, quòd ratio substantiæ summè immaterialis integrè sumpta, non præcisè importat alterum tantùm gradum in constituendo essentiam Dei, sed hæc tria simul, scil. esse, vivere, & intelligere, sumpto tamen *esse*, non pro existentia, sed prout dicit rationem entitatis, & essentiæ, & similiter sumptis vivere, & intelligere, non pro operatione, vel actione, sed pro natura vivente, & intellectuali, quia in Deo idem omninò est, inquit, esse, vivere, & intelligere, ut in præsenti accipiuntur; & colligit ex D. Tho. infrà q. 18. ar. 2. ad 1. ubi ait; *Sentire, & intelligere, & hujusmodi, quandoque accipiuntur pro quibusdam operationibus, quandoque autem pro ipso esse sic operantium.* Et explicans deinde quid sit hoc esse, subdit: *Dicitur enim in 9. Æthic. quòd vivere est sentire, & intelligere, idest, habere naturam ad sentiendum, vel intelligendum.*

Ex quo infert idem Author, quòd pro eodem accipiat D. Tho. naturam intellectualem, & esse rerum intellectualium, & cùm asserat, intelligere quandoque accipi pro hoc esse, sentit intelligere sumptum pro natura intellectuali, idem prorsùs esse, ac esse rerum intellectualium, ut dicit rationem entitatis, & essentiæ earum. Tum quia hoc esse in Deo est esse abstractum abstractione formali, cùm autem abstractio formalis fiat per separationem formæ, & actus à materia, & potentialitate, ens sic abstractum est summè actuale, immateriale, & spirituale, sed intelligere sumptum pro radice intellectionis, natura scil. intellectiva nihil aliud est, quàm esse absolutum abstractione formali summè actuale, immateriale, & spirituale; nam esse immateriale est radix intellectualitatis, ut infrà q. 14. ar. 1. ergo esse Dei, & ejus intelligere, ut hic accipiuntur, idem prorsùs sunt. De vivere etiam colligit ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. ult. ibi: *In Deo non est aliud vivere, & intelligere, sed id, quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est unum omnia;* & lib. 15. c. 5. *Qua vita dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus, atque natura &c. Vita, quæ Deus est, intelligit omnia &c. cùm dicitur vivens, & intelligens hoc idem dicitur.*

Ex his ergo nego suppositum maj., quòd in Deo illa tria, aut gradus ponant in numerum, ut accipiuntur hic, & ad probationem iterùm nego suppositum, quòd in præsenti sit talis latitudo graduum penès perfectissimum, & non perfectissimum. Ad id verò, quod tangitur, fieri nempè confusionem constitutivi penès utramque expressionem statim dicemus idem constitutivum dupliciter considerari, & ut sistit intrà ordinem essendi, & tunc constituit naturam sub expressione essentiæ, & ut pertinet ad lineam operativam, & tunc illam constituit sub altera naturæ &c.

Juxta ergo aliorum modum explicandi, qui aliquo modo distinguit de hujusmodi gradibus, prout concipiuntur à nobis, & determinat rationem substantiæ summè immaterialis ad gradum intellectivum; respondetur, quòd accipitur pro perfectissimo, sive intellectivo; unde nego mi. pro hac parte, ad probationem pro nunc dist. ut supra, primò sic: est constitutivus sub expressione naturæ; si sumatur præcisè, ut sistit intrà ordinem essendi, sive ut importat rationem substantiæ summè immaterialis absolutè sumptam, nego; si respectivè prout connotat, vel dicit respectum ad operationem, concedo; alii enim gradum intellectivum ut vidimus, distinguunt, & secundùm quòd sistit in ordine entitativo, quatenùs solùm importat ordinem ad esse, & tunc nihil aliud est quàm gradus essendi, non prout est communis omnibus tabus, sed per modum substantiæ spiritualis; esse enim substantiale spirituale, est proprius gradus essendi intelligentium, & hoc modo constituit naturam divinam sub expressione essentiæ; & deinde secundùm quòd dicit respectum ad operari, & tunc constituit sub illa na-

naturæ. §. Secundò iterùm dist., priori modo est constitutivus sub expressione naturæ, si sumatur inadæquatè, vel prout exprimitur secundùm conceptum immaterialis, nego; secundùm alterum intellectivi, concedo; aliter ergo, ut insinuavimus; idem gradus potest sumi, vel explicari, scil. vel per recessum à materia, & tunc exprimitur nomine immaterialis, & pertinet ad ordinem essendi, vel ad constitutionem naturæ sub expressione essentiæ, vel secundùm rationem illi positivè convenientem, & sic dicitur intellectivum, sive radix intellectionis, & tunc pertinet ad ordinem, & ad constitutionem naturæ sub hac expressione, unde quando infrà q. 14 ar. 1. prob. intellectualitas per immaterialitatem dicunt, quòd vel probatur sola intellectualitas sumpta pro potentia proxima, non pro radice, aut principio radicali activo intellectionis, ut dictum est, vel quòd explicatur radix ratione unius conceptus inadæquatè per se ipsum secundùm quòd dicit alium conceptum inadæquatum; qua ratione D. Tho. infrà q. 50. ar. 1, probat Angelos esse incorporeos, & immateriales, quia sunt intellectuales assumendo conceptum intellectualitatis ad probandum alterum immaterialitatis, unde non comparatur prior, ut proprietas respectu istius; quod etiam probant ex eo, quia immateriale positivè explicatum, est id. quod potest fieri alia à se, potens autē fieri alia à se formaliter est potens intelligere, & sic immateriale non est radix intellectualis, sed est ipsum intellectuale, explicatum tamen per recessum à suo contrario, ex quibus etiam infertur, quòd quia intellectualitas importat principium activum, non est de pura linea intelligibili, adæquatè, aut virtualiter distincta ab illa essendi, sed pertinet etiam ad illam, vel est intrà genus entis, unde conceptum naturæ virtualiter identificant cum illo essentiæ, & solam intelligibilitatem, utpotè extra rationem adæquatam entis, & habentem suas speciales differentias ab illis de genere entis distinguunt ab immaterialitate ut à sui radice; sed de his infrà, & obiter hic juxta exigentiam confirmationis &c.

Secundò etiā principaliter arg. cont. 2. p. quibusdā testimoniis D. Thom., quæ videntur aliquomodò difficilia. Primum sumitur ex q. infrà 27. ar. 2. in fine corp. ubi ait: *Verbum procedit in eadem natura existens cum Patre, quia in Deo idem est esse, & intelligere*, & Verbo communicatur intelligere; & licèt hæc minor non sit ibi expressa, est tamen necessariò subintelligenda ad ejus intentum; quia intelligere est id, quod importat similitudinem ex meritis suæ lineæ, qua ratione ibidem ostenditur ejus processionem contrapositivè ad illam Spiritus Sancti esse generationem, quæ est per viam similitudinis, quia nempè est per intellectum, quæ dicit viam assimilativam; unde fit argumentum. Ex eo probat D. Tho. Verbum procedere ut simile in natura cum Patre communicata ex vi suæ processionis, quia esse, & intelligere pariter ei communicatum formaliter, sive ex vi ejusdem processionis sunt idem, ergo videtur apertè sentire, quòd sit inter utrumque formalis identitas, & non solùm implicita, vel materialis, & consequenter quòd essentia, vel natura Dei constituatur formaliter per intelligere, aliàs non videtur sufficienter probari similitudo ejus contrapositivè ad Spiritum Sanctum, quia implicita identitas, vel materialis reperitur etiam inter esse, & velle communicatum Spiritui Sancto ex vi suæ, ergo ad salvandam præfatam similitudinem est necessaria identitas major, vel formalis &c.

Expl. hoc. D. Tho. probat eandem similitudinem ex vi harum præmissarum, scil. intelligere Dei est esse Dei, & verbo communicatur intelligere, ergo sentit esse idem formaliter, & non tantùm identicè, prob. conf., quia etiam Spiritui Sancto communicatur velle, quod est identicè cum esse, & tamen non evadit formaliter similis in natura; unde sicut quia adest sola identitas materialis inter esse & velle, hic discursus non tenet; velle Dei est esse Dei, sed Spiritui Sancto ex vi suæ processionis communicatur velle, ergo Spir. S. ex vi suæ procedit ut similis in natura, vel esse Dei; nec pariter valebit ille: intelligere Dei est esse Dei, sed verbo ex vi suæ processionis communicatur intelligere, ergo verbum ex vi suæ evadit simile in eadem natura, vel esse, unde ad salvandum discursum D. Th. erit necessaria identitas formalis &c.

Secundum sumitur qu. 41. infrà ar. 4. ad 3. & 2. relato cont. Gent. c. 10., ubi expressè negat secundùm rei veritatem, & consequenter objectivè, vel ex parte rei conceptæ rationem principii respectu actionis, & solùm admittit transitivè ad factum ad extrà, vel etiam ad terminum ad intrà, ergo nequit admitti cum fundamento in re juxta D. Tho., aut virtualiter objectivè, præcipuè in linea absoluta, in qua est constituenda naturæ ratio principii respectu actualis intellectionis tanquam constitutiva illius, prob. conf. simul cum antecedenti, quia ita negat secundum rei veritatem, ut solùm admittat secundum modum intelligendi, ut patet illis verbis: *Manifestum est, quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta secundùm rei veritatem, non per respectum ad actionem, nisi secundùm modum intelligendi &c.*

Tertium iterùm infrà ex q. 18 ar. 3. & urg præcedens; nam ad 2. arg., quo intendit probare, Deo non convenire habere vitam ex eo, quòd in omni vivente est accipere aliquod vivendi principium, sed Deus non habet aliquod principium, ergo sibi non competit vivere. Resp. quòd sicut Deus est suum esse, & suum intelligere, ita & suum vivere, & propter hoc sicvivit, quòd non habet vivendi principium, ergo negat iterùm rationem principii virtualis respectu intellectionis, vel propriæ vitæ actualis, quod est hanc constituere tanquam ultimam actualitatem indistinctam virtualiter à toto genere vitæ intellectualis constitutivam naturæ &c.

Quartum denique ex q. 14. hic ar. 4., ubi ait, quòd in Deo intellectus, intelligens, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omninò unum & idem, unde per hoc, quòd dicitur intelligens, nulla multiplicitas importatur in ejus substantia, ergo inter naturam, & intelligere excludit omnimodam distinctionem intrinsecam, vel objectivam, aut virtualem; hoc enim sonat ly *omninò unum, & idem*, quæ est particula adeò exclusiva distinctionis, ut ubi intervenerit talis identitas sic expressa, salvari nequeat contradictio, ut explicatur in summulis, cùm aliàs sufficientissimè salvetur per distinctionem virtualem &c.

Ad

Ad 1. resp. ex his quæ traduntur ibidem de Trinitate, nempè D. Tho. ex identitate inter intelligere, & esse Dei, non probare præcisè substantiam similitudinis Verbi cum Patre, sed magis qualitatem ejus, scil., quòd sit in esse naturali, & non tantùm intentionali, ut contingit in quolibet verbo creato, sive à nobis, sive ab Angelis producto, siquidem substantiam probat, & tenetur probatam supponere ex eo, quòd procedit per intellectum, qui ut dictum est, ex propriis importat viam assimilativam contrapositivè ad voluntatem, quæ dicit viam impulsivam, vel per modum inclinationis; nam si non ita supponeret, sed solo medio identitatis inter utrumque probaret illam, idem pariter convinceretur de Spir. S., quòd esset similis, cùm etiam velle, & esse Dei sint idem medium, ergo prædictæ identitatis assumptum à D. Tho. ad hoc deservit, quòd quia intelligere Dei ob eandem identitatem cum esse illius est perfectissimum, aut supremum analogatum in linea intelligendi, sequitur, quòd ejus terminus, sive verbum sit pariter perfectissimum in eadem linea, & consequenter infinitè excedens omne aliud verbum in linea assimilativa, quod est esse simile non tantùm in esse intentionali, ut contingit in aliis, sed etiam in esse naturali, ad quod nullum aliud pervenire potest; nam sicut intellectus ex propriis est assimilativus, perfectissimus intellectus erit perfectissimè assimilativus, & consequenter productivus termini perfectissimè similis, scilicèt in utroque esse, unde si hoc medium identitatis non supponeret processionem ejus formaliter intrà viam assimilativam alio medio probatam, ut dictum est; cùm hic pariter infinitus excessus reperiatur in velle divino, & in Spir. S. per illud producto supra quodlibet aliud velle, & impulsum, vel terminum ejus; vix posset evadi similitudo in processione amoris, & termini ejus adhuc in esse naturali ob eandem causalem, & consequenter quòd Spir. S. esset Filius, quod est alienum. Constat autem, quòd ad concludendam hanc qualitatem similitudinis non refert, quòd sit identitas etiam virtualis, sed satis est, quòd sit realis; nam per hanc solam subsistit infinita ejus perfectio, & excessus supra quodlibet intelligere creatum, ut patet in aliis perfectionibus divinis sola gaudentibus identitate reali.

Ex his ad argumentum factum nego causalem, vel suppositum ejus, quòd illo medio probet similitudinem, vel substantiam, sed solam qualitatem, ut dictum est. Ad explicationem verò, quæ poterat esse replica, nego ant., vel iterùm suppositum, quòd probet eandem similitudinem ex vi illarum præmissarum, & nego etiam, quòd subintelligenda sit minor illa, scil., & Verbo communicatur intelligere, sed magis hæc, & verbum procedit per intelligere, sive per intellectum, & tunc rectè concluditur ejus intentum, scil. ergo evadit simile non tantùm secundùm esse intentionale, sed etiam secundùm esse naturale, & physicum, nam per hanc minorem habetur similitudo imputata per emanationem intelligibilem, per majorem verò similitudo in esse naturali, & non tantùm intentionali, quia eo ipso quòd intelligere est tantæ perfectionis, quòd identificetur cum esse, vel natura intelligentis, tunc terminus ejus, utpotè perfectissimus, & analogatum supremum, ut dictum est; in hac linea est pariter identificatus cum eodem esse, & natura intelligentis, & consequenter similitudo erit secundùm esse naturale, & non tantùm intentionale. Hic est legitimus discursus D. Thom., qui poterat etiam formari quotiescumque intellectio productiva verbi identificatur realiter cum esse, vel natura intelligentis, verbum per illam productum non tantùm est simile secundùm esse intentionale, sed etiam naturale, sed intellectio productiva Verbi in divinis est hujusmodi, ergo Verbum productum per illam est simile secundum esse naturale, & non tantùm intentionale, & consequenter Filius. Adde quòd quia verbo ex propriis verbi non communicatur formaliter, nisi quòd primò, & per se repræsentat, quod quidem non est intellectio, sed res intellecta, ut modò supponimus ex libris de anima, ex ipsa communicatione intellectionis non esset legitimè inferenda similitudo formalis in natura, sed tantum materialiter, & identicè, sicut materialiter, & identicè diceretur ei communicari intellectio; unde ad inferendam formalē similitudinē non est efficax medium communicatio intellectionis sed naturæ per se primò repræsentatæ. Et per hæc etiam patet ad id, quod subditur de Spiritu Sancto, quia ut jam dictum est, processio ejus non est per viam assimilativam, sed affectivam, unde identitas intrà illam, nec arguit similitudinem, nec unionem in esse naturali, aut physico, sed tantùm affectivo formaliter loquendo, juxta meritum suæ lineæ &c.

Ad secundùm pariter constat, solum negare ibi principium realiter influens, non secundum modum intelligendi cum fundamento, aliàs teneremur etiam negare respectu volitionis, quod tamen nequeunt admittere cōtrarii, cum, ut dictū est, in communi sententia Thomistarū distinguatur virtualiter à natura, nec pertineat ad ejus constitutivū metaphysicum, unde respectu actionum immanentium, quæ nempè Deo conveniunt, & non transeunt in aliquod factum, sed manent in agente, vel solum negat principium secundùm influxum realem; vel etiam proximum, ut sunt intellectus, & voluntas adhuc, secundùm virtualem, ut colligi potest ex illis verbis, quæ deindè subdit; *intellectus igitur, & voluntas in Deo non sunt, ut potentiæ, sed solùm, ut actiones*. Undè ex hoc loco infirmè movemur ad negandam probabiliter distinctionem virtualem inter utramque potentiam à suis actionibus nempè intelligere, & velle &c.

Ad tertium similiter respondetur, quòd respectu vitæ divinæ in actu secundo, nullum assignatur principium realiter influens, vel nec proximum virtualiter non autem per exclusionem tam proximi, quam radicalis, quia expressè hoc statuit discrimen, ut vidimus qu. 1. de Pot. ar. 1. ad 1.; inter essentiam, & operationem, quòd hæc habet principium secundùm rationem, essentia verò, nec secundùm rem, nec secundùm rationem. Ad ultimum eodem modo dicimus ly *omninò* accipiendum esse juxtà subjectam materiam, scil. identitatis realis; hæc enim sufficit ad intentum ejus, quod est salvare ibi simplicitatem in linea intelligendi, sicut illam probat hic quæst. 3. ar. 4. in linea essendi, aliàs teneremus iterum excludere distinctionem virtualem inter essentiam, & volitionem, cum pariter Deus habeat simplicitatem in linea volendi &c.

§. VII.

§. VIII.

Solvuntur alia argumenta contra eandem secundam par. ex ratione.

TErtiò principaliter arg. Divina natura, utpotè perfectissima, & nos etiam fatemur, debet constitui per gradum vitæ perfectissimæ, scil intellectivæ, sed non nisi ut virtualiter identificatū cum actuali intellectione, ergo hæc metaphysicè illam constituit; ma. patet, quia ex terminis meliùs est vivens non vivente, & inter gradus vitæ, perfectissima est vita intellectiva; mi. verò prob. debet constitui per gradum intellectivum per modum actus puri, ergo per modum actus ultimi in linea intellectiva, ergo cum actus ultimus sit actualis intellectio per istam constituitur &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Sicut formale constitutivum perfecti debet exprimi per aliquid perfectum, ità formale perfectissimi, quale est essentia divina, per aliquid perfectissimum, sed perfectissimum inter omnia existentia in Deo est ultima actualitas proximæ, vel intellectualis vitæ, scil. actualis intellectio, ergo hæc erit constitutiva naturæ; ma. patet ex terminis, quia constitutivum rei est id, quod est perfectius in illa; mi. verò etiam constat, quia perfectissimum in qualibet linea est, quod exprimit supremam actualitatem illius, cum penes actualitatem attendatur perfectio, sed in linea intellectuali actualis intellectio, utpotè ultima, cum non sit alia ulterior, exprimit supremam, vel maximam, ergo est perfectissimum inter omnia divina &c.

Dices constitutivum divinæ naturæ esse quidem perfectissimum intra lineam intellectualem, sed per modum gradus, vel primæ radicis attributorum, qualis non est actuale intelligere, sed intellectualitas radicalis ab actuali virtualiter distincta, cum actualis intellectio, ut dictum est, sit de linea supponentium principium saltem radicale &c.

Sed contra hoc est. Intellectualitas radicalis virtualiter distincta ab intellectione nequit concipi per modum actus puri, ergo nequit esse constitutiva; prob. ant.; intellectualitas virtualiter distincta ab ultima actualitate suæ lineæ debet concipi, ut in potentia virtualiter ad illam, & ut virtualiter determinabilis per illam, ergo non potest concipi per modum actus puri; conf. tenet, quia actus puros in eo, quòd concipitur ut actus purus, tenetur excludere omnem potentialitatem, vel determinabilitatem per ulteriorem actum, ut patet ex terminis, cum potentialitas opponatur puritati actus; ant. autē prob.; si realiter distingueretur ab ultima actualitate esset realiter in potentia ad illam, sive realiter determinabilis, vel potentialis, ergo si virtualiter, vel per rationem distinguetur ab illa, erit virtualiter in potentia, sive virtualiter, vel per rationem determinabilis per illam; conf. iterum tenet, quia actui correspondet potentia, ergo eo modo, quo aliquid est, aut concipitur ut distinctum, vel determinabile per actum, est, vel concipitur ut potentiale &c.

Urgetur hoc. Actualis intellectio semel virtualiter distincta debet virtualiter recipi in principio, à quo virtualiter egreditur, quia cum sit actus immanens, si non est per virtualem identitatem in illo, erit per virtualem receptionem, ergo tenetur supponere sui principium non tantum activum, sed etiā virtualiter passivum, & consequenter virtualiter potentiale &c.

Urgetur ulteriùs. Actualis intellectio est actus, & perfectio omnium pertinentium ad lineam intellectualem, ergo est perfectior omnibus pertinentibus ad illam, ergo intellectualitas radicalis virtualiter distincta ab actuali intellectione nequit concipi per modum actus purissimi, vel tanquam constitutivum perfectissimum in hac linea &c.

Tertiò denique; quia actus purissimus est actus in summo, ergo est actus in ultimo, ergo quidquid concipitur sine ultimo, non concipitur, ut actus in summo, vel purissimo, aut perfectissimo in linea, in qua concipitur, ergo divina natura concepta per modum radicis, & principii virtualis intellectionis non concipitur per modum actus puri, vel ut summè perfecta, in linea intellectuali, quia concipitur in illa sine ultimo actu, vel sine ultima perfectione &c.

Hoc argumentum, quod est præcipuum oppositæ sententiæ, retorquet Illustris. Godoy hic § 9. in volitione, aliis què attributis Dei, nam licèt hæc pariter comparentur, ut actus, & perfectiones, adhuc tamen potest natura concipi sine illis, aut virtualiter ab eisdem distincta, ut supponimus in communi sententia Thomistarum; salva ejus summa perfectione, & puritate actus, cū aliàs si distinctio esset realis, absque dubio esset potentialis, & imperfecta, undè videntur teneri omnes ad concedendum, quòd sola realis distinctio præjudicat summę ejusdē perfectioni, & puritati actus, aliàs concipi non posset sine illis, vel virtualiter distincta; & ratio etiam est, quia ob identitatem realem formalem, & virtualem continentiam illorum, omnis imperfectio excluditur, & omnis potentialitas tollitur &c.

Cęterum ad hoc dicent contrarii, quòd licèt id sufficiat ad salvandam illam in re, non tamen in conceptu; nam sicut in re, ut sit actus purus, & summè perfecta tenetur includere, quod habetur per realem identitatem, ità in conceptu tenetur exprimere, quod habetur per identitatem virtualem; & quia ratio actus puri in re importat inclusionem omnium actualitatum, vel perfectionum, si semel aliquam non includeret, aut realiter ab illa distingueretur, jam in re actus purus, aut summè perfecta non esset: cęterum in conceptu non est debitum explicandi omnem cujuscunque lineæ, sed tantum suæ, in qua solum concipitur, ut actus purus, unde licèt ut concipiatur actus purus in linea intellectuali teneatur exprimere, aut virtualiter identificari cum ultima actualitate ejusdem lineæ, sive cum actuali intellectione, non tamen cum volitione, aut aliis attributis, quia non concipitur prout sic, ut actus purus in linea eorum, quia pertinent ad distinctam lineam, licèt in re teneatur cum omnibus identificari, quia in re est actus purus in omni. Vis ergo argumenti sit de ratione actus puri, & summæ perfectionis in cōceptu, & non præcisè in re, unde contendunt, quòd in propria linea debet exprimere ultimum actum non solum identicè, sed etiam formaliter; quia conceptus est ad formaliter expri-

exprimendum, & non præcisè ad includendum implicitè, vel identicè, & materialiter, loquendo de linea, in qua est conceptus, quia expressio ultimi actus est de conceptu actus puri, vel summi in eadem, sicut inclusio in omni à parte rei &c.

Eminentiss. ergo Ferrarius consentiens in hoc, qua ratione, ut vidimus; virtualiter identificat essentiam cum existentia tanquam cum ultima actualitate suæ lineæ, scil. essendi; aliter occorrit eidem arg. juxtà superiorem viam, quam sequitur cum aliis, scil. radicem operandi, vel intelligendi, sivè intellectualitatem radicalem, seù rationem substantiæ summè immaterialis primò, & per se excurrentis, ut ipse tenet; absque distinctione virtuali usque ad ultimum actum essendi, non pertinere formaliter ad eandem lineam agendi, sed tantum radicaliter, & præsuppositive, quatenus est fons, & radix potentiæ proximè operativæ, & operationis; formaliter autem pertinere ad illam essendi, unde facilè se expedit, quòd quia esse, & operari pertinent ad distinctam lineam, natura divina, ut sit, aut concipiatur, ut actus purus in ratione naturæ intellectualis, non debet exprimere nisi esse, non verò actualem intellectionem, quia licèt secundùm vocem, aut modum explicandi, natura divina ut radicaliter intellectiva videatur primò respicere operationem, secundùm rem tamen explicatam pertinet formaliter ad illam lineam, cujus est, radicare operationem, hoc autem est ipsum esse, quia modus operandi sequitur modum essendi, unde radicale intellectivum, inquit; quantum ad rem primò, & per se respicit ipsum esse.

Ità subtiliter, prout de more discurrit idem Eminentiss. urgendo hoc ipsum ex paritate; nam sicut videtur se habere radicaliter relativum ad actualem relationem, radicale volitivum ad volitionem, radicaliter misericors ad formalem misericordiam, & sic de aliis; ità radicaliter intellectivũ ad intellectionẽ, sed natura divina in quantũ radicaliter relativa, non pertinet formaliter ad lineã relationis, sed entis absoluti, cujus est fundare relationem; nec in quantũ radicaliter volitiva ad lineam volitionis, nec in quantum radicaliter misericors ad lineam formalis misericordiæ; aliter deberet per hæc omnia metaphysicè constitui natura Dei, quæ simul est radicaliter relativa, volitiva, & misericors, & cætera attributa; ergo nec in quantum radicaliter intellectiva pertinet formaliter ad eandem lineam intellectionis &c.

Cæterum quia non omnes, ut insinuavimus; procedunt hac via, nec præcisè admittunt intellectivũ radicale, quod adæquatè formaliter sistat intrà lineam essendi, & tantum superaddat connotationem de illa operandi; aliter etiam occurrendum est ex dictis eidem arg.; eò vel maximè, quòd non est eadem ratio de volitione, & aliis attributis, ac de intellectione, nam cætera vel pertinent ad lineam essendi; unde non est necessarium, quòd trahant radicem sui formaliter ad propriam lineam athomam, sed sufficit quòd habeant communem in veluti generica essendi; vel si pertinent ad lineam operandi, ut volitio, non pertinet ad istam quasi primariò, cum nec sit vita primariò, sed derivativè, vel consecutivè, utpotè pertinens ad appetitivam, unde radicatur mediante intellectu, & ità natura licèt dicatur radix omnium, non tamen debet denominari, aut pertinere formaliter ad athomam singulorum; cæterum intellectus, vel intellectio pertinet primariò, vel immediatè ad lineam operativam, vel vitam intellectivam in Deo, & non mediantè alio attributo, & ideò benè potest habere naturam sub hac expressione, tanquam radicem formaliter pertinentem ad lineam propriam, & non purè materialiter, aut præsuppositivè; dico autem ad propriam non quasi actualem, sed operativam lineæ intellectivæ: & quoad hoc poterat retorqueri, quia sicut ordo essendi, ut dictum est, est per se primò intentus à natura, ità & ordo operandi, ergo sicut attributa pertinentia ad priorem ordinem, habent radicem sui pertinentem formaliter ad lineam propriam essendi saltem quasi genericè, licèt non athomam; pariter quæ pertinent ad posteriorem, & maximè per se primò, vel immediatè; quale est intellectus, vel intellectio; habebunt radicem prout sic formaliter pertinentem ad suam saltem genericè, sive ad operativam, licèt non ad athomam, vel proximam, aut actualem; nam licèt modus operandi sequatur modum essendi materialiter, aut præsuppositivè; ut explicatum est in physicis; formaliter tamen, & in ratione principii pertinet ad primariam intentionem naturæ, qua ratione etiam mobile accidentale, ut dictum est; pertinere potest prout sic ad lineam radicalem in ratione mobilis, & ad objectum formale, vel specificativum Phylosofiæ, licet materialiter, & entitativè præsupponat substantiale. Id etiam videtur insinuare D. Thu. q. 39. hic superiùs relata ar. 2. ad 3. ubi inquit. *Dicendum, quòd quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturæ, quæ conveniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed unius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est unum esse, & ideò magis exprimitur unitas Divina per hoc, quod dicitur, quòd tres personæ sunt unius essentiæ, quam si diceretur, quòd sint ejusdem naturæ*, ergo juxtà D. Thom. ratio principii radicalis operationis, quam importat natura sub hac expressione non videtur purè connotativè, aut consequenter, & veluti in obliquo pertinere ad lineam operativam, sed formaliter, & per se primò, aut in recto, ut consideranti vim utriusque conceptus sic expressam à D. Thom. constare poterit. Ex quibus etiam infertur, quòd essentia Dei, respectu eorum, quæ tantum spectant ad lineam essendi, prout dividitur contra lineam operationis non habet propriam rationẽ naturæ, quia hæc est tantum principiũ radicale attributorum operativorum, illa verò consequuntur ad substantiã summè immaterialem, ut præcisè explicat habitudinem ad esse, quomodo autem componatur deinde uterque conceptus sub eadem virtualitate juxtà prædictum modum, poterit explicari infrà &c.

Ad argumentum ergo principale nego min.; ad probationem distin. conseq., per modum actus ultimi in linea intellectiva graduali, concedo, à toto genere intellectivi, nego, quia ut dictum est, linea intellectiva partitur in gradualem, vel radicalem, & attributalem, vel proximam, quæ est de linea supponentis principium, ut ostensum est ex D. Tho., unde ultima actualitas à toto genere intellectivi utpotè de hac posteriori linea, nequit pertinere ad constitutionem metaphysicam naturæ, quæ est de linea non supponentis, si velimus es-

sentialiter esse radicem, unde ad confirmationem respond. benè ibi dictum esse, nec est necessarium, ut vidimus ex D. Tho. recurrere ad perfectissimum à toto genere, quia licet omne perfectissimum sit Deo attribuendum, non tamē oportet, quòd omne illud, quod Deo tribuitur sit perfectissimum, sed quòd sit potens ad designationem perfectissimi, scil. per realem identitatem, ut explicatum est, &c.

Ad replicam verò nego ant.; vel claritatis gratia distin., nequit concipi per modum actus puri in sua linea, scil. graduali nego, in omni subdistinguo, explicitè transeat, vel concedo, saltem implicitè nego, ad probat. vel nego iterùm ant præcipuè quoad primam partem, quòd debeat concipi ut in potentia, cum eo ipso, quòd summè realiter identificetur, & actu implicitè claudat, nollo modo objectivè careat, aut actu præsciodat, ut contingit in gradu generico respectu differentialis, quod tamen est necessarium ad veram potentialitatem, etiam logicam, nam vera, vel propria potentialitas dicit carentiam, vel defectum, ut patet ex ipsa significatione vocabuli; nec præcisa distinctio virtualis, si non sit exclusiva, vel adæquata per rationem, ut contingit in eodem gradu generico respectu differentialis, sed tantùm non explicativa, vel peoes explicitum tantùm; obstat puritati actus, aliàs eadem natora distingui virtualiter non posset à volitione, & ab aliis attributis divinis, unde quoad hoc poterat argumentum retorqueri. Vel deinde distin., ut supra, debet concipi ut in potentia purè dialectica; transeat, vel conc., physica, aut metaphysica, vel etiam logica nego, & similiter distin. quoad secundam, ut determinabilis purè dialecticè, vel per actum realiter identificatum, & in essentia actu implicitè inclusum, conc., logicè, vel metaphysicè, aut per actum realiter distinctum, vel acto implicitè non inclusum, nego; eò vel maximè quòd non est debitum explicandi, utpotè diversæ lineæ athomæ, ut ostensum est. Ad probationem verò ex paritate distinctionis realis, dico in primis, quòd est solvenda etiam à contrariis; nam realis distinctio sive in eadem, sive in diversa linea, si inter illa intercederet, perpetuò arguit potentialitatem, & determinabilitatem realem; virtualis verò saltem in diversa nullam arguit, ut patet respectu volitionis, & aliorum attributorum; nam aliàs, ut dictum est, tenerentur etiam negare virtualem respectu illorum. Pro omnibus ergo nego conseq., & disparitas est, quia pura virtualis non explicativa, & maximè in diversa linea saltem athoma, cum nullam dicat carentiam objectivam, nequit cum hac sola esse, aut concipi ut potentialis etiam logicè, & non solùm physicè, aut metaphysicè, quidquid sit, quòd si essent ejusdem lineæ athomæ ob debitum tunc explicandi omnem actualitatem totius lineæ intellectualis, & consequenter intellectionem; non posset in conceptu expressè venire, ut actus purus, non explicata omni, vel etiam hac ultima, &c.

Quòd si instes in ratione entis, quæ est realiter idētificata cū modis, & actu inclosa, imò se claudit & clauditur in illis, ut suppono in communi sententia Thomistarum, & tamen concepta ut determinabilis per modos illam contrahentes, verè concipitur ut potentialis in ordine ad illos, ergo realis identitas, & actualis implicita continentia non obstat potentialitati. §. Respon. iterùm primò quòd est solvenda ab omnibus, tum respectu ejusdem volitionis, & aliorum attributorum, & maximè respectu relationum, à quibus in communi sententia supponimus virtualiter distingui, unde noo solùm respectu intellectionis, sed etiam respectu cæterorum deberet coocipi ut determinabilis, vel potentialis, noo obstante reali identitate, & implicita actuali omnium contioentia. Tum quia ex eadem instantia deberet etiam inferri quòd non solum in conceptu, vel secundùm expressionem non haberetur, ut actus purus, vel potentialis, sed etiam metaphysicè, & in se, sicut metaphysicè, & in se dicitur potentialis. §. Sed deinde distin. ma. actu claudit, & clauditur ob illius potentialitatem, & transcendentiam conc. ex sui actualitate, ut contingit in essentia divina, nego, nam ex illius potentialitate provenit, quòd sit contrahibile per omnes, in quibus ob suam transcendentiam iocluditur, cæterùm actualis implicita inclusio intellectionis in essentia oritur ex summa ejus actualitate, unde clauditur in illa tanquam in principio actualissimo, vel excludente omnimodam potentialitatem, &c.

Ad primam confirmationem iterùm dico esse solvendam à contrariis in volitione, nam licet sit distinctæ lineæ, est tamen ipsa etiam actus immanens, & virtualiter distinctus, & consequenter debet recipi in principio, à quo virtualiter egreditur, ergo illud etiam respectu illius se habebit non tantùm ut principium activum, sed etiam passivum, ergo vel utrobique se habebit, ut potentiale, vel nullo modo. §. Sed in forma distinguo, & explico eodem modo ant. debet recipi receptione purè dialectica, vel tanquam actus implicitè actu inclusus, concedo, physicè, vel tanquam actus non implicitè actu contentus, nego. Receptio igitur, vel passio purè dialectica non repugnat actui purissimo, qui solùm dicitur per exclusionem totius potentialitatis physicæ, & metaphysicæ, vel etiam logicæ, non purè dialecticæ, ut manifestè patet respectu volitionis, quam negare non possunt, si semel velint virtualiter distingui à natura, nec pertinere ad ejus constitutivum metaphysicum, unde sicut absque omni imperfectione dicitur Deus moraliter pati prout est subjectum morale offensæ, ut alibi explicatur 3. p. de satisfactione Christi q. 1. ad ar. 2.; ità à fortiori absque omni dici poterit pati purè dialecticè in eo, quòd recipit actum summè realiter identificatum, & actu implicitè inclusum, & purè non expressum, & præcipuè sine debito exprimendi, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem nego conseq., quia conceptus radicalis, vel principii radicalis, in quo virtualiter, vel actu implicitè continetur operatio, vel actus, est conceptus simpliciter perfectior quolibet radicato, quidquid sit de actu secundo respectu principii proximi, de quo est difficultas inter Doctores; sed de essentia, vel radice in quocunq; constituatur, certum est excedere, vel realiter ut in creatis, vel virtualiter ut in Deo, cum etiam quodlibet radicatum comparetur ad sui radicem tanquam ad finem, eo modo quo est radicatum; licèt ex parte istius in eo quòd est ultima, vel ulterior actualitas dicatur esse excessus secun-

cuodùm quid. Sed est iter folvendus in volitione.

Ad tertiam similiter distin., & explico ant. Est actus in summo tam physicè, quàm metaphysicè, & logicè conc., etiam dialecticè nego, vel subdistin. in tota linea genericè, vel in omni nego; quasi specifica, vel athoma traofeat, vel conc.; quia ut dictum est non tenetur explicare nisi ultimam de sua veluti athoma, cum noo concipiatur ut actus purus in omni, sed tantùm in sua, ut patet perpetuò respectu ejusdem volitionis, & aliorum divinorum, à quibus virtualiter distinguitur, unde satis erit ad conceptum actus puri in natura, quòd exprimat ultimam de linea graduali, vel naturæ, ad qoam non spectat intellectio, sed magis sit de linea consequentis, ut dictum est; sive supponentis principium, sicut ergo retinet conceptum perfectissimi, vel actus puri, etsi non exprimat volitionem, & alia attributa, & solùm arguitur defectus purè dialecticè, vel negativè, non privativè, quia non est carentia alicujus perfectionis debitæ, sivè cum debito exprimeodi in conceptu naturæ, ità etiam retinebit respectu intellectionis actualis, quia licet sit ejusdem lineæ sumptæ genericè, non tamen quasi specificè, & ideò non tenetur exprimere, ex quo taotòm similiis defectus, vel imperfectio purè dialectica, vel negative argui poteil, non privativè, &c.

Sed instas. Essentia concepta ut exprimens actualem existentiam concipitur ut perfectior, quam non exprimens, quia est expressivè actualior, & in eo, in quo aliquid est actualis est perfectius, ergo concepta, ut non exprimens non coocipitur per modum actus perfectissimi, vel purissimi, quia est conceptibilis, ut perfectior, ergo constituta ut non exprimens, non est constituta omni perfectiori modo quo petit natura perfectissima, & actualissima, &c.

Huic instantiæ iterum dicimus, quod militat etiam respectu volitionis, & aliorum attributorum, quia si illa pariter exprimeret, conciperetur ut actualior, & consequenter ut perfectior, cum omnia sint actus, & perfectiones naturæ, undè etiam esset perfectius constituta si omnia exprimeret, si semel exprimens ulteriorem actualitatem concipitur ut perfectior, & perfectius constituta, & ità deberent omnia pertinere ad metaphisicam ejus constitutionem, quod nullus Thomistarum coocedit. §. Sed pro omnibus vel distinguo, ut suprà concipitur ut perfectior dialecticè transeat, vel concedo, physicè, vel metaphysicè, aut logicè nego, & eodem modo distinguenda est probatio annexa, cum utroque consequenter. §. Vel deindè nego ant., & suppositum illius, nempè quod possit sic concipi, ut exprimens illam, & dato quod possit, quòd tunc salvetur omnis ejus perfectio; primum ex eo, qoia repognat naturam concipi, ut exprimentem constitutivè metaphisicè id quod suppooit principium saltem radicale, sicut est intellectio, vel operatio, ut vidimus ex D. Tho.; secundum verò, qoia non posset concipi ut vivens, & maximè in supremo gradu vitæ, scil. iotellectuali, cum nullo modo posset concipi tunc, ut se movens in illo, oec per formalem, oec per virtualem eggressum intellectioois, nam exprimere constitutivè metaphysicè, sive habere illam per omnimodam identitatem etiam virtualem, nullo modo exprimit motum qui tamen est necessarius ad vitam in actu secundo, ut à principio intrinseco egrediens saltem virtualiter. Quòd si dicas id desiderari ad vivens creatum, jam supra impugnatum est, & iterùm dicemus, ergo sequitur, &c.

Sed adhuc contra principalem solutionem instas. Essentiam divinam esse principium, vel passivum dialecticè, vel intelligitur esse tale per rationem purè ratiocinantem, vel cum fundamento in re, & objectivè; primum non sufficit ad distinctionem virtualem cùm sit distinctio tenens se præcisè ex parte intellectus imperfectè concipientis; secundum verò arguit potentiam passivam, etiam metaphysicè, vel saltem logicè, cum sit objectiva, & ex parte rei conceptæ, quod tamen est contra D. Tho. infra q. 41. art. 4. ad 2., & contra puritatem actus divini, ergo salva ratione actus puri nequit constitui ut distincta virtualiter ab actuali intellectione, &c.

Urgetur hoc. Conceptus potentiæ passivæ tenens se ex parte objecti non est utcunque, sed potentiæ in potentia, ergo non est purè dialecticus, sed metaphysicus, vel saltem logicus repugnans omninò actui puro, conseq. tenet, quia potentia in potentia, est potentia cum carentia, & defectu, ut patet ex terminis, ant. negatur, quia ratio passivi utpotè opposita actui, si semel est cum fundameoto ex parte objecti, nequit intelligi nisi cum aliquo defectu, ergo est potentia in potentia. Ex quo etiam infertur posse in Deo admitti veram compositiooem metaphysicam, vel logicam, cum habeatur extremum potentiale metaphysicum, vel logicum ad illam necessariom, &c.

Resp. primò iterùm, & semper hujusmodi instas militare respectu ejusdem volitionis virtualiter distinctæ, nam si eam constitutivè metaphysicè non exprimit, sed virtualiter distin.; jam debet saltem virtualiter recipi, & tunc inquiro, quomodo salvetur respectu illius, hæc ratio receptivi, vel passivi sine omni potentialitate, & oppositione ad D. Tho. & rei veritatem. §. Pro omnibus ergo ad instantiam dico esse cum fundamento sumpto non ex imperfectione objecti, sed potiùs ex summa ejus perfectione, sicut in simili dicimus infra q. 19. in probativa senteotia Thomistarum; Deum non posse suspendere omnem actum circa creaturam, vel bonum creatum, non oriri ex defectu aliquo bonitatis in illo, sed potiùs ex summa ejus actualitate, & perfectione, quia nempè voluntas ejus, utpotè summè actualis nequit habere primarium sui exercitium circa creaturam aliquid purè negativom; qua ratione etiam dicimus in alia probabili inter eodem, quòd formet ens rationis præcipuè respectus ratioois, sive ideales pro formali; formare illos aliquomodo necessariò necessitate orta non ex aliqno defectu propriæ cognitionis, imò ex summa ejus perfectiooe, & propriæ essentiæ, quia scil. tenetur eam cognoscere omni modo, quo est cognoscibilis, & consequeoter ut diversimodè imitabilis, & participabilis à creaturis, ad quod consequntur prædicti respectus pro formali io eadem sententia; ex summa ergo actualitate, & perfectione essentiæ sumitur fundamentum sic concipiendi illam, ut principium non purè activum, sed passivum, vel receptivum dialecticè, nam ex quo est radix omnium attributorum, & operationum tenetur non sup-

supponere principium, & consequenter excedere virtualiter quamlibet sui operationem, vel quodlibet illorum, utpotè de linea supponentium, quòd est comparari ad illa ut principium aliquomodo receptivum in eo, quòd manent in illa; & ex quo est perfectissimè vivens, scil. vita intellectuali; nequit, ut dictum est, concipi vivens in actu secundò, nisi aliquomodo intrà illam se moveat juxtà meritum vitæ actualis, vel per modum exercitii, quod petit esse, ab intrinf. principio, sive realiter, ut in nobis, sive virtualiter, ut in Deo, Et per hæc patet ad probationem; nam licet ratio passivi, vel receptivi cum fundamento orto ex potentialitate intrinseca objecti importante carentiam actus, ut in creatura, arguat potentiam passivam physicè, vel metaphysicè, non tamen in Deo, ubi oritur ex summa actualitate importante carentiam solius explicationis, ut declaratum est, & hanc non negat D. Tho. ibid., sed tantùm priorem, &c.

Ad confirmationem distin. ant. Est potentia in potentia, eo modo, quo est passiva conc., aliter nego, nam licet in creatura sit potentia in potentia physica, vel metaphysica per carentiam actus, non tamen in Deo, sed per carentiam solius explicationis, quæ non dicit imperfectionem, nisi purè negativam, & aliàs positivè maximam perfectionem in conceptu naturæ, ut dictum est; unde nego conseq. loquendo de natura divina: per quod etiam patet ad utriusque probationem, solùm enim est in potentia, & carentia, eo modo quo est passiva, & si est passiva purè dialecticè, non est opposita actui, nec cum carentia illius, sed tantùm explicationis, cui dialecticè opponitur. Ad id verò quod infert de compositione, nego suppositum, quòd habeatur extremum potentiale, sive metaphysicum, sive logicum, unde solùm argui poterat compositio dialectica, quæ non fundatur in aliqua potentialitate intrinseca, sed in pura non explicatione, &c.

Quartò etiam principaliter arg. & potest esse replica: Natura divina secundùm primum, aut metaphysicum sui cònceptum debet intelligi vivens in actu secundo de sua linea, scil. suprema, vel intellectuali, ergo metaphysicè per actualem intellectionem, scil. vitam de eadem linea constituitur; conseq. tenet, quia vivens in actu secundo vita intellectuali, per actualem intellectionem constituitur tale, cum actualis intellectio sit exercitium, vel actus secundus hujus vitæ, ergo si secundùm primum, vel metaphysicum sui conceptum debet intelligi vivens in actu secundo vita intellectuali, per actualem intellectionē metaphysicè constituitur; ant. verò prob., secundùm primum sui conceptum antevertendo radicationem cujuscunque perfectionis concipi debet ut habens perfectionem à se, cum ab alio habere non possit, ergo concipi debet ut vivens in actu secundo de sua linea, prob. conseq., vita actualis ut sic abstrahendo à creata, & increata consistit in hoc, quòd est habere à se perfectionem, ergo si secundum primum conceptum intelligi debet ut habens à se perfectionē, pariter intelligenda est ut vivens in actu secundo; prob. ant.; tum quia hac ratione infra actus liber Dei in communi sententia Thomistarum nequit constitui etiam partialiter per aliquod extrinsecum, quia cum sit actus vitalis nequit omninò convenire ab alio, vel ab extrinseco, sed à se, nam per hoc distinguitur vivens à non vivente, quòd istud habet perfectionem ab alio, vivens verò à se: tum quia vita actualis ut sic non potest consistere in motu, nec in hoc, quòd est moveri, cum motus, & moveri Deo repugnent, ergo consistit in habere perfectionem à se, &c.

Ad hoc patet primò ex dictis solvendum esse ab omnibus, nam si semel conceptus viventis, aut vitæ ut sic est habere à se; Deus omni sua perfectione, sive sit de linea vitæ, vel non, vivet in actu secundo, cum omnem habeat à se, unde etiam ens transcendens transcendentia logica omnia Dei prædicata esset formaliter vivens, cum habeat entitatem, veritatem, & bonitatem à se, quod tamen nequit admitti, cum repugnet aliquid vivere per perfectionem, quæ non est de linea vitæ, sicut repugnat intelligere per actionem, quæ non est de linea intellectiva, & sic de aliis, &c.

§. Sed deinde vel nego ant., vel distin., est vivens in actu secundo formaliter, nego, radicaliter, vel virtualiter concedo, nam metaphysicè, vel secundùm primum sui conceptum solùm est principiū radicale, vel virtuale intellectionis, non formalis, vel actualis intellectio, unde metaphysicè est vivens secundùm essentiam, non secundùm actuale exercitium, hoc enim convenit illi ratione attributi, vel radicati, non ex conceptu radicis, qui essentialiter dicit non supponere principium, quod tamen supponit vita in actu secundo, ut vidimus ex D. Tho.; & sumitur ex conceptu essentiali actus secundi; nam remoto hoc, quod est supponere principiū, nō remanet discrimē inter vitam quoad essentiam, & vitam quoad actuale exercitium, vel inter radicale principium operationis, & ipsam operationem. Ad probationem di t. ant., concipi debet ut habens perfectionem à se juxta meritum radicis, vel principii radicalis conc., aliter nego ant.; hoc autem non est habere à se per puram identitatem, aliàs omnis perfectio, ut dictum est, pertineret ad lineam vitæ, cum omnis sit à se, sive Deo conveniat per summam identitatem, sed est necessarium, quòd sit à principio egressu saltem virtuali, unde etiam nego conf., ad cujus probat. distin., & explico ant., eo modo, in hoc quod est habere à se juxta proprium meritum vitæ actualis conc., aliter nego; ad hoc autem est necessaria aliqua habitudo ad principium contrapositivè ad perfectionem, quæ non est de linea vitę, & consequenter non puræ identitatis, quæ est communis utrique, sed egressus saltem virtualis, ità ut etiam principium non purè identicè, & communiter se habeat ad utramque, sed aliquomodo motivè, seu virtualiter si velimus, quòd formaliter loquendo verificetur, quòd per alteram vivat, & per alteram non, Et per hæc etiam patet ad utramque ejus probationem; ad primam quidem distin. quoad secundā par.; sed à se juxta sui meritum conc., aliter, vel purè identicè nego, & tunc rectè distinguitur vivens à non vivente, scil. non præcisè p r esse à se sistendo in Deo, nam etiam aliæ, quæ non sunt de linea vitæ, ut dictum est, sunt à se, sed quia istæ sunt à le per puram identitatem, vitales verò motivè, saltem virtualiter, vel per egressum virtualem: undè ad secundam nego ant.; nam sublata hac habitudine egres-

egressus, vel ad principium aliquomodo se movens; non habetur distinctivum unius ab alia, nec quòd Deus formaliter magis vivat per unam, quàm per aliam, &c.

Sed instas. Quia sequitur ex his, quòd Deus nō vivat formaliter in actu secūdo, sed tantū virtualiter, cōsequens est falsum, aliàs etiam virtualiter tantùm intelligeret, quia cum vivat per intellectionem in actu secundo, eo modo intelligit, quo vivit, ergo talis habitudo, vel egressus non est de ratione vitæ actualis; prob. ma., eo modo vivit in actu secūdo, quo est principium actualis vitæ, sive intellectionis, ergo si est tantùm principium virtuale, seu per virtualem egressum, non formalem, tantùm erit vivens in actu secundo virtualiter, non formaliter; sicut quia tantùm est principium vitæ intellectualis, hac tantùm vita vivit in se, non inferiori sensitiva, vel vegetativa &c.

Huic instantiæ dico in primis solvendam esse in hoc eodem prædicato intellectionis, vel scientiæ, nam sicut ad rationem vitæ requiritur egressus, ita ad rationem scientiæ requiritur discursus saltem probabiliter loquendo, vel modo quo admittitur, aut explicatur infra q. 14.; & tamen hæc consequentia est nulla, Deus tantùm discurrit virtualiter, ergo tantùm virtualiter est sciens; ergo hæc erit pariter nulla, Deus est tantùm virtuale principium intellectionis, vel actualis vitæ, ergo tantum virtualiter vivit, vel intelligit. Pro omnibus ergo sicut infrà ad similem instantiam; respond. negando sequelam, ad prob. neg. suppositum antec., quòd de conceptu formalis vitæ sit determinatè egressus formalis, sed abstrahens, unde non est denominanda, vel inferenda vita juxta denominationem egressus; qua ratione dicimus ibid., quòd non est inferenda, vel denominanda scientia in Deo juxtà denominationē discursus, quia supposito etiā, quod hic esset necessarius ad conceptum scientiæ, non tamen determinatè formalis, vel virtualis, sed abstrahens; unde sicut salvatur ibi, quòd est formaliter sciens, quia licet non conveniat ei discursus formalis, convenit tamen formaliter discursus virtualis, (de quo D. Tho. q. 2. de veritate art. 2. ad 4.) ita pariter salvatur hic, quòd est formaliter vivens, quia licet non conveniat ei esse principium formale actualis vitæ, vel intellectionis, convenit tamen formaliter esse principium virtuale. Per quod etiam patet ad id, quod subditur circa paritatem utriusque vitæ, scil. intellectivæ, & sensitivæ, vel inferioris; nā est manifesta disparitas, quia certum est non posse aliquod vivere in se eo genere vitæ, cujus nullo modo est principium, non tamen tenetur intra idem, immò quandoque impossibile est ut in casu, quòd servet eandem denominationem viventis in actu secundo, quam servat in primo, vel in ratione principii, quia formalis denominatio viventis in actu secundo nullam dicit imperfectionem, formalis tamen in ratione principii, scil. per egressum formalem, importat potentialitatem, seu carentiam actus formalis, & consequenter transitū de potentia formali ad actum, qui Deo repugnat, &c.

Sed instas retorquendo idem exemplum scientiæ; nā in Deo juxtà veriorem fortè modū explicandi ad mentem D. Tho. loco proximè relato; salvatur conceptus formalis scientiæ absque omni discursu etiam virtuali saltem ex parte cognoscentis, quidquid sit objectivè; ergo absque omni influxu etiam virtuali salvabitur ex parte principii viventis; formalis ratio vitæ, ant. constabit eadem q. 14., & insinuat D. Thom. relata solutione ad quartum de veritate, ubi in fine ait. *Dicitur ergo in Deo scientia certitudinis, non ratione discursus.* Quia ut immediatè præmittit; *discursus non contingit, nisi secundùm quòd intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantùm conclusiones, si enim actu cognosceret non esset ibi discursus, cum motus non sit nisi exitus de potentia*: ex quibus etiam videtur efficaciter probari consequentia; quia ex eo juxta D. Tho. excludendus est discursus saltem subjectivè, vel ex parte cognoscentis, quia cognoscens principia actu, cognoscit conclusiones, ita ut cessare debeat omnis motus, vel exitus ab illis ad istas, sed non minùs Deus in ratione viventis actu possidet vitam in actu secundo ob summam identitatem cum illa, quàm in ratione cognoscentis actu attingat conclusiones cognitis principiis, ergo sine omni motu, vel influxu, & exitu etiam salvabitur ratio vitæ actualis per præcisam identitatē, vel convenientiam à se, &c.

Expl., & urg. hoc. Juxta D. Tho. & eundem modū explicandi de ratione scientiæ, non est necessarius ex parte cognoscentis aliquis discursus, neque exitus ex parte cognitionis, sed vel requiritur formalis, ut in scientia nostra, vel nullus ut in divina, & sufficit sola evidens certitudo ipsius, ergo, pariter de ratione vitæ, ut sic non erit aliquis motus, vel influxus ex parte principii viventis, neque egressus ex parte vitæ actualis, sed vel erit necessarius formalis ut in nobis, vel nullus, ut in Deo, & sufficiet actualis possessio ejus per summam identitatem &c.

Expl. ulteriùs alio exemplo infrà de voluntate Dei. Non magis requiritur ad rationem actus vitalis ut sic esse egressivè, vel influxivè à principio, quàm ad rationem actus liberi esse ab alio non necessariò, vel contingenter, sed absque omni contingentia salvatur in Deo ratio actus liberi cum solo dominio super utrumque extremum, alias in constituendo illum opportet recurrere ad aliquod extrinsecum tanquam formam constitutivam, quod cōmuniter negant Thomistæ, ergo absque omni influxu, vel egressu salvabitur ratio actus vitalis, seu vita in actu secundo cum sola sui summa identitate cum principio, &c.

Tertio nam si semel ad salvandum conceptum *Ab* actionis vitalis, nempè hoc, quòd est esse à principio intrinseco, requiritur etiam in Deo influxus, & sufficit virtualis, pariter ad salvandum conceptum *Ad* relationis prædicamentalis sufficeret ordo virtualis, consequens nequit admitti, ergo, vel non est necessarius, vel non sufficit virtualis, sicut nec sufficit virtualis ordo ad eandē relationē; ma. constat, quia non magis est de conceptu actionis *Ab*, quàm de illo relationis *Ad*, mi. etiam; quia aliàs una perfectio absoluta posset aliam respicere, aut relationem reali prædicamentali, cum nulla sit repugnantia, quòd alteram virtualiter respiciat consequens autem est falsum, quia jam ex mutuo respectu reali divinarum personarum non colligeretur realis illarū distinctio, & eadē facilitate inferri posset, in Deo etiam admitti posse compositionem realem formaliter, sive in esse formali cum sola distin-

ftinctione virtuali extremorum, cum non fit magis de ratione compofitionis diftinctio, quam de ratione viventis in actu fecundo influxus, vel egreffus, ergo fi femel falvatur vita in actu fecundo formaliter cum folo influxu, vel egreffu reali virtuali, pariter realis compofitio formaliter falvabitur cū fola diftinctione reali virtuali, præterquamquòd fi femel fufficeret influxus virtualis pariter dici poteft, quòd fufficiat eminentialis abfque virtuali, hic autem non excludit actualem intellectionem à conftitutione metaphyfica naturæ, cum prout fic non excludat identitatem virtualem, ergo &c.

Refp. ad inftantiam negando conf.; quia ut fupponitur in eodem modo dicendi, ad ratione͞ fcientiæ ut fic, five abftrahentis à creata, & increata fufficit, quod ex parte objecti cognofcatur unū, ut ratio alterius, & non per aliquem motum ex parte fubjecti, quia motus propriè difcurfivus, ut innuit ibidem D. Thom., videtur importare carentiam actualis cognitionis in principiis, quæ Deo repugnat, unde non eft neceffarium, quòd fciens fuo actu trāfeat ex parte fui à termino à quo principiorū ad terminū ad quem conclufionis, fed folum ex parte objecti, & in fe habeat evidētem illius cognitionem ut dicit D. Thom.; cæterum vivens ut fic nequit intelligi fub exercitio vitæ per folam identitatem exclufo omni influxu, & egreffu etiam virtuali, alias Deus ut dictum eft, viveret omni fua perfectione, cum qua realiter fummè identificatur, five fit de linea vitæ, five non: & per hæc patet ad primam cofirmationem, &c.

Ad fecundam juxta modum probabilem explicandi rationem actus liberi, cum aliqua virtuali contingentia, de quo tamen infrà; patet effe retorquendā: fed præterea nego ant., nam licet de ratione liberi creati, utpotè potentialis fit contingentia, vel defectibilitas, fcil. ita effe, quòd poffit non effe defectivè, non tamen de conceptu liberi increati, vel abftrahentis à creato, & increato, quia cum libertas fit perfectio fimpliciter fimplex, nullam in fuo formali conceptu involvere poteft imperfectionem; unde folum disjunctivè eft ita effe, quòd poffit non effe, vel defectivè, ut contingit in libero creato; vel perfectivè, fivè activè pro aliis, aut quòd ratione fuę fūmę actualitatis includat volitionem, & nolitione͞ ut in increato, ut explicatur ibidē de voluntate Dei, cæterum conceptus vitæ ut fic in actu fecundo falvari nequit, ut dictum eft, fine omni faltem virtuali influxu, & egreffu, &c.

Ad tertiam nego maj., quia cùm relatio prædicamentalis fit forma conftitutiva generis, ex æquo, vel primò diverfi ab aliis, ut oftenfum eft in logicis; falvari nequit in puro ordine virtuali, aliàs etiam in fubftantia, quantitate, qualitate virtuali, & fic de aliis, falvarentur hujufmodi genera, quod eft alienum à bona Metaphyfica, unde *Ad* prædicamentale indifpenfabiliter importat ordinem realem formalē ad terminum cum mutua oppofitione extremorum, & ideò impoffibile eft, quòd reperiatur inter abfolutū, & abfolutum, aut inter abfolutū, & relativum in divinis. Ad probationem dift. ant., non magis, & cum eadem determinatione, nego, aliter concedo, quia *Ad* relativum prædicamentale eft determinatum ad ordinem realem formalem; *Ab* verò actionis vitalis non importat determinatè egreffum realem formalem, aliàs effet omninò repugnans conceptus actionis in Deo, cùm prout fic importet imperfectionem in fuo conceptu formali, fcil. potentialitatem, vel exitum de potentia ad actum, fed indeterminatè, vel disjunctìm, fcil. formalem, vel virtualem. Ad id verò, quod primò infertur de compofitione reali, fimiliter refpond., quòd de conceptu illius eft determinatè diftinctio realis extremorum, cùm non poffit idem realiter fe ipfum componere, ut etiam fuppono ex communi confenfu metaphyficorum, de quo Cajetanus hic qu. 3. ar. 8. & M. Gafpar Catalam 3. par. q. 2. ad ar. 4. dub. 1., unde fola connexio, vel diftinctio per rationem, aut per intellectum, fclùm facere poteft unionem, vel compofitionem rationis &c.

Quòd fi inftes, ita abfolutè poni in definitione vitæ in actu fecundo, quòd fit à principio intrinfeco, ficut in definitione compofitionis realis, quòd fit diftinctorum unio, ergo vel utraque eft limitanda ad egreffum, & diftinctionem realem formaliter, vel neutra, unde fi femel datur, quòd egreffus præfcindere poffit, & falvari eadem vita cum folo egreffu virtuali, pariter præfcindere poterit diftinctio, & falvari realis cōpofitio cum fola diftinctione virtuali. Deinde ficut in vivens actu 2. definitur per egreffum vitæ à principio, ita generans per proceffionem termini ab illo, ergo ficut ad rationem generantis formaliter non fufficit origo, vel proceffio virtualis termini, nec ad ratione͞ viventis formaliter fufficiet virtualis egreffus vitæ. Unde etiam poterat utraque paritas formari fic. Nam quia de ratione componentis formaliter eft diftinctio ab altero extremo componente, & de ratione generantis, & caufæ realis eft proceffio termini, vel dependentia ejus à principio, vel caufa, non falvatur ratio componentis formaliter fine diftinctione reali extremorum, nec ratio generantis, vel caufæ realis formaliter fine reali proceffione, vel dependentia termini ab illis, ergo fi femel de conceptu viventis in actu fecundo formaliter eft egreffus vitæ ab illo, erit egreffus formalis, & non abftrahens; vel fi hic pofterior conceptus abftrahere poteft, pariter poterunt abftrahere priores &c.

Refp. ad iftantiam dift., & expl. ant., ita, & cum diftributione accommoda, concedo; aliter, nego; tum quia fic communiter accipiuntur hujufmodi definitiones explicando priorem de formali, vel virtuali egreffu, alias verò determinatè de reali formali, fcil. diftinctione, proceffione, & dependentia, unde ficut non debemus pro libito invertere, vel immutare communes rerū definitiones, nec pariter explicationes, aut communes earum acceptionas; tum quia, ut infinuavimus; extra controverfiā eft, quòd idem non poffit realiter cōponere, velgenerare, aut caufare fe ipsū cum fola virtuali diftinctione, proceffione, aut dependentia fui à fe ipfo; extra tamen controverfiam non eft, quòd ut aliquod vivat in actu fecūdo formaliter fit neceffarius egreffus realis formalis vitæ, immò contrarii exiftimant poffe hunc conceptum falvari etiam fine virtuali cum fola convenientia à fe per fummam identitatem, licèt reverà fi id fufficeret, ut vidimus, omni fua perfectione viveret: tum quia aliàs, ut dictum eft, non effet perfectio fimpliciter fimplex, cùm egreffus formalis importet imperfectionem potentialitatis, feu exitum de potentia ad actum non habitum actu formaliter: & per hæc etiam patet difparitas ad argumentum factum &c.

Ad

Ad id demùm, quod opponitur in eadem tertia confirmatione principalis argumēti de influxu eminentiali absque virtuali, dicimus, quòd quia prout sic nullum importat motum, vel egressum, sive formalem, sive virtualem, sed puram continentiam activam actus vitalis à suo principio realiter egredientis, non sufficit ad salvandum conceptum vitæ in actu secundo, aliàs posset similiter concipi cum fundamento ut sciens, volens, discurrens in actu secundo, & sic de aliis, sola concepta ex parte ejus continentia eminentiali activa horum actuum, vel perfectionum in nobis, ut à suis principiis realiter egredientium, quod est alienum &c.

§. IX.

Solvuntur alia duo argumenta contra eandem 2. par.

Secundò etiā principaliter arg. Intellectioni divinæ ex nullo sui prædicato repugnat constituere metaphysicè naturam divinam, ergo est constitutiva ejus; prob. ant., quia duo habet prædicata, scil. quòd sit operatio, & quòd sit actualitas subsistens, sed ex neutro sibi repugnat, ergo ex nullo, prob. min., & primò quoad primam partem, in qua est præcipua, & ferè tota difficultas; quia vel est tantùm operatio secundùm modum intelligendi non objectivè, aut realiter; vel dato etiam, quòd sit objectivè, adhuc tamen non impeditur ex quo actualitas subsistens est, ut statim constabit probando secundam partem, ergo, prob. ant. iterùm quoad primam partem; tum quia si esset objectivè, & realiter deberet esse objectivè, & realiter egressus à principio; sicut enim de conceptu operationis est *Ab*, sive egressus à principio, de conceptu operationis objectivè, & realiter talis, est egressus objectivè, & realiter talis, sed intellectioni divinæ, utpotè actui puro, & summè identificatæ cum principio intelligente repugnat egredi objectivè realiter ab illo, ergo; tum quia nullum est fundamentum sic objectivè eam concipiendi, ut objectivè egredientem, nisi velimus simul esse ad eam concipiendam, ut objectivè causabilem, vel effectibilem, cùm egredi objectivè à principio idem sit quòd effici, vel causari ab illo; hoc autem est impossibile, ut patet ex dictis, cùm effectibilitas, vel causabilitas importet dependentiam, & consequenter rationem entis per participationem, quæ omninò repugnat actui puro, vel enti per essentiam, qua ratione excluditur à Deo omnis ratio causæ, & causati.; tum quia si aliquod esset fundamentum, maximè quia eam concipere possumus ad instar intellectionis creatæ realiter ab intellectu egredientis, sed hoc non est sufficiens fundamentum ad eam concipiendam, ut objectivè egredientem, sed solùm ex modo significandi, sicut quòd concipiatur Deus ad instar corporis non est fundamentum, ut sit objectivè corpus, & sic de aliis prædicatis ei objectivè repugnantibus, ergo &c.

2. Deinde probatur secunda pars, quòd nempè possit metaphysicè constituere saltem ut actualitas subsistens admisso etiam quòd sit objectivè operatio. Optimè stant hæc duo, quòd sit objectivè operatio, & nihilominus ut actualitas subsistens metaphysicè constituat, quòd est intentum M. Gonzalez, ergo prob. ant. optimè stant hæc duo, quòd sub priori conceptu constituere nequeat, & possit sub posteriori, ergo optimè illa duo componuntur, prob. ant.; sicut in intellectione, vel operatione divina est duplex conceptus, scil. *Ab*, sub quo supponit principium, & conceptus actualitatis subsistentis, ita in relatione divina est conceptus *Ad*, sub quo supponit fundamentum, vel personam, aut subjectum, & conceptus *In*, sive formæ hypostaticæ, vel subsistentis, sed licèt relatio sub priori, sub quo supponit personam, illam non constituat, potest tamen constituere sub posteriori, ergo pariter intellectio divina poterit naturam constituere sub posteriori, licèt non possit sub priori &c.

Expl. & urg. hoc. Eadem virtualitas divinæ relationis, vel paternitatis, prout origo est, à Patre egreditur ut actus notionalis Patris, & nihilominùs personam Patris constituit, ut est forma hypostatica, vel subsistens, ergo eadem virtualitas divinæ intellectionis poterit à principio egredi, ut operatio est, & nihilominùs illud constituere, ut forma, vel actualitas subsistens &c.

Ad hoc, cui maximè etiam confidunt contrarii, præcipuè in probatione secundæ partis; dico in primis quoad primam, ut supra, quòd iterùm videtur solvenda in volitione divina, ut patet ex dictis; sed deinde nego ant.; ad probationem nego min.; ad probationem nego ant. quoad utramque partem; ad primam probat. primæ vel nego ant. absolutè loquendo, vel claritatis gratiâ dist.; deberet esse egressus objectivè, vel realiter formaliter nego; virtualiter in re, & formaliter, vel actualiter per intellectum, concedo; & in hoc nulla est imperfectio, idque sufficit ut dicatur realiter, vel objectivè talis, sicut ut natura divina dicatur realiter, vel objectivè radix suorum attributorum sine omni imperfectione sufficit ut radicet, aut influat in illa virtualiter per intellectum, & non est necessaria formalis, vel actualis radicatio ante illum, vel objectivè talis; in quo poterat iterùm retorqueri. Ad id verò, quod subditur, quòd sicut de conceptu operationis est *Ab*, de conceptu pariter operationis talis, sive realiter, vel objectivè est egressus realiter, vel objectivè; dicimus ita esse cum distributione accommoda, quòd sicut *Ab* ut sic non petit determinatè influxum, vel egressum formalē, vel virtualē, ita *Ab* tale, sive reale non petit realē formalem, sed formalem, vel virtualem juxta meritum operationis, & sui principii, ita ut si sint de foro creato, petunt formalem ob imperfectionem, & potentialitatem annexam, si verò de increato, sufficit eis virtualis, ut patet à simili in prædicato naturæ &c.

Quòd si instes aliter opponendo paritatem relationis, nempè quòd sicut actio realis constituitur differentialiter per esse ab alio realiter, ita relatio realis per esse ad aliud realiter, ergo sicut non daretur in Deo relatio realis, non admisso *Ab* realiter formaliter, nec poterit dari actio realis non admisso *Ab* realiter formaliter; ergo cùm istud repugnet ibi, admitti nequit actio objectivè, sed solùm ex modo significandi &c.

Huic instantiæ iterùm dico in primis esse solvendam in prædicto prædicato radicis, vel principii in natura respectu volitionis, & aliorum attributorum, quæ salvantur ibi cum solo influxu, & radicatione virtuali. Sed deinde præter superiora, vel

vel magis eadem explicando resp. vel nego ant., vel claritatis gratiâ dist.; ita adæquatè, vel cum eadem indeterminatione, aut distributione accommoda, nego; aliter transeat, vel conc., & nego conf.; quia relatio realis maximè prædicamentalis, vel fine dependentia extremorum, ut est divina, adæquatè consistit in esse *Ad* secundùm esse formale, cùm totū ejus esse sit ad aliud se habere, unde proprium ejus *In*, scil. relativum, non præcisè respicit subjectum, sed referendo ad terminum, unde nisi actualiter, vel formaliter conceptus relationis prout sic conveniat Deo, non ponetur in illo relatio realis actualis; cæterùm actio realis non adæquatur per præcisum conceptum *Ab*, sed in eo, quòd est actus secundus, vel ultimus habet simul rationem ultimæ actualitatis, (in quo etiam, ut dictum est, faciunt contrarii præcipuam vim,) unde dum hæc realiter convenit Deo determinata, vel contracta ad virtuale *Ab*, sive ad egressum virtualem, aut per illum, adhuc in Deo restat realis actio &c.

Ad aliam probationem, vel secundam ejusdem 1. par. nego ant., quòd non sit fundamentum sic concipiendi; est enim, ut dictum est; conceptus vitæ in actu secundò; ad probationem verò ibi annexam, quòd deberet aliàs concipi, ut causabilis, vel effectibilis Illustris. Godoy hîc num. 309. admittit similiter rationem causati virtualiter, sive per influxum virtualem in re, & formalē per rationem, & hā c dicit nullam importare imperfectionem, sicut nulla importatur imperfectio inter perfectiones absolutas per distinctionem inter illas, si solum sit virtualis in re, & formalis per intellectum. Sed quidquid sit de hoc, nam videtur aliàs discrimē inter hujusmodi prędicata, quià distinctio, productio, & egressus, ut pręcisè exprimit conceptū vitæ in actu secundo, ex sua ratione, vel conceptu formali non important imperfectionem, vel oppositionem cum prædicato, vel ente divino, imò sunt necessaria ex terminis ad salvandum mysterium Trinitatis, & exercitium vitæ in supremo sui gradu, & primo vivente; cæterum effectibilitas, vel causabilitas non videntur ex proprio conceptu posse præscindere à dependentia, & defectu intrà lineam entis, sive à ratione entis per participationem, ut innuitur in argumento, & supà etiam insinuatum est; unde in Deo abstinemus ab hujusmodi vocibus causæ, & causati, non tamen ab illis, scil. principii, vel producentis, & producti; tum quia abstinendo à prædictis etiam in sensu virtuali magis elongamus ab errore Arrii, & faciliùs defenditur veritas catholica contrà eundem, scil. consubstantialitas Filii cum Patre. Aliter ergo respond. negando sequelam, quòd inferatur aliqua causabilitas, vel effectibilitas ex puro egressu virtuali intrà lineam vitæ, quia cum nuu importet juxtà meritum hujus lineæ nisi purum exercitium intrinsecum viventis cum summa identitate cum illo, non est egressus per viam effectibilitatis, vel causalitatis, sed per purum transitum virtualem intrà eandem identitatem realem expressivū vitæ actualis, vel in actu secundo, quæ nun exprimitur à puro conceptu radicis, vel principii radicalis: & per hæc patet ad tertiam probationem ibidem, negamus enim ma., sed aliud est fundamentum jam assignatum, & non quià præcisè concipiatur ad instar actionis vitalis creatæ realiter egredientis à suo principio &c.

Ad probationem verò principalem pro 2. par., quæ videtur difficilior, nego ant. quòd possint componi illa duo; ad prob. nego iterum ant., ad probat. dist. ma.. sicut in actione est duplex conceptus, ità in relatione, & eodem ordine, nego, diverso conc., nam in actione prior conceptus est *Ab*, unde si sub isto constituere nequit, sed supponit naturam constitutam, sub nullo ampliùs constituere potest, quod verò sub illo sit prior, patet, quia in tantum intellectio est ultima actualitas, qua ratione contendunt constituere, (cum prout sic etiam sit forma subsistens,) in quantum est actio, sive actus secundus, cui convenit ratio ultimi in linea operativa; unde in quantum est ultima actualitas, & consequenter forma subsistens, tenetur omninò supponere se ipsam sub conceptu *Ab*, sive actionis, aut egressionis, à principio ad quod est primus ejus respectus, sive sit actio immanens, sive transiens, & ideò si sub isto primo conceptu non constituit sed supponit naturā constitutam, à fortiori sub nullo posteriori constituet, sed supponet constitutam; cæterum relatio cum sit forma referens subjectum ad terminum, ut paternitas patrem ad filium, importat *Ad* tanquam conceptum sui ultimū, & veluti consummativum; unde respectus ad subjectum in relatione creata, & conceptus subsistentis in divina est id, quod primò intelligitur in utraque relatione, & ideò ex eo, quòd sub conceptu *Ad*, vel relationis supponat personam constitutam, non sequitur quòd sub illo formæ hypostaticæ, sive ut subsistens constituere non possit, sicut in simili dicimus de actione creata formaliter transeunte, in opinione asserente eam esse subjectivè in passo, quòd quia ex opposito non petit subjectum inhæsionis secundùm primum sui conceptum, scil. actionis, vel *Ab*, sed secundùm ultimum, sive accidentis vel *In*, licet ut actio, vel secundùm conceptum *Ab* attendatur ex parte agentis, constituendo, & perficiendo illud magis quam passum; secundùm tamen conceptum *In*, vel accidentis potest optimè esse forma constitutiva passi, vel esse inhæsivè in illo.

Aliter ergo etiam poterat dist. eadem ma. ex M. Ferre, qui valde etiam subtiliter procedit in solvendo hanc paritatem. Sicut in actione est duplex conceptus, ità in relatione, & in eodem veluti genere causæ, nego; diverso conc., nam relatio constituit, aut dat suos effectus in genere, ut dicamus, veluti causæ formalis, actio verò, efficientis, non repugnat autem, quòd una simplicissima forma, aut virtualitas habeat duos effectus differentes penes primarium, & secundarium etiamsi ad daudum istum sit necessaria aliqua actio intermedia. Patet hoc in essentia gratiæ, quæ primariò in genere causæ formalis est remissiva, vel ablativa culpæ, & veluti secundariò remissiva offensæ, media tamen actione satisfactiva inter se ipsam ut dantem utrumque effectum; sic pariter relatio ut forma hypostatica primariò potest Patrem constituere, & posita generatione Patris, quasi secundariò ut sic dicamus referre illum ad Filium, quia exercendo prout sic hujusmodi diversa munera, non infertur, quòd eadem sub posteriori munere à se ipsa sit sub priori, sed tantum quòd veluti ordine quodam, vel mediatè, scil. posita actione generativa, ut fundamento posterioris muneris, utrumque præstet; cæterum respectu actionis, non sic contingeret sine prædicto inconveniente; quia in genere efficientis eo ipso quòd

quòd aliquod oritur, vel egreditur ab agente, sive egrediatur, vel oriatur efficientia, vel egressu formali, aut virtuali, non potest non considerari. ut effectus, vel ut aliquid productum ab ipso, unde si semel actio constitueret suum agens, vel principium; in ratione deindè egressionis, vel actualitatis ortæ ab eodem, sicut esset aliquid effectum, vel productum ab illo, ità pariter esset quid effectum, vel productum à se ipsa, ut constitutiva illius juxtà illud, quod est causa causæ est causa causati sistendo in eodem genere, & maximè efficientis, qua ratione, ut explicatum est in physicis, hoc præcipuè genus causæ nequit esse capax motuæ causalitatis &c.

Sed huic subtilitati prædictus Magister meus adhuc totaliter non fidit. Etenim si relatio ut relatio, idest ut sub posteriori munere refert Patrem ad Filium sequitur ad generationem, quæ activè est à Patre, jam sub eodem munere activè erit à Patre, ergo si aliàs sub priori munere est constitutiva Patris, eadem sub posteriori activè erit à se ipsa, nam juxtà meritum ejusdem axiomatis, quod est causa activa fundamenti, est causa vel principium illius, quod sequitur ad idem; ergo si ut relatio sequitur ad generationem, quæ est activè à Patre, à se ipsa ut forma hypostatica constituto, erit saltem mediatè influxu formali, vel virtuali à se ipsa, quod repugnat; vel si hoc non obstante adhuc possunt hæc duo in relatione componi, quòd ut forma subsistens Patrem constituat, & ut relatio Patrem constitutum supponat, poterunt similiter componi in actione, quòd ut actualitas subsistens naturam constituat, & ut actio illam constitutam supponat &c.

Respondetur tamen ex eodem negando suppositum, quòd ut relatio sequatur ad generationem sequela aliqua, vel influxu de genere causæ, sed tantum sequela explicationis effectus formalis, quem non intellegebatur dare ante generationem, & illa posita dat, sicut proportionabiliter dictum est de gratia ut remissiva offensæ, quæ non sequitur sub hoc munere ad actionem satisfactivam quasi sequela, vel influxu causæ, sed explicationis alteriùs effectus formalis, quem ante eandem satisfactionem non dicitur dare, & illa posita dat, unde sicut gratia in prima sui infusione, vel quando primò intelligitur in subjecto justificato jam quantum est ex se tota est in illo secundùm utrumque sui effectum, sed non se in posteriorem explicat, nisi posita actione media satisfactiva, ità relatio quando primò intelligitur Patrem constituere, jam est etiam ut relatio, at non se explicat secundùm hoc munus referendi illum ad Filium nisi actione generativa, per quam producitur terminus, qui est necessarius ad exercitium istius numeris, unde post generationem non est censenda quasi noviter resultans, sed tantum se explicans, aliàs deberet esse realiter à Patre, vel ab illo realiter distingui, sicut terminus ejus, quod est hereticum; prædictum autem axioma verificatur de relatione noviter resultante, quòd sit activè à ponente fundamentum, & non quæ præsupponitur ad illud. Utraque solutio subtilis est, sed prima est facilior &c.

Ex his ad confirmationem argumenti principalis nego suppositum antec., quòd relatio sit origo, hęc enim est vera actio, scil. intellectio, quæ prout connotat paternitatem dicitur fœcunda ad producendum Filium, unde non est confundenda cum relatione constitutiva Patris, sed magis oritur à Patre jam constituto &c.

Ultimò tandem arg., & simul probatur constitui etiam per volitionem. Si natura divina esset metaphysicè constitutiva ante omnem sui intellectionem, & volitionem, sequeretur quòd nunquam posset Deus actualiter habere illas, & quòd esse ejus ut sic virtualiter distinctum, & prius illis, esset à casu, sed utrumque est maximum inconveniens, ergo constituitur metaphysicè per illas; prob. ma. primò quoad 1. par., quia nec posset illas habere ab alio, cum sit supremum ens; nec à seipso, nam principium in eo, in quo est distinctum ab operatione, vel ultima actualitate suæ lineæ, concipitur cum minori actualitate, ergo nequit prout sic concipi habere à se; cum nequeat effectus, vel radicatum superare suam causam, vel radicem, nec possit ista dare illi, in quo superatur, ergo. Deindè quoad secundam: tum, quia quod est ante omnem intentionem est à casu, sed quod est ante omnem volitionem est ante omnē intentionem, cum hæc sit actus voluntatis ergo: tum quia omne id, de quo non valet dici, quòd ideò sit, quia aliqua rationabilis voluntas vult ità esse, dicitur esse à casu, sicut mundus diceretur esse à casu, nisi esset ab aliquo volente rationabiliter ità esse, ut est; sed pro priori ad omnem intellectionem, & volitionem non valet dici de natura divina, quòd ità est, quia aliqua rationabilis voluntas vult ità esse, aliàs sic constitutivè non præcederet omnem volitionem, ergo &c.

Ad hoc nego ma. quoad utramq; part., ad probationem primæ, nego ant. quoad 2. par. quòd non haberet à seipso, ad probationem annexam disting. illam ex dictis, principium proximum transeat, radicale, nego, nam cum actualitas istius utpotè naturæ intellectivæ in casu, (& sic proportionabiliter de aliis) sit substantialis, nequit esse, aut concipi formaliter loquendo, ut minor simpliciter, cum illa operationis sit, aut concipiatur ut accidentalis. Dixi etiam transeat, quia ut dicatur pariter principium proximum habere à se non ab alio, satis est, quòd sit identicè sua intellectio, sic enim ejus actualitas concipi nequit, ut minor, nisi dialecticè, vel ex modo significandi, ut dictum est. Ad utramque vero secūdæ par. probationē, quam Eminentiss. Ferrarius vocat frigidam speculationem, & alii fortè dicent crassam subtilitatem, patet primò ex his, quæ subdit idem Eminentissimus ex Phil. in 2. Phys., esse de subjecto non supponente, cum casus, & fortuna sint differentiæ causarum, sunt enim causæ per accidens, unde non est ad rem inferre aliquid casuale intrà forum entis per essentiam, & omninò necessarii, vel nullam habentis causam, ut est Deus; nam causale etiam dicitur, quod est contingenter, & accidit esse præter intentionem sui agentis, constat autem non nisi chimericè posse quempiam id imaginari de Deo, qui est per se primum agens, & ultimus finis, & non à casu. Præterquamquòd hæc nova sui speculatio est ab arguente manifestè solvenda in processione verbi, ad quam, ut explicatur infrà de Trinitate solus intellectus formaliter concurrit, cum sit generatio, vel per viam assimilativam, & non voluntas, sed tantum materialiter, vel concomitanter, quatenus Pater generando illud, vult ejus generationem,

sic t vult se esse Deum, non tamen generat, quia vult, sed quia intelligit; de quo videatur D. Tho, infrà qu. 41. ar. 2. præcipuè ad 1. Præterea etiam contrà eos, qui presens constitutivum extendunt ad actualem volitionem, nempè Suarez, Martinum Perez., Beccanum, & alios, similiter probari posset omnes futuros eventus, quos contendunt determinatè futuros, & cognitos per suam scientiam mediam independenter à divina voluntate, vel decreto, esse pariter ut sic omnes à casu, & tandem omnes rerum essentias, vel prædicata necessaria, præcipuè in statu possibilitatis, in quo autevertit omne divinam, volitionem imò sunt incapacia eam terminandi in eodem; & adhuc in statu existentiæ saltem respectu creaturæ, essent omnia de linea entium per accidens, cum in illo statu non sint volita, nec vobilia, & in hoc posteriori licet sint volita à Deo, non tamen à creatura, unde sicut quæ in hoc eodem statu sunt infallibilia respectu Dei, possunt esse contingenter respectu causæ proximæ; quæ pariter sunt determinata, & intenta ab illo poterunt esse à casu respectu voluntatis creatæ, prout sunt independentia ab ejus intentione, quod tamen est implicatorium in terminis, aliàs prædicata necessaria non essent; unde prædicta speculatio, si esset alicujus momenti, maximè faveret asserentibus omnia in mundo esse à casu &c.

Secundò respondetur; vel magis explicatur precedens solutio, (& iterum fit satis priori parti) ex eodem Angelico infrà qu. 19. ar. 2. ad 5. tangens in simili eandem priorem partem; nam explicans ibi cur divina voluntas, & si sit indifferens ad utrumque extremum, v. g. mundum producendum, & non producendum, non indigeat aliquo exteriori principio determinante se ipsum, ut intendit argumentum; inquit. *Ad quintum dicendum quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Sicut ergo Deus, quia est caus. ex se necessitatem habens, idest habens necessariò omnem perfectionem debitam in linea libertatis; ut ibidem explicatur; io capax est cujuscunque vel minimæ determinabilitatis ab alio, ità etiam quia in linea naturæ, vel gradus habet necessariò omnem perfectionem, vel actualitatẽ sibi debitam, incapax omninò erit cojuscunque casualitatis, unde sicut sola causa, quæ est ex se contingens, vel potentialis dicitur indigere exteriori principio, ut transeat de potentia ad actum, vel extremum determinatum, ità sola pariter natura contingens, vel potentialis potest subesse alicui casualitati &c.

§. VIII.

Expeditur difficultas de distinctione essentiæ, & naturæ.

EMinentiss. Ferrarius sequutus priorem viam, quam insinuavimus, nempè quòd tam conceptus essentiæ, quam naturæ quoad sui rectum formaliter pertineant ad lineam essendi, ità ut conceptus primæ radicis operandi, qui importatur à natura, sit in recto ipsissimum esse summè immateriale, & solum connotet in obliquo operationem distinctam virtualiter ab *esse* importato nomine essentiæ, facilè se expedit, dicendo, quòd natura quantum ad id, quod dicit in recto non distinguitur virtualiter ab essentia, benè verò quantum ad id, quod dicit de connotato, & in obliquo; & ex hac parte ait, non esse audiendos, qui cum Salmanticensibus, & Gonet negant distinctionem existentiæ, & intellectionis in Deo, ex eo quòd si semel Deus adæquatè sumptus, prout scil. dicit esse formaliter entitativum, & intelligibile importaret plures existentias virtualiter distinctas, scil. existentiam ordinis entitavi, sivè esse, & alteram lineæ intelligibilis activæ, scil. intellectionem, utpotè ultimum actum in tali linea, jam esset prout sic unum metaphysicè per accidens; quia ut dicatur unum per se satis est, quòd in linea entis unum tantum habeat ultimum actum, quia unitas per se simpliciter entis attenditur ex ordine ad unum esse existentiæ propriè, & simpliciter dictæ, sicut est esse, quod primò, & per se est actus solus essentiæ, & in divinis est tantum unum, unde salva ejus unitate per se potest in alia linea admittere alios ultimos actus virtualiter distinctos, aliàs tenerentur etiam identificare virtualiter volitionem, cum hæc pariter sit actus ultimus in sua linea: & potentiam in Christo Domino, qui hac ratione est unum per se simpliciter, licet habeat duas naturas humanam, & divinam tam longè distinctas, quam habet tantum unum esse existentiæ simpliciter dictæ in quo utraque communicat &c.

Subdit tamen, quod licet ex parte recti nequeant distingui virtualiter adequatè ex eo quòd non pertineant juxtà eundem modũ procedendi ad distinctã lineam, cum radicare operationẽ; in quo consistit ratio naturæ; pertineat ad eandem lineam essentiæ, ut supponit ex dictis, possunt adhuc distingui virtualiter inadæquatè, quia quamvis ea, quæ pertinent ad eandem lineam æquè primò, nullatenus distingui possint, cum nequeat unum concipi, ut actus purus sine alio, secus tamen si alterum pertineat per se primò ad illam, alterum verò quasi potiùs effectus secundarius illius, sed ratio naturæ est quasi effectus secundarius ejusdem formæ, & essentiæ, quæ primariò habet esse, & secundariò radicare operationem, ergo ratio naturæ potest virtualiter inadæquatè distingui à ratione essentiæ, ità tamen, ut utraque ratio desumatur, & specificetur primò, & per se per ordinem ad ipsum esse; ratio essentiæ per ordinem ad esse absolutè, ratio verò naturæ per ordinem ad idem esse, ut est ratio fundandi operationem, sic prout de more subtiliter discurrit juxtà viam suam &c.

Cæterum admissa eadem radicatione operandi aliquomodo de linea primaria juxtà meritum ordinis operativi, qui, ut insinuamus; dicitur per se primò intentus à natura, & non tantum secundariò, licet materialiter præsupponat ordinem essendi, difficilius est salvare identitatem virtualem inter utrãque, quam contendunt Illustriss. Godoy, M. Ferre, Gonet, & alii contrà Corneyo, & alios recentiores &c.

Nihilominus dicendum est rationem essentiæ, & naturæ in Deo non importare duas virtualitates, sed unam tantum distinctam in duos conceptus inadæqua-

dæquatos ejusdem veluti radicis, prout scil. sub illo essentiæ dicit habitudinem ad existentiã, & sub altero naturæ, habitudinem radicis, vel connexionis cum vi proximè operativa, sivè cum potentiis, quæ sunt principia proxima operationum.

Prob. una simplex virtualitas sufficit ad utrũq; conceptũ, ergo non tenemur dividere in duas; prob. ant. primò ad hominem contrà Corneyo, & alios admittentes dari in Deo attributa consecuta ad essentiam sub ratione essentiæ, v. g. immutabilitatem, æternitatem, infinitatem, &c. quæ sunt de linea essendi; & alia consecuta ad illam sub ratione naturæ ut sunt proprietates operativæ, intellectus, voluntas, vel earum operationes; unde prob. sic. Eadem virtualiter essentia sub hoc conceptu dicit utramque habitudinem scil. ad existentiam, & radicis ad attributa de eadem linea juxtà præcedentem doctrinam expressè ab eodem traditam, ergo una simplex virtualitas sufficere potest ad utrumq; conceptũ, scil. habitudinis ad existentiã, in qua cõsistit ratio essentiæ, io qua ratio naturę, & radicis, vel cõnexionis cũ proprietatibus operativis; nã si semel hæc duæ habitudines componi possunt in ead. virtualitate essentiæ, cur componi non poterunt in eadem virtualitate essentiæ, & naturæ, §. Secundò, quia utraque componitur in vi proximè intellectiva, ergo à fortiori componetur in radicali, cum nus multiplicetur, quã multiplicetur lineę proximę, vel attributales, nã quæ dividuntur in inferioribus, aduoantur in superioribus; ant. verò prob., quia ut frequentiùs docent Thomistæ infrà q. 25., idem est virtualiter attributum omnipotentia cum intellectu, sed nihilominus sub munere, vel conceptu intellectus dicit ordinem ad intellectionem, & sub illo omnipotentiæ connexionem cum effectibus possibilibus, ergo uterque respectus est compossibilis in eadem virtualitate virtutis proximæ intellectivæ, vel operativæ. §. Tertiò prob. idem principale ant. iterum à fortiori in intellectu creato, & in essentia creata; nam eadem pariter est virtualitas in illo ratio proximè intellectivi, sub qua dicit ordinem ad operationem, ut proximum principium illius, & ratio essentiæ, scil. accidentalis, sub qua respicit existentiam, ut suppono in communi sententia: similiter ratio essentiæ simpliciter, & ratio naturæ sub eadem virtualitate uniuntur, ut patet in nobis, in quibus rationalitas, ut potè differentia essentialis gerit utrumq; munus, scil. essentiæ, & naturæ, vel radicis operationis rationalis, cum nequeat intelligi sinè ordine radicali ad illam salva sui unitate, vel simplicitate virtuali respectu utriusque conceptus, &c.

Secũdò etiã prob. conclusio destruendo fundamẽto oppositæ sententiæ. Ex eo ratio essentiæ, & naturæ debent virtualiter distingui, quia una alterã supponit, & per illam prob., & actus essentiæ, scil. existẽtia distinguitur abactu naturæ, sivè ab operatione, sed hæc non obstant, ergò non distinguntur; Ma. est eorum fundamentũ. Min. verò prob.; volitivum radicale supponit radicale intellectivum, & probatur per istud, & actus unius, scil. volitio distinguitur ab actu alterius, sive ab intellectione, sed nihilominus volitivum radicale non distinguitur à radicali intellectivo, ergo licet conceptus naturæ dicatur supponere illum essentiæ, & probari per illum, & actus utriusque distingui, non tamen rectè infertur virtualis distinctio inter rationem naturæ, & essentiæ; mi. constat, quia si semel unum operativum radicale in eadem essentia distingueretur virtualiter ab alio radicali operativo, non solum esset admittenda distinctio inter essentiam, & naturam, sed etiam admittendæ essent in eadem essentia duæ naturæ virtualiter distinctæ, cum conceptus operativi radicalis sit conceptus naturæ, quod tamen nullus hactenus asservit; ma. autem prob. ; quia utrumque operativum radicale se habet ordine quodam, & actus unius proximè pertinent ad distinctam lineã, & magis tenentur distingui actus, quam principia, ergo volitivum radicale supponit se ipsum, ut radicale intellectivum, & per illud probatur, & utriusque actus inter se distinguuntur, &c.

Expl., & urg. hoc; nam quia est ordo inter esse, & operari inferuot contrarii, quòd natura supponit, & probatur per essentiam, sive radicale intellectivũ supponit, & probatur per spiritualitatẽ, ut dictũ est, in qua essẽtia naturæ intellectualis cõsistit, & actus essẽtiæ, scil. existẽtia dist. ab illo naturæ, sivè intellectione, argo quia similiter est ordo inter utrumque radicale operativum, poterit unum aliud supponere, & probari per illud, & actus utriusque inter se distingui, &c.

Explic. ulteriùs. Ideò est talis ordo inter essentiam, & naturam, ut una alteram supponat, & probetur per illam, & actus utriusque distinguantur, quia prius est esse, quam operari, sed etiam prius est intelligere, quam velle, sicut enim nihil est operans, quin præexistens, ita nihil est volens, quin precognoscens ex communi axiomate *nihil volitum, quin precognitum*; alias à casu vellet non precognito volito, ergo unum radicale supponit, & probatur per aliud, & actus unius distinguitur ab alio, &c.

§. ULTIMUS.

Solvuntur argumenta contra precedentem resolutionem.

PRimò arg. opponendo quædam testimonia D. Tho., nam intrà q. 39. relata art. 2. ad 3. inquit, *quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturæ, quæ conveniunt in aliquo actu sicut omnia calefacientia, sed unius essentiæ dici non possunt; nisi quorum est unum esse, & ideò magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt unius essentiæ, quam si diceretur, quod sunt unius naturæ.* In quibus videtur non leviter insinuare inter utrumque conceptum distinctionem virtualem, si semel potest esse identitas aliquorum in ratione naturæ, & non in ratione essentiæ, negatio enim identitatis, importat distinctionem saltem virtualitatis &c.

Secundùm sumitur ex q. 29. ibidem art. 1. ad 4. ubi in fine inquit; *Et ideò convenientius fuit, quòd in definitione personæ, quæ est singulare alicujus generis determinati uteretur nomine naturæ, quam essentiæ, quæ sumitur ab esse, quod est communissimum.* Ubi D. Tho. utramque constituit ad distinctum veluti genus, naturam scil. ad determinatum, essentiam verò, ad communissimum entis, quæ quidem diversitas salvari nequit sine distinction

saltem virtuali, ut patet in eadem essentia, & attributis, quæ quia pertinent ad determinatum, non solum distinguuntur virtualiter inter se, sed etiam ab illa, &c.

Tertium ex 14. infrà art. 1. ubi ut jam insinuavimus; probat Deum esse summè intellectivum, quia est summè immaterialis, sic concludens in fine corp., *unde cum Deus sit in summo immaterialitatis sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis.* Hæc autem probatio videtur admitti, quòd sit demonstratio, ergo ratio immaterialitatis, quę assumitur, ut ratio à priori, & explicat quiditatem per ordinem ad existentiam, distinguenda est juxtà D. Tho. à ratione intellectivi, quæ explicat illam per ordinem radicis ad operationem; prob. consequentia, quia aliàs non posset una assumi, ut ratio à priori respectu alterius, ut desideratur ad veram demonstrationem à priori, &c.

Ad primum resp. D. Tho. non accipere ibi rationem naturæ, prout præcisè dicit conceptum quidditativum, ut præcipuè loquimur in præsenti, sed pro principio actus, quòd quia in divinis aliquomodò multiplicari potest, non verò *esse*, à quo dicitur essentia, ideò rectè ait, quòd *unitas divina magis exprimitur per hoc quòd dicitur, quòd tres Personæ sunt unius essentiæ, quàm si diceretur, quòd sunt unius naturæ*, quia nempè Personæ divinæ, licèt ex parte principii *quo*, sive ex parte formæ divinitatis, seu naturæ divinæ, ut dicit hanc rationem principii tam ad intrà, quàm ad extrà, aut etiam ex parte principii *quod* ad extra, sint ejusdem naturæ, cùm opera ad extra sint indivisa toti Trinitati; non tamen sunt ejusdem ex parte principii *quod* ad intrà, cùm solus Pater generet, & solus Pater, & Filius spirent: sicut autem distinguimus de principio *quo*, & *quod*, ita pariter distinguendum est de actu, scil. subjectivè, vel secundùm se, & terminativè, vel ex parte effectus, unde possunt aliqua dici unius naturæ, quia conveniunt in aliquo actu, non quidem priori modo, sed secundo, ut rectè exemplificat in pluribus calefacientibus, Sole v. g. & igne, qui dici possunt ejusdem naturæ ex convenientia in actu, non quasi habeant eandem actionem ex parte sui, sed ex parte termini, quia habent producere eundem calorem, vel effectum, nam aliàs probari non posset in Christo dualitas actionum ex dualitate naturarum, si semel distinctæ, aut duæ naturæ convenire possent, aut habere eundem actum secundùm se.

Ex his in forma, admissa authoritate D. Tho., nego ex eadem inferri distinctionem virtualitatum, sed tantùm respectuum, vel inadæquatam comparativè ad terminos, quæ sufficiens est ad alterum multiplicandum, alio immultiplicato, ut patet in relationibus divinis, quæ quidem quatuor realiter numerantur, & omnes realiter terminativè distinctæ, sed non subjectivè, quia subjectivè tres solùm realiter distinguuntur, scil. Paternitas, Filiatio, & spiratio passiva; nam spiratio activa, (quæ est 4. ibidem relatio realis) licèt distinguatur realiter terminativè à spiratione passiva, non tamen subjectivè distinguitur ex parte spiratoris, sive Patris, & Filii à Paternitate, & Filiatione; sed identificatur reali ter cum illis, cùm non habeat ad illas oppositionem relativam. §. Ad replicam verò ibi annexam, nempè repugnare identitatem virtualem inter duo, ubi est inter illa negatio identitatis in ordine ad tertium, ut contingit in casu juxta doctrinam D. Tho., cùm possint aliqua esse unius naturæ, & non unius essentiæ, ut in exẽplo adducto calefacientiũ & ex opposito unius essentiæ, & nõ unius naturæ, nisi secundùm rẽ, ut in Personis Divinis; dicimus ita esse, si sit sermo de natura, ut modò loquimur, & non præcisè in ratione principii communiter ad *quo*, & *quod*, ut loquitur ibi D. Tho; & deinde etiam de negatione identitatis tam subjectivè, quàm terminativè, & non tantùm terminativè, ut in casu; nam licèt essentia, & natura sic accepta, non dicantur esse ejusdem identi atis, tàm subjectivè, quàm terminativè, vel respectivè inadæquatè, sunt tamen ejusdem subjectivè adæquatè, vel secundùm rem &c.

Ad secundum respond., quòd quia nomen naturæ, ut patet ex textu, sumitur ex opposito ibidem non pro præciso principio intrinseco motus, prout definitur in 2. physic., quo pacto venit non solùm forma, sed etiam materia, sive non solùm principium formale, sed etiam materiale sub nomine naturæ, ut explicat ibidem, sed prout dicit quiditatem rei, quam significat ejus definitio, juxta illud Boetii lib. de 2. Naturis: *Natura est unumquodque informans specifica differentia*, quæ scil. complet definitionem, & sumitur à propria forma rei; essentia verò non ut stat determinatè pro conceptu specifico, vel gradnali, sed magis pro transcendenti, vel communissimo, sive prout illa significatur ut ens; transeat, quòd prout sic sumptæ, altera scil. per modum quiditatis, & altera per modum transcendentis distinguantur penès explicitum, nec ita convenienter tunc possit poni essentia in definitione personæ, sicut natura, ut ait D. Tho.. secùs verò si utraque sumatur, ut accipitur in præsenti, scil. definitivè, sic enim distinguntur tantùm ut dictum est, respectivè inadæquatè &c.

Ad tertium variè occurrunt Authores, & pendet ejus solutio ex recta intelligentia prædictæ rationis D. Tho.; nam alii existimant non esse veram, aut rigorosam demonstrationem, sive à priori, sive à posteriori ex eo, quòd *esse*, vivere, & intelligere sint formalissimè idem, unde sit tantùm demonstratio quoad nos, sive quædam explicatio, ita ut D. Thom. demonstrationem istam in creatis exercitam assumat in divinis ob imperfectionem nostri intellectus partibiliter attingentis perfectiones divinæ actualitatis, unde fundamentum distinguendi illa tria in divinis non sit intrinsecum, sed extrinsecum. Ita Eminentiss. noster Pimentel in manuscriptis infrà ad qu. 19. relatus à M. Grandi qu. cit. 14. ar. 1. ad 3. Alii verò, ut M. Gonzalez admittit quidẽ esse veram demonstrationem, non tamen à priori, sed procedentem à forma totius ad formam partis, ut si quis ex humanitate probaret risibilitatem in Petro. Alii verò ulteriùs concedunt esse à priori etiam respectu Dei, non quia intellectualitas sit attributum immaterialitatis, sed quia eadem radix secundùm unum conceptum inadæquatum probatur per se ipsam secundùm alium, sicut essentia hominis exprimens radicem discursus, & risus, demonstrari potest etiam à priori, quòd sit radix risus ex eo, quòd sit radix discursus, ita ut hæc sit à priori; homo ex quo est discursivus est risivus. Ita doctiss. noster Lorenzana eadem qu. 14. in manuscriptis apud laudatum M. Gran-

M. Grandi, & consentit M. Jo. à S. Tho. docens immaterialitatem. & intelligere se habere tanquam includens, & inclusum, unde potest inadæquatè unum ex altero demonstrari, sicut vita demonstrativè deducitur ex activitate se movendi, non quia vita sit passio orta ex hac activitate, sed quia ista in illa essentialiter imbibitur, intelligere autem Dei essentialiter in se imbibit immaterialitatem, inde illud ex ista à priori demonstratur.

Adhæret huic modo dicendi ut magis consono veritati idem M. Grandi, Illustriss. Godoy hic §.4. ad 3. & M. Ferre primò in manuscriptis §.4. ad ult., licèt deinde in impressis §. 11. ad 4. valde difficilem existimans censeat probare quidem D. Tho. vera demonstratione à priori intellectivum per immateriale, non tamen intellectivum radicaliter, sed tantum proximè, quod colligit tum ex titulo articuli, scil. utrum in Deo sit scientia, tum ex fine corp., ut etiam superiùs insinuavimus; ubi sic concludit: *Unde cùm Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur, quòd ipse sit in summo cognitionis*; constat autem ex dictis, quòd tam intellectivū, proximum quam actualis cognitio, & scientia sunt de linea attributali, & licet daretur duo priora esse de constitutione metaphysica naturæ, saltem tamen scientia, quæ specialem modum cognitionis importat, naturam Dei metaphysicæ constitutam supponit, unde hæc saltem à priori demonstrari potest per medium immaterialitatis, sed non intellectivum radicale in quo Dei natura metaphysicè consistit. Utraque hæc posterior solutio, vel modus dicendi (salvis tamen superioribus circa demonstrabilitatem existentiæ Dei) probabiliter sustineri potest, nam ex his non sequitur, quòd conceptus naturæ sive intelligere radicale demonstretur à priori, sed tantum attributum juxtà hunc posteriorem modum; vel quòd eadem radix secundùm unum conceptum inadæquatum probetur per se ipsam secundū alium, ut dictum est; juxtà alteram solutionem &c.

Sed contrà utramque solutionem sunt difficiles instantiæ, contrà priorem quidem arguit M. Ferre, ad probandum, quòd conceptus naturæ nullo modo sit demonstrabilis à priori. Nam subjectum, de quo per veram demonstrationem probatur aliquod prædicatum ei convenire non est prçcisè res, ut tantum respicit existentiam, sed etiam ut est radix prædicatorum demonstrabilium, ergo debet quoad utrumque prædicatum supponi, scil. essentiæ, & naturæ, quia non intellecta ratione naturæ non intelligitur conceptus radicis &c.

Explicatur, & urgetur ex eodem. Si immaterialitas dicit solam essentiam, & intellectivum dicit conceptum naturæ, nequit ante istum intelligi causa, ut causa, sive formalis, sive virtualis effectus demonstrabilis, cum nequeat hæc intelligi non intellecta ratione primæ radicis, sive naturæ, ergo hac non intellecta nequit aliquid intelligi ut subjectum, de quo per veram demonstrationem probetur ei prædicatum convenire &c.

Explicatur, & urgetur ulteriùs ex eodem. Ante primam demonstrationem debet ex parte subjecti supponi totum id, quod cadit sub lumine principiorum, sed sub isto non tantum cadit conceptus essentiæ, sed etiam naturæ, ergo uterque antecedit veram demonstrationem, & nullo modo potest per eam concludi, ut prædicatum demonstrabile.

Dices ità esse loquendo de demonstratione à priori secundùm se, non verò quoad nos, sic enim potest natura per essentiam demonstrari, quia ad hanc demonstrationem non requiritur processus per causam sive formaliter, sive virtualiter talem, sed sufficit distinctio duorum conceptuum inadæquatorum, quorum unus alterum supponat ut contingit in illo naturæ respectu alterius essentiæ &c.

Sed contrà hoc est. Quia in demonstratione à priori quoad nos debet assumi pro medio id, quod à nobis præintelligitur causa prædicati demonstrandi, at conceptus inadæquatus essentiæ nequit sic intelligi ut causa conceptus naturæ, cum intellectus noster nullam causalitatem apræhendat in essentia respectu alicujus prædicati, quod non intelligatur oriri ex illa vel formaliter, vel virtualiter, ergo nec etiam quoad nos est demonstrabilis conceptus naturæ per illum essentiæ ut præcisè dicit habitudinem ad existentiam &c.

Deinde instas contra posteriorem ex Illustriss. Godoy primò, quia ex principiis incertis in sententia Thomistarum procedit, cum tamen ratio D. Thom. ut recta, & artificiosa sustineri debeat in omni sententia probabili inter Thomistas. Secundò quia licet titulus articuli inquirat de scientia, conclusio tamen in fine in corp. de cognitione absolutè procedit, ut patet ex verbis relatis. Tertiò nam licet tandem conclusio de summa cognitione procedat dicendo, *Deum esse in summo cognitionis*, non tamen sequitur solam actualem cognitionem, aut vim proximè intellectivam tantum demonstrasse, sed etiam radicalem; nam sensus legitimus illius propositionis *Deus est in summo cognitionis* est Deū esse summè cognoscitivum, vel in summo cognitionis gradu, qui denotat naturam summè cognoscitivam. Quartò & urgentiùs; quia si tantum probaret rationem cognoscitivi sumptam pro attributio in hac linea, aptiùs pro medio assumpsisset conceptum naturæ, sic enim est radix eorum à priori in eadem linea, ergo assumendo immaterialitatem, sive separationem, vel independentiam à materia, elevationemque supra illam, signum est voluisse probare non præcisè scientiam, intellectum, vel intellectionem, sed Deum esse naturæ intellectualis in quacunque perfectione constituatur ratio naturæ &c.

Ultimò tandem. Nam principium assumptum à D. Thom. est quòd immaterialitas alicujus rei est ratio, quòd sit cognoscitiva; ex quo infert primò sensum esse cognoscitivum, quia est receptivus specierum sine materia; in sensu autem esse receptivum specierum sine materia, & esse cognoscitivum non distinguuntur virtualiter adæquatè. Secundò infert intellectivum esse magis cognoscitivum, quia est magis separatus à materia, ergo immaterialitas ipsa intellectus creati est medium, quo D.Tho. probat intellectum creatum esse intellectivum, cum tamen in intellectu immaterialitas, & ratio proximè cognoscitivi, vel intellectivi non differant virtualiter adæquatè, ergo etiam immaterialitas naturæ intellectualis erit ratio probans intellectualitatem radicalem illius, quamvis inter illa non detur, virtualis adæquata distinctio. Hæc sunt, quæ mutuò contrà se opponunt Doctissimi Magistri.

Ad primam nihilominus dicimus primò, quòd

vi

videtur solvenda in ejus doctrina, quia §.9. antecedente in probatione secundæ partis conclusionis duo veluti genera attributorum distinguit, ut insinuavimus; & consequēter duas radices, scil. essentiā respectu attributorum de linea essendi, & alteram respectu intellectionis, sive aliorum de linea operandi, quam modo concipimus sub ratione naturæ, ergo cum priora attributa non probentur à priori per radicem de linea operandi, ad quam non spectant, tenetur asserere, quòd subjectum, de quo e t aliquod prædicatum demōstrabile non debeat esse res prout comprehendit utrumque conceptum essentiæ, & naturæ, sed possit esse res, ut tantum dicit essentiam, vel solam respicit existentiam, aut prædicata de linea ejus &c.

Sed deindè respondetur benè ibi dictum esse, quòd sufficiat distinctio inadæquata conceptuum, ut dicatur natura demonstrabilis saltem quoad nos, neque enim est perpetuò necessaria distinctio adæquata inter prædicatum demonstratum, & medium à priori demonstrativum, ità ut omnis demonstratio à priori quoad nos debeat semper esse per causam sive formalem, sive virtualem per modum radicis, & radicati, sed sufficit, quòd sit per prædicatum æquivalens, vel per conceptum inadæquatum ejusdem radicis, ut patet in pluribus exemplis; tum in duobus relativis, quæ mutuo dicuntur unum definiri, vel probari saltem negativè à priori per aliud sine omni causalitate, ut explicant dialectici, unde D. Thom. infrà quæst. 50. ar. 1. ut vidimus; probat ex opposito Angelos esse incorporeos, quia sunt intellectuales, quod est eandem radicem mutuo secundùm unum conceptū probari per se ipsam secundùm alium; tum in anima nostra secundùm utrumque sui conceptum definitivum, ut dictum est ibidem de anima; tum in immaterialitate intellectus respectu rationis proximè cognoscitivi &c.

Ex his ad replicam dist., dabet assumi id, quod præintelligitur, ut causa præcisè per modum efficientis, vel dimanativè radicantis, nego; ut causa formaliter, vel suppletivè, vel per modum quasi causæ formalis, concedo, & sic contingit in casu, quia cum uterque conceptus sit de linea veluti formæ constitutivæ, & alter utpotè de linea essendi concipiatur, ut prior, se habet ut medium per modum veluti causæ formalis à priori demonstrativum respectu alterius, & licet æqualiter se habetent, adhuc unus potest habere rationem medii à priori quasi negativè, ut contingit in relativis; unde, ut dictum est, mutuò utrumque assumit D. Thom. pro medio respectu alterius; in hoc autem genere, vel linea formali, non est necessaria distinctio virtualis adæquata, sed sufficit inadęquata, quidquid sit de virtuali efficiente, vel dimanativè radicante; unde sicut forma, vel causa formalis realis non tenetur realiter adæquatè distingui, sive à materia, cujus est causa formalis in hoc genere, & solum inadęquatè, vel partialiter distinguitur ab illa, sive à sui effectu formali, qui ast forma communicata subjecto capaci, & indistinctus saltem adæquatè ab illa, cum in illo includatur, ità formalis virtualis solum petit virtualiter inadæquatè distingui. Et per hæc etiam patet ad 1. confirmat., cum non sit necessaria causa formalis, aut virtualis in genere efficientis, aut per modum dimanativè radicantis, sed sufficiat in genere formæ, aut per modum prædicati æquivalentis, vel æqualis de eodem foro constitutivo &c.

Ad secundam, quæ potest esse replica, Illustris. Godoy hic num. 107. docet non repugnare, quòd formalitas demonstrata cognoscatur etiam lumine principiorum non quidem ut demonstrata, sed inspecta secundùm se, sicut demonstrabilitas à priori quoad nos non obstat, ut aliqua propositio sit secundùm se immediata, unde si eadem formalitas habeat aliam ratione inadæquata priorem, poterit prout sic utroque lumine attingi, altero scil. principiorum prout secundùm se pertinet ad forum constitutivum, & altero scientifico, prout aliquomodo posterior est, & consequenter inferibilis ex alia, ut contingit in casu.

Hęc doctrina, prout probabilitar, ut dictum est, sustinemus utramque solutionem sine præjudicio eorum quæ dicta sunt circa demonstrabilitatem illius propositionis *Deus est*; non displicet ex parte; videtur tamen pati difficultatem in eo, quòd ut vidimus; mutuò D. Thom. unum conceptum infert ex alio, scil. intellectualitatem ex immaterialitate infrà q. 14. ar. 1., & immaterialitatem ex intellectualitate q. 50., ar. 1., cum tamen idem Illustris. soli conceptui naturæ videatur concedere prædictam demonstrabilitatem, ex eo quòd solus iste sit posterior, aut supponens alterum, ut dictum est, nam si D. Thom. unum mutuò probat ex alio, jam uterque poterit ab utroque lumine attingi in eo, quòd unus est mutuò inferibilis ex alio, unde unus saltem quoad nos erit mutuò prior alio, cum non sit probatio à posteriori, sed à priori utpotè ex prędicatis de linea primi, vel essentiali, licet quasi materialiter unus alium primò antecedat, scil. immaterialitas intellectualitatem, sive rationem cognoscitivi radicaliter. Nec videratur in hoc aliquod inconveniens, cum de eisdem pręmissis de fide dicamus simul pertinera ad lumen principiorum, nempè secundùm se, & ut sunt deindè formalis ratio inferendi conclusionem theologicam ad lumen scientificum, & sic de aliis præmissis. Et sicut etiam de eodem lumine scientiæ infusæ Christi dicimus, quòd simul sit intuitivum, & discursivum saltem ex parte subjecti, seu intellectus discursivi, ità de eodem objecto, quòd sit simul intuibile, scil. secundùm se, & demonstrabile quoad nos &c.

In forma ergo ad eandem explicationem distin. ma., debet supponi secundùm quòd cadit sub eodem lumine conc., secundùm quòd est etiam attingibile per lumen illativum, saltem quoad nos, nego, & distin.min., cadit uterque sub illo tantùm nego, sub alio etiam illativo saltem quoad nos, conc., nam cum D. Tho. infra non tantùm probet immaterialitatem proximam in Angelis ex intellectualitate, sed etiam primam, vel radicalem, aut substantialem, tenemur admittere sustinendo discursum D. Tho., quòd sub utroque lumine cadere possit, & quòd ex opposito infra q. 14. non tantùm probet rationem intellectivi, vel proximi, sed etiam radicalis, & consequenter quòd istud etiam sub utroque cadere possit.

Ad alia verò quę opponuntur ex eodem Illustris. Ad primùm dist. ant., procedit ex principiis incertis, scil. scientificè, certò tamen probabilibus, & satis fundatis in litera, conc., aliter nego, nec vi-

videtur amplius desiderari, cò vel maximè, quòd non omnes admittant voluisse D. Tho., ut dictum est, omninò artificiosè, aut secundùm rigorem dialecticum demonstrativè procedere, sed magis explicativè. §. Ad secundum respondetur, quòd imò videtur ex hoc, quòd in titulo inquirit de scientia, & in fine non concludit de cognitione; solùm velle concludere de intellectivo proximo, vel attributali, cum tam scientia, quàm cognitio important proximam, vel actualem rationem cognoscitivi, quidquid sit quòd non præcisè intendat concludere scientiam, ut dicit specialem modum cognitionis, &c.

Ad tertium nego sequelam ad probationem annexam dicimus, quòd cum in tota q. 14. agat de intelligere ultimo non præcisè radicali prædicta propositio, scil. *Deus est in summo cognitionis* non est intell igenda de summo in linea præcisa actus primi, sed magis proximi, vel ultimi, quòd nempè scientia, vel intelligere Dei sit perfectissimum, vel quòd Deus habeat intellectum actu cognoscentem, vel qui sit sua cognitio, unde etiam apponit exemplum non in anima, quæ importat intellectivum, vel cognoscitivum radicale; sed in sensu, & intellectu, qui important cognoscitivum proximum, &c.

Ad quartum distin., & explico ant. aptiùs assumpsisset conceptum naturæ, si procederet secundùm se, transeat, quia re vera iste concipitur prout sic, ut radix proximior respectu intellectivi proximi, vel actualis; si quoad nos, nego, quia cum nos concipiamus rationem cognoscitivi per separationem à materia, assueti in naturalibus, ubi ad scibilia cognoscenda recurrimus ad abstractionem à materia, ideò facillùs, vel aptiùs concipimus rationem intellectivi, vel cognoscitivi per immaterialitatem, quæ dicit recessum ab illa.

Ad ultimum diclmus primò, non militare contra præcipuam vim, cui innititur M. Ferre, nempè quòd ex parte subjecti, de quo aliquid demonstratur, debeat præcedere, aut supponi, integra ratio ejus importans utrumque conceptum essentiæ, & naturæ, & consequenter totum id, quod attingitur lumine principiorum, quod non militat de cognoscitivo proximo, sive intellectivo, sive sensitivo; quamvis aliàs urgeat in eo contra eundem, quòd velit rationem à priori debere esse per modum radicis, & consequenter virtualiter adæquatè distinctam à prædicato demonstrabili, aut demonstrato. §. Sustinendo nihilominùs illius solutionem respon. esse discrimen, quòd respectu cognoscitivi proximi est medium verè à priori, scil. cognoscitivum radicale, vel radicalis immaterialitas, quæ se habent per modum radicis, non tamen respectu radicalis cognoscitivi, vel intellectivi; an verò D. Tho. procedat per immaterialitatem proximam, vel radicalem, dum probat intellectum, & sensum esse cognoscitivos, quia sunt immateriales, dicent facilè contrarii, quòd si velimus verè demonstrativè procedere, quòd non probat præcisè per proximam, sed per radicalem, nam si procederet per proximam, magis explicativè procederet, quàm rigorosè demonstrativè. Hæc iterùm probabiliter dicta sint in gratiã utriusque Sapientissimi Magistri, & præcipuè mei, &c.

Secundò arguitur. Conceptus essentiæ, & conceptus naturæ spectant ad distinctum genus, & ordinem, ergo virtualiter adæquatè distinguuntur, consequentia tenet nisi velimus etiam, quòd absolutum, & relativum, vel alia hujusmodi spectantia ad distinctas lineas, in quibus est minor latitudo, quàm generis, vel ordinis; sola pariter gaudeant distinctione virtuali inadæquata, quod est alienum à communi consensu Thomistarum; ant. verò prob., quia ille essentiæ spectat ad genus, & ordinem entitativum, alter verò naturæ ad genus intelligibile, & ordinem operativum, ergo, &c.

Ad hoc nego ant. præcipuè quoad primam partem de distinctione generis, (nam de illa ordinis dicemus infra;) ad probationem nego iterùm ant. quoad secundam part.; vel distinguo, pertinet ad genus intelligibile activũ, concedo, passivum nego, nam licet istud, utpotè abstrahens ab existentia, & consequenter contrahatur per differentias distinctas à genere entis; importet genus distinctum, secùs verò activum, quia cum istud dicat rationem principii activi, nequit ab illa adæquatè præscindere, & consequenter neque à genere entis, unumquodque enim agit in quantum est in actu, unde purum intelligibile, sive passivum dicit tantùm connexionem cum intellectu potente illud attingere, ut patet in possibilibus; intellectivum verò, sive intelligibile activum eam dicit etiam cum existentia, & ideò nequit adæquatè distingui à genere entis, vel concipi extrà illud, &c.

Sed instas. Licet intellectivum radicale præsuppositivè connectatur cum existentia, formaliter tamen dicit connexionem cum intellectione tanquam cum ultima actualitate suæ lineæ non expressã à genere ẽtis, ergo sicut hac ratione intelligibile passivum pertinet ad distinctum genus, quia dicit connexionem cum intellectu non expressam ab eodem genere entis, pariter activum pertinebit ad distinctum.

Secundò, & urgetur præcedens. Datur etiam intelligere passivum necessariò exigens existentiã & aliquod etiam ita ab illa imprescindibile, ut nequeat ad purum esse intentionale reduci sine esse physico, & reali, sed nihilominùs quia prout sic dicunt connexionem cum intellectu non expressam ab eodem genere entis pertinent ad distinctum genus, ergo eadem ratione activum pertinebit ad distinctum; antecedens constat in objecto cognitionis intuitivæ, quod sine existentia physica cognosci quidem potest, sed non intueri. Deinde etiam in Deo clarè viso, qui cum per nullam ibi speciem creatam representari possit oportet, quòd per suum esse physicum sit intra intellectũ beati, & consequenter importans suam existentiam, &c.

Ad primam distin. ant., non expressam à genere entis nec mediatè, nec immediatè, nego, immediatè transeat, vel concedo, licet enim ens se ipso immediatè ut principium quo remotum non exprimat connexionem cum ultima actualitate lineæ operativæ, sed magis cum existentia, exprimit tamen mediante aliquo sui membro, vel inferiore essentiali, scil. vivente intellectuali, dividente essentialiter seipsum ab aliis inferioribus non viventibus, unde nequit intelligi plenè constitutum, ac distinctum, non sic saltem mediatè exprimens eandem connexionem, quod tamen nequit habere medio intelligibili, quia istud formaliter loquendo, ut statim ulteriùs constabit, sistit in puro esse intentionali. Quòd

Quòd si dicas connexionem cum intellectione non exprimi à vivente intellectuali, ut est inferius ad ens, cum non sit inferius sub conceptu naturæ, qua ratione exprimit illam, sed tantùm sub conceptu essentiæ, qua ratione exprimit existētiā, & consequerer ēs nō exprimere illā nec mediatè, nec immediatè, quòd est importare genus distinctum. §. Jam respo[n]sum est, quòd cum sub conceptu naturæ dicat rationem principii activi, & unumquodque agat inquantùm est in actu, non fiat sub hoc conceptu exprimere illam, quasi aliquod extraneum, & non ut inferius; tum quia, ut proximè etiam dictum est, cum sit ens essentialiter divisibile in vivens, & non vivens, nequit intelligi plenè constitutum sine extremo viventis in sua linea, & consequenter sine expressione saltem mediata cum illius operatione, unde solus ordo ad existentiam nequit adæquatè contrahere, vel exhaurire ejus amplitudinem, quia contrahit illud multiplicando essentialiter, & constituendo alterum ex membris dividentibus essentialiter distinctum ab ente non vivente, quòd est habere formaliter ut inferius, vivens intellectuale, & connecti medio illo cum intellectione.

Ad secundam negoant. formaliter loquendo, ad probationem, nego in primis suppositum, quòd notitia intuitiva præcisè distinguatur ab abstractiva, ex eo quod illa habeat, vel exigat objectum existens, hæc verò non, cum etiam futura nondū existentia sint cognoscibilia intuitivè à Deo prout physicè præsentia in æternitate: nec desunt doctissimi viri, Medina Alvarez, & Cabrera, qui id etiam concedant animæ Christi per scientiam infusam respectu futurorum contingentium, de quo tamen 3. p. q. 11. ad ar. 1.: unde in hoc potissimè una ab alia distinguitur, quoad intuitivam requiritur, quòd res cognita sit jam præsens realiter in duratione, in qua est cognitio, quod maximè verificatur de futuris respectu durationis divinæ, seu æternitatis, ut sunt objectum cognitionis intuitivæ Dei, non tamen ad abstractivam, juxta utriusque definitionem, scil. intuitiva est rei præsentis realiter, abstractiva est rei absentis duratione, de quibus M. Soto 1. parte introductionum summul. cap. 6. lec. 2. &c.

Sed deinde ad eaodem probationem distin. ant. quoad 1. part., sine existentia physica, sive præsentia, præcisè ex meritis sui, ut intelligibile est, seu formaliter, nego, materialiter, aut ex parte substracti, transeat, vel concedo, sicut quia species intelligibilis non formaliter ut species intelligibilis est, habet, quòd inhæreat, vel informet, sed tantùm materialiter, sive ex parte substracti, quia est accidens, vel forma creata; formaliter autem habet objectivè determinare; ita objectum cognitionis intuitivæ, non formaliter, ut intelligibile est, petit realem præsentiam, vel existentiam, sed materialiter ex parte substracti, quod nisi supponatur realiter præsens, vel existens nequit esse intuibile contrapositivè ad objectum notitiæ abstractivæ, formaliter autem, & ut intelligibile est, magis petit denudari ab hic, & nunc, unde intellectus etiam dum rem existentem intuetur, intuetur illam trahendo ad se, & reducendo intra se ad purum forum, vel esse intentionale cum præcisione ab illis, quod est tantùm præsuppositivè dicere existentiam, non formaliter, &c.

Ad secundam partem, vel exemplum de Deo clarè viso dist. probationem ibi annexam; oportet quòd sit ibi secundùm suum esse physicum indistinctum realiter ab esse intentionali, concedo, tam realiter, quàm virtualiter, nego, nam licet ex quo nequit immediatè representari per speciem creatam, sive expressam, sive impressam, ut videatur à beatis, seipso immediatè illabatur mentibus eorum gerendo vicem utriusq; non tamen illabitur, aut unitur illis per unionē physicā, seu informando, sed magis ut actus in esse intelligibili, vel objectivè determinādo, ut explicabitur infra, unde etiā intellectus secundùm modū suū contrapositivè ad voluntatem trahit quodāmodò illū ad se, ut sibi uniatur non modo physico, sed intētionali præscindendo etiam aliquomodo ab hic, & nunc, formaliter loquendo, vel quantùm est ex meritis lineæ intelligibilis, & cum distinctione virtuali, vel attributali inter utrumq; esse, &c.

Ex his patet ad id, quod in argumento principali tangitur de diversitate ordinis entitativi, & operativi; quia iste utpotè concernens existentiam, ut dictum est, non pertinet ad genus distinctum, & licet in nobis petat principium proximum per se ordinatum ad operationem, ut latè ostensum est in 2. physi. 5 in radice tamen possunt adæquatè convenire præcipuè in Deo, ubi est summa eminentia: nam si intra hoc idem forum intellectivum, vel operativum de hac linea, etiam in principio proximo uniri possunt, quæ sunt incompossibilia in inferioribus, ut patet in scientia infusa animæ Christi, quæ simul est, ut vidimus, lumen intuitivum, & discursivum, idest potens cum discursu, & sine discursu intelligere; & similiter in aliis habitibus scientiarum, qui possunt discurrere à priori, & à posteriori, licet modi isti intelligendi, & discurrendi sint incompossibiles in eodem actu, quantò magis in radice cum sola distinctione inadæquata uniri poterunt, &c.

DISPUTATIO IV.

De divinis attributis in communi.

Explicatis, quæ pertinent ad essentiam, & naturam Dei consequens est, ut ad ejus proprietates, vel affectiones, quæ attributa vocantur à Theologis, descendamus, & primò quidem in commoni, deinde in particulari; unde præmissa eorom quiditate, & divisione, distinctionem inter se, & ab essentia inquiremus.

QUÆST.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodo divina attributa distinguantur inter se, & ab essentia divina.

PLura, quæ ad præsentem difficultatem conferre possunt jam retulimus in Logicis circa distinctionem graduum metaphysicorum, sive prædicatorum superiorum, & inferiorũ,& infra etiam adducimus de Trinitate, & tanguntur etiam de scientia Dei; unde & hic examinabimus, quæ ad illam magis videbuntur expedire.

§. PRIMUS.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

DE attributis absolutis modo inquirimus, nam de relativis latè iterùm de Trinitate contra Scotum. Definitur autem, quòd sit *perfectio quadam absoluta, & necessaria formaliter, & necessariò superveniens essentiæ jam constitutæ*; idest, quæ necessariò existit in Deo, & nostro modo intelligendi per modum veluti passionis,& proprietatis ad divinam essentiam consequitur; cui definitioni, superaddit hanc aliam particulam Illustriss. Godoy, quam etiam supra insinuavimus ex M. Ferre, scil. *& in esse substantiali completa*; nec displicet, ut statim constabit. §. Dicitur primò *perfectio absoluta*, per quod distinguitur à relativis, vel relationibus divinis, tum quia ista probabiliter non important perfectionem de sua linea, tum quia propriam rationem attributi, ut ad præsens attinet, non habent, cum non sint communes tribus personis, nec concipiantur dimanare ab essentia, sed tantùm exigi, ut infra. §. Dicitur deinde *necessaria, aut necessariò* conveniens, ut distinguatur ab actibus liberis, qui licet non subjectivè, aut passivè in se, activè tamen pro aliis, aut terminativè dicuntur posse non esse, aut deficere. Tertiò quòd sit *formaliter* cõveniens, per quod differt à perfectionibus secundùm quid creaturarum, quæ non formaliter, sed eminenter, vel tantùm virtualiter dicuntur esse in Deo. Quartò quòd *consequatur* nostro modo concipiendi, quia eam ut sui radicem dimanativè supponit, per quod distinguitur, ut dictum est; tum ab eisdem relationibus, tum ab existentia, quæ licet pariter essentiam mataphysicè constitutam supponat juxta probabilissimum modum dicendi, ut vidimus; non tamen dimanativè, ut sui radicem juxta eundem modum dicendi, (& sic similiter de subsistentia sive absoluta, sive relativa,) unde magis comparatur existentia ut terminus naturæ, quàm proprietas illius, ut explicatum est. Superadditur tandem *in esse substantiali completa*; quia solùm veluti materialiter, aut quia divinum est, dicitur substantia, ut vidimus, formaliter autem, ut attributum scil., vel proprietas, concipitur à nobis adinstar accidentium in creatura, unde sicut hæc non solùm supponunt essentiam, vel naturam in suo esse metaphysicè constitutam, sed etiam in esse physico, & substantiali completam, ita similiter supponit eam attributum in Deo, prout à nobis concipitur ut tale, &c.

Dividuntur verò attributa; quòd aliqua, ut jam insinuatum est, exiguntur, sed non dimanant, ut relativa, sicut in simili dicimus de speciebus angelicis, quæ vocantur aliquomodo proprietates eorum,quatenùs cõveniunt Angelis, vel exiguntur ab illis, non tamen dimanant, sed fuerunt eis ab initio infusæ; alia verò exiguntur, & dimanant, ut sunt absoluta, de quibus in præsenti. Hæc autem subdividuntur in positiva, ut esse bonum, justum, sapientem, &c. & in negativa, ut esse incorporeum, infinitum, immutabilem, incomprehensibilem, ineffabilem, &c. deinde alia sunt absoluta, quæ scil. nullum important respectum ad creaturas, ut esse simplicem, unum, perfectum, &c. quædam verò respectiva, quæ sine ordine ad illas intelligi nequeunt, ut omnipotentia, providentia, justitia, misericordia, &c. Alia verò, ut etiam innuimus, dicuntur pertinere ad substantiã,vel esse Dei,ut bonitas,perfectio,infinitas, æternitas, immutabilitas, &c. Alia verò quæ consequuntur ad illam sub munere naturę,& sunt de linea operativa, vel vitali, ut intellectus, voluntas, scientia, omnipotentia, amor, justitia, misericordia, &c.

Circà hæc verò, aut similia prædicata divina obiter adverto, quòd ea quæ in suo formali conceptu includũt infinitatem sunt creaturis incommunicabilia, ut esse Creatorem, actum purum, Omnipotentem, substantiam supernaturalem,&c. nam primum dicit vim productivam ex nihilo,& cõsequenter infinitam; secundum exclusionem totius potentialitatis, ubi iterùm importatur illimitatio; tertium vim productivam omnium non implicantium sine dependentia ab alio, quod repugnat enti finito, seu potentiali, & dependenti; quartum dicit perseitatem existendi cum excessu supra omnem naturam creatam natum per se existere, qui est modus proprius, quo per se existere convenit Deo, sive enti per se infinito, & sic de aliis, &c.

Sed adverto, quòd licet in Deo admittatur hujusmodi pluralitas attributorum, in nullo tamen præjudicat ejus summæ simplicitati, imò magis eam commendat, cum una actu existens infinita Dei perfectio ob summam sui eminentiam ita pluribus æquivaleat, ut omnia præstet, ac si esset actu distincta seclusis imperfectionibus, unde dat intellectui fundamentũ ad plures actn distingoendũ;quę solùm ſite opus ejus sũt tantũ virtualiter distincta; obstat ergo eidem simplicitati compositio,sive realis, sive rationis cum fundamento iu re non virtualis multiplicitas attributorum, formaliter qui-

dem convenientium, sed virtualiter tantùm distinctorum, ut statim constabit, &c.

Pro quo ulteriùs adverto, quòd adhuc in duplici differentia reperiuntur hujusmodi perfectiones in Deo, nam aliæ dicuntur simpliciter tales, quæ scil. in suo conceptu formali important perfectionem; aliæ verò non, quæ nempè non important illam; omnes tamen formaliter Deo conveniunt, quia licet hæ posteriores dicantur in suo formali conceptu non importare, non tamen dicunt in illo imperfectionem, sed magis negationem illius, unde simplicitas, quæ juxta Gaietanum, & alios non est perfectio simpliciter, est nihilominùs formaliter in Deo, sicut formaliter in Deo est relatio, quæ juxta eundem Caiet. de ente, & essentia cap. 2. de relatione; perfectio simpliciter non est; quia licet perfectionem non dicant, non tamen aliquam imperfectionem important; est namq; simplicitas, negatio compositionis, & consequenter imperfectionis prout attinet ad præsens, ut statim dicemus, nam de compositione personæ Christi specialiter 3. p. examinatur, & est alterius rationis, nec est modo ad rem, & adhuc aliquid infra insinuabimos; similiter etiam quamvis, ut dictum est, de propria linea perfectionem non importet, cum tamen hæc de eadem linea, sibi debita non sit, nullam omninò in divinis dicit imperfectionem, imò exigit transcendi à perfectione absoluta.

Ex his inferimus quòd salua Dei summa simplicitate, quam illi attribuit Concil. Later. cap. *firmiter* de sum. Trinit., & fide Catho. illis verbis; *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, una essentia, substantia, seù natura simplex omninò.* Nulla in eo admitti potest partium compositio, sive quæ est ex essentia, & esse, seù existentia, ut potè summè simplex in linea actualitatis per exclusionem cujuscunque potentialitatis; sive, quæ est ex materia, & forma, ut potè simplex, ac purus spiritus, sive quæ est ex partibus integrantibus ab eandem simplicitatem in linea spiritus, cum hæc compositio solum conveniat rebus materialibus quantis; sive quæ est ex genere, & differentia, cum hæc pariter opponatur simplicitati actus puri, nam genus est pars potentialis per differentiam tanquam per sui actum contrahibilis &c.

Nec obstat quòd ait Vasquez nempè, quòd cum compositio ex genere, & differentia sit tantùm compositio rationis non est necessarium, quòd supponat potentialitatem realem in omni eo, in quo reperiri potest. §. Non obstat quidem, nam licet rationis sit, est tamen cum fundamento in re, ità ut licet sola ratio distinguat conceptum objectivum generis, ab objectivo differentiæ, id tamen facere nequit sine fundamento ex parte objecti, cum non sit compositio chimerica, aut solius rationis ratiocinantis, cum verè objectum metaphysicè det illi fundamentum sic distinguendi, ergo ubi nulla est, nec concipi potest potentialitas, nullum omninò erit, nec concipi poterit fundamentum distinguendi conceptum aliquem objectivum generis ab alio differentiæ, &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Conceptus objectivus generis debet esse adæquatè extrà objectivum differentię, sic quod hæc neque implicitè claudatur in illo, aliàs magis erit ratio analoga, quam generica, nec resultaret unum tertium, aut per se metaphisicum, sicut resultat ex utroque conceptu generico, & differentiali; sed implicat intermiuis concipere in re nullam omninò potentialitatem habente duos conceptus objectivos ad invicem se excludentes, cum de conceptu rei ab omni potentialitate immunis sit, quòd quilibet ejus conceptus objectivus, actus purus sit, de cujus ratione est secum trahere saltem implicitè omnem rei perfectionem, ergo impossibile est intelligere aliquid de tali re saltem implicitè non habens omnē rei perfectionem, ergo cum conceptus objectivus generis præscindat simpliciter secundùm explicitum, & implicitum à conceptu objectivo differentiæ solum in re potentiali potest ratio nostra cum fundamento in re distinguere unum ab alio, &c.

Scio non deesse etiā ex nostris, qui admittant in Deo aliquam compositionem, quam intellectus noster format sine fundamento in re: Ferrara primo cont. gent. cap. 58. Mag. Serra hic in explicatione art. 7., & alii, sumpto fundamento ex D. Tho. in primò dist. 24. q. 1. ar. 2. ad 4.; ubi postquàm asserit, numerum relationum in Deo, vel personarum non esse aliquem ordinem compositionis, subdit; *Nisi fortè secundùm acceptionem intellectus tantùm, qui componit etiam, quæ composita non sunt secundùm quòd diversa ex eis intelligit, secundùm quod etiam propositiones affirmativas in divinis format.* §. Cæterum (præterquamquòd D. Tho. dubitanter loquitur), ideò admittunt hanc compositionem sine fundamento; quià cum ejus imperfectio, tota se teneat ex parte intellectus, nullo modo lædit divinam simplicitatem, seù puritatem actus, sicut læderet altera ex genere, & differentia, ut dictum est, &c.

Inferimus secundò ex his omnibus non solum non esse admittendam in Deo compositionem ex partibus, sed nullam omninò, & præcipuè in linea absoluta, cum vel etiam in relativa, ubi est numerùs, asserat D. Tho. non esse ibi aliquem ordinem compositionis, licet videatur admittere M. Ferre hic q. 5. pag. 701. n. 422.; sed crediderim gratia arguendi admittere illam; & tenentur negare adversarii Scotus, & Durandus in 3. dist. 6. q. 3., & alii, qui ideò negant personam Christi simpliciter, & absolutè compositam, (licet immeritò, ut statim obiter constabit) quia compositio; dicunt; intrinsecè includit imperfectionem divinæ naturæ repugnantem, scil., quòd alterum extremorum habeat propriè rationem actus, & alterum rationem potentiæ, & utrumque rationem partis. §. Sed licet ità sit, quod ad rationem compositionis non requiratur quòd extrema componentia sint partes, ut rectè docet Caiet. 3. p. q. 2. art. 4. §. hic ad 3. dub., & ex eodem M. Catalam ibidem dub. unico ad 2., & suppono ex communi consensu Thomistarum cum D. Tho. asserentium eandem Christi Personam propriè compositam; est tamen ad illam necessarium, ut per unionem inter se totom aliquod constituant, ità ut plura diversa uniantur in uno esse ad constituendum tertium, ut tradit D. Tho. ibi ad 2., quod quidem propriè salvatur in eodem mysterio respectu Personæ Christi in eo, quòd sit subsistens in duplici natura, scil. divina & humana sine repugnantia; prout sic, quòd in ratione compositę dicatur formaliter fieri, secus verò in illo solius divinitatis, vel Trinitatis: videatur ibi D. Tho.; ubi licet admittat compositionem

tionem in persona Christi per modum numeri, ex eo quòd non est necessaria unio extremorum per modum partium, quia tamen requiritur unio plurium diversorum in uno resultante per modum tertii, non potest hæc extendi ad divina; unde ait *dicendum, quòd illa compositio personæ ex naturis non dicitur esse ratione partium, sed potiùs ratione numeri, sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum.* Quasi diceret, quamvis de ratione compositionis non sit unio ratione partium, sed sufficiat unio plurium diversorum in uno esse ad constituendum unum tertium, sivè illa plura sint partes, sive non; hæc tamen unio reperitur in compositione personæ Christi, ut ibidem ostenditur, non tamen reperiri potest in Deo, ut subtiliter ostendit in primo, ubi suprà adducens discrimen inter numerum absulutum vel in absolutis, & in relativis, quòd prior ubi admittitur, constituit compositionem, non verò posterior; unde ait. *Dicendum quod in numero absoluto, pluralitas habet quandam compositionem, & aggregationem, quæ est minus certa, quam unum, quod est principium ipsius, & ideò non solum quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad rem est mensurabilitas multitudinis talis per unitatem, sed in numero relationum, vel personarum non est aliquis ordo certitudinis, vel compositionis in re, & ideò numerus in Deo non est multitudo mensurata, nisi fortè secundùm acceptionem intellectus tantùm.*

In quibus duo expresse habemus, alterum ad intentum hic nostræ sententiæ, quòd ante intellectum nulla admitti possit inter essentiam, & attributa, sivè inter absoluta, actualis distinctio, aliàs multitudo illa utpotè numerus verè mensurabilis, vel absolutus, faceret compositionem in re saltem per modum numeri, quæ tamen est contrà summam illius simplicitatem, ut constabit infrà; alterum verò, quòd licet detur numerus relationũ, non tamen sufficit ad rationem compositionis in re, vel per intellectum cum fundamento, ut dictum est, &c.

Ad rem modo deveniendo supponimus in communi sententia contrà quendam Gualterum, & alios innominatos apud Augustinum Niphum in dilucidario lib. 12. Metaphisicæ disp. 13. tanquã certum apud Catholicos non distingui hujusmodi divina inter se realiter entitativè, aliàs, ut jam insinuatum est, resultaret ex illis compositio realis contrà summam Dei simplicitatem, quam docet fides. §. Nec juvat illius motivum quòd realiter distinguantur, quæ pertinent ad diversa prædicamenta. Tum quia est de subjecto non supponente, ut ostendimus in logicis, Deum nempè, vel aliquod sui prædicatum claudi posse in aliquo prædicamento, cum ista, ut potè determinatæ mensuræ entis, importent aliquid finitum, & limitatum. Tum quia esto ad aliquod pertinerent, ad solam lineam substãtię pertinere possent, cum nullum admitti possit accidens in Deo, ut potè ens deficiens, & dependens. Tum quia licet adhuc admitteretur pertinere ad diversa, non tamen rectè infertur distinctio realis inter illa; nam quidquid, sit quòd inferri possit ex eorum diversitate in entitate creata, non tamen in Deo, ubi ob summam sui eminentiam, & perfectionem identificari possunt, quæ realiter distinguuntur in creaturis, sicut & transire ad lineam substantiæ, quæ sunt accidentia in illis. Tum denique quia non est certum, quòd etiam in creatis eadem diversitas inferat distinctionem realem; nam plures affirmant probabiliter actionem, & passionem realiter identificari cum sola diversitate formali ob diversas scil. rationes formales, & quiditativas definitiones, propter quas diversa; dicunt, prædicamenta constituere; unde omninò certũ est, quòd nisi ubi est oppositio relativa, aut inter extrema relativa opposita nequit esse in divinis realis distinctio, ex Concil. Toletano 11., & Florentino dicentibus omnia in Deo esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.

Hoc supposito, sunt veluti duæ sententiæ extremæ, & aliæ mediæ; prima extrema asserit dari aliquam actualem ante intellectum quam vocant realem formalem, vel ex natura rei. Ità Scotus in primo dist. 8. q. 4., & licet aliqui interpretentur de distinctione virtuali in re, & formali per intellectum, immeritò tamen; nam clarè explicat se ipsum dicens. *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo, & est ista, quòd sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei, sapientia autem in re, formaliter non est bonitas in re.* In quibus clarè apparet, quòd loquitur de distinctione, cujus extrema actu in re, vel ante opus intellectus ex natura rei distinguuntur, & non solum virtualiter, vel æquivalenter, aut fundamentaliter, ut loquuntur Thomistæ cum D. Tho. Pro hac sententia præter Scoti discipulos refertur Durandus in primo dist. 2. q. 4., & dist. 33. q. 3., falsò tamen; inquit Illustris. Godoy; nam & si de relationibus sentiat ab essentia distingui modaliter, de attributis autem nunquam hoc docuit, sed communi sententiæ adhæsit, &c.

Secunda extrema negat omnem distinctionem objectivam, sive rationis ratiocinatæ, quæ nempè est cum fundamento in re accipiens ab intellectu complementum, & actualitatem; unde dicunt tantum distingui per intellectum, sive distinctione rationis ratiocinantis, quæ nempè nullum supponit fundamentum in re, sive quia nullo modo actu, aut virtute est multiplex, quod est illa distinguere veluti extrinsecè quatenus diversis nominibus nominantur, aut concipiuntur ad instar perfectionum creatarum, & per illarum species, inter quas realis, aut formalis distinctio invenitur, quod etiam extendunt ad essentiam, & relationes. Ità nominales Ocham, Gabriel, Gregorius, Major, Aureolus, & alii ex recentioribus, quorum aliqui in explicandis hujusmodi divinis quoad eorum identitatem, & distinctionem præcipuè inter absolutum, & relativum, sive inter naturam, & attributa relativa, sive relationes, excogitarunt quendã potius novum modum loquendi, quam distinguẽdi: duplicem namque assignant identitatem, & distinctionem, quarum alteram vocant puram, aliam verò non puram, existimantes hac via evadere omnem contradictionem inter illa, ità ut identitas, quæ verificatur de natura relativè ad filiationem, verificatur etiam de paternitate; & similiter distinctio verificata de paternitate in ordine ad eandem filiationem, verificatur etiam de natura. Distinctio ergo pura est, quando paternitas esset ità distincta à filiatione, ut faceret Patrem, & Filiũ esse simul plures naturas, & plures personas; sicut identitas pura ex opposito est, quando natura, quæ est in

Patre, ita esset idem cum filiatione, ut faceret Patrem, & Filium esse unam naturam, & unam Personam. Distinctio verò non pura est, quæ facit plures Personas, mixta tamen identitati facienti unum numero Deum, seu unam naturam; sicut identitas non pura est, quæ facit Patrem, & Filium unam naturam, seu unum Deum, mixta tamen distinctioni facienti plures Personas. Hoc supposito, dicunt, quòd de natura, quæ est in Patre, verificatur identitas tantùm non pura, seu mixta, & ideò non verificantur prædicata contradictoria, quia licèt identitas pura opponatur contradictoriè distinctioni puræ, non tamen identitas nō pura, sed magis videntur idem, unde exclusa omni distinctione objectiva inter naturam, & paternitatem, vel filiationem, putant adhuc posse salvari hac via idem mysterium, & omnem contradictionem inter prædicta prædicata &c.

Cæterùm nè præoccupemus, quæ spectant infrà ad materiam de Trinitate, obiter dicimus, hanc doctrinam potiùs esse manifestā petitionem principii, quam explicationem, vel evasionem ejusdem mysterii; nam id est, quod de illo inquiritur, quo modo salvetur prædicta distinctio faciens Patrem, & Filium plures Personas, & non naturas, & similiter identitas faciens unum Deum, & unam naturam, & non unam Personam exclusa omni distinctione objectiva; & idem proportionabiliter est, ut attinet ad præsens; de duobus absolutis v. g. de intellectu, & voluntate, quomodò salvetur sine omni distinctione objectiva, quòd ille sit principium productivum Verbi, quod negatur de voluntate, & quòd hæc sit principium productivum Spiritus Sancti, quod negatur de intellecto. Unde hæc eorum doctrina consistit in explicando distinctionem, & identitatem necessariò admittendam, vel relegandam ab omnibus, cùm nihil aliud sit distingui, & identificari purè, & non purè, quàm esse, vel non esse unam naturam, vel unum Deum, & plures Personas, vel unam Personam, quod est id, quod tradit Fides, vel oppositum Fidei, unde restat eis explicandum, quomodò id repugnet, vel non repugnet admissa omnimoda identitate objectiva per exclusionem totius distinctionis ex parte objecti, tam formalis, quàm virtualis, aut fundamentalis; nam de eodem omninò eodem non potest simul affirmari, & negari, aliàs esset, & non esset idem &c.

Tertia extrema contendit esse admittendam aliquam objectivam, non realem formalem, nec porè fundamentalem rationis, sed virtualem intrinsecam, vel quia æquivalet distinctioni reali in Creaturis, vel quia est principium distinctionis realis in Deo, vel quia una, & eadem formalitas exercet diversa munera, ac si haberet formalem, aut entitativam diversitatem, vel quia convenir illi constitutivum distinctionis realis in creaturis, scil. fundare veritatem contradictionis, ita plures Recentiores apud laudatum Illustriss. hìc disputat. 5. §. 1. num. 6. licèt varient in explicando, omnes tamen conveniunt, quòd statuunt necessariam ad salvanda prædicata contradictoria absque distinctione reali entitativa, aut formali, ut quòd essentia communicetur, & Paternitas non communicetur; aliis extendentibus eam ad omnia attributa, quibus videtur favere Cajetan. de Ente, & Essentia cap. 6. qu. 12. ad ultimum Scoti, & infrà qu. 39. ar. 1. ad 1. & 2. Scoti; aliis limitantibus ad solum intellectum, & voluntatē; aliis verò admittentibus solùm inter absolutum, & relativum, quia existimat consistere in intrinseca identitate reali conjuncta cum discrepantia intrinseca in aliquo tertio prædicato, sive in mutua affirmabilitate unius de alio cum discrepantia quoad aliquod prædicatum, quod existimat non posse verificari inter absoluta, sed solùm inter absolutum, & relativum; nam Deitas v. g. & Paternitas realiter identificantur, quia mutuò in recto de se invicem prædicantur, discrepant tamen in re quoad prædicatum, scil. *Communitas tribus Personis*, quia affirmatur de Deitate, prout est in re, & negatur de Paternitate etiam prout est in re, & sic inter hæc duo datur intrinseca distinctio virtualis importans realem identitatem conjunctam discrepantiæ in tertio prædicato affirmabili tantùm de uno, & non de alio. Ita P. Esparza hìc q. 4. &c.

Quarta iterùm media, & communis Thomistarum negat omnem actualem, & formalem ante intellectum, & solam admittit inter illa distinctionem rationis ratiocinatæ, sive formalem tantùm per intellectum, & virtualem, seu fundamentalem in re, quæ licèt in actu formaliter sit una, ut dictum est, virtualiter tamen, seu virtute ob sui eminentiam, & perfectionem est multiplex. Capreol. in 1. dist. 8. q. 3. & dist. 43. q. 1. Ferrara 1. cont. Gent. c. 35. & 4. ibid. cap. 14. Bannez, à S. Tho., Serra, Illustrissimi Aravyo, & Godoy, Gonet, Mag. Ferre, Salmantic., & alii Recentiores; quamvis sit aliquale discrimen, præcipuè inter eundem Illustris. Godoy, in manuscriptis disp. 3. concl. 2., & iterùm in impressis, ubi supra n. 46. (cui videtur consentire Gonet hìc disp. 3. §. 2.) & M. Ferre hìc qu. 5. §. 3., quòd prior non vult admittere aliā virtualem intrinsecam, nisi sumptam pro fundamentali rationis, vel indistinctam ab illa; posterior verò, licèt concedat utramq; in Deo materialiter coincidere ad hunc sensum, quòd nulla sit distinctio virtualis in Deo, quæ non præbeat fundamentum ad distinctionem rationis actualis; formaliter tamen dicit non esse idem, quia virtualis, inquit, sibi ipsi sufficit, nec expectat, quòd fiat actualis; quia non dicitur talis, quasi sit in potentia ad actualem, sed dicitur absolutè talis ex sola plurium in uno præcontinentia, quæ plura in actu non distinguuntur, at fundamentalis rationis totum suum complementum expectat à ratione potente actualiter distinguere, unde paulò superiùs inquit, si repugnaret intellectus humanus, qui posset facere distinctionem rationis, etiam repugnaret Deo distinctio fundamentalis rationis, & tamen tunc non repugnaret Deo distinctio virtualis; nam adhuc Deus esset multiplex virtualiter, ob eandem scil. eminentialem præcontinentiam, ac per consequens admittens in se distinctionem virtualem. Sed de hoc discrimine infrà. Eidem communi sententiæ Thomistarum adhærent principaliores ex Societate, Suarez lib. 4. de Trinit. c. 4., Vasquez in hac 1. par. disp. 118. c. 3. Valentia qu. 2. p. 3. & qu. 13. punct. 1., Arrubal. disp. 100. c. 2. Granad. to. 1. tract. 2. disp. 5. sect. 2. & tract. 3. disp. 3. sect. 2. & sequentibus, & alii &c.

§. II.

§. I I.

Statuitur prima Conclusio contra Scotum.

ATtributa divina nec inter se, nec ab essentia distinguuntur distinctione aliqua actuali, sive reali formali, vel ex natura rei ante intellectus operationem. Hæc conclusio, salva puritate, vel simplicitate Dei, & auctoritate Patrum ad eandem puritatem, vel simplicitatem sustinendam non videtur posse negari. Nam hæc puritas, vel simplicitas Dei juxta SS. PP. petit, quòd Deus non solùm est bonus, sed est ipsa bonitas; non solùm sapiens, sed etiam ipsa sapientia, & sic de aliis, & meritò, quia cùm in omni sui perfectione sit omninò incapax cujuscumque contrarii, non solùm quælibet est prædicabilis de illo in concreto, sed etiam in abstracto, in quo maximè distat Creatura à Deo, quòd licèt de illa prædicentur plures perfectiones in concreto, non tamen in abstracto; dicimus enim, quòd hic, vel ille homo est bonus, non tamen est ipsa bonitas, & sic de aliis; quia, ut tradunt Dialectici, licèt forma in concreto, vel ex parte subjecti possit admittere contrarium, non tamen in abstracto; unde verificari quidem potest, quòd album possit fieri nigrum, non tamen ipsa albedo, quia essentialiter est purè talis, & consequenter omninò incapax sui contrarii, vel nigredinis; cùm ergo Deus in omni sui prædicato, utpotè ens summè infinitè perfectum, sit purè talis, sine omnimoda admixtione prædicati oppositi, non solùm habet, quòd de se ipso prædicetur omnis ejus perfectio in concreto, sed etiam in abstracto, & consequenter non solùm tenetur excludere ante intellectum omnem actualem distinctionem entitativam, sed etiam formalem, & impeditivam prædicationis unius de alia, vel earum de natura, aut de essentia in abstracto, juxta superiorem doctrinam, vel literam Scoti, & juxta veritatem; nam quæ ex natura rei, & formaliter realiter distinguuntur ab aliquo, nequeunt absolutè prædicari de illo, sed magis absolutè negari, unde semel admissa prædicta distinctione, non videtur posse ampliùs subsistere eadem puritas, vel Dei simplicitas, nec modus enunciandi Patrum, quo scil. perfectiones Dei enũciantur de illo in abstracto.

Ex his prob. primò concl. Juxta SS. PP. & veritatem tanta est puritas, & simplicitas Dei, ut perfectiones ejus non solùm sint affirmabiles de illo in concreto, sed etiam in abstracto, sed distinctio actualis ante intellectum, seu realis formalis, vel ex natura rei inter illas, & cum divina essentia non componitur cum hac affirmabilitate, ergo nec cum puritate, vel simplicitate Dei, min. patet ex dictis, immò in hoc fundatur Scotus, quia non sunt affirmabiles in abstracto, ut patet ex litera ejus; ma. etiam sumitur ex Dionys. cap. 4. de Divinis Nominib.; Anselm. in Monologio cap. 15. & 16.; Bernardo lib. 4. de Consideratione; Augustino lib. 6. de Trinit. c. 7. & lib. 7. c. 1. & 2., & lib. 11. de Civit. Dei c. 10., & serm. 38. de tempore illis verbis; *Trinitas unus est Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens; ipse sibi unitas, Deitas, magnitudo, bonitas, Omnipotentia &c.*

Urg. hoc. Istæ sunt contradictoriæ: Divinitas est sapientia, Divinitas non est sapientia, sed prima est Patrum, secunda Scoti, qua ratione dicit distingui ex natura rei, ergo ejus distinctio, & negatio affirmabilitatis earum in abstracto est contra Patres. Urg. 2.; nam istæ etiam secundùm Concilia sunt veræ: Divinitas est relatio, relatio est Divinitas; relatio est eadem re cum natura, & solo nostro modo intelligendi distincta ab illa, ergo istæ etiam à fortiori erunt veræ. Divinitas est sapientia, & sapientia est Divinitas; ant. quoad pp. sumitur ex Concil. Rhemensi, adeò ut, ut hic refert Illustriss. Godoy, & Vasquez disp. 100. cap. 2. in nullo sensu Catholico negari possit; quoad posteriorem verò ex Florentino sess. 15. 18. 19. & 24.; conf. verò prob., minùs distat ex terminis absolutum ab absoluto; quàm absolutum à relativo, cùm absolutum cum nullo prædicato divino dicat oppositionem, benè verò relativum cum alio saltem relativo &c.

Denique urg.; nam istæ sunt etiam de prædicato contradictorio; *Deus est sapientia, quæ est Deus, Deus est sapientia, quæ non est Deus.* Sed prima est definita in Concilio Rhemensi sub Eugen. III., ergo posterior videtur opposita Concilio, & omninò neganda, & consequenter etiam dist. eidem innixa, vel in illa fundata &c.

Dices ex his tantùm concludi cõtra distinctionem realem entitativam, non realem formalem, aut ex natura rei; nam in eodem Concilio definitur identitas entitativa contra Gilbertum, non contra hanc distinctionem tertiam Scoti; & ita etiam explicandi sunt PP., quòd prædictis, aut similibus prædicationibus solùm velint excludere distinctionem realem entitativam, non formalem, vel mediam, de qua non erat præcisè controversia ante Scotum &c.

Sed contra hoc est; & inprimis hæc solutio adhibitum &c.

beri non potest ad mentem ejusdem Authoris, qui ex eo quòd ex propria ratione formali, sive ex natura rei non possint prædicari in abstracto infert distinctionem tertiam, ut patet ex ejus litera, ergo si à Concilio, & Patribus enunciantur in abstracto, signum est non esse capaces ejusdem distinctionis. 2. Quia idem Concilium, & PP. enunciant illas in abstracto, & quidem de PP. jam dictum est; de Concilio verò, quia ibi definitur Deum non nisi sapientia, quæ ipsa Deus est, sapientem esse; nec nisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse, ergo negare prædictas perfectiones esse affirmabiles in abstracto, videtur expresè contra Concil. & PP. 3. Quamvis definitio Concilii dicatur esse contra Gilbertum, vel distinctionem realem entitativam, affirmabilitas tamen earum in abstracto est etiam juxta superiorem doctrinam Scoti contra realem formalem, vel ex natura rei, ergo licèt dicatur præcipuè militare contra eundem Gilbertum, vel ejus distinctionem, adhuc tamen militat contra Scotum, vel ejus distinctionem. 4. Quia in Florentino non solùm dicitur, quòd relatio est idem re cum natura, sed insuper quòd differt solùm secundùm nostrum modum intelligendi, ergo juxta Concilium non solùm entitativa, sed etiam realis actualis ante intellectum excludenda est; consequentia tenet, quia distingui realiter actualiter ante intellectum est non esse idem in re, quod videtur contradictoriè pugnare cum illa Concilii, quæ dicit esse, & solùm differre secundùm

modum intellectionis nostræ. 5. Quia non stat actualiter in re semel distingui, & non distingui aliquo modo entitativè, vel hac etiam distinctione deberent distingui contra Concilia, & PP. vel nullo modo actualiter in re distingui possunt; prob. ant., quia actualiter distingui in re, est distingui ut aliquid de linea entis, vel ut portio quædam illius; nam cùm ens, & non ens sint extrema contradictoria in re, non stat aliquod esse, aut distingui in re, & non esse, aut distingui, ut aliquid de linea entis, vel ut portio quædam ejus; unde quæ etiam appelletur formalitas, prout est in re, & existens ante operationem intellectus est de eadem linea, nec solùm est realitas, sed etiam entitas, vel portio quædam entitativa, & maximè loquendo de prædicato, seu perfectionibus pertinentibus ad supremum analogatum entis, scil. Deum; nam sicut omnia etiam, quæ accidentia in nobis sunt; ut insinuavimus, pertinent ibi ad lineam substantiæ, debent pariter esse de linea entitatis, vel entitas quædam, cùm præcipuum ejusdem entis analogatum sit substantia, & maximè divina &c.

Prob. 2. etiam principaliter conclusio, & urgentur superiora. Nulla divina perfectio potest actu formaliter, vel ex natura rei esse limitata, & finita, et esset sic distincta ab alia, ergo nequit ante intellectum actu formaliter distingui ab illa; ma. constat, quia limitatio, & finitas provenit ex potentialitate, quæ omninò repugnat cuilibet prædicato divino; tum quia sicut proximè dicebamus, quæ ex se accidentia sunt, translata in Deum sunt substantia; ergo quæ pariter ex se, vel in nobis finita sunt, in Deo erunt infinita, & illimitata, juxta meritum, ut dictum est, illius supremi analogati, unde infinitas transcendit, vel se extendit ad omne prædicatum, vel perfectionem divinam, quæ ratione, ut dictum est, Scotus, & ejus Discipuli tenent naturam divinam constitui per infinitatem, seu cumulum omnium perfectionum, quia infinitas afficit, vel comprehendit omnes, unde omnes sunt de linea infinita; min. verò prob., unum absolutum esse realiter entitativè distinctum ab alio, est unum realiter entitativè esse finitum, & limitatum, ut suppono in communi sententia, aliàs eadem facilitate inferrent distinctionem realem entitativam, si nullum præjudicium fit divinæ infinitati, vel illimitationi, & consequenter nec unitati, vel puritati, aut simplicitati divinæ substantiæ, ergo pariter unum absolutum non esse actu realiter formaliter aliud est esse actu realiter formaliter finitum, & limitatum, prob. cons. ideò primum quia realiter entitativè teneretur sistere intrà limites proprios, nec posset ingredi alienos, sed eò ipso quòd unum actu realiter formaliter, vel ex natura rei non est aliud tenetur pariter sistere intrà proprios reales formales, nec potest ingredi alienos, non enim est major ratio, cur una distinctio importet sistentiam intrà proprios, & exclusionem ab alienis, & non alia, si semel utraque actualis realis est, ergo sicut prior importat limitationem, & finitatem realem entitativam, posterior importabit realem formalem, vel actualem, quod perfectioni divinæ, vel increatæ omninò repugnat &c.

Urgetur. Hoc si unum absolutum ibi realiter entitativè distingueretur ab alio, esset entitativè potentiale respectu alterius, & consequenter entitativè finitum, ut patet in intellectu, v. g. respectu intellectionis, vel in natura respectu suorũ attributorũ, ergo si realiter formaliter, vel ex natura rei, & actualiter ante intellectum distinguitur ab illo, erit realiter formaliter, vel actualiter potentiale respectu illius, & consequenter prout sic limitatum &c.

Dices quòd ad evadendam hanc finitatem, vel potentialitatem, satis est, quod materialiter, vel entitativè identificetur, sicut hac ratione dicunt plures ex nostris, ut vidimus; posse intellectivum per modum actus primi sine præjudicio suæ puritatis actus, vel infinitatis distingui virtualiter à proximo, vel ab actuali intellectione, quia ad hoc satis est, quod materialiter, & identicè sint idem, ut communiter etiam fatemur de quolibet attributo divino respectu alterius; poterit ergo unum alteriùs distingui ex natura rei ab alio sine eodem præjudicio, cum revera natura, vel quiditas unius, non sit natura, vel quidites alterius, unde eorum infinitas tantum exigit carentiam termini intrà proprium lineam, non autem quòd formalitas unius sit formaliter realiter formalitas alterius; hoc enim sine eorum confusione est impossibile, sicut impossibile dicimus nos, quòd sine confusione conceptuum, idem intellectivũ proximum, vel actuale sit constitutivè metaphysicè intellectivum radicale, quia nempè illud prout sic pertinet ad lineam gradus, illud verò non, sed magis ad lineam attributalem &c.

Sed contrà hanc solutionẽ; quæ videtur continere præcipuã vim sententiæ oppositæ; facit primò; quòd videtur repugnans propriæ eorum doctrinæ, quia ut proximè dicebamus, ipsi contendunt naturam divinam debere metaphysicè constitui per infinitatem, ut ambit omnem perfectionem divinam, ergo debet esse formaliter natura, vel formalitas omnium, itaut ex omnibus fiet una natura in esse naturæ simpliciter infinita, unde consequenter ad priorem sui sententiam nequeunt inter naturam, & attributa sustinere distinctionem realem formalem, ità ut non sit actu formaliter justitia, vel misericordia; utraque cons. tenet, quia nihil petit esse magis; formalitet, quam sui propria quiditas, vel constitutivum &c.

Secundò quia, ut proximè iterum dicebamus; non stat unam formalitatem, vel perfectionem actu realiter distingui, sive ex natura rei, vel actualiter in re, & non distingui aliquomodo entitativè, ergo non stat posse sic distingui salva infinitate, & puritate actus. Tertiò quia repugnat aliquam perfectionem semel esse divinam, & actu in re non esse tam realiter entitativè, quam formaliter omnem perfectionem sibi relativè non oppositam, sed nullum absolutum in Deo opponitur alteri relativè, ergo nullum sive realiter entitativè, sive formaliter in re potest limitari intrà proprios limites exclusivè ab alio per actualem distinctionem, sive realem, sive formalem; ma. sumitur ex relato Conc. Florentino, & communi existimatẽ Theologorum, quòd omnia divina in re sunt actu idem, ubi non obviat oppositio relativa; deinde probatur, quia repugnat entitatem, vel realitatẽ semel esse divinam, & actu in re non esse entitativè omnem entitatem, vel realitatem sibi relativè non oppositam, ergo pariter repugnabit perfectionem, vel formalitatem semel esse divinam, & actu in re non esse formaliter omnem

nem

nem perfectionem, vel formalitatem sibi non oppositam relativè, conf. tenet, quia non ideò realitas, vel entitas sic petit idētificari intrà suam, quia præcisè entitas, vel realitas sit, sed quia divina est. ut innuit idem Concilium, & communis consensus, & patet in relationibus, vel personis, quæ licet realitas, vel entitas sint, quia tamen relativè opponuntur, habent realiter distingui, ergo quòd unum divinum ab alio divino entitativè, vel realiter non distinguatur ab alio non opposito relativè, non oritur ex eo quòd præcisè entitas, vel realitas sint, sed quia divinum est &c.

Quartò. Id, quod est tantum accidens prout in nobis, translatum ad divina ingreditur genus substantiæ, & actu in re est ens per se, ergo id, quod similiter in nobis est determinata tantum perfectio, vel formalitas unius tantum lineæ, v.g. justitiæ, vel misericordiæ, translatum ad Deum ingreditur lineam alterius, & actu in re est formalitas illius, puta bonitas sapientia &c. conf. tenet; tum quia non est major ratio, nec est minor transitus de genere ad genus, quam de formalitate in formalitatem, tum quia hoc est meritum divinitatis, quòd à prædicatis ad se pertinentibus removeat omnem imperfectionem, qua ratione, ut vidimus, licet aliqua prædicata in divinis, non dicantur perfectiu simpliciter; ex quo tamen divina sunt, dicunt negationē imperfectionis, & ideò formaliter de Deo prædicātur, ut simplicitas, vel relatio &c. ergo cum finitas, vel limitatio importet defectum, seu præscriptionem termini, non stabit unam formalitatem semel esse divinam, & actu in re non esse aliam &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Finitas, & limitatio, utpote prædicata contradictoriè, & formaliter opposita, (præcipuè in eorum sententia, ut dictum est;) conceptui constitutivo naturæ divinæ, nequeunt omninò convenire Deo realiter formaliter, ergo formalitas, vel natura cujuslibet perfectionis divinæ non debet præcisè esse infinita per virtualem continentiam omnium suæ lineæ, sed quia actu in re est formalitas, vel natura alterius, prob. conf., quia aliàs actu in re esset in ratione naturæ, vel formalitatis divinæ realiter formaliter finita, si semel actu in re formaliter non est alia, nam prout sic in linea formalitatis, vel naturæ habet limites, quòd est esse formaliter finitam, ut patet ex terminis &c.

Explicatur, & urgetur ulterius. Ex eo, quòd una perfectio, vel formalitas divina non habeat limites intrà se ipsam, si actu in re non est alia, non rectè infertur, quòd non sit realiter formaliter finita, ergo infinitas illius non est limitanda ad propriam lineam, vel sui naturam, prob. ant., nulla essentia creata habet limites intrà se ipsam, ità ut sic indivisibiliter continet omnia sui prædicata, ut uno tantum subtracto pereat, qua ratione dicuntur in indivisibili consistere, & tamen quia habet formales limites in ordine ad aliam, quælibet est formaliter realiter finita, ergo si quælibet perfectio divina habet pariter limites formales in ordine ad aliam, esto non habeat intrà se ipsam, vel in sui natura, erit realiter formaliter finita, quod Deo omninò repugnat &c.

Hinc patet non esse idem de distinctione virtuali, quia cum hæc, ut dictum est, innitatur summæ Dei eminentiæ, secundum quam actu omnia continet, & licet sit unum in re tam realiter entitativè, quam formaliter, est tamē virtute multiplex cū sola explicatione, ubi non est debitum explicandi ob diversitatē lineę; unde non solū non prąjudicat ejus infinitati, & purę actualitati, sed summoperè illam commendat, eò vel maximè, quòd exclusa eadem distinctione virtuali non subsisteret eadem eminentia, & virtualis multiplicitas necessaria in quolibet ente superiori, nam quę sunt divisa in inferioribus, inveniuntur in superiori unita ob ejus eminentiam &c.

Deniqꝫ ex his impugnatur. (& est alia optima ratio jam insinuata) Admissa sola identitate reali entitativa adhuc essentia, vel natura esset in reali potentia formali ad attribu.a, sed hoc omninò repugnat actui puro, & infinita ut patet ex terminis, ergo non componitur eadem realis formalis distinctio cum hujusmodi perfectionibus, prob. ma., esse in potentia reali formali nequit tolli nisi per identitatem realem formalem, ergo sola admissa reali entitativa adhuc remanet esse in potentia reali formali, prob. ant., esse in potentia reali entitativa nequit tolli nisi per identitatem realem entitativam, ergo esse in reali formali, nisi per identitatem realem formalem. Et quidem si essentia distinguetetur realiter formaliter à suis attributis, vel intellectus à sua intellectione, deberent realiter formaliter egredi ab illis, & consequenter etiam recipi in illis, at non receptione per identitatem realem formalem, ergo per receptionem realem formalem, ergo essent in potentia reali formali &c.

Ultimò tandem prob. conclusio argumento pariter insinuato. Si duo divina non relativè opposita semel distinguuntur actualiter ante intellectum distinctione reali formali, vel ex natura rei, tenemur pariter distinguere realiter entitativè; sed hoc negatur à Scotistis, & communiter jam à Theologis, ut dictum est; ergo nulla actuali distinguuntur ante illum, prob. ma., ex eo asserunt sic distingui, quia secundùm proprias rationes formales sic distinguuntur, sed ex hoc non solum prob. realis formalis, sed etiam entitativa; ergo; ma. est eorum fundamentum, ut constabit infrà; mi. verò prob; ea, quæ ità distinguuntur, ut secundùm proprias rationes formales sunt verè res, distinguuntur ut res à re, sed duo divina non opposita sunt hujusmodi, ergo, ma. est certa, quia juxtà meritum extremorum datur distinctio, ut patet inductivè; mi. verò probatur, & in primis obiter de absoluto, & relativo, ad quæ etiam Scotistæ extendunt hanc suam distinctionem, ut hac occasione fiat satis respectu omnium divinorum. Paternitas secundùm propriam rationem formalem, qua actu distinguitur ab essentia per Scotistas, est ratio distinguendi realiter entitativè personam Patris à persona Filii, nisi velimus, quòd sit ratio distinguendi prout est identicè essentia communis tribus; sed ratio distinguendi realiter entitativè est formalissimè res, nisi iterum velimus, quòd effectus superet suam causam, cum formalitas, ut supponunt, sit quid minus realitate, ergo &c.

Secundò prob. de duobus absolutis (per quod iterum prob. de absoluto, v.g. de essentia comparativè ad idem relativum) nam essentia pariter divina secundam propriam rationem formalem, non est

est minus res, quam paternitas, vel relatio; tum quia in realitate, & entitate superat illam; tum quia secundùm propriam rationem formalem est ens summè perfectum omni perfectione simpliciter simplici, præcipuè in opposita sententia asserente relationes non addere perfectionem simplicem supra essentiam; unde esse completum in linea entis absoluti est perfectio simpliciter simplex, eò vel maximè, quòd dantur plura entia absoluta incompleta, quæ sunt verè res, & non puræ formalitates, ut patet de materia, & forma, ergo si semel essentia actu in re secundùm propriam rationem formalem distinguitur ab alio divino, realiter entitativè secundùm eandem distinguitur ab illo, & non tantum formaliter &c.

Explicatur, & urgetur hoc, facta iterum comparatione sive inter essentiam, vel absolutum, & relativum, sive inter duo absoluta. Quamvis daremus alterum extremum divinum secundùm suam rationem formalem esse simplicem formalitatem, de natura tamen dubitari non potest, eò vel maximè, quòd ipsi contendunt esse constituendam per infinitatem, vel cumulum omnium perfectionum, ergo saltem erit inter illa distinctio rei non mutua, & non præcisè formalis, cum in eo, quòd divina sunt, pertineant ad genus substantiæ, & secundùm etiam propriam rationem formalem sint perfectio simpliciter simplex, vel dicentes negationem imperfectionis in genere absoluto, non videntur posse excludi à conceptu rei sufficienter ad distinctionem rei à re, & non puræ formalitatis à formalitate, quæ importat quid diminutum, vel deficiens à realitate. Poterat etiam probari alio argumento iterum insinuato ex inconveniente compositionis inferendæ Deo contra simplicitatem divinam, sed facilè ex dictis formari potest, & sustineri, & adhuc promovetur infrà de Trinitate; & videri etiam possunt hic Gonet, Magister Ferre, & Illustriss. Godoy &c.

§. III.

Solvuntur argumenta contra præcedentem conclusionem.

PRimò arguunt opponendo plures SS. PP. Dionys. 29. de divinis nominibus; Anselm. in Monolog. cap. 48.; Damascenum lib. 1. fidei cap. 4, & Augustinum in variis locis, ut statim constabit, qui videntur majorem distinctionem assignare in divinis, quam purè virtualem, vel rationis ratiocinatæ. Nam specialiter D. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 10., ostendit Personas divinas licet plures sint, non esse partes unius Dei, quia etiam divina attributa plura sunt in una persona, & partes ejus non sunt, sed hoc argumentum videretur nullum, vel de subjecto non supponente, si attributa inter se non haberent aliquam actualem distinctionem à parte rei saltem formalem; quia si nullam omninò actualem habent, plura dici nequeunt in re comparativè ad personas, cum quibus parificantur, ergo. Deindè quia ut etiam colligitur ex eodem lib. 5. de Trinitate cap. 3. omnia attributa sunt æqualia, sed æqualitas supponit extrema, cum nihil propriè sit æquale sibi. Tertiò quia lib 8. ibid. probat duas personas non esse aliquid majus, quam unam, quia non sunt aliquid unius; & communiter Theologi unum attributum probant ex alio, ut æternitatem ex immutabilitate, sed hæc non videntur posse salvari sine distinctione saltem formali, vel ex natura rei, sive actuali in re ergo &c.

Ad hoc dico in primis solvendum esse ab omnibus, & à fortiori à contrariis, quia cum ipsi, ut vidimus ex Scoto, ob hanc suam distinctionem formalem negent affirmabilitatem eorum in abstracto de Deo; quam tamen statuunt PP., ut dictum est, & præcipuè D. Augustinus, tenentur magis ipsi, quam nos conciliare, vel salvare dicta SS.; unde facilimè in nostra sententia explicamus da distinctione virtuali in re, & formali per intellectum, quæ nec obstat eidem prædicabilitati in abstracto, nec summæ eorum simplicitati. Sed deindè ad singula relata ex Augustino ad primum dicimus paritatem consistere in hoc, quòd sicut attributa ob sui perfectionem, & omnimodam identitatem cum divina essentia, nequeunt habere rationem partis, utpotè importantis imperfectionem, & distinctionem à toto, quod componit, ità ob eandem rationem excluduntur à ratione partis personæ divinæ, esto realiter inter se distinguantur, quia aliàs etiam quoad relativum, quod important; vel dicunt saltem negationem imperfectionis, vel etiam perfectionem (juxtà diversum modum explicandi) & cum Deo identitatem, unde nequeunt esse partes unius Dei, sicut nec attributa sunt partes unius virtutis, vel essentiæ divinæ; quidquid sit quod debeant ista imitari relationes, vel personas quantum ad distinctionem inter se; nam in hoc maximè distinguuntur, cum careant omnimoda oppositione inter se. Ex his etiam constat, quam rectè ex D. Tho. in 1. dist. 24. relata quæst. 1. ar. 2. ad 4., negemus numerum relationum, vel personarum in Deo esse aliquem ordinem compositionis in re, nec posse facere ibi compositionem, & minus eam facere posse duo absoluta, quæ non solum identitatem habent cum toto, vel Deo, sed etiam inter se; facerent autem in opposita sententia, quæ utrobique ea distinguit; unde D. Augustinus non solum non opponitur nostræ sententiæ, sed magis eam confirmat, & adversatur contrariæ non solum propter prædicationem eorum, quam statuit, ut vidimus; in abstracto, sed quia identificando cum toto, sive cum uno Deo, vel una essentia, dum ait, non posse esse partes unius Dei, vel unius divinæ virtutis, & essentiæ; potissimè excludit in re omnem compositionem à Deo, quam tenemur excludere omnes ob summam ejus simplicitatem.

Ad 2. respondetur, quòd attributa sunt ex eodem æqualia non quasi positivè per aliquam relationem æqualitatis in re, cum nulla sit ibi relatio realis de linea non personali, vel oppositionis relativæ ut explicatur infrà; sed magis negativè, quatenus unum non excedit aliud, in quo solum fundari potest relatio æqualitatis rationis, ad quam sufficit pura distinctio virtualis in re, & formalis per intellectum, sicut in simili dicimus 3. par., & etiam insinuavimus supra; de persona Christi, quæ in ratione compositæ dicitur resultare ut quoddam veluti totum subsistens in utraque natura, non quasi positivè per relationem ad partes, sed per negationem partialitatis

litatis; unde non est necessarium, quòd extrema componentia sint aliquid incompletum, vel per modum partis; unde similiter dicimus in casu non esse necessarium ex æqualitata attributorum, quòd ista sint actu distincta in re, sed quòd dicant negationem excessus &c.

Ad tertium similiter dicimus, quòd propter singularem perfectionem, & identitatem cum uno Deo non possunt importare aliquem excessum, sed magis negationem ejus, unde non esse aliquid unius quasi partes, ut dicit superiori loco relato, non infert distinctionem cum eodem tertio, sed magis identitatem cum illo. Quòd verò unum probet ut ex alio tantum arguit distinctionem virtualem in re, & actualem per intellectum, quatenus formare possumus diversos conceptus, quorum unus oritur ex alio, & consequenter unum ex alio ostendere &c.

Secundò arguunt ratione. Ea differunt ex natura rei, vel formaliter, quæ entitativè conveniunt, & definitione distinguuntur, sed hujusmodi sunt prædicata divina, ergo differunt ex natura rei, vel formaliter; mi. est certa, quia secundùm proprias rationes formales, diversas habent definitiones, secundùm quas etiam pertinent ad distinctas lineas; nam intellectus est id, quo Deus intelligit; voluntas, quo amat per modum principii proximi, & sic de aliis &c. ma. autem probatur; tum quia definitio explicat naturam rei, ergo ubi est distincta definitio, ibi est distinctio ex natura rei; tum quia cum distinctio, ut dictum est, sequatur naturam extremorum, ubi sunt distinctæ definitiones, ibi est distinctio essentialis, vel ex natura rei, sed hæc non dependet ab intellectu, sicut nec natura, vel quiditas rei expressa per definitionem, ergo est actualiter ante illum &c.

Ad hoc patet ex dictis in logica, onde dist. ma., si distinguantur definitione adæquata naturæ rei prout est in se, concedo ma., si inadæquata illi, & prout concipitur, vel est conceptibilis à nobis, nego; sic autem differunt attributa, prout scil. imperfectè, & partitè concipiuntur à nobis diversis conceptibus, unde ex hac diversitate definitionum non est inferenda aliqua actualis dist. inter illa ante intellectum, nam si adæquatè conciperentur prout sunt se, qualiter concipiuntur ab intellectu divino, tunc non opus esset multiplicare conceptus, vel definitiones, sed haberent unam tantum; non ergo quæcunque distinguuntur ex natura rei, distinguuntur actualiter ante intellectum, sed quæ tantum adæquatè sic distinguuntur, & non inadæquatè, & hac distinctione solvitur etiam utraque probatio &c.

Sed instas licet definitio pro formali sit per intellectum, non est tamen objectivè de re nisi juxtà sui meritum, & consequenter prout est in re, aliàs fingeret illam, nec esset explicativa naturæ rei, quod est contra conceptum definitionis, ergo si semel format diversas definitiones de attributis, signum est, quòd prout sunt in re habent distinctionem essentialem, & consequenter actualem, & non tantum per intellectum &c.

Explicatur, & urgetur hoc, accipiendo intellectum, & voluntatem. Nam hæc duo prout sic, sive ut sunt quid analogum ad Deum, & creaturas habent ex natura rei, vel prout sunt in re distinctas essentialiter definitiones, aliàs nec in nobis possent formaliter, vel actualiter in re distingui, sed tantum per intellectum, ergo etiam in Deo habebunt illas sufficienter ad actualem distinctionem in re, prob. conf., quia quod convenit intellectui, & voluntati ut sic, convenit etiam intellectui, & voluntati divinæ, vel cuicunque analogato, ut patet inductivè; tum quia dum definimus intellectum divinum, quòd sit proximum principium intelligendi, & divinam voluntatem proximum amandi, vel volendi, verè definimus, ut sunt in re, ergo cum hæ definitiones sint essentiales, jam prout in re habebunt essentialiter, & consequenter ex natura rei, vel actualiter distingui &c.

Sed huic instantiæ, & principali arg. quoad præcipuam vim, quam facit in diversitate definitionum, dico iterum in primis, quòd videtur ab eisdem solvendum, tum in personalitate, & relatione divina, tum in substantia, & relatione ut sic, nam duæ priores diversis pariter definitionibus definiuntur, persona enim dicitur, & definitur ad se, relatio verò ad aliud, qua ratione, ut sæpè docet Augustinus, Pater non dicitur persona Filii, benè verò Pater Filii, & tamen hinc non infertur personalitatem divinam distingui ex natura rei, aliàs personæ divinæ constituerentur per aliquod absolutum quod jam Scotistæ non admittunt; similiter substantia, & relatio ut sic habent distinctas definitiones, ut per se patet, & tamen non licet inferre, quòd prout sic in communi distinguantur distinctione reali essentiali, aliàs eadē distinctione distinguerentur divina relatio, & hypostasis; & personalitas Patris, quæ est formaliter substantialis, non esset formaliter relatio, sed aliquid absolutum, ergo ex eo quòd intellectus, & voluntas ut sic habeant distinctas definitiones, non rectè infertur, quòd distinguantur distinctione reali essentiali &c.

Ad instantiam ergo dist. ant., nisi juxtà sui meritum adæquatè conceptum, nego, in subjecta materia, inadæquatè, & imperfectè, concedo, unde intellectus sic formando diversas de illis definitiones non fingit, sed tantum imperfectè concipit, non definiendo quiditativè, sed magis quoad an est, & inadæquatè, nam, ut in superioribus dicebamus cum D. Thom.; modò in via de Deo magis scimus, quid non sit, quam quid sit, unde hujusmodi definitiones licet non sint deficientes contrariè per attributionem alicujus prædicati repugnantis, sunt tamen deficientes negativè, per defectum explicationis omnium in re illis essentialiter convenientium quia sicut nequeunt uno tantum conceptu à nobis præcipuè viatoribus attingi, ità nec una tantum definitione prout in se sunt explicari. Doctrina est D. Thom. in 1. dist. 2. q. 1. ar. 3. §. quantum verò ad 4. ubi ad rem loquit. *Sciendum est, quod ista pluralitas rationum contingit ex hoc, quod res, quæ Deus est, superat intellectum nostrum. Intellectus enim noster non potest una Conceptione diversos modos perfectionis accipere, tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversimodi perfectionum secundùm diversas formas; tum quia hoc quod in Deo est unum, & simpliciter, plurificatur in intellectu nostro etiamsi immediatè à Deo reciperet, sicut multiplicatur processio suæ bonitatis in aliis creaturis unde cum Deus unam, & eandem rem sit omnibus modis perfectus, una conceptione non potest integrè perfectionem ejus aprehendere, per consequens nec nominare, & ideo*

opportet, quòd diversas conceptiones de eo habeat, quæ sunt diversæ rationes, & quòd diversa nomina imponat significantia rationes illas.

Ad explicationem, vel nego suppositum ant. quod sic in communi definiantur præcisè ut sunt in re; nam aliud est definire id, quod est in re, aliud verò definire illud ut est in re, unde magis definiuntur ut substant intellectui nostro abstrahenti hujusmodi rationes analogas à modis suorum inferiorum, & ideò ex diversa eorum definitione nun licet arguere distinctionem aliquam actualem ante intellectum, sive formalem realem, ut vocant, vel ex natura rei. Vel deinde dist., habent distinctas essentialiter definitiones, permissivè transeat, positivè, vel exigitivè, aut ex propriis, nego, nam sicut prout sic abstrahunt à distinctione entitativa, & solum permittunt, vel habent in creatis in nostra sententia, & in Deo sunt idem entitativè in communi Theologorum, ità pariter abstrahunt à reali essentiali, & solum eam permittunt, vel habent in nobis, & sunt idem realiter essentialiter in Deo; unde ex eò quòd non habeant ut sic, non rectè infertur, quòd non possint habere in nobis, sicut ex eo quòd liberum ut sic non habeat posse in se passivè deficere, sed tantum activè pro aliis, non sequitur, quòd liberum creatum, vel potentiale passivè in se deficere non possit; unde secundùm se abstrahunt, ut deinde in suis inferioribus possint differenter habere: quamvis ità sit, quòd rigorosè loquendo nec etiam per intellectum attributa divina distingui possint, aut definiri diversis definitionibus, cum nulla Dei perfectio sit propriè, aut strictè definibilis, ut sæpè docet D. Thom. in primo ubi suprà, & dist. 22. quæst. 1. ar. 1. ad 2., & quæst. 8. de potentia ar. 2., & alibi &c.

3. Etiam principaliter arg. Non possunt actu de uno, & eodem verificari propositiones contradictoriæ, sed de duobus absolutis istæ verificantur, ergo non sunt actu idem, saltem formaliter; ma. est certa, quia affirmatio, & negatio nequit fieri sine distinctione, aliàs idem diceret negationem sui, unde lumine naturali est notum non posse propositiones contradictorias simul esse veras, sive in creatis, sive in divinis, cùm sit notum eodem lumine non posse idem simul esse, & non esse; min. verò prob., quia ut dictum est, hæ sunt veræ: *Intellectus est principium generationis Verbi: Voluntas non est principium processionis illius*; sicut similiter istæ: Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, & non procedit per intellectum, ergo de his absolutis verificantur propositiones contradictoriæ &c.

Ad hoc dico in primis solvendum esse, ut supra, à contrariis, in eo quòd extendunt illud ad absolutum, & relativum, concluderet enim, ut dictum est, non solùm realem formalem, sed etiam entitativam; nam si semel ad mensuram verificationis contradictoriorum, assignanda est distinctio, cùm ista verificentur non solùm quoad denominationem actu, & formaliter à parte rei, sed etiam realiter, ut ostensum est, præcipuè inter absolutum, & relativum, assignanda erit non solùm formalis, sed etiam realis inter illa distinctio, eò vel maximè, quòd hoc eodem argumento, quo ante Scotum sæpè utitur D. Tho. contra identitatem relationum, & essentiæ; motus est Gilbertus ad inferendam eandem realem entitativam, & Durandus realem modalem, unde etiā ab omnibus Catholicis solvendum est &c.

Pro omnibus ergo dist. maj. ex D. Tho.; de actu uno, & eodem re, & ratione, conc.; re tantùm, sed distincto secundùm intelligentiæ rationem, nego; quia cùm contradictio sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem omninò eodem, petit necessariò omnimodam identitatem, tam realem, quàm formalem, & virtualem, aut secundùm intelligentiæ rationem, ita ut hæc, & adhuc minor sufficiat ad illam exercitè impediendam, juxta illius conditionem; nam contradictoria petunt distinctionem juxta meritum illius, supra quod cadunt, scil., vel secundùm nomen, vel secundùm modum significandi, vel secundùm connotata, vel secundùm objectum, aut rem significatam, vel secundùm munus, unde sola distinctio secundùm nomen salvat contradictionem inter indumentum, & vestem, quòd illud sit neutri generis, & non ista; sola secundùm modum significandi salvat inter entitatem, & ens, quòd illa sit abstractum, non verò ens, unde etiam salva omni contradictione aliquid affirmatur de concreto, quod negatur de abstracto, ut quòd Deus generet, Deitas non generet; sola in connotatis extrinsecis salvat inter actum liberum, & necessarium in Deo, quòd licèt quoad rectum sint omninò idem, & quid indefectibile, liber tamen connotativè extrinsecè dicitur deficere; sola secundùm munera in opinione identificante naturam cum intellectu; salvat, quòd sub munere naturæ sit principium radicale, sub munere verò intellectus sit proximum principium processionis; tandem objectiva, seu virtualis, aut fundamentalis salvat, quòd absolutum sit ad se, non verò relativum; vel quòd unum absolutum, vel intellectus sit principium proximum unius processionis, & non alterum, scil. voluntas, vel è contra; unde hoc argumentum non militat contra nos in subjecta materia, cùm inter absoluta, de quibus enunciantur prædictæ propositiones contradictoriæ, assignemus objectivam aliqualem distinctionē tanquam fundamētum intellectui, ut illas enunciet sine contradictione exercitā; militat autē efficaciter contra negantes omnem objectivam, ut latè etiam ostenditur infrà de Trinitate, quia tunc reverà est affirmatio ejusdem de eodem omninò eodem in eadem linea, in qua fit enunciatio &c.

Sed contra hanc solutionem instas. Quidquid sit de enunciatione pro formali, quæ fit per intellectum, vis tamen contradictionis in illis propositionibus, sive res significata per illas actu verificatur ante intellectum, ergo subjectum utriusque, scil. intellectus, & voluntas, actualiter ante illum debet esse distinctum, conf. tenet, quia in quocumque signo, in quo verificantur contradictoria de aliquo, debet esse distinctio, vel multitudo, aliàs de eodem omninò eodem verificarentur, quod implicat; ant. verò prob.; nam vis utriusque propositionis, aut significatum earum, quòd nempè Verbum procedat per intellectum, & non per voluntatem, quòd Spiritus Sanctus per voluntatem, & non per intellectum, verè est aliquod reale à parte rei, vel independenter ab omni fictione intellectus, nisi velimus processiones divinas pendere à nostrò intellectu, ergo id totum actualiter objectivè est ante omnem ejus operationem &c.

Expl. & urg hoc. Inter Personas Divinas, & earum

tatum processiones verè datur ordo originis ante omnem intellectum creatum, cùm sint ab æterno; nam quòd Filius priùs origine procedat, quàm Spiritus Sanctus, & quòd Spiritus Sanctus à Filio procedat, provenit ex ordine inter intellectum, & voluntatem; similiter quòd una processio generatio sit, & non alia, & ita etiam, quòd terminus unius sit Filius, & non alterius, provenit ex eo, quòd una est per intellectum, & altera per voluntatem, & hoc habent processiones, & earum termini ab æterno ante omnem intellectum creatum, ergo tenemur inter intellectum, & voluntatem supponere aliquam actualem distinctionem, & non secundùm intelligentiæ rationem.

Ad hoc iterùm dico primò solvendum esse à contrariis, ut supra. Sed deinde in opinione admittentium distinctionem virtualem intrinsecam distinctam à fundamentali, quam videntur admittere Cajetanus locis relatis, & Eminentiss. Ferrarius infrà de Trinitate, & exprèsè hic M. Ferre; facilè occurrere possumus, sicut ad argumentum principale, quòd sicut prædictæ propositiones quoad earum significatum dicuntur verificari ante intellectum, ita pariter inter earum subjecta verificatùr sufficiens distinctio ad impediendam contradictionem; nam aliud est, quòd non detur aliqua actualis distinctio inter utrumque absolutum, aliud verò, quòd non detur actu distinctio inter illa, sicut aliud est dicere actu ens; aliud verò ens actu, vel actuale, ut explicatum est in 1. physic. circa materiam primam; primum fatemur omnes contra Scotum, secundum verò negamus contra negantes omnem objectivam, & dicimus esse aliquam admittendam ex parte objecti, quidquid sit an sit solùm virtualis fundamentalis, ut prætendit Illustriss. Godoy existimans esse communem consensum Thomistarum, an verò virtualis distincta, qua nempè duo absoluta non solùm æquivalent ob sui eminentiam duobus realiter distinctis, sed ipsamet eorum unitas æquivaleat distinctioni, ita ut extrema licèt sint idem formaliter, ut tamen exercent in illo uno propria utriusque; ita se habent, ac si essent distincta, & unum non esset aliud, unde ea, quæ sic virtualiter intrinsecè distinguuntur, fundant prædicata contradictoria, sic quòd possit aliquid affirmari de uno, & non de alio, prout virtualiter ab illo distincto, de quo Cajetanus infrà qu. 39. ar. 1. &c.

Sed admissa etiam sola virtuali, vel fundamentali rationis, adhuc dicimus hanc sufficere, ne dicantur esse de eodem omninò eodem, ut requiritur ad contradictionem exercitam; & licet hæc distinctio rationis, ut formaliter existens pendeat ab intellectu formante actualiter illam, ut tamen existens fundamentaliter, sive fundamentum ejus non dependet ab illo, sed præcedit omnem ejus fictionem, vel formationem, quod satis est ad salvandam prædictam contradictionem, ut aliis relictis patet in objecto utriusq; scil. veritate, & bonitate, nam hæc antecedenter ad distinctionem rationis formalem specificat voluntatem, quod de veritate in eodem statu negatur, & tamen ut sic solùm distinguuntur distinctione rationis fundamentali, non formali, unde idem poterit dici de intellectu, & voluntate.

In forma ergo nego conseq., actualitate appellante supra distinctionem formalem; ad ejus probationem dist.; in quocunq; signo debet esse distinctio formalis, vel virtualis, aut fundamentalis, concedo, formalis præcisè, nego, unde licet intellectus, & voluntas ante intellectum sint actualiter idē, non tamē est actualiter, & fundamētaliter, unde prædictę propositiones non sunt exercitè contradictoriæ, sed essent nisi esset talis distinctio fundamentalis; quia ut duæ propositiones sint actu, vel exercitè contradictoriæ non sufficit, quòd prædicata earum sibi cōtradicant, sed requiritur, quòd sibi contradicant respectu ejusdem omninò ejusdē. Et per hæc patet ad confirmationem &c.

Sed adhuc instas contra hanc solutionem. Primò quia fundamentaliter distingui, sive distinctione fundamentali rationis non est distingui absolutè, sed tantùm respectivè ad intellectum nostrum, sed prædicata in eisdem propositionibus verificantur absolutè respectu earum subjecti ante omnem intellectum creatum ab æterno, ergo aliqua major distinctio requiritur inter eadem subjecta, & consequenter actualis formalis, &c.

Explicatur hoc. Prædicta distinctio non est fundamentum distinctionis faciendæ per intellectum divinum, ut modò supponimus; sed per creatum, ergo si anteverteodo omnem intellectum creatum ab æterno, prædicata earum verificantur de subjecto tenemur assignare aliquam aliam distinctionem, ob quam intellectus divinus judicet esse veras, & non exercitè contradictorias; prob. conseq., quia si semel illa fundamentalis non est in ordine ad seipsum, nec alia respectu sui assignatur, tenetur judicare illas esse ejusdem de eodem omninò eodem, & consequenter magis esse contradictorias, & incompossibiles, quàm simul varas, &c.

2. Instas, & urgetur præcedens. Verificatio utriusque actu, & formaliter subsistit ab æterno, & ut talis judicatur ab intellectu divino, ergo debet assignari aliqua alia major actuali rationis, & distincta à fundamentali; ant. est certum, & patet ex dictis, conseq. verò prob. quia in omni signo, in quo est effectus debet assignari causa, nec potest ille superare suam causam, ergo si actu, & formaliter est verificatio utriusque contradictoriæ ante omnem intellectum creatum, & ut talis judicatur ab intellectu divino, debet in eadem prioritate assignari dist. major actuali nostra per rationem, & etiam fundamentali; quæ non est respectivè ad intellectum divinum, sed tantùm ad creatum, &c.

Explicatur hoc. Quia cum effectus nequeat in perfectione superare suam causam, ita ut teneatur sequi naturam sui fundamenti, si semel fundamentum superandi contradictoria absque repugnantia est distinctio, non poterunt ista actu, & formaliter verificari à parte rei sine distinctione actu, & formali à parte rei, &c.

3. Quia id, quod convenit alicui formaliter, & simpliciter, nequit ei convenire ratione alicujus convenientis tantùm virtualiter, & secundùm quid, ut patet in sole, qui tantùm dicitur virtualiter calidus, quia calor tantòm convenit ei virtualiter, ergo nequeunt contradictoria actu formaliter, & simpliciter verificari, per distinctionem convenientem tantùm virtualiter, aut fundamentaliter, & secundùm quid, &c.

4. Quia convenientia prædicatorum contradictoriorum à parte rei nequit sufficienter fundari supra distinctiooem rationis, ergo neque convenientia formalis eorum supra distinctionem virtualem, &c.

5. Denique. Nam distinctio virtoalis, aot fundamentalis, vel ponit aliquid actu diversum à parte rei io extremis, ita ut una virtualitas non sit alia, vel non; si secundum, ergo cum distinctione virtuali stat omnimoda actualis identitas, ergo de eodem omninò actu eodem verificantur; si verò primom, jam non erit tantùm virtualis, sed formalis, vel actualis, sive æqualis, aut major, &c.

Ad hujusmodi instantias dico iterùm solveodas à contrariis, ut supra. Sed deinde ad singulas respond. Ad primam, quæ videtur difficilior; dist. ma., sed tantùm respectivè ad nostrum intellectū tanquam ad factivum distinctionis actualis, transeat, vel conc.; tanquam ad factivum, & adæquatum cognoscitivum utriusq; scil. fundameotalis, & actualis rationis, nego: dixi traoseat, quia, ut testatur infra M. Catalam. q. 12. art. 2. dub. 4. ad 1. docent plures ex nostris, Capreol. in 1. dist. 8, q. 4. art. 3. ad 16. Aureol., & probabile existimat Cajet. c. 6. de ente, & essentia q. 12. ad 3. posse Deum formare distinctionem rationis inter sua attributa, non quidē multiplicando conceptus, quasi particè, aut divisim illa concipiendo, ut contingit in nobis, sed uno tantùm virtualiter multiplici. Unde in hac sententia ad distinguenda ratione attributa, satis est cognitionem, qua attinguntur, esse virtualiter multiplicem, qua ratione etiam conceditur beatis formare illam per visionem, aut cognitionem matutinam, & non tantùm per vespertinam. §. Sed dato etiam ab intellectu divino non esse factibilem, adhuc tamen ab illo cognoscitur, & consequenter etiam cognoscuntur ab eodem attributa, ut fundameotaliter distincta in ordloe ad intellectum creatum, unde respectu cujuscunq; intellectus sunt fundamentaliter distincta, licet cum hoc discrimine, nempè, quòd respectu creati sunt sic distincta, quasi effectivè, & objectivè, respectu verò divini, objectivè tantùm, qua ratione iosra q. 14. salvamus verum, & proprium conceptum scientiæ in Deo, quòd licet divinus intellectus objectivè non distinguat id, quod est ratio cognoscendi respectu alterius, cognoscit tamen illud ut fundamentaliter distinctum comparativè ad iotellectum creatum, unde sicut hoc satis est ad salvandum ibi eundem conceptum scientiæ, ita pariter sufficit hic ad salvandas prædictas propositiones sine omni contradictione exercita etiam respecto intellectus divini, quia revera subjecta earum scil. voluntas, & intellectus, licet actu non distinguantur ab illo, cognoscuntur temen ut virtualiter distincta respectivè ad nostrum, & consequenter ut virtualiter, vel fundamentaliter multiplicia respectu alicujus intellectus potentis illa cum fundamento actu distinguere, unde non sunt de eodem omninò ecd. etiam respecto divini. Et per hœc patet ad illius confirmationem, &c.

Ad 2. nego conseq., ad probationem dist. ant., debet assignari causa univoca, vel æquivoca, conc. præcisè univoca, nego, licet enim sic verificari contradictoria, scil. actu, & formaliter tanquam à causa univoca dicatur provenire à simili distinctiooe, tamen taoquam à causa æquivoca provenire à virtuali, vel fundamentali, sive à cootinente illam, sicut licet producere calidum tanqoam à causa univoca proveniat à formaliter calido, tamen tanquam ab æquivoca proveoit à virtualiter calido, sive à continente virtualiter calorem, ut patet in sole; nec tunc effectus superat suam causam, imò est minor, ut patet in eodem calore, qui nequit adæquare cootioentiam sui virtualem, vel eminentialem, seu virtutem, quâ sol illum producit, imò longè superatur ab illa: per quod etiam patet ad explicationem, &c.

Ad 3. vel similiter distin. Nequit coovenire ratione alicujus tantùm virtualiter convenientis, ut causæ uoivocæ, conc. æquivocæ nego; vel nego etiam suppositum anteced., quòd præcisa distinctio scil. pro formali sit causa verificādi contradictoria, sed vel est eadem distinctio, vel continentia distinctioois, quæ idem est cum fundamentali, vel virtuali. Hæc autem continentia, formaliter, & simpliciter est in Deo, cum sit summa eminentia, vel eminentissima noitas divinitatis, quæ non solùm æquivalet, ut dictum est, rebus distinctis, sed etiam ipsi distinctioni. §. Et quidem hujusmodi iostantiæ iterùm solvēdæ sunt ab omnibus; nā sicut distinctio, vel continentia ejus est ratio verificaodi contradictoria, ita continentia effectus est ratio producendi illum, sed sola continentia virtualis sufficit in causa ad productiooē effectus, ut patet in æquivocis, ergo sola cootinentia, aut distinctio virtualis sufficiet ad verificanda, aot solvenda contradictoria, &c.

Nec juvat, quòd sol non est formaliter calidus ratione caloris virtualis, ergo nec distioctio virtualis sufficiet ad verificanda cootradictoria formaliter. §. Negatur enim consequentia, & disparitas est, qoia esse calidum formaliter est effectus caloris in genere causæ formalis, unde petit istum pro formali; verificari autem contradictoria magis pendet à distinctione, ut à virtute, vel fūdamēto, quàm ut à forma, & ideò sufficit formalis, virtualis, seu contineotia ejus, &c.

Ad 4. nego conseq., vel suppositum ejus, quòd distinctio virtualis, vel fundamentalis, sive continentia distioctionis sit taotùm virtualiter, & non actu, vel formaliter in Deo; aliud enim est ut insiuuavimus, quòd sit ibi sola distinctio virtualis, & non actualis, aliud verò, quòd talis dist.; sive distinctionis continentia sit solùm virtualiter, hæc namque est actu & formaliter, unde sicut est effectus in actu, est etiam causa in actu, sed hæc non est sola distinctio actualis, vel formalis ante intellectum, aliàs ot sæpè dictum est, teneremur etiam recurrere ad aliam majorem, scil. realem, vel entitativam, juxta mensuram contradictoriorum, ut de facto recurrebat Gilbertus, sed sufficit virtualis, vel fundamentalis, sive continentia distinctionis, quæ quid reale ast actu, & formaliter, & ita omnia consonant, vel correspoodent §. Et quidem quòd sola virtualis sufficiat, patet iterùm primò ad hominem, quia ut cum aliis fatetur Mastrius, prædicata Dei quiditativa, ut esse substantiam, viventem, spiritualem, ens per essentiam, noo distinguntur formaliter à parte rei, & tameo à parte rei verificantur de illis, contradictoria; nam Deus in prædicato substātiæ coovenit cum omoibus substantiis creatis, & in illo viventis dis-

con-

convenit cum non viventibus, & sic de aliis; constat autē, à quòd convenire, & non convenire sunt contradictoria. Tum quia, ut dictum est, contradictoria realia, & entitativa verificantur absque distinctione actuali, & entitativa. Tum quia contradictio, ut vidimus, est ejusdem de eodem omninò eodem, quòd etiam novit Philosophus apud D. Tho. q. 8. de potentia art. 2. ad 7. *Sicut dixit Philosophus 3. physicor. Non opus est, quòd omnia eadem prædicentur quolibet modo de eisdem, sed solùm de eisdem secundùm rationem; essentia autem divina, & Paternitas*, (& idem proportionabiliter de duobus absolutis,) *& si sint idem re, non sunt idem ratione, & ideò non oportet, quòd quidquid prædicatur de uno, prædicetur de alio.*

Ad ultimam patet ex dictis; quòd ponit aliquid actu non per modum actualis distinctionis, sed per modum fundamenti, vel continentiæ ejus, quæ est idem cum virtuali, unde omnimoda ideotitas formalis, quæ stat cum distinctione virtuali, non excludit continentiam, val fundamentum actualis distinctionis, sed tantùm actualem distinctionem, virtualis autem distinctio, vel continentia, aut fundamentum actualis distinctionis, actu, & simpliciter, vel formaliter est in Deo: unde hujusmodi argumentum cum suis instantiis videtur perpetuò æquivocare in confuodedo terminos illos actu, & formaliter, cum aliis scil. actuali, & formali; nam licet distinctio non sit actualis, nec formalis, est tamen actu, & formaliter, cum virtualis distinctio in suprema illa entitate idem sit, quòd continentia, vel fundamentum distinctionis actualis desumptom, vel consistens in summa ejus eminentia, de quo adhuc infra, &c.

Ex dictis colligimos, quòd sicut Deus scientificè attingendo sui attributa, non attingit illa per illationem formalem, quasi discurrendo ex parte sui, sed tantùm objectivè prout unum attingibile est ut ratio alterius, v.g. essentia, ut ratio aliorum, modo, quo explicatur infra, ita proportionabiliter hic dum dicimus attingere unum ut distinctum ab alio virtualiter, vel fundamentaliter, non quasi activè distinguat illa, partitè, aut divisim attingendo per multiplicationem conceptuum, ut contingit in nobis, sed objectivè tantùm, sive per modum objecti specolativè cogniti, ita ut tota illa partitio, aot multiplicitas, quam important intellectus, & voluntas sub his diversis nomioibus sit res quædam à Deo cognita, licet ipse unico conceptu omnia divina cognoscat, sicut uno taotùm nomine ea significat. §. Ex quo etiam fit, quòd prædictæ propositiones, scil. intellectus divinus est principium generationis, & non voluntas; voluntas est priocipium spirationis, & non intellectus eodem modo comparantur ad Deum, scil. per modum objecti speculativè cogniti, non quasi activè à Deo sic divisim attactæ, nam similiter eas uno simplicissimo conceptu attingit, sicut subjecta earum, & solùm ab intellectu nostro fit talis multiplicatio, vel partitio, aut distinctio formalis; quia nempè pelagus illud infinitum essēdi nequit idem ob sui imperfectionem, nisi multiplici conceptu attingere, dividendo, & multiplicando, quæ sunt summè unum, scil. tam realiter, quàm formaliter, sumpto fundamento, ut dictum est, ex ejus eminentia, ut sic partitè, & divisim ad eorum aliqualem intelligeotiam pervenire possit, quæ simul capere non posset; unde apud Deum licèt detur processio Verbi per intellectum, & spirationis per voluotatem, sive convenientia prædicatorum utriusque propositionis, seu veritatis earum, non tamen datur per modum propositionis compositæ ex affirmatione, & negatione, ut nos partitè, & divisim concipimus; id est, ooo datur processio per intellectum, & non per voluntatem; & processio per voluntatem, & non per intellectum; hoc enim tantùm purè objectivè speculativè concipitur, ut dictum est, & respectivè ad intellectum creatū imperfectè concipientem divina, unde tota eadem partitio, vel distinctio actualis ad nostrum intellectum refunditur, sed nihilominùs etiam in ordine ad divinum eædem propositiones sine contradictione verificantur, quia adhuc respectu illius salvatur, quòd non sint de eodem omoinò eodem, quia licèt siot de omniοò eodem io re, sunt tamen de illo partitè significato, & coocapto saltem objectivè &c.

Ex his colligimus secundò, quòd si semel repugnaret intellectus creatus, à quo est tota hæc partitio, & actualis distinctio, sicut & pluralitas conceptuum, & nominum, quibus exprimuntur, cosequenter etiam repugnaret verificatio contradictionis, præcipuè juxta superiorem modum, de quo tamen infrà; non admittentem aliam virtualem distinctam à fundamentali, quia ad verificationem illius, siva ad illam vincendam requiritur aliqua distinctio saltem fundamentaliter respectivè, ut dictum est, quæ tunc concipi non posset, repugnante termino ejusdem respectus, scil. intellectu potente illam efficere. Nec refert, quòd veritas utriusque, scil. processionem Verbi esse generationem, & non illam Spiritus Sancti non pendeat; utpotè quid divinum; ab aliquo creato, seu possibilitate intellectus creati, quia licèt nullum divinum ab aliquo extrinseco pendere possit dependeotia stricta, vel à priori, potest tamen necessariò conoecti cum possibilitate ejus, ut iofrà dicimus de Trinitate, ita ut hac pereunte varietur intrinsecè Deus, quæ dicitur quasi dependeotia à posteriori, vel tanquam à signo, sumpta scil. pro connexione, de quo latè ibidem, & patet in omnipotentia respectu creaturarum possibilium, cùm implicet virtos operativa absque possibilitate termini, quod est necessariò connacti com illis; neque hoc præjudicat summæ Dei independentiæ, immò magis commendat ejus pleoitudioem essendi, quia cùm sit ens per essentiam habet per modum fontis totius esse, continere, & derivare omnem ratiooem entis ad extra &c.

Inquires tamen cur si sufficit distinctio virtualis, vel fundameotalis ad verificandum, quòd intellectus sit principium processionis Verbi, & non voluntas; non etiam sufficiat ad verificandum, quòd intellectus non sit volontas. §. Resp. quòd sicut in affirmatione unius attributi de alio, dum dico: Intellectus est voluntas; sit sensus identificus, & noo purè appellativus supra explicitum eorom, ita in illius negatione negatur realis ideotitas, unde est necessaria distinctio realis, quod à nemine conceditur; cæterùm in negatione prædicati ejusdem propositionis, scil. esse principium Verbi, exercetur appellatio suprà con-

cep-

ceptū principii, & consequenter sit sensus formalis appellans, vel raduplicās suprà explicitū utriusq; unde ad verificandum unum attributum esse processionis principium, & non aliud sufficit objectiva, seu virtualis, aut fundamentalis distinctio, secundùm quàm attenta voluntate quoad sui explicitum nequit de illa affirmari, quòd sit principium processionis Verbi: qua ratione etiam licèt idem attributum non possit negari de alio, potest tamen da illo, & de ejus definitione negari definitio, vel ratio formalis alterius; unde licèt hæc sit falsa, justitia non est misericordia; hæc tamen est vera; justitia, vel id, quo Deus ponit, non est id, quo Deus miseretur; & hæc justitia est id, quo Deus miseretur, est falsa; quia nempè in prima sit sensus identicus; in his verò formalis, & reduplicativos, in quo non removetur, vel affirmatur identitas realis, sed tantùm formalis, vel rationis &c.

§. IV.

Statuitur secunda Conclusio.

IN Deo admittenda est aliqua distinctio objectiva inter divina attributa, ita ut tam inter se, quàm ab essentia distinguantur ratione ratiocinata, seu cum fundamento in re, & consequenter distinctione virtuali, seu fundamantali in re, & formali per intellectum, & probabiliter etiam distinctione aliqua virtuali intrinseca, distincta à purè fundamentali. Est communis Thomistarum, præcipuè quoad primam partem; licèt quoad secundam dissentiat Illustriss. Godoy, ut vidimus; renuens admittere virtualem intrinsecam distinctam à fundamentali, sed in aliquo sensu crediderim non posse omninò negari, & licèt D. Tho. in solvendo argumentum contradictoriorum sæpè à se ipso productum uti soleat distinctione secundùm intelligentiæ rationem utpotè faciliori, non tamen videtur excludere saltem in aliquo sensu omnem hujusmodi virtualem intrinsecam, ut poterit constare &c.

Prima ergo pars, in qua est præcipua difficultas, nempè quòd sit admittenda aliqua objectiva, saltem virtualis, vel fundamentalis; est expressa D. Tho. q. 7. de Potent. ar. 6. in corp. versùs fin. ubi ait: *Et ideò dicendum est, quòd omnes istæ multæ rationes, & diversæ* (secundùm quas, scil. intellectus noster concipit inadæquatè, vel imperfectè, & distingnit divina,) *habent aliquid respondens in ipso Deo, cujus omnes istæ conceptiones intellectus sunt similitudines*; ergo non secundùm puram rationem ratiocinantem, sed cum fundamento in re sic coocipit, & distinguit divina. Idem docet in 1. dist. 2. qu. 1. art. 2. in corp. & ar. 3. in corp., §. *Quantùm verò*, ad 4. & dist. 22. q. 1. ar. 3. ad 4., ubi inquit: *Dicendum, quòd differunt nomina attributorum secundùm rationem, non tantùm, quæ fit solùm in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei.* Supposito scil. fundamaoto ex parte rei conceptæ secundùm meritum suæ lineæ, ut dum concipit ut suprà, quòd intellectus est principium generationis Verbi, & noo voluntas, quia intellectus procedit per viam assimilationis, ut requiritur ad generationem, non verò voluntas, & sic de aliis. Videatur etiam infrà ibi dist. 35. qu. 1. ar. 1. ad 2. Hanc etiam veritatem agnovit Comment., sive Averroes 11. Metaph. ad text. 39., (ut refert D. Tho. ubi suprà de Potentia 3) nam postquàm dixit nomina significantia divinas perfectiones non significare idem omnibus modis, sicut significant sinonyma, sed unum in esse, & plura in consideratione concludit: *Multiplicitas igitur in Deo non est nisi in intellectu differentia, non in esse*; id est, est solùm secundùm differentiam in intellectu, & non in esse, quod nos dicimus nnum secundùm rem, & multa secundùm rationem, ut ait D. Tho. &c.

Ex his, & ex eodem D. Tho. infrà q. 13. ar. 4. prob. ratione. Distinctio attributorum per rationem est cum fundamento in re, argo est rationis ratiocinatæ, & non purè ratiocinantis; conf. tenet ex discrimine inter utramque; ant. probatur si in Deo non esset fundamentum, intellectus sic distioguens, vel diversimodè concipiens, & nominans esset falsus in attribuendo, & omnes pariter propositiones hujusmodi attributiones significantes; sed hoc est inconveniens, ergo est cum fundamento; min. est certa, quia inconveniens est dicere, quòd sit falsua in attribuendo Deo, quòd sit justus, sapiens &c. vel quòd ejus intellectus sit principiom generationis, & voluntas spirationis &c. Maj. prob., si in Deo non est fundamentum, nihil est in illo, vel secundùm ipsnm, vel secūdùm ejus effectū his, vel similibus attributionibus respondens, ergo est falsus in attribuendo, vel enunciando de illis. Hæc est ratio ejus art. illo 6. de Potentia &c.

Expl. & urg. ex his, quæ prosequitur ibidem. Rationes, quas noster intellectus sic diversimodè concipiena, & nominans attribuit Deo, vel ejus perfectionibus, ant attributis, non attribuit illis, ut præcisè sunt intellectæ, sed ut sunt in se ipsis; non enim Deus præcisè ut intellectus, habet, quòd sit bonus &c. & non in se ipso; nec præcisè ejus voluntas, prout iotellecta, quòd sit principium spirationis, & non in se ipsa, ergo ex parte objecti debet aliquid his rationibus respondere tanquam fundamentum attribuendi, vel sic diversimodè concipiendi, & nominandi, aliàs est falsus, attribuens in se, quod in se non convenit &c.

Expl. ulteriùs ex eodem ibid. Hoc est discrimen inter rationes, quæ attribuuntur rei prout intellectæ, & quæ attribuuntur prout in se, quòd illis non tenetur aliquid respondere ex parte objecti prout in se ipso est, sed tantùm prout est intrà animam, sive proot est intellectum, ut patet in ratione generis, & speciei, & aliarum intentionum intellectualium; nam nihil est in rebus, quæ sunt extrà animam, cujus similitudo sit ratio generis, vel speciei, qua ratione sit immunia à falsitate, ergo salva hac immunitate neqnit rei prout in se ipsa aliquid attribuere non habito fundamente ex parte ejus, aut nisi ex parte ejus prout in se ipsa, aliquid respondeat, conf. tenet; nam sicut attriboēs rei prout iotellectæ falsus esset, aliquo nō respōdente ex parte rei pront sic intellectæ, ita erit fal-

falsus attribuēs illi pruut in se ipsa, aliquo non respōdēte ex parte ejus prout in se ipsa. Unde de potent. ubi suprà inquit: *Ex hoc quod intellectus in se ipsum reflectitur, sicut intelligit res existentes extra animā, ita intelligit eas esse intellectas. Et sic sicut est quadā conceptio intellectus, vel ratio, cui respondet res ipsa, quæ est extra animam*, (ut in casu;) *ita est quædam conceptio, vel ratio, cui respondet res intellecta secundùm quòd hujusmodi, sicut rationi hominis, vel conceptioni hominis respondet res extrà animam, rationi verò, vel conceptioni generis, aut speciei respondet solùm res intellecta. Non autem est possibile hujusmodi esse rationes horū nominum, quæ de Deo dicuntur, quia sic intellectus non attribueret ea Deo secundùm quòd in se est, sed secundùm quòd intelligitur, quod patet esse falsum. Esset enim sensus cùm dicitur: Deus est bonus, quòd Deus sic intelligitur, non autem quòd sit.* In quibus non solùm subtiliter, & egregiè tradit conclusionem, sed etiam efficaciter probat, ut patet argumento facto ex eodem.

Dices ita esse, quòd dum intellectus aliquid attribuit objecto, vel Deo prout in se, debet aliquid respondere ex parte ejus, non tamē quasi absolutè, vel intrinsecè, sed tantùm cōnotativè, vel extrinsecè, sive æquivalentia plurium realiter distinctorum in creatis, aut connotatio extrinseca ad res creatas, quatenùs scil. eadem entitas increata Dei, ut connotat effectus à se productos, dicatur Omnipotentia: sapientia verò, vel scientia, ut connotat res sibi objectivè præsentes, & à se cognitas. Pro quo adverto, quòd Recentiores sequuti Nominales, ut Hurtado, & alii, qui omninò objectivè identificant hujusmodi divina, non intendunt excludere omnem distinctionem virtualem, vel objectivam etiam extrinsecam consistentem in præfata æquivalentia, vel extrinseca connotatione; (hanc enim admittunt nè dicatur intellectus falsus, vel nè verificentur contradictoria;) sed solùm virtualem intrinsecam, sive distinctam, sive non, à fundamentali, unde hanc contra Thomistas negant esse necessariam ad id salvandum, & dicunt sufficere extrinsecam, licèt alii, ut dictum est, recurrant ad puram, & non puram, præcipuè inter absolutum, & relativum utendo potiùs, ut vidimus; novitate verborum, quàm distinctionis &c.

Sed hanc solutionem rejicit pariter D. Tho. ibid. primò, quia nequit effectus intelligi talis, causa priùs non existente tali, cùm effectus à causa secundùm similitudinem procedat, juxta illud: Omne agens inquantùm agens, producit sibi simile, ergo ad salvandum hæc attributa respectu Dei, non sufficit pura æquivalentia, aut connotatio extrinseca effectus, ita ut Deus dicatur sapiens, quia sapientiam causat, sed magis quia est sapiens, ideò sapientiam causat, unde, ut docet August. lib. 2. de Doctrina Christiana c. 32. tom. 3. quòd quia Deus inquantùm est, & bonus, sumus inquantùm sumus, & boni sumus.

Expl. hoc. Implicat causam producere effectum, quem non præcontinet, ergo magis effectus à causa, quàm causa ab effectu connotato derivativè à priori denominari debet.

2. Rejicit. Quia sequeretur ex hoc, quòd hujusmodi nomina per priùs dicerentur de creatura, quàm de Creatore, sicut per priùs sanitas dicitur de sano, quàm de sanativo, quod dicitur sanum, quia est causa sanitatis; conf., ut per se patet, est falsum, ergo &c. Vid. D. Tho. ibid., ubi prosequitur ad impugnandum eundem modum dicendi &c.

Prob. 2. etiam principaliter conclusio, & urg. præcedens ratio. Nomina, & conceptus de Deo formati, verè habent significatum ex parte objecti, prout in se secundùm sei proprietatem, ut cum dicimus: Deus est bonus &c. Intellectus est principiū generationis &c. ergo est admittenda ex parte illius prout in se distinctio aliqua objectiva, saltem virtualis fundamentalis, seu per modum fundamenti, sic diversimodè nominandi, concipiendi, vel distinguendi, prob. anteced. simul cum conseq. Tum quia aliàs, ut dictum est, intellectus mnler esset falsus, cùm nominet, aut enunciet ea de Deo non præcisè ut intellecto, sed ut in se ipso est, nec possint de illo ut in se ipso talia prædicata negari, ut egregiè docuit D. Tho. in 1. ubi suprà, dicens: *Pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, inquantùm sua perfectione superat unamquamque conceptionem nostri intellectus, & ideò pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio.* Quod etiam repetit infrà q. 13, ar. 1. & 4.; ubi clariùs ostendit, quomodò contingat formari à nobis hujusmodi distinctos conceptus de Deo salva ejus unitate, & cum fundamento ex parte objecti secundùm se. Ex eodem ergo prob. iterùm utrumque sic. Quamvis Deus, vel res illa, quæ Deus est, sit unica, & simplicissima, nos tamen formamus de illo, ejusque attributis distinctos conceptus significatos per nomina non sinonyma illi attributa, ut sunt sapiens, justus, bonus &c. ergo debent respondere distincti conceptus objectivi, saltem per ordinem ad distinctos eosdem formales, quod est fundamentaliter, vel per rationem distingui; ant. constat, quia reverà prædicta nomina non sunt sicut hęc M. Tullius, Cicero &c. sed diversę rationis; conf. etiam tenet, aliàs essent pura sinonyma &c.

Expl. totum hoc. Licèt Deus in se sit una, & simplicissima realitas, vel entitas; est tamen infinita, vel plena perfectio, ut ait D. Tho., ergo nequit ab intellectu creato objectivè adæquari, vel exprimi sub eadem omninò ratione, & consequenter in Deo respondere diversæ rationes objectivæ, quod iterùm est distingui non per puram rationem ratiocinantem, sed cum fundamento in re, sumpto scil. ex eminentia divinæ perfectionis, seu ex eminentiali continentia plurium perfectionum comparata cum limitatione intellectus nostri non valentis uno conceptu eam adæquare, vel concipere, nec uno nomine nominare; unde ar. 4. relato infrà concludit D. Tho.: *Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium repræsentatum per diversas perfectiones creaturarum variè, & multipliciter, ita variis, & multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omninò simplex secundùm hujusmodi conceptiones imperfectè intellectum. Et ideò nomina Deo attributa, licèt significent unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus multis, & diversis non sunt sinonyma.*

Denique prob. concl. quoad alteram partem, quòd

quòd sit aliquomodò admittenda distinctio virtualis intrinseca, non purè respectiva, formaliter loquendo, ad intellectum, sed quasi absolutè, & in se, & consequenter aliquomodò distincta à fundamentali. Nam sic virtualiter intrinsecè distingui est ita in re esse actu idem, vel unum, ut in illa una re exerceant propria utriusque non minus, ac si essent distincta, ita ut illa unitas, ut dictum est, æquivaleat distinctioni, seu eminenter illam contineat; sed ita distinguuntur intellectus, & voluntas, ergo sic distinguuntur virtualiter intrinsecè; maj. constat, quia sicut virtualiter distingui est virtute esse multiplex, & actu unum, ita virtualiter, vel in se intrinsecè distingui est ita actu intrinsecè esse idem, vel unum in se, ut virtute intrinsecè sit in se multiplex, quod est virtute intrinsecè in se exercere propria utriusque ac si essent distincta, ut patet ex terminis; min. verò prob.: entitas, & formalitas simplicissima intellectus divini, ita est una simul intellectiva, & volitiva in se, ut quatenùs intellectiva, est à parte rei principium generationis, ut verò volitiva principium spirationis, ergo ita actu identificantur intellectus, & voluntas in eadem entitate, ut exerceant propria utriusque, identitate, vel unitate æquivalente distinctioni, vel eminenter illam continente; antec. constat, quia hoc est proprium intellectivi, ut sit per viam assimilativam, & consequenter generativam; volitivi verò per viam inclinativam, vel impulsivam, & consequenter spirativam; ergo eadem simplicissima entitas, & formalitas ita est una, simul intellectiva, & volitiva, ut quatenùs intellectiva sit principium generationis, quatenùs verò volitiva principium spirationis &c.

Idem argumentum fieri poterat obiter ad intentum etiam de absoluto, & relativo, cùm negetur quoad utramque lineam; unde sub eisdem terminis arg. sic. Eadem entitas, & formalitas simplicissima Patris ita est in se una simul absoluta, & relativa, vel simul essētia, & relatio, ut quatenus absoluta, est à parte rei cōmunicabilis, indistincta, & non opposita, ut verò relativa, est distincta, & opposita, ergo ita actu identificantur in se absolutum, & relativum, sive in eadem entitate, ut exerceant propria utriusque, identitate, vel unitate æquivalente distinctioni, vel eminenter illam continente; ant. constat, quia hoc est proprium absoluti in ente infinito esse communicabile, & non oppositum; relativi verò esse oppositum, & incommunicabile; ergo si non obstante identitate, hoc totum exercent, jam exercent propria utriusque.

Ex quo inferuntur duo, primum, quòd illa summa unitas, vel identitas æquivaleat distinctioni; nam prædicta prædicata in creatis solum verificantur de extremis realiter distinctis, & ratione distinctionis; ergo si in divinis verificantur de eadem entitate, & formalitate, signum est, quòd ista identitas, vel unitas summa actu æquivalet distinctioni, ut etiam videtur satis insinuare D. Tho. loco proximè relato &c.

2. Contra Scotum, quòd sicut ob summam eminentiam, & infinitatem, vel plenitudinem perfectionis verificantur eadem prædicata in eadem entitate, vel realitate summè una sine distinctione reali, poterunt pariter verificari in eadem formalitate summè una sine distinctione formali, vel sicut summa prior identitas, vel unitas æqivalet distinctioni reali in nobis, summa pariter posterior in genere formalitatis poterit æquivalere, aut continere formalem; ita ut quæ in nobis dicuntur verificari cum identitate reali ratione distinctionis formalis, poterunt in Deo verificari cum identitate formali ratione distinctionis virtualis; & vix poterit assignari sufficiens disparitas &c.

Dices rationi factæ iterùm quidem convinci ex illa distinctionem intrinsecam virtualem contra Nominales, & alios Recentiores eisdem adhærentes, & etiam contra P. Esparzam non solùm facta comparatione inter absolutum, & relativum; sed etiam inter absolutum, & absolutum, non tamen indistinctam à fundamentali; nam omnis hujusmodi intrinseca distinctio est fundamentum distinctionis actualis per intellectum &c.

Sed contra hoc est. Licèt dicamus esse, vel præbere fundamentum, non tamen est eadem formalis ratio exercendi propria utriusque, & præbendi fundamentum, ergo non sunt omninò idem, sed distinctæ formaliter; prob. ant., quia prior ratio exercetur quasi absolutè ad intrà, & independenter ab omni opere intellectus, cùm processiones divinæ, ut dictum est, sint ab æterno, nec expectent, aut respiciant aliquam operationem creaturæ; posterior verò sit respectiva, vel connotat nostrum intellectum; ergo nequeunt formaliter coincidere, sicut non coincidunt formaliter in eodem instanti ratio terminandi partem præteritam, & ratio initiandi futuram &c.

Expl., & urg. hoc. Prior ratio ita Deo ob sui eminentiam, vel plurium in uno præcontinentiā convenit, ut in omni suppositione conveniat, si iterum velimus processiones divinas ab æterno, & indefectibiliter convenire; sed posterior ratio repugnante connotato, vel intellectu creato, deficeret, ita ut hoc repugnante, qui posset facere distinctionem rationis, repugnaret distinctio fundamentalis rationis, ut etiam tradit Illustriss. Godoy hic §. 5. n. 79. dicens: repugnante intellectu creato potente distinguere inter voluntatem, & intellectum divinum, repugnaret pluralitas nominum, quæ supponit distinctionem conceptuum, ac per consequens repugnarent intellectus divinus, & voluntas divina, ut diversimodè nominabiles, & conceptibiles; ergo non sunt omninò idem formaliter &c.

Urgetur ulteriùs. Distinctio virtualis fundamentalis est defectibilis saltem, conditionatè, si repugnaret intellectus creatus potens facere actualem rationis, sed præter hanc datur virtualis intrinseca omninò indefectibilis, ergo videtur aliquo modo admittenda virtualis intrinseca formaliter distincta à fundamentali, cons. tenet, & præmissæ patent ex dictis. Et ratio à priori videtur esse, quam assignat Magister meus; quia distinctio virtualis non præcisè dicitur, quasi sit in potentia ad actualem, sed absolutè ex sola plurium præcontinentia in uno, sive ex eminentia, aut plenitudine perfectionis, ut ait D. Thom. ubi suprà; secundùm quam ut dictum est, actu eadem simplicissima entitas, vel formalitas est virtute multiplex, ad exercendum propria utriusque, unde sibi ipsi sufficit non expectans, quòd fiat actualis; at verò fundamentalis rationis expe-

ctat

ctat complementum à ratione potente actualiter distinguere, ergo non videntur ex terminis omninò coincidere formaliter virtualis, & fundamentalis. Ex his à fortiori reiicitur superior modus dicendi P. Esparzæ negantis omnem virtualem inter duo absoluta; nam saltem fundamentalis rationis, sive virtualis intrinseca per modum fundamenti negari non potest, nisi velit etiam nagare præfatam eminentiam, vel præcontinentiam plurium in uno, aut perfectionis plenitudinem, secundùm quam dicimus esse actu idam, & unum, sed virtute multiplex, & secundùm quam de actu eodem, & uno verificantur prædicta contradictoria etiam intra lineam absolutam, ut quòd Deus intelligit per suum intellectum, & non per suam voluntatem, quòd vult per istam, & non per intellectum; quòd altera persona procedat per intellectũ, & alteranon &c.

Nec juvat cum eodem dicere id falsum esse loquendo de intellectu, & voluntate essentiali, sive ut spectant ad lineam absolutam, ità ut falsum sit, quòd ante opus intellectus intelligat intellectu, & non voluntate, aut velit intellectu, & non voluntate, unde quòd Verbum procedat per intellectum, & non per voluntatem; vel Spiritus Sanctus per voluntatem, & non per intellectum, intelligendum sit de intellectu, & voluntate notionali, sive ut spectant ad lineam relativam, prout nempè determinatur intellectus ad rationem principii productivi Verbi per relationem paternitatis, & voluntas ad esse productivam Spiritus Sancti per activam relationem spiratoris &c.

Non inquam juvat: quia repugnat sic diversimodà intrà lineam relativam determinari non admissa distinctione virtuali intat utramq; in linea absoluta, ergo, prob. ant., omni exclusa dist. virtuali, vel objectiva inter illas nequit cum fundamento concipi esse magis intellectum determinabilem per relationem paternitatis, & non voluntatem, vel hanc per relationem spiratoris, & non intellectum, ergo omni exclusa nequit magis verificari, quòd Verbum procedat per intellectum notionalem, & non Spiritus Sanctus, vel quòd hic procedat per voluntatem notionalem, & non Verbum, ergo utraque erit falsa: Verbum procedit per intellectum notionalem, & non per voluntatem, & Spiritus Sanctus per voluntatem, & non per intellectum; utraque conf. tenet, & ant. prob.; tum quia omni exclusa sunt omninò idem tam formaliter, quàm virtualiter, ergo salva contradictione nequit cum fundamento concipi, esse magis per unam determinabilem intellectum, quam voluntatem, & magis hanc per aliam, quàm intellectum; tum quia omni iterum exclusa, est tanta identitas, ut fatetur adversarius; quòd non possit verificari Deum intelligere per intellectum, & non per voluntatam, aut velle per hanc, & non per intellectum, ergo tanta erit, ut non possit similiter verificari Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem, & Spiritum Sanctum per voluntatem, & non per intellectum; conf. tenet, quia suppotita omnimoda identitate impeditiva determinabilitatis unius, & non alterius, nequit intelligi magis notionalis, aut fœcundus intellectus ad productionem Verbi, quam voluntas, cum id habeant ob diversam determinabilitatam &c.

Poterat denique impugnari hic modus dando instantiam etiam ad intentum explicationis ejus. Dantur duo prædicata absoluta mutuò affirmabilia cum discrepantia in tertiò prædicato, ergo datur inter illa distinctio virtualis intrinseca, conf. tenet, quia ità explicat P. Esparza, ut vidimus; hanc distinctionem; ant. verò prob. ex eodem meo Magistro in manuscriptis, & iterum in impressis hic §. 3. nam hæc duo, scil. commune tribus, & natura divina, sunt absoluta, ut patet, & mutuò affirmabilia, ut suppono etiam à fortiori ex adversario, dum admittit majorem identitatem inter illa, unde tenetur hanc utramque concedere; commune tribus personis est natura divina, & natura divina est communis tribus; sed ista duo discrepant in hoc prædicato *communicari*, ergo, prob. mi.; quia hęc est vera; natura divina communicatur tribus personis; hoc verò prædicatum, commune tribus non communicatur illis, aliàs quælibet persona esset communis tribus, quod est alienum &c.

Huic instantiæ, quam publicè in Collegio Romano opponebat idem Magistri contrà prædictum Patrem, respondebat hic negando præfatam discrepantiam, quia licet natura divina inadæquatè sumpta, prout dicit præcisè essentiam, & alia attributa absoluta communicetur tribus personis, secus tamen si sumatur adæquatè, ut ambit omne prædicatum absolutum, quia cum tunc etiam comprehendat prædicatum communitatis, sicut istud non communicatur, nec paritar natura prout sic, potest dici, quòd communicetur illis, & consequenter, nec quod habeat discrepantiam cum illo in aliquo prædicato &c.

Sed contra hoc est. Nam hæc solutio videtur destruere se ipsam, saltem enim concedit, ut tenetur; quòd inadæquatè sumpta prout ambit cætera absoluta præter istud, verè à parte rei communicetur, ergo ut contradistincta ab hoc alio absoluto, discrepat in aliquo prædicato, & consequenter ut est extremum inadæquatum contradistinctum virtualiter intrinsecè distinguitur ab illo &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Natura divina adęquatè sumpta non solum ambit omnia absoluta, sed etiam cætera divina, cum nullam habeat oppositionem cum alio divino, sed quia in hac ampliori collectione, est prædicatum, quod non communicatur, scil. relativum; & ipsa inadęquatè sumpta, sive ut est extremum contradistinctum ab illo, ità discrepat in hoc prædicato *communicari*, ut virtualiter intrinsecè distinguatur ab eodem relativo ut ipse fatetur, ergo quia in collectione omnium absolutorum est prædicatum, quod non communicatur, scil. *communitatis*; & ipsa inadæquatè sumpta, vel ut est extremum contradistinctum ab illo communicatur, ità discrepabit in hoc prædicato *communicari*, ut virtualiter intrinsecè distinguatur ab illo; vel assignet discrimen, quod juxtà modum ejus explicandi hanc distinctionem videtur difficillimum &c.

Explicatur ulteriùs. Natura divina utpotè carens omni oppositione intrà forum divinitatis, verè est mutuò affirmabilis cum quolibet divino, sed nihilominùs, quia à toto genere divinitatis est aliquod prædicatum non communicabile tribus, scil. relatio, discrepat in aliquo prædicato ab illa, & virtualiter intrinsecà distinguitur ab eadem, ut ipse docet; ergo quia à toto genere absolutorum est prędicatum non communicabile tribus; scil. *communitas*, discrepabit in aliquo prædicato ab illa, & virtualiter intrinsecè distinguetur ab eadem &c.

Urgetur denique totum hoc. Nam si quia in collectione absolutorum est aliquod prædicatum non communicabile, potest de natura divina adæquatè sumpta, sive ut ambit omnia absoluta affirmari, quòd ipsa etiam non communicatur per exclusionem discrepantiæ, & distinctionis virtualis intrinsecè ab illo, quia pariter in tota collectione divinorum est aliquod prædicatum non communicabile, poterit similiter de illa adæquatè sumpta in hac posteriori collectione, sive ut ambit omnia divina, affirmari quòd non communicatur per exclusionem discrepantiæ, & distinctionis virtualis intrinsecè ab illo, ergo vel utrobique tenetur negare, vel utrobique concedere hanc distinctionem tam inter absolutum, & relativum, quã inter absolutum, & absolutum stando in ejus modo explicandi illam &c.

§. V.

Solvuntur argumenta contra primã partem præcedentis conclusionis, seu contra distinctionẽ rationis ratiocinatæ.

PRimò arg. contra 1. par. opponendo Concil. Rhemense sub Eugenio III. celebratum, in quo sic habetur. *In Theologia inter essentiam, & personam ratio non distinguat;* ergo à fortiori distinguere non debet inter duo absoluta, quæ minus distãt &c.

Urgetur hoc ratione. Non debet, nec potest cum fundamento ratio distinguere ea, quæ sunt idem, sed absoluta sunt idem in Deo, cum careant omni oppositione, ergo, prob. ma. primò, quia essent, & non essent idem, cum distinctum ab aliquo non sit aliquid illius, à quo distinguitur. Secundò quia distinctio cum fundamento importat pluralitatem ex parte objecti, sed hæc opponitur identitati, ergo. Tertiò quod est idem in re, non potest esse plura secundùm rem, ut patet ex terminis; nec etiam secundùm rationem, aliàs esset plura entia rationis, quod magis implicat, quàm esse plura entia realia, ergo. Quartò quæ pertinent ad lineam entis rationis, nequeunt distingui re, sive distinctione reali, ergo quæ pertinent ad realem nequeunt distingui ratione, & consequenter idem realiter nequit à se ipso distingui ratione; 1. conf. tenet, quia cum tam distinctio, quàm unitas sit passio entis, non minus est propria entis rationis distinctio rationis, quam sit propria entis realis distinctio realis ergo &c.

Ad hoc quoad authoritatem Concilii patet ex dictis solum ibi determinari identitatem, quam negabat Gilbertus, contra quem procedit Concilium, scil. realem, unde excludit illam rationem, quam ipse ponebat; quia ut eruditè refert Gonet ex Othone Frisingensi authore illius temporis, qui acta illius Concilii conscripsit, & ex D. Bernardo præcipuo ejusdem Concilii Promotore, duas rationes distinguebat, alteram mathematicam, scil. præscindentem ea, quæ in re distincta non sunt, aliam verò theologicam ea solum distinguentem, vel affirmantè distincta, quæ in re distincta sũt, & quia per hanc distinguebat divina ponens relationes esse Deo quasi extrinsecus affixas, & consequentet realiter distinctas, hanc volens excludere Concilium dicit. *In theologia inter essentiam, & personam ratio non distinguat*, scil. ratio theologica distinguens realiter, quæ in re distincta non sunt &c.

Adde, quòd ut acuratè observat Mag. Ferre hic § 7. ad 1. ex eodem Othone, Concilium utitur verbo *dividere* non distinguere, nam primum importat negationem unius de alio, ut Deus non est Pater, vel natura divina non est Pater; quæ sunt falsæ, posterius verò, quòd pluribus conceptibus cum fundamento in re utrumque intelligat, quod est verum, unde non contrà nos, sed contrà Gilbertum procedit dicentem, quòd licet Pater sit Deus deitate, non tamen est deitas, quod est dividere.

Ad confirmationem cum suis probationibus dico in primis esse solvendam à contrariis, nam si semel ubi est identitas realis nequit ampliùs ratio distinguere, non solum non poterit idem distingui à se ipso ratione ratiocinata, sed neque etiam ratiocinante, cum identitas si semel obstat, utrique obstare debeat, utpotè opposita distinctioni non solum reali, ut fatemur omnes, sed etiam rationis, ut ipsi dicunt. Pro omnibus ergo distinguo ant., quæ sunt idem tam actualiter, quam virtualiter, aut fundamentaliter conc., actualiter tantum, sed virtute plura ut dictum est, nego. Ad primam probationem similiter dist., essent, & non essent idem, si supponerentur idem in re tam actualiter, quam virtualiter, vel fundamentaliter conc.; si solum actualiter, nego; quia cum non sit omnimoda identitas etiam virtualis, habet ratio unde distinguat sine omni contradictione. Ad 2. dist. ma., importat pluralitatem virtualem, vel rationis, conc., realem actualem nego; & dist. mi. opponitur identitati, eo modo quo est distinctio, vel pluralitas conc., aliter nego, nã sola distinctio, vel pluralitas rationis non opponitur idẽtitati reali, imò ex eo, quòd res illa, quæ Deus est, ob sui eminentiam sit summè una fundat illã, ut dictum est.

Ad 3. distin. claritatis gratia eodem modo 1. par. non potest esse secundùm rẽ actualiter conc., virtualiter, aut fundamentaliter, nego; & tunc etiã, nego 2. partẽ; ad prob. annexã, nego suppositũ, quòd idẽ sit esse plura secũdũ rationẽ, & esse plura entia rationis, nã primũ importat solũ, quòd supposito fundamento ex parte objecti possit ratio distinguere, quæ acta ante illam distincta non sunt, sed tantũ virtualiter, ex hoc verò non infertur, quod hujusmodi actu identificata, & virtualiter; dũ per rationẽ actu distinguũtur, fiant aliquid rationis, sed solũ quòd imperfectè, aut inadæquatè concipiũtur, vel repræsentẽtur, ut dictum est. Ad 4. iterum dico primò, quòd etiam excluderet distinctionem rationis ratiocinantis, sicut enim entia rationis, nulla omninò distinctione reali distingui possunt, nec pariter entia realia nulla omninò distinctione rationis distingui poterũt. Sed deinde, nego 1. conseq., & disparitas est, quia cum ens rationis sit purũ ens objectivũ cum repugnantia ad existendũ à parte rei, nullo modo potest ingredi forum entis realis, nec aliquid intrà proprium admittere de illo, cæterum ens reale, utpotè cognoscibile potest objectivè ingredi intentionale, & præbere intellectui fundamẽtum, non ut det illi, quod subjectivè est propriũ entis rationis, scil. unitatem, vel distinctionẽ, quæ per modũ proprietatis consequitur ad ens rationis, in hoc enim solo potest militare paritas) sed ut objectivè distinguat, præcipuè ubi est excessus ex parte objecti, ut in casu; quòd intellectus noster ob sui limitationẽ unico conceptu adæquare illud non potest; hæc enim objectiva unitas, vel distinctio rationis, non est propria entis rationis, sed communis utrique enti; per quod etiam patet ad ejus probationem &c.

Sed instas ex eisdem nominalibus. Qui nequit facere ens reale, nec potest facere plura entia

tia realia, sed intellectus nequit facere ens reale, ergo nec potest facere plura realia,& continêter nec distinguere objectivè illa, cum idem sit distinguere, ac multiplicare. 2. Identitas inter hujusmodi divina est summa, ergo nequit ratio unum objectivè ab alio distinguere, aliàs eadē facilitate posset unū,puta essentiam à se ipsa distinguere, nō obstante quòd sit eadem sibi ipsi; ant. etiam est certum, cum sit inter prædicata infinita, quæ sunt actus purus, vel summam habentia emioentiam. 3. Quia ob hanc summam eminentiam debent habere talem unitatem, vel identitatem,& simplicitatem, qua major excogitari non possit, ergo per exclusionem cujuscuoque distinctionis objectivæ, nam identitas, vel simplicitas hanc excludens est major, ergo. 4. Denique quia si semel unum distingueretur ab alio, deberet etiam distingui à seipso; ut patet in hoc syllogismo, sapientia est essentia divina, sed sapientia distinguitur ratione ab essentia, ergo essentia distinguitur à seipsa &c.

Ad 1. dist. maj. nequit facere plura, dando illis esse, conc.; præcisè destinguendo per rationē, nego, immò tenetur, ut dictum est, cum imperfectè illud cōcipiat, nec possit unico conceptu ejus intelligibilitatē, aut plenitudinē perfectionis cōprehēdere, unde teoetur objectivè distinguere,ut saltem multiplici conceptu ejus rationes percipere valeat. Ad 2. dist., est sūma per excessum, vel ob summam eminentiam, conc.; per defectum, oego; unde ejus unitas, vel identitas, non est indivisibilis sicut illa puncti, sed potiùs virtute multiplex, ut dictum est; & deinde etiam oego conf.; ad probat. verò annexam, quæ potest esse replica, nego sequelam, qaia essentia, vel alia hujusmodi determinata prædicata, aut perfectiones, cum importent lineam determinatam, oequeunt esse partibiles in plures rationes formales, sicut quæ spectant ad distinctam lineam, unde in his possumus cum fundamento distinguere sine diminutione *summi*, aut præjudicio æqualitatis, quia id totum oritur ex eadem summa eminentia, quæ plura continet salva sui unitate. Ad 3.; quæ pariter potest esse replica; dist. ut infrà de Trinitate; qua major excogitari non possit, abstractivè, nego, concretivè conc.; nam licèt abstractivè esset major, quæ omnem objectivam excluderet, non tameo concretivè admitti potest in eote summè eminente salva ejus eminentia, ob quam est virtute multiplex, ut dictum est. Ad 4. nego sequelam, ad probationem annexam, nego consequentiam, quia fit transitus à sensu idootico ad formalem, nam major est solum vera identicè, & minor formaliter per rationem, unde solùm poterat inferri, quòd res, quæ est essentia, distinguatur ratione ab essentia; sicut similiter contingit in hoc syllogismo. Sciētia est essētia, sed sciētia est attributū essentiæ, ergo essentia est attributum essentiæ; nam solum teoet in sensu materiali, & identico, quòd res, quæ est essentia sit attributum scientiæ.

2. Arg., & est replica. Si semel eminentia divina dare posset fundameotum distinguendi per rationem, daret etiam componendi per rationem, & consequenter sicut datur dist. objectiva per rationem, daretur etiam compositio objectiva per illam, sed hoc posterius non admittitur salva summa ejus simplicitate; qua ratione frequenter impugoant Theologi, ut insinuamus, distinctionem formalem Scoti, ergo nec poterit admitti primum salva ejus summa unitate, consequentia tenet, quia sicut simplicitati opponitur compositio, ita unitati distinctio; ma. etiam constat, quia supposita distioctione rationis inter essentiam, & attributa, Deus sic constitutus ex illis, nequit esse omninò simplex, cum simplicitas sit species unitatis, & supposita distinctione nequeat esse omnimoda simplicitas importans omnimodam unitatem, ergo si semel eminentia dat fundamentum distingueodi, dat etiam compooendi &c.

Urg., & explic. hoc. Ex eo à Thomistis, & ab aliis impugnatur eadem dist. Scoti, quia cum compositio consistat in distinctorum unione, si semel inter attributa inter se, vel inter illa,& essentiam esset distinctio formalis, vel ex natura rei, deberet juxta qualitatem distinctionis extremorum dari proportionata compositio, scil. realis formalis, ergo si semel admittitur objectiva per rationem, erit etiam admittenda compositio objectiva per illam &c.

Urg. ulterius. Nam cootrà Scotum negantem haoc sequelam realis formalis compositionis, ex eo quòd essentia non se habeat in potentia ad attributa, licèt realiter formaliter distinguatur ab illis; arguunt primò ferè omnes Theologi non posse omninò vitari potentialitatem realem formalem ex distinctione reali formali, sicut non vitatur realis ex distinctione reali; essetque essentia in potentia reali formali ad attributa, sicut esset in reali, si distingueretur realiter. 2. Quia omissa etiam omni potentialitate reali, adhuc tamen admittenda esset prædicta compositio, quia licèt ad rationem ejus non requiratur potentialitas extremorum; sufficit tamen eorum distinctio, ergo sicut contra illum efficaciter inferunt realem formalem cōpositionem ex reali formali distinctione, pariter inferenda est objectivà per rationem ex distinctione objectiva per illam &c.

Ad hoc patet ex dictis, quòd juxta superiorem modum probabilem, quem inter alios §. primo hujus disputationis relatos, contendit hic Illustriss. Godoy, scil. non repugnare Deo compositionem rationis quoad explicitum ex conceptibus non se explicantibus, mutuò tamen se includentibus, quæ est tantùm secundùm quid in linea compositionis rationis; patet non habere vires, immò posse retorqueri, quòd sicut datur compositio rationis fundata non in limitatione, sicut est metaphysica, vel simpliciter talis, ut est ex rationali, & animali, sed in eminentia objecti, ità pariter, & à fortiori distinctio rationis, quæ minus ex terminis repugnat, fundata in eadem eminentia &c.

Cæterum sustinendo etiam aliorum modum negaotium in propietate omnem compositionem rationis, qui videtur probabilior, vel conformior, ut vidimus, doctrinæ D. Tho., licet idem Illustriss. hic n. 113. discipulos ejus eam negantes explicet de posteriori metaphysica, non de priori seoudùm quid; resp. negando maj., ad probat. dist. claritatis gratia anteced, nequit esse omninò simplex per exclusionem cujuscunque di-

ftinctionis etiā virtualis, vel per rationem conc; compositionis nego;ad probat. annexam dist. quoad utramque partem; simplicitas est species unitatis, aliquid tamen superaddens ad illam conc.; aliter nego; superreddit enim exclusionem compositionis præcipuè in subjecta materia, quam non importat præcisa unitas, ut patet in quolibet composito, quod est unum, & tamen non excludit compositionem, & deinde etiam dist. secundam; supposita distinctione non est omnimoda simplicites per exclusionem compositionis, nego; solius distinctionis, vel qua major abstractivè excogitari non possit, conc.; hæc autem, ut dictum est, importans non solùm exclusionem compositionis, sed etiam totius distinctionis, etiā virtualis objectivę,& actualis per intellectum componi non potest cum summa Dei eminentia; vel plenitudine ejus perfectionis, secundùm quā est virtute multiplex &c.

Ad primam confirmationem, quæ potest esse replica, quatenùs eā statuit in distinctorū unione, unde si semel admittitur distinctio, vel fundamentum illius in prædicta eminentia, debet etiam admitti proportionata compositio, scil. rationis, & ejus fundamentum sumptum ex eadem eminentia; resp. ex dictis plus requiri ad compositionem, quam ad distinctionem, quia ad priorē requiritur, ut vidimus ex D. Tho. q. 2. relata 3. p. ar. 4.; quòd extrema distincta uniantur in uno esse ad constituendum tertium, itaut per unionem inter se totum aliquod constituant per resultantiam tertii, qua ratione, ut vidimus, salvatur in persona Christi propria ratio compositi, quia licèt non adsint conditiones, quas ibi contendunt adversarii negātes eandē compositionē, quòd nempè extrema se habeant, ut partes, & quòd non sit aliquod illorum in se perfectum, & independens à toto cōposito, ut oppositum contingit in compositione personæ Christi; nihilominus, quia uniuntur ad constituendum tertium, scil. subsistens in utraque natura, cum tamen ante unionem eorum non sic subsisteret, ideò communiter nos Thomistæ dicimus esse ibi veram, & propriam rationem compositionis; nempè non ratione partium, sed ratione numeri, ut ait ibi D. Tho. ad 2., quasi dicat de ratione compositionis esse, & sufficere, quòd plura diversa uniantur in uno esse ad constituendum tertium, sive illa plura sint partes, sive non; unde non videtur sufficere quæcunque distinctorum unio ad proprium conceptum compositionis, sed respectivè ad tertium constituendum; quod non ità vereificatur in divinis, sicut in eodem mysterio Incarnationis. Et hac ratione idem Illustris. infrà de visione egregiè explicat, quomodo sit insupplebile lumen gloriæ ad videndū Deum, ità ut nec de potentia absoluta possit haberi visio, aut alius quicuque actus super naturalis sine omni qualitate intrinsecè inhærente, vel intrinsecè unita per modum componentis cum intellectu, quia non præcisè uniuntur, sed per modum constituentis tertium, sive naturam quandam accidentalem, ad quem sequatur operari in illo ordine, alias daretur operari non supposito esse in eodem ordine, cum essentia divina uniatur per modum speciei intellectui Beetorum, & tamen non componat cum illo, quia scil. non ità unitur ad constituendum tertium, sed ad objectivè determinandum, cæterum præcisa distinctio rationie nō importat hoc debitum constituendi tertium, sed tantum pluralitatem rationum formalium in subjecto summè eminenti, vel pleno in linea perfectionis, unde potest facilè ibi admitti sine ulla imperfectione.

In forma ergo juxtà hunc modum nego causalem, quòd inferatur compositio contrà Scotum ex eo præcisè, quòd consistat in unione distinctorum quomodocunque, sed quia ut pōderavimus ex D. Tho. in primo ubi suprà §. 1. relato, si semel inter absoluta ante intellectum daretur actualis distinctio esset ibi multitudo, vel numerus verè mēsurabilis, vel absolutus, & con sequenter faciens compositon in re saltem per modum numeri, ut subtiliter innuit ibi D. Tho. dist. 24. ar. 2. ad 4., quod est contrà divinam simplicitatem, unde etiam M. Ferre hìc q. 5. §. 1. dubitat rationem hanc sub hac forma, nempè quòd qnia compositio est distinctorum unio, ubi semel detur distinctio, ibi debet dari proportionata compositio, non convincere præcipuè contrà Scotum, quie licet divina formaliter, & ex natura rei distinguat, non tamen ea formaliter unit, sed solùm esse idem per identitatem realem, non verò per unionem formalem, unde ex actuali distinctione attributorum non sequitur compositio, quia non ponitur ibi formalis unio, sed tantùm entitativa identitas plurium formaliter distinctorum. Quod exemplicat primò in relationibus; nam sicut ex pluralitate reali relationum, quæ formaliter ponitur in Deo, non sequitur compositio aliqua realis, quia relationes in eo, in quo distinguuntur, non uniuntur realiter, sed tantùm sunt identicè unum, ita ex pluralitate formali attributorum unitorum sola identitate in une entitate non sequitur compositio, non ex defectu pluralitatis, sed ex defectu unionis formalis, quam non admittit Scotus, sed relinquit illa plura, semper plura formaliter, & solùm realiter idem, & sic illa ratione, inquit, non convincitur Scotus. Secundò exemplificat in actione, & passione, quæ licèt in plurium Thomistatum opinione, ente opus intellectus distinguantur, & uniantur inter se, non tamen formaliter componunt, quia solùm sunt unum per identitatem cum motu, non verò per unionem formalem, sic quòd ex illis tertia formalitas resultet; sic pariter justitia, & misericordia in sententia Scoti, formaliter in Deo sunt plura ut plura, non autem sunt plura formaliter unita, sic quòd ex illis tertia resultet formalitas, licèt sint idem realiter entitativè, & sic compositionem non faciunt.

Non displicet subtilis hæc impugnatio in eo; quòd ed compositionem exigat unionem extremorum distinctorum in ordine ed resultantiem tertii, ut dictum est; nec iterum displicet modus, quo alie via urget eendem retionem contrà Scotum, utpotè sumptus ex D. Tho. proximè relato, ubi ut ab initio hujus disputationis vidimus, egregiè assignat discrimen inter numerum,

rum, vel pluralitatem in genere absoluto, & relativo, quòd in illo constitueret compositionam, in isto verò non, dicens, *sed in numero relationum, vel personarum, non est aliquis ordo certitudinis, vel compositionis in re, & ideò numerus in Deo non est multitudo mensurata; nisi fortè secundùm acceptianem intellectus tantùm*. Et ideò quoad lineam absolutam rectè procedit idem Magister meus arguendo sic, Deus est summè simplex ante opus intellectus, ergo repugnat ante intellectū inter divinas perfectionas dari aliquod genus compositionis; sive quæ sit unius formalitatis ex pluribus formalitatibus resultantis, sive quæ sit numeralis, ex pluribus unitatibus formalibus faciens numerum formalem; at si ponantur plures formalitates actu plures ante opus intellectus debet indispensabiliter admitti compositio numeralis absoluta formalis ergo nequit admitti prædicta distinctio formalis; hæc consequētia est bona, & primā probat, quia compositio numeralis ante opus intellectus habet oppositionem cum summa simplicitate absoluta, siquidem ad hanc indispensabiliter requiritur unitas absoluta, cui directè opponitur pluralitas absoluta, quæ in suo conceptu requirit plures unitates, ergo, mi. verò subsumptam probat; quamvis illa omnia divina, una entitas sint, tamen in eo, in quo actu distinguuntur, non possunt non facere numerum, ergo non possunt non facere compositionem numeralem absolutam; sed ampliorem efficaciam hujus *mi.* subsumptæ tradit D. Tho. ut suprà dum ait. *dicendum, quòd in numero absoluto pluralitas habet quandam compositionem, & aggregationem, quæ est minus certa, quam unum, quod est proprium ipsius, & ideo non solùm quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad rem est mensurabilitas multitudinis talis per unitatem.*

Cæterum non videtur admittendum, quòd deinde subdit idem Magister impugnando solutionem datam, nempè quòd simplicitas Dei non excludat compositionem numeralem in linea relativa, ut patet ex superiori doctrina D. Tho., vel ex discrimine ab eodem assignato inter utrāque lineam; per quod potest fieri satis ad ea, quæ adducit ad permittendum eandem compositionem; nam non omnis pluralitas, vel multitudo est sufficiens ad rationem compositionis numeralis, ut acutè explicat D. Tho., sed quæ est mensurabilis, qualis non est relativa, ut cōcludit ibid., quia in numero relationum, vel personarum, inquit; non est aliquis ordo certitudinis, vel cōpositionis in re, & ideo nō est multitudo mēsurata, nisi fortè secundùm acceptionē intellectus tantum, unde aliud est, quòd in relativis secundùm fidem sit pluralitas conjuncta unitati non derogans divinæ simplicitati, aliud verò, quòd sit compositio numeralis, ad hanc enim dicimus ex D. Tho. non sufficere quamcunque pluralitatem, aut multitudinem, sed requiri mensuratam cum tali ordine, qui tamen non reperitur in Deo, sive in linea absoluta, sive in relativa, & consequenter nec componi cum eadem simplicitate; sed fortè prædictus Magister loquitur, vel arguendi gratia, vel de compositione largè sumpta, prout præcisè dicit unionem plurium distinctorum, quamvis id præcisè non sufficiat, ut dictum est; nisi sit pluralitas, vel multitudo mensurata cum tali ordine, sive nisi resultet tertium, vel totum aliquod non prius habitum ante unionem; ut patet locis relatis ex D. Tho., quod tamen in ente maximè uno, & simplici, sive in linea relativa, sive absoluta contingere nō potest, ut explicatum est; cum tamen alias in absoluta contingeret juxtà superiorem doctrinam D. Tho., si daretur ibi ante intellectum aliqua actualis distinctio, sive realis formalis &c.

Ad secundam principalem confirmationā resp. concessa prima parte, quòd ità, & rectè procedant Theologi inferendo potentialitatem, vel esse in potentia, si semel admittatur eadem distinctio Scotica, dist., & explico ant., quoad secundam sufficit eorū distinctio; nā præcisè distinctio est, nego, ut talis dist. est modo explicato ex D. Tho., cōc., & nego conf., quia ut vidimus ex eodem, compositio non sequitur præcisè ad distinctionem, sed ad talem, vel in tali linea, unde descendendo ad relativam, expressè dicit non esse ibi ordinem compositionis non obstante pluralitate personarum, nisi fortè secundùm acceptionem intellectus tantum; adhuc dubiè loquendo.

§. VI.

Solvuntur argumenta contrà secundam partem, seù contrà virtualem, vel objectivam præcipuè intrinsecam.

PRimò arg. P. Esparza. Si daretur objectiva, vel virtualis intrinseca distinctio inter duas perfectiones absolutas, daretur inter illas aliqua realis, consequens non est admittendum, ergo, prob. maj. primò, quia prædicata contraditoria nequeunt esse omninò realiter idem, cum sibi invicem repugnent, sequa alterum ab altero mutuo excludant ergo 2., quia major est oppositio contradictoria, quam relativa, cum sit omnium maxima, sed relativa distinguit realiter extrema relativè opposita ergo à fortiori contradictoria distinguet realiter sua. 3., accipiendo hæc duo absoluta, scil. intellectum, & voluntatem, & supponamus, quòd prædicatum, in quo contradicunt, sit principium ut quo verbi, quod dicitur ante opus intellectus convenire intellectui, & non cōvenire voluntati; tunc inquiritur, an qui affirmant, & qui negant convenire à parte rei, dicant idem realiter, vel non, si primum, ergo non sibi contradicunt; si verò secundum, ergo esse principium quo verbi, & nō esse principium quo illius non sunt idem, sed magis aliquomodo distinguuntur realiter, & consequenter inter intellectum, cui convenit, & voluntatem, cui non convenit, erit aliqua distinctio realis &c.

Ad hoc dico in primis, quòd videtur fundari in triplici supposito falso; nempè, quòd debitum objectivè, vel virtualiter intrinsecè distingandi sit motivum contradictoriorum; hoc enim est à posteriori, sed à priori est, ut vidimus, eminentia, vel plenitudo perfectionis, ob quam est præcon-

continentia plurium secundùm suas rationes formales distinctorum in una simplicissima re, vel entitate; unde est ibi virtualis multiplicitas, & diversitas rationis formalis eorum, quæ non solùm reperitur inter absolutum, & relativum, sed etiam inter absolutum, & absolutum, ut inter eundem intellectum, & voluntatem orta ex diverso modo procedendi, & tendendi; & fit postea actualis per intellectum ob ejus deficientiam, quia unico cōceptu nequit cōprehendere præfatā eminentiam, & plenitudinē perfectionis; unde duo ad hāc concurrunt juxta D. Tho. ubi supra in 1. dist. 2. q. 1. ar. 3., alterum ex parte objecti, scil. eadem eminentia, & plenitudo attentis rationibus formalibus diversarum perfectionum illius, alterum ex parte nostri intellectus, scil. deficientia ejus &c.

Alterum suppositum, quòd omnis contradictio ex eo quòd verificatur à parte rei, quasi cadat suprà rem, unde promiscuè infereoda sit deinde aliqua realis distinctio inter extrema contradictoria; cùm tamen, ut vidimus, quandoque cadant tantùm suprà nomen, quaodoque suprà modum significandi; quandoque suprà munera, quandoque supra connotata, quandoque suprà objectum, aut rem significatam, unde solùm petit distinctionem secundùm id, suprà quod cadit, vel secundùm nomen, vel secundùm modum significandi &c. & non perpetuò realem &c.

Tertium. Quòd sit ibi exercitè contradistinctio, sed esset nulla admissa distinctione; tollitur autem illa posita, cùm sit affirmatio, & negatio de eodem omninò; unde tenemur quidem aliquam admittere, sed non necessariò realem, sive entitativam, sive realem formalem, sed sufficit aliquam intervenire juxta meritum illius, suprà quod cadit &c.

In forma ergo nego ant. ad intentum illius, scil. realis actualis; sufficit enim virtualis, nè dicatur esse de eodem omninò, & quandoque etiam sola rationis ratiocinantis, sive penès abstractum, & concretum, vel ex modo significandi, ut Deus generat, Deitas non generat. Ad 1. probat., nego antec. ad ejus iterùm intentum, vel dist. in casu; omninò realiter idem, tam formaliter, quàm virtualiter, conc.; formaliter, vel actualiter idem, & virtualiter distincta, nego; & ad probat. annexam similitar dist.; repugnant, & expellunt in eo, in quo sunt idem, transeat, vel conc.; in quo distinguuntur, nego. Res ergo, quæ simul in Deo est intellectus, & volontas, & cæteræ perfectiones, quæ in formis limitatis distinguuntur ob sui eminentiam, cùm sit plena perfectio; ita est una, quòd sit virtute multiplex, unde habet sibi identificare illa prædicata, quæ in creatis ob sui oppositionē ab eodem subjecto se expellerēt, sed superior illa forma Divinitatis, ratione diversarū virtualitatum, quibus cæteris formis, aut perfectionibus correspondet, vincit omnem oppositionem, verificando illa sine contradictione, ita ut inadæquatè se habeant ad illam, & unum sit affirmabile ratione unius, & alterum ratione alterius; contradicerent autem, si rationa ejusdem virtualitatis affirmarentur, & negarentur de eadem forma Divinitatis, ut quòd Deus ex quo intellectus est intelligat, & non intelligat, non autem si ratione diversæ, ut quòd intelligat ex quo intellectus est, & non intelligat ex quo voluntas; sicut in simili dicimus infra de æternitate, quæ quia ob sui pariter eminentiam, vel plenitudinem durationis continat omnem durationem creatam, secundùm diversas pariter virtualitates correspondet cuilibet creaturæ in quacumque differentia durationis, ita ut licèt ratione ejusdem virtualitatis, secundùm quam correspondet uni tantùm durationi nequeat verificari, quòd sit sibi physicè præsens, & non præsens Antichristus v. g., scil. ratione illius, secundùm quam correspondet durationi de præsenti; ratione tamen istius, & ratione alterius, secundùm quam correspondat durationi futuræ, sive in qua idem existet, utrumque verificatur sina omni contradictione; cùm tamen in his durationibus limitatis eadem prædicata contradictoria sibi invicem repugnent, & ab eodem subjecto se expellant, & ideò diximus, quòd in Deo hujusmodi, aut similia prædicata exercitè non contradicunt, contradicerent autem si non esset talis distinctio &c.

Ex his ad 2. probat. nego suppositum, quòd sint exercitè contradictoria, cùm sint inadæquata rei, & licèt oppositio contradictoria sit omnium maxima, quatenùs importat extrema magis distantia, scil. affirmativum, & negativum, quàm sint duo positiva, vel relativa; quia tamen exercitè non importat illa, aut tanquam da linea sui, nisi respectu ejusdem de eodem omninò, ubi cessat hæc omnimoda identitas, ut contingit in casu, cessat pariter contradictio, & consequenter necessitas assignandi majorem, vel æqualem distinctionem, quam petit oppositio relativa, scil. realem actualem. Tum quia meritum contradictionis quoad distinctionem, cùm possit eadem multipliciter contingere, attendendum est, ut vidimus, juxta meritum illius, suprà quod cadit, quòd non semper petit realem actualem, immò nec quandoque virtualem, ut dictum est &c.

Ad 3. resp. quòd qui affirmant, & negant ex nostris, dicunt idem realiter actualiter, sed non virtualiter, & ideò in nullo contradicunt, sed qui affirmant, & negant exclusa omni distinctione objectiva, vel virtuali, oportet ut affirment, & negent idem de eodem omninò.

Sed contra superiora, & principalem solutionem instas. Supposita distinctione reali actuali non potest verificari à parte rei, quòd Deus intelligat intellectu, & non intelligat voluntate, ita ut nullum prædicatum convenire possit intellectui, vel intellectioni, quòd non conveniat voluntati, vel volitioni, ergo vel nullo modo objectivè distinguuntur, vel salvis contradictoriis aliqua majori, sive reali actuali distingui debebunt; prob. ant.; hæc est falsa: Deitas est intellectus, & non volnntas, ergo pariter hæc erit falsa; Deus intelligit intellectu, & non voluntate; prob. conf.; quod non excludit voluntatem quoad esse, non excludit eam quoad operationem, ergo si verificari nequit, quòd Deus sit intellectus, & non voluntas; nec verificari poterit, quòd intelligat intellectu, & non voluntate &c.

Resp. negando ant.; ad prob. nego conf.; ad ejus prob. dist.; non excludit quoad operationem in sensu identico, conc.; in sensu formali, vel reduplicativo, scil. reduplicando virtualitatem distinctam, nego; nam dum dico *est*, & *non est*, sit

sit sensus identicus, in quo negativa est omninò falsa, cùm subjectum sumatur adæquatè secundùm omnem sui virtualitatem, unde verificari nequit, quòd sit voluntas, & non sit intellectus, vel è contra; dum verò dicitur intellectu intelligit, fit sensus formalis, vel reduplicativus, reduplicando alteram tantùm virtualitatem, secundùm quam præcisè correspondet perfectioni intellectus in nobis, & non voluntatis; unde sumitur inadæquatè verificando tantùm prædicatum potens convenire ratione unius virtualitatis, & non alterius, nisi in sensu materiali, & identico, sicut dictum est de æternitate ob sui eminentiam præcontinente omnem durationem; sed secundùm unam virtualitatem verificante tantùm præsentiam secundùm unam differentiam durationis, & non secundùm aliam non correspondentem eidem differentiæ &c.

Instas ex eodem. Intellectus, vel intellectio à parte rei est voluntas, vel volitio, ergo nullum prædicatum à parte rei potest convenire intellectui, vel intellectioni, & non convenire voluntati, vel volitioni. Resp. dist. ant.; est voluntas, vel volitio tam actualiter, quàm virtualiter, nego; actualiter conc., & nego conf.; quia eo ipso, quòd distinguuntur virtualiter, nequit utrumque convenire secundùm eandem virtualitatem, vel eidem, nisi identicè; unde ad hujusmodi prædicata contradictoria, cùm sint inadæquata rei ob sui plenitudinem, & eminentiam continenti omnem perfectionem, satis est distinctio, vel multiplicitas virtualis ad vincendam eorum oppositionem, quòd nempè unum conveniat ratione unius virtualitatis, & alterum ratione alterius; essent autem adæquata si affirmarentur, & negarentur, ut dictum est, ratione ejusdem virtualitatis; unde nec de Deo ratione unius tantùm, nec de una tantùm affirmari, & negari possunt salva eorum contradictione &c.

2. Arg. ex August. 7. de Trinit. c. 2. ubi habet: *Non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad Deum, cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem, sapientia verò eo quo essentia, & ideò quia una essentia, una sapientia.* In quibus assignat discrimen quoad distinctionem inter absolutum, & relativum ex una parte, ut sunt sapientia, & verbum, & inter absolutum, & absolutum ex alia, ut sunt essentia, & sapientia; quòd quia hæc est aliquid absolutum, verbum autem aliquid relativum, alio constituitur, & consequenter ab illo distinguitur, at non distinguitur nisi sola distinctione virtuali intrinseca; ergo hanc negat inter essentiam, & sapientiam &c.

Huic argum. M. Ferre respond. mentem Divi Augustini non esse ad negandam hanc distinctionem inter sapientiam, & essentiam; sed solum quòd non spectant ad diversam lineam, sicut absolutum, & relativum; quod colligit ex illis verbis: *Eo sapientia, quò essentia, & non eo Verbum, quo sapientia*; quia nempè Verbum relativè, & non ad se dicitur, id est, non sunt ejusdem lineæ, quia unum est absolutum, & aliud relativum; unde in forma distinguit: Augustinus assignat discrimen in materia distinctionis quoad esse virtualem intrinsecam, vel non; nego; quoad hoc, quod est sapientiam, & essentiam non distingui tanquam res spectantes ad distinctam lineam, sicut sapientiam, & Verbum, conc.; unde dicit, quòd licèt nō detur inter illa, distinctio tanta extensivè, hoc est ex tot titulis proveniens, datur tamen tanta intensivè, id est, licèt non distinguantur ex duplici capite, scil. dualitatis virtualitatum, & dualitatis lineæ, sicut absolutum, & relativum, distinguuntur tamen uno, scil. ut duæ virtualitates &c.

Hæc tamen solutio videtur pati difficultatem; quia duo divina etiam absoluta nequeunt importare duas virtualitates, aut distingui virtualiter, nisi importent diversas rationes formales, & consequenter spectent ad distinctam lineam, qua ratione negant plures, ut vidimus, intelligere radicale distingui à proximo, & ab actuali; quia existimant non pertinere ad distinctam lineam, & ex opposito tenet idem Magister cū aliis distingui, quia primū pertinet ad lineam gradualem, vel essentialem, proximum verò, vel actuale ad attributalem; & idem est de aliis absolutis; ergo non videntur hęc duo posse cōponi, quòd distinguantur ut duæ virtualitates, & non pertineant ad distinctam lineam; unde si tantùm relativum, & absolutum important hanc diversitatem lineæ, inter illa solùm erit admettenda distinctio virtualis, & non inter absoluta, quod est intentum Adversarii ex D. Augustino &c.

Nihilominùs existimo solutionem esse optimam si rectè intelligatur, nempè quòd absolutum, & relativum non ita dicantur pertinere ad distinctas lineas, quasi omnia absoluta ad eandem indivisibilem athomam pertineant; sed quia priora important à toto genere entis, quod adæquatur per utrumque genus, sive ad se, & ad aliud, cum quo tamen stat, quòd etiam duo absoluta possunt importare intrà suum, sive distinctam athomam sub eodem genere, vel modo ad se, prout dicunt distinctas rationes formales, & consequenter distinctas virtualitates, ut etiam insinuat idem Author posteà in impressis, cæterùm D. August. non est præcisè ad explicandam distinctionem, sed magis ad modum distinctum constituendi, ut satis patet ex litera &c.

3. Arg. ex Illustriss. Godoy, præcipuè contra distinctam à fundamentali modo explicato, & primò opponit Concil. Florent. sess. 15. 18. 19., & 24., ubi ait: *Relatio est eadem re cum natura, solùm verò secundùm modum intellectionis nostræ differt, non re, sed sola ratione paterna hypostasis à substantia sejungitur.* Constat autem, quòd minùs distinguuntur, ut proximè etiam dictum est, duo absoluta inter se, quàm absolutum, & relativum; at si distinguerentur distinctione reali virtuali distincta à fundamentali rationis, non differrent solùm ratione, cùm dictio exclusiva *solùm*, si in rigore accipiatur, ut debet, omnem aliam distinctionem excludit, ergo talis distinctio non datur inter prædicata divina. Deinde probat ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 2. illis verbis: *Cum substantia Patris indivisibilis sit, utpotè simplex omninò*, ubi statuitur summa unitas in Patre, ut constituto ex essentia, & paternitate; quod iterùm à fortiori dicendum est de attributis, & essentia, nempè de Deo ut constituto ex essentia, & attributis; sed summa unitas omnem realem distinctionem excludit, solùmque distinctio-

nem

nem rationis, & illius fundamentum admittit, ergo virtualis realis intrinseca distincta à fundamentali rationis admitti nequit inter attributa, & essentiam. 3. Ex D. Tho. in 1. ubi suprà dist.2. qu. 1. ar. 3. §. *Quantùm verò*, ad 4., ubi inquirens, an diversitas rationum, quas intellectus noster format de Deo diversa attributa illi attribuens, sit tantùm ex parte nostri intellectus, an etiam ex parte Dei, respondet affirmativè, dicens: *Et sic patet, quòd pluralitas istorum nominum non tantùm est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diversæ rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei, inquantùm scil. est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scil. plena, & omnimoda ipsius perfectio, secundùm quam contingit, quòd quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo verè, & propriè dicuntur, non autem ita quòd aliqua diversitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum*.

Ex quibus arguit sic. Fundamentum distinctionis rationis, quam intellectus noster inter attribute facit juxta D. Tho. non est aliqua multiplicitas, vel diversitas se tenens ex parte Dei, sed plenitudo, & eminentia perfectionis Dei comparata cum deficientia nostri intellectus non valentis rem, quæ Deus est, uno conceptu intelligere, sed si inter attributa inter se, vel inter illa, & essentiam daretur distinctio virtualis intrinseca, hæc fundaret distinctionem rationum, quas intellectus noster format de Deo, & distinctionem à nobis formatam in ipso, ergo juxta D. Tho. non datur inter divinas perfectiones &c.

Urget latè hoc ipsum, sed tota vis videtur ad hoc reduci, nempè quòd præcipuum, aut ferè unicum fundamentum statuendi hanc distinctionem est salvare veritatem affirmationis, & negationis, vel quòd de divinis prædicatis verificentur contradictoria, aut vincatur earum contradictio ratione diversarum virtualitatum, sed juxta D. Tho. ad hoc sufficit distinctio rationis; nam sæpè proponens sibi hoc argumentum contradictoriorum semper recurrit ad illam rationis, & solvat illud, & non ad aliam majorem, aut virtualem intrinsecam, ergo signum est, quòd illam non admittit.

Ad hoc resp., & primò ad Concilia, quòd, ut patet ex litera, illam realem excludunt, quæ summam Dei unitatem, & simplicitatem lædere possunt, qualis est actualis entitativa, vel etiã formalis, non autem pura intrinseca virtualis, imò hanc videntur indispensabiliter admittere, ut acutè innuit D. Tho. ibid. ad 6. in fine, & supra etiam insinuavimus, quia non est unitas, & simplicitas quasi per defectum, sicut in puncto, quod non ita per continentiam, vel eminentiam correspondet diversis conceptionibus de eo factis, sicut contingit in Deo, sed magis respectivè, aut connotativè extrinsecè, unde nisi res, quæ Deus est, sit una, & simplex, ut virtutè intrinsecè per excessum sit multiplex, non videtur posse salvari summa ejus eminentia, vel plenitudo perfectionis præcontentiva omnium ad extra; & ita dicuntur solùm ratione distingui contrapositivè ad realem incompossibilem cum eadem summa unitate, & simplicitate; nec particula exclusiva juxta regulam dialecticam tenetur quodcumque aliud excludere, sed tantùm non necessarium, vel oppositum, ut dum dico: *tantùm* appeto sanitatem, non sit exclusio medii necessarii, aut conducentis ad illam &c.

Ad D. Tho. similiter dicimus solùm excludere multiplicitatem actualem ante opus intellectus, non virtualem, immò satis eam insinuat, dum assignet eminentiam, & plenitudinem perfectionis, ut dictum est, cùm hæc salvari nequeat sine virtuali præcontinentia, & hæc sine virtuali distinctione. Hanc autem non ita explicitè tradidit, vel quia indispensabiliter non requiritur, ut insinuavimus, pro formali ad fundandam distinctionem rationis, vel quia exprimendo hanc solam, vel fundamentalem rationis magis elongat ab alia reali opposita prædictæ unitati divinæ, & simplicitati, quæ seculo præcedenti fuerat rejecta in Concilio relato sub Eugenio III. Tum quia faciliùs percipitur, & aptiùs deservit ad eadem contradictoria, & frequentior est &c. Et per hæc etiam patet ad argumentum factum; nam si semel fundamentum illius est summa eminentia, & plenitudo perfectionis, jam non potest ibi excludi talis distinctio, ut dictum est, immò eam simul assignat, cùm per hanc eminentiam, & plenitudinem importetur, licèt pro formali non coincidat indivisibiliter cum fundamentali, sed possit sine illa concipi, aut subsistere, ut explicatum est &c.

Ad confirm. nego causalem, quia, ut sæpè dictum est, summa eminentia, & plenitudo perfectionis est, quæ obligat ad affirmandam hanc distinctionem virtualem, & non præcisa verificatio contradictoriorum; hæc enim, ut vidimus, est signum à posteriori, non præcisum motivum distinguendi virtualiter, quidquid sit, quòd frequenter utatur D. Tho. distinctione rationis ad salvanda contradictoria; non tamen per exclusionem virtualis, ut dictum est &c.

Ex his sit satis ad alia, quæ opponit contra varios modos explicandi hanc distinctionem, quam (quidquid de illis sit,) ex eo probabiliter admittimus, quia supposita præfata eminentia, & plenitudine perfectionis, nequit Deitas concipi ita una, & simplex, ut non sit virtute multiplex, sive plura continens continentia reali; cùm verò illa plura non sint actualiter, necesse est esse plura virtualiter, & consequenter dari ibi distinctionem virtualem, ita ut extrema, vel eadem plura, quæ ante opus intellectus sunt omninò actualiter, idem, ita se habeant prout exercent propria utriusque; vel sui, ac si essent realiter, vel actualiter distincta, ut dicebamus ex Cajet. qu. 39. infrà ar. 1., & explicat etiam M. Ferre hic §.5. ad 3. dicens, quòd ille terminus *virtualis* significat sic se habere in ordine ad præstandos effectus plurium formarum, ac se haberet, si extreme distinctionis virtualis actualiter distinguerentur, quod confirmat ex doctrina ejusdem Illustris., qui in Tractatu de Peccatis docens dari posse omissionem culpabilem absque omni actu voluntatis formali, non verò absque omni virtuali, explicat hunc actum virtualem requisitum ad culpabiliter omittendum per hoc, quòd voluntas omittens sic se ipsa conjungitur voluntariè cum ipsa omissione, ac si per actum positivum vellet omittere, sic

pari-

pariter distinctio virtualis per exclusionem formalis se habet in Deo ad præstandos effectus diversarum formarum, ac se haberet distinctio actualis anta intellectum &c.

Neque hinc inferas, quòd si semel præstat, quòd præstaret actualis, sicut hæc faceret unum non esse aliud, id pariter faciet virtualis; quia id præstat salvis juribus entis summè aminentis, & pleni in ipsa plenitudine perfectionis; unde paritas tenet geometricè, vel secundùm proportionem, aut analogiam, sicut dum dicimus ita se habere accidens ad suum esse, sicut substantia ad suum, salvis juribus utriusque, non verò arithmeticè tanti ad tantum contra jura ejus, sive æqualiter, unde sicut ex eadem proportione accidentis ad suum esse non licet inferre, quòd sit ens per se sicut substantia; nec inferenda est alietas, vel negatio identitatis ex distinctione virtuali, sicut ex actuali; tum quia cùm negatio sit malignantis naturæ totum destruens quod post se invenit; ut dicatur unum non esse aliud, non satis est quæcumque distinctio, sed exclusiva, vel actualis secundùm explicitum, & implicitum, & non purè virtualis conjuncta omnimodæ ideotitati in re, aliàs eadem facilitate videretur id etiam inferendum ex fundamentali; cùm tamen licèt in sensu reduplicativo, vel appellativo salvet, ut dictum est, affirmationem, & negationem de illis sine contradictione, ut quòd Deus justitiâ puniat, non misericordiâ, vel hac miseratur, & non justitiâ; & sic de aliis; non tamen in sensu identico, ut quòd justitia non sit misericordia &c. Unde quoad aliquos effectus negativos, sive ad negandùm in hoc posteriori sensu non satis est distinctio virtualis, sed requiritur actualis, vel exclusiva, quia tunc sit divisio, & non præcisa distinctio, ut vidimus §. antecedenti, licèt sufficiat in priori sensu, & quandoque etiam minor, ut explicatum est, juxta meritum illius, suprà quod cadit negatio &c.

Ex his etiam inferimus, quòd quia hæ particulæ, *realiter*, vel *in re*, non præcisè appellant suprà unam virtualitatem distinctam ab alia, sed suprà rem, quæ est utraque perfectio, vel virtualitas; siva ut comprehendunt totum id, quod identicè, vel actualiter est idem, non potest de una ex his, ut determinata per talem particulam negari, quod affirmatur de alia, unde nequit prout sic de voluntate, scil. realiter, vel prout in re, negari, quòd sit principium geoerandi, quia tunc sit sensus, quòd res, quæ est voluntas, non sit principium generandi, quod est falsum. Itaque in his valdè attendendus est uterque sensus, nempè identicus, vel materialis; & formalis, vel reduplicativus; in priori enim negari non potest de uno, quod affirmatur de alio; quia jam negaretur de re, quæ est utrumque; in formali verò non sic, quia tunc sit reduplicatio suprà alteram tantùm perfectionem, vel virtualitatem ut ab altera distinctam, ut quòd Deus intellectu intelligat, & non voluntate, & sic de aliis &c.

Quòd si inquiras, unde colligi possit, quòd aliquando fiat sensus identicus, & negativa sit falsa, etsi non ponatur illud additum, *realiter*, ut dum dico, intellectus non est voluntas; aliquando verò sit necessarium ponere illud ad faciendum eundem sensum, & falsificandam propositionem, ut intellectus realiter est principium quo generandi Verbum; voluntas realiter, vel in re, non est principium quo generationis illius, cùm tamen sine tali addito dicantur veræ.

Resp. id specialiter attendendum esse juxta meritum prædicati, quod aliquando exigit subjectum ex vi appellationis, ut virtualiter distinctum ab aliis; aliquando verò absolutè identificatum, & tunc negativa est falsa etiam sine prædicto addito; v. g. dum dicimus: Deus intellectu intelligit, vel intellectus est principium generationis; Essentia communicatur: in his, ut dictum est, sit appellatio, ex vi cujus exigitur subjectum ut virtualiter distinctum; unde tunc prædicatum non cadit suprà totum id, quod identicè venit ex parte subjecti, sed tantùm suprà unam virtualitatem, ut ab aliis distinctam, & ideò non potest affirmari indifferenter de aliis, sed magis negari, nisi ponatur idem, aut simile superadditum, realiter &c. Cæterùm dum dico; Justitia non est misericordia, vel intellectus non est voluntas, tunc sit sensus identicus, & sit negatio non tantùm virtualitatis, sed etiam rei, cùm sit negatio absoluta cadens suprà esse sine aliqua appellatione, vel reduplicatione; unde hujusmodi negativæ sic absolutè prolatæ ob realem identitatem actualem extremorum sunt falsæ &c.

DISPUTATIO V.

De Attributis in particulari.



Descendimus ad principaliores difficultates attributorum in particulari, & primò eorum, quæ pertinent ad lineam essendi: dicturi deinde de pertinentibus ad lineam operandi, scil. scientia &c. Ad tria autem Capita præcipuè reducuntur; primum scil. ad modum essendi perfectionum creatarum in Deo; secundum ad illum essendi Dei in creaturis; tertium denique ad alium futurorum in æternitate; quibusdam additis successivè connexis, & in fine circa unitatem Dei &c.

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodò sint perfectiones Creaturarum in Deo.

DE perfectione Dei immediatè agimus, de qua D.Th.hic q.4.;quia de simplicitate ejus, de qua qu. 3. præcedenti sufficienter egimus superiori Disputatione; supponimus autem Deum continere illas, licèt sit difficultas de modo continendi, & aliqualis etiam circa utramque rationem D, Tho., de quibus §. sequanti &c.

§. PRIMUS.

Præferuntur quædam suppoſita.

SUpponimus ergo primò contineri in Deo perfectiones omnium rerum,quod probat D.Th. primò ex conceptu primi efficientis; nam Deus est suprema causa efficiens omnium perfectionum creaturarum, ergo, prob. conſ.; quia effectus debet præexistere in virtute causæ, cùm hæc tribuat illi esse, vel quidquid in eo est, prout est affectus illius; sed hunc præexistere in virtute causæ effectivæ, non aſt præexistere modo imperfectiori, sed perfectiori; licèt præexistere in potentia causæ materialis sit præexistere imperfectiori modo, cùm materia inquantùm hujusmodi sit imperfecta, agens verò inquantùm agens sit perfectum, utpotè dans esse, ergo si Deus est suprema causa efficiens omnium perfectionum creaturarum, ut ex superioribus constat, erunt in illo modo eminentiori &c.

2. Probat ex eo, quòd est ipsum esse subsistens in ipsa plenitudine essendi; nam illud debet actu præhabere quidquid est perfectionis in hac linea; aliàs non esset subsistens plenum, vel pelagus infinitum essendi, ergo &c.

Circa primam rationem est difficultas in illa propositione, scil.: *Effectum præexistere in virtute causa non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori*. Nam videtur diminutè procedere, & quodammodò arguere à superiori cum exclusione unius tantùm membri ad positionem alterius in divisione trimembri, cùm præter modum continendi modo imperfectiori, ut contingit in materia prima, & modo eminentiori, ut in causa æquivoca, sit alius causæ univocæ, scil. secundùm eandem rationem, & perfectionem. Quòd si dicas tenere in subjecta materia, quia cùm Deus in infinitum excedat omnem perfectionem, & causam creatam, non poterat esse dubium de continentia univoca, vel causæ univocæ, unde ex exclusione continentiæ imperfectioris, rectè, & immediatè inferri poterat continentia perfectior. In contra est; quia prout sic nec videbatur necessarium mentionem facere de altero modo imperfectiori, cùm magis recedat, ut patet, à ratione causæ materialis, quàm univocæ &c.

Circa secundam etiam rationem est difficultas in illa propositione D. Tho., scil. *Ipsum esse per se subsistens*, (sive subsistens in ipsa plenitudine essendi) *oportet, quòd totam perfectionem essendi in se contineat*; quia vel intelligitur de subsistente per modum essentiæ, vel per modum existentiæ, vel per modum constituti, aut conflati ex utroque: primum dici non potest; tum quia existentia probabilissimè est simpliciter perfectior essentia; tum quia conceptus essentiæ est tantùm ratio analoga super omnes gradus imperfectissima; si verò secũdùm solũ continebit perfectionẽ de linea existẽtiæ, non tamen essẽtiali, vel de illa essentiæ. Tertiũ denique cum habeat alterum extramum, & consequenter substractum imperfectum, perfectissimum esse nèquit; sicut constitutum ex spirituali, & materiali, materiale est, & imperfectum, ut patet in nobis; tum quia subsistens in aliquo determinato genere v.g. substantiæ spiritualis non continet omnem perfectionem illius, ut patet in Angelo;& etiam in relatione qualibet divina, quæ licet subsistat in plenitudine de hac linea, non tamen continet omnem rationem relationis divinæ, aliàs una ex illis contineret aliam sibi oppositam; & tandem in calore remisso, & intenso, si ponerentur separati à subjecto,ambo enim subsisterẽt in suo genera, sive qualitatis, & tamen remissus non contineret perfectionem intensi, ergo nec erit necessarium, quòd subsistans in genere entis, aut plenitudine ejus contineat omnẽ perfectionem de hac linea &c.

His tamen non obstantibus utraque propositio D. Tho. verissima est, si rectè intelligatur; nam in primis loquendo de causa, de qua modo est sermo, legitimè infertur sine omni diminutione, aut defectu, quòd si semel imperfectiori modo non continet, quòd contineat perfectiori, quia si hoc modo non contineret, imperfectiori contineret, nam univoca tantum continentia respectu illius esset imperfecta, cum sit suprema causa, seu perfectissima æquivoca, & consequenter infinità excedens omnem perfectionem creatam, unde omnis alius modus continendi sine excessu, aut per defectum est sibi indebitus, & repugnans, & ideo exclusio imperfectioris est exclusio utriusque, & recta illatio tertii, scil. perfectioris, per quod patet ad replicam.

2.Dicimus sumendo etiam generaliter rationem causæ,ut videtur accipi à D.Tho.contrapositivè ad causam materialem, quòd tunc alterum membrũ, scil. *modo perfectiori*, comprehendit etiam univocũ,quia idem cõparativũ loquẽdo de causa principali potest sumi dupliciter, scil. adversativè ad modũ sibi oppositum,nempè imperfectiorẽ, & tunc comprehendit utrumque,tam scil.perfectum, quam perfectiorem, quia uterque adversatur modo imperfectiori, & tunc sit sensus, quòd causa efficiens debet esse perfectior, aut saltè æquè perfecta, unde ex exclusione imperfectioris immediatè infertur perfectior juxta distributionem accomodam, scil. perfectus, si sit causa univoca, & perfectior si sit æquivoca: alio modo comparativè, ut significat ex vi vocabuli, & tunc particula negativa, *non imperfectiori modo* intelligitur non necessariò pro omni causa principali, particula verò affirmativa, *sed perfectiori*, intelligitur permissivè, pro qualibet principali æquivoca, unde integer propositionis sensus, est ut subtiliter advertit Cajet. hic §. *Ad hec breviter*, & ex eodem M. Ferre hic q. 4. §. 2. quòd causæ

causæ principali positivè convenit habere formam effectus non imperfectiori modo, ac illam habet effectus, quando in se ipso productus est, permissivè autē cōvenit illi habere præstantiori modo, quia hoc convenit æquivocæ, quia æquivoca est.

Nec tamen ex hoc diminutè procedit, quia dum necessariò convenit, quod non imperfectiori modo; & permissivè; quod perfectiori, debet ei indispensabiliter convenire quod saltem æquè perfectè conveniat, cum unum positivum in eo quòd dat esse effectui, debeat positivè illi convenire; & ratio est, quia cum causa efficiens agat, in quantum est in actu per formam dādo esse effectui, oportet, quòd habeat formā, saltem æquè perfectam, aliàs reluceret aliquid in effectu, quod non tribuaretur à causa, quod implicat, nisi velimus, quod à se ipso illud habeat, in quo maximè eam distinguit D. Tho. à materia, quia hæc nempè in quantū hujusmodi, imperfecta est, agens verò in quantū hujusmodi est perfectū, quasi diceret, quia præcontinentia materiæ non est esse perfectam secundùm formam, sed tantū perfectibilem per illam; agentis verò est esse perfectum, quia jam possidet perfectionem formæ, quam potest communicare effectui, & ideo causa efficiens tenetur præhabere modo saltem perfecto, itaut positivè habeat saltem hunc modum continendi, & permissivè perfectiorem supponentem indispensabiliter priorem, quòd nempè ut possit producere effectum, debet actu esse perfecta per formam effectui communicabilem &c.

Circa posteriorem difficultatem, ut rectè intelligatur vis prædictæ propositionis D. Tho. adverto quòd ens, in cujus plenitudine dicitur Deus ipsum ens per se subsistens; secundùm duplicem abstractionem, quam insinuavimus in primo physic.; potest dupliciter dici abstractum, primò abstractione totali, qua nempè à superius universale abstrahit à suis inferioribus, & tunc utpotè magis potentiale, aut minus exprimens, vel importans de actualitate, quam dicant gradus inferiores, scil. vitæ, qui præter rationem essendi, dicit alteram se movendi, & sic de aliis; concipitur valde imperfectum; secundò abstractione formali, qua forma abstrahit, vel depuratur à materia, & secundùm hanc quantò aliquid magis abstrahit intrà lineam ejus, tantò est actualior, cum magis recedat à potentialitate, unde si daretur intra illam, quòd aliquod abstrahat per omnimodum recessum tam à materia physica, quam metaphysica, sive potentialitate, ut defacto abstrahit Deus; necesse est, quòd sit actus purus omnem in se continens perfectionem à toto genere entis, sive in ipsa plenitudine ejus, & consequenter quòd præhabeat omnem sive de linea essentiæ, sive de illa existentiæ, unde efficacissimè concludit D. Tho., quòd quia Deus est individuum sic subsistens in ipsa plenitudine essē per recessum ab omnimoda potentialitate, debeat in se habere omnem perfectionem tam de eadem linea essentiæ, quam existentiæ &c.

Ex hia facilè occurritur ad ea, quæ opponuntur. Nam ad primum dicimus, quòd nomina subsistentis per se in eadem plenitudine, intelligit D. Tho. individuum adequatè deputatum ab omni potentialitate, per quam essentia realiter distinguitur ab existentia, ut ostendimus de cœlo, & & mundo, consequenter habens omnem perfectionē utriusq; nam quòd essentia sit imperfecta, & realiter distincta, aut carens actualitate existentiæ, provenit à potētialitate, ex qua habet res limitari, & impediri, ne una aliam præcontineat; qua ratione nos Thomistæ dicimus, quòd si semel esset realiter identificata cum existentia, esset actus purus, quam sequelam nequeunt impedire contrarii ex eo quòd, ut putant; adhuc esset ab alio, vel dependens à Deo, quia hoc est, ut vidimus; de subjecto non supponente, nam in tantum concipere possumus, quòd sit ab alio, vel dependens à Deo, quia est intrinsecà potentialis, hac enim ratione quælibet creatura in universum est potens accipere, vel dependere ab illo, unde sublata intrinseca ejus potentialitate, nequit ampliùs intelligi prædicta dependentia ejus extrinseca; & per hæc patet ad alia ejusdem primæ impugnationis &c.

Ad 2. de Angelo dicimus formam angelicam abstrahere quidem à materia physica, sed non metaphysica, vel potentialitate, aliàs creatura non esset, unde licet Angelus subsistat in genere substantiæ, vel naturæ intellectualis, non tamen in aliquo individuo abstracto adæquatè ab omni materia, & ideò nequit omnem perfectionem sui generis continere. Imò hinc sumit vires propositio D. Tho.; nam quia abstrahit ab omni materia physica, per quam fit divisio, aut multiplicatio numerica, ut ostendimus infrà de Angelis, & latè dictum est de generatione, quamvis per illam impeditur, na unum individuum intrà eandem speciem cōtineat omnem perfectionem ejusdem naturæ, quilibet tamen Angelus adæquat, vel exhaurit totam perfectionem suæ speciei, itaut impossibile sit multiplicari duos Angelos numero tātum distinctos intra illā, ut ibid. infrà probamus; ergo quia Deus abstrahit ab omni tam physica, quam metaphysica, per quam fit multiplicatio, sive specifica, sive generica intra genus entis, adæquabit, vel exhauriet continendo totam perfectionem in plenitudine ejus, itaut impossibile sit dari duo individua sic abstracta intra illud, vel duos Deos in illo; unde si etiam in Angelis daretur individuum sic abstractum ab omni potentialitate intra suum genus naturæ intellectualis, contineret omnem perfectionem illius per exclusionē cujuscunque alterius individui, & speciei intra illud, sed quia hoc est impossibile, nisi iterum velimus non esse creaturam intellectualem; quilibet est determinata species ejusdem generis, licet sit in illo subsistens.

Ad 3. de relatione divina dicimus primò posse iterum retorqueri, nam quia quælibet subsistens est in genere relationis divinæ per recessum ab omni potentialitate, continet quidquid est perfectionis intra illud, ergo quia pariter Deus est ipsum esse per se subsistens, sive in plenitudine entis per recessum ab omni materia, continebit quidquid perfectionis est in isto. Quamvis ita sit, quòd quia relatio est formalis oppositio relativa nequit ab ista præscindere, & consequenter nec ab omni principio faciente differre, unde non potest non distingui ab aliis relationibus sibi oppositis, in quo maximè relucet mirabile illud mysterium,

quòd componat realem earum distinctionem cum summa identitate per circuminsessionem, sive in essentia, in qua identificatur, & qualibet prout sic est omnia divina.

Pro quo adverto, quòd sicut in simili dictum est in tertio de anima, & iterū infra de visione, de speciebus intelligibilibus, quæ ex eo, quod non sunt præcisè, ut sint, sicut substantia, nec ut opetentur, sicut accidētia, sed ut alia sint, vel repræsentent; gaudent duplici genere prædicatorum essentialium, altero scil. subjectivo, vel materiali, quo impressa, & expressa dicuntur essentialiter distingui, quia altera est per modum actus primi, altera per modum secundi; altero vero objectivo, vel formali, in quo habent identificari, prout repræsentant idem formale objectum; ita similiter relatio, aut genus relativum contrapositivè ad absolutum, duplici gaudet distinctivo, altero communi cum cæteris absolutis, scil. potentialitate, & ab hoc præcindit relatio divina utpotè actus purus, & solum inter se prout sic distinguuntur relationes creatæ; altero vero sibi proprio, cum non præcisè sit, ut sit, sed ut ad aliud sit, & hoc est oppositio relativa, à quo nisi velimus etiam à se ipsa præscindere, cum sit de conceptu ejus primario, nequit præscindere, quæcunque sit, unde Paternitas in Deo dicitur subsistens in hoc genere, non quia sibi identificet omnem rationem relationis intra illud, aliàs præscinderet ab omni oppositione, quod est impossibile, sed quia ut dictum est, continet ut potè depurata ab omni potentialitate, quidquid intra idem perfectionis est; & per hæc etiam patet ad ultimum de calore, quia cum nequeat iste à fortiori præscindere à potentialitate, vel ab ordine ad subjectum attenta ratione accidentis, habet, unde limitari possit, ne totius sui generis perfectionem contineat, & solum continebit juxtà modū suæ depurationis, sicut probabiliter dictum est de Angelo, unde poterat retorqueri &c.

Secundò etiam suppono continentiam eminentialem omnium perfectionum in Deo, non esse quamcunque, sed eminentialem completam. Pro quo adverto præter ea, quæ circa similem continentiam insinuavimus supra in prœmialibus; utriusque rationis, scil. practici, & speculativi in habitu Theologiæ, quòd licet in constitutivo continentiæ formalis conveniant Theologi, quod nempè consistat in eo, quòd contentum reperiatur in continenta quantum ad omnia, quæ claudit in suo formali conceptu, itaut sit in tali subjecto per modum formæ, sicut dicitur lux esse in sole, unde habet illud denominare formaliter tale; difficultas tamē est de continentia eminentiali; nam alii dicunt, quòd si semel forma est perfectior, continet eminenter imperfectiorem, nam forma perfectior continet virtute, quidquid est inferiorum formarum, unde continentia eminentialis prout sic, nil aliud est, quam continentia virtualis &c.

Hæc tamen explicatio videtur habere difficultatē, nisi aliquid addatur, quia alias Angelus supremus eminenter contineret omnē creaturam, cū sit cæteris forma altior, & perfectior, quod tamen est falsum, ut patet ex dictis; unde alii dicunt, quòd contineri eminēter in alio idem sit quòd cōtineri in illo ut in causa, & radice. Cæterū neq; hic modus videtur sufficienter explicare conceptū continentiæ eminentialis, quia licet contineri in alio, ut in causa, & radice per modum causæ æquivocæ sit contineri in illo eminenter, quantum ad id, quod continetur, non tamen præcisa continentia in alio, ut in causa, & radice censenda est eminentialis, quia hæc, ut vel ipsum vocabulum sonat, dicit aliquem excessum, vel eminentiam ex parte formæ cotinentis; constat autem quòd non qualibet causa, vel forma cōtinens habet excessum respectu formæ, vel effectus contenti &c.

Continentia ergo eminentalis propriè, & in rigore loquendo non solum importat excessum ex parte formæ continentis, sed etiam quòd inferior contenta sit in illa, sive quod contentum sit in superiori eminenter completè, & perfectè, idest quantū ad omnem sui rationem, modo tamen altiori, & eminentiori. Declarantur singula; primò dicimus propriè, & in rigore, quam frequenter vocant continentiam eminentialem ex eo solum; dici quòd aliquod contineatur in alio virtualiter tanquam in causa universali, vel æquivoca, sicut dicimus calorem contineri eminenter in sole; hæc tamen dicitur cōtinentia secundùm quid, & inadæquatè, vel imperfectè virtualis, non in rigore eminentalis, seu completè, & perfectè virtualis. §. 2. Quòd importet excessum ex parte continentis, quia hoc sonat, ut dictum est, vel ipsum nomen eminentiæ, seu ratio ejus 3. Quòd contineatur in re excellentiori quātùm ad omnia, quia si solum contineratur quantùm ad aliquam rationem, non continetetur completè, & perfectè, de quo videri potest Cajet. infrà q. 55. ar. 3., & D. Tho. ibid. ad 4. §. 4. Quòd sit ibi modo altiori, & excellentiori, sive quodammodò quoad omnie, nam si contineret simpliciter, & absolutè non esset continentia eminentialis, v. g. in intellectu dicuntur esse omnia eminenter, ineste tamen intentionali, quia licet quantum ad omnia possint esse in illo, non tamen simpliciter, sed quodammodò, scil. intentionaliter, sive tanquam in forma quadam elevatiori, & puriori; quo pacto etiam species intelligibilis Angeli inferioris dicitur contineri eminenter in esse intentionali, & repræsentativo, in specie universaliori superioris Angeli quantum ad omnia intentionaliter, de quo infrà loco proximè relato.

Ex quibus infert Ledesma de divina perfectione, q. 1. §. 2. notandum, quòd simpliciter loquendo nulla causa creata quantumvis contineat eminenter perfectè aliquē effectū, quia tamen nulle est causa totius perfectionis, quæ est in illo, (nam est proprium solius Dei producere effectum quantum ad omnem rationem essendi;) continentia ejus eminentialis semper est imperfecta, & secundùm quid, scil. quantum ad aliquam rationem, quam causat. Perfectiones verò, quæ sunt in aliquo eminenter, non denominant subjectum tale formaliter, sed cum addito, scil. eminenter, ut dictum est &c.

Est alius etiam modus continendi eminenter imperfectus, scil. quando una forma, vel agens se extendit ad omnes effectus, ad quos se extendit inferius, ut sensus communis dicitur continere eminenter alios quinque sensus; & hanc etiam continentiam videbantur Deo attribuere illi, quos impugnat D. Thom., ut vidimus; quæst. 7. de potentia, ar. 6., qui nempè dicebant Deum esse bonum, vel sapientē in quantū causat sapientiā, vel bonitatem, cum potius quia est sapiēs ideò sapientiam causat, ut ait D. Thom.

Tertiò

Tertiò suppono perfectiones creaturarum in duo genera, ut supra insinuavimus; dividi à theologis. Nam quædam dicuntur simpliciter simplices, quæ nempè in suo conceptu formali nullam includunt imperfectionem, & id genus definitur cum D. Ansel. in Monologio cap. 14. quæ est melior ipsa quam non ipsa, sive quam melius est absolutè habere, quam non habere, hujus generis est sapientia, vita &c. Absolutè enim melius est vivere, & esse sapientem, quam carere vita, sapientia &c. Quibus addere possumus modo in superioribus explicato; perfectionem, quæ licet in suo formali conceptu non importet perfectionem, ex illo tamē excludit imperfectionem, ut simplicitas, quæ excludit imperfectionem cōpositionis. Aliæ verò sunt secundùm quid simplices, quæ scil. in suo conceptu formali perfectiones quidem sunt, sed admixtæ imperfectionibus, sicut sapientia creata, vivere creatum, & alia hujusmodi, quæ explicant realem dependentiam ab alio, vel aliis admiscentur, quæ à toto genere entis non sunt meliora ipsa, quam non ipsa, imò in aliquo melior est non ipsa, ut non aurum v. g., nam melius est homini esse non aurum, quam aurum, unde etiam vocantur perfectiones in certo genere. His suppositis de utroque genere est difficultas, sed præcipuè de secundo, an sint formaliter in Deo, nam de priori est communis consensus esse non solum eminenter, sed etiam formaliter &c.

§. II.

Statuitur duplex Conclusio.

PRima. Perfectiones simpliciter simplices sunt in Deo formaliter & non solū eminenter, ammētia, scil. perfecta. Sumitur ex D. Tho. infrà q. 13. ar. 6. ubi de nominibus significātibus has perfectiones ait. *Hujusmodi nomina non solum dicuntur de Deo causaliter, sed etiam essentialiter, cum enim dicitur Deus est bonus, vel sapiens non solum significatur, quòd ipse sit causa sapientiæ, vel bonitatis, sed quòd hæc in eo eminentiùs præexistunt.* In quibus utramque partem insinuat, secundam quidem in his ultimis verbis, primam verò quòd etiam formaliter, in prioribus, dum ait, quòd sint non solum causaliter, sed etiam essentialiter, quod idem est, ac formaliter, cum forma unius cujusque rei sit ejus essentia.

Ratione deinde prob., & quoad secundam partem ex dictis. Nā Deus est causa suprema omnium modo eminentissimo continens, ergo debet secundùm omnem earum rationem continere non solum communem, & genericam, sed etiam specificam, & numericam, vel individualem, & consequenter eminentia perfecta, ut tradit S. Thom. hìc ar. 4., dicens, *omnia in Deo præexistunt non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundùm quæ res distinguuntur*; idest quantum ad unitatem numericam, & specificam; unde tanta est hæc eminentia in continendo, quòd creaturæ omnes, quæ in se vitam non habent, in Deo sunt vita juxtà illud Joan. 1. *quod factum est in ipso vita erat*: nec tantum sunt vita, sed vita suprema, vel intellectualis, ut innuitur per ly *in ipso*, scil. in Verbo, quod est nomen ejusdem vitæ, & naturæ purissimæ, unde sicut artificialia in mente artificis, sunt spiritualiter, & habent vitam, ità omnia sunt in Deo modo elevatissimo conjuncta cum purissima, & excellentissima vita, de quo D. Augustinus tract. 2. in Joan.; & ledesma hìc § 4. loco &c.

Quoad primam verò prob. Deo tribuendum est formaliter quidquid perfectionis est non includens imperfectionem in proprio conceptu formali, ergo simpliciter simplices sunt formaliter in illo; conse. tenet, quia istæ nullam, ut dictum est; ex propriis includunt, sed solum ex parte modi, quo à creaturis possidentur cum limitatione scil., & potentialitate, à qua tamen ex suis rationibus formalibus præscindunt, aliàs simpliciter simplices non essent, ut modò supponimus; ant. verò etiam constat ex dictis, quia Deus est ipsa formaliter plenitudo perfectionis, sive ens formaliter perfectissimum, ergo nulla potest in illo deesse perfectio simpliciter talis, aliàs ens formaliter plenum in eadem plenitudine non esset.

Dices non probari ex his, quòd perfectiones, quę sunt in creaturis sint in Deo formaliter, quia prout sunt in illis sunt contractæ per differentiam importantem indispensabiliter imperfectionem, sicut in simili dicimus infrà de visione, quòd quia vitalitas illius est contracta per differentiam, aut prædicatum supernaturalitatis, nequit omninò præcontineri in intellectu creato, esto potentia vitalis sit, quia prout sic contracta, necessariò importat excessum supra quamcunque potentiam vitalem de puro ordine naturæ, unde solum poterat inferri, quòd ratio analoga perfectionis simpliciter simplicis reperiatur in Deo, ità ut verum quidem sit, quòd Deus formaliter sit, formaliter vivat, & sic de aliis, non tamen, quòd formaliter sit, esse creato, aut formaliter vivat vita creata, quod erat necessarium ad verificandum, quòd perfectiones simpliciter simplices, quæ sunt in creaturis, sint formaliter in Deo; & ratio utriusque est, quia sicut vitalitas sic contracta in actu supernaturali nihil aliud est, quam vitio, vel actus supernaturalis, ità vita, vel sapientia sic contracta in ente creato nihil est, quam creatura, unde licet intellectus creatus in se formaliter vivat, non tamen vita supernaturali, neque eam ob excessum potest formaliter præcontinere; ità licet Deus in se formaliter vivat, non tamen vita creata, neque eam ob defectum, vel imperfectionem præcontinere poterit &c.

Sed contra hoc est, & in primis ne fiat æquivocatio adverto, quòd aliud est dicere perfectio creaturæ, vel quæ est in creatura, aliud verò perfectio creata, sicut in simili insinuavimus 3. par., quòd est aliud dicere subsistentia, vel sanctitas creaturæ, aliud verò subsistentia, vel sanctitas creata, nam subsistentia, vel personalitas divini Verbi est quidem sanctitas, vel subsistentia creaturæ, scil. humanitatis, non tamen est sanctitas, vel subsistentia creata, quia hæc utpotè importans utrumque in recto, sive subsistentiam contractam per prædicatum creaturæ non tam importat de formali prædicatum subsistentiæ, quam illud creaturæ; sic similiter dico, quòd cum perfectio creata utrumque in recto importet, & veluti de formali, non nominat pront sic, perfectionem simpliciter, sed magis secundum quid simplicem, unde ut dictum est, sapientia creata,

ta, & vivere creatum, & alia hujusmodi prout sic dicuntur perfectiones secundùm quid, non simpliciter simplices, & de his dicemus conclusione sequenti; cæterum perfectio creaturæ, vel quæ est in creatura, non limitatur universaliter, aut contrahitur quasi de formali ad esse creatum, vel imperfectum, sed magis de materiali, si sit de genere perfectionis, quæ io suo poro conceptu denominationis formalis nō dicat imperfectionē, ut est vita, sapientia &c. sīde attendendo ad purū meritū suę rationis formalis nō impeditur esse formaliter in Deo.

Sed deinde impugnatur. Quia dum dicimus prędictas perfectiones esse formaliter in Deo, non est sensus, quod eædem numero specie, aut genere sint formaliter in illo, nam sapientia, quæ est in Deo (& idem est de aliis;) non est eadem numero, nec specie, nec genere cum sapientia, quæ est in creaturis; unde D. Thom. infrà quæst. 13. ar. 5. docet esse impossibile aliquid prædicari de Deo, & creaturis univocè, ergo ut dicantur esse in Deo formaliter satis est esse easdem analogicè &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Nam certum est in creaturis dari, quæ ex suo conceptu formalis denominationis sunt simpliciter simplices, & consequenter nullam ex illo dicere imperfectionem, ut patet de sapientia, vita, bonitate &c. nam licet eam important ex modo, quo determinantur ad imperfectius analogatum, quod est creatura, quia tamen hoc, quod est esse creatum materialiter se habet ad formalem rationem sapientiæ, sive ad rationem procedentis per altissimam causam, cum solum conveniat ex prædicto modo determinationis ad illud; ex meritis proprii cōceptus præscindit ab omni imperfectione, sed juxtà D. Ansel. & veritatem simpliciter simplices sunt formaliter in Deo, ergo cum non sint in illo secundùm convenientiam univocam, erunt secundùm analogam, quod est intentum conclusionis; unde sicut de portione entis, quę est in altero analogato substantiæ, vel accidentis, licet verificari nequeat, quòd sit in alio secundùm genus, speciem, vel individuum, verificatur tamen ità esse in illo secundùm rationem analogam analogia propriè dicta, & unius conceptus, ut propriè de illo dicatur, quòd est ens, qua ratione non sola substantia, sed etiam accidens dicitur propriè ens; ità pariter dicimus de perfectione simpliciter simplici, quæ est in altero analogato creato, vel increato, quod licet verificari nequeat, quòd eadem numericè, specificè, vel genericè sit in alio, verificatur tamen ità esse in illo secundùm analogiam propriè dictam, & unius conceptus, ut quæ est in creatura, analogicè Deo conveniat sufficienter ad verificandum, quòd sicut creatura propriè vivit, & non metaphoricè; pariter Deus propriè vivat &c.

Secunda conclusio. Perfectiones non simpliciter, sed secundùm quid simplices, licet reduplicativè, ut admixtam important imperfectionem sint tantum eminenter virtualiter, secundùm tamen id, quòd dicunt de perfectione, videntur etiam admittendæ formaliter in Deo. Prima pars est certa, quia prout sic dici nequeunt esse sine imperfectione, sed nulla imperfectio potest dici formaliter de Deo, ergo prout important admixtam imperfectionem, sunt tantum eminenter, & non formaliter in illo.

Secunda autem, quam probabiliter sustinemus cum Mag. Ferre hic §. 4. & ledesma ubi supra concl. 3. §. 2. sequitur; licet videatur communiter negari à cæteris, in sensu tamen exponendo est conformis communi doctrinæ Thomistarum circa divinum concursum ad entitatem peccati connexam intrinsecè, vel essentialiter cum deformitate ejus, ut statim dicemus; unde probatur sic. Perfectiones secundùm quid simplices non sunt puræ imperfectiones, ergo secundū id, quod dicunt de perfectione sunt formaliter in Deo, ant. est certum, quia dicunt perfectionem admixtam imperfectioni, ergo non sunt pura imperfectio; cons. verò prob., nam quia entitas peccati non est pura deformitas, sed entitas admixta deformitati, debet eminenter virtualiter contineri intrà ambitum causalitatis divinæ, ergo quia perfectio secundùm quid simplex non est pura imperfectio, sed perfectio admixta imperfectioni, debet formaliter contineri intra plenitudinem perfectionis divinæ, ant. suppono ex communi doctrina Thomistarum contra Suarez, & alios existimantes Deum tantum permissivè concurrere ad eandem entitatem, & non positivè, cons. verò prob., non minus Deus est infinitè perfectus in linea essendi, quam sit in linea causandi, sed quia est infinitè perfectus in ista positivè se extendit per influxū, & cōtinentiā virtualem eminentialem juxtà meritū hujus lineæ, ad omnem entitatem etiā admixtam deformitati secundùm id, quod entitatis est, ergo quia est infinitè perfectus in linea essendi debet juxtà meritum istius, præhabere in se formaliter, aut se extendere per formalem continentiam ad omnem perfectionem etiam admixtam imperfectioni secundùm id, quod perfectionis est &c.

Explicatur, & urgetur hoc. Non minus Deus est infinitè formaliter plenus in linea entitatis, vel perfectionis, quam sit plenus infinitè virtualiter in linea causalitatis, vel virtutis operativæ, at non esset sic infinitè plenus in ista, si propriæ plenitudini hujus lineæ, scil. virtuali eminentiali deesset aliquis influxus, & aliqua entitas etiam admixta deformitati secundùm id, quod entitatis est non causaretur ab illo, ergo nec esset infinitè plenus in illa, si propriæ plenitudini illius, scil. formali deesset aliqua perfectio etiā admixta imperfectioni secundùm id, quod perfectionis est &c.

Urgetur ulterius. Nam quia Deus est infinitè plenus in causando sive in ipsa plenitudine causalitatis, causat formaliter omnem entitatem peccati ex quo entitas est, sine eo quòd causet formaliter illam ut determinatam per deformitatem, ergo quia pariter est infinitè plenus in essēdo, sive in ipsa plenitudine perfectionis, erit formaliter omnis perfectio etiam secundùm quid, sine eo quòd sit formaliter talis, ut determinata per imperfectionem, unde sicut utraque hæc est vera, Deus non causat peccatum, Deus causat omnem entitatem repertam in peccato, ità utraque hæc erit vera, Deus non est formaliter creatura, Deus est formaliter omnis perfectio reperta in creatura &c.

Dices ex doctrina Joan. à S. Thom. hic conclus. 2. quòd videtur implicantia in terminis, quòd Deus sit omnis perfectio v. g. hominis, & non sit homo; tum quia homo nil aliud est, quam omnis sui perfectio; tum quia cum homo sit quædam perfectio, repugnat esse omnem ejus perfectionem, & non esse hominem, aliàs eadem facilitate poterit aliquod esse animal rationale, & non esse homo &c.

Sed

Sed contrà hoc est sistendo eidē paritati. Optimè stat Deū causare formaliter omnem entitatē peccati, & non causare peccatū, ergo optimè stabit esse omnem perfectionem hominis, & non esse hominem; prob. cōs. quia non minus omnis entitas peccati ingreditur vel pertinet ad constitutivum peccati, quā omnis perfectio hominis ad constitutivum hominis, ergo si nihilominùs potest causare formaliter præcisivè omnem entitatem peccati, & non peccatum, poterit formaliter præcisivè esse omnis perfectio hominis, & non homo; & ratio utriusque est, quia sicut dum dico peccatum, non dico entitatem quomodocunque, sed ut determinatam per deformitatem, (nam peccatum est impositum ad significandam pro formali deformitatem) ità homo non præcisè dicit perfectionem, sed talem, scil. determinatam per imperfectionem, unde sicut hac ratione aliud est dicere entitas peccati, & aliud peccatum, sufficienter ad extendendum influxum divinum ad omnem entitatem, & non ad peccatum, licet omnis ejus entitas pertineat ad se ipsum, ità aliud est dicere perfectio hominis, & aliud homo sufficienter ad extendendam formalem continentiam ad omnem perfectionem hominis, & non ad hominem, licet ad istum pertineat omnis perfectio ejus &c.

Alio exēplo desūpto ex doctrina ejusdem Mag. Jo. à S.Tho. 3. par. q. 1. ad ar. 2. de satisfactioneChristi circa conditionē requisitā ad rigorem justitiæ, quòd sæpè satisfactio hujus rigoris non cadat sub dominio creditoris; poterat totum hoc illustrari, & urgeri: nā sicut ibi distinguimus ex eodem in actionibus Christi id, quod entitatis est in illis, & id, quod satisfactionis, prout sæpè considerantur, ut unitæ supposito divino, & valorantur ab illo, ità ut secundùm omnem rationem entitatis dicimus cadere sub dominio Dei, non verò ut satisfactio, sive ut reduplicant formalē rationem unionis, vel formam valorantē in hac linea, licet omnis earū entitas ad ipsā pertineat, utraq; existente vera: omnis entitas reperta in actione, vel satisfactione Christi cadit sub dominio Dei; satisfactio ejus non cadit; quia sæpè satisfactio non præcisè dicit entitatem, sed talē, vel reduplicantē formalē rationē valorādi, & propterea aliud est dicere, entitas satisfactionis, aliud verò satisfactio, illa cadēte, hac verò nō, sub eodē dominio; ità similiter possumus distinguere in casu, & affirmare de omni perfectione hominis; quòd sit formaliter in Deo, negare verò de homine, quia sæpè homo, ut dictū est; nō præcisè dicit perfectionē, sed talem, scil. determinatam per imperfectionem.

2. Prob. etiam principaliter eadem pars, & adhuc urgentur superiora. Nulla perfectio ex quo perfectio est, habet oppositionem formalem cū Deo, ergo nulla ex quo perfectio est, potest deesse illi formaliter, aut. est certum, quia, ut dictū est, cū sit per se subsistens in plenitudine perfectionis, nulla potest ei repugnare nisi ratione alicujus imperfectionis, vel limitationis adjunctæ, conf. etiam tenet, nam in tantum posset deesse formaliter, in quantum formaliter opponitur, ergo si nulla sic opponitur in quantum perfectio est, nulla deerit formaliter, ut perfectio est &c.

Dices iterum ex eodem hic §. *Et explicatur*, quòd hujusmodi perfectiones, scil. quæ ex suo quiditativo conceptu, & formali sunt in certo genere possint sic præscindere, quia eo ipso quòd prout sic spectant ad determinatū genus, debent essentialiter constare ex prædicatis genericis, & differentialibus, quibus constituitur species, & consequenter ex prædicatis potentialibus, & limitativis, unde nisi velimus posse præscindere à se ipsis nequeunt omninò præscindere ab imperfectione annexa, ut patet in animali, lapide &c.

Sed cōtrà hoc est, & in primis militat utraque præcedens paritas; nam sicut animal, vel lapis &c. habet secum annexam imperfectionem, ità entitas peccati annexam deformitatem, & satisfactio Christi, vel actio ejus satisfactoria entitatem creatam, & tamen hæc ex eodem ut satisfactio est, non cadit sub dominio Dei creditoris, & entitas peccati, ut entitas est in communi sententia Thomistarum, est terminus causalitatis divinæ, ità ut utraque prout sic præscindere possit, ergo etiam prædicta perfectio ex quo perfectio est, præscindere poterit, & esse in Deo formaliter &c.

Secundò impugnatur. Quamvis hujusmodi perfectiones impræscindibiles sint in dando aliquos formales effectus imperfectionibus essentialiter admixtos, secus verò in dando alios non ità admixtos, sed deparabiles, ergo non habent prout sic oppositionem formalem cum Deo, ut teneamur excludere à continentia formali in illo; cons. tenet, quia in eo, quòd tribuunt effectus non essentialiter admixtos, sed daparabiles ab imperfectionibus, præscindunt ab illis, ant. verò prob. simul, & declaratur, accipiendo prædicata essentialia, vel quiditativa hominis, scil. rationem entis, substantiæ, vitæ, intellectivi, quæ simul cum ratione corporis, sensibilis, discursivi constituunt hominem: tunc sic argumentor, licet priora prædicata, quæ sunt perfectio hominis in dando hunc effectum formalem, qui est homo, præscindere nō possint à posterioribus, quæ sunt ejus imperfe[illegible]io, secus verò in dando esse, per se vivere, & intelligere, ergo non ità alligantur imperfectionibus, ut in dando aliquos effectus formales, de quorum conceptu imperfectio non est, præscindere non possint ab imperfectione, & consequenter esse formaliter in Deo &c.

Dices hanc replicam confundere unam perfectionem cum alia, nam hujusmodi perfectiones in dando præcisè hos posteriores effectus magis sunt de numero simpliciter simplicium, quam secundùm, quid, nec considerantur prout sic, ut perfectiones in certo genere, scil. substantiæ, ad quod spectat homo, ut species infima ejus, sed abstrahunt non solum ab illo, sed etiam ab esse creato, & increato, cum possint cum utroque esse conjungi, unde si velimus eadem prædicata, vel perfectiones considerare, ut proprias hominis, præscindere nequeunt ab aliis, quæ important ejus imperfectionem; perfectio enim hominis, & cujuscunque alterius subjecti spectantis ad certum genus, vel prædicamentum, ad quod solum spectare potest creatura, ut probatum est in logicis, non est esse, vel esse per se, vivere, vel intelligere utcumque, sed esse creatum, perseitas creata, vita creata, intelligere creatum; constat autem, quòd omnis hujusmodi perfectio ut creata, impræscindibilis est ab imperfectione, & consequenter incapax continentiæ sui formalis in Deo &c.

Sed contra hanc solutionem quæ tangit præcipuam vim oppositæ sententiæ, iterum in primis militat utraque paritas adducta, & quidem urgentiùs, vel à fortiori posterior satisfactionis, vel actionis satisfactoriæ Christi, quæ non est ità ratio analoga potens præscindere à ratione creati, ut contingit

tingit in prædictis perfectionibus hominis, cum Deus, ut subsistens in natura divina, sive ut subsistens purè increatum intelligi nequeat, ut satisfaciens sibi per modum debitoris, & creditoris, ut explicatum est 3. par., ergo si nihilominùs ex eodem Magistro potest ut satisfactio præscindere, & non cadere prout sic sub dominio Dei, à fortiori poterunt præscindere prædictæ hominis perfectiones, quæ ex sui ratione analoga præscindunt à ratione creati; unde urgenter hac paritate videtur sustineri posse conclusionem quoad secundam partem arguendo sic. Non repugnat, imò videtur valdè conducere ad plenitudinem perfectionis divinæ, quòd etiam perfectio secundùm quid simplex, ex quo perfectio est, contineatur formaliter in illa, ergo non videtur illi deneganda hæc formalis continentia; conf. tenet, & antec. prob.; plenitudo divinæ perfectionis petit ut omnis perfectio creaturæ ex quo perfectio est, præscindibilis ab imperfectione sufficienter ad sui formalem continentiam in Deo, contineatur in illo, sed perfectio secundùm quid potest sic sufficiēter præscindi, ergo nō solū non repugnat, imò videtur valdè conducere ad eandem plenitudinem, ut contineatur in illa, prob. mi. non solum superiori doctrina, & paritate entitatis peccati, sed urgentius, ni fallor, hac alia satisfactionis Christi; quæ minus ex terminis est hæc præscindibilis à ratione creati, quam perfectio constitutiva hominis, vel alia similis secundùm quid simplex, ut dictum est, sed nihilominùs juxtà eundem Magistrum, & alios sequentes eundem modum salvandi prædictam conditionem, actio satisfactoria Christi ut satisfactio est, præscindere potest, & non cadere sub dominio Dei, ergo à fortiori hæc perfectio præscindere poterit, & ut perfectio est, contineri formaliter in Deo &c.

Secundò impugnatur. Quamvis ratio intellectivi &c. seu perfectio constitutiva hominis non sit perfectio ut sic, sed prædicamentalis, vel creata, sive admixtà imperfectioni, nihilominùs distinctæ rationes sunt in illo, ratio perfectionis, & ratio imperfectionis, sed hoc sufficit ut altera sit præcisivè in Deo formaliter, & altera non, ergo, ma. patet, aliàs esset, vel pura perfectio, vel pura imperfectio; mi. verò probatur, quia eo ipso, quod sunt duæ, potest una præcisivè ab alia pertinere formaliter ad plenitudinem perfectionis divinæ, sicut hac ratione, quia sunt duæ, ut dictum est, in peccato, ratio entis, & ratio malitiæ; & in actione satisfactoria Christi, ratio creati, & ratio satisfactorii, potest una præcisivè ab alia pertinere formaliter ad lineam causalitatis divinæ, vel subjectionis subdominio Dei, ergo &c.

Explicatur hoc, & affertur iterum ratio utriusque. Quia licet hujusmodi rationes sint cōnexæ inter se, vel in ordine ad agens, vel subjectum creatum, vel imperfectum, non tamen comparativè ad Deum, nam Deus sicut est purum agens, vel efficiens, ità est pura perfectio, ergo si quia est purum efficiens, causat formaliter totum id, quod est entitatis omissa deformitate, quia hæc non pertinet ad lineam efficientis, pariter quia est pura perfectio continebit formaliter totum id, quod est perfectionis, omissa imperfectione, vel limitatione, quia hæc non pertinet ad lineam perfectionis; unde sicut in linea operativa non attenditur præcisè meritum connexionis ex parte creaturæ, sed magis illud causalitatis ex parte Dei, qui quia purum efficiens est, præscindere potest in causando ab omni defectu quomodolibet connexo cum entitate, ità in linea entitativa non est præcisè attendendum ad idem meritum connexionis ex parte otriusque rationis, sed magis ad meritum perfectionis ex parte Dei, qui quia pura perfectio ast præscindere potest in essendo, vel continendo ab omni imperfectione, quomodolibet connexa cum perfectione &c.

§. III.

Solvuntur argumenta.

PRimò arg. contrà primam. Datur perfectio simpliciter simplex non contenta formaliter in Deo, sed eadem est ratio de omnibus, ergo non sunt formaliter in Deo; mi. constat, nam præcipua ratio est, quia in sui formali conceptu non dicunt imperfectionem, sed hæc militat de omnibus, ut dictū ast, ergo, ma. prob.; ratio sapientiæ est perfectio simpliciter simplex, sed hæc de creata, & increata solum æquivocè dici potest, ergo aliqua perfectio creaturæ non est propriè, & formaliter in Deo, prob. mi., quia dicta de creatura est differentia essentialis alicujus repugnantis Deo, scil. habitus intellectivi; dicta verò de Deo est quasi essentialis differentia actus puri, ergo nequit de illis dici analogicè analogia unius conceptus, sed magis æquivocè. Explic., & urg. hoc. Nequit ibi esse differentia formaliter ubi non est, imò repugnat genus ejus, cum differentia sit intrà suum genus, sed genus sapientiæ in nobis, scil. habitus, non est formaliter, imò repugnat, Deo ergo nec erit formaliter sapientia.

Ad hoc nego ma.; ad prob. nego mi., ad prob. dist. ant., quoad 1. par., est tantū differētia habitus, nego, est etiam membrum dividens sapientiam ut sic, conc., & dist. conseq., nequit de illis dici analogicè sub priori consideratione transeat, vel conc., sub posteriori, nego; duplicem namque habitudinem habet, prout reperitur in creatura, scil. ad habitum intellectivum, quem contrahit per modum differentiæ, qui nempè dividitur in scientiam, sapientiam, & artem; & ad sapientiam ut sic, quæ sui prima divisione dividitur in creatam, & in increatam; priori modo cum sit adæquatè intrà genus habitus intellectivi, non potest prout sic alicui convenire formaliter, cui non convenit ille formaliter, & consequenter nequit habere aliquid commune per convenientiam adhuc analogicam cum Deo; posteriori verò optimè potest analogari cum sapientia divina analogia unius conceptus, quia prout sic non intelligitur intrà genus alicujus repugnantis Deo, sed solum intrà forum sapientiæ, quod da suo conceptu formali nullam importat imperfectionem; & per hæc patet ad confirmationem &c.

Sed instas. Sapientia ut sic divisa, sive abstrahens à Deo, & creaturis, nec potest esse æqualis, aut ejusdem rationis in utroque analogato, neque altior Deo ergo nequit concipi, ut formaliter existens in utroque §. Respond. dist. conseq. ut formaliter existens formalitate univoca, seu secundùm univocationem, & æqualitatem, conc., analoga, secundùm analogiam proportionalitatis, nego; quia in illa optimè compatitur, ut dictum est;

quod

quod conceptus analogus fit formaliter, & propriè in utroque analogato, licet cum inæqualitate, vel dependentia unius ab alio, ficut ens invenitor in fubftantia, & accidenti fine aliqua metaphora, fed formaliter, & propriè.

2. Arg. ad idem, & adhuc eft replica. Non ftat fapientiam in creatis femel dividere habitum intellectivum, & fimul cum increata effe membrum dividens fapientiam ut fic, ergo fub nulla confideratione poteft effe analogatum iftius, & confequenter, nec formaliter etiam analogicè in Deo; utraque conf. tenet, & ant. prob.; quia aliàs fimul effet inferior, & fuperior ad habitum, imò, & ad actum purum, cõfequens videtur abfurdum, ergo; mi. conftat, quia quod femel eft differentia, aut membrum dividens alicujus, nequit effe fuperius ad illud, aliàs fimul antecederet, & confequeretur fuum genus, quod eft inconveniens; mi. verò prob., ratio habitus continetur fub ratione creaturæ, ficut ratio actus puri fub ratione entis increati, ergo fi femel fapientia creata cum increata dividit fapientiam ut fic, fimul erit inferior ad habitum, ut potè differentia divifiva ejus, & fuperior ad illum, imò & ad actum purum, prout cum increata dividit immediatè fapientiam ut fic, fub qua etiam venit ratio actus puri &c.

Ad hoc nego ant., ad prob. dift. ma. præcipuè quoad 1. par., fimul effet inferior, & fuperior ad habitum fecundùm eandem rationem, vel confiderationem, nego, fecundùm diverfam, tranfeat, vel conc., ad prob. dift. ant.; ratio habitus eft inferior, vel continetur fub ratione creaturæ, ut creatura eft immediatè divifiva fapientiæ ut fic, nego, ut eft divifiva entis conc.; nam ens primò dividitur in creatum, & increatum, creatum verò in decem genera, de quorum numero eft qualitas, quæ deinde dividitur in habitum, & difpofitionem, unde habitus non venit fub divifione creaturæ, ut hæc eft divifiva fapientiæ ut fic, fed magis ipfius entis, & ideò ex eo quòd eft quid inferios ad rationem creaturę, non rectè infertur, quòd fit pariter ad rationem fapientiæ; & idem proportio nabiliter de ratione actus puri, quæ magis etiam venit intra divifionem entis, quam fapientiæ ut fic, quæ fpecialiter dividitur intrà forum cognofcitivum per altiffimam caufam &c.

Sed inftas. Hęc duo non videntur componibilia, quòd fapientia creata fit inferior ad fapientiam ut fic, & ad hanc pariter non fit inferior habitus, ergo, prob. ant., fapientia creata, ut potè divifiva habitus, eft inferior ad illum, ergo fi hic non eft inferior ad fapientiam, ut fic, nec pariter fapientia creata erit inferior ad illam, prob. conf., nam quia habitus eft inferior ad qualitatem, & hæc non eft inferior ad fapientiam ut fic, nec habitus eft inferior ad illam, ergo quia fapientia creata eft inferior ad habitum, & hic non eft inferior ad fapientiam ut fic, nec fapientia creata erit inferior ad illam, & confequenter nec analogatum ejus &c.

Refp. nego ant., ad prob. dift. ant., eft inferior ad illum intrà forum formale fapientiæ, nego, intrà forum entis, in quo illum dividit tranfeat, vel conc. ant., & nego conf., quia fapientia creata, ut dictum eft, non dividit quomodocunque fapientiam ut fic, fed intrà forum ejus formale, five intrà lineam formalem cognitionis conftitutivæ fapientiæ, quæ eft cognitio per altiffimam caufam, & prout fic non eft inferior ad habitum, nec differentia immediatè divifiva illius, nam folum dividit illum, ut creatura eft intrà lineam prædicamentalem intrà forum vel ejus, unde non rectè infertur quòd non fit inferior ad fapientiam ut fic, ex eo, quòd habitus non eft inferior ad illam, quia fit tranfitus de genere ad genus, feu de phyfico, vel entitativo, ad intentionale, vel cognofcitivum, feu de linea ad lineam; ad ejus verò probat., nego caufalem quòd ideò habitus non fit inferior, quia qualitas non eft inferior, fed quia in hac ratione habet, unde immediatè dividat fapientiam ut fic, ficut habet fapientia creata, fcil. conceptum creaturæ, & conceptum prædictum cognitionis per altiffimam caufam, ratione cujus poteft immediatè effe fub illa &c.

3. Arg. principaliter ex Mag. Joan. à S. Tho. opponente nobis 1. D. Thom. intrà q. 13. ar. 2., ubi docet Deum non folum dici bonum, quia eft caufa corporum, aliàs poffet dici, quòd eft corpus, ficut dicitur, quòd eft bonus, fed quia id, quod bonitatem importat in creaturis præexiftit in Deo. In quibus videtur apertè affignare difcrimen inter utramque perfectionem, fcil, bonitatis, quæ eft fimpliciter fimplex, & illam corporis, quæ eft fecundùm quid, quòd prior eft in Deo per formalem denominationem, & ideò Deus non tantum eft bonus, quia bonitatem caufat, fed quia hæc præexiftit in illo, fcil. formaliter, unde denominatur formaliter bonus, pofterior verò non, fed tantum eminenter virtualiter eft in illo, aliàs fic diceretur corpus, ficut dicitur bonus, quod eft falfum. Unde poteft fieri argumentum fic: juxtà D. Thom. quamvis Deus fit caufa utriufque perfectionis, non tamen per utramque denominatur, fed per alteram tantum, fcil. fimpliciter fimplicem, vel bonitatem, at non quia non etiam præcontineat illam corporis, aliàs caufa illius non effet, & jam in art. 2. hic probaverat omnes in illo præcontineri, ergo quia non præcontinet formaliter. Et rationem etiam tradit ibidem ar. 3. ad 1. Quia nempè, *quædam nomina fignificant hujufmodi perfectiones à Deo procedentes in res creatas hoc modo; quòd ipfe modus imperfectus, quò à creatura participatur divina perfectio in ipfo nominis fignificato includitur, ficut lapis fignificat aliquid materialiter ens, & hujufmodi nomina non poffunt attribui Deo, nifi metaphoricè; quædam verò nomina fignificant ipfas perfectiones abfolutè abfque hoc, quòd aliquis modus participandi claudatur in eorum fignificatione, ut ens, bonum, vivens, & hujufmodi, & talia propriè dicuntur de Deo*. Ergo juxtà D. Thom. tenemur afferere, quòd perfectiones correfpondentes prioribus nominibus, five fecundùm quid fimplices, non fint in Deo propriè, & formaliter, fed per analogiam metaphoricam, five plurium conceptuum, aliàs non fubfiftit difcrimen affignatum à D. Thom. inter utrumque genus nominum, & perfectiones illis correfpondentes, vel per illa fignificatas, fcil. fimpliciter, & fecundùm quid fimplices &c.

Ad hoc patet ex dictis in nullo nos contrariari doctrinæ D. Thom., quæ in eo præcipuè confiftit, quòd non poffit Deus in difcriminatim nominari à nomine importante perfectionem fimpliciter fimplicem, & ab importante fimplicem fecundùm quid

quid

quid, sive ab importante illam, ut admixtam imperfectioni, quia cum primum ex propriis non importet illam ut sic admixtam, sed solum ex modo, quem habet prout in creatura; potest absolutè denominare, cum talis modus non claudatur in ejus significato, ut ait D. Thom., secus verò posterius, in cujus significato idem modus imperfectus includitur, unde denominare nequit sine addito, scil. quòd Deus sit eminenter lapis, vel corpus. Cæterum, quia hujusmodi perfectiones possunt alio nomine significari non exprimente imperfectionem, licet eam includente, cum revera, ut dictum est, non sint puræ imperfectiones, sed duæ rationes distinctæ, possunt quoad sic formalem continentiam respectu plenitudinis divinæ perfectionis præscindere, sicut hac ratione præscindit entitas peccati respectu divinæ causalitatis, unde libenter fatemur cum D. Tho. non posse Deum sic dici lapidem, vel corpus, sicut dicitur bonus, posse nihilominus formaliter continere perfectionem, ex quo perfectio est, omissa formaliter imperfectione, sicut potest causare entitatem omissa deformitate; est enim Deus præcisivus ab omni eo, quod in sua linea non ingreditur sui ambitum. Par quod patet ad cætera, quæ subduntur, & præcipuè ad ultimum, in quo faciunt vim, quòd nempè non esset discrimen inter utramque perfectionem; dicimus enim, quòd licet utraque formaliter, contineatur prior tamen, seu simpliciter simplex continetur absolutè, & non solum ex meritis, ut sic dicamus, plenitudinis perfectionis divinæ, sed veluti etiam ex propriis, cum in suo formali conceptu præscindat ab imperfectione, & solum prout in creatura contrahat prædictum modum imperfectum; posterior verò tantum reduplicativè, ex quo perfectio est, & magis ex meritis ejusdem plenitudinis, secundùm quam Deus potest præscindere ab omni imperfectione, quantumvis connexa essentialiter, sicut potest in causando; quàm sui, & propterea prima secundùm nomen sibi proprium absolutè, & sine addito denominat Deum, non tamen posterior, nisi facta reduplicatione, vel secundùm nomen perfectionis, quod non negatur à D. Tho., sed tantùm quòd denominare non possit secundùm nomen sibi proprium &c.

4. Arg. (& est replica) ex eodem. Perfectiones secundùm quid simplices, sive quæ sunt in certo genere, ex suo quiditativo conceptu, & formali spectant ad illud, ut animal, equus, lapis &c., ergo ita in illo claudunt imperfectionem limitationis, quòd si ab ea depurentur, non manet earum formalis conceptus; ergo neque ex quo perfectio sunt, possunt Deo convenire formaliter; prob. hæc conf., quia repugnat aliquid reperiri in alio formaliter, in quo nequit esse ejus conceptus formalis, vel essentialis, ergo si hujusmodi perfectiones prędicamentales important essentialiter imperfectionem Deo repugnantem, non poterunt esse formaliter in illo &c.

Explic. hoc. Perfectiones hujusmodi prædicamentales, sive in certo genere non ponuntur in illo præcisè ratione modi, quo sunt in creaturis, sed ratione substantiæ, vel propriæ quiditatis, ita ut si subtrahantur ab eodem genere, non solùm subtrahitur modus ab illis, sed etiam destruitur propria eorum quiditas, ergo impossibile est contineri propriè, & formaliter in Deo, non contenta similiter earum imperfectione; ant. est certum, nam in se essentialiter, & non solùm ratione sunt definibiles per prædicata generica, & differentialia, ex quibus componitur earum quiditas; ergo ponuntur in genere, in quo solùm collocari possunt entia limitata, non tantùm ratione modi, sed etiam ratione propriæ substantiæ, & quiditatis; cons. verò prob., quia præcisa imperfectione non ampliùs concipiuntur ut perfectiones prædicamentales, nec subsistit earum quiditas, sed solùm ut communissimum, vel confusum prædicatum perfectionis, ergo nequit propriè verificari de perfectione secundùm quid simplici, vel prædicamentali, quòd sit formaliter in Deo; nam de hac modò est difficultas contrapositivè ad simpliciter simplices, unde solùm eminenter, & virtualiter dici possunt esse in illo, scil. tanquam effectus in virtute causæ, non ut formaliter existendo, & afficiendo ipsũ Deum, licet causa illa utpotè suprema, & eminẽtissima, omnes rationes etiam individuales effectuũ contineat &c.

Ad hoc ex superioribus dico in primis, quòd videtur perpetuò solvendum ab eodem, tum in actione satisfactoria Christi, quàm ut satisfactoriã substrahit modo alibi explicato, à dominio Dei, cùm tamẽ certum sit eam habere rationẽ entitatis creatæ, ut dictum est, ac proindè minùs præscindere, ut põderavimus, à ratione dependẽtiæ à Deo; tum in communi consensu Discipulorum D. Tho., qui ex eodem p. a. q. 79. ar. 1. utrumque verificant, Deum esse causam entitatis, vel actus peccati, & non ipsius peccati, estò hæc ratio entitatis, vel actus indispensabiliter importet deformitatem, ergo poterit utrumque similiter verificari, quòd hujusmodi perfectiones sint formaliter in Deo, & earum imperfectio non sit formaliter in illo, astò hanc habeant secum indispensabiliter annexam. Sicut ergo, ut egregiè, ac subtilissimè concludit ibi D. Tho., potest Deus præcisivè esse causa entitatis, vel actus peccati, non tamen ipsius peccati, quia non est causa hujus, quòd actus sit cum defectu, ut exemplo claudicationis tibiæ curvæ eleganter ostendit; ita poterit præcisivè formaliter continere perfectionem hominis, vel lapidis, & non continere formaliter hominem, vel lapidem, quia non continet formaliter illam, ut est cum imperfectione; unde quidquid replicatur faciendo vim in necessaria connexione, vel inclusione unius in alia, solvendum videtur ob paritatem rationis in eisdem exemplis &c.

Pro omnibus ergo dist. conseq.; si ab earum depurentur, non manet earum formalis conceptus prout significantur nomine hominis, vel lapidis &c. transeat, vel conc., prout alio nomine perfectionis, nego; unde sicut in eodem peccato remota deformitate non manet ampliùs formalis ejus ratio ut expressa hoc nomine peccati, adhuc tamen manet, ut expressa nomine non explicante deformitatem, scil. nomine entis, vel actus, sufficienter ad verificandum, quòd Deus causet formaliter unum, & non aliud; ita licèt remota imperfectione non maneat ampliùs formalis ratio harũ perfectionũ, manet tamen ut expressa alio nomine non explicante illã, scil. nomine perfectionis sufficienter ad verificandum, quòd contineantur formaliter secundùm unam rationem, & non secun-

cun-

cundùm aliam; unde secundùm hanc dualitatem nominum, quibus exprimi, vel significari possunt exemplo ejusdem peccati, solvi possunt omnes objectiones: nego ergo 2. conseq., & ad ejus probat. similiter dist. ant., in quo nequit esse conceptus ejus formalis, ut expressus nomine explicante imperfectionem, conc.; alio non explicante illam, nego &c.

Ad explicationem, nego cons.; ad ejus prob. dist. similiter ant.; præcisa imperfectione non ampliùs concipiuntur ut prædicamentales, sive imperfectæ, vel limitatæ, sub nomine explicante imperfectionem, conc.; sub alio non explicante, nego; vel iterùm dist.; præcisa negativè, id est negando illam de tali perfectione, conc.; purè non explicativè, ut contingit sub hoc posteriori nomine, nego, vel denique dist.; præcisa absolutè, transeat, vel conc.; reduplicativè, ut explicatum est, scil. a perfectione, ut perfectio est, nego; nam hac via salvamus præcisionem causalitatis divinæ respectu entitatis peccati, salvo ejus conceptu. Et per hæc patet ad cætera, quæ subduntur in fine &c.

Sed instas primò. Quia præcisum nomen perfectionis non magis explicat perfectionem secundùm quid, quàm simpliciter simplicem, ergo expressio facta per illud non est sufficiens ad verificandum, quòd illa secundùm quid sit determinatè formaliter in Deo, ut distinguitur ab alia simpliciter; ant. constat, quia est nomen commune utrique, cons. etiam tenet, quia nomen commune utrique nequit discretivè verificare prædicatum in ordine ad subjectum à se expressum; ergo ex vi hujus nominis *perfectio*, quod est utrique commune, nequit magis verificari continentia formalis de una, quàm de alia &c.

2. Hujusmodi perfectio etiam ut expressa nomine importante imperfectionem, dicit perfectionem distinctam à se ipsa, ut præcisa, vel aliter expressa, & ab ipsa imperfectione, licèt determinatam per illam, sed per nos sic expressa non est formalitèr in Deo, ergo aliqua perfectio salva plenitudine divinæ perfectionis deest formaliter Deo, prob. ant., nam perfectio hominis expressa per hoc nomen, homo, dicit perfectionem humanam non expressam aliis nominibus, vel præciso nomine perfectionis &c.

Ad utramque dico iterùm, quòd videntur solvendæ in eadem entitate peccati respectu cujus similiter instari poterat, vel sub eadem forma contra causalitatem divinam. Sed pro omnibus ad primam dist. claritatis gratiâ ant., non magis exprimit, nec magis connectitur, vel includit, nego; exprimit præcisè, transeat; vel iterùm dist. ut suprà, non magis exprimit, si sumatur præcisivè utraque præcisione, scil. tam non explicativa, quàm exclusiva, vel negativa modo explicato, transeat, vel conc.; purè non explicativa, nego; sicut enim in simili dictum est in logicis de natura angelica, vel Gabrielis, quòd ut natura, est capax secundæ intentionis universalitatis, non quasi fiat reduplicatio suprà communissimum conceptum naturæ abstrahentem à creata, & increata, vel ab aliis analogatis creatis, sed solùm suprà conceptum specificum per abstractionem à singularitate, quidquid sit, an ita essentialiter, vel intimè importetur ab eodem conceptu specifico, sicut imperfectio à perfectione secundùm quid, de quo ibidem in logicis; ita dicimus præscindere perfectionem hanc, ex quo perfectio est, non secundùm communissimum conceptum à toto genere perfectionis, sed sumendo eam reduplicativè secundùm rationem, quam importat distinctam ab imperfectione, sicut similiter sumimus entitatem peccati, ex quo entitas est, non quasi à toto genere entis, sed secundùm rationem distinctam à deformitate; & licèt diceremus non posse prædictam rationem perfectionis præscindere comparativè ad formam superiorem finitam, vel limitatam, benè tamen in ordine ad infinitam, vel subsistentem in ipsa plenitudine essendi, vel perfectionis, sicut eadem peccati, licèt comparativè ad agens secundum deficiens, sive voluntatem nostram præscindere nequeat, ita ut non possit hæc suo influxu ad eam concurrere non concurrendo simul ad deformitatem, benè tamen respectu agentis primi, quod purè efficiens est, non deficiens. Et per hoc etiam patet ad secundam; etenim eadem est perfectio, sed alio nomine significata, dum dico, homo, & perfectio hominis, sicut est eadem peccati entitas, quæ importatur sub hoc nomine, cum illa, quæ importatur sub nomine peccati, sed diversimodè significata, quod satis est esse utramque præscindibilem respectu Dei, ut dictum est.

Sed instas retorquendo prædictam paritatem naturæ angelicæ. Nam ideò hæc præscindere potest, vel denominari à secunda intentione universalitatis, quia singularitas illi opposita non est de conceptu quiditativo ejus, vel illi essentialis, qua ratione negatur ex opposito de natura divina, quia est essentialiter singularis, ergo cùm imperfectio sit de conceptu essentiali harum perfectionum, utpotè constitutarum ex genere, & differentia, non poterunt sub quocumque nomine ab illa præscindere, vel purificari, sicut nec divina natura sub quocumque nomine concipi potest cum fundamento, ut universalis &c.

Resp. dist. conf. Non poterunt præscindere in se ipsis, vel comparativè ad nostrum intellectum in ratione objecti, transeat, vel conc.; in ratione continentiæ comparativè ad Deum, nego; quia respectu Dei non obstat intima convenientia, vel quiditativa; si altera tantùm ex prædictis rationibus contineatur intrà ambitum plenitudinis perfectionis ejus, & altera non, ut perpetuò patet in actualitate, vel entitate peccati respectu suæ causalitatis. Vel poterat etiam ut suprà negari suppositum consequentis, quòd imperfectio dicatur de conceptu ejus essentiali, si hæc reduplicativè significetur per hoc nomen perfectio hominis, lapidis &c. quidquid sit si exprimatur eadem perfectio per hoc nomen, homo, lapis &c. sicut similiter dicitur de entitate peccati, quæ præcisè expressa per nomen entitatis non dicit deformitatem, sed solùm ut exprimitur nomine peccati &c.

Sed adhuc instas. Nam quia relatio in suo essentiali conceptu dicit oppositionem cum termino, nequit etiam in Deo sine ista inveniri, ergo si semel perfectio secundùm quid in suo essentiali dicit imperfectionem, & non solùm ex parte modi, non poterit etiam respectu Dei præscindere, sic quòd formaliter ibi contineri possit sine formali continentia imperfectionis &c.

Ff 2 Resp.

Resp. dist., & expl. ant.; quia dicit utcumque, nego, sub propriissimo nomine, vel formali expressione relationis, conc.; quia cùm relatio sit formalis oppositio; etiam sub nomine proprio, vel ex quo relatio est, importat illam, unde impossibile est posse ab eadem præscindere, nisi etiam præscindat à se ipsa ex quo relatio est, quod implicat; cæterùm perfectio secundùm quid, scil. hominis, lapidis &c. solùm dicit illam, ut significatur per hoc nomen, *homo*, non verò per nomen perfectionis illius, sicut nec entitas peccati dicit deformitatem, ut significata per nomen entitatis illius, aliàs non posset Deus ad eam concurrere non concurrendo ad deformitatem, unde solùm inferri poterat, quòd hujusmodi perfectiones secundùm quid, ut significatæ per hæc nomina, *homo*, *lapis &c.* contineri non possunt formaliter sine continentia formali imperfectionis, non verò ut significatæ per nomen perfectionis eorum &c.

§. IV.
Corolaria ex dictis.

EX dictis inferimus primò, quòd alibi etiam ostendimus de Mundo, nempè Deum, & Universum simul non esse quid perfectius, quàm sit solus Deus sive intensivè, sive extensivè. Quoad priorem partem de perfectione intensiva est communis consensus, licèt videatur difficiliùs sustinenda in alio frequentiori modo dicendi, scil. quòd perfectiones secundùm quid simplices non sint formaliter in Deo, sed solùm simpliciter simplices; nam si solùm dicit istas formaliter, jam in conceptu perfectionis formaliter denominantis, major intensiva perfectio videtur relucere respectu utriusque simul, quàm respectu solius Dei; quia Deus, & Universum simul dicunt formaliter utrumque genus perfectionis, Deus verò inclusivè alterum tantùm, ergo ad salvandam communem doctrinam de æqualitate perfectionis intensivæ in solo Deo, ac in utroque simul aptiùs admittenda videtur in illo formalis continentia utriusq; modo explicato, quàm alteriùs tãtùm &c.

Ex quo efficaciter prob. eadem pars. Nam Deus ita est subsistens, aut plenus in ipsa plenitudine essendi, aut perfectionis, ut quidquid perfectionis est in creatura, continetur formaliter in Deo, ergo perfectio Universi nil intensivè superaddere potest ad perfectionem Dei; conf. tenet, & ant. patet ex dictis &c.

Secundam partem de perfectione extensiva negant Durandus in 1. dist. 44. q. 3., Gabriel à S. Vincentio hîc disp. 4. dub. 2., & aliquomodò etiam videntur favere ex nostris Nazarius infrà q. 6. ar. 2. controvers. unica, Gonet hîc disp. 4. ar. 2. in fine, M. Serra dub. 1. ad 3., & M. Gonzalez hîc disp. 12. ad 6., quatenùs duo priores admittunt excessum extensivum; saltem impropriè; posteriores verò dicunt, quòd si attendamus modum continendi perfectiones, non est inconveniens concedere in Deo, & Universo plures perfectiones esse formaliter, quàm in Deo. Cæterùm cùm modus continendi pertineat, ut jam insinuavimus; ad forum intensivum, (qua ratione infrà de visione, & 3. p. qu. 10. ad ar. 2. dicimus, quòd si semel cognoscerentur omnia possibilia in Deo viso, vel ex vi visionis ejus, non solùm cognosceretur Deus, vel ejus Omnipotentia, quantùm cognoscibilis est extensivè, sed etiam intensivè, & consequenter comprehensivè) jam videretur admittendus excessus non solùm extensivus, sed etiam intensivus, ut dictum est, quem tamen nullus admittit.

Sumitor verò ex Divo Thoma 1. 2. quæst. 34. ar. 3. ad 2., ubi loquendo de optimo simpliciter, quod est Deus, in hoc distinguit à cæteris, quòd istud, *per cujus participationem omnia sunt bona, ex nullius additione fit melius, sed in aliis bonis universaliter verum est, quod quodlibet bonum ex additione alterius fit melius*. Idem docet qu. 5. de Malo ar. 1. ad 4., & rationem subdit: *quia si duo participantia conjungantur, augeri potest in eis id, quod participatur, sed si participans addatur ei, quod est per per essentiam tale, non facit aliquid majus. Sicut duo calida adjuncta ad invicem possunt facere magis calidum, sed si esses aliquid, quod esset calor per essentiam suam subsistens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cùm ergo Deus sit ipsa essentia bonitatis, ut Dionys. dicit in lib. de Divinis Nominibus c. 1. & omnia alia sint bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cujuslibet rei alterius bonitas continetur in ipso*.

Id priùs etiam tradidit in 3. dist. 6. qu. 2. ar. 3. ad 1., quod etiam exemplificat eleganti exemplo additionis puncti ad lineam, unde ait: *In Persona composita* (scil. Christi) *quamvis sint plura bona, quàm in persona simplici, quia est ibi bonum increatum, & bonum creatum; tamen Persona composita non est majus bonum, quàm simplex, quia bonum creatum se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam, cùm nulla sit proportio unius ad aliud, unde sicut linea additum punctum non facit majus extensivè, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato, facit meliùs extensivè. Vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo, unde & ipse dicitur omne bonum, unde non potest sibi fieri additio alicuius boni, quod in ipso non sit*. Vid. etiam infrà q. 103. art. 3. ad 2., ubi repetit totam hanc doctrinam paucioribus verbis, ut infrà.

Ex his potest formari arg. sic. Quælibet perfectio, aut bonitas creata quoad rationem perfectionis, & bonitatis est adæquatè actu præcontenta in Deo, cùm sit participatio ejus, utpotè entis, & bonitatis per essentiam, ergo nulla potest ponere in numerum cùm illa ad faciendum majus extensivè, prob. conf.: tum quia repugnat unum facere majus extensivè cum alio non superaddendo ad illud in linea, in qua facit majus, ut patet ex terminis: tum quia quælibet perfectio, aut bonitas participata comparatur ad perfectionem, vel bonitatem per essentiam, sicut punctum ad lineam, sed istud additum lineæ nequit facere majus extensivè, ergo nec perfectio creata addita divinæ facit excessum extensivũ &c.

Dices negando ma. hujus syllogismi, quia cùm punctum non sit quantum, perfectio autem creata, licèt deficiens, sit tamen intrà lineam perfectionis, non potest esse eadem utrobique comparatio; unde licèt idem punctum utpotè indivisibile, vel non quantum sit incapax faciendi extensum, sive majus extensivè, non tamen erit

inca-

incepax perfectio creata respectu divinæ &c.

Sed contra hoc est. Nam solutio, vel dissimulet, vel non penetrat exemplum, & doctrinam, aut rationem D. Tho.; unde impugnatur sic. Perfectio creata in omni eo, in quo est perfectio, est participatio bonitatis, aut perfectionis divinæ, ergo magis distat, & minùs est capax superaddere ad divinam bonitatem, aut perfectionem, quàm punctum ad lineam, ant. est certum, & conf. prob.; tum quia perfectio participata tanquam nihilum reputatur ad divinam, juxta illud Isa. 40. vers. 17. *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei*: tum quia magis repugnat, quòd perfectio participata comparetur ut perfectio ad divinam, quàm quòd punctũ comparatur ut quātùm ad lineam, ergo minùs est illa capax ad faciendum excessum extensivum comparativè ad Deum, quàm punctum comparativè ad lineam; conf. tenet, quia ad faciendum hunc excessum intrà lineam perfectionis est necessarium, quòd se habeat ut perfectio ad illam, ut patet ex terminis, sicut ut albedo faciat augmentum intrà suam lineam est necessarium, quòd comparetur ut forma dealbans intrà illam; ant. verò prob.; quia nequit compareri ut perfectio ad divinam, nisi comparetur ut perficiens illam, sed magis repugnat, quòd forma participata perficiet divinam, quàm punctum lineam, ergo magis repugnet, quòd comparetur ille ut perfectio, quàm punctum, ut quantum; min. est certa, nisi velimus, quòd creatura possit perficere Deum fontem totius esse, vel ipsum subsistens in plenitudine essendi, & perfectionis, quod iterùm in terminis est manifesta contradictio; cùm tamen punctum intrè forum quentitatis eliquomodò perficiat terminando, & claudendo lineam intrà suos limites, sicut proportionabiliter differentia terminat, & claudit genus intrà suos, & forma materiam; unde licèt non addat extendendo, aliquid tamen eddit à toto genere quantitatis; mej. verò prob., quia propriissimum munus perfectionis est ut perficiat, sicut propriissimum relationis est, ut referat, & sic de aliis, ergo nequit semel habere habitudinem perfectionis, & præcipuè facientis augmentum, nisi perficiat id, cui superaddita facit crescere &c.

Denique prob. eadem principalis conf., & urg. totum hoc; quia perfectio participata totum adæquatè quod de perfectione habet, jam actu habetur, & modo infinitè excellentiori in plenitudine perfectionis divinæ, cùm sit fons, ut dictum est, totius perfectionis creaturæ, ergo impossibile est, immò inintelligibile, quòd possit superaddere, nisi velimus, quòd res jam habita possit superaddi. Itaque ad duo reducit D. Tho. impossibilitatem hujus excessus extensivi, scil. ad hoc, quòd perfectio creata non potest comparari, ut perfectio ad divinam, & ita se habet, ut punctum ad lineam, cùm nulla sit proportio perfectionis participatæ ad perfectionem per essentiam; & deinde, quòd totum, quod habetur de perfectione, & bonitate in illa, plenissimè habetur in Deo, quia tota ratio bonitatis omnium bonorũ est in illo, unde impossibile est posse facere augmentũ in consortio divinæ, aut simul cum illa.

Dices non esse ad id necessarium, quòd comparetur ut perfectio ad divinam tanquam perficiena illam, aut quòd non contineatur in Deo, sed satis est, quòd sit perfectio distincta, & quòd non contineatur eodem modo, quo continetur in universo, qua ratione species intelligibilis, licèt contineat eandem quiditatem, quæ est in objecto; quia tamen non continet sub eodem modo essendi, potest relatione reali similitudinis referri ad illud, estò hæc petet extreme realiter distincta &c.

Sed contra hoc est ex dictis. Quia repugnat aliquam perfectionem alteri superadditam facere augmentum, sive intensivum, sive extensivum in linea perfectionis, nullo modo perficiendo, saltem extensivè illam, respectu cujus facit augmentum; at supposita adæquata sui præcontinentia in alia, cui superadditur, repugnat posse eam perficere etiam extensivè, ergo nullo modo perfectio participata potest facere majus etiam extensivè cum Deo. Maj. constat, quia repugnat, quòd aliquid faciat augmentum intrà aliquam lineam non superaddendo intrà illam, ut patat inductivè, sed superaddere intrà lineam perfectionis non stat nisi perficiendo, ut patet ex terminis, ergo; min. verò prob., quia perfici extensivè est pervenire ad aliquam perfectionem, ad quam priùs non perveneret; qua ratione dicimus habitum scientiæ perfici extansivè, quia pervenit ad aliquod objectum, ad quod priùs non pervenerat; sed supposita perfectissima continentia, vel possessione ejusdem perfectionis verificari nequit, quòd aliquando perveniat ad illam, ad quem priùs non erat perveniens, ut iterùm patet ex terminis; qua ratione alibi etiam in logicis ostendimus non posse ens perfectissimè præscindere à modis; quia cùm præcisio sit quidam motus intellectualis per modum recessus à termino à quo, repugnat intelligi recedens ab isto, in quo adhuc manet actu inclusum, ergo pariter cùm perfici extensivè sit quidam veluti accessus per modum extensionis ad novam perfectionem, repugnabit aliquod sic perfici extensivè in ordine ad perfectionem, quem perfectissimè jam possidet secundùm omnem sui rationem &c.

Dices iterùm hanc perfectionem extensivam fieri præcisè per additionem sui ut distinctæ, & non contentæ eodem modo. §. Sed contra hoc est eodem argumento; quia esse distinctam, & non contentam eodem modo, non facit non esse perfectissimè possessam, aut præhabitam secundùm omnem sui rationem etiam numericam, ergo ast de subjecto non supponente hæc additio extensiva, & consequenter excessus perfectionis, sive intensivè, sive extensivè; unde rectè dixit D. August. tract. 11. in Joan. *Si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* Et per hæc etiam patet ad id, quod tangitur de specie intelligibili; quia ibi non tantùm est diversitas in modo, sed est adhuc defectus continentiæ, quia in Deo non solùm est tota quiditas perfectionis creatæ, sed omnis ejus modus, seu ratio etiam numerica, ut dictum est, licèt sub modo excellentiori; cætetùm species intelligibilis continet quidem objecti quiditatem, non tamen modum, aut perfectionem omnem, quam habet in esse naturali; unde est major distantia, non solùm ad salvandam relationem similitudinis; cùm etiam crea-

creaturæ ad Deum sit relatio realis, sed etiam ad eliquam excessum à toto genera entis, vel intrà illud, cùm sæpè objectum secundùm modum, vel esse suum neturale sit substantia, & species intelligibilis in nobis sit accidens &c.

Expl., & nrg. totum hoc. Licèt perfectio creata sit participatio importans bonitatem, vel perfectionem distinctam, & non contentam sub eodem modo, non tamen est participatio univoca, vel analoga, sic quòd aliquid afferat de sua linea ex parte participantis, quòd non contineatur perfectissimè in plenitudine perfectionis, de qua eccipit, sive cujus est participatio, sed hoc erat necessarium ad excessum extensivum, ut probatum est ergo ex præcise distinctione, aut diversitate modi nequit legitimè inferri hujusmodi excessus.

Sumitur tota hæc doctrina iterùm ex D. Tho. q. 16. de Malo ar. 1. ad 13. quòd tale erat ad probendum Dœmones habere corpora sibi naturaliter unita. *Plura bona sunt paucioribus meliora, sed corpus, & spiritus sunt plura bona. quàm spiritus tantùm; cùm ergo homo, qui est inferioris naturæ, sit compositus ex corpore, & spiritu, multò magis Dæmon, qui est superioris naturæ.* Ecce ferè tota vis, & fundamentum oppositæ sententiæ. Cui taman respondet: *Dicendum, quòd plura bona sunt paucioribus meliora, dum tamen sint singula unius ordinis. Illud tamen, quod in uno habet perfectionem sua bonitatis, sicut Deus, multò melius est, quàm illud, quod habet suam bonitatem dispartitam secùndùm diversas partes, & secùndùm hoc Angelus, qui est totaliter spiritus secundùm suam naturam est melior homine composito ex corpore, & spiritu.* Ecce quòd pluralites bonorum adhuc comparativè ad bonum creatum, si semel altius est, vel superioris ordinie, facere nequit excessum bonitatis &c. quantò minùs fecere poterit comparativè ad Deum totius bonitatis pelagus infinitum, nisi super omne bonum velimus aliquod ulterius bonum in omni bono non cōprehensum, vel capax addere ad illud, quod videtur perpetua repognātie in terminis &c.

Contra temen Corolerium arguit relatus Carmelita discalceatus mihi olim Romæ notus fundamento jam insinnato. Deus, & universum simul important numerum majorem perfectionum, cùm alia numero sit increata, & alie creata, & hæç etiam multiplicetur numero, sed hoc sufficit, ut aliquid dicatur absolutè perfectius, & melius extensivè, ergo, prob. min.; tum quia plure opera meritoria Christi dicuntur perfectiora extensivè uno tantùm, & tamen aliqua ex illis possunt tantùm convenire analogicè; ergo solus excessus in numero sufficit ad faciendum perfectius extensivè. Tum quia nobilior modus essendi perfectionum creatarum in Deo per solam convenientiam analogam cum illis arguit solùm repugnantiem excessus intensivi, non extensivi, ergo cùm ad hunc negandum non sit aliud fundamentum, tantùm poterit negari prior excessus, non posterior &c.

Huic objectioni, cujus vis posita in min. sumitur ex Durando; dico in primis, quòd si semel profitetur, ut suppono, doctrinam D. Tho., est manifestà solvendum ab eodem, & eb omnibus ejusdem doctrinæ professoribus, cùm tam apertè locis relatis oppositum ejusdem min. tradat Divus Tho.; & clarissimis etiam exemplis, ut vidimus, eem declaret; unde deberet etiem concedi, (quod apertè negat D. Tho.,) hominem esse perfectiorem Angelo, eut megis bonum illo, cùm importet plure bona, & non tantùm extensivè, sed etiam intensivè, cùm hæc pluralitas bonorum sit de intrinseca ejus constitutione, quod nec in bone Metaphysica, nec Theologia à nullo admittetur. Pro omnibus ergo resp., quòd sicut homo nequit esse quid perfectius Angelo, quia id, quod multiplicet, vel supereddit est ordinis inferioris, & magis pertinet ad lineam imperfectionis, vel potentialitatis, ut est materia, à fortiori repugnabit esse universum quid perfectius cum Deo, vel in ordine ad illum, cùm nihil omninò de linea perfectionis superaddere possit, ut dictum est, sed solam imperfectionem cōparativè ad plenitudinem divinæ perfectionis; unde in furma nego mi., quia tunc pluralitas bonorum, ut ait D.Th., dicit ma jorem perfectionem paucioribus, quando singule sunt ejusdem ordinis, quod non contingit in casu, ut etiam repetit infrà q. 103. ar. 3. ad 3. dicens, *quòd in particularibus bonis duo sunt meliora quàm unum, sed ei, quod est essentialiter bonum non potest fieri aliqua additio bonitatis.*

Ad 1. probat. ex paritate operum Christi, admisso etiam excessu, quod intendit arguens in eadem; patet primò disparitas ex D. Tho., quòd hic est comparatio inter extrema participantia bonitatem, in quibus pluralitas potest fecere telem excessum, secùs verò facta istorum comparatione in ordine ad Deum, in quo est plenissimè, ut dictum est, perfectio omnium participantium, nec diversitas in modo continendi arguit vel minimum defectum illiue, unde impossibile est ex ulla parte posse propriè concipi hunc excessum.

2. Ex his quæ latè examinamus 3. p. qu. 1. ed ar. 2. circa infinitatem simpliciter valoris eorum: Resp., quòd quia ex unione ad Personem Verbi tanquam formam moraliter valorantem, (loquendo de moralitate reflexiva, vel personali) gaudent omnie hec infinitate, non potest dari major valor in uno, ac esset in tota operum ejus collectione, sive intensivè, sive extensivè, quidquid sit, quòd crescere posset quoad pluralitatem titulorum, ut explicatur ibidem; vel etiam loquendo de illis quoad moralitatem essentialem, sive specificam, vel objectivam; sic enim edmittitur diversitas in illis, non solùm extensiva, sed etiam intensiva, ita ut in tote collectione fuerit majus meritum, quàm in uno tantùm, sed hoc non facit ad rem, quia in uno tantùm non continetur valor aliorum totius collectionis, ut contingit in casu; unde in forma vel nego maj., vel admissis præmissis, nego conf. ob disparitatem adductam &c.

Ad 2. nego pariter ma., quia supremus ille modus continendi in Deo per modum fontis totius esse infert, quòd quidquid perfectionis multiplicera potest creature secundùm modum suum limitatum, & imperfectum, jam totum sit perfectissimè in Deo; unde nunquā potest intrà lineā perfectionis extendere ad aliquam portionem perfectionis nō habitam, & licet nō hebeatur modo illo imperfecto, quo habetur in creatura, hoc tamen non erguit defectum habendi illam, & ideò impossibile est fieri Deo additionem perfectionis etiam extensivè, nam quidquid etiam per-

perfectionis reducere potest in eodem modo contredistinctum eb imperfectione, id etiam præhabetur in Deo, ut dictum est, unde nihil super addere potest ad illum nisi imperfectionem. Itaque dualitas bonorum, vel perfectionum, quæ importatur post participationem divinæ bonitatis, non multiplicat per additionem unius ad alterum; quod erat necessariū ad faciendum augmentum etiam extensivum, & solum contingere potest in bonis ejusdem ordinis, ut monuit D. Tho. ubi suprà; sed solum per quādā acceptionē de plenitudine ejusdem bonitatis divinæ sine ulla, vel minima diminutione ejus, & sine ullo prorsus defectu bonitatis communicatæ, vel acceptæ, unde inintelligibile est posse aliquid crescere intra hanc lineam per excessum ad Deum, sive in altero extremo, sive in conflato utriusque extremi, nisi velimus aliquid admittere suprà Deum, cum in eo, in quo aliquid crescit, sit suprà id, respectu cujus crescit, & ita conflatum ex Deo, & universo deberet esse aliquid suprà Deum, utpotè saltem extensivè perfectius, quod est alienum, cum Deus sit id, quo majus non solum non potest esse, sed neque etiam excogitari, ut dictum est. Præter quamquòd eadem facilitate posset similiter dici, quòd Deus diffundendo suam bonitatem faceret eam saltem extensivè meliorem, quia sic diffundendo extendetet eam, si semel producens creaturas bonas, & perfectas multiplicet bonitatem, & perfectionem per augmentum extensivum illius, quod tamen constet esse falsum in mysterio Incarnationis, ubi per communicationem, vel diffusionem summi boni, sola humanitas perficitur, & nullo modo Verbum, ut traditur ibidem q. 2. ar. 1. &c.

Colligimus 2., quòd si iterum sumentur perfectiones secundùm quid, ut determinatæ per imperfectionem, neque etiam in esse intelligibili possunt esse formaliter in Deo, sed tantum eminenter virtualiter. Quia quod nequit in illo esse formaliter in esse entitativo, nec potest formaliter esse in intelligibili, quia in hoc genere non continentur nisi media divine essentia, ut specie intelligibili, cum Deus aliam speciem non habeat, per quam intelliget, ut ostenditur infrà q. 14. ad ar. 5., ergo quod nequit esse in Deo, sive in sue essentia formaliter in esse entitativo, nec potest in illo esse formeliter in intelligibili. Tum quia in Deo esse intelligibile est idem realiter formaliter cum esse entitativo, ut patet ex dictis, ergo si prædictæ perfectiones nequeunt in Deo esse formaliter in esse entitativo, nec poterunt formaliter esse in intelligibili &c.

Contrà hoc corolarium oppones 1. Quòd Deus formaliter illas cognoscit, aliàs videretur imperfectiùs cognoscere Angelo formaliter eas cognoscente, quia tantò imperfectiùs quis cognoscit objectum, quantò intelligens intelligendo fit res cognita, constat autem, quòd magis fit res cognita cognoscendo illem formaliter, quam solum virtualiter, ergo in esse intelligibili sunt formaliter in illo, cons. tenet, quia ram cognoscens formaliter, fit res cognita formaliter ergo &c.

2. Quia in esse intelligibili sunt depuratæ eb omni imperfectione, scil. à materialitate, cum sint ib spiritualiter; & à limitatione, cum genus intelligibile non præcisè sit, ut sit, sed ut alia sit, nam genus physicum est, quod limitat, & coarctat, ergo non habent, à quo impediantur esse Deus formaliter, cons. tenet, quia totum impedimentum est ex hoc duplici capite &c.

3. Quia tenemur asserere, quòd ideæ earum divinæ illas repræsentent formeliter ex conceptu ideæ, quæ continet rem per modum exemplaris, & consequenter formaliter; tum quia species angelicæ hac ratione eas repræsentant formaliter, & una ex eisdam speciebus potest formaliter repræsentare plures res, quia sunt formales participationes idæarum divinarum, argo signum est, quod istæ sunt formales repræsentationes rerum ideatarum &c.

4. Et impugnatur ratio facta. Nam ex eo quòd prout sic nequeant esse formaliter Deus in esse antitativo, non sequitur, quòd non possint asse in intelligibili, ut patet pluribus exemplis; tum in Patre divino, qui est Filius in esse intelligibili, sive in essentia, quæ est species intelligibilis, & in qua non opponuntur, non tamen in esse physico, cum hæc sit falsa, Pater est Filius ob oppositionem, scil. relativam. Tum in intellectu Beati, qui juxta meritum formaliter intelligentis, est Deus in esse intelligibili; non tamen in genere entis, & sic de eliis &c.

Ad 1. nego ant., quia cum creaturæ sint tantum objectum secundarium intellectus divini, nec eas immediatè cognoscat in seipsis ex parte cognoscentis, sed solum prout repræsentātur in essentia divine, scil. mediatè, & virtualiter, hoc modo tantum cognoscuntur à Deo, & non immediatè, aut formaliter. Ad prob. annexam, nego sequelam, quòd imperfectius cognosceret, immò magis hoc pertinet ad summem eminentiam cognitionis, vel intellectus divini, qui utpotè infinitè excedēs omne intelligibile creatum nequit cum eo intelligibiliter tanquam cū objecto immediato, aut specificativo uniri, sicut unitur intellectus creatus, & ideò potest iste formaliter illud intelligere, & fieri idem formaliter cum illo in hoc genere; ad illins verò probationem iterum annexem, quæ potest esse replica, dist., & explico maj., quantò fit res cognita, si hæc sit objectum primarium conc., si secundarium, & tantum mediatè cognitum, nego, quòd debeat tunc mensurari quantitas perfectionis ex parte cognoscentis, vel cognitionis penès quantitatem identitatis cum objecto, nam licet formaliter, vel immediatè non cognoscat, nec fiat illud formaliter, quia tamen in casu cognoscit in alio, seu propria essentia, tanquam causa adæquata, aut medio plenissimè manifestante usque ad omnem rationem individuelem, lōgè perfectiùs cognoscit quolibet intellectu creato, non enim tenetur Deus ad eas perfectè cognoscendū, habere conceptum formaliter expressivum, sicut habet Angelus, nam per essentiam suam tanquam per speciem impressam, & expressam clarissimè eas penetrat, & omnem earum rationem &c.

Ad 2. similiter dico; quod est alia imperfectio, à qua nunquam possunt spoliari, scil, ratio objecti purè secundarii, sive repræsentabilitas, vel attingibilitas tantum secundaria in hac linea, unde nequit divina essentia esse propter earum repræsentationem, aliàs deberet ab illis mensurari, & dicere relationem formalem similitudinis ut ad sui mensuram, quod Deo repugnat, de quo tamen infrà ad q. 14. &c.

Ad 3. nego ant., ad 1. prob. dist. illem ex conceptu ideæ, si sit homogenea conc. si excedens nego,

exem-

exemplar enim homogeneum dicitur formaliter cõtinere rem ideatam, non excedens, vel increatum, istud namque repræsentat rem, in qua exemplata tantum virtualiter continentur §. Ad 2. nego causalem, vel suppositum ejus, quòd species angelicæ sint formales participationes ideaꝝ divinarum, quia illæ ex propria ratione formali sunt institutæ ad repræsentandos effectus creatos, ut rationes cognoscendi non prius cognitæ, essentia verò divina, quæ est idea omnium creaturarum, non est repræsentativa earum immediatè, ut ratio cognoscendi non cognita, sed mediatè solum, ut continetur in ipsa ut in causa prius cognita, unde sunt tantum participationes virtuales, quæ quia sunt sic institutæ, habent illas formaliter repræsentare, & potest etiam una repræsentare plura objecta, non quia sit formalis participatio ideę divinæ, sed quia participat id, quod est virtualiter in idea in ordine ad plura, vel pauciora objecta repræsentanda &c.

Ad 4. nego ant., ad primum exemplum patet ex superioribus, quòd licet Pater in divinis non sit Filius, in esse entis in sensu formali, vel reduplicativo, facta reduplicatione, scil, suprà extrema, ut opposita, sive sumpta relativè, est tamen in identico sive est res, quæ est realiter formaliter Filius, ut dictum est, sunt enim realiter formaliter unus Deus, & quia etiam cognoscit Filium per essentiam, tanquam per speciem impressam, & expressam, in qua identificantur, est etiam formaliter Filius in esse intelligibili, unde verificatur esse formaliter idem in utroque genere; ad id verò, quod subditur de oppositione, quòd habent illam in genere entis, & non in intelligibili, consequenter, quod possint distingui in illo, & non in isto; dicimus ità esse, si sumatur linea intelligibilis radicaliter, sive pro radice, aut rationes cognoscibilitatis, vel intelligibilitatis, aut pro essentia divina, ut dicit rationem speciei impressæ, & expressæ, secus verò à toto genere intelligibili prout dicit rem, vel objectum ut quod cognitum, sic enim Pater, & Filius dicũtur duo cognoscibilia, ut quod inter se distincta, qua ratione contendunt aliqui infrà de visione posse unũ videri alio non viso; licet quia non præcisè videntur ratione sui, sed ratione essentiæ, in qua non habent oppositionem, nec possit eadem videri, ut in se est non visa adæquatè, & ut radix, & consequenter non visis omnibus radicatis, vel divinis non stet semel ibi videri aliquo divino omisso &c.

Ad aliam instantiam de Intellectu Beati dicimus, quòd respectu Dei, in quo est idem intelligere, & esse, non stat esse idem in uno, & non fieri suo modo idem in alio genere, ea identitate, quæ permittitur inter intelligentem, & rem intellectam, identitate, scil. secundùm quid, de quo dictum est in 3. de anima, quidquid sit in ordine ad objectum creatum, in quo prædicta duo distinguuntur; qua ratione iterum infrà q. 12. ad ar. 3. dicimus, quòd quia Deus est suum esse per essentiam, si semel daretur species creata quiditativè, & intuitivè repræsentans Deum, deberet pariter, & ipsa esse suũ esse, & actus purus, unde juxtà modum illum dicendi admittentem identitatem non solum inter speciem, & objectum, sed etiam suo modo inter intellectum, & rem intellectam, sit intellectus Beatì utrobique aliquomodo idem, quatenus nempè intelligit per speciem impressam, & expressam, quæ est Deus in utroque genere &c.

Ultimò tandem colligimus duplex genus perfectionum distingui posse tum in Deo, tum in creaturis; in illo quidem, nam aliæ sunt perfectiones, quæ in suo formali conceptu important infinitatem, ut in superioribus dictũ est, & istę sunt purè increatę, & incommunicabiles, ut esse actum purum, Creatorem &c.. Aliæ verò, quæ in conceptu proprio nullam quidem important imperfectionem, sed tamen non petunt determinatè eandẽ infinitatem, nec esse creatũ, vel increatũ, sed abstrahunt, & ex aliquo adjũcto ratione cujus limitantur, possunt esse creatæ, unde sunt communicabiles, ut esse, vivere, subsistere, intelligere &c.. Si nempè addatur humanum, vel angelicum sunt quid creatum; in Deo autem sine tali limitatione, & ut sunt purè simplices perfectiones contractæ ad esse divinum, vel infinitum sunt increatæ. Ex parte verò creaturæ, non solum est hoc posterius genus simpliciter simpliciũ, sed aliud è diametro oppositum perfectionibus increatis Dei, scil. secundùm quid simplicium, sive prædicamentalium, aut in certo genere, quæ nempè in suo cõceptu formali, ut dictum est, important perfectionem admixtam imperfectioni, sive rationem creaturæ, ut ratio hominis, corporis, animalis &c.

DISPUTATIO VI.

De immensitate Dei.

AD alium modum essendi Dei in creaturis descendimus in hac disputatione; in qua duo præcipuè inquirimus, alterum per quid Deus sit in rebus, alterum an ità sit ubique, quòd etiam sit in spatiis imaginariis, successivè aliquid dicturi de qualitate operationis, per quam dicitur esse in rebus, & de forma realis præsentiæ ejus in illis, an sit aliquod ubi superadditum, sicut contingit in aliis locatis, & tandem de multiplici modo ejusdem præsentiæ &c.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

An præsentia, vel existentia Dei in rebus efficaciter probetur ex ejus operatione.

SIcut Deus in quolibet sui attributo est omninò infinitus, vel illimitatos, itaut infinitè excedat quodlibet creatum in omni linea, onde ficut ratione æternitatis est super omnem durationem; ratione incomprehensibilitatis super omnem cogoitionem, & intellectum, & sic de aliis, ita ratione immensitatis est super omem locum, onde ut monet D. Th. 2. 2. qu. 84. ar. 3. ad 2. non aligitur à nobis locus determinatus ad adorandum Deum quasi loco concludatur, ut falsò olim imaginabantur quidam Judæi existimantes Deum nusquam alibi esse substantialiter præsentem, quàm in templo Jerosolimitano; sed propter nos, sive propter ipsos adorantes, quia nempè ob loci consecrationem concipiont orantes spiritualem devotiooem, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis 3. Reg. 8.; tum etiā ob plura myteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur; tum denique ob concursum multorom adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis secundùm illud Matt. 18.; *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.* Unde etiam 3. cont. gent. cap. 68. dictum illud quorundam antiquorum Philosophorum, quòd Deus sit in aliqua determinata parte mundi, scil. in s. cœlo, & in parte orientis, inquit posse sostineri si sanè accipiatur, ut scil. non intelligamus similiter, quasi sit iterum aliqua parte ejus conclusus, sed quia omnium corporearum motionum principium secundùm naturæ ordinem ab aliqoa parte determinata incipit Deo movente, qua ratiooe etiam ad 3. priori loco ex 22. ait, *quid secundum quandam decentiā adoramus versus orientem propter divina Majestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cali, qui est ab oriente.* Propter quod, & in sacra Scriptura dicitur specialiter Deus esse in cœlo Isa. ult. *Calum mihi sedes est.* Sed quia etiam præter naturæ ordinem aliquid operatur in infimis corporibus, quod virtute cælestis corporis caosari nequit, manifestè ostenditur Deum non solum cælesti corpori, sed infimis etiam rebus immediatè adesse.

Hanc Dei ubiquitatem apertè indicant Scripturæ Jerem. 23. vers. 24. *Nunquid non cælum, & terram ego impleo.* Et David psalm. 138. vers. 8. *si ascendero in cælum, tu illic es, si ascendero ad infernum ades.* Sapientiæ 1. vers. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Sapientiæ 8. vers. 1. *attingit à fine usque ad finem fortiter* Hugo Victorinus exponit *Idest à minima creatura usq; ad maximam.* Nec est stultè putandom ioquinationibus sordiom pollui posse; quia hoc, ait Hugo; *ità frivolum est, ut nec responsione dignum fit, cum etiam spiritus creatus sordibus corporis (& si lepresi, vel quantumcumque polluti) inquinari non possit.* Quod Anastasius Synaita, & D. Augustinus, vel author libri de triplici habitac. cap. 6. explicant alio familiari exemplo Solis dicens. *Sicut lux ista vispbius omnia loca illustrat, & sterquilinia etiam penetrat sine sui fatore, & sine sui pollutione, quanto magis Deus.*

Ratio deinde est, quam insinuavimus, præter eam, quam adducit D. Thom., de qua statim dicemus; nam quantitas sive molis, sive virtutis infinita in linea loci debet esse repletiva totius loci, unde si daretur corpus habens dimensiooem infinitam occuparet omnem locum sed immensitas, aut vis locativa in Deo est infinita in hac linea, non minus, quàm quodlibet aliud prædicatum divinum, ergo est repletiva totius loci, & consequenter ubique &c.

Difficultas ergo est de alia præcipua, & fundamentali, quam adducit hic ar. 1. desumpta ex operatione, an rectè per illam probet ejus præsentiam in omnibus rebus, & ubiqua; nam plures negant, Nominales, Scotus in 1. dist. 37. q. 1., & ex recentioribus Vasquez, & Valentia, & licet alii ex eadem societate requirant ad hoc eandem operationem, non tamen ut formalem rationem contingendi locum, vel res, sed tantum præsuppositivè, quatenus per illam fiunt extremum, cui Deus sit præsens per suam immensitatem. Ità videntur sentire Suarez disp. 30. Metaph. sect. 7., & lib. 2. de attributis negativis cap. 2., Arrubal. disp. 11., Esparza hic q. 7., & Molina disp. 4.; licet præcedenti 2. acriter rejiciat priorem, quatenus existimant non probari efficaciter ex operatione, quidquid sit, an per haoc probetor à priori, vel à posteriori &c.

Oppositum tamen tenent communiter Thomistæ, nempè qoòd non tantum efficaciter probetur, sed etiam à priori, seu tanquam per rationem formalem &c.

§. I.

Statuitur conclusio, & simul probatur ex D. Thom.

REctè, & efficaciter probatur existentia Dei in rebus per ejus operationem. Est D. Thom. hic ar. 1., & deinde in 3. sic concludit. *Sic ergo est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per presentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi.* Quod etiam repetit, vel explicat ad 1. dicens. *Deus dicitur esse in omnibus per essentiam non quidem rerum, quasi sit de essentia earum, sed per essentiam suam, quia substantia sua adest omnibus, ut causa essendi &c.*

Nec juvat, ut supra, causalem hanc D. Thom. explicare non in sensu formali, sed præsoppositivè, ità ut non sit operatio, formalis ratio essendi, sed tantum quid præsuppositum, vel prærequisitum, ut Deus sue immensitate res omnes impleat, quatenus est necessarium præsopponere res ipsas à Deo replendas, & consequenter operationem, per quam produci debent &c.

Nā cont. hoc est. Quia ità per hāc causalem affirmat hanc ultimam præsentiam, sicut 1., & 2. per dnes priores, ut patet ex litere; sed istæ impor-

 rant

tant rationem formalem, & non solum quid præ-requisitum, ut iterum patet ex texu, & cuilibet rectè considetanti meritum otriusque prioris præsentiæ, ergo etiam hæc ultima causalis importabit rationem formalem, & non tantom quid præ-requisitum. Præterquamquod non solum in 3. sed in 2. locis prioribus ità assignat operationem ut rationem formalē, ut nec minimus videatur locus dubitationis, ut infrà etiam apertè constabit &c.

Vasquez ergo hoc ipsum advertens fatetur esse apud D. Thom. rationem formalem, sed tamen negat, licet infæliciter, esse medium efficax ex eo quòd non est necessarium, quod agens sit immediatè præsens, ubi agit, immediatione suppositi, vel secundùm suam substantiam, sed satis est esse per virtutem à se diffusam, per quam attingit immediatè passum, vel effectum, ut patet in anima Christi, de qua alibi docet D. Thom. 3. par. q.52.ar.2. operatam esse in inferno damnatorum, in quo tamen asserit non fuisse secundùm substantiam; & communnia est etiam distinctio insinoata de agente immediato immediatione tantom virtutis, & de immediato utraque immediatione virtutis, & suppositi, unde ut agens intelligatur agere non est perpetuò necessaria ejus præsentia, vel unio cum passo secundùm substantiam, vel suppositum, sed satis est secundùm virtutem, & consequenter non videtur prior præsentia rectè inferri à D. Thom. respectu Dei ex ejus operatione &c.

Sed hæc solutio magis æquivocat rationem D. Tho. quam impugoet, imò est de subjecto non supponente respectu agentis increati, de quo est sermo, nempè quòd respectu illius sit locus prædictæ distinctioni, sic quòd possit esse præcisivè præsens secundùm alteram tantum immediationem, unde instantia de anima Christi, & de quacunque alia causa præcipuè iostrumentali non est ad rem, ut statim, & inferios etiam constabit. Unde instatur sic. Agens increatum utpotè agens primum non agit per virtutem, quæ prima non sit, vel increata, ergo non agit per virtutem à se diffusam, & consequenter non stat semel attingere immediatè effectum immediatione virtutis, & non attingere immediatè immediatione suppositi, vel secundùm suam substantiam; utraque conf. tenet, 1. quidem, quia virtus diffusa est creata vel non prima, ut supponimus; 2. verò, quia virtus non prima non est ei proportionata, qua ratione sicut repugnat agens principale non primū, sive creatum connaturaliter saltem, agere per virtutem primam, vel increatam, pariter repugnat agens primum, vel increatum agere per virtutem non primam, vel creatam. Tum quia virtus agentis increati talis est, quòd suspenso ejus concursu aonihilatur creatura, cum hæc annihiletur, ut supponimus; per suspensionem concursus divini, sed virtus, per cujus suspensionem annihilatur creatura non est creata, sed infinita attingēs ens in quantum ens, sive ut superior ad illud, nam cum omnis creata sit intrà limites ejus, si semel attingeret eos in quantum ens, eadem esset productiva, & etiam annihilativa sui; si semel cessaret à sui cōcursu, hoc enim modo fit annihilatio, quatenus cessat concursus attingēs ens in quaotom ens, nam pereunte omni alio coocursū creaturæ, nunquam tollitur integra, vel adæquata ratio entis, ut requiritur ad anni hilationem ergo &c.

Urgetor hoc. Licet daremus posse Deum operari per virtutem diffusam, vel non primam, non tamen exclusa prima, vel increata, & indistincta à propria substantia, ergo nunquam potest intelligi præsens immediatè passo, vel effectui per solam immediationem virtutis, conf. tenet, quia si semel est etiam necessaria unio immediata secundùm propriam, vel ideotificatam com propria substantia, erit etiam necessaria unio immediata secundùm substantiam; ant. verò probatur, quia ut proximè dictum est, in quolibet effectu est aliquid immediatè correspondens virtoti infinitæ Dei, scil. ratio entis in quantum ens, ergo præter virtutem diffusam est etiam necessaria virtus increata, & indistincta à Dei substantia.

Urgetur ulteriùs, & præoccupatur solutio N. illud est effectus à Deo producibilis, sive se solo creativè, sive media creatora eductivè, se ipso immediatè ad illum non concurrente, ergo nullus est, cui se ipso non sit immediatè præsens secundùm substantiam, prob. ant., nullus est producibilis à se ipso immediatè non dependens, & per solam sui concursus suspensionem noo aonihilabilis, ergo nullus est, ad quem se ipso immediatè non concurrat. Nam quidquid sit, quòd non suspendens adæquatè concursum sui, non annihiletur creatura, ut dum moritur equus v.g.; nullus tamen est, quem per adæquatam illius suspensionem annihilare non possit, unde omnem facit sibi immediatè dependentem subordināndo immediatè illū sibi, quod non contingit respectu causæ creatæ, aut illius virtutis, vel concursus, per cujus solam substractionem utpotè finitæ nec potentis attingere rem modo ità universali, nequit res adæquatè perire &c.

Sumitur hæc doctrina ex D. Thom. q.3. de potentia ar.7. in corp., ubi inter alios modos operandi, quibus Deus subordinat sibi omnem actionem, & effectum creaturæ huoc etiam assignat 4. loco dicens. *Sic ergo Deus est causa actionis cuislibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit; & cum conjunxerimus his, quòd Deus sit sua virtus, & quod sit intrà rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quòd ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusa operatione voluntatis, & naturæ.* Unde non longè ab his post explicatos hos 4. modos ait. *Quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior, & efficacior, & quantò est efficacior, tantò profundius ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum.*

Sicut ergo ut paulò inferiùs subdit, *nihil agit ad speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis cælestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei, ipsum enim esse est communissimus effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus, & ideò soli Deo competit secundùm virtutem propriam talis effectus.* Ecce quòd nullus omninò est producibilis effectus, cui præstò non sit perpetuò immediatè Deus secundùm suam virtutem, & consequenter secundùm suam substantiam. Videatur omninò ibidem, & infrà q.105. ar.5. in corp., & 3. cont. gent. cap. 67., ubi eosdem 4 modos iterum assignat, & egregiè explicat; & adhuc 5. addit ratione 6. probans esse causam etiam tan-

quam

quam dirigentem in ultimum finem actionem cujuslibet creaturæ &c.

§. II.

Probatur auctoritate D. Pauli, & SS. Patrum.

SEcundò sumitur conclusio ex illo act. 17. v. 27. Ubi probat Apostolus Deum esse in nobis, quia in nobis operatur; inquit enim. *Non longè est ab uno quoque nostrum*, & rationem subdit; *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Quod etiam tetigit Propheta ubi suprà post illud *si ascendero &c.* ubi subdit *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; nomine autem manus &c. operatio significatur.

Idem docet August. lib. 1. confess. cap. 2. ubi ait. *Non ergo essem Deus meus, non omninò essem, nisi esses in me*. At nisi operatio, qua Deus esse rerum producit, & conservat, non esset Deo ratio existendi in rebus, non rectè inferret omnimodam sui existentiam ex existentia Dei in se ipso, nam esse posset, si Deus ejus esse produceret, & conservaret, etiam si in illo Deus non esset; quia omninò aliquid non esse, solum infertur ex eo, quòd Deus illud non producat, & conservet. D. etiam Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 2. inquit; *Per id ergo, quòd exterior est ostenditur esse creator, per id, quòd interior gubernare omnia demonstratur*, ac si dicat; ut rectè subsomit Mag. Gonzales, ideò intrà omnem creaturam, esse secundùm substantiam, quia omnia ità gubernat, ut esse eorum ab ipso dependeat. Quod etiam asserit D. Anselm. in Monologio cap.22. dicens. *Quoniam nihil sine Deo potest aut esse, aut conservari, dicere cogimur, Deum ubique, & semper esse*. Unde iterum D. Tho. in 1.dist.27.q.1.ar.2.ait.*Essentia Dei cum sit absoluta ab omni creatura non est in creatura.nisi in quantum applicatur sibi per operationem*. Et ibidem qu. 21 ar.3. *Cum dicitur Deus esse ubique importatur quadam relatio Dei ad creaturam fundata super aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur esse*.

Respond. nihilominus Vasquez, & Valentia his authoritatibus; hìc quidem posterior non esse necessariam, quòd omnes consequentiæ, quæ fiunt in scriptura, & PP. sint formales, quæ nempè omnem vim suam habeant spectatis solum formalibus rationibus vocabulorum, sicut neque oportet, quòd sint ipsæ per se evidentes. Vasquez verò ad illam D. Pauli, & idem similiter ad aliam insinuatam ex Propheta, resp. non assignari ibi causam, vel rationem essendi in creaturis, sed cognoscendi à simili hanc veritatem, quòd oempè non sit multùm difficilè cognoscere existentiam Dei &c.

Sed in primis contrà Valentiam militat primò, quòd derogat dignitati sac. Scripturæ, si tantum habeat consequentias materiales. Deindè quia est regula inviolabilis D. Aogost. lib. 3. de doctrina christiana cap.9. , & 10., quòd verba sac. Scripturæ sunt semper intelligenda in sensu proprio, quem faciunt sumendo ipsa vocabula juxtà propriam, & rigorosam significationem, nisi obstet aliquod manifestum absurdum, nam aliàs nihil certum haberi ponet ex sacris literis, si pro libito posset quisquis impropriè accipere verba illius &c.

3. (Et simul impugnatur solutio Vasquez ad locum Apost.) Nam SS. PP. hæc loca intelligunt in sensu formali; Hilar. in illud psal. 118. *Prope est tu Domine* inquit; *Adest utique, & totus ubique est, non pro parte usquam est; sed in omnibus omnis est, Beatus Apostolus Atheniensibus Philosophis inanitate ridiculis pro concione respondens, ait; non longè à nobis manentem quærimus Deum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Chrysost. homil. 38. id explicat exemplo aeris dicens, *sicut impossibile est ignorare aerem ubique diffusum, & non longè ab uno quoque nostrum existentem, imò etiam in nobis existentem, ità profectò, & omnium opificem*, quia scil. ubique e t; cujus existentiæ rationem reddit Paulus; *in ipso enim vivimus &c.* Vel ut Pagninus, & alii vertunt. *Per ipsum enim vivimus &c.* Unde Gloss. ibid. *quia id operatur in nobis, quòd vivimus*. Et D. Thom. insrà quæst.18. ad 1. inquit *In ipso vivimus, movemur, & sumus, quia etiam nostrum vivere, & nostrum esse, & nostrum moveri causatur à Deo*. Et D. Cyril. Alex. lib. 9., in Joan. cap.10. *In Deo*; ait; *vivimus, movemur, & sumus, quia ex Deo sumus, & in eo conversamur*; & subdit, esse usum Scripturæ. *Quæ solet in Deo, pro eo, quod est per Deum, plerunque accipere*. Unde Mag Navarrette controv. 26., ut hic refert Mag. Gonzales disp. 16, prædictam Vasquez intelligentiam ostendit esse singularem, & contra expositionem SS.PP., & specialiter contra Gloss. inter linealem, & ordinariam, contra D. Aug. ibi, & contra D. Ambros. de bono mortis cap. 12., & alios &c.

Sed ulteriùs contra opinionem, & explicationem horum authorum refero, non infero; quod proponit Ludovicus Molina ubi suprà disp. 2. dicens. *Doctrina hac non solum falsa videtur, doctrinaque Aristotelis apertè contraria sed etiam parum tuta in fide; dixi falsa, quoniam sicut intellectus percipere non potest, quo modo corpus aliquod ex uno loco ad alium transeat nisi per medium &c. Dixi parum tuta in fide, quoniam Paulus ex eo probat Deum non longè esse ab unoquoque nostrum, quòd in ipso vivimus movemur, & sumus. Aut ergo Authores contraria sententia dicant Spiritum Sanctum per os Pauli, & Davidis ineptam rationem redidisse, inefficaxque argumentum confecisse ad probandam essentiam Dei in rebus aut confiteantur ex immediata operatione Dei in aliquo loco, satis superque concludi præsentiam Dei in rebus, ut D. Thom., & communis Theologorum schola affirmat cum Aristotele*. Hæc ille. Et quidem licet vellet Paulus ostendere non multum difficilè esse Deum cognoscere, id tamen ostendit, quia Deus in unoquoque nostrum est; probat autem in unoquoque nostrum esse, quia in ipso vivimus &c. scil. per ipsum &c. ut dictum est, quod est apertè probare præsentiam ejus per operationem; quidquid sit de censura Molinæ contrà oppositam sententiam.

§. III.

Probatur ratione.

Deus est in rebus sicut in loco per purum contactum virtutis, ergo est in illis per operationem, tanquam per rationem formalem, ergo præsentia ejus in illis efficaciter probatur per eandem; hæc ult. conseq., tenet, ant. etiam est certum, quia non est in illis exercendo aliquod genus actus, sive informativi, ut supponitur, sive terminativi, ut in mysterio Incarnationis, ergo est per purum contactum virtutis; prima verò probatur, quia omnis contactus tanquam per rationem formalem fit per quantitatem proportionatam contactui, ergo sicut contactus molis fit per quantitatem molis, contactus virtutis fiet per quantitatem virtutis, sive per operationem &c.

Explicatur, & urg. hoc. Deus non est in rebus per identitatem, nec per compositionem, ut modo supponimus, cum non identificetur cum illis, nec sit forma, aut accidens earum, nec extremum componens cum illis, ut contingit in eodem mysterio Incarnationis, respectu personæ Christi, ergo erit in illis per purum contactum virtuosum, vel effectivum, aut operativum, conf. tenet, quia non est assignabilis alius modus essendi in illis, cum nequeat esse per contactum molis, nec sit alius modus contactus virtuosi &c.

Dices requiri quidem operationem, ut dicatur in rebus tanquam in loco, quatenus debent per illam produci, non tamen ut rationem formalem locandi, quia contactus per illam est magis effectivus, quam locativus, unde iste convenit illi ratione suæ immensitatis; nec est propriè molis, vel virtutis, sed alius specialis, sicut enim sine quantitate est magnus, ità sine quantitate est immensus &c.

Sed contrà hoc est, & in primis dare alium contactum præter illum molis, & virtutis per actionem, est contrà Philos. lib. 1. de gener. cap. 6., ubi docet contactum non esse nisi duplicem, nempè proprium, scil. eorum, quorum ultima sunt simul, & metaphoricum, qui est per actionem, ut etiam tradit D. Thom. 2. cont. gent. cap. 56. latè ibi, & eleganter explicans hunc duplicem modum tangendi res, quos etiam insinuant D. Gregor. homil. 8. in Ezechiel., ubi de Deo, qui ubique est, & omnia tangit, loquens ait. *Quædam tangit, ut sint, nec tamen, ut vivant, & sentiant, quædam tangit ut sint, vivant, & sentiant*. Et D. Augustinus, vel Author lib. medit. cap. 28. cum Deo loquens: *quædam enim tangis, ut sint, non tamen, ut vivant, sentiant, & discernant*. Unde alii contactum immensitatis reducunt, vel fatentur esse virtualem, ità ut virtutem, seu quantitatem virtualem, per cujus contactum Deus dicitur esse in rebus, intelligunt ejus immensitatem.

Deinde impugnatur solutio quomodolibet accepta. Nam immensitas duobus modis explicatur à theologis, vel negativè pro carentia mensuræ, vel positivè pro aptitudine existendi ubique; sed neutro modo potest esse formalis ratio contingendi virtualiter, vel locativè, ergo, prob. mi., quia neutro momodo dicit quantitatem sive molis, sive virtutis, sed priori, modum ejus, nempè quòd contingens non adæquetur à re contacta, sive circumscriptivè, sive definitivè, sive sacramentaliter; posteriori verò quid consequutum ad illam, ergo neutro est formalis ratio &c.

Explicatur hoc, & simul prob. mi., nam priori modo se habet, sicut infinitas, quià sicut hæc sumpta negativè pro carentia termini non dicit quantitatem virtualem, sed quendam modum ejus, quo modificantur veluti in se omnia Dei attributa, utpotè infinita, ità immensitas prout sic omnia illa modificat in ordine ad creaturas, cum sit infinitas quædam in ordine ad illas, & hac ratione vocatur à SS. PP. magnitudo Dei, non quia sit ejus quantitas virtualis, sed quia est modus ejus, sicut nec præcisa magnitudo molis, vel negativè sumpta quantitatem importat, sed excessum indeterminatum, juxtà Philosophum cap. de quantitate, ubi de parvo, & magno loquens ait; *at brrum nihil est quantum*.

Si verò sumatur positivè, sive ut dicit positivum quoddam attributum; nec potest tunc concipi, ut virtualis quantitas, sed magis ut aliquid consecutum, sive ut aptitudo consecuta ad quantum virtuale ad essendum ubique, ut patet in substantia corporea, ubi aptitudo ad essendum in loco, non est ipsa quantitas essentialiter, sed quid consecutum, vel effectus secundarius illius, sicut & extensio in ordine ad illum; essentia enim quantitatis, ut ostensum est in logicis; in extensione partium inter se, vel in ordine ad totum consistit; & ob id etiam immensitas vocari potuit ab eisdem SS. PP. magnitudo, sicut in corporibus extensio in ordine ad locū, & aptitudo existendi in illo vocatur etiam magnitudo; cæterum sicut hæc sequitur ex quantitate, & ubi, vel esse in loco ex contactu, quo quantitas locum contingit, qua ratione quantitas remotè, contactus verò quantitatis proximè, est ratio existendi in loco; ità Deo, nostro modo intelligendi aptitudo ad existēdum ubique sequitur ex quantitate virtuali, seu potentia activa, nam ex eo potest ubique esse, quia potest ubique operari, & actualis existentia ex actuali operatione, est enim in illis quia aliquid operatur in illis, unde fundamentum remotum præsentiæ ejus in rebus est potentia activa, proximum verò, vel formalis ratio existendi in illis est actualis operatio cum in rebus formaliter non sit, nisi quatenus eas subjicit sibi, quod fit per operationem; de quo Ferrara 3. cont. gent. cap. 68. §. Considerandum 3. &c.

3. Impugnatur quia Deus non est eodem modo, sed diversimodè in diversis creaturis, ut supra insinuavimus ex D. Gregor., & Augustino, sed hoc nequit illi formaliter convenire ratione immensitatis præcisè, ergo, prob. mi., quia in tantum sic diversimodè existit, quia diversimodè conjungitur, sed hoc non oritur ex præcisa immensitate, sed quia diversos effectus producit in illis, nam non intellecta hac diversitate effectuum, non intelligitur diversitas in modo existendi, ut patet, ergo. §. Explicatur hoc. Illa est formalis ratio locandi in Deo, quæ est formalis ratio diversimodè contingendi creaturam, vel conjungendi cum illa, sed hæc non est præcisè immensitas, sed operatio, ergo, ma. constat, quia Deus est diversimodè in illis; mi etiam est certa, quia

quia immensitas non facit diversimodè contingere, sed excedere in contingendo, ut dictum est, vel non adæquari; tum quia in tantum diversimodè contingit, in quantum censet diversos affectus in illis, ut innuunt prædicti SS. PP., ergo &c.

Dices iterum hanc contingantiam per operationem, vel productionem effectus nō esse præcisè contingantiam, vel exercitium in linea locativa, vel immensitatis, sed magis in altera efficientiæ, vel exercitium Omnipotentiæ, unde licet per illam sit diversimodè in rebus, non tamen locativè formaliter, ut modo inquirimus, sed magis efficienter, vel præsuppositivè, ut dictum est &c.

Sed contra hoc est; quia operatio divina non solum est productiva effectus, sed etiam unitiva Dei cum illo, ergo non solum est exercitium Omnipotentiæ, seu Dei ut agentis, sed etiam ut immensi, vel præsentis in loco, cons. tenet, quia unio Dei cum effectu, ut contingentis illum non est præcisè exercitium Omnipotentiæ, vel effectivum, sed locativum, nam exercitium omnipotentiæ in hoc præcisè consistit, quòd sit productivum omnium non implicantium independenter ab alio, in his namque duobus consistit, & sistit conceptus formalis Omnipotentiæ, scil. ut se extendat ad omnia factibilia, vel producenda, & deinde ut possit ea producere ut virtus principalis continens eminenter omnia, & independens à concursu superioris agentis; ant. verò prob.; eadem operatio non tantùm confert esse effectui, sed etiam plenè illum unitivè subjicit Deo, sed hic in agentibus spiritualibus est contactus, vel unio localis, ut latè ostendimus infrà de Angelis contrapositivè ad contactum quantitativum, vel circumscriptivum; nam iste subjicit locatum loco per continentiam illius in isto, virtualis verò ex opposito subjicit locum ipsi locato, unde agens spirituale est in loco per modum superioris subjiciendo illum sibi, quatenùs aliquid producit contingendo illum, unde unum est in illo, quatenùs præcisè producit; (hoc enim, ut dictum est, est exercitium Omnipotentiæ,) sed quia dando esse subjicit sibi illum, & unitur actu ei præsentialiter, ergo &c.

§. IV.

Solvuntur Argumenta.

Primò arg. Non est necessarium, quòd Deus sit immediatè præsens per suam operationem increatam in omnibus rebus, in quibus operetur, vel quas producit, ergo ex ejus operatione non probatur efficaciter divina præsentia in illis; cons. tenet, & ant. prob. primò, quia Deus est agens infinitæ virtutis, & operatur nutu suæ voluntatis, sed hujusmodi agens, & voluntas ejus potest versari circa absens, & distans, aliàs non esset discrimen inter agens infinitæ, & finitæ virtutis. 2. (& urg. præcedens) quia instrumentum Dei potest divina virtute elevatum physicè instrumentaliter agere immediatè in distans, & de facto sæpè sic operetur, ut de humanitate Christi docent jam communiter Thomistæ 3. p. ed qu. 13., cum modo existens in Cælo physicè per Baptismum producit gratiam in anima pueri, in qua physicè præsens non est, cùm nequeat in illam illabi sicut Deus, qua ratione D. Tho. ibidem qu. 64. ar. 1. probat solum Deum esse causam principalem interni effectus Sacramenti, quia solus ille illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus existit; & patet etiam in Christo, qui adhuc dum in corpore mortali viveret non solùm operabatur miracula in corporibus sibi propinquis tangendo illa, sed etiam in rebus longè distantibus; nam Jo. 4. sola illa voce: *Filius tuus vivit*, sanavit filium Reguli; & Jo. 11. illa alia: *Lazare veni foras*, animam ejus à sinu Abrahæ revocavit; sine fundamento autem fingeretur vocem humanam Christi fuisse realiter diffusam usque ad sinū Abrahæ, vel usque ad locum, in quo erat filius Reguli; ergo à fortiori poterit Deus, utpotè virtutis infinitæ operari in distans, vel absens; cons. tenet, quia contactus, & præsentia agentis cum passo magis videtur requiri in instrumento, quàm in principali agente, cùm instrumentum utpotè minùs perfectum in ratione agentis, & minoris virtutis, & efficaciæ magis indigeat eadem præsentia, & contactu. 3. Quia principium assumptum à D. Tho. ex 7. phys. ad inferendam necessitatem unionis inter agens, & passum, sive inter movens, & motum, solùm pro agentibus creatis, maximè corporeis inductum est à Philosopho; ergo non licet extendere ad agens spirituale, & infinitæ virtutis &c.

Urg. hoc. Nam etiam loquendo de agente corporeo non est perpetuò necessaria ejus præsentia secundùm substantiam cum suis affectibus, sed tantùm secundùm virtutem, ut patet in Sole producente aurum, & cætera mineralia intrà viscera terræ, ergo minùs erit necessarie respectu agentis spiritualis, & virtutis infinitæ &c.

Quòd si neges suppositum consequentis, posse nempè Deum esse præsentem secundùm virtutem, & non secundùm substantiam, cùm virtus illius sit ejus substantia. Contra est. Quia licèt virtus Dei manens formaliter in illo identificatur cum substantia ejus, secùs tamen quæ ab illo derivatur in effectus; hæc enim creata est, & sufficiens ad verificandam ejus præsentiam in illis, sicut derivata à Sole verificet illius præsentiam in visceribus terræ; ergo &c.

Urg. hoc. Nam de facto ab initio mundi non erat secundùm substantiam in spatiis imaginariis, ut constabit infrà, & tamen ibi fuit secundùm virtutem, cum de facto in illis creavarit mundum, et non secundùm virtutem sui increatem, aliàs fuisset etiam secundùm substantiam, cùm sint idem; ergo secundùm diffusam, & derivatam ab ipso in effectum &c.

Pro solutione hujus argumenti, & similium tam hic, quàm infrà de Angelis, & alibi in physicis; adverto ex M. Cetalem 3. p. q. 13. dub. 7. ad a. 2. in sol. ad arg. pro prima opinione; quòd est primò discrimē inter agēs principale, & instrumētale, quòd illud necessariò semper est præsens in agendo cum passo, in quod agit; non tamen instrumentale, ut statim dicemus de supernaturali, quod potest agere in distans. 2. Est discrimen inter principale materiale, & principale spirituale, quòd licèt nullum agens principale creatum possit immediatione virtutis, & suppositi agere, nisi sit conjunctum passo, in quod agit, non tamen eadem ratione requiritur hæc præsentia in omnibus illis;

illis; nam in corporalibus requiritur propter imperfectum, & limitatum modum operandi ipsorum, quia agunt actione materiali transeunte, & ideò per contractum quentitativum cum passo; in agentibus verò spiritualibus non ob imperfectum modum operandi, sed quia per applicationem suæ virtutis ad agendum sunt præsentia, cùm non sint in loco per subjectionem, aut circumscriptionem sui à loco, ut dictum est, sed per superioritatem, quatenùs subjiciunt sibi locum, vel passum per sui operationem, & ideò eo ipso, quòd agunt, sunt illi præsentia. 3. Est discrimen inter instrumenta agentium materialium, & inter supernaturalia, quòd in prioribus, quia habent imperfectiorem modum operandi, quàm causæ principales, à quibus moventur, magis exigitur præsentia localis cum passo, quàm in principalibus, quia si ex imperfecto modo operandi in illo exigitor, à fortiori erit necessaria in instrumentis; supernaturalia verò quia agunt, ut elevata à Deo suprà totam facultatem naturæ, absolvi possunt ab ipso à conditionibus requisitis secundùm ordinem naturæ in agentibus creatis; & quia non sunt in loco per applicationem virtutis ad agendum, sicut Deus agens principale, ideò agere possunt ubi non sunt præsentia.

Cur verò Deus id agere non possit in agentibus principalibus, ut immediatè agant in distans; dicimus contingere, quia cùm hoc sit suprà facultatem naturalem ipsorum, deberent elevari ad sic agendum virtute divina, & ideò non jam ut causæ principales virtute propria, sed ut instrumenta Dei agerent. Ita egregiè, & subtiliter idem doctissimus Magister.

His prænotatis, ad argumentum nego ant.; ad 1. probat. nego suppositum, quòd præsentia agentis ad passum præcisè oriatur ex ejus limitatione, sed magis, ut dictum est, ex modo operandi utriusque; quia nempè materiale habet modum imperfectum, spirituale verò est præsens per applicationem suæ virtutis; unde sive hæc sit finita, ut in Angelis; sive infinita, ut in Deo, non possunt non esse præsentes passo, vel effectui, quem producunt; immò id magis exigitur ex eodem capite respectu Dei, quia ex eo, quòd est infinitæ virtutis, solus ipse potest penetrare per illapsum ad omnem portionem entis, & per se primò attingere ipsum, sive influere esse modo universalissimo, ita quòd per suspensionem talis influxus aliqua creatura annihilari possit, ut probat ubi suprà q. 64. 3.p., D. Tho. & 4. contra Gent. c.17. ratione 22.: in forma ergo, vel nego suppositum maj., vel dist.; est agens infinitæ virtutis, & tangit passum, vel effectum per applicationem suæ virtutis, conc.; aliter, nego; & deinde dist. etiam quoad 2.par.; operatur nutu suæ voluntatis per actionem virtualiter transeuntem, conc., aliter, nego; nam licèt voluntas quantùm ad actionem immanentem possit se habere ad distans, secùs verò quantùm ad transeuntem applicando extra suam virtutem, de qua modò est sermo, sic enim impossibile est, quòd operetur, vel applicet illam immediatè, nisi immediatè contingat passum, subjiciendo illud sibi per suam operationem, ut dictum est &c.

Ad 2. patet ex tertio superiori discrimine; nam instrumenta super naturalia ex duplici illo capite, quòd agunt ut elevata supra totam facultatem naturæ, nec sunt in loco per applicationem virtutis ad agendum, sicut Deus agens principale, agere possunt ubi non sunt præsentia; unde nego conf., ad cujus prob. distin., magis requiritur in instrumento agentis materialis, conc.; supernaturali, vel Dei, nego. Ad 2. similiter resp., quòd licèt dicatur idem principium assumptum à Philosopho pro corporeis, militat adhuc de omnibus, ut dictum est; juxta tamen eorum conditionem, scil. de corporeis ob eorum imperfectum modum operandi, de spiritualibus verò, quia sunt præsentia per applicationem virtutis; unde non stat semel agere, & non esse præsentia passo &c.

Ad confirm. patet etiam discrimen ex dictis; unde resp. benè ibi dictum esse, nam agens primum, vel increatum nequit agere per virtutem, & actionem, quæ increata non sit; & quia hæc est ipsa substantia Dei non stat semel immediatè conjunctum immediatione virtutis, & non esse conjunctum immediatione suppositi; oritur enim ex sui imperfectione, quòd agens creatum agere possit, & esse præsens per solam immediationem virtutis diffusæ; quia nèpè substantia ejus distinguitur realiter à sui virtute, & actione, vel actuali influxu; unde non est necessarium, quòd perveniat per sui substantiam, ad quod pervenire potest per diffusionem ejusdem virtutis, qua ratione etiam agere potest per virtutem superadditam, & principaliter influere, aut pervenire per illam, ad quod pervenire nunquam posset solis viribus naturæ, ut patet in ordine ad actus supernaturales &c.

Per quod etiam patet ad replicam, ad cujus confirm. nego suppositum, quòd Deus debeat priùs esse in loco, quàm operetur in illo, unde per eandem actionem sui transeuntem, per quam producit creaturam est in illa; sic quòd ejus actio virtualiter transiens sit formalis ratio existendi in creatura, & ita etiam si aliquam produceret, ut Angelum extra totum hoc universum, tunc esset in illo, licèt dicamus modò non esse in illo, nec in spatiis imaginariis, quia modò non applicat ibi, ut supponimus, suam virtutem &c.

2. Arg. (& est replica.) Præsentia Dei in creaturis non fundatur immediatè super ejus actione, ergo præcedit illam, & consequenter formalis ejus ratio existendi in rebus non est actio; prob. ant., quia Scriptura, & Patres non explicant illam per actionem, sed per repletionem; Sapient. 1.: *Spiritus Domini replevit Orbem Terrarum*. 3. Reg. 8. *Si Cœlum, & Terra te capere non possunt*. Et patet etiam ex communi axiomate; quia priùs est esse, quàm operari; ergo alia est ratio tangendi creaturam, prout spectat ad lineam operativam, sive prout est exercitium Omnipotentiæ; alia verò prout spectat ad lineam locativam, sive ad immensitatem, vel ad aliud ejus attributum &c.

Urg. hoc. Nam de facto datur unio, vel præsentia substantialis Dei cum creatura non fundata in ejus actione, ut patet in unione hypostatica, quæ est purè terminativa, & in illa divinæ essentiæ cum mentibus Beatorum, quæ est purè objectiva; nam si prima fundaretur in aliqua Dei actione, esset communis toti Trinitati; posterior verò præsupponitur ad visionem; nam priùs est, quòd

quòd Divina Essentia uniatur mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, quàm intellectiua producat visionem &c.

Ad hoc nego antec. loquendo de præsentia, & unione, de qua modò agimus, profusiva scil., & conservetiva ipsius esse, & qua recedente transiret creatura in nihilum; hæc enim necessariò est per illapsum applicativum virtutis, quidquid sit de unione sistente intrà terminos extrinsecos rerum; & licèt prior præsentia, vel unio non semper explicetur in Scriptura per modum actionis, non tamen negatur fundari in illa, ut patet ex locis relatis, & præcipuè ex illo Apostoli act. 17. *Non longè est &c.* Unde alia adducta intelligenda sunt de repletione, vel continentia activa, non passiva, ut contingit in locatis materialibus, nisi eadem velimus huic posteriori contraria &c.

Quòd si instes, sequi ex his, non esse Deum immediatè existentem in materia prima, cùm nequeat illi, utpotè incapaci in nostra sententia, immediatè tribuere esse. Resp. negando sequelam, ad ejus prob. dist., & explico, nequit immediatè tribuere esse, sumpto esse, prout dicit concretum existentiæ, transeat; ut dicit extremum essentiæ physicè sumptæ, sive extremi, aut primi subjecti in rerum natura, nego; immò ex hoc ipso habet, quòd sit terminus creationis, & consequenter, quòd non solùm immediatè à Deo, sed à solo Deo esse possit; unde quidquid sit, quòd materia prima sit immediatè incapax existentiæ, vel non; sive, ut alii putant, habeat partialem, aut propriam existentiam, vel non: de quo latè dictum est in 1. phys., & de Cælo, & Mundo; tenemur tamen fateri omnes, quòd quia est primum subjectum, à solo Deo esse possit per creationem, quæ est productio Dei ex nullo præsupposito subjecto; unde ipsum esse materiam primam, vel hoc, quod est materiam primam esse, seu habere portionem entis sibi propriam à solo Deo est immediatè; & propterea Cajet. hic alteram propositionem assumptã à D. Tho., nempè *esse est* proprius effectus Dei, explicat per hoc; quia solus Deus dat omnia, quæ requiruntur ad esse, quod quidem in spiritualibus est satis manifestum; in materialibus verò, quia dat materiam primam omninò requisitam ad esse. Sed de eadem ubi supra de Cælo &c.

Ad confirm. vel nego ant., vel dist. claritatis gratia; non fundata in ejus actione, à toto genere influxus, vel causalitatis, nego; de linea præcisa efficientis, vel qua producit, eut primò dat esse creaturæ, transeat, vel conc.; unde juxta diversum ejus modum essendi in creatura perpetuò assignenda est operatio ejus, sive influxus aliquis de linea operativa, vel activa, ut egregiè tradit D. Tho. in 1. dist. 37. q. 3. ar. 1. in fine corp., ubi ad rem explicat, & solvit primam instantiam de præsentia ejus in humanitate Christi, his verbis: *Et ideò hanc opinionem sequendo, quæ rationabilior videtur, dico, quòd Angelus, & qualibet substantia incorporea non potest esse in corpore, vel in loco, nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causat. Hoc autem contingit multipliciter: Substantia enim spiritualis potest alicui conferre non quidem esse, sed aliquid ad esse superadditum, & sic Angelus est in loco, inquantùm operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel tamen, vel aliquid hujusmodi, cui tamen esse non confert. Aliquando verò substantia spiritualis dat per operationem corpori esse, non tamen suum, sed aliud, & hoc modo Deus est in omnibus creaturis, quibus dat esse, sed non suum. Aliquando verò dat corpori ipsum suum esse, sed hoc contingit dupliciter, quia esse & est actus formæ, & est actus hypostasis, unde substantia spiritualis potest conferre rei corporali esse suum, inquantùm est actus formæ, ut sic forma ipsius efficiatur, & hoc modo anima est in corpore; aut secundùm quòd est actus hypostasis, & non formæ, & hoc modo humana natura in Christo est assumpta ad esse Divinæ Personæ, quia facta est unio in hypostasi, & non confusio in natura.* Ex quibus patet semper esse recurrendum ad operationem, ut salvemus præsentiam Dei in creatura, non quidem semper efficientem, nisi quando dat esse, quod non est suum, licèt participatum, vel derivatum à suo; hoc enim petit influxum effectivum; quando autem dat suum, sive quando se ipso immediatè unitur, vel hypostaticè, ut in mysterio Incarnationis, vel objectivè per modum speciei intelligibilis, ut in visione beatifica, tunc non est necessarium, immò impossibile quòd fiat præsens, vel unitum per influxum efficientem, vel productivum ipsius esse, cùm proprium esse sit increatum, & improducibile, sed satis est juxta meritum præsentiæ, vel unionis, quòd sit per influxum, vel causalitatem veluti formalem, non informativè, sed terminativè, ut in priori unione cum humanitate, vel determinativè, ut in posteriori cum intellectu Beatorum &c.

Sed instas. Quia sine omni hujusmodi influxu, vel causalitate datur adhuc unio substantiæ immediata cum aliquo extrinseco, ergo non est necessarium recurrere ad operationem, vel influxum, quicumque sit; prob. ant. in altero mysterio Altaris, in quo humanitas Christi unitur sacramentaliter speciebus panis, & vini nulla exercita causalitate, sive effectiva, sive formali in accidentia ibidem perseverantia; ergo &c.

Huic instantiæ, omissis variis solutionibus, quas hic adducit, & impugnat M. Ferre, resp. ex dictis in 4. phys., & ex doctrina infra 3. p. q. 74. ar. 5. dist. ant.; datur unio de linea loci, nego; aliter, vel magis illi opposita, conc.; unde ad probat. dicimus præsentiam Christi, vel corporis ejus in eodem Sacramento non esse localem, sed sacramentalem, vel ineffabilem, & magis oppositam præsentiæ locali, nam præsentia localis corporis importat habitudinem substantiæ ad locum mediis dimensionibus quantitativis: ibi autem est opposite habitudo, scil. dimensionum media substantia, vel ad modum ejus, quod est contra rationem corporis locati, unde non est necessarius contactus localis per quantitatem molis, vel virtutis, vel per applicationem ejus, sed solùm quòd substantia corporis Christi succedat ibi substantiæ panis, quæ sicuti sub propriis speciebus non erat localiter, ita nec substantia Corporis Christi debet esse localiter sub illis &c.

Sed instas. Substantia panis, licèt non esset localiter sub propriis dimensionibus, erat tamen ibi localiter; ergo pariter substantia corporis Christi, licèt non sit sub eisdem speciebus localiter, erit tamen localiter ibi, ergo si nihilominùs non

non est necessarius contactus per operationem, non erit hæc formalis ratio locandi substantiam spiritualem; hæc conſ. tenet, & prima etiam videtur constare ex eo, quòd succedit substantiæ panis, ergo sicut hæc, licèt non sit localiter sub propriis speciebus, est tamen localiter ibi, sic pariter erit substantia corporis Christi &c.

Resp. nego conſ. ex discrimine assignato, quod est D. Tho. ibidem, nempè quòd licèt substantia Corporis Christi succedat, non tamen cum eadem habitudine ad locum, quia non succedit ut subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis, & ideò hæc ratione suarum dimensionum erat localiter ibi, quia comparatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus: substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quòd, ut dictum est, & prosequitur ibi D. Tho, è conversò dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediente substantia, quod est contra rationem corporis locati, unde nullo modo est, nec potest esse ibi localiter, per quod etiam excluditur error Bezaniterum contra Omnipotentiam Dei insurgentium, & asserentium non posse effici à Deo, ut corpus aliquod maneute substantia sit absque loco. Sicut ergo dicimus infrà, quòd si Angelus nullibi operaretur, nullibi esset tanquam locatus in loco, sed ut pars tantùm universi, ita substantia quæcumque subtracto omni contactu molis, & virtutis, id est subtracta habitudine sui ad locum per applicationem suæ virtutis, si spiritualis sit, vel mediis propriis dimensionibus, si sit corporea, erit quidem præsens, non tamen præsentie locali, sed reali, vel sacramentali, vel ineffabili, ut in casu, & proptereà vocatur opus omnium mirabilissimum, qua ratione D. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 8. ad 6. reducit hoc mysterium ad articulum Omnipotentiæ, licèt ut est Sacramentum, dicat pertinere ad articulum aliorum effectuum gratiæ sanctificantis, scil. ad articulum illum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem Peccatorum &c.

3. Arg. Juxta D. Tho. hìc ar. 3. modus essendi Dei in rebus per essentiam est distinctus à modo essendi illius per potentiam, sed operatio est ratio essendi per potentiam, ergo nequit esse ratio essendi per essentiam; prob. min., quia operatio est exercitium potentiæ, ergo est ratio essendi per potentiam &c.

Ad hoc nego min. Nam si per impossibile, aut juxta modum probabilem suspenderet Deus omnem actum suæ voluntatis ad extra, vel circa creaturam nihil actu operans in illa, tunc esset quidem in rebus per potentiam, non tamen per essentiam: ait namque D. Tho. hìc ar. 3. *Est in omnibus per potentiam, inquantùm omnia ejus potestati subduntur. Est in omnibus per essentiam, inquantùm adest omnibus ut causa essendi*; unde non operatio, sed potentia ipsa est Deo ratio existendi in rebus per potentiam. Ad probat. verò, quæ potest esse replica, dist. Est exercitium potentiæ respiciens secundùm eandem habitudinem res ad extra, nego; secundùm diversam, conc; nem potentia respicit veluti in actu primo subjiciens sibi omnia, quatenùs potest producere non producta, & annihilere producta, & pleno jure operari in productis secundùm beneplacitum sui; operatio autem subjicit actu, ut insinuavimus in superioribus, faciens actualem communicationem divinæ bonitatis dando esse, & conservans illud per applicationem virtutis, unde non potest Deus non esse ibi præsens secundùm essentiam, nisi velimus ejus virtutem increatam alicubi esse in absentia propriæ substantiæ, quod est impossibile, ut dictum est, cùm virtus Dei sit substantia ejus; sola verò potestas dandi, vel non dandi, & faciendi in productis quod sibi magis placitum est, non facit esse ut in loco, sed plenè dominativè posse esse, quod est esse præsentè secundùm potentiam; unde etiam poterat dici, quòd operatio in statu possibilitatis, vel potestatis tantùm, est exercitium hujus, quod est esse in rebus per potentiam; prout verò exercita est exercitium potentiæ secundùm quod per illam est in omnibus rebus per essentiam, & sic tenemur duos modos præsentiæ Dei in rebus distinguere, qui licèt in exercitio operationis dicantur convenire, pro diversitate tamen status operationis applicatæ, vel applicandæ habent distingui &c.

Instas. Diversa hæc habitudo, & status operationis est insufficiens ad variandum attributum, ut patet inductivè; nam per idem attributum Deus punit, per quod potest punire, & per idem misaretur, per quod potest misereri; ergo vel erit etiam insufficiens ad distinguendos duos modos præsentiæ, vel non poterunt isti convenire in eodem exercitio operationis penès hanc solam diversam habitudinem &c.

Resp. negando conſ.; nam ad primum requiritur diversitas lineæ, & non sola in modo intrà eandem, ut contingit in casu; nam in eo, quòd est potens Deus dare esse creaturæ secundùm plenitudinem prædictem potestatis, & beneplaciti suæ voluntatis, plenè eam sibi subjicit, ut teneatur eadem subesse illi obedientialiter in omnibus, quæ non implicant, quòd ast Deum esse illi præsentem secundùm potentiam; quia tamen per hoc adhuc nihil communicat dando actu aliquod esse, verificari nequit, quòd sit præsens illi secundùm applicationem virtutis, & consequenter nec secundùm essentiam; unde ast discrimen, quòd ante operationem actu rem immutantem haberi potest prior præsentia, non tamen posterior, unde est sufficiens fundamentum multiplicandi modos intrà lineam immensitatis, non hanc dividendi in plura attributa &c.

Sed adhuc instas: quia videtur ex his duo hæc inconvenientia sequi, nempè quòd in priori ad actualem rerum immutationem, vel in signo, in quo Deus suspenderet omnem actum voluntatis, non subsistet immensitas secundùm posteriorem modum essendi per essentiam; nec poterunt tunc distingui prædicti duo modi essendi &c.

Resp. negando suppositum, quòd sit ibi aliquod inconveniens, nempè quòd in signo, in quo non intelligitur Deus applicare suam virtutem per operationem collativam, vel conservativam ipsius esse, tunc actu intelligatur non adesse secundùm alterum modum præsentiæ, per primam, scil. terminativè, vel connotativè, quia iste non est modus absolutè, vel quomodocumque conveniens, sed supposito connoteto creaturæ accipientis

tis esse, quod in illo priori intelligi nequit; sicuti quia modus cognitionis divinæ, quam appellemus scientiam visionis, vel liberam, non respicit præcisè creaturas, sed existentes, vel extituras, in eodem priori ad actum liberum divinæ voluntatis, per quem creatura accipit esse, vel præparatur ad habendum illud, non intelligitur similiter ad esse, sed sola scientia simplicis intelligentiæ modo, quo explicatur infrà; unde alter modus in eadem prioritate prout sic est veluti de subjecto non supponente, cùm illius connotatum tunc intelligi nequeat, cum præcisè respiciat omnipotentiam, ut factivam rerum, & in illo priori adhuc non intelligetur ut factiva, sed solùm potens, ut dictum est, plenè facere, & non facere, producere, & destruere, vel annihilare ad placitum divinæ voluntatis, quod præcisè constituit præsentiam secundum potentiam, unde non possunt omninò prædicti duo modi identificari &c.

§. V.

Corolaria ex dictis.

Colligimus primò perpetuò subsistere veritatem conclusionis, quomodocumque explicetur altera propositio D. Tho., scil. *esse est proprius effectus Dei*. Nam sive accipiatur *esse* cum M. Bannez supra q. 3. ar. 4. in rigore pro esse, quod de se est illimitatum, sive ut dicit rationem entis, in quantùm ens, & ut correspondet tantùm causæ primæ, sive influxui ejus creativo, cùm causæ secundæ solùm producant esse, quia effectivè limitant illud, ad esse v. g. equi, & sic de aliis: sive cum Cajetano pro *esse*, ut importat omnia requisita ad essendum tam in rebus spiritualibus, quàm materialibus, que ratione comprehendit etiam materiam primam à solo Deo producibilem, cùm sit primum subjectum: sive ut alii frequenter pro *esse*, quod est effectus universalissimus, ad quod licèt dicantur etiam concurrere causæ secundæ, speciali tamen ratione correspondere debet causæ universaliori; patet enim, quòd in his omnibus modis dicendi semper legitimè infertur Deum esse intimè in unaquaque re, quia immediatà tanquam causa propria attingit esse, quod est intimum rei, ut rectè etiam advertit hic M. Gonzalez in fine &c.

Colligimus secundò, (& urg. præcedens,) quòd quia Deus concurrit modo universalissimo per virtutem sibi identificatam, & non diffusam, scil. attingendo, vel producendo quamcumque rem, non solùm secundùm rationes particulares, vel determinatas, sed etiam sub ratione universalissima entis, facit eam sibi subjectam adæquatè secundùm omnem dependentiam, in quo differt à cæteris causis inferioribus, vel creatis; quia, ut dictum est, licèt istæ dicantur attingere esse, non tamen secundùm eandem universalitatem, vel indeterminationem, sed secundùm rationem specificam, vel determinatam, sive secundùm quòd spectant ad speciem rei productæ, unde hæc secundùm distincta prædicata habet distinctas dependentias respectu diversorum agentium; nam secundùm prædicatum specificum habet dependentiam ab agente ejusdem speciei; secundùm illud corporis dependet à sole, qui est primum alterans corpora, & sub ratione entis, universalissimo operanti, quod est Deus, nam cum ens creabile ut sic comprendat sub se omnem causam creatam, est necessarium, quòd quilibet effectus sub hac ratione excedat vires cujuscumque creaturæ, aliàs hæc haberet vim producendi se ipsam, si semel habet vim productivam ad id, sub quo ipsa continetur, unde soli Deo, vel virtuti ejus increatæ correspondere potest, de quo D. Thom. 2. cont. gent. cap. 21. ratione 4. Per quòd iterum patet non posse Deum concurrere per virtutem à se diffusam, cum sic quid creatum aliàs, effectus sub eadem ratione entis à nulla virtute esset productus, quod est implicatorium; unde eo ipso quod indispensabiliter concurrit per virtutem increatam, non potest non esse præsens per sui substantiam, cum qua eadem identificatur, & consequenter media applicatione suæ virtutis habere intimam præsentiam ad omnem portionem entis in effectu reperibilem, cum virtus ejus increata, per quam operatur non habeat limites, sed faciat sibi illum dependentem quoad omnem sui differentiam, & prædicatum, cum quodlibet sit participatio ejus derivativè per eandem virtutem &c.

Quòd si instes sequi ex his omnem effectum esse productum per creationem, & non per generationem, cum actio productiva effectus secundùm adæquatam ejus dependentiam in linea essendi sit creatio, utpotè ex nullo præsupposito subjecto §. Responderi potest primò negando sequelam, ad prob. annexã dist., si non habat cõsortium alterius concursus creati, vel causæ secundæ transeat, vel conc., si habeat, nego, & quia Deus non semper operetur se solo, sed utitur etiam concursu aliarum causarum secundarum, communicando ais virtutam, & applicando illas ad operandum, non operatur tunc influxu creativo, sed generativo, vel quasi materialiter determinato, & ex præsupposito subjecto, & ex vi transmutationis materiæ; cum quo tamen stat, quòd secundùm omnem portionem entis in effectu repertam faciat illum sibi adæquatè dependentem, utpotè derivatam ab illo sive immediatè se solo, sive adhuc immediatè licet in consortio creaturæ procedente, quod non tollit immediationem sui, cum perpetuò operetur ut dictum ast, per virtutem incraatam immediatè penetrantem omnem sinum creaturæ.

Contrà hanc tamen solutionem est difficilis instantia. Nam sequitur ex illa, quòd quando Deus extrà Sacramenta justificat producendo, vel infundendo gratiam, non producat hanc per viam eductionis de potentia materiæ, sad creationis, quòd est contrà communem consensum Thomistarum contrà Scotistas; sequela verò prob. quia tunc se solo operatur, vel justificat, & non media causa, vel Sacramento, ergo cum juxtà solutionam concursus Dei se solo operantis sit creativus, productio gratiæ axtrà Sacramanta erit creatio &c.

Propter hanc instantiam, qua fatetur Mag. Ferre sa valde premi, aliter respondet ad superiorem replicam negando sequelam, ad prob., dist., actio productiva effectus secundùm adæquatam ejus dapendentiam in linea essendi est creatio, si sumatur adæquatè conc.; si inadæquatè, nego; nam de actione Dei; inquit; dupliciter loqui possumus, primò ut est factive materiæ simul, & formæ; 2. Ut terminatur

minatur primò ad materiam, deinde ad formam, educendo illam de potentia materiæ, & licet priori modo sit creatio formę, utpotè productio illius ex nihilo, secus tamen posteriori, & sic contingit in productione gratiæ extra Sacramenta. Et poterat exemplificari in opinione eorum, qui tenent formas cœlorum, & elementorum fuisse in prima rerum productione eductas non creatas, licet tunc Deus se solo operaretur, quia nempè tenentur supponere, ut vidimus in 1. Physic., non fuisse idem fieri materiæ, & formæ; sed 1. terminasse ad materiam creativè, & deinde ad formam eductivè, scil. educendo illam de potentia materiæ, unde quia illa actio Dei non fuit productiva effectus secundùm adæquatam dependentiam in linea entis sumpta adæquatè, sed tantum inadæquatè, non fuit creatio formæ, sed eductio in eadem opinione, licet oppositum ibid. sustinuimus ostendendo identitatem ejusdem fieri, utpotè primæ, & perfectissimæ rerum productionis &c.

Cœterum ex hac eadem solutione videtur posse sustineri antecedens, quam ipse deserit, unde ad instantiam contrà illam, nego sequelam, ad prob. dist., & non media causa 2., in genere efficientis præcisè, transeat, vel conc.; nulla media tam in genere efficientis, quam materialis, nego ant., & conf., nam satis est ut non dicatur creatio formæ, vel gratiæ, quòd concurrat media causa 2. saltem materiali, quia tunc impeditur ne sit productio ex nihilo, ut requiritur ad creationem; gratia autem, ut infrà ostenditur par. 2. q. 112., tenetur omninò supponere subjectum ad sui productionem, unde licet dicatur extrà Sacramenta produci à solo Deo, idest sine alio concurrente efficienter, non tamen sine omni concursu creaturæ saltem materiali &c.

Sed adhuc instas, Ergo Deus hoc posteriori modo concurrens poterit per virtutem diffusam concurrere, & consequenter non esse immediatè præsens, sicut dictum est de sole per sui diffusam concurrente; prob. conseq., quia hoc posteriori modo concurrit præsupposito subjecto; sed virtuti creatę non repugnat sic concurrere ex eodem præsupposito ergo &c.

Huic instantiæ patet ex dictis, quòd cum virtus diffusa, utpotè creata, sit limitata, nunquam potest esse propria Dei, per quam dicatur rem ad extrà producere, cum sub universalissima ratione entis nullus effectus creatus, ut dictum est; correspondere possit virtuti creatæ; unde in forma, nego conf., ad prob. dist. ma., concurrit salva semper juri suo eadem universalissima ratione entis, conc., aliter, nego ma., & dist. mi., virtuti creatæ non repugnat sic concurrere respectu ejusdem rationis nego, ut contractæ, vel limitatæ ad esse specificum, ut dictum est; conc. &c.

3. Colligimus operationem, qua Deus est præsens rebus, nec esse purè immanentem sive talem formaliter, & virtualiter; nec purè transeuntem, sed formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem; primum constat, quia purè immanens manat intrà, nec habet terminum ad extrà, ut patet in processionibus divinis, qua ratione dicimus infrà de Trinitate contrà Arrium, non posse Verbum, vel Filium in divinis esse aliquomodò terminum ad extrà, vel minorem Patre, quia procedit per emanationem intelligibilem, ut actionem omninò immanentem. Secundùm etiam, & præcipuè in opposita sententia, in qua actio formaliter transiens subjectatur in passo, nã prout sic debet esse aliquid creatum, aut virtus diffusa extrà Deum, recepta in creatura, quod vidimus esse illi repugnans, cum agens primum, vel increatum, ut dictum est; nequeat operari, aut constitui in ratione agentis per formam sibi non proportionatam, sive quæ prima non sit, vel increata. Tum quia si Deus esset sic agens, & præsens per actionem formaliter transeuntem, sive egredientem ab ipso in creaturam, jam non esset se ipso immediatè agens, & præsens immediatione virtutis, & suppositi, sed tantum immediatione virtutis, quod est contrà meritum agentis infiniti, cui omninò repugnat habere secundùm se limites in quacunque linea.

3. Quia absolutè repugnat Deum sic agere actione formaliter transeunte, ut docet D. Tho. 2. cont. gent. cap. 16. ratione 6., ubi ait Deum non agere ad extrà actione aliqua, quam necesse sit in aliquo patiente recipi, quia sua actio est sua substantia, ut probavit cap. 6. ibid., & idem docet ibi cap. 35., & lect. 2. super cap. 9. D. Dionysii de divinis nominibus §. Deinde cum dicit; ubi negat actionem Dei posse esse aliquid egrediens ab agente in passum. Quod etiam breviter prob. ratione D. Thom. de potentia qu. 7. ar. 10., ad 7. Quia si Deus ageret ad extrà actione formaliter trãseunte referretur relatione reali ad creaturas, conseq. ast falsum, cum sit ens absolutissimum, & plenissimè ad se per omnimodam independentiã à quolibet extrinseco utpotè extrà totum genus creaturæ, ergo, prob. ma., quia tunc esset ejusdem ordinis cum illis, & convenirent in illa actione, & motu, nam ideò agens creatum, & effectus mutuò referuntur realiter, quia ambo conveniunt in eadem actione, & motu, qui est actus agentis, ut à quo procedit, & effectus, ut in quo recipitur, ergo. Tum quia aliàs operatio transiens Dei esset perfectior potentia divina, nam ut docet D. Thom. infrà qu. 25. ar. 1. ad 2. operatio procedens à potentia, & distincta ab ipsa, perfectior, & actualior est, & ideò ad tertium negat in Deo dari potentiam secundùm quòd potentia dicit principium actionis, sed secundùm quòd dicit principium effectus &c.

Ex quo obiter inferimus contrà alios extrà scholam D. Thom., & præcipuè contrà Suarez, lib. 1. de auxiliis cap. 4. nullo modo concedendum esse, Deum eadem actione formaliter operari cum causa 2., aut esse ad extrà causalitatem Dei, sed magis terminum, & effectum causalitatis divinæ, cum Deus, ut sæpè dictum est, & tradit ibid. D. Tho., operari nequeat per actionem, quæ ejus substantia non sit, & conseq. solũ virtualiter transeunter, & formaliter immanenter.

Quamvis etiamsi gratis admitteremus Deum agere actione, & causalitate formaliter transeunte, adhuc tamen est necessariò admittendum actionem, & causalitatem causæ secundæ formaliter loquendo nõ esse à Deo, ut causalitatem ipsius, sed ut terminum, & effectum causalitatis divinæ. Quod etiam efficaciter convincitur ex eo, quòd actio causæ secundæ formaliter accepta, ut est causalitas ipsius, specie essentialiter distingueretur ab actione transeunte causæ primæ formaliter accepta, ut est causalitas ipsius, ergo actio causæ secundæ formaliter accepta, ut est ejus causalitas non est causalitas causę primæ: tunc sic sed causalitas causæ secundæ, ut specie, & essen-

essentialiter distincta à causalitate Dei procedit effectivè à Deo, quia ut sic est eos per partieipationem à Deo, & aliquid creatum, at prout sic non procedit effectivè à Deo, ut causalitas Dei, cum prout sic non est causalitas ejus, ergo procedit ut effectus, & terminus divinæ causalitatis, ergo est posterior natura causalitate Dei; 1. conf. patet, quia quidquid procedit à Deo vel procedit ut causalitas, vel ut terminus causalitatis ejus, non enim est alius modus procadendi à causa; secunda etiam, quia terminus causalitatis causæ agentis per causalitatem fit, & ab eadem dependet, ut terminus à via, via autem ex natura rei est prior suo termino &c.

Nec obstat, quòd dicatur non distingui ut res à ra; nam neque actio, & passio juxtà modum probabilem ut res à re distingui dicuntur, sed tantum formaliter essentialiter, & tamen actio prior natura est passione, & hæc suo modo causatur per illam; Et idem similiter est de moto, & actione realiter entitativè juxtà eundem indistinctis à termino, & tamen ex natura rei sunt priores illo ut constat., ant. autem negant recentiores, sed planè illud supponit D.Tho. quæst. 3. ibidem ar. 7. ad 3.; & est evideos in bona Metaphysica, & Philosophia, nam causa 1., & 2. non tantum in ratione entis, sed etiam in ratione causæ efficientis plusquam specia differunt, imò probabilius est rationam causæ efficientis analogicè dici de 1., & 2., quia hoic per participationam à Deo convenit, sicut, & ratio entis, ergo earum causalitates saltam specie, & formaliter distingui debent; prob. conf., quia distinctio causarum, ut causæ sunt, sumitur ex causalitatibus, vel modo causandi; nec est intelligibile, quòd diversæ causæ quamtumvis subordinatæ non habeant diversum modum causandi, quia si subordinatio non tollit diversitatem à rationa causæ, nec auferat à causalitatibus.

Imò si diversum modum causandi non haberent, subordinatæ esse non possent quia causalitas causæ alteri essentialiter subordinatæ est causalitas 2., & dependens per se à causa prima, cui subordinatur; causalitas verò causæ primæ essentialiter est prima causalitas, & independens à causa secunda subordinata primæ, ut patet ex terminis.

Sed hæc iterum obiter dicta sint; certum est enim in sententia D. Thom. Deum non agere actione formaliter transeunte, sed esse ipsam efficacem volitionem increatam, val imperium, quod est actus practicus divini intellectus formaliter immanens, & virtualiter transiens; ax vi ergo actionis, quæ est ipsa substantia Dei, existit Deus in omni re, quatenus per illam non secundùm quòd est formaliter immanens, sed secundùm quòd est virtualiter transiens, effectum producit, & illi unitur, unde nihil mediat inter Deum, & effectum productum, vel ab ipso contactum, sed Deus seipso, quia est sua actio utrumque præstat, & producit, & tangit, vel unitur illi constituens se intimè præsentialiter in illo &c.

Sed instas: quia ut insinuavimus, operatio virtualiter transiens non est exercitium immensitatis, sed omnipotentiæ, cum sit productiva effectus, ergo nequit esse formalis ratio locandi. §. Quòd si iterum dicas, esse exercitium omnipotentiæ, & specificativum illius sub munere productivi, non contactivi ejusdem, sic enim pertinet ad lineam loci, cum locatum spirituale non sit in loco, ut dictum est, per passivam sui circumscriptionem, sed per activam cootingentiam, & superioritatem ad illum. §. In contra est: nam in tantum eadem actio est virtualiter contactiva, in quantum est productiva, sicut in simili dicitur supra, contra constituentes naturam divinam in actuali intellectione non sub munere actionis, sed sub munere ultimæ actualitatis; quòd quia habet rationem ultimæ actualitatis, in quantum est actio, si sub munere actionis non constituit, nec constituet sub munere ultimæ actualitatis, ergo si pariter in casu non est formalis ratio sub munere productivi, nec erit sub illo contactivi &c.

Resp. benè ibi; ad replicam patet primò, quòd juxtà prædictum modum probabilem poterat retorqueri, nam sicut juxtà illum, quia est duplex ibi munus in actione potest secundùm alterum constituere, scil. secundùm illud ultimæ actualitatis, & non secundùm aliud, ità poterit in casu esse formalis ratio secundùm rationem contactus, esto non sit secundùm rationem productionis. Sed dato etiam quòd non possint sic distingui in eodem intelligere sufficienter ad constituendum secundùm unum munus, & non secundùm aliud, secus tamen in casu, quia ut dictum est, non præcisè producit, sed sibi subjicit omnem effectum, vel rem productam per infinitum excessum supra illam, ità ut Deus à nulla circumscribi possit, aut diffiniri, sed in infinitum excedat ad contingendum alias, & alias in infinitum, quod pertinet ad immensitatem, & non est purum exercitium omnipotentiæ; unde aliud est munus producendi sine termino, quod pertinet ad omnipotentiam, aliud verò contingendi sine mensura, & licet unum supponat aliud, non tamen est confundendum cum illo, cum importet distinctam rationem formalem, vel lineæ distinctæ, ut patet ponderanti conceptum utriusque attributi, & constat etiam in simili agentis corporalis, in quo hæc duo distinguuntur, scil. immediatè derivare virtutem sui ad effectum, & illam esse conjunctam cum passo, nam primum supponit hoc posterius, & sequitur ex illo; sic in Deo ad hoc, quod est derivare increatam virtutem suam ad effectum, sequitur quòd contingat illum per excessum, & incircumscriptionem, seù carentiam mensuræ, quod est exercitium de linea loci &c.

4. Ex his, & iterum ex dictis duplex discrimen colligimus inter operationem Dei, & angelicam, quòd licet utraque dicatur formalis ratio præsentiæ localis, aliter tamen in Angelo, & in Deo; quia cum Angelus non habeat virtutem infinitam, vel creativam, sed eductivam, tenetur omninò supponere subjectum, val passum, in quo, vel circa quod producit effectum, unde in illo requiritur operatio ad contactum etiam ex indigentia, quatenus non totum elicit effectum ex corpore, cui applicator, sed quatenus per illam prius applicatur corpori, ut subjecto præsupposito, quam operetur educendo effectum ex illo. Cæterum Deus non ità applicat suam, quasi aliquid præsupponendo, sed totum producendo, utpotè virtutis infinitæ, aut solus semper, ut dictum est attingendo primam, & universalissimam rationem entis, unde nec ità indiget priùs applicari per illam, sed simul applicando producit, totum respiciens ut effectum, & non ut subjectum, & ideò ejus operatio reddit illum præsentem non præcisè per modum applicationis ad rem præsup-

positam, sed simul per modum effectionis ad rem productam &c.

Quòd si contrà hoc instes, ut supra, se qui ex his omnem effectum à Deo de facto productum esse per creationem, & non per generationem; vel eductionem, si semel omnis à Deo est non præsupposito subjecto §. Respondetur præter superiora, negando sequelã, & ad probat:ue fiat æquivocatio dist. simul & explico illam. Omnis à Deo est non præsupposito subjecto; ità ut omnis productio, vel effectio ad extrà sit productio totius esse, nego, itaut id, quod præsupponitur sit effectus respectu Dei, & non præcisè habeat rationem subjecti præsuppositi, sicut respectu agentis creati, conc.; nam licet post primam rerum productionem concurrente deinde creatura præsupponatur subjectum, quia tamen istud respectu Dei magis habet rationem effectus, quam subjecti, cum nullum ens creatum subtrahi possit à causalitate Dei, adhuc verificatur ex hoc capite respectu illius, quòd omnis effectus est à Deo non præsupposito subjecto, nihilominus in eo, quòd aliquid præsupponitur ad effectum qui non est terminus creationis, ut dictum est de gratia, vel ad quem simul concurrit causa 2., quæ nequit attingere totum ens, vel nullum effectum sub universalissima ratione entis, non omnis dicitur creari à Deo, sed plures sunt terminus generationis, vel eductionis &c.

Hinc etiam habetur alterum discrimen inter utrumque contactum virtutis divinæ, & angelicę, quòd quia divina virtus utpotè infinità penetrat omnes sinus, & omnem portionem entis in quacunque re usque ad primam, & universalissimam, incipiens à termino nihileitatis rerum, contactus illius est intimus, & illapsivus in illis, quatenus scil. profundit totum ens, & conservat esse, quod est id, quod dicitur magis intimum in eis: cæterum Angelus, nec ulla creatura potest ad intima rei per illapsum penetrare, hoc enim ut insinuat D. Thom. ubi supra, & in 1. dist. 8. q. 1. ar. 5. ad 3. est forum solius divinitatis, dicens; *In essentia non intrat nisi ille, qui dat esse, scil. Deus creator*, juxtà illud Ezechiel. 44. *Per portam clausam ingreditur, & vir non ingreditur per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Unde contactus virtutis angelicæ semper supponit existentiam, nunquam incipiendo, sed supponendo primam rationem entis, vel subjecti, & ideò est extrinsecus, & superadditus, ità ut quando operatur circa aliquod corpus, licet in illo sit intimè quoad terminos loci, & quantitatis, ut ibidem dicit D. Thom.; non tamen est intrà terminos essentiæ, vel substantiæ ejus sicut Deus, qui nec materiam, vel subjectum, nec entitatem, nec substantiam, nec quidquam tenetur supponere ex parte rei, sed omnia contactu suæ virtutis efficit, & causat &c.

Ex quo etiam infertur, quòd sicut in simili innuit D. Thom. 3. par. q. 1. ar. 1. ad 1., meliùs exprimitur unio utriusque extremi divini, & humani in mysterio Incarnationis dicendo, quòd Deus creaturam sibi univit, quàm quòd se creaturæ univerit, ità etiam in casu præsentia ejus ad illam meliùs exprimitur, si dicamus constitui in rebus per applicationem creaturarum ad seipsum, quàm per applicationem sui ad creaturas; & ratio utriusque est, quam insinuat ibidem, quia hoc totum fit sine ulla sui, sed per solam mutationem creaturarum; qua ratione etiam in alio simili congruentiùs loquimur, quando aliquod implicat, dicendo, hoc non potest fieri à Deo, quam si dicatur, hoc non potest facere Deus, quia nempè improducibilitas illius non oritur ex defectu virtutis divinæ cum sit infrà, sed ex repugnantia ex parte facti, ut etiam insinuat D. Thom. 1. par. qu. 25. ar. 4. ad 2. dicens in fine, *& sic Deus dicitur ea non posse quia ea non possunt fieri*; unde ubi suprà dicebat Apostol. *Non longè est ab uno quoque nostrum, in ipso enim vivimus movemur, & sumus*. Et SS. PP. docent esse Deum increaturis non ut contentum ab illis, sed ut illas continentem, & conservantem, ut vidimus; per contactum suæ virtutis juxtà illud ad Hebr. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*; quia nempè ità continet, & sustinet omnia, & quantum ad esse, & quantum ad operari, *ut ad subtractionem virtutis divinæ*, subdit ibi D. Thom.; *cesset & esse, & fieri, & subsistere omnis creaturæ*. Unde rectè diximus in logicis, quòd Deus non continetur in prædicamento, sed magis est principium continens omnia &c.

5. Colligimus prædictam operationem Dei virtualiter transeuntem duo importare, alterum de formali, & in recto, alterum de materiali, vel connotativè, & in obliquo; primum scil. ut est aliquid increatum de linea operativa; posteriùs verò, ut est quid derivatum passivè ex parte creaturæ; unde quando dicimus esse Deo rationem essendi in rebus, non accipimus eam præcisè secundùm se, seù ut dicit purum rectum, vel secundùm quòd est purè immanens in Deo, sic enim, ut dictum est; non est ratio tangendi ad extrà, sed manet adæquatè intrà; nec præcisè ut se tenet ex parte creaturæ; sic enim passivè accæpta, vel ex parte rerum est aliquid creatum, quod nequit esse ratio agendi, vel tangendi respectu Dei, sed sumpta ut connotans terminum ad extrà à se ipsa effectum, & derivatum, non præsuppositum, ut dictum est, unde alterum scil. rectum, & divinum requiritur ut ratio formalis, alterum verò nempè obliquum, vel passivum per modum conditionis ut sæpè alibi in similibus ostendimus, præcipuè infrà de voluntate circa constitutivum actus liberi Dei; qua ratione sicut potest ibi deficere denominatio volentis, vel nolentis sine ullo defectu ex parte Dei, vel constitutivi in recto, sed solius connotati, ut explicatur ibid., ità diceretur deficere hìc præsentia Dei in rebus, vel denominatio ejus de linea loci, si per impossibile daretur aliquod non productum, vel creatum à Deo, quòd nempè Deus contactu formali suæ virtutis non tangeret eam sibi applicando, & conjungendo, non ex defectu rationis formalis, vel recti ex parte Dei, sed connotati, vel obliqui ex parte rei subtractæ à causalitate divina, unde diceretur tunc Deus præsens, vel indistans negativè, non positivè, sicut dicitur de aqua in vase si spoliaretur ibi quantitate, quod esset præsens, & indistans præsentia, & indistantia negativa ab illo; vel sicut dictum est de Angelo nullibi operante in universo, quòd esset tantùm præsens, & indistans à loco negativè. Et poterat etiam exemplificari ut supra de corpore Christi in Sacramento, quod est ibi præsens præsentia quidem reali, sed non positiva de linea loci.

Per quod solvitur instantia contrariorum inni-

xa

xa eidem suppositioni impossibili; ex qua tamen si liceret arguere, posset eadem facilitate in eosdem retorqueri;nam si etiam per impossibile Deus non esset immensus, vel non habens vim replendi omnia loca,& aliàs produceret aliquam creaturam, esset illi præsens, at non ratione immensitatis, ergo ratione operationis.

Ultimò tandem colligimus attributum immensitatis ad duo attributa veluti consequi, scil. ad infinitatem, & omnipotentiam, nam prout dicit vim implendi omnia sine circumscriptione, & termino, vel sine mensura, importat infinitatem; prout verò dicit modum uniuuis cum rebus per contactum operativum, vel virtutis dantis, vel conservantis esse in omnibus rebus, sic consequi dicitur ad illud omnipotentiæ &c.

Quòd si dicas hinc sequi attributum immẽsitatis non convenire Deo ab æterno, si semel ut consecutum ad omnipotentiam supponit contactum ejus virtualem, seu operationem Dei virtualiter transeuntem, quæ utpotè libera convenit solum in tempore §. Resp.neg. suppositum, quòd ex eo quod dicatur consequi ad omnipotẽtiam, teneatur supponere operationẽ Dei virtualiter transeuntẽ, nam aliud est, quòd supponat illam actualis præsentia, vel existentia Dei in rebus, aliud verò, quòd eandem supponat immensitas; primùm conceditur, sed neg. secundùm; nam sicut omnipotentia non dicit actualem productionem, sed vim productivam sine termino independenter ab alio, ut dictum est, & convenit Deo ab æterno, ità attributum immensitatis, non dicit actualem impletionem omnium, sed vim, vel aptitudinem implendi omnia, unde licet supponat eandem vim productivam, non tamen actualem productionem, & optimè poterit convenire ab æterno. Sed ne fiat æquivocatio, dum dicitur operationem Dei virtualiter transeuntem convenire in tempore, non est intelligendum ex parte recti secundùm se,cum sit aliquod increatum, ut dictum est; sed sumpta connotativè, sicut insinuavimus, & latè explicatur infrà de actu libero Dei &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Deus sit realiter præsens in spatiis imaginariis.

DE illis spatiis, quæ imaginamur extrà hoc universum est difficultas, an Deus ratione suæ infinitæ immensitatis teneatur ità ubique esse, quòd nihil possit imaginari, in quo per realem absolutam præsentiam semper non sit, replendo ex meritis ejusdem immensitatis omnem vacuitatem, vel nihileitatem, aut inanitatem cujuscunque spatii etiam imaginarii: quidquid sit, quòd non possit verificari esse ibi per præsentiam relativã,qua unum dicitur indistans relativè localiter ad aliud, sic enim exigitur coexistentia utriusque extremi. Et quidem supponimus, ex dictis, quòd sit in illis, vel extrà, aut supra hoc universum negativè, quatenus à nulla creatura à se producta, aut producenda limitari potest, ut in quacunque alia, sive suprà, vel extrà illud esse non possit &c.

In qua re præter aliquos antiquiores Majorem in 1. dist.37. qu. ult., & Dionys. Chartus.ibidem, affirmant Molina,Valentia, Arrubal hic disp.31. cap. ult., Suarez disp.30. Metaph. sect. 7., Fonseca, & alii, & novissimè Esparza hic qu.7. & moventur arg. proximè insinuato ex merito immensitatis, vel infinitatis ejus. Nam licet in se prædicta spatia, vel comparativè ad alias creaturas nihil sint, sunt tamen aliquid comparativè ad Deũ, vel secundùm esse ejus. Sicut nos infrà similiter dicimus de futuris, quæ licet in se adhuc non sint, vel respectu propriæ mensuræ,aut durationis,sunt tamen aliquid respectu Dei, vel mensuræ ejus, sive æternitatis, qua ratione contendimus esse jam physicè præsentia respectu illius; quamvis, ut constabit, sit latum discrimen, & magis esse hanc paritatem contrà illos retorquendam; nam futura sunt jam intrà lineam durationis, non tamen hujusmodi spatia, aut vacuitates, quas imaginamur extrà hunc mundum;adhuc sunt de linea loci, unde magis tenentur ex his affirmare nobiscũ de futuris, & negare de spatiis &c.

Oppositam tenent jam communiter Thomistæ cum D. Thom. hic, & in 1. dist. 37. quæst. 2., & alibi,recurrente,ut dictum est, ad operationem virtualiter transeuntem tanquã ad rationem formalem ejusdem præsentiæ, quæ tamen non exercetur, vel non transit ad prædicta spatia, nam aliàs essent repleta, modo sicut repleta sunt, quæ imaginamur ante productionem hujus universi.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

DEus vera, & reali existentia actu non est in spatiis imaginariis adhuc per præsentiam realem absolutam. Ità Capreol. in 1. dist.39. qu. unic. ad 4.,Bannez., Navarete, Gonzales, Aravio, à S. Thom., Serra, Ferre, Gonet & alii hic, & sequuntur ex Societate Granadus, Fasolis, Tannerus, & Vasquez, & sustinet etiam Scotus cum suis Discipulis; Et ast expressã D. Thom. dist. 37. relata ar.3., ubi ex professo inquirens, an esse ubique conveniat Deo ab æterno; sic ait in arg. Sed contrà. *In quocunque est aliquid, illud opportet esse, quia in nihilo nihil omninò est, sed neque locus, neque aliqua res ab æterno fuerunt,ergo neque Deo ab æterno convenit ubique; vel in rebus esse.* Constat autem quod si esset in illis spatiis, ab æterno fuisset, cum imaginemur hæc semper fuisse &c.

Ex quibus prob. primò sic. Repugnat aliquid actu esse in alio tanquã in loco, illo non existente, sed spatia imaginaria non existunt,imò nihil sunt, ergo actu in illis non est Deus,ma. patet ex terminis, & tenentur fateri contrarii, cum hac ratione dicant non esse in locis futuris, unde videtur mirum, quòd aliàs velint esse in eisdem spatiis, cum magis distent ab existentia, quam loca futura, quæ jam sunt præparata in causa ad essendum; & hinc etiã constat mi.,cum adhuc actio divina ad illa non transierit, ad præparandum, vel ad dandum esse in illis alicui creaturæ &c.

Dices primò spatia imaginaria non ità non esse, aut nihil esse, sicut chimeræ, vel sicut etiam crea-

creaturæ possibiles, quibus licèt non repugnet produci pro sic, repugnat tamen repleri aliquo ente reali; sed tantùm dicuntur non esse, aut nihil esse, quia actu non replentur aliquo corpore, vel ente reali, sunt tamen locus aptus repleri, aliàs extra hoc universum non posset aliquid à Deo produci ad illa replendum, quod est falsum; & licèt in illo, quod non est, vel nihil est, non possit aliquid esse, benè tamen in posteriori non existente, vel nihilo; de priori verò loquitur D. Thom., ut patet ex ejus discursu, dum ait *Sed neque locus, neque res ab æterno fuerunt*, ubi expressè loquitur de aliis, quæ intelliguntur ab æterno non esse, non verò de spatiis, quæ imaginamur, ut dictum est, semper fuisse &c.

Dices 2. ut suprà, tantùm convinci de præsentia relativa, quæ ut indistans haberet relatione, vel respectu rationis referri ad eadem spatia, sicut modò dicimus referri simili respectu ad creaturas, in quibus existit, non de absoluta desumpta ex merito, ut dictum est, suæ infinitæ immensitatis, vel Divinitatis, nam nisi eandem limitare velimus, tenemur asserere, quòd ratione illius semper Deus fuerit ubique, nihilque posse imaginari, quòd omnibus modis semper fuerit nihil, in quo non sit, quia respectu illius semper fuit aliquid, ita ot de illo, de quo ante creationem verificabatur, quòd nihil creaturæ esset, verificari tamen posset aliquid Dei esse, quia ipsa Deitate repleretur. Quæ videtur esse expressa doctrina D. Ambros. lib. 1. de Spir. S. c. 7. apud Magist. dist. 17. relata, & apud D. Tho. ibidem ar. 3. arg. 1., & hìc ar. 4. in arg. Sed contra, ubi ex eo probat Ambros. Spiritum S. non esse Creaturam, quia est ubique, & semper, quod est proprium Divinitatis, dicens: *Quis audeat Creaturam dicere Spiritum S., qui in omnibus, & ubique semper est: quod utique Divinitatis, & Dominationis est proprium.*

Sed contra utramque militat primò ad hominem prædicta instantia de locis futuris, in quibus dicunt non esse, cùm tamen locus futurus non solùm claudatur inter loca imaginaria, sed ejus existentia, ut dictum est, jam est præparata in causa, & licèt liberè volita sit, est tamen volita, & intuitivè visa ab æterno à Deo, de quo infra; unde si ad meritū solius Divinitatis attendendū est, & ad præcisam capacitatē repletionis, magis ad locū futurum, quàm ad purū spatium imaginarium præsentia Dei extendenda erit.

2. Impugnatur prima. Nam hujusmodi spatia ita non sunt, vel nihil sunt, ut actu non sint, & nullus ad illa influxus divinus derivetur, ergo licèt Deus possit in illis esse, actu tamen non est; ant. est certum, aliàs non essent purè imaginaria, sed repleta; cons. verò prob. primò ex D. August. lib. de Fide contra Manich. c. 3., ubi eos irridens ait: *Vos mira dementia dicere soletis: Ubi erat Deus antequàm esset Cælum, & Terra?* Et respondens huic quæsito in psal. 122. inquit: *In se habitabat Deus, & apud se est Deus.* At hæc responsio esset diminuta, si in alio etiam, quod actu nihil est, posset esse realiter præsens, ut per se patet, ergo. Et eodem modo respondet eidem Beroardus lib. 5. de Consideratione, dicens: *Ubi erat antequàm Mundus fieret, ibi est, non est, quid quæras ultrà, ubi erat, præter ipsum, nihil erat, ergo in se ipso erat.* At hæc iterum conf. diminuta est, si realis ejus præsentia actu alibi etiam, vel in alio salvatur, quod actu nihil est, vel ubi nihil est actu, ergo si prædicta spatia actu nihil sunt, actu in illis non erit, sed tantùm poterit esse, vel aliàs SS. PP. non viderentur plenè satisfacere, de quo etiam Tertull. lib. adversùs Praxeam c. 5. ubi ait: *Ante omnia Deus erat solus ipse sibi.*

2. Prob. eadem conf. Spatia imaginaria ita nihil sunt, ut actu saltem de linea loci non sint, aliàs jam essent actu in se de linea realitatis, & existentiæ, quod implicat ante omnem Dei productionem, nec solùm dicerentur locus aptus repleri, sed repletos; ergo licèt imaginemur, aut concipiamus aptitudinem ad divinam præsentiam possibiliter habendam, non tamen actualiter habitam, præcipuè de eadem linea, immò ad nullam, cùm Deus nullibi sit per modum inanimis nihil operando, juxta illud: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Jo. 5. v. 17. Nam sicut non cessat ab operādo saltē per influxum conservativū ubi semel incipit ad extra operari, ita non incipit alicubi extrà esse, ubi non incipit operari, nisi velimus mortuo modo alicubi esse, qui totus vita est; & propterea rectè dicunt SS. PP., quòd ante omnem sui operationem, vel rerum productionem, in se ipso tantùm est, vel habitat. Quod verò attinet ad D. Tho. patet ibidem in corp., ubi explicat, quòd esse ubique importat relationem Dei ad creaturam fundatam super operationem, & ideò non convenit ei ab æterno, unde in discursu facto sicut excludit cætera loca, & alias quascumque res ab æterno non existentes, pariter excludit ab ejus ubiquitate eadem spatia, non ob defectum immensitatis, vel Divinitatis; sed quia tunc adhuc non terminant aliquem influxum Dei, super quem, ut dicit D. Tho., fundatur ejus præsentia in rebus &c.

Contra 2. verò militant primò relati PP., qui ante Mundi constitutionem non agnoscunt aliam Dei præsentiam, nisi in se ipso; quod etiam docuit D. Tho., non solùm ibidem in 1., sed etiam 3. contra Gent. c. 68. ratione 4. in fine, ubi ait: *Deus autem indivisibilis est, quasi omninò extrà genus continui* (sive universi) *existens, non determinatur ad locum, vel magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentiæ, quasi eum oporteat esse in aliquo loco, cùm ipse fuerit ab æterno ante omnem locum; sed immensitate suæ virtutis attingit omnia, quæ sunt in loco.* In quibus non tantùm rejicit prædictum modum dicendi contendentem, quòd teneatur esse in illis spatiis, & consequenter ubique ab æterno ex necessitate suæ naturæ, sed etiam subdit rationem prioris doctrinæ PP., scil. quòd ab æterno, vel ante omnem productionem creaturæ sit solùm in se ipso, quia potiùs ex meritis suæ naturæ, vel essentiæ est absolutus, utpotè indivisibilis, & omninò extra genus universi existens; ab omni præsentia extra se, nec determinari potest ad aliquem locum parvum, vel magnum, nec ad aliquam vacuitatem eadem sui præsentia replendam, nisi contactu suæ virtutis aliquid tangat, ut probat ibidem, & in omnibus locis, cùm non sit alius modus præsentiæ localis, nisi per contactum vel molis, vel virtutis; vel nisi velimus admitti non posse præsentiā semel realē, quæ localis non sit, qui fuit error Bezanitarum, ut dictum est, contra mysterium Sacramenti Altaris.

Et urgeri poterat ex eodem super illud Jo. 1. lect. 1.;

lect. 1.; *Et Verbum erat apud Deum*; ubi adducens insinuatam objectionem Hæreticorum arguentium sic: *Tu dicis, quòd Verbum erat in principio, id est, ante omnia, sed ante omnia nihil erat; ubi ergo erat Verbum, si ante omnia erat*. Respondet D. Tho.: *Hac autem objectio procedit secundùm imaginationem eorum, qui ponunt, omne quod est, esse alicubi, & in loco; quæ quidem excluditur à Joanne, cùm dicit: Apud Deum, ut sit sensus, non in aliquo loco, cùm incircumscriptibile sit, sed apud Patrem*. Ergo nullo modo juxta Scripturam, & PP. videtur admittendus modus hic constituendi Deum extra, in eisdem spatiis, vel ubiquitatem ejus ab æterno ex necessitate naturæ &c.

Ex his impugnatur 2. Non minùs Deus est liber, vel absolutus ad extra in linea loci, quàm sit in linea efficientis, & in quacumque alia, cùm sit plenissimus, & sufficientissimus sibi in se ipso; sed quia est liber, & absolutus in posteriori linea, nequit dici agens ab æterno, vel ex necessitate naturæ, nisi velimus Mundum ab æterno, in quo erravit Phil., ergo quia est liber, vel absolutus in priori linea non erit præsens ab æterno, vel ex necessitate naturæ alicubi ad extra, vel in prædictis spatiis, aliàs eadem facilitate asserant utramque necessitatem naturæ, vel in aliis etiam lineis, quod est alienum &c.

3. Impugnatur. Quia, ut supra arguebamus, repugnat actu præsentiam semel realem de linea loci, ubi actu locus non est, aliàs locatum esse ibi tanquā in loco, esset de subjecto nō supponente, sed prædicta spatia actu locus non sunt, nisi velimus actu realiter aliquid extra Deum ante ejus productionem, vel independenter ab illa, quod est iterum alienum, ergo actu in illis non est Deus, sive præsentia relativa, sive absoluta &c.

Ad id verò, quod opponitur ex D. Ambrosio respondet ibi D. Tho., quòd loquitur respectu creaturarum existentium; quod etiam patet ex eo, dum ait prædictam ubiquitatem convenire illi ratione Divinitatis, & Dominationis; constat autem, quòd actualis Dominatio dicitur respectu rei sibi subjectæ, & consequenter existentis, modo, quo explicatur infrà q.13. ar. 7. &c.

Dices tamen superioribus replicis tantùm excludi ex illis, quòd non sit Deus in spatiis strictè per modum locati in loco, vel per modum contingentis; sic enim esset præsentia relativa, & non tantùm absoluta; non verò quòd non sit ibi, quatenùs Deitas sua immensitate replet illam vacuitatem imaginariam, ad eum modum, quo si in ista produceret aliquod corpus, verè istud esset præsens ibi per modum replentis illam, & tamen non esset præsens præsentia relativa, nec tangeret illam contactu quantitativo, neque esset in illa tanquam locatum in loco, sed solùm tanquā habens præsentiam absolutam ibi, & non alibi &c.

Sed contra hoc est. Et iterùm in primis hæc solutio est contra SS. PP. non agnoscentes, ut vidimus, aliam præsentiam in Deo extra hoc universum, nisi in se ipso, unde non viderentur plenè satisfacere quæsito, vel objectioni Hæreticorum inquirentium ubi erat ante illud, vel ante omnia Verbum, si semel est alius modus præsentiæ extra se ipsum, vel extra Patrem in eisdē spatiis &c.

2. (Et prob. simul 2. principaliter conclusio.) ratione jam insinuata, & desumpta ex D. Tho., præcipuè loco relato cont. Gent. Repugnat aliquid esse actu immediatè præsens in aliquo, præsentia quæcumque sit, sine omni contactu illius, sed Deus præscindendo ab omni sui influxu, vel operatione, nullo modo tangit spatia imaginaria reduplicato hoc statu puræ imaginationis, ergo repugnat esse præsens in illis præsentia quæcumque sit, reduplicato eodem statu; min. est certa, quia si semel per sui operationem tangeret, daret illis esse, aut præpararet ad dandum, transferendo ad statum futuritionis; sicut dicimus de cæteris possibilibus; maj. verò præterquamquòd patet ex terminis, prob., primò quidem de præsentia Dei, de qua modò inquirimus; nam præsentia Dei in aliquo, est intima assistentia ejus in illo, sed repugnat Deum sic intimè assistere, sive in ordine naturæ, sive gratiæ, non tangendo, vel conferendo, aut conservando per sui operationem, vel influxū donum aliquod collatum intrà eūdem ordinem, nisi velimus, ut dictum est, quòd ibi maneat, vel intimè assistat per modum inanimis, ergo non est dabilis actualis ejus præsentia in aliquo sine omni contactu, 2. Generaliter, quia repugnat unum esse actu immediatè præsens in alio, sine omni unione cum illo, sed, ut patet iterùm ex terminis, implicat unum esse actu immediatè unitum cum alio, vel in illo sine omni contactu illius; si nempè sit res corporea sine contactu quantitatis dimensivæ, si verò incorporea sine contactu virtutis, quia sic se habet incorporea ad hoc, ut sit in aliquo, vel alteri unita per virtutem suam, sicut corporea per quantitatem dimensivam, ergo nulla præsentia potest esse Deus præsens in illis, sive relativa, sive absoluta, vel repletionis; nam hæc etiam deberet esse per unionem, vel contactum, nec est aliter intelligibilis.

3. Quia non est assignabilis ratio, cur si ponamus unam substantiam spiritualem, v. g. unum Angelum seclusa omni operatione in una parte spatii, & non in alia, magis dicatur habere præsentiam absolutam in hoc spatio imaginario, quàm in alio, cùm tunc non tangat neque unum, neq; alterum. §. Dices quia replet entitate sui hoc potiùs spatiū, quàm illud. §. Sed contra hoc est, quia est de subjecto non supponente hujusmodi repletio; quia repugnat dari hoc, vel illud esse, ubi non datur esse, sed spatium imaginarium non habet esse, aliàs imaginarium non esset, ergo non habet hoc esse magis replendum, quàm aliud. Præterquamquòd etiamsi supponeretur habere, non tamen est assignabile cur potiùs repleatur secundùm hoc esse, quàm secundùm aliud, si nullo modo secundùm aliquod tangitur, unde nec poterit eadem substantia magis replere hoc, quàm aliud, si nullum tangit.

Ex quo etiam impugnatur iterùm sic. Repugnat unum actum aliud replere, isto actu non repleto, sed spatium imaginarium perseverante hoc statu, sive excluso omni contactu, impossibile est actu repleri, ergo repugnat, quòd substantia spiritualis, eodem perseverante, vel excluso contactu illud repleat. Maj. videtur nota ex terminis; min. verò prob., quia eodem perseverante adhuc actu non est aliquid in re, nec est capax eodem reduplicato, actu habere esse, aliàs, ut dictum est, non esset status purè imaginarius, unde sicut hac

hac ratione possibilia reduplicato statu possibilitatis non sunt capacia habendi esse, quia est status puræ connexionis necessariæ prædicatorum, vel non repugnantiæ habendi illud, non verò existentiæ, neque ordinis ad illas, unde si semel Deus sua volitione illa respiceret, transferret ab illo statu ad illum futuritionis, ergo sicut hæc eodem reduplicato, vel exclusa omni volitione divina, non sunt capacia à Deo repleri, ut sic dicamus, intrà lineam essendi, vel existentiæ; nec erunt illa capacia ab eodem repleri intrà lineam locandi, vel præsentiæ, sive relativæ, sive absolutæ reduplicato sui statu, vel excluso omni contactu, vel operatione divina &c.

Exemplum verò de corpore in eodem producto nihil obstat, immò est retorquendum; nam licèt dicamus posse produci in eodem spatio, non tamen positivè tanquam in loco, aut ut in aliquo vero, aut reali ambiente, vel circumscribente, sed purè negativè, ut in nihilo, id est, ut in non aliquo, sicut cùm dicimus rem fieri ex nihilo, id est, negativè, ut non ex aliquo, & non tanquam ex termino à quo positivo, aliàs non crearetur; & consequenter non esset ibi productum tanquam repletivum illius, cùm sit de subjecto non supponente, quòd possit impleri, vel repleri, quod actu non est; sed ut præcisa pars universi negativè existens tanquam in loco, de quo adhuc infrà, ergo licèt pariter diceremus posse substantiam spiritualem esse in eodem spatio, non tamen positivè, ut replens illud, sed purè negativè, ut non in loco, aut ut non in aliquo vero, & reali.

Ultimò tandem probari poterat iteròm ad hominem paritate æternitatis, quam nolunt contrarii extendere ad res futuras, sicut nec eandem immensitatem, ut jam opposuimus ad loca futura; & simul urgentur superiores replicæ. Non minùs est infinita æternitas in sua linea durationis, quàm immensitas in sua, scil. extensionis localis, seu in vi repletiva loci, sed nihilominùs Deus, ut ipsi contendunt contra Thomistas, non tenetur ex necessitate naturæ, vel suæ æternitatis se extendere ad res futuras, ergo nec tenetur ratione suæ immensitatis se extendere ad spatia imaginatia, aut replere illa, sui præsentia, quæcumque sit, aliàs à fortiori, ut dictum est, teneretur etiam se extendere ad loca futura, cùm minùs distent ab existentia Dei; maj. est certa, cùm quodlibet sui attributum sit actus purus, & illimitatum in sua linea; cons. etiam tenet; nam ideò dicunt non teneri æternitatem se extendere ad futura, quia adhuc non sunt in rerum natura, vel non existunt in re, unde licèt infinita sit, impeditur tamen ex parte connotati nè ad illa se extendat, sed minùs existit in rerum natura spatium imaginarium, aliàs purum imaginarium nō esset, ergo minùs poterit ad illud extendi immensitas ex defectu connotati, estò infinita sit &c.

Quòd si dicas posse paritatem retorqueri ut supra in nostra sententia extendente æternitatem ad futura; jam ad hoc insinuatum est discrimen, & latè infrà dicimus de æternitate, & aliquid etiam dicemus §. sequenti; quia futura sunt jam intrà lineam durationis, non tamen idem spatium, aut locus futurus intrà lineam loci, vel immensitatis, & ideò reduplicato hoc statu extendi non potest ad illa immensitas, ex perpetuo defectu connotati, benè verò æternitas; immò hinc sumitur ut infrà, efficax argumentum ad retorquendam paritatem ejusdem immensitatis, quam ibidem nobis opponunt, ad extendendam æternitatem ad eadem futura, sicut teneremur extendere immensitatem, si locus futurus, vel spatium prædictum pertinerent adhuc ad aliquam differentiam loci &c. Omittimus aliam rationem fundamentalem, quòd sola operatio est agenti, vel substantiæ spirituali ratio existendi in rebus, ita ut Deus sit ubique, quia operatur ubique, ut docet D. Tho. hic ar. 2., replens scil. omnia loca, quia dat esse omnibus locatis, quæ replent omnia loca; nam sufficienter producta est superiùs.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

Primò arg. ex auctoritate S. Scripturæ, & PP.; nam Psal. 8. dicitur: *Elevata est magnificentia tua super Cœlos Deus*. Ex qua D. Tho. 3. p. q. 57. ar. 4. ad 1. ait, quòd dum in posteriori Psal. 10.: *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in Cœlo sedes ejus*, non est sic intelligendum, quòd sit in illo tanquam in sede, vel loco continente, sed magis tanquam in contento, unde non oportet, quòd aliqua pars Cœli sit eo superior, sed magis ipsum esse super omnes Cœlos juxta superiùs relatum Psal. 8., ergo cùm super Cœlum non sit nisi spatium imaginarium, Deus erit in illis.

Id etiam innuitur 3. Reg. 8. vers. 27. ibi: *Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt*. Et Job. 11. vers. 8.: *Excelsior Cœlo est, & profundior Inferno*; & Isa. 40. n. 12.: *Quis mensus est pugillo aquas, & Cœlos palmo ponderavit?* Per quæ, ut docent SS. PP. Gregorius II. Moral. c. 8., & Homil. 17. in Ezechiel., Hieronymus Isa. 66., & Hilar. lib. 1. de Trinit. datur intelligi Deum esse omnibus Creaturis exteriorem forinsecùs, & extrinsecùs, intrà, & extrà omnia creata, sed extrà non sunt nisi eadem spatia &c.

Id etiam docet Concil. Ephes. tom. 1. cap. 6., §. *Adhuc modicum tempus*, ubi ex sententia Cyrilli Alexand. dicitur, *Divinam Naturam omni termino, & loco etiam imaginario superiorem esse*; ergo sicut verificari nequit, quòd sit superior Cœlo, nisi supponatur esse in illo, licèt ut excedens, nec poterit verificari, quòd sit superior omni loco etiam imaginario, nisi pariter supponatur esse in illo, licèt ut similiter excedens.

Sed specialiter videtur favere etiam D. Thom. quodlib. 11. ar. 1. in corp., ubi loquendo de esse ubique, quod propriè convenit Deo contra positivè ad esse ubique, quod potest aliquo modo aliis convenire, ut explicat hic ar. 4., scil. non per se primò, nec secundùm se totum, sed per accidens, vel facta suppositione, quòd non esset aliud corpus implendum, concludit sic: *Nam hujusmodi dicuntur esse ubique, quia sunt tantùm in his quæ sunt, & præsentia sunt; Deus autem non solùm in his, quæ sunt, sed etiam in imaginatis, & in præteritis, & in futuris*, ut paulò anteà etiam concluserat dicens: *Ergo Deus non solùm est in illis quæ sunt, fuerunt, & erunt, sed etiam in illis, quæ possunt imaginari esse.*

simi-

Similiter in 1. ad Hannibal. dist. 37. q. 2. ar. 2. in corp. sic ait: *Dicendum, quòd sicut hoc adverbium* semper, *si propriè accipiatur, non solùm refertur ad omne tempus, quod est, vel erit, sed etiam ad omne tempus, quod potest imaginari; ita etiam hoc adverbium* ubique, *refertur ad omnem imaginabilem locum*. Ex quo deinde infert, quòd sicut propriè loquendo dici nequit Mundum semper fuisse, quia licèt omni tempore fuerit, non tamen fuit antequam tempus esset; ex opposito dicendum sit, Deum semper ubique fuisse, quia nullus locus imaginari potest, in quo non fuerit; & rationem subdit ex ejus infinitate, ergo ratione suæ infinitæ immensitatis, tenemur asserere juxta D. Tho., quòd repleat etiam loca, vel spatia imaginaria, aliàs non salvatur, quòd propriè sit ubique, ut intendit D. Tho., contrapositivè ad Mundum, qui propriè non fuit semper &c.

Ad hoc dico in primis secundùm omnes hujusmodi authoritates, & alias, quæ possunt adduci, quod est solvendum à contrariis in locis futuris, ut dictum est; nam si Deus est suprà, & intrà, & extra per excessum ad omnem creaturam, & spatium etiam imaginarium ex meritis suæ infinitæ immensitatis, dicant etiam, & à fortiori, quòd si salva ejusdem infinitate non se extendit actu ad loca futura, quia nempè defectus est ex parte connoteti; poterit pariter salva eadem ex solo defectu spatii non existentis, sed purè imaginarii, vel magis remoti ab existentia, non se extendere ad illud &c.

Pro omnibus ergo resp. ut supra, tantùm convinci, quòd sit in illis & supra, & extra universum negativè, vel secundùm potentiam, quia nempè à nullo ente, aut loco creato, vel creabili adæquari, vel diffiniri potest, sed potest, & supra, & extra omnem locum creatum producere alium, & alium, vel aliam, & aliam creaturam, in qua producta tunc sit in infinitum, & non quia sit ibi positivè tanquam in loco, sicut 3. p. q. 57. relata ar. 4. ad 2. dicit D. Tho. de Corpore Christi, quod est extra totam continentiam cælestium corporum, non quia sit extra Cælum aliqua vacuitas per modum potentiæ susceptivæ corporis loci continentis, nam corpora gloriosa, & maximè illud Christi non indiget tali continentia, quia nihil recipit à corporibus cælestibus, sed à Deo mediante anima; sed quia potentia illuc perveniendi est in Christo &c.

Vel poterat etiam dici (& in idem redit) quòd est extra, & supra, non quia sit ibi tanquam in aliquo tertio superiore, & exteriore, cùm sit de subjecto non supponente, ut dictum est; antevertendo omnem ejus applicationem virtutis, vel operationem, sed quia est in se ipso; esse autem in se ipso est esse extra Mundum. Specialiter etiam verificari potest esse super omnes Cælos, quia cùm contactus virtutis ejus perveniat ad omnem creaturam usque ad superiorem partem, sive ad ultimam superficiem convexam supremi Cæli, vel Empyrei, & hæc sit super reliquos inferiores Cælos, eo ipso, quòd est positivè in illa, utpotè à se dependente in esse, & conservari, rectè infertur, quòd sit etiam positivè super omnes. Unde optimè ex eodem loco probatur juxta Div. Tho., quòd nullam partem Cæli habeat Deus sibi superiorem, sive actu, quia positivè est in suprema ut à se dependente, sive potentia, quia potest alios Cælos his omnibus superiores creare &c.

Ad alia verò testimonia D. Tho., quæ videntur saltem apparenter aliquid ulteriùs urgere, iterùm dicimus primò, quòd apertè etiam convincerent, & à fortiori de locis futuris. Sed præterea ad primum ex Quodlib. dicimus, non esse ullo modo dubitandum de mente ejus, cùm expressè in principio ejusdem corp. recurrat ad contactum virtutis ad salvandam præsentiam Dei in rebus, dicens: *Respondeo dicendum, quòd spiritualia dicuntur esse in loco, non quidem per contactum magnitudinis, sed virtutis; & ideò secundùm rationem virtutis cujuslibet rei spiritualis oportet nos loqui de loco, in quo est.* Nisi ergo velimus, quòd sibi immediatè in eodem textu contradicat, tenemur asserere, quòd aliter sit in rebus existentibus, & aliter in non existentibus, aut imaginariis, quòd nempè in illis juxta D. Tho. sit actu positivè, in his verò negativè, vel potentia, aut facta suppositione, quòd produceret ibi aliquod corpus, aliàs cùm effirmet esse etiam in futuris, tenerentur contrarii juxta eundem, quòd actu positivè sit pariter in illis, si generaliter sit intelligendus de esse actu in omnibus. Et est expressa doctrina ejus hic ar. 4. in corp., ubi, ut insinuavimus, ait: *Per se igitur convenit esse ubique alicui, quando tale est, quòd qualibet positione facta sequitur illud esse ubique: & hoc propriè convenit Deo, quia quotcumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita præter ista, quæ sunt, oporteret in omnibus esse Deum, quia nihil potest esse, nisi per ipsum.* Ecce apertissima responsio, & explicatio tradita à nobis &c. Et per hæc patet etiam ad 2. &c.

Sed præterea resp. ad hanc optimè salvari Deum esse *ubique* propriè, & Mundum non esse *semper* propriè ad intentum D. Tho., & juxta meritum utriusque vocabuli, esto Deus actu non sit in eisdem spatiis, vel in rebus non existentibus, sicut nec Mundus antequam tempus esset; quia licèt Deus actu non sit per se, tamen ex sua potentia potest esse, cùm possit ibi alias creaturas producere, & in illis esse, non tamen per se Mundus ante se esse, cùm creatura ex se ex nihilo sit, & sibi relicta ad nihilum redigatur, & licèt, ut vidimus in physicis, potuerit produci ab æterno, & tunc verificari, quòd semper fuisset; adhuc tamen non ita propriè verificaretur ly *semper* de illo, sicut verificatur *ubique* de Deo, scil. primò, & per se, sed magis per accidens, & facta suppositione productionis sui dependenter ab alio, scil. Deo, sicut idem *ubique*, ut dicit D. Tho. hìc, verificari etiam potest de aliis, sed non primò, & per se, sed per accidens, & facta similiter aliqua suppositione; nam etiam granum milii esset ubique, inquit idem Angelicus, supposito, quòd nullum aliud corpus esset.

2. Arg. (& est replica) Si Deus in eodem spatio imaginario aliquid produceret, fieret tunc præsens illi, at non purè denominativè extrinsecè, sive denominatione desumpta à re producta, ergo ratione præsentiæ intrinsecæ jam habitæ ante operationem; prob. min.; sicut requiritur præsentia, ut aliquis operetur, ita pariter existentia, sed si Deus ibi aliquid produceret, non esset ibi existens purè denominativè extrinsecè, sed ratione existentiæ jam anteà habitæ, ergo nec

fieret præsens denominativè extrinsecè, sed ratione præsentiæ jam anteà habitæ. Et ratio utriusque est; quia sicut formalis ratio existendi est intrinsecè in Deo independenter à quocumque extrinseco, ita etiam formalis ratio præsentiæ, cùm nullam sui rationem, aut perfectionem accipiat Deus extrinsecè à creatura, ergo &c.

Urg. hoc. Nam quia in creaturis formalis ratio localis est intrinsecè in illis, scil. *ubi*, esse præsentem localiter non est pura denominatio extrinseca, desumpta à loco, ergo quia pariter formalis ratio præsentiæ divinæ in rebus est intrinseca in Deo, esse illis præsentem non erit denominatio extrinseca, sed intrinseca &c.

Ad hoc patet ex dictis, unde dist., & expl. min. Non est determinativè extrinsecè ex parte recti, conc.; ex parte connotati, nego; nam defectu istius, ut dictum est, licèt Deus sit immensus ab æterno, non tamen est actu præsens ab æterno; sicut licèt sit Omnipotens ab æterno, non tamen denominatur actu operans ab æterno, quia hujusmodi denominationes, ut explicatur infra de voluntate Dei, non sunt absolutæ, sed determinatæ, unde expectant connotatum ad extra; sicut ergo hæc posterior, licèt sumatur ab aliquo intrinseco, scil. ab operatione sibi intrinseca; quia tamen sumitur ab illa, ut connotante terminum productum, non dicitur convenire ab æterno, sic etiam denominatio præsentis, licèt sumatur ex parte recti ab aliquo intrinseco, quia tamen sumitur ab illo, ut connotante aliquid extra, non dicitur convenire ab æterno, non ex defectu recti, vel rationis formalis, sed obliqui, vel connotati; & per hæc patet ad probationem; quia denominatio existentis est absoluta, non terminata, aut connotativa, sed conveniens Deo in se; nam existentia non denominat Deum esse respectivè, sed in se ipso, unde antevertendo omne connotatum ad extra adhuc denominatur formaliter existens, quia ad hoc non requiritur aliquid aliud, respectu cujus dicta præsentia exerceatur &c.

Ad confirm. similiter dist. antec. Non est denominatio extrinseca desumpta à loco, nec connotans illum, nego; connotans, conc; nam licèt *ubi* in creatis sit quid intrinsecum, connotat tamen aliquod extrinsecum, scil. in corporalibus circumscriptionem passivam corporis locati ex circumscriptione activa loci circumscribentis provenientem; in spiritualibus verò oritur, ut dictum est, ex contactu virtutis, vel activo substantiæ spiritualis ad corpus, in quo locatur, vel operatur.

Ex quibus iterùm patet, non posse immensitatem assignari tanquam rationem divinæ præsentiæ extra, cùm ab æterno extra Deum nihil sit, circa quod exerceri possit eadem præsentia; nam immensitas non extenditur ad occupandum extra nisi per contactum virtutis, ut probatum est &c.

3. Arg. (& adhuc est replica.) Non minùs immensitas est infinita in linea loci, quàm æternitas in linea durationis, sed hæc est præsens cuilibet tempori etiam imaginario, ergo pariter immensitas cuilibet spatio etiam imaginario; prob. min.; nam per nos Thomistas Deus ratione æternitatis est ab æterno præsens cuilibet durationi futuræ, v.g. differentiæ temporis Anti-Christi, sed tempus istud ante Mundi constitutionem, ut particularis ejus mensura comparativè ad eundem est ens imaginarium, quidquid sit comparativè ad Deum, vel ejus æternitatem, ut superiorem mensuram illud continentem; & idem est generaliter de tempore ut mensura particulari comparativè ad nos, vel ad hæc inferiora corruptibilia, prout sic enim censetur ens imaginarium, & non verum, aliàs diceretur Mundus in se esse ab æterno, cùm semper fuerit in tempore vero ut mensura particulari in ordine ad se; ergo in illo est Deus ratione æternitatis &c.

Urg. hoc. Infinitas æternitatis non est minoris extensionis, quàm si daretur corpus infinitæ magnitudinis, sed istud si daretur, repleret omnia loca etiam imaginaria, ergo etiam Deus replebit omnia etiam imaginaria ratione immensitatis &c.

Urg. ulteriùs. Nam omisso etiam corpora infinitæ magnitudinis, potest aliud finitæ in spatio imaginario, vel supra omnes Cælos producere illis non contiguum, sicut & posset extra hunc Mundum operari, & producere alium huic similiter non contiguum, & versùs illud, Mundum hunc movere, vel corpus illud supra Cælos per acquisitionem loci, & ubi imaginarii, ergo erunt in illis spatiis tanquam in loco, aut undequaque circumscribentur ab illis, ergo à fortiori poterit Deus esse in illis ratione suæ immensitatis, utpotè infinitæ, & majoris virtutis ad replendum. Tum quia aliàs Deus esset in illis, & non in spatio intermedio, vel moveretur ad motum alterius, quod est inconveniens &c.

Denique urgeri poterat in Corpore Christi, quod dicitur esse circumscriptivè in Cælo, at non ut circumscriptum ab aliquo corpore cælesti, cùm sit super omnes Cælos, ergo ut circumscriptum à spatio imaginario, quod est super illos, ergo cùm Deus sit in omni loco circumscribente locatum, erit in eodem spatio &c.

Ad hoc vel nego min., vel dist. claritatis gratia, est præsens tempori etiam imaginario, reduplicativè, ut imaginario, nego; ut jam præsenti in superiori mensura æternitatis, conc.; unde prout sic, ut dictum est, retorqueri poterat; est ergo discrimen inter tempus futurum, & spatium purè imaginarium, quod istud nullo modo adhuc est de linea loci, unde actu ad illud nequit ex ejusdem defectu se extendere immensitas; tempus verò futurum, utpotè differentia illius est jam de linea durationis præparatæ ab æterno in causa, ut aliquando mensuret rem, quæ est duratura in tali, vel tali tempore, unde cùm æternitas sit infinita in hac linea, tenetur actu esse illi præsens, & propterea dicimus nos Thomistæ, quòd tempus, & quodlibet aliud futurum est jam præsens physicè in æternitate, prout scil. est aliquod actu jam mensurabile ab illa, non secundùm præsentiam purè intentionalem, cùm hæc non pertineat ad lineam durationis, sed sibi propriam, vel physicam, quidquid sit, quòd idem tempus, vel duratio futura sumpta quasi activè, sive ut particularis mensura, vel ut activè particulariter mensurans rem duraturam in illa, concipiatur prout sic relativè ad idem futurum, ut quoddam imaginarium antevertendo omnem productionem rei, ut insinuat argumentum, cùm reverà in tali prioritate non sit adhuc

adhuc capax mensurandi illam, sed tunc ad idem tempus prout sic, non dicitur se extendere æternitas, & consequenter quòd neque Deus ratione æternitatis se extendat actu ad tempus imaginarium, ut innuit hic M. Gonzalez, unde etiam ex hac parte est iterùm retorquendum argumentum &c.

Sed instas. Nam quia æternitas est infinita in linea durationis, res, quæ ab æterno adhuc non sunt in propria mensura, possunt per nos jam esse respectivè ad æternitatem, ita ut ratione istius dicatur Deus esse ab æterno præsens, vel illis coexistere, ergo quia pariter immensitas est infinita in sua, poterunt prædicta spatia antequam sint in se ipsis, poterunt jam esse respectivè ad æternitatem, ita ut ratione istius dicatur Deus præsens in illis; conf. tenet, quia non videtur major ratio, cur infinitas applicata æternitati faciat Deum in hac linea jam esse præsentem, vel coexistere rebus antequàm sint in se ipsis; & nequeat id præstare applicata immensitati, cùm utrobique aliàs sit defectus ex parte connotati &c.

Expl., & urg. hoc. Nam sicut esse rebus præsentem connotat earum præsentiam, ita & coexistere earum existentiam, ergo si nihilominùs, quia æternitas est infinita, facit Deum ab æterno coexistere rebus antequàm sint in se ipsis; poterit hoc non obstante immensitas, quia infinita est, facere illum ab æterno præsentem in rebus, antequàm habeant præsentiam in se ipsis &c.

Urg. 2. Sicut Deus ab æterno ante constitutionē Mundi solus ipse ratione suæ æternitatis durabat; sic tunc solus ipse ratione immensitatis erat præsens, ergo si nihilominùs tunc æternitas, quia infinita est, faciebat Deum coexistere rebus nondùm durantibus, pariter immensitas, quia infinita est, poterat facere illum præsentem rebus nondùm præsentibus &c.

Resp. Ad istantiam dist., & simul expl. eodem modo ant.: non sunt in propria mensura, nec in præparatione causæ, nego; & jam sunt in præparatione illius, conc.; quia prout sic, ut dictum est, jam intrant lineam durationis, & ideò benè potest æternitas, quia est infinita, & tota simul actu comprehendere illas, immò tenetur, si velimus eandem sui infinitatem subsistere; non possent autem sic comprehendi, si neque essent in se ipsis, neque in præparatione causæ, ut patet in possibilibus, quia tunc adhuc non pertinerent ad lineam durationis, & prout sic est perpetuò retorquendum argumentum cum suis instantiis; nam tunc æternitas, estò infinita sit, non tamen se extendit ad illas ex defectu connotati, quia adhuc non pertinet ad suam lineam: unde nego deinde conf., quia prædicta spatia, ut sæpè dictum est, actu non pertinent ad aliquam differentiam loci ex defectu realitatis, cæterùm res eo ipso, quòd sint præparatæ in causa, statim constituuntur futuræ, & consequenter pertinent ad lineam durationis &c.

Ad 1. confirm. nego ant., quia cùm sola præparatio in causa, ut dictum est, res transferat ad lineam durationis; statim ac præparatæ sunt in illa, tenetur æternitas, utpotè infinita tota simul in hac linea per modum mensuræ superioris eas actu continere, unde res duobus modis possunt intelligi existere, vel esse physicè præsentes, scil. vel immutabiliter respectivè ad mensuram æternitatis, vel mutabiliter respectivè ad mensuram propriam; licet autem primò modo coexistere rebus connotetur ab æternitate; non tamen secundò; nodè non tenetur expectare esse earum in se ipsis, ut dicatur illis coexistere. quia antequā in se ipsis existant, vel respectivè ad propriam mensuram ex eadem sola præparatione in causa jam sunt de foro durationis, & ideò infinitas simultanea æternitatis statim illas actu comprehendit; cæterum res non sic dicuntur Deo præsentes in linea loci, per aliquam præsentiam, quæ ab æterno faciat Deum formaliter præsentem in hac linea, cum ratio futuri non sit differentia hujus lineæ, sed durationis, nec dicatur Deus præsens sibi ipsi, sed aliis à se, unde non obstante, quod immensitas sit infinita, non tamen dici potest præsens ab æterno rebus antequā sint in se ipsis &c.

Ad 2. nego suppositum ant., pro secunda parte, quòd denominatio præsentis sit absoluta sicut illa durantis, durare enim est aliquid omninò absolutum ab omni connotatione rei ad extrà, non tamen esse præsentem, ut dictum est; unde licet Deus in se, & ratione sui sit ab æterno durans, non tamen est præsens ratione immensitatis, ex defectu scil. connotati, quod omninò ad hanc denominationem requiritur, & ideò hæc solum convenit in tempore, quando ponitur creatura &c.

Quòd si iterum instes Deum non minus esse immensum ab æterno, quam sit æternus, & immutabilis, ergo sicut æternitas dat illi ab æterno effectum suum formalem durationis, pariter immensitas dabit illi suum formalem præsentiæ &c.

Resp. neg. conf., quia ut dictum est; altera est denominatio absoluta, scil. durantis, altera verò connotativa, scil. præsentis; nam esse æternum est sine principio, & fine actualiter durare, quod non expectat aliquod connotatum ad extrà, esse verò præsentem solum verificatur respectu alicuius ad extrà, cum non dicatur Deus respectu sui ipsius præsens, unde immensitas excluso omni connotato vero, aut reali ad extrà, non importat actualem Dei præsentiam, sed tantùm habere in se virtutem per quam potest fieri præsens omnibus rebus ex suppositione, quòd sint à parte rei. Et quidem sicut dicitur immensus ab æterno, ità pariter dicitur, & misericors, & tamen non sequitur, quòd ab æterno exerceat suam justitiam, & misericordiam ob eundem defectū connotati, unde non sunt hujusmodi denominationes indefferenter in omni signo affirmādę, sicut affirmantur attributa, sed juxtà sui conditionē, scil. ab æterno si absolutæ sunt; & in tēpore si terminatæ, vel connotativæ, de quo etiam D. Thom. infrà quæst. 14. ar. 7. &c.

Ad 1. confirmat. principalis arg. aliqui concedunt mi., quia nempè corpus naturali veluti sequela habet suam extensionem, vel replet spatium, unde si non repleret illud non esset magnitudinis infinitæ, substantia verò spiritualis liberè per contactum suæ virtutis, unde si semel spatium, ut est imaginarium non est capax ejusdem contactus; non potest habere ibi præsentiam localem §. Sed hæc solutio non videtur conformis communi doctrinæ Thomistarum, qui ad defectū realitatis requisitæ ad lineam localem recurrunt, ut negent Deo, & cuicunque substantiæ spirituali præsentiam localem in

hujusmodi spatiis imaginariis, unde sicut ex defectu ejusdem realitatis tenemur negare capacitatem in illis respectu contactus virtutis; pariter ex eodem defectu neganda est respectu contactus quantitativi, vel molis; nec magis tenetur corpus esse ut in loco, ubi nequit exerceri hic posterior contactus sibi proprius, vel ubi non est spatium verè ambiens, vel circumscribens, quàm teneatur esse substantia spiritualis, ubi nequit exercere suum; quòd verò ad quantitatem naturaliter sequatur extensio locativa, dicimus ità esse, supposito eodem ambiente, ad quod possit extendi; unde in eodem spatio diceretur solum habere extensionem in ordine ad se, vel præsentiam tantum de linea essendi magis quam de linea loci, præcipuè cum necessarium non sit, quòd corpus semel existens perpetuò habeat utramque præsentiam; ut dictum est; & statim iterum dicemus de corpore Christi suprà cœlos, & in Sacramento.

Aliter ergo resp. neg. mi. perseverante spatio in puro statu imaginario, unde si in illo Deus, vel extrà mundum aliquid produceret, diceretur istud esse in tali spatio, aut in nihilo, scil. negativè, hoc est, ut dicebamus non in aliquo vero, & reali spatio, sicut diceretur fieri ex nihilo, hoc est non ex aliquo; & tunc diceretur quidem esse in hoc corpore producto in eodem spatio, sed non isto, donec aliquid operaretur respectu ejusdem, dando scil. esse ei, & de possibili illud verè, & actu locum, spatium efficiendo, sicut facit locum, & spatium hujus mundi, nunquã tamen ante sui operationem, quia cum incipiat Deus esse in rebus non per mutationem sui, sed per realem mutationem creaturæ, & hæc per sui productionem mutatur, Deus non est prius in rebus, quàm operetur in illis. Dum autem spatium, quod extrà, vel suprà cœlum imaginamur non habet esse, nihilque actu est, Deus in illo operari non potest, sicut neque in creatura possibili, dum actu nihil est, antequam producatur, vel reduplicato hoc statu, quia sicut ex nihilo, ut dictum est, & docet D. Tho. infrà qu. 45. ar. 1. ad 3. non potest aliquid fieri tanquam ex vera causa materiali, ità nec in nihilo tanquã in subjecto, aut loco, in quo fit id, quod fit, & qui operatur &c.

Ex his etiam patet ad secundum concedendo nempè posse in illis spatiis, alium mundum, vel aliquod corpus non contiguum producere, sed tunc corpora producta non erunt in illis tanquam in loco, sed cum sola præsentia de linea essendi, nisi Deus daret illis esse; Deus autem esset in eisdem corporibus productis, quia revera daret esse illis, non tamen in spatio intermedio imaginario; unde quoad hanc partem, nego utranque cons. Nec est aliquod inconveniens, ut putat argumentum, Deum esse in duobus Mundis, vel corporibus discontinuis, sine præsentia in medio interjecto, quod imaginamur inter illa, sicut si modo annihilaret hunc mundum, & post horam reproduceret, nullum esset inconveniens, quòd tunc, & nunc esset præsens, non tamen in tempore intermedio, quia tunc esset aliquid purè imaginarium, vel nihil, unde admitto priorem sequelam ob rationem statim adducendam.

Ad aliud verò de motu; dicimus primò ex D. Tho. qu. 3. de poten. ar. 3. non posse esse ibi propriè, vel strictè motum localem prout versatur inter duos terminos positivos à quo, & ad quem, alterum relinquendum, & alterum acquirendum, cum sint in illo de subjecto non supponente, nec est idem de vacuo, per quod dicitur posse corpus moveri quia vacuum est locus realis non repletus corpore, & sic potest successivè repleri, spatium autem imaginarium nihil est. Sed supposito, quòd aliquomodo moveantur intrà illud, non tamen sequitur quòd ad eorum motum moveatur Deus per accidens, sicut movetur existens in navi ad motum ejus, quia existens in ista pendet ab eadem ut locatus à loco, unde sicut illa pereunte perit, pariter movetur illa mota, sed Deus in nulla linea ab ullo ad extrà dependet, & solum dicitur esse in loco, quia dat ei esse, & virtutem locativam, ut dicit hic D. Thom., unde sicut quamvis sit in creatura non tamen mutatur ad mutationem ejus, nec pariter movetur ad motum illius, quia nullo modo pendet ab illa, qua ratione etiam dictum est posse esse in corporibus non continguis, sine præsentia in spatio imaginario inter medio, quia nec dependet ab isto, nec tenetur dare illi esse, & ante istud non est capax repleri.

Ad 2. instantiam de Corpore Christi jam vidimus ex D. Thom. non indigere corpora gloriosa, & præcipuè illud Christi loco continenti, quia non indigent recipere aliquid ab illo, sed à Deo mediante anima, altiùs participando de divina bonitate per gloriam, unde super illud Ephes. 4. *Ascendens in altum* dicit glos. apud D. Thom. ibid., *scil. loco, & dignitate*. Dicitur ergo esse circumscriptivè in cælo, non quia contineatur ab aliquo superiori cælesti corpore, aut fortè ab aere suprà cælos producto, ut insinuat, sed non approbat Mag. Ferre hic ad 6., nam convenientissimum est sibi, ut concludit D. Th.; quòd plus participans de eadem divina bonitate per gloriam sit super omnia corpora constitutum in alto; sed quia secundùm partem sibi inferiorem tangit cælum immediatè subjectum, itaut simul alibi circumscriptivè esse non possit; cæterum partem superiorem, circa quam imaginamur tale spatium, magis est ibi potentia, quam continentia, cum non sit ibi potentia susceptiva alicujus corporis, ut innuit D. Thom. ad 2. &c.

4. Arg. (& adhuc potest esse replica contra superiora. Non minus Deus est infinitè immensus secundùm essentiã, quam sit secundùm potentiam, vel præsentiam, sed quia est infinitus secundùm hos duos posteriores modos immensitatis de facto subjicit sibi omnia quæ sunt, & quæ non sunt, scil. secundùm potentiam, & videt similiter omnia sive existentia, sive non, scil. secundùm præsentiam, ergo quia est infinitus priori modo erit præsens omnibus rebus etiam imaginariis &c.

Urgetur hoc. Non salvatur infinitas v. g. secundùm præsentiam per hoc, quòd Deus actu videat existentia, & videre possit non existentia, sed per hoc quòd actu videat, vel illi nuda, & aperta sint omnia, sive existentia sint, sive non; ergo nec salvabitur infinitas secundùm essentiam per hoc quòd actu sit præsens rebus existentibus, & possit esse præsens in non existentibus, sed per hoc quòd sit præsens omnibus sive sint, sive non sint, vel imaginaria sint &c.

Urg. ulteriùs. Infinitas hæc secundùm essentiam, sive infinitas præsentiæ Dei in rebus denominat per nos non absolutè, sed connotativè ad res, vel loca ad extrà, at non potest hæc salvari actu non externa ad spatia imaginaria, ergo est actu præsens Deus in

illis

illis; prob. mi. tùm eadem paritate infinitatis secundùm præsentiam; tùm quia aliàs nunquam verificabitur habere connotatum sibi proprium, scil. loca infinita; nam cum ista non sint vera, & realia; tantùm erût imaginaria, ergo actu nō extensa ad ista nunquam denominabit Deum actu infinitæ immensum; eo vel maximè, quòd hujusmodi infinitas, secundùm quam dicitur Deus posse esse in omni loco producibili, scil. secundùm essentiam, non est infinitas actus essendi, sed magis potentiæ, cum de facto Deus sit per potentiam in omni loco producibili, in quo tamen dicimus non esse per essentiam, ergo dicit actu essentiam suam esse in infinitis locis, & consequenter in imaginariis &c.

Ad hoc, & ad alia hujusmodi iterum dicimus esse perpetuò solvenda à contrariis; nam si aliquid probant, probant etiam de locis futuris, vel etiam de possibilibus, si solum attendamus ad meritum infinitatis ejusdem attributi; & non ad illud etiam connotati. Pro omnibus, ergo ex dictis dist., & explico maj. non minus est infinitæ immensus &c. & eodem modo requiritur connotatum ad posteriores infinitates, sicot ad primam, nego, diverso conc., quis cum prior modus immensitatis exerceatur, ut dictum est; secundùm contactum virtutis petit connotatum existens ad extrà, sive operationem dantem illi esse, & virtutam locativam; cæterum ad posteriores modos, vel sufficit præsentia objectiva; ut patet in possibilibus; vel physica in superiori mensura æternitatis, ut in futuris cognitis intuitivè à Deo; vel connotatum, quod sit natum participare, & consequenter subjici illi, quod convenit cuilibet creaturæ sive existenti, sive non; unde non operatio, ut suprà dicebamus; sed potentia ipsa, est ratio existendi in rebus per potentiam.

Et quidem stando in eodem modo immensitatis secundùm præsentiam retorqueri poterat facta cōparatione inter intellectum, & voluntatem; quia non minus est infinita divina voluntas, quam intellectus, & tamen licet Deus sit præsens omnibus creaturis etiam possibilibus secundùm intellectum, non tamen est præsens, vel non se extendit ad possibiles secundùm voluntatem reduplicato hoc statu possibilitatis, ut latè probatur infrà de voluntate Dei, quia nempè connotatum, vel objectum voluntatis non est bonum ut cumque, sed per modum exercitii, quâ bonitate carent creaturæ in eodem statu, ergo similiter licet sit utrobique infinitas in his modis immensitatis, quia tamen connotatum illius secundùm essentiam; non est res, vel locus ut cunque, sed ut tactus per operationem divinam, & consequenter secundùm existentiam, vel virtutem locativam, quam accipit ab illa, non habebit Deus esse præsens secundùm hunc modum in re; vel loco non existente &c.

Ex his ad 1. confirmat. nego cons. ob discrimen jam assignatum, quia pro aliis præsentiis, vel modis immensitatis est sufficiens connotatum non pro illa secundùm essentiam. Ad secundam nego mi., ad primam prob. ex paritate jam dictum est; ad secundam nego suppositum, quòd infinitas ejus sit mensuranda, aut proportionanda cum aliquo connotato extrà per adæquationem, cum illo; (nam perpetuò superat Deus quamlibet rem creatam, & creabilem ad extrà;) sed ex parte modi implendi sina mensura; sicut omnipotentia divina non salvatur per hoc quòd possit aliquod infinitum ad extrà produci per illam, sed ex parte modi, quia nempè potest ex nihilo, & independenter à quocunque alio: in hec enim utrobique apparet virtus ejus infinita. Sed dato etiam hoc connotato locorum infinitorum, non tamen tenemur recurrere ad spatia imaginaria, ut verificetur esse in locis infinitis, quia hæc ut sæpè dictum est, adhuc non sunt de linea loci, cum nihil sint, in se ipsis, sed nos ea purè imaginemur esse, aliàs non essent in puro statu imaginario.

Ad id verò, quod subditur; dicimus quòd infinitas hujusmodi immensitatis, scil. secundùm essentiam non præcisè importat actum de linea essendi; nec purum exercitium præsentiæ de linea potentiæ, aliàs coincideret cum altero modo immensitatis secundùm potentiam; sed de linea operationis, vel fundatum in illa, unde ante omnem operationem haberi nequit, non quia Deus, vel ejus essentia sit in potentia, sed quia res, quas imaginamur esse, verè, & realiter non sunt, antequam Deus tribuat illis esse, nam quantùm est ex se semper actu est in omnibus rebus, cum nunquam Deus transeat de potentia ad actum, sed tamen istæ antequam sint non sunt capaces, ut in illis sit, quia prout sic non sunt tangibiles ob defectū realitatis requisitæ ad lineam loci, sicut in simili dictum est de possibilibus, quòd non sunt amabiles, vel capaces terminandi divinam volitionem reduplicato hoc statu ob defectum bonitatis per modum exercitii requisitæ ad eandem terminandam &c.

Sed instas, (& simul impugnantur superiora) Vacuitas, vel inanitas eorundem spatiorum non est purè nihilum à toto genere entis realis, ergo defectu realitatis non est excludenda à divina præsentia; prob. ant. quia importat aliquid hoc ens esse ante omnem operationem intellectus, scil. carentiam realem creaturarum; non enim hæc est aliquid fictum ab intellectu, ergo non est purum nihilum à toto genere entis realis &c.

Urgetur hoc. Nam ante omnem operationem intellectus verificatur, quòd Deus non est distans ab eadem vacuitate, vel spatio, ergo etiam verificatur, quòd istud non sit purū nihil à toto eodem genere, & quòd Deus sit præsens illi; cons. tenet quoad utranque partem; nam extremum indistantiæ ante intellectum non est purum nihil ante illum sed magis de linea realitatis, cū ante illū sit status realitatis; & aliàs quod est indistans ab alio est præsens illi, cum præsentia rei nil aliod sit, quàm indistantia ergo &c.

Resp., nego ant.; ad prob. nego iterum ant., ad prob. annexam dist., & explico, importat carentiam quasi positivè in aliquo subjecto præsupposito intrà se ipsam nego, purè negativè, quatenus ibi nulla creatura realiter existit conc.; sed hoc non sufficit ut sit in se capax divinæ præsentiæ, quia prout sic adhuc in seipsa nihil est carens omni esse, & consequenter in capax contactus divini perseverante hoc statu, nam si semel tangeretur operativè, vel effectivè, à Deo transiret ad forum existentiæ; sicut transeunt possibilia, vel futura, unde perseverante hoc statu totum quod imaginamur, adhuc sistit in foro purè imaginario, & solum fingitur per intellectum ha-

habere esse, quia apprehendit id, quod non est, ac si esset &c.

Ad confirmat. nego suppositum, quòd possit concipi distantia, vel indistantia in ordine ad extremum, quod est de subjecto non supponente, ant. nisi purè imaginario, unde solum posset concipi præsentia imaginaria, de qua modo non loquimur, sed de vera, & reali &c.

Ex dictis colligimus hanc mundi machinam adæquatè sumptam non esse in loco, cum extrà illam sit tantùm spatium imaginarium incapax præsentiæ localis, unde ut insinuavimus, juxtà doctrinam D. Tho. qu. 3. relata de potentia ar. 3., nec potest localiter moveri per derelictionem, & acquisitionem loci, sive termini à quo, & ad quem localis, ut requiritur ad motum localem. Ex quo etiam infertur, quòd si semel Deus, corpus modo existens in loco collocaret iotrà idem spatium, esset ibi in se, sive præsens præsentia de linea essendi, non de linea loci, unde nec moveretur, aut non mutaretur localiter, quia tantùm desereret, aut deperderet priorem locum, non tamen novum acquireret, & ideò non esset transitus localis, sed pura deperditio loci, cum sola perseverantia realis præsentiæ de linea essendi, sive extensionis in ordine ad se, nam derelicto priori loco, statim intrà idem spatium cessaret extensio localis ex defectu ambientis, licet Deus, ut dictum est, esset præsens in eodem corpore ibi collocato &c.

§. III.

Corolaria ex dictis.

Colligimus primò, quòd ad præsentiam Dei in rebus præter ejus operationem, & relationem rationis ad illas super eandem operationem fundatam, non esse necessarium, immò nec possibile, ubi superadditum per modum formæ realis, qua dicatur formaliter, & permaneoter esse in illis, sicut contingit in aliis locatis creatis. Quia cum, ut vidimus suprà, & tradit D. Tho. dist. 17. relata in 1. q. a. ar. 3., & iofrà q. 13. ar. 7., hujusmodi denominationes præsentis, sive esse præsentem in illis, non conveniant Deo ab æterno, sed expectent connotatum ad extrà, si semel importarent aliquid ulteriùs per modum formæ realis denominantis realiter formaliter Deum ubicatum in illis, jam aliquod reale adveniret Deo in tempore, quod est impossibile enti summè actuali, vel actui puro, ergo nec est necessarium, nec possibile, cum ens summè actuale, non sit in illis, vel in loco per aliquam sui mutationem, vel acquisitionem, (qua ratione contenduot aliqui, ut osteodimus iofrà de Angelis disp. 3. q. 1. §. ultimo; esse admittendum in illis;), sed purè operativè, vel effectivè, quatenus dat esse, & virtutem locativam, ut dictum est.

Expl. hoc ex D. Tho. in 1. ibid. ubi inquit; *dicendum, quòd cum dicitur Deus est ubique importatur quadam relatio Dei ad creaturam fundata super aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur esse. Omnis autem relatio, quæ fundatur super aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo nisi ex tempore sicut Dominus, & Creator, & hujusmodi, quia hujusmodi relationes, actuales sunt & exigunt actu utrumque extremum existere, sicut ergo non dicitur operari in rebus ab æterno, ita neque esse in rebus, quia hoc operationem ipsius designat*. In quibus, ut patet, non solum docet, non esse necessarium aliquid distinctum ab operatione, & relatione rationis, sicut nec aliquid distinctum ab illis requitur, ut in tempore operetur ad extrà, sed etiam esse impossibile quia cum non possit ab æterno hæc præsentia convenire, ut potè necessaria ad illam existentia utriusque extremi, cum sint denominationes respectivæ, ut dictum est, & non ad se, sed sequantur ad contactum virtutis, deberet quid reale Deo in tempore superaddi, quod est impossibile &c.

Quòd si dicas, ut suprà, dari in Deo duplicem præsentiam, aliam relativam, vel temporalem, aliam absolutam, & licet prima quid rationis sit, & sequatur ad contactum temporalem rerum, posterior tamen ab æterno convenit independenter ab actuali contactu, unde optimè potest esse quid reale, consequens quidem ad operationem divinam, non tamen prout actu temporaliter immutat res, sed prout est ab æterno potens immutare illas in tempore. Jam superiùs hic modus dicendi impugnatus est; & videtur reverà seipsum destruere, nam in tantū auctores illius præter contactum, quo Deus tangit res, contendunt ubi reale distinctum, quo dicatur formaliter ubique præsens, quia ita vident contingere in creaturis, ergo tenentur eodem fundamento asserere, quòd sicut in creaturis non datur nisi post actualem contactum locati ad locum, nec dabitur in Deo nisi post actualem contactum virtutis, quo res in tempore immutat, & non ante illum ab æterno, cum nil reale in tempore possit Deo adveoire, unde non erit sistendo eidem fundamento; sive in tempore admittendum &c.

2. Impugnari poterat, quia valde dubio, & incerto nititur principio, quòd ad omnem contactum locati in creaturis resultet ubi reale distinctum, quia ut ostendimus de Angelis; non omnes illud admittunt in illis, & fortè probabiliùs negatur. Sed illo etiam admisso non rectè arg. à locato creato ad divinum, nam plura in creatis salvari nequeunt sine reali forma superaddita, vel distincta, quæ tamen salvantur sine illa in Deo, vel in extremo divino, nam in extremo creato non salvatur ratio causæ, vel Domini, Filii, æqualis &c. sine reali supperaddito, cum tamen in Deo ratio causæ, vel Creatoris, Domini, æqualis &c., & in Christo ratio Filii ad B. V. cum sola forma, aut relatione rationis salvetur, ergo ex eo quòd ubicatum creatum indigeat, vel importet distinctam formam realem à contactu per modum formalis realis præsentiæ, non rectè id infertur de ubicato divino ob rationem, & discrimen jam assignatum inter ens summè actuale, & potentiale &c.

Nec jovat dicere, id solum verificari in prædicatis relativis non absolutis, & de præsentia tantum relativa, & temporali, non de absoluta, & conveniente Deo ab æterno. Non juvat inquam, tum quia ut dictum est, præsentia localis, non est aliquid purè absolutum, & ad se, sed respectivum, vel io ordine ad aliud, cum nullum locatum dicatur præsens de hac linea respectu sui, sed tantum respectu alterius: tum quia in ubicato, vel locato

tu creato, ut dictum est præter respectivam consequentem ad actualem contactum, non admittitur alia absoluta antecedens, & fundata in posse contingere, ergo nec in ubicato divino admittenda erit, si velint consequentèr loqui, ut patet ex superiori eorum fundamento: tum quia si semel admittenda esset, ut præcisè fundata io virtute, aut potentia contigendi, vel immotandi tempoealitèr creaturam, esset etiàm admittenda respectu futurorum, cum ad hæc omnia se extendat eadem virtus, quod tamen ipsi, ut vidimus, non admittunt: tum quia uon est assignabilis formalis effectus ejus ab æterno, cum nec constitueret Deum præsentem localiter sespectu sui, cum sit præsens sibi per summam identitatem; nec respectu creaturæ, cum hæc ab æternn adhuc non sit, & præcipuè imaginaria, ut modo loqoimur, ergn. Tum denique nam licèt *ubi* sit forma in se, vel entitativè absoluta, & connutativè respectiva, si semel tamen reala est, repugnat locato summè actuali, ergo, nequit admitti respectu divinæ præsentiæ, prob. antec.; quia, ut dictom est, & explicatur in physicis, & alibi, *ubi*, resultat ex contactu, vel adjacentia rei ad locum, sed repugnat ad contactum locati summè actualis resultare aliquod ubi reale, ergo, prob. mi., quia nt dictum est, contactus iste ad creaturam solum convenit Deo in tempore, ergo nisi velimus aliquod reale advenire illi in tempore, impossibile erit ad ejus contactum aliqnod ubi reale resultare &c.

Expl., hoc, & præoccupatur solutio; nam contactus iste; sivè mundus sit factus in tempore, ut docet fides; sivè etiàm esset conditus ab æterno, semper est temporaliter cooveoiens, cum immutatio creaturarum, aut mundus etiàm ab æterno productus nuuquam mensuretur .æternitate ipsa, sed vel tempore quoad corporalia, vel ævo quoad substantias spirituales, vel angelicas, ergo *ubi* ad illum resultaos semper Deo ab extrinseco, aut tempore conveniet; eò vel maximè, quòd dum successivè essent generationes, deberet perpetuò da novo resultare in rebus genitis per resultantiam, vel acquisitionam novæ realitatis, quod est impossibile respectu ejusdem locati summè actualis &c.

Contrà tamen conclusionem instas. Daus existens in creatoris est realiter formaliter præsēs in illis, ergo ejus nbicatio importat formam realem præsentiæ, ut contingit in aliis locatis, nam hac ratione cætera obicata habent *ubi* reale distinctum à contactu, quia sunt realiter formaliter præsentia, prob. antec., quia Deus non solum realiter contingit creaturas, sed etiam est realiter formaliter in illis &c.

Urg. hoc. Nam esse in aliquo tanquam in loco, sivè sit circumscriptivè per contactum molis, sivè definitivè per contactum virtutis, nihil aliud est, qoam reale ubi circumscriptivum, vel diffioitivum, vel explicetur, in quo alio consistat, ergo esse ubiq; per contactum virtutis infinitæ nihil aliud erit, quā ubi reale divinum per modum formæ, aut præsentiæ realis &c.

Urg. ulterius. Quià ut vidimus in 1. physic. ad hoc ponitur ubi, ut locatum sit, aut verificetur esse formaliter permanenter, & in facto esse in loco, sed Deus hoc modo est in creaturis, nam si semel recederet, aut subtraheret suum concursum ab illis, annihilarentur, ergo est in illis per realem, & formalem præsentiam, & consquenter per *ubi*.

Hoic instantiæ, vel oego, vel dist. claritatir gratia ant.; est eealiter formaliter tealitate formali ponante in numerum cum operatione ejus, nego, non ponente conc., quia cum Deus sit purè operativè, vel effectivè per contactum virtutis in loco, & nullo modo passivè, aut per aliquam sui mutationem, formalis ratio essendi in illo, non est aliqoid reale præter ejus operationem, superaddita tantum relatione rationis, ut explicat ubi suprà D. Tho., com non sit operatio præcisè secondom se, sed ut conpotans, vel contingens creaturam, in quo impottatur aliquis respectus eationis ad illam. Ad probationam dist. eodem mod, non solum contingit creaturas, sed etiam realiter formaliter in illis, præsentia de pura linea operativa, vel effectiva cooc. aliter, val per aliquam sui mutationem nego, onde non est nova præsentia novitate realitatis ex parte sui, sed ex parte connotati, & solom datur intelligi, dum dicitur, quod est realiter formaliter præsens, quòd sit actu formaliter contingens creaturam dans illi esse, & virtutem locativam, utraque immediatione virtutis, & suppositi, ut dictum est &c.

Ad 1. dist., & explico ant.. Nihil aliud est, qoam reale ubi, in aliis locatis extrà, conc., quoad 1. partem, & transeat quoad 2., com non omnes admittant illod in Angelis; ut dictum est; in Deo nego, & jam axplicatum est, in qno, esse Dei in cretura consistat; licèt ergo in aliis locatis duplex admittatur modus essendi tealiter in aliqou, scil. per contactum, & per raale nbi, qnià nempè sunt, vel circumscriptivè, & per modum contanti, ut in sobstantiis corporeis, vel qnià licèt sint definitivè, & operativè, dicuntur tamen pati ibi aliquam motationem, & sunt ibi secundùm quandam limitationem, vel commensurationem virtutis præcipuà loqnendo de loco adæquato, ut in Angelis, nullum tamen ex his militat de Deo, undè alter tantùm est assignabilis in illo, scil. per purum contactum virtutis, ut dictum est.

Ex his etiam patet ad 2., quià alia locata non sunt ibi purè activè, vel effectivè contingendo, ut est Deus, vel per sui etiam continentiam, ut prædictæ res corporeæ, vel per aliquam soi motationem, aut adæquationem, aut traositum de genere ad genos, ut aliis locatis, qua ratione vidimus ibid. esse necessariū idem ubi per modū formę superadditæ, contrapositivè ad transitū materiæ, & formæ de non esse nnitas adesse unitas, qninon est ad distinctom genos, & ideò non est necessaria ad illom unio supperaddita, & distincta realiter ab extremis &c.

Colligimus 2. ex his, & supetinribus Deum non esse in loco replendo illum quasi formalitar, ut contingit in aliis locatis, qnatenos non admittunt in illo consortium alterius locati, nam per hoc, quòd Deus est in aliquo loco non excluditur, quin alia sint ibi, immò per hoc replet omnia luca; inquit (ar. 2. D. Tho.; quòd dat esse omnibus locatir, quæ replent omnia luca; undè est in illo replendo effectivè, dando scil. esse in hoc genere, non in genere causæ formalis, qua ratione D. Tho. 3.p. q. 50 ar. 2. ad 3. in simili docet corpus Christi in tridun mortis non remaösisse vivum, estò illi esset unita divinitas, quæ est fons totius vitæ, & in infini-

finitum excederet in vivificando animam rationalem, quia nempè non erat ei unita per modum habentis vim vivificandi formaliter, sicut anima, quæ propterea nequit semel esse unita, & non vivificare; sed effectivè dando vitam non ex necessitate, sed voluntate &c.

Expl. hoc ex alio simili dum santificat nos replendo bonis, vel donis spiritualibus; enim non sic intelligitur, quasi formaliter repleat, aut formaliter sanctificet, sed tantùm effectivè, quatenùs effectivè causat id, per quod formaliter replemur, aut sanctificamur, infundendo scil. gratiam, & dona supernaturalia, quibus formaliter replentur anima, & ejus potentiæ, unde enumerando Tridentinum causas nostræ justificationis dicit, efficientem esse Deum, formalem verò ipsam gratiam, tanquam sanctitatem formalem interiorem contrà hæreticos negantes illam, & contendentes justificari nos sanctitate, vel justitia extrinseca Christi, vel Dei, ut alibi explicatur de gratia, ergo pariter dum dicitur Deum replere loca, non intelligitur formaliter, sed effectivè, quatenùs causat id, per quod formaliter replentur, ut ait D. T. hìc verbis relatis, scil. *sed replet omnia loca, quia dat esse omnibus locatis, qua replent omnia loca*; sed circa hanc similitudinem, qua tangitur præsentia Dei in justis, aliquid dicemus infrà explicando, an constituat distinctum modum ab aliis tribus generalibus.

3. Colligimus non esse idem, Deum esse in loco, & replere locum, nam primùm convenit illi ratione sui, & immediatè, quatenus dat ei esse, & virtutem locativam, ut ait D. Thom.; posteriùs verò veluti mediatè, quatenus dat esse locato, quod formaliter replet illum, unde primum modo explicato convenire etiam potest realiter formaliter; non quia importet reale ubi acquisitum per modum formalis præsentiæ, ut in aliis locatis, aut quia exeat limitea lineæ operativæ, vel efficientis, sed quatenus importat rationem formalem essendi in illo, licet de hac linea, scil. divinam operationem, ex meritis cujus constituitur completè, scil. tam secundùm virtutem, quam secundùm substantiam, vel suppositum, immediatè in illo; secundùm verò solum realiter effectivè, vel causaliter, cum ratio formalis replendi non sit aliquid divinum, sed quantitas corporis producti in loco, unde in hoc genere causæ formalis solum mediatè replet, licet in illo efficienti semper immediatè ut dictum est &c.

Ex quo inferimus, quòd licet corpus replens, propriè habeat habitudinem contenti ad locum, vel iste propriè sit, aut definiatur superficies continens respectu ejusdem locati formaliter replentis illum, non sic tamen respectu Dei, quia ad utrumque Deus comparatur purè activè dans utrique esse, & virtutem locativam loco, & formam repletivam locato.

Quòd si instes; hinc sequi Deum esse tantùm in loco, aut replere illum per accidens, seu ratione alterius, quod est inconveniens, aliàs locato recedente à loco recederet etiam Deus, & desineret replere illum, acquirendo novum locum, & ubi, quod nos negamus &c.

Respond. neg. suppositum quoad 1. partem, quòd idem sit indivisibiliter esse in loco, & replere illum, unde licet dicatur replere per accidens, sive ratione alterius in genere tamen causæ formalis, (nam in genere efficientis per se replet illum, cum per se producat corpus formaliter repleus;) non tamen dicitur per accidens esse in illo, vel ratione alterius, cum nec formaliter sit per ubi superaditum, nec efficienter per virtutem à se diffusam, sed immediatè per contactum suæ virtutis, vel operationis divinæ tanquam rationis formalis locandi. Et deindè dist. quoad secundam: replere illum per accidens, in genere causæ formalis, conc. in genere efficientis, nego; ad prob. verò annexam, nego iterum suppositum quòd remaneat locus aliquis sine corpote replente; & licet demus successivè loca repleri, altero locato recedente, altero adveniente non propterea infertur, Deum moveri, aut recedere, & acquirere novum locum, cum sit ubique, & à nullo dependeat, nec sit in loco per mutationem sui, sed creaturæ, ut dictum est &c.

4. Colligere possumus rectam intelligentiam, trium illorum modorum per potentiam, præsentiã, & essentiam; quos exprimit, & distinguit D. Thom. illis verbis hic ar. 3.; nempè. *Sic ergo in omnibus est per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; & per præsentiam in omnibus in quantum omnia nuda sunt, & aperta occulis ejus. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi*. Quibus etiam tribus modis excludit tres errores, alterum Manicheorum contendentium solas creaturas invisibiles, vel spirituales esse Deo subjectas; visibilia vel corporalia dæmoni, quem faciebant earum Auctorem; alterum Averroes, & ei adhærentium, qui licet potentiam extenderent ad subjectionem omnium, non tamen per providentiam immediatam individuorum, ut inter se individualiter distinguuntur, sed tantùm ut conveniunt in aliqua ratione communi generica, vel specifica, unde hoc modo solum consentiebant cognosci à Deo, & non esse illis præsentem per apertam, & nudam, vel distinctam eorum manifestationem ante oculos ejus. Tertium denique Avicennæ asserentis Deum utraque immediatione virtutis, & suppositi solùm creasse primam intelligentiam, & ab hac deindè processisse secundam, & à seconda tertiam, & sic de aliis successivè usque ad animam mundi, à qua cætera omnia sublunaria causari dicebat; & consequenter Deum secundùm essentiam solum esse præsentem in prima intelligentia, unde D. Thom. hac triplici præsentia, quas Deo convenire statuit, prædictos errores radicitùs evellit.

Recta ergo intelligentia comparativè ad hujusmodi errores sumi potest, unde primus secundùm potentiam, non sic intelligitur, quasi intrà hunc modum possit esse, & non sit, aut quod possit esse per essentiam, idest per propriam substantiam, sed quia per propriam potentiam ità universaliter se extendit ad universitatem creaturarum per earum subjectionem ad se ipsum, ut nulla omninò subtrahi possit quacunque via ab hac subjectione sive visibilis, aut corporea, sive invisibilis, aut spiritualis sit, sicut hac ratione Rex dicitur esse præsens per potentiam in toto regno, quia talem, aut tantam habet potentiam in illo, ut nullus omninò sit, qui eam valeat effugere, aut quem eadem sui potentia in omnibus coercere non possit; sic pariter Deus ex

eo,

eo, quod plenam, et supremam habeat potestatem, aut potentiam ad dandum omnibus esse, regendum gubernandum, & coercendum, ut non sit sive ex invisibilibus, sive ex visibilibus qui se abscondat à calore ejus, unde necesse est esse præsentem in omnibus secundū potentiam, quæ etiem præsentia probabiliter extenditur ed possibilia, quie in ordine ed esse plenè illi subjiciuntur, licet quià reduplicato hoc statu eorum subjectio adhuc non est secundùm potentiam physicem ex parte eorum, sed magis logicam, nequit pront sic verificari, quòd actu physicè sit in illis sive secundùm essentiam, vel substantiam, sive secundùm potentiam, unde nec dici potest, quòd sit illorum Dominus, alias relatio dominii Deo ab æterno convaniret, quòd est falsissimum, modo autem loquimur de esse in eliquo per potentiam physicâ &c.

2. Etiam modus essendi in elio per præsentiam, contra positivè ad elterum errorem sic intelligitur, quòd ità sint omnia nuda, & aperta oculis ejus, ut cuncta penetret, quoad omnem formalitatem, & modum eorum, & non solum individue cognoscat in aliqua ratione communi, & secundùm hāc tantùm sit in illis, ut falsò alii imaginabantur. Pro quo tamen edverto, quòd dum dicitur juxtà meritum fori intelligibilis, cognitum esse in cognoscente, & intellectum contrà positivè ad voluntatem cognoscere trahendo ed se res per speciem impressam, & expressam, seù verbum, non sic intelligitur quasi cognitio præcisè terminetur ed rem prout est in intellectu, vel secundùm prædicata tantùm, quæ illi conveniunt prout est in illo, sed etiam petit cognoscere penetrendo ee, quæ illi conveniunt ut est in se, vel extrà intellectum, qua ratione dicimus infrà qu. 14., quòd Deus eliā à se licèt non cognoscat nisi in se ipso, par id tamen non excluditur, cùm etiam perfectissimè cognoscat in se ipsis penetrando omnes finus, & prædicata ejus, quæ illis conveniunt prout in se, sed quia ad sic cognoscendum nunquam exit extrà propriam essentiam clerissimè omnia rapræsentantem. Dum ergo Deus omnia hujusmodi perfectissimè sic cognoscit ut in se ipsis, & non tantùm in se ipso dicitur esse illi præsens, vel esse in illis per præsentiam, idest per proprium conspectum, vel intuitum illi eb æterno convenientem, ut constabit infrà &c.

3. Denique modus contrà elterum errorem facilè etiam colligitur ex oppositione ed illum, nam cum limitet causalitatem divinam faciens eam sistere in prime intelligentie, necesse erit dicere, quòd Deus sit præsens secundùm essentiam, vel substantiam suam, quatenus est causa universalissima, vel modo universalissimo dat omnibus esse per contectum suæ virtutis, quo non solum extrinsecè contingit, sed intimè illabitur in omnibus rebus præbendo, & conservando idem esse, & virtutem locativam; & replendo, ut dictum est, omnie loca, quatenus producit corpore locate in illis. Ex quibus etiam patet nil referre contrà prædictum errorem, quod sit in spetiis imaginariis, nem satis est, quòd non sistat in eadem prima intelligentia, sed descendet per eundem contractum ad omnem aliam productam, vel existentem.

Difficultas temen adhuc est, en hic tertius modus possit in proprietate componi cum primo, nam esse secundùm substentiam, vel essentiam in eliquo, aliā esse simpliciter in illo; esse verò tantùm secundùm potentiam est esse secundùm quid, ut Rex simpliciter est in Throno ubi sedet, secundùm quid verò, vel secundùm metaphoram in toto regno, cui tantum adest secundùm potentiam; implicat autem, quòd respectu ejusdem possit convenire prædicatum simpliciter tale cum simultenee convenientia prædicati talis secundùm quid; nam hac ratione prob. 3. par. non posse Christum esse Filium adoptivum Dei per gratiam, quie est Filius ejus per naturam, quòd est esse Filium simpliciter &c.

Respondet. nihilominus posse optimè utrumque componi; quia licet quando prædicatum secundùm quid non fundatur super eliquid, quod propriè, & simpliciter alicui convenit, tunc nequeat componi cum prædicato simpliciter in habeute illud; secus verò quando idem secundùm quid fundatur super aliquid, quod propriè, & simpliciter convenit habenti prædicatum simpliciter, & quia esse per potentiam in aliquo, quod est esse in illo secundùm quid, fundatur in plena subjectione activa unius, & passive alterius, altera propriè, & simpliciter conveniente Deo, altera verò creeturæ, fit posse utrumque sinè ulla oppositione Deo convenire, cæterum filiatio adoptiva sic importat filiationem secundùm quid, quod exigit solum convenire supposito extraneo à natura adoptantis, hoc autem cum repugnet Filio Dei naturali, pariter eidem repugnat filiatio adoptiva Dei &c.

2. ULTIMUS.

Expeditur quæsitum circa modum existendi per gratiam.

INquires pro complemento an præter tres generales modos essendi in rebus, sit alius specialis quo intimè, & adhuc realiter sit in illis. Respondetur effirmativè, scil. esse præsentem in anima justi per gratiam intimè, & realiter alio specialiori modo, distincto ab illis tribus. Oppositum tenent Vasquez hic disp. 30. cap. 3., & Valentia puncto 3. circa finem existimantes præsentiam Dei in anima justi fieri solum per dona gratiæ, non per substantiam, & realem essentiæ suæ præsentiam, unde vel non videntur aliam præsentiam ibidem concedere nisi objectivam, quia nempè Deus est in creetura rationali tanquam cognitum in cognoscente, & sicut in templo, in quo colitur; vel nisi eo modo, quo sol, ut inquiunt; ratione caloris, & radiorum dicitur esse præsens in remotissimis terræ partibus, ubi tamen secundùm propriam substantiam non edast. Unde hi duo Authores in duobus videntur recedere à communi jā sententia Theologorum, & PP., nempè primò in eo, quòd non agnoscunt specialem, aut realē modum essendi in anima justi, quā in non habente gratiam, & charitatem, & quòd non eliter detur nobis Spiritus Sanctus, nisi quia novo effectu gratiæ apparet in nobis, quæ quia doue approprientur Spiritui Sancto, ideò ipse ad nos quoque mitti dicitur &c.

Contrà utrumque ergo dicimus, non solum esse ibi generali quadam retione, sicut in quolibet cognoscente, & colente, sed specieliori modo per cognitionem, & amorem simul, et ex vi unionis, quam habet mediante dono gratiæ esse personaliter,

ter, & intimè, & realiter præsentem; primum docent communiter jam cum Magistr.in 1.dist.37., & D. Thom. hic ar. 3. ad. 4., secundùm verò cum eodem angelico infrà quæst. 43. ar.3., ubi etiam in propositione primi argumenti appellat errorem sententiam asserentium non dari justis Spiritum Sanctum, sed tantùm dona ejus &c.

Ex quo simul prob. primùm. Nam per gratiam, & charitatem datur justis Spiritus Sanctus seù persona ejus, ergo ex vi hujus invisibilis missionis est præsens Deus in anima justi specialiori modo, scil. per cognitionem, & amorem simul, & verè intimè, & realiter, & non sola generali ratione, qua est in quolibet cognoscente, & colente, ità ut si aliàs non esset in illa prędictis generalibus modis, adhuc esset intimè, & realitar in eadem ex vi ejusdem missionis; antec. non solùm traditur à D. Thom. in solutione ad primùm, ubi inquit, *dicendum, quòd per donum gratiæ gratumfacientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quòd liberè non solum dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur, & ideò missio invisibilis fit secundùm donum gratiæ gratam facientis, & tamen ipsa persona divina datur*: & 4. cont. gent. cap. 18. dicit *Spiritus Sanctus secundùm substantiam suam inhabitat mentem*. Sed etiam à SS. PP. August. 5. de Trinitate cap. 26., & tract. 32., & 74. in Joan., & Leone Papa serm. 2. Pentecostes, ubi inquit, *Spiritus Sanctus datur non solum secundùm virtutem, & operationem, sed etiam secundùm præsentiam majestatis*, quod etiam apertè habetur Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; ubi clarè distinguitur collatio doni à Spiritu Sancto; diciturque charitatem esse effectum Spiritus Sancti donati nobis,& Joan.14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Cõs.verò prob.quia aliàs non verè diceretur dari, aut mitti per donum gratiæ, si ex vi talis non verè reciperetur in nobis.

Explic., & urg. hoc. Nam sententia illa, quam dicit ibiD. Th.esse erroneam,non negabat dari nobis donum gratię, ergo ideò dicitur ibi error, quia putabat Spiritum Sanctum non esse realiter pręsentem in anima justi, sed tantùm dari quoad effectus, ergo tenemur ad hunc vitandum admittere intimam, & realem ejus pręsentiam in illa &c.

Difficultas tamen est in explicando quo modo cõtingat hęc realis,& intima pręsẽtia in anima justi secundũ substantiam ex vi unionis pręcisè per gratiã, nã Vasquez ex eo,quòd hęc unio solum videatur esse per cognitionem, & amorem, quę salvari potest etiam inter absentes, infert quòd si aliàs Deus illis tribus modis generalibus non esset in anima justi, in rigore non diceretur realiter pręsens in illa præcisè ex vi ejusdem unionis &c.

Cæterum si hæc unio ad id salvandum sufficiens non esset, nec pariter salvaretur contrà prædictum errorem, Spiritum Sanctum nobis personaliter dari; tum quià, ut ipse etiam concedit, quilibet alius modus essendi per se solus sufficeret, ut Deus asset personaliter præsens in re creata, ergo etiam iste. Disparitas autem, quòd sit unio per cognitionem, & amorem non obstat, ut statim constabit ex D. Thom., licèt reverà difficile sit hanc unionem ad nostrum intentum explicare utpotè ineffabilem, pręcipuè cum alia dona supernaturalia, ut fides, & spes informis, aut etiàm donum linguarum vel prophetiæ dicantur ad id non sufficere ex eodem D. Thom. &c.

Dicimus ergo quod licèt unio per gratiam, & charitatem fit per amorem, habet taman præcipuè natura ipsius charitatis, quę est perfecta cum Deo amicitia, ut docet D. Thom. 2.2. quæst. 23. ar. 1.; quòd non solum importet vim affectivè conjungendi, sed etiam realitèr extrema amoris. Pro quo adverto ex eodem 1. 2. quęst. 28. ar. 1., quòd *duplex est unio*, ut inquit ibidem; *amantis ad amatum, una quidem secundùm rem, puta cum amatum præsentialiter adest amanti, alia verò secundùm affectum*, & deinde subdit. *Primam unionem amor facit effectivè, quia movet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati quasi ad se pertinentis, secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio, vel nexus. Unde D. August. in 8. de Trinitate cap. 10. dicit, quod amor est quasi junctura quadam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scil., & quod amatur, quod enim dicit copulans refertur ad unionem affectus, quod verò dicit copulare intendens pertinet ad unionem realem*.

Et in solutione ad secundùm id amplius explicans inquit; quod quędam unio est essentialitèr ipsemet amor, & hęc est unio secundùm affectum, quędam verò unio ast effectus amoris, & hęc est unio realis, unde ut dicit Philos. 2. Politic. cap. 2. Aristophanes dixit; quod amatores desiderarent ex ambobus fieri unum &c.

Ex quibus rectè inferimus, quòd cum amor charitatis perfectissimus sit, utramque unionem aut vim perfectè uniendi importat, scil. secundùm inclinationem, & affectum; & deinde secundùm realitatem; nam cum Deus perfectè amet, quos justificat, & possit etiàm assequi, quod intendit, ideò ex vi utriusque doni gratiæ, & amoris, quem causat in anima, specialiori modo unitur illi juxtà meritum suę amicitię non tantum affectivè, sed etiam secundũ præsentiam realem, quià ad perfectissimam amicitiam pertinet, ut amatum sit in amante, unde ex vi illius,salva tamen eminentia, & majestate Dei; manat Deus præsentialiter in homine justo sicut Rector, Protector, & Gubernator, & sicut Dominus summa reverantia colendus, & adorandus tanquam in templo vivo. Quod etiam egregio exemplo declarat Mag. Gonzales in unione Patrię, nam sicut in illa est intimè, & realiter pręsens divina essentia intellectui beatorum mediante lumine glorię, itaut istud sit dispositio ad eandem realem unionem, pariter in via poterit Deus esse intimè, & realiter pręsens in anima justi per gratiam, & charitatem, itaut hęc sit dispositio ad hanc realem unionem, per quam sit Deus intimè, & realiter præsens in illa, ut amicus præsens, amatus, & dilectus, & ut bonum præsens realiter.

Et sicut idem lumen non facit effectivè priorem unionem, sed est talis dispositio, ut illam exigat ex sua natura,sic paritèr gratia, & charitas non faciunt effectivè hanc posteriorem,scil. principaliter, val quasi immediatè, sed est talis dispositio, ut illam exigant, movendo, & desiderando præsentiam amati quasi ad se pertinentis,ut ait ubi supraD. Th.; & sicut denique unio illa Patriæ intima, & realis est cum intellectu beati, & secundùm substantiam,non ta-

tamen est hypostatica, aut substantialis, sed accidentalis, quia fit medio accidente, ità similiter posterior per gratiam, & charitatem solum accidentalis est, quia fit medio accidente; & esse quod resultat, est accidentale, scil. unio secundùm specialem præsentiam &c.

Ex his patet primò ad rationem dubitandi ab initio insinuatam ex P. Vasquez, quòd non sit nempè unio per cognitionem, & amorem, utcunque, aut purè affectivam, sed intimam, & realem, ut probatum est, unde rectè potest habere specialem modum præsentiæ distinctum ab aliis generalibus &c.

Patet secundò esse omninò negandum, quòd in non habente charitatem habitet Deus tanquam in templo suo, nam hujusmodi sacrum Hospitium non habetur per puram cognitionē, & amorem sterilem, inanimem, vel informem, sed per solam gratiam, & charitatem, ut habetur ex Scriptura, & PP. nam iterum 1. ad Corint. 3. dicitur, *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*; & infrà ibidem *Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos*. Unde D. Thom. ibid. ad intentum Apostoli, subdit quòd *Cognitio sine dilectione*, (scil. charitatis) *non sufficit ad inhabitationem Dei secundùm illud* 1. Joan. 4., *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Quod acutè etiam præmiserat idem Angelicus ponderando priora illa verba, *& Spiritus Dei habitat in vobis*, dicens, *unde & ad probandum quòd fideles sint templum Dei, subjungit, quod inhabitantur à Deo cum dicit; & Spiritus &c.* Ut detur nempè intelligi, quòd sine Spiritu Dei, aut gratia non habetur hæc inhabitatio tanquam in templo. Videatur ibidem, ubi pulchrè describit varias rationes templi, omnes tamen annexam habentes Sanctitatem &c.

Idetiam docuit August. lib. 3. cont. Maximum cap. 21., & lib. 2. cap. 11. sic ait. *In templo suo habitat Deus, scil. in Sanctis, qui sunt templum Dei*. Et in epist. 51. ad Dardanum inquit. *Illi enim ad templum Dei non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificant. Ad templum autem Dei pertinent parvuli sanctificati Sacramento Christi, & regenerati Spiritu Sancto, qui nondum valent cognoscere Deum*, unde etiam D. Thom. proximè relatus ait. *Sed specialiter dicitur Deus inhabitare tanquam in familiari domo in Sanctis, quorum mens capax est Dei per cognitionem, & amorem etiamsi cum actu non cognoscant, & diligant; dummodo habeant per gratiam habitum fidei, & charitatis, sicut patet de pueris baptizatis*; & ratio omnium est, quia ut dicit Psalmista *Domum Dei decet sanctitudo*: ex quibus constat esse minus consonum sacris litteris, & doctrinæ sanctorum dicere, quòd Deus habitet in aliquo non habente gratiam sanctificantem tanquam in templo.

Colligimus ulteriùs, quod si per impossibile non esset Deus in sanctis illis tribus modis generalibus, adhuc per hunc specialem mediante gratia salvaretur verè, & realiter esse in illis, sicut similiter diceretur semel unitus intellectui beati in ratione speciei medio lumine gloriæ, adhoc esse in illo secundùm substantiam, & essentiam, esto per impossibile non esset in illis 3. prioribus modis, & hunc modum præsentiæ in Beatis comprehendere possumus sub quarto, quo est in justis per gratiam &c.

Denique ex his omnibus constare potest legitimus sensus doctrinæ D. Tho., dum dicit locis relatis præcipuè infrà q. 43., quòd Deus medio dono gratiæ est specialiter in creatura rationali, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, nempè non de sola unione formali amoris, quæ est per affectum, & explicat §. 2. ubi suprà, sed de unione, quam efficit amor ex parte Dei effectivè; ex parte verò hominis ad Deum dispositivè, quia per amorem, ut dictum est, disponitur, ut Deus illam efficiat, unde non est sola unio affectiva, sed etiam realis, seu secundùm realem præsentiam amati cum amante. Per quod iterùm patet ad rationē dubitandi P. Vasquez: neque esse hanc præsentiam, tam speciali nexu, & influxu habitam cum generali aliorum ut cunq; cognoscentium, & informiter colentium, confundendam undè statim eam distinxit D.Th. eadem q.43. ar.3. in corp.. *& quia cognoscendo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundùm istum specialem modum, Deus non solùm dicitur esse in creatura rationali*, (ècce modus generalis), *sed etiam habitare in ea sicut in templo suo*. Ecce speciails respectu justorū.

Hinc etiam constat quarè per alia supernaturalia dona, prophetiæ, spei, vel fidei informis, quæ possunt etiam esse in peccatoribus, non habeatur hujusmodi specialis modus præsentiæ divinæ, sed tantùm per illud gratiæ, & charitatis, quæ est amicitia cum Deo; quia nempè hæc unio procedit ex perfecto amore Dei ad creaturam, ut dictom est, & perfectus amor creaturæ ad Deum disponit ad illam.

DISPUTATIO VII.

De Æternitate Dei.



Uo inquirimus alterum veluti præviè, quomodo scil. ratio durationis, & mensuræ conveniat æternitati; alterum verò principaliter, quomodo futura sint in illa, & quidem immediatè descendimus ad hoc posterius attributum, nam ex hujus cognitione devenimus etiam in cognitionem immutabilitatis divinæ, ex qua tanquam ex altera sui radice infertur; duo namque sunt, quæ tanquam rationes formales eam inferunt; scil. ipsum esse subsistens in plenitudine essendi, sive plenitudo divini esse, & summa illius immutabilitas orta ex summa sui actualitate excludente omnem potentialitatem; per quam aliquid est capax acquirendi, vel amittendi, quod est mutari, vel esse mutabile. Dicturi etiam in fine de mensura visionis beatæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum æternitas veram, ac propriam habeat rationem durationis, & mensuræ respectu divini esse.

CIrca primam partem nagat pro formali Aureolus in 1. dist. 9. q. 2. ar. 2.; existimans Deum tantùm durare virtualiter, quatenus habet vim causandi omne tempus, sive verum, siva imaginarium, vel quatenùs habet vim coexistendi infinito tempori imaginario, sicut immensitas est quędam vis, qua potest attingere omne spatiū imaginarium, quia putat in conceptu durationis includi imperfectionem, scil. extensionem successivam secundum priùs, & posteriùs, quæ Deo repugnat, unde nequit verificari sina imperfectione, quòd Deus in se formaliter duret. Favet illi aliquomodo M. Bannez in ao, quòd vult æternitatem solum identicè esse durationam, non formaliter, ita ut æternitas formaliter sit mensura durationis divinæ ponens in numerum cum illa per modum mensuræ, & mensurati &c.

Circa 2. verò negat r. Vasquez hìc disputatio 31. cap. 5., nam duo asserit importari ab æternitate, alterum reale, nempè rationem durationis, alterum verò rationis, scil. carentiam, vel negationem mansuræ respectu Dei. Alii verò affirmant quidem, non taman pro formali, sad tantùm fundamantaliter unde existimant rationē mansurę in æternitate non esse aliquid reale, sad tantùm aliquid rationis. Ita Navaretta hìc controv. 28. concl. 3., ubi aam vocat mansuram radicaliter, & sequitur M. Serra hìc ad ar. 2. dub. unico concl. 2., ubi ait æternitatem non esse mensuram realem, sed tantùm secundùm aprehensionem nostram. Alii denique absolutè affirmant, quòd nempè includat realiter, & positivè rationem mensuræ secundùm uniformitatem durationis, nec axigere ad sui constitutivum aliquid rationis, sic Cajet., & alii recentiores &c.

§. PRIMUS.

Præmissa definitone æternitatis statuitur duplex conclusio.

ÆTernitatem sic definivit Boetius lib. 3. de Consolat. *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Quam communnitar admittunt Theologi, & mirabiliter explicat D. Tho. hìc ar. 1., ut consideranti attentè literam constare poterit; sad deveniendo ad singulas particulas declaratur ex eodem in solutionibus. Dicitur ergo *interminabilis*, non quia de assentia ejus sit negatio, sad quia noster intellectus, qui 1. aprehendit composita, non potest in cognitionem simplicium pervenire, nisi per remotionam compositionis: ità habet ad 1. 2. *Vita*, non verò *esse*, ad significandum, quòd verè æternum, est etiam vivens, & non solum ens, & ipsum vivere se extendit ad operationem non ipsum esse. Protensio autem durationis magis videtur attendi secundùm operationem, quam secundùm esse, unde & tempus dicitur numerus motus: Ità ad 2., 3. *Tota* non quasi constet ex partibus, sed quia nihil ei deest. Ità ad 3. 4. *Simul* quia sicut Deus cum sit in corporeus nominibus rerum corporalium metaphoricè in scripturis nominatur, ità æternitas tota simul axistens nominibus temporalibus successivis: Ità ad 4.. Et per has duas particulas excluditur duplex imperfectio, altera divisionis, per ly *tota*; altera successionis, per ly *simul* 5. *Perfecta*, quia cum in tempore duo sint, scil. tempus, quod est quid successivum; & nunc temporis, quod est imperfectum; sicut ad excludendum tempus, dicitur *tota simul*; ad excludendum 2. dicitur *perfecta*: Ità ad 5., nam licet nunc temporis sit totum simul, nec habeat partes, quia tamen extansionam non continet, nec in eo aliquid perfectè possideatur, est quid valde imperfectum. Tandam dicitur *possessio*, quia quod possidetur firmiter, & quiatè habetur, unde ad designandam immutabilitatem, & indeficientiam æternitatis, usus est nomine possessionis potiùs, qoam durationis: Ità ad 6. Ex quibus patet esse optimam, & consequenter rectè à Boetio traditam &c. His præmissis sit &c.

1. Concl. Æternitas est essentialiter duratio. Est expressa D. Tho. hìc. Nam ut proximè vidimus, non solum admittit ad 2. id, quod intendit argumentum scil. æternitatem, durationem quandam significare, sed in eo deinde quòd subdit, scil. protensionem durationis attendi magis secundùm operationem, quam secundùm esse, (ex quo colligit in definitione æternitatis potius debuisse poni vitam, quam esse,) non leviter insinuat asse essentialiter talem, sive pertinere ad ejus conceptum definitivum. Idem repetit in solut. ad 6., nā cum in illo dixisset, *æternitas quędā duratio est*; non solum id admittit, sed prætereà, ut dictum est, explicat Boetium, quòd potius sit usus nomine possessionis, quam durationis, ut scil. designaret immutabilitatem, & indeficientiam æternitatis, in quo iterum rationem durationis innuit esse inclusam in conceptu definitionis: Et ar. seq. in corp. inquit, *Deus est sua æternitas, cum tamen nulla alia res sit sua duratio*. In 1. etiam dist. 19. qu. 2. ar. 1. loquens de æternitate, ævo, & tempore ait. *Tria prædicta nomina significant durationem*. Et denique q. 3. de potentia ar. 14. ad 1. ait dicendum, quòd secundùm Boetium de consolat. lib. 5. in fine. *Etiam si mundus semper fuisset, non esset Deo coæternus, ejus enim duratio non esset tota simul, quod ad æternitatis durationem requiritur*, ergo sentit æternitatem indispensabiliter, vel essentialiter importare rationem durationis &c.

Ratione deinde prob. Duratio, ut constat exterminis, nihil aliud est quam permanentia rei in esse, idest mensura, per quam notificatur quantum res in esse actualiter perseverat, sive sit successiva, sive permanēs, ut adhuc dicemus infrà, sed æternitas sic notificat esse divinum, ergo, mi. constabit concl. sequenti, & patet, qoia esse divinum est semper in se ipso immutabiliter, & indeficienter permanens, ergo sola æternitate, quæ est tota

ta simul, & perfecta possessio notificari potest. major etiam ulteriùs declaratur; nam duratio motus primi mobilis nihil aliud est, quam semper successivè fluere secundùm partem priorem, & posteriorem, & duratio Angelorum, quam aceptum à Deo esse, iodesinenter persistere, ergo duratio ut sic nihil aliud erit, quam permanentia in esse per modum mensuræ notificantis quantitatem persistentiæ rei, & consequenter æternitas nihil aliud erit, quam duratio divini esse, scil. uniformis permanentia notificans immutabilitatem, & indeficientiam ejus &c.

Dices ma. esse falsum, nam potiùs ex terminis accipiendа est per modum cujusdam moræ, vel fluxus notificantis quaotū res conservetur; per hoc autem, quòd aprehenditur sola rei permaoentia excludendo omnem successionem secundùm priùs, & posteriùs, non potest mensurari res permaneos secundū durationem, unde ex sola rei permanentia in esse non habetur conceptus durationis. Ità Aureolus, ex quo patet non admittere aliam durationem à tempore.

Sed contrà hoc est. Nam per hoc præcisè, quòd res desinit esse, verè dicitur, quòd cessat durare, sive sit esse successivum, sive permanens, ergo per hoc præcisè, quòd permanet in esse, verè dicetur durare, sive esse successivum, sive permaneos sit §. 2. (& evertitur idem ejus fundamentum.) Falsum est successionem secundùm priùs, & posteriùs esse de conceptu durationis ut sic, ergo adæquatus conceptus durationis pro formali non est limitandus ad solam durationem successivam, prob. ant., durare, ut patet ex terminis, est de geoere perfectionis, sicut amittere esse, vel deficere de linea imperfectionis, sed duratio successiva secundùm priùs, & posteriùs importat imperfectionem, cum in successione claudatur defectus, vel amissio essendi, quatenùs oon eodem modo aliquid perseverat, nec est in actu, sed transeat de poteotia ad actum, pereunte una parte in adventu alterius ergo &c.

Expl. hoc. Id nequit esse de concepta rei, quod diminuit perfectionem ejus, sed successio, vel extēsio successiva secundùm priùs, & posteriùs dimiouit conceptum durationis, cum durare, ut dictū est, dicat perseverātiam in esse, durare autem successivè dicat defectum, vel amissiouem essendi, ergo non est de cōceptu durationis, sed magis imperfectio ejus, nā sicut in simili dicimus, non esse de cooceptu liberi ut sic, ità esse quòd possit nō esse, hoc enim magis derogat perfectioni ejus, quæ est perfectio simpliciter simplex, & solum est de conceptu liberi poteotialis, aliàs Deus non esset liber, unde solum est dominari super utrumqoe extremum, ità in casu non est de cooceptu duratiooìs ut sic, successivè durare secundùm priùs, & posteriùs, hoc enim magis diminuit, ut dictum est, perfectionem ejus, & solum est de conceptu durationis imperfectæ, vel durantis coruptibiliter, unde solum est permanentia in esse, ut explicatum est, sive ens successivum sit, sive permanens, & immutabiliter perseveret in esse &c.

Ex his patet non solum esse durationem identicè, sed etiam formaliter; nam quod est essentialiter, vel definitivè tale debet esse formaliter, & non tantum definitivè tale ut patet inductivè. Tum quia secundùm M. Bannez, & communem doctrinam Thomistarum, ut statim constabit, æternitas est meosura divini esse in ratione durationis, ergo est formaliter, & noo tantum identicè duratio, nam sicut mensura alterius secundùm quaotitatem debet necessariò esse formaliter quanta, & rei permanentis, vel successivæ formaliter permanens, vel successiva, ità mensura in ratione durationis debet esse formaliter duratio; & ratio omnium est, quam insinuavimus, quia cum com mensura sit id, per quod notificatur nobis quantitas rei mensuratæ, scil. quanta sit, non posset æternitas esse mensura in ratione durationis, nisi in hac linea esset formaliter talis &c.

Expl., & urg. hoc. Nam æternitas non est mensura quasi extrinseca divini esse, sicut tempus dicitur mensura extrinseca motus rerum inferiorum, vel corruptibilium, sive extrinseca durationis intriosecæ cujuscumq; rei temporalis à motu Cæli distinctæ, sed sicut idem tempus est intrinseca mensura motus Cæli, vel durationis intriosecæ illius, ergo sicut istud non ponit in numerum cum eodem motu, vel duratione iotrinseca Cæli, ita ut sit mensura istius, non ut durantis formaliter, quia prima duratio motus est tempus; sed tantùm ut durantis radicaliter; nec æternitas ponit in numerum cum duratione intrinseca Dei, ita ut sit mensura divini esse, non ut durantis formaliter, quia prima, ut sic dicamus, duratio divini esse immutabilis est ipsa æternitas; sed ut durantis radicaliter, quia in eodem esse immutabili habetur radicaliter; unde sicut in eodem motu Cæli non distiuguimus duas mensuras, vel durationes, quarum altera reddatur Cælum durans, & altera meosuretur duratio, sed ponitur uoa taotùm, sive quòd tempus, quod est duratio intrinseca motus Cæli, sit mensura intrinseca ipsius motus, ut radicaliter durantis, sicut dicimus quantitatem esse mensuram substantiæ, non ut formaliter quantæ, aliàs esset mensura sui ipsius, sed ut quantæ radicaliter; ita proportionabiliter discurrimus de æternitate, quòd sit mensura divini esse immutabilis, non ut formaliter durantis, aliàs esset iterùm mensura sui ipsius, sed ut durantis radicaliter, & ratio omnium est, quia mensura, vel duratio intrinseca rei contrapositivè ad extrinsecam, noo est mensura illius ut durantis, aliàs, ut dictum est, esset meosura sui ipsius, sed taotùm dicitur mensura illius esse, ad quod sequitur &c.

2. Conclusio. Æternitas habet rationem mensuræ divini esse non realiter formaliter mensurantis illud, sed tantùm virtualiter. Prima pars, quòd habeat rationem mensuræ, sumitur ex D.Th. hic ar. 5. in corp., ubi ait: *Est ergo dicendum, quòd cùm æternitas sit mensura esse permanentis, secundùm quòd aliquid recedit à permanentia essendi, recedit ab æternitate &c.* Unde docet ibidem esse mensuram divini esse, sicut tempus est mensura motus &c.

Prob. deinde ratione. Id verè habet rationem regulæ, vel mensuræ in aliqua linea, quod ratione suæ uniformitatis manifestat extensionem rei, sive formalem, sive virtualem, sed hoc propriè competit æternitati respectu divini esse, ergo est mensura illius. Maj. patet inductivè, & præcipuè etiam in hac linea durationis, ut patet in motu pri-

tu primi mobilis, nam quia est regulatissimus, & uniformis est mensura rerum mutabilium, & duratio etiam angelica rerum immutabilium, vel permanentium secundùm esse, scil. Angelorum: min. etiam est certissima, cùm sit in eadem linea, perfectissima, ut patet ex ejus definitione &c.

Urg. hoc. Nam omnis duratio est mensura esse actualis, ad quod sequitur, ut iterùm patet in utraque superiori duratione, nam quia tempus est duratio secuta ad esse successivum motus Cæli, verè est mensura ejus secundùm partes priores, & posteriores; & quia ævum est duratio secuta ad esse permanens Angelorum, verè est mensura eorum, sed æternitas est duratio virtualiter secuta ad esse divinum permanens, ergo verè erit mensura ejus; min. etiam constat, quia cùm divinum esse sit omninò invariabile, maximè fundat uniformitatem in permanentia essendi &c.

Dices, quòd videtur ex his magis colligi oppositum; nam si semel æternitas notificat nobis de divino esse utpotè immutabili, quòd indeficienter duret, jam notificat illud, quòd duret sine mensura, & consequenter non potest illud notificare per modum mensuræ, sed magis per aliquid negativum, sive per modum carentiæ ejus &c.

Sed contra hoc est. Nam licèt manifestare, quòd indesinenter duret, non sit manifestare per modum mensuræ finitæ, benè verò per modum infinitæ, vel illimitatæ, ergo non rectè infertur ex hoc quòd magis negativè, & non positivè manifestetur in hac linea per modum mensuræ, prob. ant. simul cum cons., doratio secuta ad esse limitatum est verè mensura ejus in hac linea, non tantùm negativè, sed etiam positivè juxta sui conditionem, scil. limitata, ergo duratio secuta ad esse illimitatum verè erit mensura ejus juxta conditionem sui, scil: illimitata &c.

Secunda verò pars, quòd non sit mensura realis formalis, sed tantùm virtualis sumi potest primò ex D. Tho., qui mox negat rationem mensurabilis, & mensuræ in Deo; in 1. dist. 19. q. 1. ar. 1. ad 4., ubi ait: *Dicendum, quòd divina magnitudo nullo modo est mensurabilis, vel mensurata, nec ab alio, nec à se; primò, quia numeratio ponit terminationem; & divina non habent terminum neque intrà, neque extra. 2. Quia mensuratio non est unius quantitatis ad se, sed duarum.* Et hic ar. 2. ad 3. inquit: *Non dicitur Deus æternus, quasi sit aliquo modo mensuratus, sed accipitur ibi ratio mensuræ secundùm apprehensionem tantùm.* Mox verò affirmat, ut hic ar. 5. in corp., ut dictum est, dum ait æternitatem esse mensurā rei permanentis sicot tempus est mensura motus; & iterùm in 1. dist. 19. q. 2. ar. 1. dicens, *quòd triplex est actus, quidam, cui non substernitur aliqua potentialitas, ut esse divinum; & operatio ejus, & huic respondet loco mensuræ, æternitas.* Nisi ergo velimus tam proximè sibi contradicere, explicandus est secundùm relatam diversitatem mensuræ, qoòd affirmet de virtuali, & neget de reali, sicut in simili communiter dicimus, quòd unom divinum est radix, & causa, & respectu alterius, scil. virtualis, & non realis formalis, ot natura est radix attribototum, & unum attributum est caosa virtualis, vel ratio formalis alterius, ut immutabilitas æternitatis &c.

Ratione deinde prob. Quod realiter formaliter mēsuratur ab alio, distinguitur realiter, & dependet ab illo, ergo nequit æternitas esse mēsura realis formalis divini esse, prob. āt.; quod mēsuratur ab alio, distinguitur, & dependet ab illo, ergo quod mensuratur realiter, distinguitur, & dependet realiter ab illo; conf. tenet, quia si semel mensuratum ex terminis importat distinctionem, & dependentiam à mensura, eo modo importabit, quo mensuratur, & consequenter realiter, si mensuratur realiter juxta regulam dialecticam, quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundùm quid; ant. verò prob., quia mensura ex terminis est veluti regula mensurati, ergo nisi velimus, quòd idem sit regula sui, erit necessaria aliqua distinctio, & consequenter dependentia unius ab alio &c.

Expl. hoc, & præoccupatur solutio; nam sive mensura sit intrinseca, sive extrinseca, intantùm aliquid mensuratur realiter ab alio, inquantùm in suo esse reali nequit intelligi completè perfectum, & apparens independenter ab illo; nam aliàs non indigeret mensurari realiter ab eodem, ergo ratio mensurabilis realiter à mensura, quæcumque sit, sive intrinseca, sive extrinseca fundat distinctionem, & dependentiam realem à sui mensura; qua ratione, ut dicitur in summulis, nulla res potest esse signum sui ipsius, quia nempè signatum cùm sit mensura signi, & mensuratum dependeat realiter à mensura, si semel aliquod esset signum sui, idem dependeret realiter à se ipso, quod est impossibile, unde non est inter utrumque pura connexio, sed cum diversitate reali, & dependentia unius ab alio, ergo si esse divinum mensuraretur realiter ab æternitate etiā tanquam à mensura intrinseca non posset non distingui realiter, & dependere ab illa &c.

Quòd verò sit virtualis prob.; nam perfecta, vel omnimoda uniformitas in linea durationis est mensura esse immutabilis, ut patet, sed æternitas importat hanc uniformitatem ot solùm virtualiter distinctam ab eodem esse immutabili, vel divino, ut constat ex dictis circa distinctionem attributorum, ergo erit tantùm mensura virtualiter illius, sicut in simili dicimus de objecto, quòd si realiter distinguitur ab intellectione, realiter dicitur specificare illam; si verò virtualiter, tantùm virtualiter, & sic de aliis &c.

§. II.

Solvuntur Argumenta contra primam Conclusionem.

Primò arg. Omnis duratio formaliter importat rationem successivi secundùm priùs, & posteriùs, ergo æternitas non est duratio formaliter; conf. tenet ex definitione ejus; antec. verò prob.; nam omnis duratio comparativè ad aliam importat aliquem excessum, vel defectum; omnis enim vel est major, vel minor, vel æqualis, sed hujusmodi excessus, vel defectus juxta meritum lineæ durativæ, scil. fluidæ in quadam successione, vel extensione majori, vel minori secundùm prius, & posterius consistit, ut patet ex terminis, ergo &c.

Expl.,

Expl., & urg. hoc. Omnis duratio comparativè ad aliam debet accipi secundùm tantam, vel tantam moram in signo ante, & post; non enim videtur posse aliter concipi, cùm sit quædam mora, prout sic tardior, vel velocior, aut prolixior in linea fluida; sed hoc totum, ut per se patet, importat extensionem successivam majorem, vel minorem secundùm priùs, & posteriùs; ergo cùm non possit hæc majoritas, vel minoritas percipi in hac linea, nisi una habeat esse prius quàm altera incipiat, aut posteriùs, quàm altera desinat, ergo &c.

Ad hoc nego ant.; ad prob., vel iterùm nego, vel dist. claritatis gratia maj.; omnis duratio creata, transeat, vel conc.; abstrahens à creata, & increata, nego, vel etiam subdist.; importat excessum, & defectum secundùm determinatam quantitatem ex parte excedentis, nego; secundùm indeterminatam, aut indeficientem perseverantiam in esse, conc.; unde excessus, & defectus loquendo de conceptu durationis ut sic, non est perpetuò accipiendus secundùm extensionem successivam, vel cum prioritate, & posterioritate, (hæc enim magis diminuit perfectionem durationis, ut dictum est) sed secundùm perseverantiam in esse juxta meritum durantis, unde si est infinitè durans, ut est Deus, ejus duratio habet excessum non secundùm determinatam quantitatem, vel magnitudinem, sed secundùm omnimodam uniformitatem in perpetuò durando, in qua nulla reperiri potest successio, sed regulatissima, & infinita permanentia in essendo sine omni imperfectione prioritatis, & posterioritatis &c. Et consequenter sine quantitate, vel quantitate, per quod patet ad confirmationem &c. de quo etiam Capreolus in 1. dist. 9. q. 1. ad argum. Aureoli 4. loco facta, & M. Serra hìc ad 3.

Sed instas. Nam inquirenti, an Deus plus duret, quàm Angelus, aut quodcumque aliud temporale, verè respondetur affirmativè, ergo etiam loquendo de duratione ut sic, facta comparatione unius ad alias, reperitur quantitas extensionis major, & minor, & consequenter successio, quæ tamen propriè, & formaliter repugnat Deo.

§. Urg. hoc ex D. Tho. in 1. dist. 8. q. 2. ar. 1. ad 6., ubi ait: *Duratio dicit quandam distensionem ex ex ratione nominis, & quia in divino esse non debet intelligi aliqua talis distensio; ideò Boëtius non posuit durationem, sed possessionem*: in quibus videtur apertè docere, quòd ratio successionis pertineat ad conceptum durationis, aliàs in eadem definitione videbatur magis esse utendum nomine durationis, quàm possessionis, cùm prout sic magis exprimeretur conceptus æternitatis in propria sui linea &c.

Huic instantiæ patet ex priori solutione; unde expl. iterùm, & dist. ant., verè resp. affirmativè, quasi per determinatum excessum supra omne creatum, nego; indeterminatum, & illimitatum, conc.; unde sensus est, quòd plus duret, quia semper est, de cæteris verò creatis verificatur, quòd aliquando non sint, unde non tenemur ex eodem excessu ponere in Deo successionem aliquam, vel extensionem secundùm priùs, & posteriùs, sed tantùm immutabile *nunc*, seu virtuosum semper, & idem permanens &c. Ad confirmationem statim dicemus &c.

Sed instas primò. Quia etiam de creatura potuit verificari, quòd semper sit, si eam Deus, ut potuit, ab æterno produxisset, ergo non sufficienter explicamus eumdem excessum per hoc, quòd Deus semper sit, & creatura non, sed tenemur recurrere ad aliquam successionem requisitam ad rationem durationis. §. 2., quia adhuc de Deo verificatur, quòd fuerit ante tempus, & simul cum illo, & post illud; ergo si hæc conveniunt ex merito durationis, erit ponenda in Deo ex meritis ejusdem lineæ ratio præteriti, præsentis, & futuri, & consequenter successio secundùm priùs, & posteriùs, quod est alienum; ergo aptiùs removenda erit à ratione æternitatis propria, aut stricta ratio durationis, & quòd ad hanc sit necessaria aliqua successio &c.

Respond. ad 1. disting. ant., poterit verificari, quòd semper sit juxta sui conditionem, & sine necessitate essendi, & durandi, præcipuè à parte ante, conc.; aliter, nego; nam licèt potuerit Mundus produci ab æterno, non tamen ut simul, & uniformiter duraret, sicut Deus, & cum necessitate semper essendi, præcipuè à parte ante, unde non est necessarium excludere omnem successionem à sui duratione, & dare huic plenam simultatem, vel uniformitatem durandi sine omni defectu, & cum excessu indeterminato unius creaturæ supra aliam, sicut damus durationi divinæ supra omnem creaturam, unde sempiternitas ejus perpetuò distinguenda est à prædicta sempiternitate creaturæ, quæ neque etiam impediret ejus successionem secundùm partes indeterminatas modo alibi explicato in physicis, sicut non impedit multitudinem partium; & quamvis aliqua ex his, ut infrà ostendimus de Angelis, post sui productionem habeat ab intrinseco meritum semper essendi, absolutè tamen potest cessare, si eam Deus, ut potest, annihilaret, nec etiam habet eandem simultatem in durando, quòd modò da præsenti duret pro qualibet differentia temporis eam continendo, sicut durat Deus in sui æternitate, ut supra in Procemialibus insinuavimus, & latè etiam constabit qu. sequenti &c.

Ad 2. dist. ant. ex dictis in summulis: verificatur quòd fuit ante, & erit post tempus, ex modo significandi, transeat, vel conc. ex parte rei significatæ, nego; nam sicut de æternitate verificatur, quòd sit tota simul sine omni præteritione, & futuritione, ita pariter de divino esse, quod semper est immutabiliter juxta illud: *Ego hodiè genui te*; unde solùm ex parte temporis est mutatio, & successio secundùm priùs, & posteriùs; & ad hunc sensum dicitur, quòd fuit ante, & post illud, quia nondùm existente jam est, & eodem præterito adhuc est, & solùm ex modo significandi utimur respectu illius verbo præterito, & futuro, sed ex parte sui illud tantùm de præsenti verificari potest.

Ad confirm. ex D. Tho. pro priori instantia dicimus ita esse attendendo ad vim nominis, vel ad id, à quo nomen impositum est, sic enim duratio dicitur à fluendo, sive à fluidè permanendo, quod significat quandam partium distensionem, quam Boëtius attendens noluit, ut dictum est, in definitione æternitatis, durationis nomine uti, sed magis possessionis, ad significandum, quòd æternitas non est duratio quæcumque, sed firma, pacifica.

cifica, sive immutabilis, indeficiens, & indivisibilis; cæterùm si attendamus ad rem significatam, sive ad id, ad quod nomen impositum est ad significandum, tunc præscindit à prædicta ratione fluidi, vel successivi, quæ magis pertinet ad ejus imperfectionem, ut dictum est, & solùm importat permanentiam in esse juxta conditionem rei durantis, ut diximus de ratione liberi, unde verè, & secundùm proprietatem affirmari potest de æternitate, sicut de Deo affirmamus rationem substantiæ, licèt hæc similiter secundùm vim nominis importet aliquid Deo repugnans, cùm prout sic, dicatur à substando accidentibus, ut vidimus in logicis, unde ut docet D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 5.; Deo prout sic convenire non potest, licèt aliàs attento significato ejus, sive perseitate, propriè illi conveniat &c.

2. Arg. (& est replica.) Duratio per nos nihil aliud est, quàm perseverantia in esse, ergo non potest æternitas esse formaliter duratio; prob. conf., quia perseverantia in esse nihil aliud est, quàm rei, quæ durat continuata existentia; sed æternitas est attributum distinctum ab existentia, ergo non est formaliter duratio &c.

Urg. hoc. Potest res produci, & conservari sine quocunque alio distincto ab essentia, & existentia ejus, non tamen sine duratione, ergo signum est durationem non ponere in numerum cum rei durantis existentia. Præterquamquòd si semel poneret in numerum, deberet ponere, vel per modum substantiæ, & hoc non, quia in nulla re est alia substãtia prætar essentiam, existentiam; vel *per* modum accidentis; & hoc etiam non; tum quia nullum est assignabile genus accidentis, ad quod spectet; tum quia si esset accidens, duraret substantia dependenter ab aliquo accidente, ut à formadante esse, quod est falsum, nam licet quoad aliquem effectum accidentalem, possit ut à forma dependere ab illo, ut dicitur in logicis de distinctione partium opposita confusioni, sivè quoad extensionem in ordine ad se, non tamen quoad substantialem, sive intrà forum essendi, ut explicatur ibid. de distinctione substantiali, sive opposita identitati, sic enim tantum dicitur dependere à quantitate, ut à termino connotato, ergo &c.

Ad hoc præter ea, quæ latè dicta sunt in physicis; expl. ulteriùs, & dist. ant., quam perseverantia in esse, cum aliqua tamen distinctione saltem virtuali ab illo, conc., aliter nego, dicimus ergo durationem ut sic, præcisè quidem importare permanentiam in esse, non per exclusionem, aut præcisionem cujuscunque distinctionis ab illo, sed successionis, quia hæc magis diminuit conceptum, aut perfectionem ejus, ut dictum est, non verò distinctio, nam hæc ut vidimus; si solum virtualis sit, admittitur, immò est necessaria in Deo ad salvandam summam ejus eminentiam, vel præcontinentiam omnium perfectionum, & adhuc etiam realis actualis, ut inter opposita relativè, vel personas; cæterum successio, cum dicat defectum alterius partis, vel alicujus prioris, est omninò repugnans Deo, & tantum potens convenire duranti, aut durationi defectibili; unde etiam nego conf., ad illius probat. similiter expl., & dist. ma., quàm continuata existentia; continuatione importante puram existentiam, nego aliquid etiam saltem virtualiter distinctum conc., unde ex eo, quòd æternitas sit distinct. attributum ab esse, non infertur, quin possit esse formaliter duratio, nam continuatio, vel permanentia divini esse, seu duratio ejus, scil. æternitas distinguitur virtualiter ab essentia, & existentia &c.

Ad confirmat. nego conseq., nam quòd non possit res sine duratione etiam produci, & conservari non oritur ex omnimoda identitate, sed ex necessaria conjunctione, sicut similiter dicitur de qualitate, quòd non potest esse, aut conservari sine aliqua intensione. Ad id, quod ultimò subditur non posse distingui, nec ut substantiam, neque ut accidens, dicimus durationem ut sic, præscindere, vel neutrum esse determinatè, sed in creaturis esse accidens, scil. quantitatem, aut formalem, ut est tempus, aut virtualem, ut est ævum; & hanc reducendam esse ad speciem temporis, sicut unitas reducitur ad speciem numeri; quòd verò duratio sit quantitas virtualis, docet D. Tho. infrà q. 42. ar. 1. ad 1. Ad illius verò impugnationem; nempè, quòd si esset accidens, dependeret substantia quoad esse ab aliquo accidente, ut à forma; dicimus, quòd cum durare sit aliquod esse accidentale superadditum rei, vel creaturæ duranti; est necessarium quoad hoc, quòd dependeat cum substantia à forma accidentali, qualis est duratio, ut rectè etiam dicit argumentum de distinctione accidentali, vel ordinata, quòd dependet quoad hanc à quantitate, licèt deinde tam hæc, quam duratio dependeant ab esse substantiali, sicut tempus à motu tanquam à sui subjecto, ut tradit D. Tho. opusc. 36. c. 1., & in 2. dist. 2. q. 1. ar. 2., & hic ar. 6.; *dicens comparatur tempus ad primum motum, non solum ut mensura ad mensuratum, sed etiam ut accidens ad substantiam.*

§. III.

Solvuntur argumenta contrà secundam.

PRimò arg. duplici autoritate D. Th. ad removẽdam omnem rationem mensuræ ab æternitate, sive realem formalem, sive tantum virtualem, & ad prob. solùm per aliquid rationis compleri, vel constitui in hac ratione: prima sumitur ex 1. dist. 19. q. 1. ar. 1. ad 4. in favorem Vasquez; ubi ait *divina magnitudo nullo modo est mensurabilis. vel mensurata nec ab alio, nec à se, quia mensuratio ponit terminationem.* §. 2. in favorem aliorum hic ar. 1. ubi ità habet. *Sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris, & posterioris in motu, ità in aprehensione uniformitatis ejus, quod est omninò extrà motum, consistit ratio æternitatis.* Ubi per aprehensionem non intelligit activam, sed passivam, scil. aprehendi, vel cognosci, sicut in simili dictum est in physicis, quòd abstractio est formalis ratio in scientiis, non quidem activa, vel tenens se ex parte intellectus; (hæc enim magis est cõditio) sed passiva, scil. immaterialitas orta in objecto ex vi abstractionis activæ, quæ est veluti quoddam lumen manifestans prædicata objecti

in

in tali, vel tali scientia, & per quam hæc specificatur, & distinguitur ab alia, ergo cum hujusmodi sit ens rationis, ratio æternitatis completur, vel constituitur per aliquid rationis &c.

Ex quibus etiam formatur ratio 1. sic. Quia implicat in terminis, quòd id, quod est simpliciter, & absolutè infinitum sit mensurabile, aut mensuratum, sed magnitudo, vel esse divinum est omninò Infinitum ergo nequit esse mensuratum, aut mensurabile &c.

Urg., & expl. hoc. Nam ratio mensuræ quæcunque sit, duo importat Deo repugnantia, scil. dist. realem à mensurato, cum dicantur relativè, & deinde inferioritatem, vel esse imperfectum, & dependens ex parte mensurati, quia si semel aliquid intelligitur complete perfectum independenter à quocunque alio, jam non indiget mensurari ab illo, nam hac ratione scientiæ indigent objecto ut sui mensura, (& sic de aliis,) quia in foro scentifico nequeunt completè intelligi perfectæ independenter ab illo, ergo nullo modo in re sive formaliter, sive virtualiter potest æternitas esse mensura divini esse, sed tantum constitui per aliquid rationis in hac linea &c.

Ad hoc patet ex dictis solum concludere de ratione mensuræ reali, vel formali, non virtuali, unde ad priorem authoritatem dicimus tantùm excludere rationem mensuræ realiter formaliter mensurantis, quæ importat duplicem relatam imperfectionem, non verò virtualiter, sive per modum rationis formalis, ut explicatum est; hæc enim optimè salvari potest sine reali distinctione, & dependentia, ut patet in intellectione divina respectu sui objecti primarii, quod quia se habet ut ejus specificativum, obtinet rationem mensuræ respectu illius, non quidem realis formalis, sed virtualis, & ideo nec indiget realiter distingui, nec ab illo scientia, vel intellectio divina dependere, unde cum pariter æternitas in suo conceptu explicet uniformitatem, & regularitatem divinæ durationis, dicitur notificare per modum mensuræ saltem virtualis quantitatem durationis existentiæ divinæ. Per quod etiam patet ad rationem factam, & ejus confirmationem &c.

Ad 2. authoritatem, quæ videtur difficilior, respond. cum Cajet. hìc quod ly *in apprehensione uniformitatis consistit*; dupliciter intelligi potest, 1. ut contendit argumentum, scil. consistere in aprehendi, & cognosci, ità quod æternitas sit completivè ab anima, sicut explicatur de tempore; & tunc dicimus non posse sic intelligi D. Tho., eo quòd *unitas uniformitatis perennis* inquit Cajet.; *actu est absque actu animæ, non minus, quam unitas essentiæ divinæ*; unde rectè etiam M. Ferre hic §. 5. ait. *Nunquam ego potui intelligere, quòd aliqua formalitas divina in suo esse divino indigeat complemento entis rationis*, ut nos etiam infrà de constitutivo actus liberi Dei ad q. 19. constanter asserimus: *alio modo*; subdit Cajet., *quòd significet idem, quod in conceptione objectiva, quam frequenti usu vocamus rationem; ac si dixisset ratio æternitatis, consistit in aprehensione uniformitatis, idest in ipsa uniformitate, quæ per modum objecti correspondet aprehensioni ejus, & hic est sensus intentus.* Unde quidqu id extrinsecum, vel rationis advenit prædicatis divinis, totum consequens est, & supponens illa in suo esse plenè constituta.

Unde si quid rationis, vel aprehensionis desideratur ad illa non est ad constituendũ, vel complendum, sed magis ob indigentiam, vel imperfectionem nostri intellectus, qui nequit aliter divina ob eorum infinitum excessum, & simplicitatem nisi connotativè, & imperfectè concipere; quod videtur indicare D. Tho. ad 1. dicens; quòd *simplicia consueverunt per negationem desfiniri, sicut punctus est, cujus pars non est, quod non ideò est, quia negatio sit de essentia eorum, sed quia intellectus noster, qui primò aprehendit composita in cognitionem simplicium pervenire non potest, nisi per remotionem compositionis.*

Ex quibus constat nec posse æternitati denegari rationem mensuræ saltem virtualis, ex eo quòd includat negationem mensuræ limitatæ, & formalis, ut putat Vasquez, cum aliunde attendatur ratio virtualiter mensurantis; nec esse attributum purè negativum completum, vel constitum per negationem successionis, ut vult Scotus, aut independentiæ ut vult Suarez, nam aliud est, quòd sic concipiatur à nobis, aliud verò, quòd in se sit aliquid negativum; in se enim verè est realis, & positiva permanentia in tali esse, & desitioni opponitur, quæ negatio quædam est; unde ibid. ait D. Tho. *Ex hoc quod apprehendimus nunc stans, apprehendimus æternitatem.* Quasi dicat, quod divinum *nunc* stans omnibus modis, in quo æternitas consistit, quid reale positivum est independenter ab omni actu nostri intellectus, & omni intentione, per quam illam aprehendimus, vel sine qua ejus simplicitas à nobis intelligi non potest. Præterquamquòd hujusmodi negationes dependentiæ, & successionis non præcisè conveniunt Deo ratione æternitatis, sed aliis etiam attributis convenire possunt, nam prior negatio convenit ex eo quòd habet omninò esse à se, quod est cõmune omnibus divinis perfectionibus; posterior verò convenit etiam immutabilitati, quæ caret omni motu, & successione; & licet definitio æternitatis explicativè tradatur per carentiam termini, vel terminabilitatis, nõ tamẽ sistit ibi, sed vis ejus maximè cõsistit in positiva ratione uniformitatis, & mensuræ expressã per illas particulas, tota simul, & perfecta possessio; quas D. Th. reducit ad *nunc stãs*, scil. omnibus modis, licet dicatur connotare aliquã negationẽ, vel fundare aliquem respectum rationis, sine quo, ut dictum est, perfectè à nobis, concipi non potest &c.

Sed instas contrà principalem solutionem. Sic relativè dicuntur mensura, & mensuratum, sicut Pater, & Filius, nam sicut repugnat, quòd aliquis sit Pater respectu sui ipsius, ita pariter quòd aliqua sit mensura sui, sed remota distinctione reali Patris à Filio adæquatè removetur ratio Patris tam formaliter, quam virtualiter, ergo remota distinctione reali mensuræ à mensurato, removetur adæquatè ratio mensuræ tam formaliter, quam virtualiter, ergo cum æternitas summè identificetur cum divino esse, non poterit esse mensura durationis illius, sive realis formalis, sive virtualis &c.

Resp. Dist. maj. relativè dicuntur, cæteris paribus, nego, aliter, transeat, vel conc., est enim latum discrimen tum ex parte sui, tum ex parte fundamenti, nam paternitas ita dicitur ad Filium,

ut sit formaliter relatio, & oppositio relativa, unde in nullo subjecto, sive creato, sive increato reperiri potest sine reali distinctione ab illo, qua ratione diximus in logicis, quòd omnis relatio terminatur formaliter ad relativum, itaut terminus illius sit formaliter de hac linea, quia nempè formalis ratio terminandi, debet esse formalis ratio opponendi relativè, ex eo quòd relatio est formalis oppositio relativa, unde in nullo potest esse sine reali distinctione à termino; cæterum mensura, licet interdum fundet, si nempè subjectum sit capax; relationem realem ad mensuratum, non tamen est formaliter relatio, unde potest in aliquo esse sine reali distinctione ab illo; ut in simili dicimus de gratia sanctificante, quæ quia non est formaliter relatio filiationis adoptivæ, licet illam fundet in subjecto capaci, potest tamen sine illa esse, si subjectum capax non sit, ut patet in Christo; sicut ergo reperitur in illo gratia habitualis sine eadem filiatione ex incapacitate subjecti, quia nempè est supremum analogatum in linea filiationis divinæ, sive Filius naturalis Dei; poterit reperiri ratio mensuræ sine reali distinctione à mensurato, sicut reperitur sine reali relatione ab illo, & sine dependentia istius ab eadem, si nempè sit suprema perfectissima, & maximè uniformis, ut est æternitas respectu esse divini, ut statim iterum declarabitur; & poterat iterum instari in intellectione divina respectu sui objecti primarii, & adhuc in eadem relatione, quæ si semel mutua est, petit ex natura rei relationem realem sibi oppositam ex parte termini, & tamen ex eadem incapacitate subjecti salvari potest sine illa, ut alibi explicatum est 3. p. de relatione Maternitatis B. V. respectu Filii &c.

Alterum discrimen est ex parte fundamenti, nam relatio Patris fundatur in actione generativa, quæ omninò distinguitur realiter à suo termino producto, nisi velimus idem realiter esse productivum sui, unde non tam ex parte sui, quam etiam ex parte fundamenti petit distinctionem realem à Filio, cæterum mensura non habet per aliquam sui actionem productivam fundare relationem, sed petit esse in suo genere maximè perfecta, & uniformis, ut possit applicari, & conjungi mensurato, rectè illud manifestando, unde quantò est perfectior, tantò perfectiùs conjungitur illi, cum autem æternitas in linea durationis sit perfectissima, & summè uniformis, optimè poterit esse mensura divini esse sine reali distinctione per solam summam conjunctionē, vel identitatē cum illo &c.

2. Arg., (& est replica) forma inhærens subjecto v. g. quantitas nequit esse mensura ejus, ergo minus poterit æternitas cum divino esse identificata esse mensura illius, prob. ant., mensura in suo genere, ut dictum est; debet posse manifestare, vel notificare quantitatē mensurati, sed quantitas utpote accidens nequit sive per modū mensuræ homogeneæ, vel ejusdem perfectionis, sive per modum ætherogeneæ, vel diversæ & excedentis notificare substantiam, ut per se patet ergo §. Et idem argumentum poterat formari de eadem æternitate, quia nec notificat nobis substantiam divinam, cum modo eam, vel quiditatem Dei non agnoscamus; nec ipsi Deo. cum se ipsum per suam substantiam perfectissimè cognoscat, ergo nullo modo est mensura divini esse &c.

Ad hoc nego; ad prob. ant., patet ex dictis, quòd quantitas dicitur mensura substantiæ, quatenus facit in illa per modum formæ extraneitatem partium tollendo earum confusionem, & ordinando illas, ad quod non requiritur, quòd sit æqualis, vel excedentis perfectionis, imò potiùs quòd non sit, sed inferioris, quia est effectus de genere accidentis, ut dictum est, & consequenter dabilis à sola forma accidentali; nec fiat per modum repræsentationis, sed ordinationis, unde notificatur nobis substantia per quātitatem, non quoad illius esse, aut perfectionem entitativam, sed secūdùm ordinem suarū partium, & prout sic proportionari potest cum quantitate ea proportione, quæ versatur inter ordinabile, & formam ordinantem, & quoad hunc ordinem partium illi subjicitur, & est illa inferior, ut potè habens ab eadem, quod ex se non habet, licet in linea entis quantitatem excedat &c.

Ad id, quod subditur de æternitate dicimus optimè posse notificare, & Deo, & nobis quantitatem durationis divini esse; nobis quidem, quia in suo conceptu formali, ut dictum est; explicat uniformitatem in hac linea, quæ non explicatur in præciso conceptu divini esse, vel durationis ejus, unde sicut hac ratione unum attributum divinum, ut vidimus, potest esse formalis ratio inferendi aliud, pariter poterit esse formalis ratio notificandi illud. Deo autem, quia licet per suam substantiam dicatur omnia cognoscere, cognoscit nihilominus ratione ordinis virtualis, qui est inter unum, & aliud divinum, ut inter essentiam, & attributa, vel inter unum, & aliud attributum, quòd sicut potest unum esse ratio formalis alterius, pariter & esse notificativum illius &c.

Sed instas. (Et iterum est replica contrà superiora) Ideo æternitas per modum mensuræ potest notificare quantitatem durationis divini esse. quia notificat continuationem ejus summè uniformem, vel indeficientem in hac linea, sive in essendo, sed hoc est notificare idem per idem, ergo non notificat per modum mensuræ, prob. mi., duratio, vel continuatio indeficiens in esse est ipsa formalis ratio æternitatis, ergo est notificare idem per idem, sive notificare seipsum, quod non est notificare per modum mensuræ, aliàs posset idem esse mensura sui.

Expl. hoc, Sicut quantitas est formalis ratio extensionis, sive formaliter, vel essentialiter extensio, ità æternitas est ratio formalis durationis divinæ, sive formaliter, vel essentialiter divina duratio, sed quia quantitas est formaliter ipsa extensio non potest per modum mensuræ notificare se ipsam an sit tanta, vel tanta, sed solum per modum formæ offerentis se ipsam, vel exprimentis magnitudinem, vel parvitatem suæ extensionis. aliàs iterùm idem esset mensura sui, unde omninò indiget alia quantitate à se distincta, ut notificetur, vel appareat in ratione mensurabilis, vel mensuratæ tanquam sui mensura, ut ulna, palmo &c., ergo pariter quia æternitas est formaliter ipsa duratio divina, vel divini esse, licet possit per modū formæ eam notificare, non tamen per modum mensuræ, aliàs idem similiter esset mensura sui, ūde si semel esset mensurabilis, non per æternitatem, sed per aliam regulam distinctam mensurari deberet, quod tamen est impossibile

sibile cum omnis alia à Deo sit infinitè deficiens; quamvis ergo æternitas sit tanquam forma, qua constituatur Deus semper durans, non tamen qua tanquam mensura mensuretur &c.

Respond. neg. causalem maj., non enim æternitas dicitur mensura divini esse in ratione durantis, quatenùs notificat durationem divinam, vel continuationem ejus ut uniformem, sic enim mensuraret se ipsam, ut dicit argumentum, & patet ex dictis, cum in hac summa uniformitate, formalis conceptus æternitatis consistat, sed quatenùs ex eadem sui uniformitata manifestat, quantum sit permanens divinum esse in durando, quod præcisè non exprimit sub conceptu essendi, nam prout sic solum dicit esse virtualiter rationem durationis, non formaliter sub conceptu uniformis, hic enim ut dictum est, est proprius æternitatis, ut distinguitur ab aliis divinis, unde rectè potest ut quid sufficienter distinctum, esse mensurabile per illam. Et per hæc etiam patet ad explicationem, nam conc. totum, quòd æternitas respectu durationis, vel continuationis ut uniformis non sit mensura, sicut nec quantitas respectu propriæ extensionis identificatæ, sic enim dicerentur mensura sui, sed respectu divini esse, ut dictum est &c.

Sed adhuc instas. Quia æternitas formaliter ut talis, sive ut uniformis constituit Deum formaliter durantem, ergo nequit manifestare in hac linea divinum esse, nisi per modum formæ, non verò mensuræ, cons. tenet, quia mensura non constituit, sed tantùm notificat quantitatem mensurati, ut patet inductivè in ulna &c.; ant. etiam constat, quia in eadem linea non habet aliam formam constitutivam &c.

Respond. dist., & explico antec. Ut uniformis constituit, sumpta uniformitate, ut præcisà dicit sempiternitatem, sive durationem sine termino, & principio, vel illimitatam, conc., prout dicit unum simplicissimum *nunc* semper idem manens, nego, sic enim magis se habet per modum mensuræ, quam formæ constitutivæ. Itaque æternitas, ut formaliter est duratio divina, potest dupliciter considerari, & per modum formæ, quo pacto facit Deum formaliter durantem sine principio, & termino, & deinde per modum unius simplicissimi *nunc* semper idem manentis; priori modo facit nobis innotescere divinum esse per modum formæ; posteriori verò prout dicit summam unitatem, vel uniformitatem in durando, facit innotescere illud per modum mensuræ, quia omnis mensuratio fit per unitatem, quæ si fiat multiplicatione unitatum, tunc est mensura, vel mensuratio per modum numeri, & convenit tempori, quod mensurat motum secundùm partes priores, & posteriores, sive per numerum, & multiplicationem partium; si autem fiat per solam unam unitatem semper inventam eandem, fit mensura uniformitatis, quæ dicitur æternitas. Cogimur ad sic discurrendum, quia perveniendo ad prima, quæ sunt perse ipsa talia, nempè quæ sunt mensura cæterorum, & ipsa à nullo extrà se mensurari possunt, hanc patimur difficultatem, quam solis hujusmodi considerationibus vincere possumus, distinguendo scil. munus formæ, & munus mensuræ, sicut in simili suprà in proœmialibus dictum est de principiis Theologiæ, quæ prout sunt immediatum objectum divinæ revelationis pertinent ad lumen fidei, vel enigmaticum; ut verò ex illis inferuntur conclusiones theologicæ, sive sub munere illativi, ad lumen scientificum; vel ut ibidem etiam distinximus inter habitus supernaturales, qui ex quo sunt de linea actus primi merentur tantum infundi à Deo, si tamen non sunt primò primi, sed supponant aliud primum, quo possit potentia constitui in actu ad acquirendum tunc tenemur specialiter philosophari, & subtrahere illos à ratione per se infusi ut dictum est, de habitu theologiæ &c.

Sed iterum instas contrà hanc solutionem. Inter durationem divinam, ut infinitam, sive sumptam per modum formæ constituentis Deum formaliter durantem, & seipsam, ut uniformem, sive sumptam per modum unius *nunc* simplicissimi semper idem manentis, nequit esse distinctio virtualis, ergo si nequit priori modo habere rationem mensuræ, sed tantum formæ, nec poterit, posteriori, prob. ant., tum quia pertinent ad idem attributum æternitatis, non enim in linea durationis multiplicantur plura attributa in Deo; tum quia non magis in hac linea distant inter se ratio divinæ durationis, & ratio durationis uniformis; quàm in linea productionis, ratio divinæ potentiæ, & ratio omnipotentiæ, sed hujusmodi posteriores rationes non distinguuntur in Deo virtualiter, ut supponimus, aliàs essent duo attributa, ergo nec possunt priores virtualiter distingui; ant. constat., quia sicut omnipotentia tantùm addit modum omneitatis ad divinam potentiam, ità *nunc* simplicissimum semper idem manens, tantùm addit modum uniformitatis ergo &c.

Explicatur hoc. Sicut in æternitate sunt duo, scil. conceptus durationis, & conceptus uniformis, ut nempè dicit unum *nunc* simplicissimum semper idem manens, ità omnipotentia est conceptus potentiæ, & conceptus omneitatis, ut nempè dicit rationem productivi omnium non implicantium, sed nihilominùs quod uni attribuitur, vel negatur in hac linea, attribuitur vel negatur & alteri exclusa omni distinctione virtuali, ergo pariter quod attribuitur, vel negatur uni in priori, attribuendum, vel negandum erit & alteri, omni distinctione objectiva, vel virtuali exclusa, ergo si de æternitate sub priori ratione negatur, quòd sit mensura etiam virtualis, etiam negabitur sub posteriori &c.

Huic instantiæ dupliciter occurrere possumus, primò admittendo non esse distinctionem virtualem, sed solam munerum, unde dist. ant., non est distinctio virtualis, nec diversitas munerum, nego, cum hac tamen diversitate, conc., & nego conseq., nam sicut in simili suprà dicebamus juxtà opinionem satis probabilem de intellectione divina, quòd licet sit in illa sola diversitas munerum inter rationem actionis, & rationem ultimæ actualitatis, cum in tantum sit ultima, in quantùm est actio, vel actus secundus, de cujus ratione est esse ultimum, nihilominus constituit naturam divinam sub munere ultimæ actualitatis, non verò sub munere actionis, ità poterit æternitas sub uno munere constituere, & sub altero mensurare. Ad probationem ex paritate omnipotentiæ statim dicemus &c.

2. Juxtà alium modum probabilem, quem amplectitur hic Mag. Ferre ad tertium in manuscriptis,

 nego

nego ant; ad primam probationem nego iterùm ant.; quia duo juxtà hunc modum distinguenda sunt attributa, alterum durationis infinitæ, secundùm quòd præcisè importat protensionem quandam sine principio, & fine, alterum verò, ut dicit uniformitatem, sive prædictum *nunc* unum, simplicissimum semper idem manens, per quod aliquid ulteriùs concipitur de divino esse, nêpè quod careat principio, & fine cum omnimoda uniformitate, sic quòd omnem penitus excludat difformitatem, & hoc explicat æternitas, quæ proindè ponitur attributum distinctum modaliter à ratione durationis divinæ; cæterum id, quod explicatur per omnipotentiam, scil. modus omneitatis, sive vis productiva omnium non implicantium sine dependentia ab alio, explicatur etiam per potentiam divinam, & infinitam, & sola est diversitas vocum: per quod patet ad probationem, & ejus explicationem, vel confirmationem &c.

Sed instas contrà hanc solutionem. Non minùs per æternitatem explicatur in Deo totum, quod pertinet ad lineam durationis, quam per omnipotentiam totum, quod ad lineam productionis, ergo sicut hac ratione nequeunt in ista distingui duo attributa, nec poterunt in priori, & consequenter non poterit æternitas sub posteriori conceptu obtinere rationem mensuræ, prob. ant., de duratione divina, ut dictum est, hæc duo solum possunt notificari, nempè quòd sit infinita, & uniformis, sed utrumque notificat æternitas, ergo, prob mi., non minus in sua linea, scil. durationis, dicit æternitas modum omneitatis, quam omnipotentia in sua, nisi velimus aliquod attributum divinum esse deficiens in sua, ergo tenetur æternitas utrumque notificare, sicut utrumque explicat omnipotentia &c.

Resp. neg. ant., ad prob. nego min., ad ejus prob. dist., & explic., non minus in sua linea quasi genericè sumpta, nego, in sua athoma côc., nam similiter partitur linea durationis in Deo in duas quasi athomas, sicut suprà juxtà probabilissimã sententiam linea intelligibilis, unde sicut ibi intelligere radicale non tenetur, ut sic dicamus, importare explicativè omneitatem à toto genere intelligibili, sed tantùm in sua athoma, scil. actus primi, ità nec tenetur æternitas dicere illam explicativè à toto genere durationis, sed tantùm in sua athoma, scil. uniformitatis, in qua utpotè summa, disting. à tempore, vel à quacunque duratione finita; in omnipotentia autem non est talis diversitas conceptuum, nam conceptus ejus adæquatus in hoc consistit, quòd, ut insinuavimus; sit vis productiva omnium non implicantium sine dependentia ab alio, hoc verò totum explicatur etiam, licet per diversam vocem, à potentia divina, vel infinita &c.

Quòd si demum opponas coincidere hanc solutionem, vel modum dicendi cum illo M. Bannez, scil. æternitatem constitui per uniformitatem. Respond. ibidem Mag. Ferre neg. sequelam, quia inquit, se non intendere æternitatem constitui per uniformitatem quomodocunque, vel abstractivè sumptam, sed concretivè, scil. per durationem ut uniformem, sicut bonum non dicit solam coaptationem cum voluntate, sed dicit ens ut coaptatum, & proportionatum cum illa, & si hoc secundùm dicat Mag. Bannez, concludit se non habere litem cum illo. Itaque ut omnia consonent videtur hic sapientiss. meus Magist. intendere, quòd sicut côstitutivum hominis, non est rationalitas, quasi abstractivè sumpta, sed concretivè, scil. ut côtrahens, vel trahens secum, vel per se ipsam, aut ad se ipsam, contractam rationem animalis, ità constitutivum æternitatis non sit uniformitas, quasi abstractivè, sed concretivè sumpta, sive ut contrahens, ut sic dicamus, vel trahens secum aut ad seipsam, contractam rationem durationis; ex quo fit, quòd sicut nihilominus rationalitas non tenetur explicare, quod explicat ratio animalis, nec tenebitur uniformitas, sive æternitas per sui uniformitatem explicare, quod explicat divina duratio, & consequentet sub eadem ratione uniformis esse mensura divini esse in ratione durantis &c.

Alia argumenta ad probandum, quòd non tantum æternitas sit mensura, sed etiam realis, solvi possunt ex dictis, quòd est scil. realis non absolutè, aut realis formalis, sed cum addito, scil. virtualis, sicut in simili dictum est suprà de distinctione attributorum, quòd est realis non absolutè, aut formalis, vel actualis ante intellectum, sed cum addito, scil. virtualis; unde sicut non valet; unum attributum distinguitur virtualiter ab alio, at sic distingui convenit illis ante intellectum, vel à parte rei, ergo ante intellectum, vel à parte rei convenit illis distingui realiter; ità nec valet æternitas est mensura virtualis divini esse, sed hoc habet ante intellectum, vel in re, ergo realiter mensurat; utrobiq; enim arguitur à dicto secûdùm quid ad dictum simpliciter, quia distingui, vel mensurare virtualiter, est tantùm distingui, vel mensurare secundùm quid; realiter verò simpliciter &c.

Quòd si instes; hæc est vera: quia proprium est intellectus, intelligere, & in re vere in Deo datur intellectus, divinus intellectus realiter intelligit; ergo hæc etiam erit vera, quià proprium est uniformitatis mensurare, & in re verè datur in Deo uniformitas, divina uniformitas, vel æternitas realiter mensurabit. Respond. eodem modo, quòd alterum convenit absolutè, vel ex terminis, scil. intellectui intelligere, alterum verò secundùm quid vel virtualiter, scil. uniformitati mensurare divinum esse permanens, unde rectè potest inferri de divino intellectu, quod realiter intelligat, non tamen de uniformitate divina, vel de æternitate, quòd realiter mensuret, quia sic iterum argueretur hîc à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, & ideò nego conf. &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum omnia, quæ aliquando sunt habitura esse in tempore, modo in statu futuritionis, antequã sint in se sint, jam præsentia physicè in æternitate, vel illi coexistentia.

Difficultas hujus gravissimæ quæst. insinuatur in titulo, quia videtur repugnantia in terminis, quòd

quòd id, quod in se non dum physicè existit, sit alteri physicè præsens, vel illi coexistat, aut mensuretur ab eo; ex alia verò parte hoc ipsum negare non possumus respectu æternitatis, quæ cum mensuret modo immutabili, ità ut sit tota simul in mensurando, hoc meritum habet, quòd non solum mensuret res, quando successivè producuntur in tempore, vel actu existunt, sed etiam antequam sint, vel etiam postquam transierint in se, unde hæc duo componere adeò difficilè visum est Eminentiss. Cajet. infrà qu. 14. ar. 13. §. *Ad has objectiones*; ut fateatur se per annos fortè quindecim solutionem ejus latuisse, nihilominus, subdit ibid., quòd tandem ope D. Tho. illuxerit veritas plana, & in manifesto posita, sine ulla scil. vel minima contradictione, ut poterit constare infrà.

§. PRIMUS.

Quibusdam præmissis referuntur Sententiæ.

Suppono 1. ut apud omnes certum, imò de fide, non esse aliquod futurum præsens, aut physicè coexistens Deo ab æterno in sua propria, & adæquata mensura, tum quia magis esset existens, quam futurum; tum quia fide certum est omnia esse creata in tempore, ut constat genes. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram.*

Ex quo etiam supponimus, quòd si propria mensura est ei adæquata non posse æternitati coexistere, sive Deo tanquam adæquans illam secundùm omnem sui virtualitatem, cum æternitas utpotè infinita excedat omnem durationem creatam: tum quià esset modo simul futurum (ut supponimus) & præsens, quià eidem coexisteret secundùm virtualitatem, secundùm quam æternitas correspondet durationi præsenti, unde sicut non omnia, quæ modo existunt in aliquo determinato loco, licèt coexistant divinæ immensitati, non tamen coexistunt illi secundùm omnem ejus extensionem virtualem, aliàs semel existens in uno loco, simul existeret in omni, cum ad omnem se extendat immensitas, ità nec omnia, quæ coexistunt æternitati, coexistunt illi in hac linea secundùm omnem virtualem extensionem, aliàs semel præsens in illa, esset præsens in omni duratione, vel differentia temporis, cum ad omnem se extendat æternitas, non minus quàm immensitas ad omnem differentiam loci.

Hinc tamen non inferas, quòd jam toti æternitati realiter, ac formaliter non coexisterent; nam hæc duo sunt valde distincta, & unum optimè componitur sine alio; sicut valdè distincta sunt inter se videri Deum totum realiter, ac formaliter, & videri totaliter, nam primùm, scil. videri totum, & existere toti, contingit, ex eo quod Deus, & ejus attributa, sunt realiter, & formaliter quid summè simplex, & indivisibile, de quo vel totum habetur, vel nihil; alterum verò nempè videri totaliter, vel coexistere, sive secundùm omnem ejus intensionem, vel extensionem, est videri, vel existere per adæquationem, quod est impossibile respectu creaturæ, cum sit infinitus in omni linea.

3. Suppono, quòd modo in hoc statu futuritionis saltem habeant præsentiam objectivam, aliàs nec essent cognita, cum hæc sit præsentia de foro cognitionis; similiter etiam suppono tunc habitura simul physicam in illa, quando actu producerentur in re, nam hac ratione ante actualem productionem eis denegatur, quia nondum sunt in se ipsis, unde non ex defectu æternitatis, sed magis existentiæ connotati dicunt esse removendam; tum quia æternitas, utpotè infinita in linea durationis, ad omnem rem actu durantem, ac proindè productam debet se extendere.

Sed ne fiat æquivocatio adverto ex Ferrara 1. cont. gent. cap. 66. §. *Considerandum 3. ex Augustino &c.*, quòd aliter dicuntur coexistere duæ res habentes rationem mensurati, & aliter duæ rationes, quæ habent rationem mensuræ; nam res mensuratæ dicuntur coexistere, quatenus simul existunt in eadem mensura adæquata durationis, & utrique communi, ut duo homines habentes simul esse in eadem die; duæ verò durationes, quarum una est mensura superior, alia inferior dicuntur simul existere, vel coexistere non solum quia una existit dum existit alia, sed quia una continetur in alia, dependetque, & mensuratur ab illa, sicut in simili sæpè dictum est allbi in physicis, aliud esse, quòd duæ causæ simul influant præcisè, vel ità etiam quòd una influere non possit, alia non influente, aliud verò quòd influant ut superior, & inferior, sive cum subordinatione, & dependentia unius ab alia, nam hoc posterius non tantùm dicit simultatem influxus, vel necessitatem consortis alterius, sine qua non influeret, sed quòd inferior aliquid etiam accipiat à superiore, vel moveatur ab illa. Certum est autem futura, & omnes res temporales non coexistere physicè Deo, ejusque æternitati primo modo, quia nec æternitas, & tempus, nec res temporales, & ipse Deus existere possunt in eadem mensura durationis utrique adæquata, & communi, cum æternitas ità sit propria mensura Dei, ut in infinitum excedat omnia temporalia, undè difficultas est de coexistentia 2. modo, scil. tanquam in mensura superiore, & inadæquata, quatenus in eadem continentur etiam omnes eorum durationes, vel differentiæ temporum &c.

His suppositis 1. sententia negat, quam ex antiquis tenent Alensis, D. Bonaventura, Scotus, Durandus, & alii. Ex recentioribus verò Vasquez, Suarez, Arrubal, Herice, Alarcon, & alii ferè communiter Patres Societatis. 2. Affirmat, quam jam communitèr sustinent Thomistæ cum suo Angelico Præceptore hic, & alibi, ut constabit infrà, & sequuntur Salmanticenses, & ex Societate Molina, Granados, Fonseca, Ruiz de Montoya, Gilius, & P. Esparza, quamvis hic, ut ait M. Ferre, inter lucem, & tenebras procedere videatur. Itaque hæc sententia contendit res omnes, quæ aliquando habituræ sunt existentiam pro aliqua differentia temporis, modo in hoc earum statu futuritionis, & ab æterno antequam actu mensurentur ab illa post statum productionis, jam actu esse præsentes in *nunc* æternitatis per continentiam illarum, vel physicam præsentiam, qua æternitas ab æterno eis coexistit.

§. II.

§. II.

Statuitur conclusio de mente D. Thom. & aliorum Patrum,

Futura antequam sint actu in se ipsis, vel in sua duratione, aut differentia temporis, sunt ab æterno præsentia physicè in æternitate. Est expressa sententia D. Thom., quam nullam vel minimam pati contradictionem optimè explicant ejus Discipuli hìc ad quæst. 10., & infrà ad 14., ar. 13., & licèt de mente ejus non videatur posse meritò dubitari, ut videre est etiam infrà qu. 57. ar. 2., & quæst. 86. ar. 4., & 22. quæst. 171. ar. 6. ad 1., & 2., & 1. cont. gent. cap. 66. ratione 6., & cap. 67., & qu. 2. de veritate ar. 12., & prosa 6. super Boetium, ubi solvit fundamentum præcipuum, & fortè unicum oppositæ sententiæ, nihilominùs quia conantur contrarii explicare de præsentialitate objectiva, vel in ratione cogniti, placet ex eodem physicam etiam apertè ostendere.

Nam in primis, ut statuat scientiam visionis, seu intuitivam futurorum in Deo, semper recurrit ad hanc realem eorum præsentiam in æternitate, & meritò, nisi velimus pro libito immutare definitiones rerum, quia notitia intuitiva, ut tradunt Dialectici, & videre licet in M. Soto 1. p. Introductionum Summolarum c. 6. lect. 2. sic definitur: *Cognitio rei præsentis realiter*; abstractiva verò *rei absentis duratione*; unde ad notitiam intuitivam, ut egregiè probat M. Catalam 3. p. qu. 11. ar. 1. dub. 2. concl. 2. non sufficit, quòd cognoscatur res cum sua existentia, & omnibus circumstantiis evidenter, sed requiritur, quòd res cognita sit jam præsens realiter in duratione, in qua est cognitio, & ideò cognitio futurorum, ut futura sunt, vel ut habent puram præsentiam objectivam sine eadem reali nonquam potest esse intuitiva, qua ratione D. Tho. ad adstruendam prædictam scientiam, vel cognitionem intuitivam in Deo, non sistit in præsentia eorum in Decreto, vel in essentia, sed recurrit ad illam in æternitate, quæ utpotè in linea durationis, est præsentia realis, unde nullam, nisi extortam admittere potest mens ejus interpretationem, inquit Illustriss. Godoy infrà tract. 4. disput. 41. §. 3. n. 23. &c.

Deinde ar. 13. relato q. 14. infrà versùs finem sic ait: *Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione, quia habet rationes rerum apud se, ut quidam dicunt*; (ecce præsentia objectiva) *sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate*: quid clarius ad statuendam ex D. Tho. præsentiam physicam, & ad excludendam intentionalem tantùm, & objectivam: cujus etiam tradit ibidem rationem fundamentalem; *quia nempè sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse*; ex quo manifestè probat cognitionem Dei non esse ab æterno futurorum, ut futurorum, sed ut præsentium, scil. physicè, nam præsentialitatem objectivam habent etiam futura, ut futura, si semel sunt cognita; nec opus esset recurrere, ut dictum est, ad hanc mensuram æternitatis pro sola præsentia intentionali, unde per prædictam causalem intendit excludere rationem futuritionis, & solius præsentiæ objectivæ ab eisdem futuris respectu cognitionis divinæ, & efficaciter concludere physicam, ita ut sicut respectu æternitatis apertè excludit eandem futuritionem, vel successionem sine omni inconveniente; quia nempè æternitas tota simul existens ambit omne tempus, ut ait ibidem; ita pariter excludit respectu cognitionis, quia hæc mensuratur æternitate, quod est excludere solam objectivam, cùm hæc compatiatur cum successione, & futuritione contrapositivè ad præsentiam physicam, ut suppono ex contrariis, unde ex eadem causali egregiè ait: *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso; & licèt contingentia fiant in actu successivè, non tamen Deus successivè cognoscit prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul, quia sua cognitio mensuratur æternitate.* §. Quibus verbis probat cognitionem divinam semper esse ad præsens, non præsentia solùm objectiva, quia ad hanc non est necessaria mensura æternitatis, ut patet etiam in Prophetis cognoscentibus futura per scientiam infusam, sed physica, quia nempè æternitas, quæ est illius mensura, est ambiens omnia tempora. Unde ex his etiam efficaciter urgebimus infrà, quòd si semel cognitio divina semper est præsentium, à fortiori erit æternitas, à qua mensuratur, cùm propterquod unumquodque tale, & illud magis, esto dicamus cognitionè solùm habere illa sibi præsentia præsentialitate de sua linea cognitionis, quia nempè à fortiori æternitas, utpotè mensura ejus, tenetur habere præsentia præsentialitate de linea sua, scil. durationis, & consequenter reali.

3. Nam prosa 6. relata non solùm tradit hanc sententiam, sed etiam solvit fundamentum, cui maximè confidunt contrarii, diceos: *Nota, quòd aliquid non ens non potest alicui esse præsens, sed præteritum, & futurum est non ens, ergo non potest esse præsens cognitioni divinæ.*

Ecce totum robur sententiæ oppositæ, quod sic solet communiter proponi. Illud, quod in se non existit, non potest alteri coexistere, sed futurum, vel præteritum in se non existit, ergo non potest alteri coexistere, ideòque neque esse præsens æternitati, vel divinæ cognitioni. §. Cui argumento satisfacit sic: *Dicendum, quòd duplex est non ens, quoddam, quòd nullo modo est ens, nec potest esse ens, & tale non est præsens realiter alicui, cùm nihil sit; aliud est non ens non simpliciter, sed quia alteri est ens, & licèt hujusmodi non ens non possit realiter coexistere tempori præsenti, potest tamen coexistere æternitati, quia æternitas cùm sit infinita, excedit tempus præsens extendendo se ad præteritum, & futurum, & sic præteritum, & futurum sunt æternitati coexistentia, & præsentialiter, quia in æternitate non est successio.* Hæc D. Tho., in quibus tam loce meridiana clariorem exprimit mentem suam circa hanc præsentiam physicam, ut nullum videatur de illa vel minimum posse esse dubitationis vestigium, cùm ex verbis ejus constet sententiæ contrariæ nec fundamentum adesse, cui innitatur. Sed idem in solutione ad primum ulteriùs constabit de hac mente ejus &c.

Ean-

Eandem sententiam docent SS. PP. passim negantes Deo præscientiam in rigore, scil. notitiam futurorum, ut futurorum, eo quòd Deo nihil est futurum, sed omnia sunt illi præsentia, unde solùm metaphoricè potest dici de Deo, sicut pœnitentia. Ita August. lib. 2. ad Simplician. qu. 2. ibi: *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora; si enim scientia res ipsas habet, non sunt futuræ, sed præsentes, ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest: si autem sicut in ordine temporalium, ita & apud Deum nondùm sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo: bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam; altero verò modo secundùm præsentium scientiam: aliquid ergo temporaliter accedit scientia Dei, quod absurdissimum, & falsissimum est.* In quibus apertè distinguit duplicem præsentiam, alteram correspondentem præscientiæ, alteram correspondentem scientiæ; nisi autem velimus, quòd nugatoriè procedat; dum priorem negat, scil. purè objectivam correspondentem præscientiæ, alteram statuit, scil. physicam correspondentem scientiæ; & rationem assignat, quia aliàs aliquid accresceret in tempore divinæ scientiæ, quod indicat falsissimum, unde non solùm tradit nostram sententiam, sed etiam efficaciter probat.

Hanc etiam duplicem præsentiam tradit ser. 2. de Verbis Apost. in exposit. illius ad Ephes. 2.: *Elegit nos in ipso*; ubi expressè asserit futura non solùm esse ab æterno in præscientia Dei, sed etiam in sua præsentia: certum est autem non posse hanc intelligi nisi de physica, cùm assignet ut contradistinctam ab illa, quam habent in præsentia, quæ est purà objectiva, ut dicunt contrarii. Idem docet 11. de Civit. Dei c. 21. & super Psalm. 101. exponens illa verba: *In generationem, & generationem*; ubi ait: *Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Nibil est præteritum, quasi non sit; nihil est futurum, quasi non sit, sed quidquid ibi est, non nisi est.* Deinde etiam 11. Confess. c. 10. clarissimè id exprimit dicens: *Quis tenebit cor, & figet illud ut paululùm esset, & paululùm rapiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet cum temporibus nunquàm stantibus, & videat esse incomparabilem, nec præterire quidquam in æternitate, sed totum esse præsens?* Notentur verba illa: *Nec quidquam præterire, sed totum esse præsens*; nam loquitur expressè de æternitate comparativè ad creaturas, & consequenter de istis comparativè ad illam, & non præcisè ad cognitionem, sed ad durationem, unde si ita constanter asserit illam semper stantem, & istas respectu illius nunquam præterire, sed semper esse præsentes, apertissimè statuit aliam præsentiam distinctam ab objectiva, vel in ratione cogniti, & consequenter realem, siva in linea æternitatis, vel durationis &c.

Id etiam docuerunt alii PP., Magnus Gregorius lib. 20. Moralium c. 23., qui etiam admirativè excludit ibidem puram præsentiam objectivam, siva præscientiam, vel puram scientiam futurorum, ut futurorum his verbis: *Quomodò est præsciens Deus, dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciuntur, & scimus, quia Deo futurum nihil est; ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, & futura non veniunt?* Et Anselmus lib. de Casu Diaboli c. 21. dicens: *Præscientia Deo non propriè dicitur præscientia; cui enim omnia sunt præscientia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam.* Vid. de Concordia lib. arbit., & prædest. c. 1.; & D. Berourd. Serm. 80. in Cantic., ubi de æternitate loquens, ait: *Tempora sub ea transeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur*; experientia scil. transeunte. Et Ugo denique de S. Vict. tract. 1. in Summa Sent. c. 12. inquit: *Præscientia Dei impropriè dicitur de Deo. Apud Deum namque nihil est futurum, nihil præteritum; immò nec prius, nec posterius est, sed quantùm ad res, quæ nobis futura sunt, dicimus eum futura præscire, quod quantùm ad eum est ea, tanquam præsentia scire.*

Ex dictis autem patet non posse hujusmodi auctoritates, & similes explicari, nisi violenter de sola præsentia objectiva, & de pura præscientia futurorum secundùm proprietatem; nam apertè distinguunt duplicem præsentiam, & cognitionem; alteram, secundùm quam futura cognoscuntur ut futura, & hæc ex parte eorum est purè objectiva, & ex parte cognoscentis pura præscientia, sive cognitio futurorum, ut futurorum secundùm proprietatem; alteram verò, secundùm quam cognoscuntur ut præsentia. Priorem negant, & ex parte Dei dicunt esse præscientiam impropriè, & rationem adducunt, quia respectu Dei, vel suæ æternitatis nulla est futuritio, vel præteritio, sed sola præsentia, ut patet manifestè ex eorum textu, ergo manifestè statuunt aliam præsentiam distinctam à pura objectiva, & aliam cognitionem distinctam à pura præsciantia, siva cognitionem futurorum, ut futurorum; nam futura, ut futura habent objectivam, vel in ratione cogniti, si velint esse objectum præscientiæ, vel aliàs nec essent cognita, ut dictum est; & hanc posteriorem cognitionem eorum, ut præsentium confundere non possumus cum priori eorum, ut futurorum, quæ est purè præscientia, & reprobatur à Sanctis, tanquam propriè Deo convaniens, solam prout sic admittentibus scientiam illorum, ut propriè illi convenientem, aliàs viderentur ludere verbis, quod est alienum &c.

Deinde quia, ut dictum est, præsentia objectiva non excludit futuritionem, & præteritionem, cùm consistat in cognosci, vel videri; unde sive cognoscantur ut futura, sive ut præterita, semper prout sic cognscuntur ut objectivè præsentia, ergo dum PP. asserunt non cognoscere, ut futura, & ut præterita, sed ut præsentia, quia respectu Dei, aut suæ æternitatis, nihil est futurum, vel præteritum, sed tantùm præsens; planè non loquuntur de pura præsentia objectiva, sed de alia distincta juxta meritum æternitatis, & scientiæ intuitivæ, sive scientiæ rei præsentis in duratione, in qua est cognitio, scil. reali &c.

Dices ita esse, quòd loquuntur de distincta, non quidem reali, & physica, ut contendimus, sed quateoùs attingit illa non præcisè, ut possibilia, aut secundùm pura prædicata eorum metaphysica, sed etiam ut existentia in suis durationibus, sive cum sua existentia, & omnibus circumstantiis, quibus sunt ponenda in re tam clarè, & evi-

den-

denter, ac si jam essent præsentia in se ipsis.

Sed hæc solutio jam sufficienter impugnata est, quia, ut vidimus, ex definitione utriusque notitiæ intuitivæ, & abstractivæ, non salvat, sed magis confundit proprium earum conceptum definitivum. 2. Quia futura prout sic cognita adhuc non extrahuntur à linea futuritionis, nec adhuc perveniunt ad præsentiam distinctam à toto genere puræ præsentiæ objectivæ, aliàs jam haberent aliquam realem, vel physicam, sed PP., ut patet ex textu, contendunt præsentiam distinctam à toto genere futuritionis, & præteritionis, & consequenter à toto genere puræ præsentiæ objectivæ, ergo intendunt assignare realem, vel physicam; conf. tenet, quia hæc sola distinguitur à toto eodem genere &c.

3. Juxta doctrinam PP., ut clarissimè patet ex eod. textu, quæ sunt futura respectu nostri, sunt præsentia respectu Dei, ita ut respectu illius nihil propriè sit futurum; at nisi essent præsentia physicè, verè, & propriè loquendo, essent etiam futura respectu Dei, ergo salva doctrina PP., & discrimine inter nos, & Deum, seu inter durationem nostram, & divinam, vel æternitatem, non possumus sic eos interpretari; prob. min., tum quia, exclusa præsentia physica, non extrahuntur, ut dictum est, à linea præsentiæ purè objectivæ, ergo neque à linea futuritionis propriè loquendo; conf. tenet, quia præsentia objectiva propriè loquendo, tantùm convenit vel possibilibus, vel præteritis, vel futuris; ergo loquendo de futuris, exclusa ab illis omni præsentia physica, & sola remanante purè objectiva, adhuc verè, & propriè sistunt in linea futuri. Tum quia illud verè, & propriè est futurum respectu alterius, quod illi existenti adhuc physicè non existit, aut coexistit, nec est purè possibile, nec præteritum, nec physicè præsens; ergo si futura, ut ipsi dicunt, etiam respectu Dei non sunt physicè præsentia, erunt respectu illius verè, & propriè futura, quod est contra SS. PP.; conf. tenet, quia non sunt purè possibilia, nec præterita &c.

§. III.

Rationibus probatur Conclusio.

PRob. primò, adhuc urgendo superiora contra communem prædictam solutionem de præsentia objectiva, ratione desumpta ex definitione æternitatis, nempè quòd est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Salvo proprio, & formali conceptu, aut sensu definitionis æternitatis, nequit respectu illius admitti futuritio, & præteritio, sed remota futuritione, & præteritione in linea durationis omnia remanent præsentia physicè æternitati, ergo omnia futura sunt illi physicè præsentia; min. est certa, & maj. prob. admissa futuritione, & præteritione respectu æternitatis, nequit cum proprietate salvari, quòd sit tota simul & perfecta possessio, ergo nec salvatur cum proprietate proprius ejus, vel formalis conceptus definitivus; prob. ant. Possessio, & præcipuè perfecta, propriè loquendo, tantùm est respectu præsentis, sive rei habitæ de præsenti, & non in futurum habendæ; nullus enim loquendo cum proprietate dici potest, quòd possideat rem post annum habendam, ergo semel admissa futuritione, & præteritione respectu æternitatis salvari nequit cum proprietate, quòd sit tota simul, & perfecta possessio in linea durationis &c.

Dices ad hoc satis esse, quòd, dum succedit futurum, & fit præsens, sine sui variatione mensuret illud, eique physicè coexistat, in quo sufficienter distinguitur à quacumque alia mensura temporali, quæ mensurat res sibi succedentes cum variatione sui, ut patet in motu primi mobilis, qui succedens secundùm partes, sive cum earum successione, res etiam succedentes, & transeuntes de uno ad alium statum, scil. de illo futuritionis ad alterum præsentiæ mensurat; æternitas autem invariata manens omnia successiva mensurat &c.

Sed contra hoc est. Nam æternitas ex eodem conceptu definitivo non solùm tenetur in sui linea omnia mensurare sine omni successione, sed actu simul, at admissa futuritione, vel præteritione, non mensurat, vel possidet actu simul, cùm præterita, & futura actu simul non sint, ergo adhuc non salvatur eadem definitio in suo proprio, & formali sensu illi admissis respectu æternitatis; maj. constat ex verbis definitionis, dum dicitur, quòd est tota simul perfecta possessio: ex quibus etiam ulteriùs constat min.; quia possessio, ut dictum est, tantùm est respectu præsentis; quod autem est possessio præsentis, non est possessio futuri, ergo semel admissa futuritione non possideret, aut contineret mensurando actu simul &c.

Dices semper actu quantùm est ex se, possidere, aut mensurare totam simul, quia id non oritur ex defectu actualitatis ex parte æternitatis, sed solùm ex parte connotati, quia nondùm ponitur sub esse, nam æternitas semper est summæ actualitatis ad possidendum omnia simul, si adsint. 5. Sed contra hoc est. Nam sive oriatur defectus ex parte possidentis, vel actualitatis ejus, sive ex parte rei possidendæ; nunquam cum proprietate verificatur possessio nisi respectu præsentis, ergo licèt æternitas sit summa actualitas ad possidendum, & mensurandum futura, si essent præsentia, nunquam tamen cum proprietate dici potest tota simul, & perfecta possessio respectu futuri ut futuri &c. Urg. hoc. Futurum prout sic jam est intrà lineā durationis, ergo æternitas si actu ab æterno non possidet illud, aut non mensurat ut sibi realiter, aut physicè præsens, magis est defectus ex parte sui, quàm ex parte connotati; ant. est certum, quia præsens, præteritum, & futurum sunt differentiæ temporis, & consequenter de linea durationis; conf. verò prob., quia eo ipso quòd connotatum est intrà ambitum durationis tenetur æternitas intrà hanc lineam juxta sui meritum se extendere ad illud, sed meritum sui est, quòd intrà eandem se extendat tanquam ad sibi realiter præsens, ergo, prob. min., meritum sui est, quòd adæquatè comprehendat omnia spectantia ad hanc lineam tota simul, & per modum perfectæ possessionis; ergo cùm linea durationis sit linea realitatis, vel physica, contrapositivè ad purè objectivam, vel intentionalem; & possessio, ut dictum est, sit tantùm respectu præsentis propriè loquendo, magis esset defectus ex parte sui, quàm ex parte connotati, si actu non contineret illud,

illud, ut sibi realiter, & physicè præsens &c.

Dices non esse necessarium, quòd se extendat per modum perfectæ possessionis ad omnem terminum, sed satis esse ad primarium, qui est vita interminabilis Dei, respectu cujus dicitur æternitas tota simul; & quidem definitio non debet tradi in ordine ad terminum secundarium, qui in casu est omnis res creata, sed in ordine ad primarium, maximè quando secundarius omninò per accidens se habet, ut modò contingit, si nempè Deus nullam Creaturam producere decrevisset, tunc enim æternitas salva omni sua actualitate non compararetur nisi ad vitam interminabilem Dei &c.

Sed contra hoc est eodem argumento; nam licèt æternitas salva sui simultate, & conceptu perfectæ possessionis non teneatur absolutè, vel antevertendo omne decretum de creaturis producendis sic se extendere ad illas, sectis tamen supposito decreto de earũ productione, ergo, prob. āt., quia supposito eod. decreto jam sũt de linea futuritionis, & consequenter durationis, ergo eod. supposito tenetur se extendere ad illas, aliàs, ut dictum est, non esset perfecta possessio intrà hanc lineam. §. Explicatur hoc, licèt respectu æternitatis sit diversitas in modo possidendi, vel mensurandi terminum primarium, & secundarium, quòd esse suum mensurat necessariò, res verò temporales liberè ob liberam decreti suppositionem, hoc tamen supposito, non potest etiam secundarium non possidere, aut mensurare sine omni successione tam ex parte sui, quàm ex parte rei mensuratæ, salvo conceptu simultatis, & perfectæ possessionis, ex quo tenetur totum comprehendere de hac linea, ut sibi præsens, ut probatum est, ergo semel posita creatura in statu futuritionis non potest non esse illi realiter, aut physicè præsens, juxta meritum sui, in ratione possessionis, & lineæ, sicut non potest non esse intrà lineam durationis &c.

Urg., & expl. ulteriùs. Supposito eodem decreto, vel statu futuritionis rei, nunquam est tota simul, & perfecta possessio termini primarii, nisi sit simul secundarii, ergo, prob. ant.; nunquam est sic possessio primarii, nisi sit possessio, ut sic dicamus, comprehensiva ejus, cùm teneatur illum adæquare; at nequit sic esse comprehensiva illius, non extensa ad omnem secundarium contentum in hac linea, ut ad sibi realiter præsentem, vel sine successione, ergo, prob. mi., quia nequit sic esse comprehensiva, non extensa ad omne adjunctum primario juxta meritum sui, vel possessionis in hac linea, ergo supposito decreto tenetur etiam comprehendere secundarium; sicut in simili dicimus infrà de Trinitate, quòd supposito eodem decreto de productione creaturarum, tenetur Verbum Divinum ex eo quòd est comprehensivum Patris, vel Divinæ essentiæ per se procedere ex cognitione etiam futurorum, perseitate, scilicet physica, orta ex eadem suppositione. §. Et poterat etiam urgentiùs confirmari totum hoc paritate immensitatis respectu omnium pertinentium ad lineam, vel differentiam loci, non obstante quacumque eorum distantia; & cognitionis intuitivæ Dei respectu eorundem futurorum, quæ tenentur in sua linea habere illa, ut sibi præsentia sine omni successione. Sed de his infrà &c.

Secundò etiam principaliter prob. concl. prosequendo alia via, vel sub aliis terminis præcedentem rationem, & urgendo illam, præcipuè ex altero conceptu infinitatis, ut insinuat D. Th. ubi suprà. Æternitas simul actu ab æterno physicè continet omnem durationem, sive omne tempus secundùm sui differentiam præteriti, præsentis, & futuri, ergo actu simul physicè continet omnia contenta in his differentiis, & consequenter omnia hæc tam præterita, quàm futura sunt illi physicè præsentia, vel coexistentia; utraque cons. tenet, quia eo modo, quo sunt, continentur, nec stat actu simul physicè se extendere ad mensuram non extensa pariter ad mensuratum, cùm nec adæquetur per mensuram, utpotè finitam, & tam mensura, quàm mensuratum ad lineam futuritionis, vel præteritionis pertineant, ex qua dicunt impediri eorum physicã præsentiam ab æterno; ant. verò, in quo est difficultas, prob.: æternitas est duratio physica, vel realis simpliciter infinita in linea durationis, & tota simul ab æterno, ergo ambit actu ab æterno simul physicè omnem durationem finitam, vel omne tempus secundùm omnem sui differentiam; ant. patet ex definitione tradita, & communiter recepta; tum quia aliàs non esset mensura proportionata, aut propria Divini esse, quod est infinitum, & totum simul actu ab æterno; cons. verò prob.: de ratione infiniti simpliciter in aliqua linea est, quòd contineat omne aliud finitum in illa, aliàs non esset simpliciter infinitum, ut patet ex terminis, & inductivè, ergo si æternitas est duratio infinita simpliciter, & actu tota simul ab æterno, continet ab æterno omnem durationem finitam &c.

Dices ita esse, quòd debet continere omnia ab æterno, sed juxta eorum conditionem, scil. per æquivalentiam, vel continentiam eminentialem, non per coexistentiam, sicut in simili dicimus, quòd licèt Deus sit pariter infinitus simpliciter in genere perfectionis, non tamen eodem modo continet omnem perfectionem finitam, sed juxta eorum conditionem, nempè vel absolutè, & sine addito, si sit perfectio simpliciter simplex, vel solùm virtualiter, aut causaliter, sive cum addito, eminenter, si non sint tales simpliciter, sed importent in suo conceptu formali imperfectionem; ita pariter licèt sit infinitus simpliciter in linea durationis, non tamen tenetur omnia ab æterno continere eodem modo in hac linea, sive actu simul realiter, vel physicè, sed solùm quando actu sunt in se ipsis, cætera verò per æquivalentiam, non ut sibi coexistentia, quando adhuc physicè non coexistunt &c.

Sed hæc solutio manet primò impugnata ex dictis, & destruit se ipsam; nam si ita est, quòd superior ratio divina continere debet inferiorem juxta ejus meritum, vel conditionem, jam tenebitur æternitas continere futurum ab æterno ut sibi realiter, & physicè præsens, & non tantùm per æquivalentiam, vel continentiam eminentialem, ergo est nulla; prob. ant.: conditio futuri, ut vidimus, est, quòd in omni signo futuritionis, prout sic jam actu pertineat ad lineam realem, vel physicam durationis; sed eo ipso, quòd aliquid jam actu pertinet ad hanc lineam, nequit ampliùs comparari ad æternitatem ut præ-

teritum formaliter, vel futurum intrà illam ab æterno, nam in omni ligno suæ futuritionis sola potest esse habitudo præsentis realiter, vel physicè ad illam, & non per puram æquivalentiam, vel eminentiam in continendo, ergo, prob. mi., quia æternitas ex eadem sui infinitate transcendit, vel adæquatè ambit totam lineam durationis; at non successivè se habens, sed tota simul, ut probatum est, & supponitur ex communi consensu admittente præfatam definitionem Boetii, & quia, ut dictum est; est mensura propria divini esse, quod est totum simul, ergo nulla inferior duratio, aut contentum intrà illam potest comparari ad æternitatem per modum præteriti, vel futuri formaliter ut talis. §. Expl. hoc. Nam quòd præteritum actu amplius non sit in se ipso, & futurum nondum sit, non tollit, quòd actu non sint de linea durationis, ut dictum est; sed hæc est conditio hujus lineæ, vel cujuslibet contenti intrà illam, quòd respectu æternitatis solam habeat habitudinem præsentis, præsentia scil. de hac linea, sive reali, & physica, sic exigente conceptu æternitatis, ut probatum est, & apertè docent PP., ut vidimus; ergo tantum abest, quòd ex eorum conditione subtrahi debeant respectu illius à reali, vel physica præsentia, aut coexistentia, quin potius teneantur illam in ferre. §. Ex quibus etiam patet ad paritatem de continentia intrà lineam perfectionis, quæ potius retorquenda est; nam, ut vidimus in superioribus, licet perfectio non simpliciter simplex, sive ex suo formali conceptu admixta imperfectioni, non possit reduplicativè prout sic formaliter contineri in Deo, secus tamen sub formali conceptu perfectionis, sive prout exprimitur hoc nomine perfectionis, sicut in simili explicatum est de actu peccati, qui licet sub expresso conceptu, vel nomine peccati instituto ad significandam deformitatem, nequeat esse terminus causalitatis divinæ, vel positivi influxus Dei, secus tamen, ut ens est, vel expressus hoc nomine entis, vel actus, ergo pariter licet futurum, ut purè consideratur ut non ens, dicatur non posse esse præsens, (de quo tamen infrà), & jam suprà insinuavimus ex D. Tho.; secus tamen ut jam actu est de linea futuritionis; unde paritas solum poterat fortè tenere attendendo ad eandem rationem perfectionis reduplicativè, ut admixtæ imperfectioni, & ad rationem futuri sub pura ratione non entis, non ut jam præparati ad essendum, qua ratione constituitur futurum, & jam actu pertinens ad lineam durationis, sic enim subterfugere nequit habitudinem præsentis de hac linea respectu æternitatis, nisi velimus, quòd æternitas tota simul ab æterno non penetret omnem sinum durationis, quod est contrà sui infinitatem, & conceptum definitivum &c.

2. Impugnatur, vel magis explicatur præcedens replica. Ea continentia debet continere æternitas, quæ est propria suæ lineæ, sed hæc est continentia coexistentiæ, non puræ æquivalentiæ, vel eminentiæ, ergo, maj patet, quia ea continentia debet continere, quam meretur ejus infinitas, sed propria ejus infinitas, & cujuslibet attributi est infinitas suæ lineæ, ut patet inductivè, ergo, mi. etiam constat, quia propria ejus linea est linea durationis, sed propria ratio, seu perfectio durationis, physica, vel realis est, sive quòd sit physica mensura rei physicè præsentis vel coexistentis, ergo §. Explic., & urg. hoc paritate aliorum attributorum; nam quia divina scientia, (& sic de aliis;) est infinita simpliciter in sua linea cognoscitiva, vel scientiæ, non tantùm continet omne spectans ad illam, continentia purè eminentiali, vel æquivalenti, aut communi aliis attributis, itaut sit tantùm infinita, quasi subjectivè in se ipsa per hoc, quòd ei intrinsecè, vel entitativè nihil deficiat, sed propria ejusdem lineæ sive extensiva, scil. attingendo, & comprehendendo omne verum à scientia creata attingibile, in quo propria perfectio scientiæ consistit, ergo quia pariter æternitas est infinita simpliciter in sua linea durationis, non solum habebit continere omnem durationem inferiorem continentia secundùm puram æquivalentiam, vel eminentiam, cum sola infinitate subjectiva, itaut nihil ei entitativè deficiat, sed continentia extensiva, & propria ejusdem lineæ, scil. mensurando quantùm ad coexistentiam physicam, nam quodlibet attributum ex sui infinitate non solum tenetur excludere omnem defectum in se ipso, sed etiam juxtà sui meritum se extendere ad omne contentum in sua linea, continētia scil., & extensione propria ejusdem lineæ, aliàs non distinguimus continentiam, & infinitatem unius ab alio juxtà exigentiam propriæ lineæ &c.

3. Non stat æternitatem semel esse infinitam simpliciter in ratione durationis, & non coexistere continendo quoad coexistentiam, omnem durationem finitam, & omne contentū intrà illam, ergo ità petit necessariò continere, conf. tenet ex dictis, quia revera est duratio simpliciter infinita extensivè, extensione scil. virtuali, ut dictum est, ambiens omnem durationem, cum sit formalis ratio, seu sempiternitas, qua constituitur Deus semper existens sine principio, & fine; ant. verò prob. non stat corpus semel esse immensum, vel infinitum simpliciter in linea loci, & non occupare omnem locum coexistendo omni loco, & locabili, ergo nec stabit æternitatem sic esse infinitam in linea durationis, & non continere omnem durationem coexistendo illis, & omnibus contentis intrà illam. Et à fortiori instari poterat in divina immensitate, quam contendunt adversarii esse extendendam per coexistentiam ad spatia etiam imaginaria, quæ adhuc nihil actu sunt in linea loci, ut ostendimus in superioribus, cum tamen futura, ut dictum est; actu jam sint de linea durationis; sed de hac paritate infrà &c.

Dices ergo aut suprà eidem rationi principali admittendo quidem, quòd ratione infinitatis, & simultatis contineat omnem durationem etiam quoad existentiam, non tamen in actu 2., sed solum in 1., quia nempè quantùm est ex se potest continere omnia simul, si essent, sicut nos dicimus de immensitate comparativè ad spatia imaginaria, vel communiter fatemur de illa in ordine ad loca futura §. Sed hæc solutio manet sufficienter impugnata ex dictis; nam licet futurum in se nondum sit respectu nostri temporis, est tamen jam actu intrà lineam durationis, ut dictum est, ergo non solum tenetur continere illud æternitas in actu 1., sed etiā in 2., quia si semel connotatū, sive futurū est intrà hanc lineam, jam nequit impediri ex parte il-

te illius ; ergo cum ipsa sit summa actualitas , vel infinita simpliciter in hac linea , tenetur ad omnem durationem , & contentum intrà illam se extendere , vel continere in actu 2. Per quod patet discrimen jam in superioribus insinuatum inter immensitatem comparativè ad eadem spatia , vel loca futura , & æternitatem in ordine ad futura , quòd prædicta spatia , & loca futura adhuc non sunt actu de linea loci , ut iterum constabit retorquendo eandem paritatem , cui confidunt contrarii &c.

Urg. totum hoc ex alio simili durationis, si daretur infinita simpliciter , & successiva . Nam hæc tenetur successivè nòn solum in actu 1. , sed etiam in 2. continere , aut se extendere ad omnem futurã; ut supponimus; ergo pariter ęternitas tenebitur nõ solum in 1.;sed etiam in 2.continere omnẽ simul, cũ sit duratio infinita simpliciter,& tota simul.§.Nec juvat assignare discrimen , quòd respectu prioris duratio contenta jam actu existit , vel supponitur esse , dum illi successivè coexistit duratio infinita, non tamen ità supponitur futurum ante sui productionem . §. Non juvat inquam , quia ut dictum est ; ad hoc ut futurum sit capax hujus coexistentiæ , vel continentiæ in ratione coexistendi non est necessarium comparativè ad æternitatem , seù ad durationem infinitam totam simul , quòd existat in se , (hoc enim requiritur respectu mensuræ finitæ, vel propriæ) , sed satis est , quòd jam actu pertineat ad lineam durationis , quam evadere non potest, si semel velimus esse futurum ; unde prout sic non potest nõ transcẽdi,& simul cõtineri à duratione ambiente , vel transcendente simul omnem lineam durationis , qualis est duratio infinita simpliciter, & tota simul , scil. æternitas &c.

Ex his etiam manent iterum impugnatæ superiores solutiones , vel explicationes de simultate in essendo , vel relativè ad terminum primarium , qui est divinum esse sibi adæquatum , itàut æternitas sit quidem tota simul entitativè , & quoad suum esse intrinsecum , quatenus non habet in se partes sibi successivè succedentes , non tamen in continendo , & mensurando nisi respectu mensurabilis primarii , seù divini esse ; non respectu secundarii , quod est defectibile , seù potest non esse , & de facto nondum est , vel præteriit , ut est futurum , & præteritum . §. Manent inquam impugnatæ . Nam eo ipso quòd est duratio simpliciter infinita tenetur adæquatè transcendere hanc lineam juxtà meritum sui , & suæ lineæ , & consequenter continere , & mensurare quantùm ad coexistentiam omnem durationem , & contentum intrà illam , vel simul, si sit infinita tota simul ; vel successivè , si datetur talis successivè ; non solum terminum primarium , sed etiam secundarium , ut patet in ista ; & quia aliàs non transcenderet adæquatè , nec salvaretur propria ejus continentia , & infinitas , si solum sisteret in se non se extendendo per coexistentiam , quia ut dictum est ; hoc est meritum ejusdem lineæ &c.

Denique urgeri poterant hæc omnia , & instari efficaciter paritate jam insinuata cognitionis divinæ ; nam quia cognitio divina infinita est in sua linea, petit essentialiter ab æterno attingere futurum, ut existens in sua differentia temporis , idest cum sui existentia , & omnibus circumstantiis , quibus ponenda est in re , attingentia scil. propria lineæ cognitionis , nempè intentionaliter , vel objectivè , aliàs cognitio infinita non esset , sed deficiens in linea sua ; nec hoc negant , nec possunt negare contrarii , quia quidquid physicè existet in sua duratione Deus illud cognoscet , ut sibi præsens physicè , ergo ab æterno cognoscit illud , aliàs in tempore aliquid accideret scientiæ divinæ , quod est falsissimum , & absurdissimum , ut dicit Augustinus ubi suprà ; ergo pariter æternitas petit necessariò attingere illud ab æterno attingentia propria lineæ suæ , scil. durationis , vel coexistentiæ , & consequenter prout sic , vel eadem attingentia non solum tenetur attingere terminum primarium , sed etiam secundarium;hæc posterior conf. tenet , quia futurum est de linea secundaria , prima verò probatur ; nam ideo divina cognitio petit sic attingere futurum , quia mensuratur æternitate , ut tradit D. Tho. infrà q. 14. ar. 15. , & alibi , & patet, quia quòd cognitio perveniat ad physicam existentiam , vel præsentiam objecti cogniti provenit ex eo , quòd istud intrat lineam durationis , quæ est propria æternitatis , nam propria est linea intentionalis , ergo à fortiori terminabitur ad illud æternitas ; conf. tenet tum ex regula dialectica , proter quod unumquodque tale , & illud magis ; tum quia nullum mensuratum excedere potest sui mensuram in ejus ratione formali , scil. uniformitate , ergo si divina cognitio petit talem uniformitatem , ut ei repugnet sucessio non solum quoad entitatem , sed etiam quoad terminationem tam respectu objecti primarii , quam secundarii , itàut sine novitate cognitionis nequeat Deus in tempore cognoscere , quod ab æterno non novit , nec poterit æternitas sine sui novitate habere aliquid in tempore præsens, quod non habuit intrà suam lineam præsens ab æterno &c.

§. IV.

Alia duplici ratione probatur conclusio

Tertiò etiam principaliter prob. prosequendo alia via , & urgendo superiores ; ratione, quam D. Tho. insinuat hic in fine corp. ex discrimen inter ævum , tempus , & æternitatem ; ubi ait. *sic ergo tempus habet prius , & posteriùs ; ævum autem non habet in se prius , & posteriùs , sed ei adjungi possunt* (quod jam explicaverat , quia nempè adjungitur ei successio cognitionum , & affectionũ) *æternitas autẽ non habet prius ,neque posteriùs , neque ea compatitur .* Ex quo arg. sic . Deus ratione suæ æternitatis , neque habet prius , & posteriùs in se , ut tempus , neque ei adjungi possunt sicut Angelo per ævum mensurato in suis cogitationibus , & affectionibus ; at si futura non essent physicè præsentia in æternitate deberet admitti successio secundùm prius , & posterius in illo , sivè in divina cognitione , ergo exclusa eorum physica præsentia in æternitate non salvatur præfatum discrimen inter utranque durationem creatam , & increatam ; maj est D. Tho. , & communiter admittenda, si velimus, ut tenemur , distinguere mensuras

suras durationis ; mi. verò prob. ; nam dato quòd Anti-Christus v. g. , qui modo est futurus, non sit physicè in se ipso præsens æternitati, divina cognitio terminata ad illum , modo non videt Anti-Christum, & tempore sequenti videbit, ergo est successio in illa secundùm prius , & posterius, ergo , non admissa ejus præsentia physica in æternitate , evadere non possumus hanc successionem ; ant. est certum, quia eo modo videt , quo est , ergo si modo non est physicè præsens , & postea erit præsens, modo non videt ut præsentem physicè , & postea videbit illum , quod est omninò variari &c.

Dices Deum semper illum intueri semel supposita ejus futuritione , non quia habeat illum modo in æternitate ut physicè præsentem , nam hęc coexistentia non est necessaria ad intuitum , vel cognitionem intuitivam , quia potest sine illa salvari , sed quia vel videt illum cum sui existentia , & omnibus circomstantiis , quibus est ponendus in re pro sui differentia temporis ; vel quia (& in idem redit) , est cognitio rei præsentis physicè alicui tempori , licet non præsentis physicè cognitioni , vel ejus mensuræ, scil. æternitati , superaddita tamen ex parte cognitionis exigentia ejusdem præsentiæ physicæ alicui tempori , quæ exigentia intelligitur ex vi modi attingendi objectum cum claritate quadam, qua non attingitur objectum purè possibile , in quo sufficienter distinguitur à cognitione abstractiva , cui deest talis exigentia &c.

Sed hæc solutio manet 1. impugnata ex dictis ; est enim , ut vidimus ; contrà conceptum definitivum utriusque cognitionis , nec licet pro libito immutare definitiones rerum , aliàs nihil certi statui posset in difficultatibus explanandis ; nec est æquum pro aliqua earum, evadenda novas ingerere ad obscurandas magis , quam explicandas naturas rerum . §. 2. quia neque hinc adhuc evadit physicam presentiam futurorum in ęternitate , sed magis eam confirmat , quia ut proximè arguebamus ; & fatetur solutio , divina cognitio intuitiva necessariò petit attingere futurum ut physicè existens in sua differentia temporis , sive ut pręsens physicè alicui tempori , attingentia propria suę lineę cognitionis, nempè intentionaliter , vel objectivè sine ulla successione ex parte sui , sed simul , ergo à fortiori ęternitas utpotè mensura ejus , petit eodem modo ab ęterno attingere illud prout sic , attingentia propria lineę ęternitatis , scil. durationis , & coexisteotię , cum ęternitas non sit attributum cognoscitivum , sed physica , & realis duratio , vel mensura in linea durationis , ergo utrumque petit necessariò attingere , ut pręsens physicè non solum suo tempori , sed etiam sibi ; prob. hęc conf. , quia implicat in terminis , quòd dicantur semel attingere ut pręsens secondùm physicam pręsentiam , & modo attingant ut sibi pręsens physicè , & anteà non attingant pręsens eodem modo , ergo si semel aliquo modo petunt ab ęterno attingere ut pręsens physicè, petunt attingere illud, ut pręsens physicè sibi &c.

Expl. hoc,& simul prob. hoc ultimū ant. Nō stat semel ab ęterno attingere aliquo modo ut pręsēs physicè, & nō attingere ut pręsēs physicè,sibi ergo solutio magis cōfirmat,quā evadat hāc pręsentiā physicā, ità ut vel nullo modo ab ęterno attingunt ut pręsēs physicè , quod est destruere rationem intuitivi in cognotione divina , & propriam attingentiam æternitatis ; vel attingunt , ut præsens physicè sibi, prob. ant. simultas conveniens ęternitati , & cognitioni divinę est infinita , & adęquans propriam lineam , sive ambiens comprehensivè illam , ergo nō cōponitur cū hoc,quod est attingere aliquid de eadem linea , quale est futurum , aliquando sibi physicè præsens , & aliquando non , aliàs expressè solvitur simultas , & admittitur successio , ut patet ex terminis . §. Præterquamquòd si semel admittitur attingere,quod aliquādo nō habēt ut pręsēs physicè sibi , sed tantum suo tempori , jam respectu sui erit physicè absens , vel futurum , sed ut latè probatum est , & apertè tradunt PP., hanc habitudinem futuri habere nequit respectu æternitati , ergo est illi præsens physicè , & non tantum suo tempori &c.

3. Impugnatur licet admitteremus modum aliquem claritatis in attingendo objectum sufficere ad notitiam intuitivam, non tamen habetur respectu objecti , quod futurum est pręsens alicui tempori , ergo adhuc non salvat , & solum conceptum notitię intuitivæ ; prob. ant, ; quia res tempore futuro existens nequit influere claritatem in cognitionem existentem tempore antecedenti , ut per se patet ; nam dum modo , vel de præsenti adhuc non est physicè præsens , sed tantum erit pro tempori sequenti , nondum apparet , sed apparebit , ergo nequit modo esse manifestè , vel intuitivè cognitum , sed magis per modum latentis , unde videtur voluntariè poni modus claritatis in attingendo objectū ex eo,quod futurū est,& solum præsēs alicui tempori . §. Deinde si semel ex eo quòd futura erunt tempore sequenti præsentia,superadditur modus claritatis in cognitione eorum æternitate , mensurata , pariter ast superaddendus modus attingendi illa , ut in se præsentia , cum nulla appareat major ratio superadditæ claritatis,quę non appareat superadditæ attingentiæ eorum in se præsentium ; nam si qoia eadem cognitio intuitiva est , & æternitate , mensurata petit modum illum claritatis adhuc illis modo non apparentibus , aut manifestis , cur non poterit exigere modum illum attingendi ut præsentia in se, semel attingens , ut præsentia tempore futuro , cum sit hoc propriissimum meritum ęternitatis , cum omnia trahat ut dictum est , utpotè tota simul , & infinita ad solam physicam pręsentiam in se respectu sui, exclusa omni futuritione , & pręteritione pręoccupando illa .

Sed quidquid denique sit an requiratur , vel non, ad notitiam intuitivam pręsentia physica, nunquam vitari potest successio , vel variatio ex parte cognitionis non admissa futurorum physica pręsentia in ęternitate , ergo solutio est nulla, prob. ant. ; nam eadem non admissa , ita est , quòd divina cognitio modo attingit Anti-Christum v. g. ut futurum , & non ut pręsentem physicè , & tempore sequenti attingit illum ut pręsentem physicè , ergo est variatio in illa &c.

Dices, quòd licèt divina cognitio semper intueatur quæcunque existentia in aliqua differentia temporis , transitus tamen de futuritione ad physicam præsentiam non arguit variationem intrinsecam in cognitione , sed tantum extrinsecam , vel purè denominativè , sicut in simili dicimus de Verbo divino , dum in tempore univit sibi humanitatem , cui

non

non erat antea unitum, nam quòd res futura sit præsens physicè cognitioni, solum est quædam denominatio extrinseca, qua cognitio divina dicitur præsens rei, quæ antea erat futura. §. Sed cont. hoc est 1. Ex D. August. ut suprà; nàm juxtà eundem S. Doctorem hujusmodi transitus ità facit acrescere scientiæ Dei, ut id reputet absurdissimum, & falsissimum, ut patet ex verbis ejus; sed purè denominativè extrinsecè aliquid acrescere ex parte Dei nullum apud Theologos reputatur inconveniens, ergo est variatio intrinseca.

2. Quià, ut probatum est, eo ipso quòd futurum est intrà lineam durationis, defectus præsentiæ sui physicæ in æternitatè, & consequenter in cognitione mensurata per illam, nequit esse ex parte connotati, ergo erit ex parte æternitatis, & cognitionis in continendo, vel mensurando, & attingendo ut physicè præsens, quod est deficere, & variari intrinsecè, dum transeunt ad continendum, & attingendum ut præsens physicè. Per quod patet etiam ad simile adductum, & ad alia hujusmodi, in quibus defectus est ex parte connotati, nec potest ullo modo refundi ad extremum divinum, cum nec teneretur Deus producere ab æterno humanitatem, nec eã sibi unire, nisi quando juxtà infinitam sui sapientiam, & bonitatem decreverat idem mysterium exequendum, cæterum cognitio intuitiva, & æternitas supposito decreto de productione Anti-Christi, statim petunt ex sui natura, vel conceptu definitivo, ut probatum est; terminare ad illum, ut sibi physicè præsentem, cum jam intret lineam realem durationis, undè si tali modo non terminantur, defectus erit ex parte earum, & consequenter intrinsecus.

3. Denique, nàm ità est, quòd dum res est physicè præsens cognitioni divinæ, verè intellectus attendit ad illam, ut sibi physicè præsentem, & antea non, sed solum ut ad futuram, cum sit de subjecto non supponente in signo antevertente ejus physicam præsentiam, & intellectus divinus ad unumquodque attendat, ut revera est, sed hæc attentio est aliquid intrinsecum, seù intrinseca denominatio, ut patet, ergo per physicam præsentiam non solum superadditur cognitioni divinæ extrinseca denominatio, sed etiam intrinseca, & consequenter variatio intrinseca &c.

Dices tamen ex quodam recentiori existimante non posse aliter exponi SS. PP., nisi quòd verè excludant rationem futuri comparativè ad Deum, sivè ad ejus æternitatem, & cognitionem, & optimè hæc duo adhuc componi, nempè Deo nihil esse futurum, & quòd nihilominùs futura non sint illi physicè præsentia, sed tantùm objectivè, quia cum Deus habeat secum identificatas omnes formales rationes durandi clausas in æternitate, quibus assistit omni durationi creatæ, quando est, eo ipso habet relationem indistantiæ temporaliter à qualibet duratione creata, ità quod sit indistans temporaliter ab illis, excludendo scil. ratione suæ æternitatis completè, & formaliter distantiam ab omni duratione sibi extrinseca, quod est excludere rationem futuri respectu sui. Idque magis explicat afferendo discrimen inter nos, & Deum, unde, inquit, nobis est futura duratio crastina, quia inter durationem hodiernam nostram, & durationem crastinam est ordo prioris, & posterioris, sed inter durationem Dei, & crastinam durationem est ordo præsentis ad præsens, quia sua duratione, quam hodie habet, assistit durationi crastinæ, quando existit; & quià hodiè adhuc futurum in se non existit, nequit adhuc obtinere rationem præsentis physicè in æternitate, aut quòd existat in illa; quià tamen hæc jam actu habet in re utramque durationem identificatam non potest alteram admittere respectu sui tanquam futuram, unde crastina hodiè tantùm venit, ut præsens objectivè. Alii etiam hoc ipsum explicant exemplo arboris fixæ in fluvio, nam sicut huic adveniunt aquæ de novo sine sui variatione, nec illi coexistunt omnes simul, sed aliquæ sunt futuræ; pariter æternitati sine sui variatione possunt advenire durationes futuræ, nec omnes esse illi præsentes physicè, sed aliquæ futuræ &c.

Sed hæc solutio videtur sua subtilitate jugulare se ipsam; nam si ità est, quòd inter durationem Dei, & creatam est ordo præsentis ad præsens, planè est ad præsens in linea durationis, non cognitionis, cum æternitas, ut dictum est, non sit attributum cognoscitivum; sed linea durationis est physica, vel realis, ut supponimus, & per se constat, ergo erit comparatio ad præsens physicè, non purè objectivè; unde omninò incompossibilia sunt hæc duo in linea durationis, quòd futurum non habeat rationem futuri comparativè ad Deum, vel ad sui durationem, & quod deindè non habeat rationem præsentis physicè, sed tantùm objectivè, imò est de subjecto non supponente hoc medium præsentiæ objectivæ in eadem linea, ut dictum est.

Urgetur hoc. Sicut duratio Dei adæquatà sistit ex parte sui in ordine, vel conceptu præsentis, ità duratio creata adæquatur per ordinem præsentis, futuri, & præteriti, sed Anti-Christus v. g. nequit dicere ordinem præteriti, ut supponimus; nec futuri, ut solutio admittit juxtà SS. PP., ergo præsentis, non purè objectivè, ut probatum est, ergo physicè juxtà meritum lineæ durativæ; vel si non habet ordinem præsentis physicè, ut contendit eadem solutio, verè habebit rationem futuri contrà se ipsam, & SS. PP. §. 2. Nam identificatio durationum non sufficit ad verificandum, quòd futura sint physicè præsentia æternitati, ergo nec sufficit ad verificandum, quòd non sint adhuc futura respectu Dei, & consequenter, quòd nihil sit respectu ejus futurum.

Urg. hoc. Ex vi ejusdem identificationis non arguitur ex parte Dei jus assistendi durationi Anti-Christi futuræ in statu modo futuritionis, ut dicit cum aliis contrariis Author solutionis, ergo Anti-Christus est futurus modo æternitati cum omni sua infinitate, unde vel negandum est futurum, & collocandum in linea præsentiæ respectu æternitatis, vel concedendum est in hac sententia, quòd Deo est aliquid futurum, imò omnia futura nobis esse pariter futura Deo, quia juxtà illam non habet modo durationem, qua possit assistere futuris in statu futuritionis, & duratio Dei erit sicut ævum, vel duratio Angeli, qua Angelus assistit sine successione omnibus, quando transeunt de statu futuritionis ad statum existentiæ, nec tamen est infinita, quia non assistit futuris in statu futuritionis existentibus.

Ex quo etiàm patet ad simile de arbore fixa in fluvio, nam quidquid sit, quòd sine ejus variatione assistat aquis successivè advenientibus; ex ejus tamen limitatione, vel finitate provenit, quòd

aute

ante earum adventum illis assistere nequeat, ut sibi præsentibus; si enim esset tantæ extensionis, quantæ est totum flumen, sicut est æternitas, ut potè infinita, ad totam lineam durationis, vel ad omnem ejus differentiam, non expectaret aliquam ut venturam, vel sibi futuram, sed omnem haberet, ut sibi præsentem, ut per se patet, unde poterat retorqueri, & magis eodem confirmari nostra sententia.

Quam quidem alio duplici exemplo aptissimè declaravit D. Thom. altero ex 1. cont. gent. c. 66., ubi comparat æternitatem centro, nam sicut istud quamvis indivisibile adest cuique puncto opposito in circumferentia, & omnibus lineis ab eadem ad illud deductis, ità æternitas licet indivisibilis, & tota simul adest omnibus rebus temporalibus fluentibus, & successivis. Altero verò ex q. 14. infrà ar. 13. ad 3., & ex qu. 2. de veritate ar. 12., scil. hominis existentis in alta turri, qui non solum intuetur propinquos successivè accedentes, sed à longè etiam venientes per totam viam supponendo, quòd totam ex illa intueri possit; unde licet isti respectu existentis ante januam, vel in loco ibid. inferiori, sint futuri, superior tamen jam habet omnes sibi præsentes; ità similiter Deus in sublimitate suæ æternitatis habet omnem durationem creatam, & omnia in illis contenta tam præterita, quam futura perpetuò sibi præsentia, licet unum ex his alteri succedat, nec possint esse simul in propria mensura, & duratione, unde quòd futurum est respectu nostri temporis, jam est præsens respectu suæ æternitatis.

Quod etiam exemplum poterat aliter exponi sic. Si quis in eadem turri positus videret plures transeuntes diversis temporibus, videret quidem omnes, sed non simul, quia visio ejus ut potè limitata, vel temporalis commensurata erat tempori transeuntium, si autem daretur, quòd eadem visio divisa per diversa tempora tota simul, & suprà commensurationem ad tempus transeuntium existeret, tunc omnes transeontes simul videret, nam licèt transeuntes sibi ipsis succederent, non tamen visioni, ita in casu respectu æternitatis, & divinæ cognitionis per illam mensuratæ contingit comparativè ad omnes creaturas in diversis durationibus, vel temporum differentiis existentes, quòd sunt tota simul ad omnes, licèt omnes sibi ipsis succedant secundùm suas durationes &c.

Ultimò tandem prob. concl. destruendo præcipuum, & ferè unicum fundamentum contrariorum, ut ab initio insinuavimus, & ante illos jam contra se propositum, & plenè solutum à D. Tho. relato super Boëtium. Ex eo repugnat futura esse ab æterno physicè Deo præsentia, & suæ durationi coexistentia, quia ab æterno adhuc in se ipsis non sunt, sed hæc ratio est nulla, ergo, prob. min., primò quia, ut sæpè dictum est, licèt actu in se ipsis adhuc non sint, jam tamen sunt actu de linea durationis, sed hoc sufficit ad eorum physicam præsentiam, & coexistentiam respectu æternitatis, ut probatum est, ex meritis illius, & patet ex exemplis proximè adductis; ergo. Secundò, quia licèt verificentur non esse pro differentia temporis, ad quam comparantur, ut futura, & ratione cujus dicuntur non esse in se ipsis; verè tamen sunt pro sua; nam verè pro illa verificantur habere esse, v. g. lectio crastina, licèt non sit, vel non existat hodiè, verè tamen dicitur existere pro duratione crastina, nam ad hanc non comparatur, ut futura, sed ut præsens, cùm spectet ad illam; ergo licèt futura non sint pro duratione non sua, verè tamen sunt pro sua, ergo optimè poterit æternitas ab æterno coexistere futuris, prout in se continet tempus futurum &c.

Dices, quòd licèt futurum dicatur existere pro sua duratione, quando cùm illa ponetur in re, de præsenti tamen neque ipsum, nec ejus duratio adhuc in se ipsis sunt, aliàs non essent quid futurum, unde nequit adhuc verificari perseveranta hoc statu futuritionis, quòd alteri coexistant, sive æternitati, nisi velimus alteri coexistere, in signo, in quo nondùm existit, quod videtur repugnare in terminis, & in quo maximè facit vim sententia opposita, nec adhuc superat ratio facta. §. Sed contra hoc est primò, quia hæc solutio vel dissimulat, vel non penetrat vim rationis factæ. Nam licèt defectus existentiæ in se ipsis de præsenti rectè arguat defectum coexistentiæ respectu durationis hodiernæ, non tamen respectu æternitatis, ergo est nulla; prob. antec., quia æternitas, si velimus esse infinitam, & totam simul, non solùm continet modo durationem hodiernam, sed simul, & ab æterno crastinam, & omnem creatam, cùm non acquirat in tempore continentiam earum, nisi velimus iterùm aliquid intrinsecè accrescere Deo in tempore, cùm continentia creaturarum sit prædicatum intrinsecum Dei juxta conditionem cujuslibet lineæ, de quo nullus Theologorum potest rectè dubitare, ergo ut dicatur coexistere æternitati, non est necessarium, quòd verificetur habere esse de præsenti, vel pro duratione hodierna, sed tantùm pro crastina, vel pro sua &c.

Expl., & urg. hoc ex his, quæ supra insinuavimus in Procemialibus, & est valde notandum in hac re, nam hoc est discrimen inter durationem Dei, & illam creaturæ, quòd prior utpotè infinita, quia dat simultaneam continentiam temporis præsentis, & futuri, dat Deo simul durare pro hoc instanti, & pro tempore futuro; duratio autem quæcumque creata etiam angelica, vel ævum, impossibile est, quòd hoc ipsum tribuat Angelo, aliàs finita non esset; tum quia, ut dicebamus, non posset Angelus pro hoc instanti præsenti annihilari à Deo; nam si modò simul duraret pro tempore futuro, jam non posset nunc verificari, quòd cesset à durando, aliàs simul duraret, & non duraret, & consequenter quòd neque nunc annihiletur, aliàs cessaret durare; ergo ut dicatur Deus sua æternitate modo coexistere futuro, non est necessarium, quòd istud habeat existentiam pro duratione præsenti, sed sufficit quòd habeat pro sua, quia Deus non tantùm durat pro hoc instanti, sed simul etiam pro quacumque alia duratione creata, unde non solùm non repugnat, quòd futurum sit præsens physicè per coexistentiam ad durationem Dei, sed impossibile est, quòd possit hanc præsentiam subterfugere, nisi velimus, quòd Deus duret limitatè, & non simul pro omni duratione, quod est contra ejus infinitatem &c.

Expl. ulteriùs, & est alia optima ratio, vel aliter proposita pro conclusione. Duratio Dei est infinita habens simul non successivè omnem duratio-

rationem tam præsentem, quàm futuram, vel ad quam potest se extendere, sed eadem est conveniens Deo ab æterno, ergo ab æterno quando adhuc non est verum dicere futurum, vel ejus durario in se ipsa est, jam est verum dicere, duratio Dei, sive nunc æternitatis tribuit illi durare tota illa duratione, ad quam potest se extendere tempus, & consequenter ab æterno coexistit omni tempori, & cuilibet contento intrà illud, sive præsenti, sive futuro; hæc ultima conſ. tenet ex priori, nam coexistit cuilibet durationi, in qua durat; maj., ut vidimus est, definitio æternitatis; mi. etiam constat; nam Deus habet suam duratione, ex quo durat, sed durat ab æterno, ergo illam habet ab æterno; prima verò conſ. legitimè infertur ex præmissis; nam duratio temporis est una ex durationibus, cui aliquando Deus coexistit, ut suppono apud omnes, ergo si duratio Dei tribuit illi omnem durationem, ad quam potest se extendere, ab æterno tribuit illi durationem, qua coexistit tempori, ergo cùm ab æterno adhuc non sit verum dicere, quòd futurum, vel tempus in se ipso est, antequàm de illis verificetur, quòd in se ipsis sint, jam erit verum dicere, quòd sunt in nunc æternitatis secundùm coexistentiam, vel præsentiam physicam juxta meritum lineæ durativæ &c.

Dices durationem Dei non dici infinitam, quia actu simul det illi durare per coexistentiam ad omnem durationem, de qua aliquando verificatur, quòd durat, sed quia tribuit illi sic durare, quòd pro omni duratione, sive vera, sive imaginaria, semper verificatur, quòd Deus duret, & sic necessarium non erit, quòd Deus contineat, vel coexistat creatæ durationi, antequàm sit &c.

Sed hæc solutio rejicitur primò ex discrimine adducto inter durationem Dei, & creatam, quòd Deus ratione illius non tantùm durat, sed simul durat ab æterno in suo nunc æternitatis pro omni duratione creata, non successivè, sicut angelica, de qua nequit pro hoc instanti verificari quòd durer, vel tribuat Angelo durare pro tempore futuro, aliàs finita non esset; nec posset Angelus annihilari, ut dictum est, pro hoc instanti; unde non distinguit inter utramque durationem, sed magis confundit, nec verè salvat infinitatem, & simultatem definitivam durationis divinæ; nam etiam de Angelo semel producto verificatur sic durare, quòd doret pro omni duratione, de qua verificari potest, quòd aliquando duret, si semel non requiritur, quòd simul actu duret per coexistentiam ad omnem futuram, ergo tenemur aliquid ulteriùs tribuere durationi divinæ, scil. hanc coexistentiam præviam ad earum existentiam in se ipsis, sive simultaneam continentiam pro omni signo, in quo Deus dicitur durare, ad quam nulla duratio creata, vel finita pervenire potest &c.

2. Et urg. præcedens. Quia directè destruit proprium conceptum æternitatis; nam in eo consistit, ut patet ex ejus definitione communiter recepta, quòd sit interminabilis vitæ, scil. operationis divinæ; tota simul, & perfecta possessio, scil duratio, ut explicatum est; ergo debet ab æterno habere hoc, quòd coexistat tempori, sive antequàm verificetur, quòd tempus existat in se ipso; prob. conſ., quia, ut patet ex terminis, non stat, quòd sit tota simul, & perfecta possessio, sive duratio vitæ, vel operationis Dei, & non habeat simul sine successione omnem durationem, pro qua verificari potest, quòd durat, quando tempus durat, unde necesse est dicere, quòd ab æterno hoc illi conveniat, scil. coexistere tempori, antequàm verificetur, quòd existat in se ipso; cùm divina operatio non accipiat in tempore, quòd duret; quia cùm hoc sit de linea perfectionis, in tempore acciperet aliquid de eadem linea, quod suæ summæ actualitati, & immutabilitati repugnat. Præterquamquòd solutio sic tribuit futuro rationem futuri respectu æternitatis, sicut respectu durationis finitæ, vel respectu temporis nostri, si solùm durat, vel est præsens in sua duratione, & non ab æterno, quòd præterquamquòd, ut vidimus, est contra SS. PP., latè impugnatum est &c.

2. Impugnatur eadem principalis solutio evertendo paritatem, cui satis etiam confidunt contrarii, & quam supra etiam insinuavimus, scil. divinæ immensitatis, & est iterùm alia efficax ratio pro conclusione. Non minùs æternitas est infinita, & tota simul, seu indivisibilis in sua linea, scil. durationis, quàm sit immensitas in sua, nempè locativa, at non salvatur infinitas immensitatis, nisi simul localiter coexistat cuilibet differentiæ loci, & omnibus locatis in illis, in quacumque distantia intrà hanc lineam positis, ergo nec salvabitur infinitas æternitatis, nisi simul durativè coexistat cuilibet differentiæ temporis, & omnibus contentis in illis in quacumque distantia intrà hanc lineam succedentibus, & consequenter futuris &c.

Dices esse discrimen inter differentias loci, & locata in illis ex una parte, & differentias temporis, sive præteritum, præsens, & futurum, & contenta in illis ex alia, quòd priora absolutè jam sunt, unde distinctio localis non potest impedire simultaneam coexistentiam immensitatis ad illa; differentiæ verò temporis, & contenta in illis adhuc non sunt omnes, vel omnia absolutè, ut sunt futura, & earum durationes; & ideò salva infinitate æternitatis, quæ temporaliter durant, possunt subtrahi ab ejus coexistentia in signo, in quo actu non sunt in se ipsis. §. Dices 2. retorquendo paritatem, quòd sicut salvatur infinitas immensitatis, etiam si non extendatur ad loca futura, poterit pariter salvari infinitas æternitatis, etiam si nō extendatur ad res futuras, & earum durationes &c.

Sed contra primam est primò, quòd ut vidimus in superioribus, non solùm extendunt contrarii divinam immensitatem ad loca existentia, sed etiam ad spatia imaginaria, quæ actu, vel absolutè in se nihil sunt, ergo sicut ipsi dicunt, non salvaretur infinitas immensitatis non extensa ad eadē spatia adhuc in se absolutè non existentia, nec salvabitur infinitas æternitatis non extensa ad durationem etiā adhuc absolutè in se non existentem.

Urg. hoc. Minùs existit in linea loci spatium imaginarium, quàm in linea durationis duratio, vel tempus futurum, sed quia putant prædictum spatium aliquomodò pertinere ad lineam loci, non salvaretur infinitas immensitatis sine extensione ad idem spatium, ut ipsi contendunt, ergo minùs salvabitur infinitas æternitatis sine extensione ad tempus futurum; maj. patet ex dictis ibidem, quia duratio, vel tempus futurum jam est

est præparatum in causa, ut aliquando sit, unde dicit ordinem ad existentiam, secùs tamen spatium purè imaginarium, ut modò supponimus, aliàs purè imaginarium non esset.

2. Impugnatur. Nam sicut futurum, vel ejus duratio non est absolutè pro hoc instanti, vel hac præsenti duratione, ita nec Placentia v.g. est absolutè hic Romæ, sed hoc non obstante, quia immensitas est infinita localiter, simul coexistit Placentiæ, & hic Romæ, & ubique locorum, ergo pariter, quamvis futurum, vel ejus duratio non existat pro hac præsenti, & pro alia quacumque priori ab æterno; quia tamen æternitas est infinita in linea durationis, simul coexistit præsenti & futuro, & cuicumque durationi præteritæ, aut priori ab æterno, & unde sicut nulla distantia localis etiam cum negatione existendi absolutè hic respectu alterius loci, vel locati, potest impedire simultaneam coexistentiam immensitatis ad omnia loca, & locata, nec poterit distantia temporalis etiam cum negatione existendi absolutè pro hac præsenti, poterit impedira simultaneam æternitatis ad omnem durationem, & contentum in illis &c.

3. Etiam solutio facilè retorquetur ex dictis, sumendo hinc potiùs vires, ut insinuavimus pro nostra sententia. Ex eo salvatur infinitas immensitatis sine extensione ad loca futura, quia ista non sunt de linea loci, non enim dividitur locus divisione directa per præsentem, præteritum, & futurum, sed per sursùm, deorsùm, ante, & retrò &c., sed præsens, præteritum, & futurum sunt differentiæ directè contractivæ temporis, ergo non salvabitur infinitas æternitatis sine extensione ad omnem hujusmodi differentiam.

Urg. hoc. . i locus divideretur per præsentem, præteritum, & futurum, non salvaretur infinitas immensitatis sine extensione ad loca futura, qua ratione, ut dictum est, contendunt non salvari sine extensione ad spatia imaginaria, quia putant ista pertinere ad lineam loci, ergo cùm dividatur tempus per præsens, præteritum, & futurum, non salvabitur infinitas æternitatis sine extensione ad omnem hujusmodi durationem, vel differentiam &c.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arg. quibusdam testimoniis D. Aug., & D. Tho.; nam prior sermone 11. de Verbis Apostoli sic habet: *Deus habet electos apud se ipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua.* 4. etiam Genes. ad lit. c. 18. *Res antequàm fierent, erant, & non erant, erant in Dei scientia, & non erant in sui natura*; 12. etiam de Civit. Dei c. 25. ait: *Res antequàm fierent, non fuerunt, sed ante, dico in æternitate, non tempore.* Sentit ergo, quòd physicè, & in sua natura non fuerunt in æternitate, sed tantùm in præscientia, & objectivè &c.

Idem etiam videtur sentire D. Thom. pluribus in locis; nam infra qu. 14. art. 13. sic ait: *Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Ubi duplicem tantùm præsentiam assignat, & utramque intentionalem, alteram scil. in ideis, & alteram in scientia visionis, ut patet, unde etiam probat esse in æternitate, quia eas intuetur, quæ est tantùm præsentia objectiva. Quæst. etiam 16. ar. 3. docet non dari veritates æternas distinctas à Deo; & p. 2. q. 91. ar. 1. ad 1. inqoit: *Ea, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, inquantum sunt ab ipso cognita, & præordinata*; quæ iterùm est sola intentionalis præsentia; & q. 1. de Verit. ar. 7. ait: *Futura contingentia antequàm fiant, præexistere in duobus, nempè in præscientia divina, & in causis creatis.* At si etiam physicè præexisterent in æternitate, in tribus præexisterent, ut patet, ergo non videtur de mẽte ejus hæc eorum præsentia physica in Deo, sed tantùm objectiva, vel intentionalis; & ita etiam sentiunt graves ejus Discipuli Herveus, Sylvester, & Atavyo, quibus favet Ægidius Romanus &c.

Ad hæc dico in primis, quòd ut patet ex testimooiis utriusque in favorem nostræ sententiæ relatis, nullo modo est dubitandum de mente eorum, cùm sit apertissima in illis, nec solùm docuerunt illam, sed etiam rationem assignarunt; D. August. quidem, qnia ex opposita sequeretur scientiam Dei esse variabilem; D. Tho. verò ex discrimine inter ævum, æternitatem, & tempus, ut ostensum est; unde si prædicti antiquiores Thomistæ (nam de Atavyo dicemus infrà) aliter videntur sentire explicandi sunt, vel de coexistentia eorum in æternitate sompta adæquatè secundùm omnem sui virtualitatem, quibus correspondet non solùm tempori futuro, sed etiam præsenti, & præterito, vel priori, aut imaginario in infinitum à parte ante, non antem inadæquatè pro virtualitate correspondente propriæ durationi, vel mensuræ; vel quòd solùm negent præsentiam physicam per qnandam anticipatam eorum productionem in illa distinctam ab ea, qua producuntur, in quo sensu nagant alii ejus discipuli; & si qnis velit eos aliter sentire, facit potiùs illos dissentire, quàm rectè sentire cum suo Angelico Præceptore.

Sed placet breviter respondera ad singula; ad 1. dico, quòd vocat præscientiam comparativè ad nostram scientiam tempore mensuratam, licèt respectu Dei præscientia non sit, sed scientia, & visio, aliàs apertè sibi, & suæ rationi contradiceret, si anteà præsciret, attingendo scil., vel respiciendo ut futura sibi, & posteà sciret attingendo, ut sibi præsentia, quod Doctor sanctus, ut vidimus, reputat absurdissimum, & falsissimum, utpotè illativum variationis scientiæ Dei, non tantùm extrinsecè ex parte objecti, vel connotati, in qno nullum est inconveniens, sed etiam intrinsecè, & ex parte sui, in quo esset maxima absurditas, & falsitas: quando ergo ait habere electos non in natura sua, intelligitur secundùm propriam mensuram, non verò negat contineri in æternitate tanqnam in mensura excedente; & eodem modo intelligitur secundum. Similiter resp. ad 3., scil. res antaquàm fierent, non fuisse in æternitate absolntè, & tanqnam in proptia mensura, fuisse tamen in illa, ut in mensura superioti,

riori, & excedente, vel pro virtualitate correspondente propriæ durationi, non pro omni, ut dictum est &c.

Ad 1. D. Tho. patet ex dictis expressè stare pro nobis; nam posterior præsentia, si velimus, quòd eam statuat contrapositivè ad primam, quæ est purè intentionalis, vel objectiva, debet ex mente ejus esse realis, vel physica; negamus ergo, quòd solam ibi præsentiam intentionalem assignet, immò expressè physicam, dum posteriorem arguit ex intuitu, quem vidimus ex sui conceptu definitivo importare realem præsentiam objecti in duratione, in qua est cognitio, & quia hæc realis præsentia objecti haberi nequit ex meritis puri fori intentionalis, necessariò ad meritum æternitatis tanquam mensuræ ejusdem divini intuitus refundenda est, unde ex intuitu solùm dicitur probari à posteriori. §. Ad 2. dicimus esse intelligendum, quòd non dentur existentes absolutè, neque tanquam in propria mensura, non verò, quòd non dentur physicè præsentes ab æterno in Deo, qui fertur ad futura in propria præsentialitate, ut in priori ait D. Tho. §. Ad 3. & 4. dicimus non excludere ibi præsentiam physicam, sed tantùm explicare objectivam, quæ sola erat ad ejus intentum necessaria, scil. ad explicandum quomodò sit ab æterno in Deo lex æterna, & quomodò in ejus scientia sint futura, ut eorum revelationes deinde imprimantur in mente Prophetæ; immò etiam implicitè priorem insinuat, dum 1. 2. ait esse cognita, & præordinata; & de Veritate, quòd sunt in scientia Dei, ut imprimantur &c. Loquitur enim de cognitione eorū, ut sunt jam præparata in causa,& consequenter visiva, non simplicis intelligentiæ, vel abstractiva; constat autem ex dictis illam esse ad objectum realiter præsens, saltem in duratione, In qua est cognitio, unde testimonia D. Tho., si rectè perpendantur, potiùs favent, quàm adversentur nostræ conclusioni, & videri possunt apud nostros Thomistas,præcipuè apud M. Jo: à S.Tho., & Illustriss. Godoy, ubi supra &c. Omitto etiam alia ex S. Scriptura, quia nec leviter eidem obstant, cùm solùm habeatur in illis res incepisse in tempore, & non fuisse ab æterno, scil. per anticipatam earum productionem, quod nullus Thomista, nec Catholicus negat, cùm sit Fides Catholica; solùm enim affirmatur præsentia earum in æternitate, sive in duratione Dei, & consequenter realis juxta meritum lineæ durativæ, ut sæpè dictum est; quod non opponitur temporali earum præsentiæ in se ipsis, ut latè probatum est, & adhuc statim ulteriùs constabit &c.

Secundò principaliter arg. præcipuo eorum fundamento jam insinuato, & à D. Tho., ut dictum est, ante illos contra se proposito, & plenissimè soluto. Implicat aliquid alteri physicè coëxistere, quòd adhuc physicè non existit, sed futura ab æterno adhuc physicè non existunt, ergo nec physicè coexistunt æternitati; min. supponitur de fide; & maj. videtur nota ex terminis; quia coexistentia importat mutuam extremorum existentiam, cùm sit relatio mutua in linea existendi &c.

Ad hoc ex Tho. ubi supra super Boëtium, dist. maj., quod adhuc physicè non existit, nec simpliciter, nec secundùm quid, conc.; simpliciter, & absolutè, subdist.; si alteri coexistat tanquam mensuræ adæquatè propriæ, conc.; tanquam inadæquatæ, & excedenti, vel infinitæ, nego, & dist. min.; non existunt absolutè, & simpliciter conc.; secundùm quid, nego; nec oppositam docet Fides, sed tentùm primum; Ad prob.verò maj. similiter dist.; importat existentiam, vel simpliciter, vel secundùm quid, conc., simpliciter, & absolutè, subdist.; si coexistentia sit ad alterum ut mensuram excedentem, nego; inadæquatam, & propriam, conc.; licèt ergo Anti-Christus v. g. non existat ab æterno simpliciter, & absolutè, vel pro tempore præsenti, & præterito, existit tamen secundùm quid, sive pro tempore futuro, quod sufficit, ut coexistat æternitati ut mensuræ excedenti, quia hæc quamvis sit formaliter indivisibilis, est tamen divisibilis virtualiter, quatenùs extenditur ad futura tanquam præsentia, ut ostensum est, unde coexistit illi, non pro omni virtualitate, qua etiam correspondet nostro tempori, aut præterito, sed pro illa, qua correspondet futuro, vel illi instanti, in quo verificabitur, quòd Anti-Christus est; nam in nunc indivisibili æternitatis formaliter sunt distinguendæ ob ejus infinitam amplitudinem, & excessum distinctæ virtualitates, quarum sunt participationes, instantia, vel tempora, aut durationes nostræ finitæ; distincta enim virtualitate mensurat hoc instans præsens, ac mensuret crastinum; sed omnes simul Deo conveniunt, ut patet ex definitione æternitatis, sicut immensitati omnes simul conveniunt suæ, quibus correspondet omnibus locis, & sic pro omni instanti est verum dicere, quòd Deus coexistit Anti-Ahristo, & cæteris futuris non ratione durationis, aut durationum, quibus correspondet instantibus, pro quibus non verificatur quòd existant, sed ratione illius, aut illarum, quarum sunt participationes, instantia illa, in quibus verificatur, quòd existant &c.

Sed contra hanc communem solutionem multipliciter instatur, primò. Vel hoc, quod est existere secundùm quid, modo explicato, destruit rationem existentis absolutè, vel non; si hoc secundum, ergo creaturæ existunt ab æterno, quod est contra Fidem; si verò primum, ergo nequit dici, quòd existant futura in æternitate, quia non est ullo modo affirmabile prædicatum de aliquo, quod absolutè negatur de illo, ut patet, nam quia absolutè negatur inhibilitas de homine, non potest ulla ratione affirmari de illo, ergo si existere secundùm quid, destruit rationem existentis absolutè, non poterit ullo modo affirmari, quòd existant, quia quod absolutè destruitur, nequit ullo modo affirmari &c.

2. Si semel verificatur, quòd ab æterno physicè existant in æternitate, debet verificari etiam, quòd existant ab æterno, physicè enim existere ab æterno in æternitate, est æternaliter, vel ab æterno existere, sicut physicè existere in tempore, est temporaliter, vel determinatè secundum inceptionem existere, ex quo etiam aliud infertur inconveniens, quòd jam essent per anticipatam productionem ab æterno, cùm physica existentia nequeat creaturæ communicari, nisi media creatione, vel productione; ergo si nequit de creaturis verificari, quòd sint physicè ab æterno,

nec verificeri poterit de futuris, quòd sint physicè ab æterno in ætetnitete, aut quòd illi coexistant.

3ò. Et urg. præcedens. Si physicè eb æterno coexisterent æternitati, existereot æternè, sed hoc est falsum, ergo, min. constat, qnie sicut creatura intrà lineam durationis coexistit æternitati, ita intrà lineam loci existit immensiteti, sed coexistens immensitati, non existit intrà haoc lineam immensè, ergo nec coexistens æterniteti axistet intrà illam æternè; maj. verò prob, qoia coexistens ab æterno, sine principio duretionis existit, ergo æternè &c.

4ò. Et urgentiùs. Futurum prout in proprie duretione adhuc non coexistit ęternitati, aliàs jam intelligaretur esse in illa, & consequenter si ab ęterno sic coexisteret, intelligeretur ab ęterno anticipatè productum, ergo absolutè non coexistunt ęternitati, prob. conf.: infinitas ęternitatis ęqualiter ambit omne creatum, sive tam creaturas, quàm durationes creatas, ergo si non ambit creaturas, prout in propria doratiooa, nollo modo ab ęterno extenditur ad creaturas futuras &c.

5ò. Hęc propositio: Futurum coexistit ęternitati, exponitur sic: Modò existit ęternitas, & modò etiam axistit futurum, quia, ut dictum est, coexistentia est mntua relatio in existendo; sed secunda pers est falsa, ergo erit salsa tota copulativa, ex regula dielectica, quòd ad veritetem copulativæ debet utraque pars esse veta, ergo erit atiam salsa prima exponibilis &c.

6ò. Quia existere secundùm quid, vel pro tempore futuro est axistere ratione illius, sed tempus futurum nequit per aliud existere ęternitati, aliàs daretur processus in infinitum, ergo nequit futurum simpliciter illi coexistere &c.

7ò. Si creaturæ existerent ad ęterno in ęternitate, hoc esset, quia toti ęternitati coexistunt; nam de indivisibili vel totũ, vel nihil habetur, sed hoc est falsum, ergo non ita existunt ab ęterno; prob. miu.: si coexisterent toti; sicut æternitas nulli tempori deest, pariter & illæ nulli deessent, sed hoc est falsom, ut supponimus, ergo non coexistunt illi &c.

8ò. Aliquid coexistere æternitati eb ęterno, est ita existere, quòd in anterioribus, & anterioribus durationibns in infinitum existat, sed creaturæ incipientes hodiè, deficiunt in anterioribus, ergo non existnnt ab æterno in ęternitate &c.

Resp. benè ibi dictum esse. Ad primam replicam dicimus, quòd non destruit, sed permittit, quòd futurum non existat absolutè, quia ad ajus eb æterno coexistentiam respectu æternitatis sufficit, nt dictum est, ejus futuritio, vel preparatio in causæ, qua constituitur intrà lineam durationis, sive futuritionis, & ęternitatis amplitudo, qua embit omne tempos, vel dutationem creatam &c.

Ad secundam eliqui distinguunt inter has duas propositiones, nempè, futura existunt in æternitate, & futura existunt, vel sunt ab ætetno, & de priori affirmant esse absolutè veram pro illa duretione, que ęternitas ęquivelet cuilibet futuro, non pro omni virtualitete, vel ęquivalentia æternitatis; hoc enim dicont esse necessarium ad secundam, quòd quia est impossibile, quòd aliquod futurum sic existet in æternitate adæquatè sumpta, ideò negent illam &c.

Sed hæc solutio, nisi aliquid superaddatur, non videtur sufficiens; tum quia nulle creatura posset esse ab æterno, cùm nulla possit adęquare ęternitatem secundùm omnem ejus ambitum, aut quodlibet aliud attributum divinum; unde ut in superiotibus insinuavimus; æternitas participata nunquem potest pervenire ad hoc, quòd simul contineat omnem dorationem creatam, vel differentias temporis pręteriti, pręsentis, & foturi; est enim ad hoc necessaria infinitas simpliciter in hac linea physica, cujus est incapax pura creatura, & ideò quęlibet ex his perpetuò inadęquetè se habet ad illam, & consequentar non videtur rectè excludende creatura ab ęterno ex defectu adæquationis æternitatis, quamvis etiam in alio sensu possit accipi ly *adæquare*, & admitti ut infrà §. 3.

Tum quia in æternitate ab æterno est omnis ęquivalentia ad omnem differentiem temporis, ergo si semel ratione alicujos ęquivalentię æternitatis est vere hęc: futura axistunt in æternitate, erit etiam vera hęc: futura existunt ab æterno. Tom qoie ideò prima est vera, quia sunt physicè pręsentia ęternitati, sed omnia futura ratione cujuscumque virtualitatis, vel ęquivalentiæ, sunt illi physicè à primo nunc ęternitatis pręseutia, ergo ratio cujuscumque verificabitur, quòd existunt ab ęterno, si semal est verum, quòd existant in æternitate eb æterno &c.

Aliter ergo ad tollendam omnem ęquivocationem resp. aliud esse, quòd existant cum addito, scil. existentia præsentię, quæ est sola existentia secundùm quid, seu pręparatio in causa dicens ordinem tantùm ad existendum, & statuens intrà lineam futuritionis, & cousequenter durationis; quod sufficit, immò infert pręsentiam respectu æternitatis, nt dictum est; aliud verò, quòd existent sine illo, sive præsentia existentiæ, sicut dum absolutè dicitur, existunt in ætetnitate, nam crediderim sic absolutè prolatam esse falsam, quia, ut tangit instantie, nequit existentie in linee physica sic absolutè, & concretivè affirmari de subjecto independenter ab actione externa Dei, quæ non datur in æternitate, & ideò etiam sequeretur posterius inconveniens, quòd bis res produceretur, semel scil. in æternitate, & iterùm in sa, unde quando conceditur prædicta propositio: Futura sunt ab æterno in æternitate, intelligenda est de existentia præsantiæ, ad hunc sensum, qnòd existunt præsentia physicè in illa, quia æternitas habet eb ætetno futura sibi physicè præseutia. §. In forma ergo, vel nego suppositum antecedentis, quòd aasolutè loqnendo existant physicè in æternitete, sive præsentia existentiæ, vel sub eisdem terminis, dist.; si existant sola existentia pręsentiæ, vel existentie secundùm quid, nego; si præsentia etiam axistentiæ, transeat, vel conc. ant. &c.

Ad 3. similitar dist. mej. Existerent æternè pręsentia existentiæ, nego; existentia pręsentiæ, vel sola existentia secundùm quid, subdist.; æternè pro aliqua tantùm virtualitate, conc.; adęquatè pro omni, nego; & in hoc sensu est falsa min., non in ptiori; unde ad illius prob. dist. min.; non existit immensè, id est correspondeus adæquatè toti immensitati secundùm omnem virtualitatem, conc.; inadæquetè, vel secundùm eliquem, nego; solum enim est discrimen, quòd creatura locata cotrespondet immensiteti ut prius existens,

res

res verò æternitate mensurata potest illi præsens physicè coexistere, adhuc ut futura, quia, ut dictum est, prout sic actu jam est in linea durationis, non tamen intrà lineam, aut differentiam locativam, nisi existat; aliàs etiam immensitas se extenderet ad loca futura, quod neque contrarii admittunt.

Quòd si instes. Immensitas ita correspondet omnibus locis, sicut æternitas omni durationi, sed immensitas solùm correspondet existentibus absolutè, ergo similiter æternitas. §. Resp. primò ut supra, esse ab eisdem solvendam in spatiis imaginariis, ad quæ etiam extendunt immensitatem, licèt absolutè non existant, immò sint remotiora ab existentia, quàm futura. 2. Dist. maj. ita, & eodem modo, vel cæteris paribus, nego; aliis disparibus, conc.; est enim discrimen, tum ex parte rei locatæ, vel loci, quæ nisi absolutè existant, contineri nequeunt, ut dictum est, intrà aliquam differentiam loci, aut circumscribi ab illo; tum ex parte immensitatis, quæ cùm sit operatio Dei externa, solùm completur per loca producta, & ideò solis illis correspondet; sed res futuræ, etsi absolutè, aut simpliciter non existant, sed tantùm secundùm quid modo dicto, jam actu pertinent ad lineam durationis, vel differentiam ejus; æternitas etiam ad intrà in his, quæ spectant ad Deum, completur, unde si de novo alicui durationi succederet, esset per variationem intrinsecam, & quia etiam cognitio est quid immanens in Deo, nulla illi successio salva ejus immutabilitate accidere potest.

Ad 4. loquendo de coexistentia per præsentiam ad æternitatem dist., & expl. ant.; prout in propria duratione ut extremo præsenti æternitati, nego; nam sicut est præsens illi futurum, ita & ejus duratio, quæ ast pariter futura; ut mensura existētiæ creaturarum cōparativè ad æternitatem, conc.; hoc enim esset præexistere in duratione propria; primū verò solùm importat æternitatē extēdi ad durationem propriam, quæ erit, & ut erit in sua præsentialitate, unde duratio futuri non venit, ut activè, vel exercitè mensurana illius existentiam, sed magis passivè, ut mensurata ob eandem rationem, qua venit quodlibet futurum &c.

Quòd si instes. Creatio activa Petri, quia priùs durat ipsa duratione increata Dei, sive æternitate, quàm Petrus creatus, licèt deinde præstet Petro, quòd duret, cùm existit, non tamen fit, vel est tunc de novo præsens, ergo si pariter duratio crastina Petri aliquo modo jam præexistit, aut durat eadem duratione Dei, etiam si posteà det Petro, quòd existat, vel durat, non tamen incipiet noviter durare duratione propria. §. Urgetur etiam hoc ipsum. Sicut Deus durat sine inceptione, ita duratio crastina, vel hodierna incipit; & sicut creatura coexistit æternitati tanquam mensuræ excedenti, ita ex opposito Deus sua æternitate coexistit durationi creatæ, vel hodiernæ tanquam diminutæ, quia deficit ab excellentia æternitatis, sed nihilominùs Deus ex eo, quòd sic existat, & coexistat, non dicitur accipere duplicem rationem durandi, ergo nec creatura ex eo quòd sic existit incipiendo in sui propria duratione, & coexistit ad æternitatem, accipiet duplicem rationem durandi, sed sola sui duratione propria coexistet æternitati, & consequenter ante illam, vel sui inceptionem non habebit præsentialiter physicè coexistere æternitati &c.

Resp. ad instantiam negando conſ., & est discrimen manifestum, quia creatio præexistit duratione prævia, & non contenta in alia, sed superiore aliis, & ambiente omnem durationem; unde novitas durationis respectu illius ast de subjecto non supponente, cæterùm duratio crastina Petri cùm modò adhuc non existat, licèt sit præsens æternitati, posteà tamen incipit propriè, vel simpliciter existere, & ideò benè potest noviter durare. §. Ad confirm. concessis præmissis, nego utramque conſ.; sumendo tamen priorem durationem, vel coexistentiam creaturæ pro præsentia, ut dictum est, quia res creata, vel duratio ejus, ex eo quòd potest ab æterno comprehendi, vel ambiri ab æternitate, ut probatum est, est capax duplicis præsentiæ, scil. in statu futuritionis, prout intrat intrà lineam durationis, & posteà in statu existentiæ in se ipsa, sed æternitas ob sui eminentiam, & infinitatem sua indivisibili præsentia omni inferiori durationi assistit.

Ad 1. sumendo iterùm coexistentiam pro præsentia, nego; quòd exponatur sic, sed magis hoc modo, nempè æternitas existit, & futurum est physicè præsens illi, quod est tantùm existere secundùm quid, seu respectivè ad æternitatem, & hoc sufficit ad verificandam ejus coexistentiam cum illa, quia cùm æternitas, ut dictum est, ambiat simul omnem durationem, facit sibi coexistens, non tantùm quod est jam existens in se; sed etiam extiturum, scil. per modum præsentis, exponeretur autem priori modo ad intentum ejusdem instantiæ, si esset coexistens nostro tempori, vel præsenti instanti; quia cùm nequeat istud sa extendere ad futurum, vel ultra limites suæ futuræ præsentialitatis, tenetur præsupponere existens, quòd sibi coexistit; ex quo etiam fit, quòd prior expositio, scil. æternitas existit, non est accipienda restrictivè pro existentia limitata ad hoc instans, vel adæquata cum illo, sed ampliativè pro excedente omnem durationem, & ideò potest trahere ad sui coexistentiam non tantùm id, quod habet existentiam modo de facto in hoc instanti, sed omne id, de quo aliquando est verum dicere, quòd est, sive in hoc instanti, sive in futuro &c.

Quòd si instes. Hæc est falsa, Anti-Christus modò etiam respectivè ad æternitatem est præsens, vel existit, ergo solutio est nulla; prob. antec.; quia solùm potest facere hunc sensum: Anti-Christus modò respicit æternitatem ut sibi coexistentem in illo nunc temporis, in quo verificabitur Anti-Christum existere, sed in hoc sensu est falsa, ergo, prob. min., quia est affirmativa de subjecto non supponente, nam Anti-Christus non existit juxta exigentiam copulæ *respicere*, quia cùm sit verbum adjectivum, requirit existentiam subjecti, quod reddit suppositum verbo, ergo est falsa. §. Respond. nego ant.; loquendo iterùm ut supra de existentia secundùm quid; ad prob. nego maj., sed, ut sæpè dictum est, sensus illius est, modò Anti-Christus continetur, vel ambitur ab æternitate utpotè mensura infinita, & ambiente simul, aut possidente non solam virtualitatem

rationis, qua correspondet durationi præsenti, sed etiam virtualitatem durationis, qua correspondet futuræ, quod est esse physicè præsentem, vel existere secundùm quid respectivè ad illam &c.

Ad 6., quæ etiam potest esse replica contra hanc solutionem dist., & expl. maj., ut supra, est existere ratione illius, quasi activè, ut mensuræ existentiæ, quam de facto habeat, nego; ut aliquid mensurandum ab illo in statu productionis, conc., & tunc nego suppositum min., quòd tempus, utpotè duratio, indigeat alia duratione, ut contineatur in æternitate. Itaque æternitas, utpotè suprema mensura in linea durationis immediatè continet omne id, quod est formaliter de hac linea, scil. omnem durationem inferiorem, & quasi mediatè rem durantem, scil., ut quid contentum intrà durationem, quæ est sui mensura; hæc ergo duratio non indiget alia duratione, ut sit præsens, & contineatur, quia licèt respectu æternitatis, ut dictum est, habeat rationem mensurati, in se tamen, vel formaliter obtinet rationem mensuræ, unde non indiget alia mensura, ut mensuretur, sicut res durans, quæ respectu utriusque est quid mensuratum; cæterùm ad omne futurum, sive duratio sit, sive res durans, duo requiruntur, & sufficiunt, ut vidimus, ad sui præsentiam, vel coexistentiam respectu æternitatis, scil. eorum futuritio, & istius amplitudo &c.

Ad 7. dist. maj. intellectam pariter de existentia præsentiæ, vel secundùm quid; quia toti, & totaliter, sive adæquatè secundùm omnem virtualitatem, nego; toti, sed non totaliter, sive secundùm aliquam tantùm, conc.; unde res creata deest pluribus durationibus, quibus non deest æternitas &c.

Ad ult. tandem resp. similiter loquendo de existentia præsentiæ, vel secundùm quid, dist. min.; deficiunt in anterioribus, quantùm ad existentiam simpliciter, & absolutè, conc.; secundùm quid, nego; nam quoad istam, vel quoad existentiam præsentiæ, est verum dicere, quòd in omni duratione nostra futura existant præsentia in æternitate, & ab æterno, licèt non pro omni æquivalentia ejus, quasi adæquando illam &c. Sed claritatis gratia, nè fiat æquivocatio, distinguendum est inter esse præsens in omni duratione, sive in anterioribus, & anterioribus, & esse præsens pro omni, nã ad primũ satis est, ut ejus præsentia sit perpetuò, & in nulla deficiens, quod verom est sustinendo illam in æternitate ab æterno; ad secundum verò, esset necessarium, quòd ejus existentia verificaretur pro omni, & hoc est falsum, quia determinatè verificatur tantùm pro sua, & ideò consultò dicimus, non pro omni æquivalentia &c.

§. III.

Solvuntur Alia Argumenta.

TErtiò arg., & est replica contra superiora. Implicat in terminis, quòd aliquid sit physicè præsens in signo, in quo non est, sed futura reduplicato statu futuritionis adhoc non sunt, sed erunt, ergo non sunt physicè præsentia.

Dices, ut supra, ex D. Tho. majorem esse veram loquendo de negatione existentiæ, tam simpliciter, quàm secundùm quid, sive etiam pro tempore futuro, secùs verò de sola negatione illius simpliciter, ut latè explicatum est. §. Sed contra hoc est. Nam esse pro tempore futuro non verificat quòd sint, sed tantùm quòd erunt; sed inintelligibile est, quòd aliquid sit physicè præsens in signo, in quo tantùm verificatur, quòd erit, ut patet ex terminis, ergo &c.

Urg. hoc. Quia, ut nos etiam supra insinuavimus; esse pro tempore futuro non sufficit ad verificandum, quòd in se ipsis existant ab æterno, ergo nec sufficit ad verificandum, quòd ab æterno existant etiam secundùm quid in æternitate, aut respectivè ad illam, vel illi coexistant; ant. constat ex dictis, & conceditur etiam à nostris; conf. verò prob., quòd simpliciter nonquam existit absolotè in se ipso, absolotè non existit in æternitate, ergo quòd in se ipso non existit ab æterno, non existit in æternitate, sivè respectivè ad illam, quod est existere secundùm quid, prob. conf. ex regula dialectica, quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita tale ad tale, vel secundùm quid ad secundùm quid ergo.

Denique org. totum hoc. Existere pro tempore futuro non sufficit, ut dicantur coexistere æternitati, ergo, prob. ant.; quia coexistere alteri importat respectum ejusdem rationis, cùm coexistentia sit respectus æquiparantiæ, ergo non sufficit illi, ut alterum extremum existat de futuro, & alterum de præsenti, sed requiritur existentia utriusque physica de præsenti, ut patet etiam in aliis similibus, ut ad esse coæquale, coalbum &c., ad quod non sufficit quantitas, & albedo ex parte unius extremi de præsenti, & ex parte alterius de futuro, sed est necessaria de præsenti ex parte utriusque &c.

Resp. benè ibi. Ad replicam eodem modo dist. maj. Non verificat, quòd sint simpliciter, vel præsentia existentiæ, conc.; existentia præsentiæ, vel secundùm quid, nego; nam ad hanc sufficit, ut vidimus, futuritio ex parte creaturæ, & amplitudo, vel excessus mensuræ ex parte æternitatis; & deinde dist. min.; intelligibile est, quòd sit præsens præsentia existentiæ simpliciter, conc.; secundùm quid, vel existentia præsentiæ, nego; nam licèt difficile sit, est tamen verè intelligibile, ut patet rationibus adductis, & optimè declaratur utroque exemplo superiùs relatis ex D. Tho, quibus possumus alterum afferre ex eodem in 1. dist. 38. qu. 5. ar. 5. versùs finem corp., ubi hoc totum egregiè explicat ex parte divinæ cognitionis mensuratæ per æternitatem, quod à fortiori, ut dictum est, & statim dicemus, militat de ista: *Sint quinque homines*, inquit ibi, *qui successivè in quinque horis quinque contingentia facta videant. Possunt ergo dicere, quòd isti quinque vident hæc contingentia succedentia præsentialiter; si autem poneretur quòd isti quinque actus cognoscentium esset actus unus, posset dici, quòd una cognitio esset præsentialiter de omnibus illis cognitis successivis; cùm ergo Deus uno æterno intuitu, non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantùm ut habentia esse in cognitione sua* (ecce præsentia objectiva).... *sed etiam ab æterno vidit uno intuitu, & videbit* *fu-*

singula tempora, & rem talem esse in hoc tempore, & in hoc deficere. Ecce præsentia physica, vel realis, sive de linea durationis.

Id autem similiter applicando ad æternitatem fingamus sistendo intrà idem tempus; quòd sit simul annus in initio Januarii; tunc enim in principio hujus mensis necesse est, quòd existant, aut sint præsentia in tali anno omnia, quæ sunt futura singulis mensibus, nam si est simul, tenetur in eodem signo, vel instanti, in quo est simul, habere totum simul, quod successivè existit in anno, sed in anno successivè existit, quod est futurum posterioribus mensibus, ergo simul à principio tunc haberet omnia hujusmodi futura, ergo cùm de facto quòd fingimus de tempore ita sit respectu æternitatis, quæ simul, & ab æterno est, cùm Deus simul ab æterno, & non successivè duret hodiè, cras, & in sæcula, ab æterno in ęternitate simul habebunt contineri omnia, quæ existunt hodiè, cras, & in sęcula.

Ex his ergo patet, quòd sicut in priori hypothesi optimè componuntur hæc duo, quòd licèt futurum Septembris sit futurum respectu priorum mensium, non tamen respectu anni positi simul in initio omnium, quia omnes sunt simul respectu illius, & non successivè; ita similiter futurum durationis sequentis, licèt sit tale respectu durationis nostræ, vel præsentis, non tmen respectu æterniatis, ad quam solam habere possunt habitudinem simultaneam juxta meritum illius, non successivam.

Hinc etiam patet hanc conf.: Anti-Christus existit, vel est præsens in æternitate, ergo est pręsens, vel existit; nullam esse, nec fieri argumentum ab inferiori ad superius affirmativè, ut alii putant, immò oppositum, & esse à non restricto ad restrictum; nam esse pręsens, vel existere in æternitate, ratione æternitatis superadditæ, & continentis omne omne tempus, stant ampliativè abstrahendo ab omni tempore, unde sit sensus, quòd Anti-Christus v. g. fuit, est, erit aliquo tempore contento in æternitate; ly verò esse præsens, vel existere sic absolutè prolatum, stant restrictivè ad tempus præsens, quia verbum indicativum, vel pręsens non affectum aliquo adjuncto ampliante, significat tempus pręsens, in quo profertur &c.

Ad 1. confirm. nego conf.; ad prob. nego iterùm conf.; ad prob. dico regulam illam dialecticam tenere, si fiat comparatio inter eadem extrema, seu cæteris paribus, & sistendo intrà eandem significationem terminorum, qua ratione infrà de visione ex D. Tho. efficaciter arguimus in vi ejusdem regulæ non posse perfectiùs videri Deum in Patria, non habito perfectiori lumine, & consequenter ęqualitatem, & inæqualitatem intensivam visionis ex sola æqualitate, & inęqualitate luminis provenire, quia si semel lumen est necessarium ad videre, utpotè supernaturale juxta Concilium Viennense, perfectius lumen erit necessarium ad perfectiùs videre juxta eandem regulam, salvis prædictis conditionibus; hoc autem non contingit in casu, quia hęc propositio: Anti-Christus absolutè est pręsens, vel existens ab æterno juxta communem modum loquendi non dicit puram existentiam pręsentiæ, aut existentiam secundum quid habitam ab ęterno ex meritis æternitatis, ut explicatum est, sed pręsentiam existentiæ, sive existentiam simpliciter habitam ex vi productionis ab æterno, quod est contra Fidem.

Alii verò id explicant juxta modum superiùs insinuatum, nempè, quòd prior significat esse in æternitate adęquatè, seu pro qualibet differentia temporis etiam imaginarii, cui à parte anta coexistit æternitas; unde de illo sic semel existente est verum pro qualibet dicere, quòd simpliciter existit; posterior verò significat tantùm contineri ab æterno in illa, sive adęquatè, sive inadæquatè sumpta, id est in ea, prout ęquivalet, seu correspondet omnibus partibus, vel tota uni parti temporis; unde sicut non valet hæc: Anti-Christus non est pro omni tempore, ergo non est pro aliquo, ita nec valet hęc ęquipollens: Anti-Christus nō est ab ęterno absolutè, ergo non est ab æterno respectu ęternitatis; & videtur etiam manifestè instari argumentum contra puram præsentiam objectivam; quia ut res creata absolutè sit objectum scientiæ visionis Dei, tenetur existere aliquo tempore, & nihilominùs, ut videatur à Deo ab ęterno non requiritur absolutè existere in se ipsa ab æterno, ergo similiter &c.

Ad 2. nego ant.; ad prob. dist. ant. claritatis gratia; ejusdem rationis quasi dialecticè secundùm denominationem coexistentis, conc.; physicè, & in re, nego; quia cùm æternitas transcendat omnem durationem creatam, non tenetur expectare existentiam rei simpliciter in se ipsa, ut faciat illam coexistere, sed potest prævenire in statu futuritionis, cùm sit de linea durationis, ut dictum est. Per quod patet ad utrumque exemplum de coalbis, & æqualibus, quia cùm sint extrema finita, & univoca, nequit unum facere sibi alterum præsens, aut coexistens per anticipatam continentiam, vel transcendentiam, sed tenetur supponere illud existens &c.

Sed instas. Si æternitas sic pręveniret faciendo sibi physicè res coexistentes per sui extensionem ad illam differentiam temporis, in quo sunt, eo modo faceret sibi coexistentes, quo existunt in illa, sed in illa existunt ut in propria, & adæquata mensura, ergo ab æterno coexisterent ut in propria, & adæquata mensura, quod est simpliciter coexistere, & secundùm coexistentiam ejusdem rationis simpliciter &c.

Resp. Ex dictis dist. maj.; quo existunt in illa in statu futuritionis, conc.; in statu productionis, nego; quia in priori statu, ut dicebamus, propria duratio magis se habet per modum mensurati, quàm mensuræ, unde non est necessarium, quòd verificetur coexistere, ut in propria mensura, ly ut reduplicante rationem exercitam mensurandi respectu propriæ durationis, sed quòd utraque sit quid contentum in æternitate, & præsens physicè in illa, non ut simpliciter existens in se &c.

40. Etiam principaliter arg., (& adhuc potest esse replica:) Si æternitati conveniret ab æterno coexistere Anti-Christo, ut physicè præsenti sibi, respectus iste rationis, quo æternitas denominaretur ab æterno præsens illi, deberet ab æterno convenire Deo, sicut illi ab æterno conveniunt respectus ideales, respectus actus liberi, notio ingeniti, & relatio æqualitatis inter Divinas Personas, sed hoc est falsum in doctrina D. Tho.,

ergo, maj. constat, nam qoia Deus vult ab æterno creaturas, respectus rationis sequutus ad hnne actum voluntatis, ab æterno convenit illi, & idem est de aliis ennmeratis, ergo si ab æterno coexisteret Anti-Christo, respectus iste præsentiæ, Deo ab æterno conveniret; min. verò prob., nam constans est doctrina D. infra qn. 13., quòd nullus respectus rationis in ordine ad creatnras in se ipsis existentes convenit Deo ab æterno, sed tantùm in tempore, ut respectos Creatoris, Domini &c.; sed prædictus respectus ratinnis, vel cnexistentiæ, est ad creaturas in se ipsis existentes, ut patet, ergo juxta doctrinam D. Tho. nequit Deo cnnvenire ab æterno &c.

Expl., & urg. hoc specialiter ex eodem Angelico ad Galat. 4. lect. 2., ubi explicans illod Apost.: *Misit Daus Filium suum factum ex Muliere*; quomodò scil. id contigerit sine mutatione ex parte extremi divini, quam videtur importare sy *factum*, inquit: *Aliqua enim conveninnt alicni, & immntant ipsum, sicnt forma, & qnalitates absoluta; quadam verò absque mutatione adveniunt, & hnjusmodi est assumptio carnis, secundùm quòd dicit relationem*, (scil. ad creaturam ut in se ipsa existentem) *nnde per hoc Persona Verbi in nullo mutatur*. Qood ulteriùs explicans, subdit: *Et indè est, quòd in Divinis utimur his, qua relationem significant, etiam ex tempore; unde dicimus illud Psal. 89.: Domine refugium factus es nobis, & quòd Deus factus est homo: non autem utimur formis, & qualitatibus absolutis, ut Deus factus est bonus, sapiens &c.*; ergo videtur supponere D. Tho, quòd hujusmodi relationes ad creaturas in se ipsis existentes, solùm ex tempore conveniant, unde possit aliquid Deo advenire sine sui mutatione, sed per solam mutationem creaturæ &c.

Urg. ulteriùs. Hujusmodi respectus ad creaturas in se ipsis existentes important mutationem, & relationem realem dependentiæ ex parte creaturæ ad Deum, ut patet in respectu Domini, vel Creatoris &c., sed creaturæ non habent ab æterno hanc mntationem, vel relationem, ut supponimus; aliàs essent jam in statu productionis, ergo nec possnnt ab æterno coexistere æternitati, aut realiter mensurari ab illa, cùm mensuratum dicat relationem realem ad sui mensuram &c.

Ad hoc. quòd valdè magnificat Mag. Aravya dico in primis, quod videtur ab omnibus solvendum; habet enim manifestam instantiam in respectu rationis sequutn ad notitiam intuitivam, quam ab æterno habet Deus de creaturis in se ipsis; nam iste etiam terminatur ad illas in se existentes, & tamen convenit Deo ab æterno; nnn ergn omnia respectos Deo conveniens ad creatnras in se ipsis tenetur convenire in tempore. §. Sed prætereà resp. cum eodem D. Thom. in 1. dist. 38. proximè relata q. 4. ar. 4. nbi simile primo lnco proponit ad probandum, quòd scientia Dei non possit esse non entium dicens, *Scientia importat respectum ad scibile, sed ea, qua dicunt respectum ad creaturam non dicuntur de Deo nisi creaturis existentibus; ut Dominus, & Creator, & hujusmodi, ergo videtur quòd non debet Deus dici scire res aliquas, nisi quando sunt*. Ecce vis argumenti, qnam nobis opponit prædictus sapientissimus Magister contrà respectum ratinnis præsentiæ. proposita à D. Thom. contrà alterum respectum sequutum ad notitiam intoitivam, vel scientiam Dei de creatoris in se ipsis; cni tamen respondet sic. *Ad 1. dicendum, quòd omnes relationes, qua fundantur super aliqnam operationem actnalem procedentem in creaturis non possunt convenire Deo, nisi ex tempore, creaturis existentibus, sed relatio importata in scientia, potentia, & voluntate, non fundantur super aliquam operationem actualiter in creaturam procedentem; & ideò non est simile*. Ecce quo modo distingoit D. Thom. duplex genus relationum ad creaturas in se ipsis, alterum conveniens Deo ex tempore, quod scil. fundatur super operationem externam, sive actualiter procedentem in creaturas; ut sunt respectus Creatoris &c. alterum verò conveniens ab æterno, quod nempè fundatur super internam, vel immanantem, ut respectus sequutus ad cognitionem intuitivam, & alii hujosmodi. & ad istud etiam pertinet respectus rationis præsentiæ, vel coexistentiæ, non quia formaliter fundetor in operatione, nam æternitas non est activa, sed quia prævenit transeuntam; fundatur enim, ut dictum est; super amplitudinem æternitatis supposito decreto, vel actu voluntatis de dando esse creaturæ, vi cujus constituitur in statu futuritionis, & consequenter intrà differentiam durationis, unde quia æternitas, ut dictum est, transcendit continendo simul omnem durationem creatam, statim posito decreto facit sibi præsentem ab æterno juxtà æternitatem decreti omnem creaturam futuram, nec tenetur expectare existentiam creaturę in se ipsa cum ad hujusmodi respectum pręsentię non supponat aliquam operationem actualiter in illas procedentem ab æterno.

In forma ergo nego mi., ad prob., vel nego maj. universaliter loquendo, ut proximè patet ex D.Th., vel dist. ex eodem, nullus fundatus super operationem actualiter procedentem in creatoras conc., aliter nego. §. Ad 1. confirmat. dicimus similiter esse intelligendum, unde vel nego cons., vel dist. eodem modo, & in priori sensu conc., aliter nego. §. Ad 2. vel iterum nego generaliter maj., vel dist., relatio fundata super operationem externam, conc., super internam, nego, & conc. mi. nego cons., vel dist. quoad id, quod tangit de ratione mensurati: dicit relationem realem, vel realiter dependet à mensura, si sit mensura sui propria, & adæquata, à qua per se exigat mensurari, conc., si sit excedens, à qua tantùm mensuratur ex ejus meritis, nego, quia ut dictum est, in tantùm futura mensurantur ab ęternitate, in quantùm hęc ob sui infinitatem transcendit, preveniendo, & se extendendo ad omne id, quòd est de linea durationis, antequā sit in seipso, unde nō est necessariū, quòd omne mēnsuratū in ōni signo suę mēsurationis realiter referatur, aut realiter dependeat ab illa, sed satis est, quòd ex vi pręparationis in causa, quam habet ex vi decreti ab ęterno, ingrediatur forum futuritionis, & consequenter lineam physicam, vel realē durationis, quā cōprehēsivè possidet ęternitas &c.

Sed instas. Licet sit pręparatio in causa ad dandum illi esse, adhuc tamen futurum in se nihil est, ergo sicut hac ratione possibile, quia in se nihil est mensurari nequit ab ęternitate, nec illi coexistere,

re, nec pariter mensurari poterit, aut coexistere futurum; prob. ant., quia futuritio suprà possibilitatem non addit nisi denominationem extrinsecam à decreto Dei procedentem, ergo in se intrinsecè nihil est, & consequenter incapax mensurabilitatis, vel coexistentiæ &c.

Instas secundò, Repugnat aliquid mensurari à mensura extrinseca, quantumvis superiori, nisi priùs sit in mensura propria, & intrinseca, sed futura ab æterno adhuc non sunt in mensura propria, & intrinseca, sive in propria duratione, ergo nec poterunt esse, aut mensurari ab extrinseca, aut superiori æternitatis, maj. videtur manifesta ex terminis, & constat etiam à simili in corpore locato, quod nequit esse, aut contineri in loco superiori, vel communi, nisi priùs contineatur, aut sit in proprio, & sic de aliis. §. Urg. hoc. Nequit aliquid existere ab æterno in loco superiori, aut communi, quod non existit ab æterno in proprio, ergo nec possunt res temporales esse ab æterno in æternitate tanquam in mensura superiori, & communi, nisi ab æterno existant in tempore, ut in mensura propria. §. Urg. ulteriùs, & præoccupatur solutio. Nequit res semel esse physicè præsens, aut coexistere loco superiori, & communi per existentiam præsentiæ, nisi sit physicè præsens, aut coexistat per præsentiam existentiæ simpliciter, & consequenter nisi priùs in proprio simpliciter existat, ergo nec poterit semel esse in mensura superiori, & communi per existentiam præsentiæ, nisi pariter sit per præsentiam existentiæ simpliciter, & consequenter nisi priùs simpliciter existat in propria, & in se ipsa &c.

Ad 1. dist. antec. In se nihil est, nec in causa præparata ad dandum esse, nego; in se præcisè, transeat, vel subdist.; nihil est à toto genere entis participialiter, nego, ab existentia tantùm conc., & nego cons., quia eo ipso, quòd est præparatum in causa, jam dicit ordinem ad existentiam, unde constituitur in statu futuritionis, & intrà lineam durationis, unde non potest omitti ab æternitate comprehensivè se extendente ad omnem differentiam illius, qua ratione Deus etiam ab æterno cognoscit illud intuitivè, quia est præsens in duratione, in qua est cognitio, unde eo modo cognoscitur ab æterno, quo erit in sua præsentialitate. §. Pro quo obiter adverto ex M. Reloz, quòd operatio divinæ omnipotentiæ mensurata æternitate ex vi determinationis divinæ voluntatis ad dandum esse Anti-Christo v. g. pro tali differentia temporis, manet determinata ad productionem exercitam illius, (& idem est de aliis futuris) eo modo, quo exercitè producit in illa æquivaleotia æternitatis ad illum, cui modo coexistit, & quia hæc determinatio, qua constituitur futurus, & jam ab æterno intrat lineam durationis, est præsens Deo, licet modo Anti-Christus non terminet sui productionem, quia nondum adveoit illa æquivalentia æternitatis, nihilominus previè cognosci potest, ut præsens, & eo modo, quo erit post sui productionem, vel in sui præsentialitate; per quod patet discrimen illius à purè possibili: quòd istud reduplicato hoc statu relinquitur in pura connexione, vel habitudine terminorum tam sine esse, quam sine ordine ad illud, & consequenter extrà lineam futuritionis, & durationis, unde mixum non est, quod non trahatur ab æternitate ab æternitate ad sui præsentiam, vel coexistentiam, sicut ut dictum est, de locis futuris, & spatiis imaginariis, quæ quia prout sic actu non pertinent ad aliquam differentiam loci, subtrahuntur ab ambitu immensitatis &c.

Ad 2. claritatis gratia dist. maj., nisi sit in propria, loquendo de mensura intrà lineam locativam, conc., durativâ subdist., nisi sit in propria, vel cũ propria, conc. in propria quasi exercitè mẽsurante illud nego, & dist. mi., non sunt in propria, nec cum propria, nego, in propria ut jam exercitè mensurante, illud ab ęterno, conc., nam quamvis propria ante sui productionẽ, vel existentiam nõ mensuret ab æterno futurum, est tamen per modum mensurati; ut dictum est; cum sint ibi omnia futura, & consequenter omnes durationes futurę, & hoc modo dicuntur futura esse in sui mensura, vel duratione ab ęterno, quia eo ipso, quòd sunt futura jam pertinent ad illam pro æquivalentia ęternitatis eidem correspondente: & per hęc etiam patet ad prob. maj. ex paritate locati; quia mensura per modum loci, vel intrà lineam locativam non se extendit ad futurum, sicut mensura intrà lineam durationis, pręcipuè si sit infinita, ut est ęternitas &c.

Ad 1. confirmat. nego cons. ob idem discrimen; quia locus, vel locatum non existens, sed futurum adhuc non sunt intrà lineam locativam, vel differentiam ejus, sicut quodlibet futurum intrà illam durationis. Per quod etiam patet ad secundam &c.

§. IV.

Solvuntur alia argumenta.

SEcundò arg. ex Martinez, (& coincidit cum superiori M. Araujo). e. D. Thom. infrà q. 13. ar. 7. ad 3., & q. 14. ar. 15. ad. 1. Illa solum nomina, quę important relationem ad creaturas, dicuntur de Deo ab ęterno, quorum respectus fundatur in actione immanente, qua ratione denominatur volens, sciens &c.; quorum verò respectus fundantur in transeunte, dicuntur solum in tempore, qua ratione non ab ęterno, sed in tempore dicitur Creator, Salvator &c., sed hujusmodi est respectus pręsentię, vel coexistentię, ergo non ab ęterno, sed in tempore denominabitur pręsens, & coexistens creaturis; mi. quòd sit ad creaturas patet, quòd verò; fundetur super actionem transeuntem prob., quia est ad illas ut in se ipsis existituras, sed pro ut sic pendent ab actione transeunte, ut patet ergo &c.

Urg. ex eodem. Sicut Deus per æternitatem, quæ est tota simul perfecta possessio, possidet durativè ambiendo omnia creata, ità titulo dominii est possessor creaturæ, sed Deus non dicitur hoc posteriori titulo possessor creaturæ ab æterno, ergo nec dicitur priori, sive titulo æternitatis &c.

Ad hoc patet ex dictis, vel ex eodem Angelico ubi suprà; utramque præmissam esse falsam, maj. quidem, quia licet omnis relatio fundata in actione immanente sit æterna, non tamen illa sola, nec D. Thom loquitur ibi exclusivè cum particula *solum*, quam immeritò in illo supponit Argoens, & quam-

quamvis eam invenisset, non potnisset vim facere contrà nos, qnia respectus præseotiæ, vel coexistentiæ, nt superiùs insiouavimus; non est de numero eorum, qui fnndantur in actione, com æternitas non sit de linea activa, sed durativa, nec durare sit agere; sed in ipsa ejus amplitudine, vel ratione fotmali snpposito decreto, vel præparatione cansæ ad dandum esse creatnræ; tum quia eo ipso, quòd asserit ab æterno respectus, qui fundautur in actione immaneote &c., quia nempè hæc, utpotè non transiens; est ab æterno; consequentee etiam affirmare censendum est de respectu præsentiæ, vel coexistentiæ ipsius æternitatis, cnm nihil sit magis æternum, quam ipsa ætenitas: ex quo etiam patet esse falsam mi., qoòd respectus præsentiæ fuodetur io actione transeunte, immò io nulla. §. Cæternm juxtà doctrinam D. Thom. in 1. proximè relato, & in utroque loco argumeoti est veluti duplex genus actionnm transeuntium, ut sic dicamus in Deo, nam alia est, qua ab æterno tribnit creaturæ ratiooem objecti, seù præparando illam in causa, & traosferendo à statn possibilitatis ad statum futuritionis, cum Dens creaturæ non tantum det esse effectni produceodo ad extrà, sed etiam rationem objecti præparando illum ab æterno, & constituendo in statu futuritionis, ut acutè pooderat infrà de voluntate Dei M. Jo. à S. Thom. circa ejus actum liberum; & nos ex eodem tangimus ibid.; unde jam manet determinata, ut dicebamus, operatio divinæ omnipotentiæ ad exercitam productiooem illius pro sua duratione; alia verò, qua dat ei rationem effectus actualiter procedendo in ipsam, & causando immotationem ejus; & de hac expresè loqnitur D. Tho. quando ait, quòd respectus fundati in actione transeunte possunt coovenire in tempore, qui oempè conveniunt Deo ut immutanti, seù causanti immutationem creaturarum, quidquid sit de aliis, qui possunt illi convenire nt immntaturo, ut sunt respectns præsentiæ, vel coexistentiæ, aut sequutus ad cognitionem intuitivam, nt snprà opponebamus M. Aravyo; nam si quia Dens est immutans taotùm in tempore, respectus, illi conveniens ut immutanti, est solum convenieos in tempore, ità quia est iinmutaturus ab æterno, respectus conveniens illi ut immotaturo, erit tantùm conveniens ab æterno, quidquid iterum sit an iste, (scil. præsentiæ, de quo modo loquimur), fundetor immediatè super actionem transeuntem, vel noo, sed tantùm supponat illam, nempè præparativè, nt dictum est, transferendo creaturam intrà suam lineam, sive dnrationis, vel futuritionis.

Quòd verò sic loquatur D. Tho., patet manifestè ex littera, nam in 1. ut vidimus inquit; *omnes relationes, quæ fundantur super aliquam operationem actualiter procedentem in creaturas &c.* In priori verò loco argumenti sic ait; *quæ verò consequnntur actiones procedentes secundùm momodum intelligendi ad exteriores &c.* In posteriori autem sic: *vel aliter dicendum, quòd Dominus, Creator, & hujusmodi important relationes, quæ consequnntur actus, qui intelligunntur terminari ad creaturas secundum, quòd in se ipsis sunt.* In quibus maoifestè loqnitur de actione transeunte, qua Deus actualiter immutat creaturam, & oon qua præcisè est immutaturus, uode dum asserit respectum fundatum soper actionem immanentem esse ab æteruo, loquitur contrapositivè tantùm ad transenntem, quæ actualiter procedit in effectum, vel qua Deus actualiter immutat creaturam, non qua est immotatorus, quæ licet quia adhoc manet intrà, & non se explicat in illam, ut in effectum, dicatur immanens, nibilominus quia aliquomodò scil. præparativè tangit eam, ut dictom est, extrahendo à statn purę possibilitatis, & redncendo ad statnm physicum, vel realem dorationis, ant futuritionis, videtur qnoad hoc subire denominatiooem quasi transenntia, & qnia id totnm præstat ab æterno, ideò respectus ad illam sequuti, sive formaliter, vel immediatè, sive præsnppositivè, ant mediatè pariter sunt ab æterno &c.

Ex his patet ad confirmat., cui nego cons.; quia denominatio, qua Dens in actu 2., vel exercitè dicitur possidere creaturam, importat respectum rationis fundatnm, nt dictnm est, soper actionem transeuntem actualiter procedentem in creaturas, nt in effectum; cęterum denominetio, qua titulo æternitatis possidet omnem durationem creatam, non importat, ut vidimus, respectum fundatum super actionem, sed super meritum ejus, nnde est etiam mensura utriusque divinæ actionis tam immanentis, qnam transeuntia, & ideò non debet esse minos uniformis, invariabilis in continendo prædictas durationes, aut quodlibet sni mensuratum, quam sit actio divina etiam immanens in attingendo suum terminum &c.

Quòd si instas. Ideò nomina importantia respectum fuodatnm super actionem transenntem dici de Deo in tempore, quia actio transiens terminatur ad creatoras, ut physicè existentes in se ipsis, ut etiam dicit infrà ar. illo 15 ad 1. in priori ejus solutione illis verbis, *dicendum, quòd Dominus, & Creator important relationes ad creaturas secundùm, quòd in se ipsis sunt*, sed etiam denominatio physicè coexisteotis dicitur de æternitate per eundem respectum ad creaturas in se ipsis, ntpotè jam positas in lioea durationis, & consequenter continendo eas secundùm propriam durationem, & existentiam in se ipsis, ergo erit solnm conveniens in tempore. §. Resp. præter solutiooem superiùs datam, quòd non præcisè qnia actio transiens terminetur ad creaturas in se ipsis, sed qnia terminatur physicè immotando illas, cnm actio transiens inferat passionem ex parte passi, aliàs ut dictum est, nec posset dari ab æterno denominatio videntis, cum visio pariter terminetur ad creaturas, ut in se ipsis existentes, vel realiter præsentes in duratione, in qua est cognitio; adhoc tamen esse discrimen, qoòd actio traosiens, vel productiva effectus, ita afficit illom, vel sui terminum, ut non faciat esse illius contineri in causa, sed magis extrahat à continentia causæ, & consequeoter sistit in effectu, aut quasi consumatnr in illo extrà causam, uode respectus, qnem fundat, magis est juxtà meritum effectus, quàm sui, vel causæ, & ideo divina actio si semel est transiens, & immutaos creaturam in se ipsa, tantùm fundat temporalem respectnm juxtà meritnm creaturæ temporaliter productæ; æternitas verò ità respicit in sua linea creaturas futuras physicè sibi pręsentes, aut existentes pro sui differentia temporis, ut non sistat in illis prout habent esse extrà Deum,

sed

sed magis trahit ad sui continentiam, nam supposito decreto, ut vidimus, transferente ad statum futuritionis, vel durationis, statim comprehendit eas, utpotè mensura infinita in hac linea, & facit esse in se ipsa, tanquam in mensura excedente, & transcedente omnem durationem, & quia nunquandque dicitur esse ad modum ejus, in quo est, qua ratione materialia dicuntur esse immaterialiter in intellectu, ideò successiva, & temporalia possunt ęternè, seù ab ęterno, & simul, esse in æternitate, & consequenter respectus præsentiæ, vel coexistentiæ ad creaturas in se ipsis pro suo tempore existentes in ipsa fundatus juxtà meritum illius poterit eidem conveoira ab æterno &c.

6. Arg. paritate sæpiùs attacta destruendo præcipuam vim nostræ sententiæ desumptam ex infinitate, & simultate æternitatis. Sicut æternitas est mensura infinita tota simul, & excedens res, quæ durant in se ipsis, vel in propriis durationibus, ità immensitas respectu rerum, quæ locantur in propriis locis, sed hæc non simul, nec ab æterno mensurat, aut coexistit rebus, quæ locantur in illis, sed successivè, ergo nec ab æterno, nec simul, sed successivè mensurabit, aut coexistet æternitas rebus, quæ durant in suis durationibus; mi. patet, quia mensureret, aut coexisteret locis futuris. §. Urg. alia paritate etiam insinuata mensuræ angelicæ, sive ævi; quamvis istud sit etiam infinitum à parte post, sive durans sine termino, & totum simul, cum sit duratio indivisibilis, sicut & esse Angeli, non tamen coexistit simul, sed successivè futuris, & entum durationibus, ergo pariter &c.

Ad hoc coi satis confidunt, ut vidimus, sed immeritò contrarii, patet ex dictis esse solvendum ab ipsis, & potissimè favet nostræ sententiæ, ut sæpè ostensum est, nam sicuti quia immensitas est tota simul, & infinita teoetur se extendere ad omnem differentiã per se loci, itàut nõ salvetur ejus infinitas, eadẽ non sic extensa, ità pariter tenebitur se extendere æternitas ad omnẽ differentiam durationis, nec salvabitur ejus infinitas, eadem non sic extensa, cum autem futurum sit per se differentia durationis, ut patet ex divisione temporis, non verò loci, optimè salvabitur infinitas, & simultas immensitatis sine extensione ad loca futura, non tamen infinitas, & simultas æternitatis sine extensione ad res, vel durationes futuras. Et præthereà est etiam solvendum, & retorquendum in spatiis imaginariis, ad quæ simul, & ab æterno extendunt immensitatem, esto actu, & io se minus sint, quam futura, quæ ut præparata in causa dicant jam ordinem ad existẽtiam. §. In forma, ergo dist. maj. Ità cæteris paribus, nego maj., aliis disparibus, conc., & dist. mi., non ab æterno &c. ex defectu termini non pertinentis ad lineam loci, conc., aliter nego mi., & conseq., quia futurum pertinet jam ad lineam durationis, unde si æternitas non se extenderet ad illud in omni signo, in quo est futurum, hoc esset ex defectu sui, sicut similiter si locus futurus pertineret ad lineam, vel differentiam loci, immensitas non replens, aut non extensa ad illũ esset deficiens ex parte sui, unde quòd ante ejus productionem non se extendat ad illum, id provenit, quia non est mensura durationis ejus, sed extensionis, & consequenter quia non pertinet ad ejus infinitatem continere loca futura, sed solum actu existentia, quæ si successivè existant, tota illa successio erit extrinseca, & ex parte productionis locorum, sicut successio corporum in eodem loco, omninò extrinsece est loco ex parte motus locatorum; at æternitas est mensura durationis cujuscunque rei, sicque ad ejus infinitatem pertinet continere actu omnes durationum differentias, cum sit infinita in hac linea, non minus, quàm immensitas in linea loci. §. Prætereà quòd, ut acutè advertit Capreol., & ex eodem Eminentiss. Ferrarius, cum æternitas utpotè infinita in linea durationis in ion esse indivisibili æquivaleat infinito successivo, sive tempori infinito si daretur, ut potè etiam pertinenti ad eandem lineam; sicut istud si semel daretur, attingeret tanquam divisibile successivum præterita, præsentia, & futura modo divisibili, & successivo, ità æternitas ad hęc omnia se extendit modo indivisibili, & simul; at verò immensitas cum non sit infinita in linea durationis, ut dictum est, sed in linea loci, non æquivalet infinito successivo, sed permanenti, si daretur, puta locabili infinito, unde sicut corpus infinitum repleret tantùm omnia loca existentia; non futura, ità pariter immensitas &c.

Ad confirmat. nego suppositum antecedentis, quòd ævum gaudeat infinitate quasi positivè, & cathegorematicè sicut æternitas, sed purè negativè, quatenus sicut esse Angeli, cujus est mensura, non habet ex suis iotrinsecis contrarium, unde possit naturaliter corrumpi, ità nec habet ævum respectu suæ desitionis, cum eidem proportionetur, nec excedere possit, & licet sit mensura perfectior, & amplior, quam tempus, quia tamen non sunt mensuræ subordinatæ, sed magis disparatę, non sequitur, quòd quæ existunt in tempore, existant etiam in ævo, sicut non sequitur, quòd quæ sunt in Europa, debeant esse in Asia, licet hæc sit major illa, & ratio utriusque est, quia excessus in magnitudine, non facit continentiam, si unum non subordinetur alteri, ut contingit ex opposito in omni duratione creata respectu æternitatis; ũde etiã si Angelus fuisset productus ab æterno, & alię creaturæ in tẽpore, nõ teneretur futura esse illi physicè pręsentia, aut suæ durationi, sicut sunt respectu æternitatis, nec teneretur ævum simul coexistere illis ab æterno, sicut coexistit æternitas, quia ut dictum est, nulla duratio creata potest ad hoc pervenire, ut habeat simultaneam continentiam præsentis, & futuræ, aliàs creatura, vel Angelus, sic durans, ut inferebamus, non posset pro instanti præsenti annihilari, cum modo, vel ab æterno simul duraret, & pro priori, & pro instanti futuro, quod non componitur cũ hoc, quòd pro priori annihiletur, aliàs simul duraret, & non duraret, ut per se patet, unde ad sibi subordinandum, & simul continendum inferiores, vel successivas durationes requiritur infinitas simpliciter, & positiva, quæ sola reperitur in æternitate &c.

7. Arg., (& adhuc potest esse esse replica contrà præcedentem, & superiores solutiones). Hic infinitus excessus, vel eminentia æternitatis suprà omnem durationem creatam non est sufficiens ratio, ut eadem assistere non possit præsentibus, præteritis, & futuris reduplicativè ut talibus, idest præsentibus, ut præsentibus, & futuris, ut futuris

ris &c., ergo æternitati sunt creaturæ futuræ, & præteritæ, & non determinatè tantùm præsentes; prob. ant.; quòd anima rationalis eminenter contineat gradum vegetativum, & sensitivum, & rationalem, potiùs arguit, quòd præstet subjecto, cui communicat illos gradus, & non tantùm perfectiorem vel rationalem, ergo eminentia æternitatis potiùs est ut in, ut aliquando sit præsens, scil. præsentibus, futura futuris, & præterita præteritis, & non præcisè modo perfectiori, vel præsenti, sic enim declaratur eminentia continentiæ cujuslibet durationis, ut patet in eadem anima &c.

Ad hoc nego ant, ad prob., nego conf., quia eminentia animæ rationalis est eminenter formaliter talis, unde ex eo, quòd contineat illos gradus sub illa eminentia formali, communicat eos formaliter subjecto; cæterum eminentia æternitatis re pectu durationum temporalium est continentia præcisè virtualis, quæ ut vidimus suprà in proœmialibus; non dat denominationem rei contentæ in continente, qua ratione Deus non dicitur leo, estò eminenter illum contineat, quia est tantùm continentia virtualis; unde licet præterita, & futura contineantur in æternitate ratione suæ eminentiæ, non tamen tenetur hæc denominari præterita, vel futura &c.

Ultimò tandem arg. opponendo plura inconvenientia, quæ sequi videntur ex nostra sententia, Primum, quòd esset Anti-Christus v. g. tam antiquus dierum, quam Verbum divinum, nam perpetuò per nos physicè, & realiter præsens est ab æterno in æternitate, cum solo discrimine, quòd Verbum ab æterno habet esse independens, & increatum in æternitate tanquam in propria mensura, utpotè æternum per essentiam, Anti-Christus verò dependens, & creatum tanquam in mensura aliena, & per participationem, æqualiter tamen in antiquitate secundùm durationem, nam cum uterque sit ab æterno in æternitate, necessarium est, quòd uterque quoad antiquitatem fecerit durationis cursum, statim enim ac est positum decretum de dando illi esse, positus est Anti-Christus in linea durationis, ut dicebamus, quod quidem fuit ab æterno, cum decretum non ponatur in tempore, sed perpetuò fuit in eodem signo æternitatis, in quo est Verbum, §. Quod confirmat M. Aravyo exemplo existentis in navi, nam eundem cursum facit, & iden iter ac navis, quando per illam vehitur super mare, cum solo discrimine, quòd navis movetur per se, & motu proprio, Nauta verò per accidens ad motum navis, ergo similiter in casu &c.

Secundum, quia sequitur mundum fuisse ab æterno, sicut posuit Philosophus lumine fidei destitutus; nam habet omnia requisita, quæ posuit idem ad sui imaginationem adstruendam, scilicet quo ad omnes creaturas, & sui partes esse actuale extrà causas ab æterno, licet cum dependentia à Deo, ut à prima causa, à qua fuisset factus, sive creatus in æternitate. §. Nec refert, quod dicatur existere non absolutè, & simpliciter, sed cum addito, sive in æternitate, nam si hæc dictio in æternitate est semel diminuens à reali existentia, & physica ejus præsentialitate, relinquet illum intrà lineam existentiæ objectivæ, quam habet mundus respectu divini intellectus, quod nos negamus &c.

Tertium, quia daretur non solum de possibili, sed etiam de facto à parte rei infinitum in actu, & cathegorematicè secundùm multitudinem, quod repugnat divinæ omnipotentiæ ex parte facti, ut docet D. Thom. suprà q. 7. ar. 4.: & prob. sequela sic, quia multitudo cogitationum producendarum à Beatis per totam æternitatem, vel intrà ambitum illius, semel posita simul à parte rei quoad omnes suas partes nulla excepta, est infinita in actu, & cathegorematicè, cum intrà ambitum æternitatis non sit assignabilis terminus, ut patet; at supposita rerum simultanea existentia, aut physica præsentia ab æterno, ut nos ponimus, tenemur asserere, quòd sit tota simul à parte rei, vel physicè quoad omnes partes ergo in æternitate daretur à parte rei, vel physicè infinitum in actu, vel cathegorematicè &c.

Quartum quia physicè verificarentur duæ contradictoriæ, scil. Anti-Christum esse, & non esse præsentem in æternitate, quia est præsens pro una æquivalentia, & non est præsens pro alia; tum quia in tantùm est præsens in illa, quia æternitas ambit differentiam sui temporis, vel suæ existentiæ, sed etiam ambit differentiam alterius temporis, pro quo non existit, ergo esset, & non esset physicè præsens &c.

Quintum, quia aliàs præsens, & futurum simul physicè coexisterent, si semel physicè coexistit simul ubi tertio, scil æternitati juxtà regulam dialecticam, quæ sunt eadem uni 3°, sunt idem inter se. §. Sextum quia contrà id, quod suprà docuimus ex SS. PP. Deus ab æterno ante omnem productionem creaturarum, non solum esset in se ipso, sed etiam in creaturis futuris, utpotè physicè existentibus in æternitate. §. Ultimum denique, quia contrà communem sententiam in via D. Thom. possent futura absoluta cognosci à Deo indpendanter à decreto suæ voluntatis, tanquam à medio cognoscendi, scil. cognoscendo illa ex vi præsentiæ physicæ in æternitate, ergo &c.

Resp. ad 1. quidem ex dictis, quòd existere in æternitate magis est, ut vidimus, secundùm existentiam præsentiæ, quam præsentiam existentiæ, id enim provenit ex maritis, vel ex amplitudine æternitatis, qua transcendit omnem durationem ambiendo, & continendo omnem simul ab æterno juxtà meritum sui, & non quasi per anticipatam futurorum productionem, unde non sunt æquiparanda cum Verbo Divino nec in antiquitate, nec in æqualitate durationis, quia etiam dicuntur esse hoc modo pro sola æquivalentia, quæ correspondet propriæ durationi, & ideo etiam deficiunt in anterioribus, & anterioribus durationibus, quibus correspondeat aliç çquivalētię; & videtur manifestè instari, & solvenda ab omnibus hęc sequela, vel cōs. in simili superius insinuato de lapide spiritualiter existēte in intellectu, ut si quis contenderet lapidem esse tantæ spiritualitatis, quantæ est intellectus, quia est spiritualiter in illo: quia hic non attenditur modus essendi lapidis præcisè in se, sed magis intellectus, ex cujus meritis habet hunc modum essendi spiritualem, unde immeritò inferret inter utrumque æqualem spiritualitatem; ità pariter illegitimè infertur æqualitas durationis inter crea-

creaturam, & Verbum, ex eo quòd illa sit modo æterno in æternitate, quia hunc modum habet ex meritis istius, Verbum autem id habet ex propriis absolutè, & adæquatè pro omni æquivalentia, & tanquam in mensura propria, penes quam attenditur esse, vel non esse rei, in quibus deficiunt creaturæ respectu æternitatis, in qua dicuntur esse tanquam in mensura aliena, & excedente, & deficienter, seù pro sua tantùm æquivalentia, & consequenter non possunt non esse perpetuò quid deficiens in hac linea, & in omni comparativè ad Deum, vel Verbum Divinum, quidquid sit, quòd sic deficienter dicantur esse ab æterno ad positionem decreti, quæ est antiquitas prout sic, valdè deficiens, & magis aliena, quam propria, ut dictum est. §. Ex his etiam patet ad exemplum de Nauta, nam licet moveatur æqualiter cum illa, ambo tamen simpliciter existunt, & motus utriusque mensuratur eodem tempore, ut mensura propria, quod non contingit in casu &c.

Ad 2. similiter Resp., quòd quia sunt ibi, ut dictum est, per existentiam magis præsentiæ, quam per præsentiam existentiæ, & per solum ambitum, vel continentiam, quam habet æternitas, & non activè per anticipatam productionem quasi Deo operante ex necessitate naturæ longè distamus, & per infinitam regionem à prædicto errore, & mente Philosophi; unde nullo modo inferri potest, quòd quia mundus est æternus, ideò ab æterno existit creaturæ in æternitate, sed quia æternitas ab æterno est illa duratio, in qua mundus temporaliter incæpit, & ideò negamus esse ibi requisita, vel aliquod esse actuale per productionem extrà causas ad inferendam æternitatem earum, vel mundi: & meritò etiam diminuimus existentiam non per reductionem ad puram præsentiam objectivam, sed ad mediam, vel phylicam habitam ex meritis æternitatis, ūde est veluti arguere à superiori ad inferius affirmativè, quia præter existentiam simpliciter, vel esse actuale productum extrà causas, & puram præsentiam intentionalem, vel objectivam, est alia, & media, scil. physica, ut explicatum est &c.

Ad 3. ex his dist. maj.: semel posita simul &c. simultate desumpta ex meritis, vel ex parte rei contentæ, nego, ex modo continendi æternitatis conc., & distincta eodem modo min. nego conf., nam sicuti, ut dicebamus, quia spiritualitas conveniens lapidi prout in intellectu, tantùm convenit ex modo continendi intellectus, non ex meritis rei contentæ, non rectè quis argueret eandem spiritualitatem ex parte lapidis, ità nec quis rectè arguet infinitatem ex parte cogitationum, ex eo quòd habeant illam ex modo continendi æternitatis, unde sicut intellectus, quia spiritualis est, licet res contenta materialis sit, est tamen ex parte modi quid spirituale, spiritualitate scil. extrinseca, cum unumquodque sit ad modum rei, in qua est, non tamen propria, & intrinseca, ità licet cognitiones Beatorum in se, & à parte rei, vel extrà Deum, quid finitum sint, vel successivum, quia tamen æternitas infinita est, & tota simul, prout in illa sunt, vel ex parte modi continendi ejus, sunt quid infinitum, & simul, infinitate, vel simultate, scil. extrinseca, non intrinseca, & propria &c.

Sed instas 1. quia ideò nequit convenire illis infinitas ex parte rei contentæ, sive intrinseca, & in propria mensura, quia aliàs, (ut vidimus in physicis) daretur multitudo sub genere, ut supponitur, & non sub aliqua determinata specie, cum species multitudinis sumatur ad modum numeri, ab ultima unitate, sed etiam in aliena mensura repugnat esse aliquid in genere, & non in specie, sicut esse in æternitate aliquod animal, quod non sit rationale, vel irrationale, ergo &c.

Instas 2. Illud infinitum in actu, & tale ex modo continendi æternitatis, est aliquid extrà Deum, utpotè de linea creaturę, cum sit tota illa multitudo habens simultatem prout in æternitate, ergo aliquid de linea creaturæ, vel extrà Deum est infinitum in actu &c.

Ad 1. nego suppositum min., quòd constitui in genere, & in specie sumatur per ordinem ad quemcunque modum essendi, sed per ordinem ad proprium esse, & proprium essendi modum in sua mensura, unde licet hac ratione repugnet dari à parte rei multitudinem infinitam in actu, seù simpliciter, vel cathegorematicè non tamen in æternitate, quia prout sic tantùm reduplicat modum æternitatis, seù esse infinitum, & simultaneum illius, quod est suprà omne genus, & speciem; unde ut vidimus in physicis, & egregiè explicat M. Catalam 3. p. qu. 7. ad ar. 11. dub. 1. concl. 1. efficacius argumentum ad probandam impossibilitatem infiniti actu cathegorematicè, est illud D. Thom. nempè quòd omne, quod producitur per se debet cadere sub determinata intentione producentis ex eo, quòd productio terminatur ad res in propria duratione, & secundùm proprias entitates, unicuique tribuens diversum esse, & ideò quasi numerat, & partitur res, unamquamque in proprio ordine constituens, & quia infinitum, utpotè intrinsecè includens confusionem, & illimitationem, nequit sub determinata intentione cadere, nec etiam potest productione, (quæ est quædam numeratio) pertransiri, quia quod pertansitur numerando finitum est; onde est maximum discrimen inter contineri in Deo, vel in sui mensura reduplicato modo continendi, vel merito continentis, & esse actu in se ipso, vel in sui mensura, reduplicato esse proprio, aut modo, vel merito rei contentæ in illa; quòd hic attenditur purum meritum creaturę, & mensurę ejus, cui secundùm se repugnat prędicta infinitas, ibi verò meritum Dei continentis, qui est simpliciter, & modis omnibus infinitus; quod est valdè attendendum in hujusmodi consequentiis, à modo continendi, vel ex parte continentis ad rem in se, vel ex parte rei contentę, ut patet in rei materiali, ut dictum est, contenta spiritualiter in intellectu ad modum illius. Quod ulterius infrà declarari poterit alio simili gratiæ habitualis, vel actionum Christi. §. Nec est ad rem prædicatum animalis, & rationalis respectu hominis, cum sint definitiva, vel prima in linea essentiæ, quę non dependent à modo essendi, nec variari possunt penes productionem &c.

Ad 2., vel nego ant., aut suppositum illius, quòd modus essendi in ęternitate faciat rem contentam extrà Deum, sed magis unitam, aut intrà illum: vel dist. claritatis gratia, est extrà

Deum, extraneitate largè fumpta per modum distinctionis, transeat, vel conc., per modum productionis, nego, quia quamdiù manent ut contentę in ęternitate reduplicato modo continendi, ex meritis cujus dicuntur infinitari; magis dicuntur creaturę unitę, vel intrà Deum, quam extrà, licet secundùm omne id, quod habent de linea creaturę, dicantur esse aliquid distinctum à Deo, non intrà puram lineam, vel pręsentiam objectivam, secundùm quam considerantur etiam intrà statum possibilitatis, & ex cognitione earum prout in illo statu dicitur infrà per se procedere Verbum; sed etiam intrà illam durationis, ut dictum est, vel secundùm pręsentiam physicam &c.

Sed instas, quia hinc potius videtur sumere vires argumentum. Nam secundùm hoc esse pręd icta multitudo constituitur infinita, ergo si secundùm hoc esse pertinet ad lineam durationis, vel physicam, jam intrà istam datur, vel concipi potest cum fundamento aliquod creatum in re infinitum. §. Urg. hoc: Quia secundùm illud esse utpotè pręparata in causa, est aliquando ponenda in re, ergo si semel secundùm istud est infinita, aliquod creatum in re potest esse infinitum &c.

Resp., dist. ant. constituitur infinita reduplicamodo essendi in ęternitate, conc., aliter, vel relativè ad proprium modum essendi; nego ant., & conf. in hoc posteriori sensu, quod pręter superiorem instantiam de re materiali immaterialiter existente in intellectu; postet ulteriùs declarari in actionibus Christi prout reflexivis suprà suppositum divinum, nam sicut ex eo, quòd prout sic sint infinitę simpliciter in genere moris reduplicata reflexione ad formam infinitè valorentem, scil. Personam Divini Verbi, non licet inferre, vel attribuere illis hanc infinitatem secundùm moralitatem propriam, vel essentialem, quam habent, & idem similiter est de gratia ejus, quę infinita est prout illi, ut sic dicamus, adhęret., sine alia actione libera communi Trinitati, ex qua possit inferri effectus producibilis simpliciter infinitus de linea creaturę, sed infinitate consequente, aut illi conveniente ex eo, quòd est in subjecto sui connaturali, vel reduplicata eadem forma infinitante personę divinę, licet aliàs secundùm se, vel prout forma creata est, sit simpliciter finita, ità pariter dicimus de pędicta multitudine infinita, quòd licet talis sit reduplicata forma infinitante, seù modo essendi in æternitate, non tamen secundùm se, vel secundùm proprium, aut in propria mensura &c.

Ad confir, quę potest esse replica, dist. eodem modo ant., est aliquando ponenda in re secundùm modum, quem habet in ęternitate, seù, tota simul, nego, secundùm modum proprium, conc., ut patet in eisdem exemplis &c.

Ad 4. de contradictoriis nego ent. pro secunda parte, quia cum negatio sit malignantis naturę, totum destruit, quod post se invenit, unde negetiva, quòd non esset, secundùm rigorem dialecticum non solum negat pro una, vel altera ęquivalentia, sed pro omni, quod est falsum, per quod patet ad utraque probtionem &c.

Ad 5. Resp. ità esse, quando sunt eadem uni 3° adęquatè, & non pręcisè inadęquatè, ut contingit in casu, qua ratione etiam licèt Personæ divinæ sint idem cum essentia, non tamen sunt idem inter se, quia non sunt idem cum tertio secundùm rem, & rationem simul, sed cum transitu de quid in aliquid; unde neque ex eo quòd præsens, & futurum, vel præteritum, ut Adam, & Anti-Christus sint simul in æternitate, rectè infertur, quòd sint idem inter se, sicut neque ex eo quòd Placentia, & Roma sint simul locativè in immensitate, sequitur, quòd sint locativè simul inter se &c.

Ad 6. patet ex dictis, quòd res ante omnem productionem non sunt in æternitate, ut aliquid extra Deum, sed magis intrà, nec sunt ibi absolutè, vel secundùm præsentiam existentiæ, sed cum addito, seu secundùm existentiem præsentiæ ex merito æternitatis, vel respectu illius, unde etiam præsentia divinæ immensitatis in rebus est ab æterno respectu æternitatis, & intrà, non extra, antevertendo omnem earum productionem, quatenùs æternitas, ut dictum est, ambit illam differentiam temporis, qua Deus producendo, & conservando est in creaturis, non tamen est ab æterno absolutè, cùm neque res adhuc sint in linea locativa, ut vidimus, sed durativa; cùm æternitas non sit mensura loci, sed durationis, licèt in statu futuritionis trahat omnia loca, & locata ad se, vel ad propriam lineam, utpotè mensura infinita ambiens omnia temporalia cum eadem existentia, quam habebunt in propriis locis; ex quo non infertur, quòd Deus exeat locativè, vel extrà se, sed magis oppositum &c.

Ad ult. nego suppositum, quòd physica præsentia rerum in æternitate sit medium illas cognoscendi ex parte cognoscentis, sed tantùm est ratio sufficiens ex parte rei cognitæ, ut dicatur res contingens certò cognoscibilis, & hac ratione sæpè recurrit D. Tho. ad hanc physicam præsentiam respectu contingentium, non tanquam ad rationem necessariam ex parte rei cognitæ, sed solùm tanquam ad sufficientem, quia cùm contingens ob sui mutabilitatem, & indeterminationem possit esse, & non esse, non videtur prout sic posse subdi cognitioni certæ; & quia evidens est, quòd prout physicè præsens cognoscenti est certò cognoscibile, utpotè apparens tunc secundùm esse determinatum, propterea etiam D.Tho. utitur hac physica præsentia ad explicandam certam ejus cognoscibilitatem, & simul docet futura non esse futura respectu Dei, sed physicè præsentia, & non quia sit medium cognoscendi ex parte ejus, aut ratio necessaria ex parte rei cognitæ; nam pręcisè ut sunt in decreto efficaci suæ voluntatis, ut in causa determinata, sunt hujusmodi futura certò, & evidenter cognoscibilia cum sui existentia, & circumstantiis, sub quibus erunt, licèt non intuitivè propriè, ut dictum est, quia ulteriùs requiritur ad hoc, quòd sint realiter præsentia in duratione, in qua est cognitio, ut probavimus; & ideò hac etiam ratione tenemur ea constituere physicè pręsentia in æternitate. Sed de his infra ad 14. &c.

§. V.

§. V.
Expeditur difficultas de mensura Visionis beatæ.

CUm visio in Beatis ex una parte quantùm est ex sua natura nullam importet variationem, & ex alia sit creatura, difficile est ei assignare proportionatam mensuram durationis; nam æternitas essentialis, quæ est propria mensura Dei, est ei improportionata, & excedens; ævum verò, & à fortiori tempus suot ordinis inferioris, & quid deficiens, ut dicemus infra; & cùm aliàs duratio, ut supra, dividatur in tria hęc membra, non videtur posse ei aliquam, ut sibi propriam, seu quam exigat, assignari, nam propria, aut proportionata mensura rei durationis debet exigi ab eadem &c.

Dicendum est ergo nullam ex assignatis, sed æternitatem participatam esse propriam durationem, seu mensuram visionis beatæ. Oppositum tenent primò Scotus in 4. dist. 49. qu. 6., & Suarez disp. 50. Metaph. sect. 6. assignantes illi ævum ex eo, quòd non appareat in illa major immutabilitas, & indivisibilitas, quàm in substatia Angeli. Alii verò ex nostris, ut probabiliùs eligunt ipsam Dei æternitatem, Ferrara 3. contra Gent. c. 61., Banoez, Zumel, Navarrette, Biescas, & Illustriss. de Marinis hic qu. 10. cap. 2. Nihilominùs Capreol, in 4. ibidem qu. 1. ar. 1., Cajet., & à S. Tho. hic disp. 10. ar. 1., M. Ferre §. 13., M. Gonzalez disp. 22. §. ult. ad 3. difficultatem, & alii plures recurrunt ad prędictam æternitatem participatam, nec sine urgentibus motivis, ut statim constabit, & magno fundamento in D. Tho.

Nam cap. 61. proximè relato ex cont. Gent. ratione prima inquit: *Illa ergo visio in quadam æternitatis participatione perficitur*; de substantia verò Divina ratione 2. subdit: *Esse autem Divinæ substantiæ in æternitate est, vel magis est ipsa æternitas*. Ubi ita apertè videtur assignare aliquid distinctum ab æternitate per essentiam, quæ planè non est in participatione æternitatis, sed magis est ipsa æternitas in recto, & ab ipso etiam ævo, quod est de puro ordine inferiori, vel naturæ, ut oppositum existimet M. Gonzalez non posse cohærere cum doctrina hic, & in 1. dist. 28. qu. 2. ar. 2. Unde argumentor primò sic: Non est idem esse in participatione æternitatis, & esse in æternitate, vel magis ipsam æternitatem; sicut non est idem esse in participatione vitæ per essentiam, & esse in vita per essentiam, vel magis esse vitam per essentiam; sed primum affirmat D. Tho. de perfectione, vel mensura visionis beatæ, posterius verò de mensura Dei, ergo sicut esse in participatione vitæ nominat vitam creatam, vel participatam, esse verò in vita, vel esse vitam per essentiam, vitam increatam, & propriam solius Dei, pariter esse in participatione æternitatis nominabit æternitatem participatam, & esse in æternitate, vel esse ipsam æternitatem, æternitatem increatam, & propriam solius Dei.

2º. Quia, ut insinuat D. Tho. ibidem, sicut intellectus per visionem, utpotè vitam in statu illo beatifico, fit particeps vitæ æternæ, ita visio per Divinam substantiam visam, utpotè totam simul, & omninò immutabilem fit particeps æternitatis per essentiam, sed quòd intellectus sit particeps vitæ æternæ, vel vitæ Dei, sive quòd sit in participatione ejus, non arguit, quòd vivat veluti intransitivè ipsa vita ejus increata, etiam inadæquatè, vel excedente, ergo quòd visio sit particeps æternitatis Dei, vel quòd sit in participatione ejus, arguere nequit, quòd duret æternitate ipsa per essentiam tanquam sibi propria, licèt inadæquata, & excedente &c.

3º. Quia D. Tho. ibidem loquitur de visione contrapositivè ad Divinam substantiam, sed de hac affirmat, quòd est in æternitate tanquam in propria mensura, immò esse ipsam æternitatem, ergo id negat de visione, unde etiam si diceremus illam non esse ipsam æternitatem, adhuc tamen verificaretur esse in illa, si semel esset propria ejus mensura, quod tamen negat D. Tho. affirmans de solo Deo &c.

Nec juvat dicere, quòd est in illa tanquam in mensura inadæquata, Deus verò ut in mensura adæquata, & hoc solum negare D. Tho. contrapositivè ad Deum. §. Contra enim est; tum quia D. Tho. negat in eo sensu, in quo poterat esse difficultas, sed nullus unquam dubitare potuit, an visio sit in æternitate tanquam in mensura adæquata, sed solùm ut in mensura inadæquata, cùm æternitas essentialis Dei in infinitum excedat quamlibet creaturam, ergo utroque modo negat esse in illa tanquam in propria mensura. Tum quia non est planè idem æternitas, & participatio æternitatis, ut patet ex terminis, ergo non erit idem dicere, quòd est in æternitate, & in participatione ęternitatis, sed hoc posteriùs affirmat D. Tho. de visione, ergo negat primum de illa tanquam affirmabile de solo Deo &c.

Ratione deinde prob. primò contra Scotum, & Suarez, quòd non mensuretur ævo. Nam inter mensurabile, & propriam mensuram debet esse proportio; sed hæc nequit esse inter visionem, & ævum, ergo non mensuratur illo; maj. est certa, & patet ex dictis, quia mensura propria est tanquam regula mensurans quantitatem mensurati, ergo est necessaria proportio inter utrumque; min. verò prob., quia uniformitas visionis excedit ævum, tum in ordine, tum in immutabilitate, & simplicitate, cùm sit ordinis supernaturalis elevans Angelum ad altiorem modum operandi, & essendi, quàm sit in suo esse naturali, redditque illum Deiformem, & modo divino operantem, ergo operatur ut excedens in ordine, & modo immutabiliori, & simpliciori, quàm mensuret ævum &c.

Urg. hoc. Quia visio beata ex propriis, vel in ipsa formali ratione visionis nullam admittit mutationem, aut variationem etiam accidentalem, sive quoad intensionem, sive quoad extensionem, vel quoad pluralitatem operationum, ergo nequit esse proportio inter illam, & ævum; ant. est certum, quia aliàs non constitueret Beatum in termino ultimo, nec sufficienter beatificaret, si aliquid posset de illa intrà formalem sui rationem detrahi, aut superaddi, sive intensivè, sive extensivè, aut quoad pluralitatem operationum; tum quia lumen gloriæ, quod est ejus principium, & plenè in termino ultimo satiativum, nequit ex propriis admittere illam, juxta illud Augustini 15. de Trinit. c. 16. *Non sunt in Beatis volubiles cogitationes*. Unde licèt admittantur ibi novæ revelationes extra Verbum, aut partiales conceptus extra illud, hoc tamen non per-

pertinet ad ipsam rationem visionis, sed ad aliud genus cognitionis, vel ad cognitionem vespertinam. Tum quia hac ratione 3. p. q. 7. ar. 12. juxta communem consensum Theologorum dicimus non potuisse habitum gratiæ in Christo augeri secundùm ordinem de facto statutum à Divina Sapientia, quia nempè Christus secundùm partem superiorem animæ, in qua est gratia, à primo instanti fuit beatus, gratia verò consummata per beatitudinem jam est in termino, & ideò extra statum viæ, & augmenti, quia anima, quæ potest augmentum gratiæ recipere potest majori affectu, & conatu in Deum tendere, & majorem beatitudinem sibi desiderare, anima verò beata toto affectu, & conatu fertur in Deum necessariò, & æqualiter semper sine ulla variatione, nec potest majorem beatitudinem desiderare, quia de ratione beatitudinis est perfecta quies, & satietas plena; conf. autem prob., ævum admittit aliquas variationes accidentales in Angelo, sive quoad mutationes locales, sive quoad diversos actus, unde quod mensuratur ævo, ut docet D. Tho. hic ar. 5., licèt secundùm se transmutabile non sit, tamen secundùm operationes adjunctas est transmutabile, ergo est in sufficiens, vel improportionatū ad mensurandā visionem beatam.

Hac etiam ratione prob. contra alios relatos, quòd non mensuretur æternitate essentiali Dei, sed participata; quia longè major est excessus, vel improportio inter illam, & visionem, quàm sit inter eandem, & æternitatem per essentiam; tum quia visio utpotè creatura, saltem de potentia Dei absoluta est destruibilis; & consequenter nec potest habere omnem sui durationem totam simul, sed successivè conservatur sicut esse angelicum, aliàs destruibilis non esset, ut patet ex superioribus, ergo impossibile est, quòd possit proportionari cum immutabilitate, & uniformitate mensuræ divinæ, quæ est essentialiter indefectibilis, & tota simul &c.

36. Etiam prob. principaliter ad idem. Si æternitas increata semel esset mensura propria visionis, teneretur eam prout sic, sive ut mensura propria mensurare ab æterno, sed hoc à nemine conceditur, nec concedi potest, ergo non est propria ejus mensura; min. supponitur de Fide, & constat, quia àliàs non incepisset in tempore, sed fuisset ab æterno, quia unumquodque intrà lineam durationis intelligitur actu habere esse in se, sive physicum, & reale, quando actu mensuratur à propria sui mensura, nisi velimus talem mensurationem esse de subjecto non supponente, nam hac ratione futura non tenentur habere esse in se ipsis ab æterno, etiam si ab eadem æternitate mensurentur ab æterno, quia non mensurantur ab illa tanquam à mensura propria, sed tanquam ab aliena, sive à superiori excedente, & præoccupante illa ob sui infinitatem in statu futuritionis; nam in mensura propria tunc incipiunt existere, quando incipiunt habere esse physicum, & reale, scil. in tempore; ex quo etiam prob. maj., quia ex eo potissimè probant Thomistæ eadem futura sic ab æterno mensurari ab æternitate, quia æternitas nullam omninò habere potest successionem, neque in se, neque in mensurando, aut continendo sua mensurata, sive primariò, sive secundariò mensurentur ab illa, quam tamen haberet, ut ipsi contendunt, & efficaciter probant, si semel mensuraret in tempore non priùs mensurans ab æterno, ergo eadem ratione teneretur ut mensura propria mensurare visionem ab æterno, si semel ut talis aliquando eam mensuraret.

Expl. hoc. In communi jam sententia Thomistarum nequit æternitas salva sui simultate, & infinitate mensurare futura in tempore ut mensura aliena, aut superior, non priùs ea mensurans ut talis ab æterno, ergo nec salva eadem poterit visionem semel mensurare, ut propria, non priùs ut propria mensurans ea ab æterno.

Expl. ulteriùs. Ideò dicunt Thomistæ, quòd tenetur æternitas prævenire adventum futuri in mensurando illud, quia aliàs esset deficiens in hac linea, sicut ævum, quod nequit futuris coexistere, non expectato adventu temporis, in quo incipiunt esse, ergo eandem imperfectionem incurreret, si semel ut mensura propria mensuraret visionem, & non mensuraret eam ab æterno, sed tantùm expectato ejus adventu in se ipsa.

Præterquamquòd semel mensurata, æternitate per essentiam tanquam mensura sibi propria teneretur juxta conditionem suæ mensuræ habere totam suam durationem simul, præcontinendo simul omnem durationem inferiorem ipsa æternitate, sed hoc repugnat creaturæ, utpotè importans infinitatem, & omnimodam indefectibilitatem, ut patet ex dictis, ergo.

Ex his ab opposito rectè inferimus æternitatem participatam esse propriam ejus mensuram. Quia inter utramque datur adæquata proportio, nam utraque est ejusdem ordinis, cum sola mutabilitate de esse ad non esse de potentia absoluta, & sine ulla secundùm sui naturam, nam sicut visio beata est formalis participatio visionis Dei, ita & æternitas participata est formalis participatio æternitatis ejus, ergo &c.

Huic rationi dici poterat negando suppositum, quòd dari possit formalis participatio æternitatis; cùm sit attributum de numero eorum, quæ repugnant communicari creaturis ob infinitatem, quam important in suo formali conceptu &c. Sed de hoc §. sequenti, ubi constabit non militare hanc repugnantiam respectu hujus attributi &c.

§. VI.

Solvuntur Argumenta contra præcedentem resolutionem.

PRimò arg. ad prob., quòd mensuretur ævo. Nam visio beata, utpotè accidens ex sui natura est imperfectior substantia Angeli, ergo nequit esse uniformior, & immutabilior, exigendo mensuram excellentiorem, vel uniformiorem ævo, conf. tenet, quia quantò natura est uniformior, & immutabilior stando intrà eandem lineam spiritualem, vel corporalem, tantò est perfectior, ut patet inductivè &c.

Urg. hoc; quia si haberet majorem uniformitatem, careret potentia ad non esse; nam substantia Angeli, cùm sit in nostra sententia ex sui natura, & ab intrinseco incorruptibilis, non potest habere majorem immutabilitatem, nisi per carentiam potentialitatis metaphysicæ, vel potentiæ ad non esse &c.

Ad.

Ad hoc dico in primis cum M. Catalam infra qu. 12. dub. 6. ar. 5. in solut. ad 1., quòd licèt certum sit rationem substantiæ, ut abstrahit à creata, & increata perfectiorem esse simpliciter ratione accidentis communis ad naturale, & supernaturale; tamen probabile est rationem accidentis, ut sic, non esse imperfectiorem substantia creata, quia continet gratiam sanctificantem, quàm probabile est esse perfectiorem simpliciter omni substantia creata, quia est formalis participatio divinæ naturæ.

In forma ergo vel posset negari ant., vel dari transeat ad illud, & deinde negari conf.; sed prętereà dist. ant.; est imperfectior in ratione entis, transeat, in ratione mensurabilis, nego ob rationes alligatas; & patet in simili in materia prima, quæ, ut vidimus in 1. phys., licèt in ratione entis, utpotè summè potentialis, dicatur imperfectior forma, quæ est de genere actus, in ratione tamen producibilis excedit illam loquendo de materiali, quia cùm materia prima sit primum subjectum, tantùm potest esse terminus creationis, quæ est nobilissima productio; forma verò materialis solius eductionis, attentis propriis meritis; unde etiam nego conf., quia licèt visio materialiter, vel in ratione entis dicatur inferior substantia Angeli, in ratione tamen mensurabilis potest eam excedere, quia cùm sit accidens supernaturale essentialiter beatificum, sive ordinis divini immediatè Deo conjungens, & firmans in illo æqualiter sine ulla omninò variatione, quantùm est ex sui natura, ut dictum est, potest habere majorem immutabilitatem, & uniformitatem, magis sequendo quoad hoc naturam sui principii, à quo participat, & derivatur, quàm sui subjecti, in quo recipitur; unde non trahitur ad conditiones illius, sed magis elevat illud ad modum operandi supra se, scil. divinum, seu simplicissimum, & summè uniforme, quidquid sit, quod ex sua natura sit mutabilis logicè, vel respectu Dei potentis illam annihilare.

Per quod patet ad id, quod subditur, quòd nempè deberet carere potentia ad non essendum; quia adhoc est major immutabilitas, vel uniformitas supra substantiam Angeli sine hac carentia, scil. per exclusionem cujuscumque variationis, vel augmenti, sive intensivi, sive extensivi, vel secundùm pluralitatem operationum, quam non habet Angelus præcisè in sua natura, ut ostensum est &c.

Sed instas primò in visione Moysis, & D. Pauli in via; nam utraque fuit ejusdem speciei, vel rationis cum ea, quam modò habent in patria, & tamen statim cessarunt, ergo visio beata ex sua natura non petit majorem immutabilitatem supra ævum; conf. tenet, quia substantia Angeli nec per accidens potest sic deficere, aut subjici tali mutationi.

2ò. In unione hypostatica, quæ licèt sit supremi ordinis gratiæ, & consequenter excellentior qualibet alia unione cum Deo, utpotè immediatè tangens personam, & tamen non petit altiorem mensuram ævo, cùm admittat mutabilitatem operationum, quæ exercentur in natura assumpta, quod est proprium ævi, scil. mensurare rem immutabilem in essendo, & mutabilem in operando &c.

3ò. In charitate patriæ, quæ est etiam ordinis divini, & in statu beatifico, & immediatè Deo conjungens, supposito præcipuè, quòd nollus ibi producatur impulsus, sicut nullum producitur verbum, de quo infra de visione, vel de Trinitate, & tamen nequit exigere mensuram excellentiorem ævo, cùm sit eadem numero cum charitate viæ, licèt hæc ratione status ex parte subjecti amitti possit, cùm pro hoc statu non repleat totam potentialitatem subjecti, utpotè non semper actu tendens in Deum, ut facit in Patria, quod infert amissibilitatem formæ in illo, ut docet D. Tho. 2. 2. qu. 24. ar. 11. Et idem argumentum fieri poterat proportionabiliter de aliis formis supernaturabilibus &c.

4ò. Quia licèt visio habeat prædictam excellentiam ordinis divini, & immediatum respectum, vel unionem cum Deo, habet tamen aliquid de naturali, cùm sit actus vitalis indispensabiliter procedens à potentia naturali vitali, licèt elevata per lumen, ergo nec in ratione mensurabilis videtur posse superare mensuram angelicam, cùm substantia Angeli sit suprema in ordine naturæ &c.

Ad 1. dist. maj.; est ejusdem speciei, vel rationis, quantùm ad substantiam, transeat; quantùm ad modum, vel in eodem statu, nego; nam in Moyse, & D. Paulo non fuit per modum status perfecti, & permanentis, sed per modum transeuntis, & non tollentis statum viæ; cæterùm in Patria habet statum suum connaturalem, & perfectum, & ideò non tenetur habere eundem modum durationis, sicut in simili dicitur infra 3. p. de gratia Christi, quod licèt sit ejusdem rationis, vel speciei cum nostra, quia tamen in illo est tanquam in subjecto connaturali, potest in illo radicare justitiam commutativam exhibentem æquale Deo pro offensa, quam non sic habet radicare in nobis. Vel sicut lux Solis, quia est similiter in illo tanquam in subjecto connaturali, ant propria passio, habet diversum modum durationis ab illo in aliis inferioribus, unde ibi ex sua natura dicitur incorruptibilis, & mensurari ævo, sicut ipse Sol; in aliis verò corruptibilis, & mensurari tempore. Unde D. Tho. 2. 2. qu. 175. ar. 3. ad 2. loquens de eadem visione Apostoli, ex eo quòd non fuit in illo per modum permanentis, sed cujusdam passionis transeuntis infert, quòd *ex tali visione non fuit Apostolus simpliciter beatus; ut fieret redundantia ad corpus, sed solùm secundùm quid; & ideò talis raptus* (concludit ibidem) *aliquomodò ad prophetiam pertinet*.

Dixi transeat, quoad priorem partem distinctionis, quia non desunt, qui velint esse distinctas secundùm speciem, ut Navarrette infra de visione controv. 39., & aliquomodò consentit M. Bannez hìc dub. 4. ad 4., præcipuè in opinione plurium Thomistarum, quam insinuat D. Tho. proximè relatus, & qu. 10. de Verit. ar. 11., & ut probabiliorem amplectitur M. Catalam, ubi supra, dub. 4. cum Capreolo, Cabrera, & eodem Navarrette, nempè quòd prædicta visio non fit producta medio habitu luminis gloriæ sed à qualitate fluida, vel auxilio actuali, & dispositione transeunte; tunc enim contendit Navarrette non solùm esse distinctam specie à visione Patriæ productam medio habitu luminis, sed nonquam posse

ean-

eandem specie produci ab intellectu sine eodem habitu, ut etiam affirmant alii Thomistæ, qui dicunt nulla potentia fieri posse ut producatur visio sine habitu luminis gloriæ, vel per modum habitus permanenter inhærente intellectui, vel saltem per modum dispositionis transeuntis, de quo tamen infra &c.

Ad 2. nego suppositum min., quòd unio hypostatica sit radix, vel principium talium operationum, id enim pertinet ad naturam, de quo alibi 3. p., non ad hypostasim, vel subsistentiam, quæ solum est terminus naturæ, cæterùm ævum est mensura substantiæ angelicæ, quæ est principium, vel radix talium operationum mutabilium. Quod verò eadem unio possit absolutè subesse mutationi extrinsecæ, sive ex parte agêtis, quia nempè potest à Deo poni, & tolli in tempore, sive ex parte subjecti, quia potest ab eodem destrui, vel annihilari in natura assumpta, unde possibile sit eam deficere, prout à tali subjecto dependentem; solùm arguit, quòd non mensuretur æternitate per essentiam, vel increata, sicut fatemur de visione, non autem participata, vel mensura excellentiori, ævo; quidquid sit de existentia humanitatis, vel duratione ejusdem existentiæ, quia cùm hæc in sententia D. Tho. sit increata, nec admittatur ibi alia existentia præter increatam Verbi, ejus duratio secundùm se est etiam increata, quia tamen non est existentia humanitatis, nisi prout illi communicata, & prout sic importetur ab unione, sicut communicatio est in tempore, & potest absolutè tolli, ita pariter unio, quod tamen non impedit mensurabilitatem ejus ab æternitate participata, ut dictum est &c. Unde D. Tho. 3. p. qu. 50. ar. 2. dat ei majorem permanentiam, & immutabilitatem, quàm puræ gratiæ adoptivæ, quia excellentiùs unit, ut vidimus, cùm sit immediatè ad personam, ut tradit D. Tho. ibid. dicens: *Multò autem major est gratia unionis, per quam Divinitas unita est carni Christi in Persona, quàm gratia adoptionis, per quam alii sanctificantur, & etiam magis permanens ex sui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem*: unde sicut hac ratione est altioris ordinis, ita est actualior, & simplicior, & de se immutabilior, & consequenter petit mensuram magis Deo conjunctam, & æternitati, qualis est æternitas participata, utpotè super omnem motabilitatem creaturarum elevatam &c.

Ad 3. respond. sicut ad 1., quòd licèt sit eadem charitas Patriæ, & viæ, non tamen habet eundem statum perfectum, & connaturalem, qua ratione hîc in via, ut rectè dicit argumentum ex D. Tho., cùm non repleat totam potentialitatem subjecti, quia nempè habens illam non semper actu fertur in Deum, potest amitti, nam *quando actu non fertur in illum, potest aliquid occurrere*, inquit D. Thom., *per quod charitas amittatur*; quod tamen nequit contingere in Patria, ubi Deus videtur per essentiam, quæ est ipsa essentia bonitatis, unde immobiliter ei conjungitur, præcipuè quoad objectum primarium, scil. Deum, cui necessariò, & immutabiliter adhæret in illo statu; unde prout sic conformatur in durando visioni beatæ.

De aliis verò formis supernaturalibus, si loquamur de illis pro hoc statu, à fortiori militat, quod de charitate viæ, cùm minùs Deo conjungant, unde etiam si dentur per modum habitus, & permanentiæ, sunt subjectæ majori motabilitati, tum in essendo, tum in operando; in statu verò perfecto, vel extra viam, licèt absolvantur, vel sint independentes à tempore, quia tamen in operari admittunt diversos actus, tum ex parte intellectus, cùm cognitio extra verbum, etiamsi sit supernaturalis, fiat secundùm diversas illuminationes, & revelationes; tum ex parte voluntatis, quia eliciuntur diversi ab ipsis virtutibus, ideò dicuntur habere durationem specialem, vel mensuram ad modum ævi, quæ à multis vocatur specialiter non ævum, sed modus ævi, sive ævum supernaturale, quatenùs dicit immutabilitatem in essendo cum mutabilitate in operando, quod est proprium ævi; sicut infrà in simili dicitur probabiliter de lumine gloriæ, quod est principium proximum supernaturale ad modum potentiæ; quia licèt non habeat illam indifferentiam, vel amplitudinem potentiæ ad posse benè, vel malè operari, sed magis sit determinatum ad supremam operationem beatificam, quia tamen sine illo, ut qualitate, vel dono intrinsecè inhærente elici non potest visio, habet modum potentiæ.

Ex his infertur discrimen inter visionem beatam, & amorem beatificum, seu actum charitatis in Patria, qui per se conjungitur cum visione, & pertinet ad complementum beatitudinis ex una parte, & operationes aliarum virtutum, vel ipsius charitatis respectu objecti secundarii, seu creaturæ, in quam liberè fertur, quòd priores, ut dictum est, mensurantur æternitate participata, posteriores verò tempore discreto, sicut in statu viæ tempore communi ad eum modum, quo dicimus de substantia Angeli, & ejus operationibus, quòd illa, & ejus operationes naturales, sive necessariò ab Angelo elicitæ mensurantur ævo; liberæ verò tempore discreto, ut hîc ait D. Tho. ar. 5. ad 1.: *Creaturæ spirituales quantùm ad affectiones, & intelligentias, in quibus est successio, mensurantur tempore*, de quo infra qo. 53. ar. 3. inquit, *quòd non est idem cum nostro, quia est independens à natura Cæli*.

Ad 4. dist. antec.; habet aliquid de naturali, elevato ad participandam immutabilitatem divinam, conc., aliter, nego; quia licèt non omne principium concurrens ad visionem sit de puro ordine supernaturali, sed solum lumen, quia tamen intellectus per illam medio lumine immutabiliter tendit ad Deum clarè visum, eique immediatè unitur, elevari dicitur prout sic, ad participandā immutabilitatem divinam, & consequenter ejus visio potest habere meritum exigendi mensuram superiorem ad illam substantiæ angelicæ secundùm se consideratæ, licèt hæc sistendo in puro ordine naturæ excedat sui potationem, vel intellectum; immò etiam de Angelo vidente Deum dicitur pariter elevari ad participandam eandem immutabilitatem divinam.

Secundò arg. ad probandum specialiter, quòd mensureatur æternitate per essentiam. Visio bea-

beatifica, ut communiter nos Thomistæ fatemur, exigit mensuram excellentiorem ævo, at non est alia assignabilis supra illud, nisi æternitas per essentiam, ergo hæc erit mensura ejus, saltem inadæquata. Prob. min.; tum quia D. Tho. hic ar.5. tres tantùm distinguit durationes, scil. æternitatem, ævum, & tempus; & expressè in 4.dist.49. q. 1. ar.2. quæstiunc.3. in corp., postquàm de illa dixit non posse mensurari tempore, cùm non sit successiva, nec ex parte videntis, aut visi, cùm utromque sit extra motum; nec etiam ævo, cùm istud secundùm quòd ab æternitate distinguitur, pertineat ad creaturas immutabiles, scil. intrà statum, vel ordinem naturæ, visio autem excedat naturalem potentiam creaturæ, cùm ad eam nulla creatura naturaliter pertingere possit, concludit, quòd propria ejus mensura est ipsa æternitas, ergo supra ævum non agnoscit aliam mensuram ab ipsa æternitate increata &c.

Tum quia non videtur alia possibilis superior, & media inter æternitatem per essentiam, & ævum, ergo prob. ant.: quia æternitas per essentiam sub hoc conceptu æternitatis non est participabilis à creaturis, ergo non est possibilis alia superior, quæ nempè sit æternitas participata, seu formalis participatio per essentiam; prob. anteced., quia, ut colligimus ex superioribus, æternitas Dei in suo formali conceptu includit infinitatem, ut etiam patet ex sui definitione, sed hac ratione omnipotentia, ratio actus puri, substantia etiam supernaturalis, ut nos Thomistæ contendimus, & aliæ hujusmodi perfectiones divinæ sunt imparticipabiles à creaturis, ergo &c.

Urg. hoc. Quia, ut iterùm constat ex dictis, & ex definitione ejus, de ratione æternitatis est simultanea continentia omnium durationum inferiorum, in quo deficit, ut vidimus, omnis duratio creata; quia nempè ad hanc continentiam est necessaria infinitas, ergo de ratione ejus est esse imparticipabilem à creaturis; conf. tenet inductivè in aliis perfectionibus divinis, quæ, ut dictum est, ex eo quòd includant infinitatem in suo conceptu formali, sunt imparticipabiles &c.

Ad hoc nego min.; & assigno ex D. Tho. in 4. ibidem ad 3., ubi ait: *Dicendum, quòd æternitas non est communicabilis homini, ita quòd sit mensura adæquata, vel alicujus, quod in ipso est: Potest tamen homini communicari secundùm quandam participationem, ut sicut homo sit particeps divinæ operationis in videndo Deum: ita sit particeps æternitatis, qua divina operatio mensuratur.* Ex quibus patet ad posteriorem authoritatem adductam in prima probatione ex corp. ejusdem articuli, quòd loquitur de æternitate participata, dum ait propriam ejus mensuram esse æternitatem, §. Ad primam verò ex ar.5. hic dicimus tantùm numerare tres quoad ordinem, non quoad species ordinis, cùm expressè admittat quartam æternitatis participatæ, sed quia etiam est ordinis divini, sicut & visio, cujus est mensura, ideò non fuit necesse mentionem facere de ipsa in particulari &c.

Ad secundam probationem, quæ videtur difficilior, nego ant.; ad prob., dist. ant.; ex superiori doctrina D. Tho. non est participabilis adæquatè, conc., inadæquatè, nego; unde sicut homo sit particeps divinæ operationis, non quia intelligat, aut videat ipsa operatione divina, sed operatione, aut visione creata, quæ est formalis ejus participatio, licèt inadæquata, ita sit particeps æternitatis, non quasi ejus operatio, aut visio mensuretur increata Dei æternitate, sed æternitate, quæ sit participatio ejus formalis, licèt inadæquata. Ad probation. verò illius, quæ potest esse replica in eo, quòd aliàs nulla esset perfectio imparticipabilis etiam, quæ includit in suo formali conceptu infinitatem, cùm certom sit nullam esse participabilem adæquatè ob infinitum excessum supra omnem creaturam, quod tamen est contra communem doctrinam, qua distinguimus dicendo alias esse communicabiles, aliàs verò non, quæ nempè important in sui ratione præfatam infinitatem, unde videtur solutio petere principium, si semel æternitas eam includit, cùm difficultas tantùm possit esse de inadæquata participatione, aut communicabilitate; unde sicut aliud est, quòd communicetur Omnipotentia sub conceptu potentiæ, sicut & ratio actus puri, vel ratio substantiæ supernaturalis sub ratione actus, vel perseitatis, aliud verò sub formali conceptu Omnipotentiæ, actus puri, & substantiæ supernaturalis; sic enim quia includunt eandem infinitatem, scil. vim productivam effectuum diversæ rationis sine termino cum independentia ab alio, ut contingit in omnipotentia, & actualitatem exclusivam totius potentialitatis tam physicæ, quàm metaphysicæ, ut in ratione actus puri, & perseitatem existendi excedentem omnem naturam creatam natam per se existere, ut in substantia supernaturali, dicuntor incommunicabiles, vel imparticipabiles etiam inadæquatè, cùm important perfectionem repugnantem creaturæ ob ejus infinitum excessum, sic pariter licèt dicamus posse æternitatẽ inadæquatè participari, scil. sub ratione mensuræ, secus tamen sub formali concepto æternitatis, sic enim, ut dictom est, & patet ex ejus definitione, importat similem infinitum excessum simultaneæ præcontinentiæ, vel extensionis infinitæ.

Nihilominùs resp. dist. antec. includit infinitatem, quasi in indivisibili coexistentem, ut in aliis perfectionibus relatis, aut similibus, nego ant.; habentem aliquam latitudinem, conc.; nam æternitas per essentiam habet talem infinitatem, ut de illa aliquid participari possit intrà lineam durationis, & meliorare, scil. hoc, quod est mensurare aliquod maximè uniforme, & omninò immutabile ab intrinseco ordinis divini, & consequenter infinitum, vel æternum à parte post, sine ulla omninò variatione intrinseca, ut dictum est, scil. visionem beatam, quæ est vita ordinis divini, licèt quia hæc ab extrinseco, sive à Deo, etiam postquàm est in actu, destrui potest, pervenire non possit ad mensuram simpliciter infinitam, tanquam sibi proportionatam in ratione suæ mensuræ, & mensurabilis; quia tamen habet prædictum excessum in immutabilitate, & superioritate ordinis supra esse etiam angelicum quoad accidentia variabile, ut vidimus, petit mensuram ævo altiorem, quæ scil. sit participatio formalis saltem inadæquata æternitatis per essentiam modo explicato, sive deficienter, omittendo nempè, seu relinquendo rationem simultaneæ continentiæ respectu durationum inferio-

feriorum, vel etiam adæquationem cum aliquo de ordine divino omninò immutabili etiam de potentia absoluta, ut est quodlibet prędicatum divinum, sed tantùm accipiendo rationem mensurę respectu vitę de eodem ordine habentis aliquam infinitatem intrà illum, quod satis est ad rationem participationis formalis ipsius æternitatis; sicut licet natura divina utrumque habeat, & prę-continere omnem perfectionem aliorum à se, & esse radicale principium omnium operationum divinarum, nempè videndi, & amandi Deum in se, non est necessarium, quòd gratia, quę est ejus formalis participatio utrumque participet, seù infinitatem ejus secundùm priorem conceptum, in quo importatur modus infinitatis Deo tantum conveniens, sed dumtaxat secundùm posteriorem, vel inadęquatè; sic proportionabiliter dicimus in casu, eo vel maximè, quòd modus ille infinitatis secundùm simultaneam continentiam omnium durationum inferiorum nō est de conceptu durationis ut sic, abstrahentis à creata, & increata, vel de conceptu æternitatis abstrahentis à creata, & increata, sed tantùm increatę, vel supremi ejus analogati habentis adhuc latitudinem in sui infinitate, ut dictum est, unde non est necessarium, quòd participetur, ut detur ejus formalis participatio.

DISPUTATIO VIII.

De Unitate Dei.

Duabus quæstionibus præsentem disputationem absolvemus, dicturi in priori de unitate transcendentali entis, in posteriori verò de illa Dei &c.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid addat unitas transcendens ad ens, & in quo formaliter consistat.

De unitate transcendentali inquirimus, quæ nempè sequitur ipsum ens in quantum ens, idest in omni genere entis, & in omni eo, quod rationem entis participat, & ideò ponitur passio ejus, quia est ęquè transcendens, sicut ens, & quia duo in illo considerari possunt, alterum positivum, scil. entitas; alterum negativum, scil. negatio divisionis, sive in se, sive à se, sive ab alio; aut negatio multitudinis, vel pluralitatis; difficultas est, quid de his addat suprà ens, vel in quo formaliter consistat &c.

In qua re quoad primum est duplex veluti sententia extrema, & altera media, prima extrema asserit addere aliquid positivum extremum, sive per modum realitatis, ut Avicenna, sive per modum formalitatis ex natura rei distinctę ab ente, ut Scotus, & ejus discipuli &c.

2ª. Ex opposito contendit superaddere solam carentiam divisionis, itàut ex ente tanquam ex substracto, vel materiali, & ex ipsa carentia, tanquam forma constituatur, aut coalescat integra ratio unius transcendentis. Ità Suarez disp. 4. metaph. sect. 1. n. 1. Et hęc quidem sententia quantum ad additionem realem negativam per exclusionem cujuscunque realis positivi extranei verissima est, & traditur à Thomistis cum D. Tho: hic q. 11. ar. 1., cęterum loquendo de additione exclusiva totius positivi tam secundùm rem, quam secundùm rationem, reiicitur ab eisdem, cum nequeat unum, utpotè vera passio entis, sive de linea extremi contradictorii ad non ens, significare aliquid purè negativum, sed magis positivum, licet sola ratione distinctum ab ente &c.

3ª. Asserit addere etiam aliquid positivum sub aliqua tamen expressione, sub qua ens expressum sub hoc nomine non explicat, unde duo importat, scil. rationem entis non absolutè sumptam, sed ut connotantem ipsam indivisionem in se, & divisionem ab alio, aut completam per illam, sicut alibi in simili dicimus de peccato, quòd non importat præcisam deformitatem, sed aliquid etiam positivum, vel entitatem, ut connexam cum illa, unde sicut ratio entis prout sic cadit sub causalitate divina, non tamen reduplicativè ut connexa cum deformitate, ità eadem ratio entis licet absolutè sumpta sit veluti subjectum unius, & aliarum passionum, ut tamen connotans, vel completa per prædictam indivisionem, & divisionem est tanquam passio importans rationem unius demonstrabilis de ipso ente absolutè sumpto; sic enim pertinet ad distinctam lineam, ut similiter dicimus de principiis Theologię, vel articulis fidei, quòd si sumantur secundùm se, vel in pręcisa ratione revelati pertinent ad superius lumen principiorum, vel fidei, si verò in ratione illativi, scil. ut ex illis inferuntur conclusiones theologicę, tunc spectant ad inferius lumen scientificum. Hanc tenent communiter Thomistę utpotè expressam D. Thom., à S. Thom., Aravyo, Gonzales, Ferre, Serra, & alii &c.

In quo verò ex his pro formali consistat, adhuc est difficultas; nam alii costituūt in eodē privativo, & positivū tantùm se habere, ut materiale. Ità Herveus, & tribuitur etiā Cajet. hic, & tenent Gabriel à S. Vicentio, Fonseca, Arriaga, & Aversa. Alii in positivo ut fundante privativum, seù carentiam divisionis, itàut privatio non ingrediatur formale costitutivum, sed tantùm veniat, ut terminus connotatus, sicut in simili de distinctione partium substantię intrà propriam lineam, seù substantiali dicimus, quòd requiratur ad illam, quotitas non ut forma constituens illam, sed tantùm ut terminus connotatus. Et tunc est etiā difficultas, an idem privativum potiùs importet carentiam divisionis, quam multitudinis, quia cum ubi est divisio, sit etiam multitudo, dubitari potest de utra-

que

que negatione, immò Vasquez existimans idem formaliter esse divisionem, ac multitudinem dicit, quòd si semel unitas consistit in negatione divisionis, pariter sit posita in negatione multitudinis &c.

2. PRIMUS.

Statuitur duplex conclusio.

PRrima. Unum non addit suprà ens aliquid purè privativum, sed magis positivum, scil. rationem entis, ut determinatam, vel completam per indivisionem in se, & divisionem à quolibet alio, Est expressa D. Thom. 10 metaph. lect. 4. ubi ait; *unum non significat privationem puram, non enim significat ipsam indivisionem, sed ipsum ens indivisum, & ideò unum, & multa non opponuntur secundùm puram privationem, & habitum*. Et in 1. dist. 24. qu. 1. ar. 1. inquit, *dicendum, quòd in multitudine negatio est secundùm quòd una res distinguitur ab alia per negationem, ùde in multitudine est negatio, vel privatio realis secundùm quòd una res dicitur non esse alia, & hujusmodi distinctionem per negationem negat negatio importata in ratione unitatis, unde dico, quòd negatio ista, in qua perficitur ratio unitatis, non est nisi negatio rationis tantùm*.. Ubi utrumque expressè assignat, scil. positivum perfectibile, seù complebile, & privativum, vel negativum perficiens, seù complens illud &c.

Id etiam expressiùs tradit q. 1. de veritate ar. 1. in corp. ubi ait. *Illud autem, quòd primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resolvit, est ens, ut Avicenna dicit in principio metaphysicæ suæ, unde opportet, quòd omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens, sed enti non potest addi aliquid, quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subjecto, quia quælibet natura essentialiter est ens, unde etiam probat Philosoph. in 3. metaph., quòd ens non potest esse genus, sed secundùm hoc aliqua dicuntur addere suprà ens, in quantùm exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Quod dupliciter contingit uno modo, ut modus expressus sit aliquis specialis modus entis, sunt enim diversi gradus entitatis, secundùm quos accipiuntur diversi modi essendi, & juxtà hos modos accipiuntur diversa rerum genera, substantia enim non addit suprà ens aliquam differentiam, quæ significet aliquam naturam superadditam enti, sed nomine substantiæ exprimitur quidam specialis modus essendi, scil. per se ens, & ità est in aliis generibus*. Hęc D. Thom., quibus clarè docet, quòd sicut substantia non præcisè addit perseitatem, sed ens per se, sive entitatem ut determinatam, vel expressam per rationem entis per se; seù completam per perseitatem, ità unum non solum addit ad illud indivisionem, sed ens indivisum, sive ens ut determinatum, vel expressum per rationem entis indivisi, seù completam per indivisionem; quod etiam tradidit expressis verbis paulò infrà dicens; *negatio autem, quæ est consequens omne ens absoluti est indivisio, & hanc exprimit, hoc nomen unum*. Nihil enim est aliud unum, quam ens indivisum.

Ratione prob. ut suprà. Unum, sicut & cætera transcendentia sunt de extremo contradictorio entis, ergo nequit superaddere ad ens aliquid purè negativum, seù magis spectans ad alterum contradictorium non entis, scil. privationem entis, ant. constat, quia sunt proprietates entis; sed præterea prob. simul cum consequenti, quia implicat, quòd aliquod subjectum, vel natura radicet proprietatem sibi oppositam, sed unitas, & cætera transcendentia sunt passiones entis, ut suppono ex metaphysicis, ergo nequeunt superaddere aliquid purè negativum, seù quod de extremo contradictorio entis sit.

Expl., & urg. hoc. Privatio, aut negatio intra lineam, in qua sunt carentia positivi, sunt defectus, ergo implicat, quòd aliquid purè privativum, aut negativum radicetur ab illo, ut proprietas sui, ant. patet, & conf. prob., quia proprietates alicujus naturæ sunt in ornatum, & subsidium illius, ut infrà dicimus, & patet inductivè, ergo repugnat, quòd aliquid positivum, sive ens habeat aliquid purè privativum sibi superadditum tanquam proprietatem &c.

Dices ità esse in his, quibus potest superaddi aliquid positivum extraneum ab eorum natura, vel extrà limites ejus, cum autem in ente, ut nos etiam dicimus, nihil per modum positivi superaddi ti contingere possit extrà limites naturæ ejus, solum aliquid privativum assignari poterit, aut superaddi, ut ejus proprietas, eò vel maximè, quòd cum idem privativum, avt negativum uniri illi non possit per modum accidentis communis, solum erit unibile, ut accidens proprium, unde non erit inconveniens, ut prætendit Suarez; immò necessarium, quòd unum tantùm superaddat aliquid purè priuativum &c.

Sed contrà hoc est, Quia non solum alia positiva, sed etiam transcendentia, vel positivum entis sunt de linea perfectionis, ut per se patet, unde prædicantur in recto de Deu; & ens sive ut concretum essentię, sive ut existentiæ importat ordinem, vel non repugnantiam ad perfectionem simpliciter, scil. ad existentiam, ergo non solum alia positiva, sed neque ens poterit habere aliquid purè privativum per modum proprietatis, sive defectum sui &c.

Dices, quòd licet sint de linea perfectionis, quia tamen quodlibet eorum est essentialiter ens, nullum positivum extrà limites essentiæ entis poterit assignari, ut proprietas, aut ut superadditum illi per modum proprietatis, nisi velimus cum Scoto recurrere ad aliquod positivum, vel formalitatem ex natura rei distinctam ab ente, quæ cum non possit esse se ipsa intransitivè una, ut nos contrà Scotum arguimus, sicut neque ens per ipsum potest esse intransitivè unum, deberet idem positivum, vel formalitas esse una transitivè ad aliam essentiã, vel formalitatem ex natura rei distinctam à prima, quod est procedere in infinitum, ut opponit D. Thom. hic ad primum contrà. Avicennam &c.

Sed contrà hoc est ex dictis; & in primis hæc solutio est de subjecto non supponente, quòd nos ali-

assignemus, aut teneamur assignare aliquod positivum extrà limites ejus, ut dicunt Avicenna, & Scotus, & ex illius deinde impossibilitate recurrendum sit ad aliquid purè negativum, aut privativum, ut vult Suarez, sed est assignabile distinctum ab his seorsim, ut dictum est; unde impugnatur sic. Ut unum dicatur proprietas entis, non tenemur constituere illud in aliquo positivo extraneo, nec in aliquo purè negativo, aut purè privativo, ergo solutio est nulla, prob. ant., quia satis est assignare idem ens, ut determinatum, aut completum per indivisionem, aut carentiam divisionis, quia prout sic potest optimè intelligi, ut consequens, aut ratione distinctum à se ipso ut absolutè sumpto, ut patet exemplis adductis, nam præmissæ v. g. theologicæ ut dictum est, in ratione illativi consequuntur ad se ipsas, ut absolutè sumptas, sive ut sunt objectum divinæ revelationis, vel ut sunt articuli fidei, unde prout illativæ pertinent ad lumen posterius scientificum, & absolutè sumptæ ad lumen superius principiorum, ergo satis est sic assignare illud, ut dicatur de linea consequentis, immò tenemur, quia recurrendo ad positivum extraneum, procedimus in infinitum, ut efficaciter probat D. Thom.; & superaddendo aliquid purè negativum, vel privativum, assignamus proprietatem oppositam suæ radici, vel naturæ, sive defectum ejus, quod repugnat, ut ostensum est &c.

Quod verò subditur in priori solutione non uniri illi idem privativum per modum accidentis communis, & consequenter debere uniri per modum accidentis proprii; dicimus iterum esse de subjecto non supponente, quòd teneatur uniri alteri ex his modis, sed solum ut terminus connotatus, vel quasi modus intrinsecus, aut completivus juxtà diversitatem modi explicandi; nam pura negatio est nihil, unde nequit habere rationem accidentis proprii, vel communis &c.

Secunda conclusio. Idem positivum, ut sic completum per negativum, aut privativum, seù per indivisionem est formale constitutivum adæquatum unitatis. Sumitur ex D. Thom. locis relatis, & deinde etiam q. 9. de potentia ar. 7. ubi versus finem corp. inquit; *unum verò, quod convertitur cum ente, non addit suprà ens, nisi negationem divisionis, non quòd significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam ejus cum ipsa, est enim unum, idem, quid ens indivisum*. Et in primo dist. 29. qu. 4. ar. 1. ad 2. ubi paulò post initium ait, *Cum unumquodque creatum per essentiam suam distinguatur ab aliis, ipsa essentia creati secundum quòd est indivisa in se, & distinguens ab aliis est unitas ejus*. In quibus adverto quòd, ut vidimus in logicis, cum duo importet concretum, alterum scil. materiale, & alterum formale, istud propriè exprimitur illo verbo, *significat*, unde datur intelligi, quòd formale significatum unius, non dicit præcisè positivū, nec negativū, sed utrūque modo exposito, scil. rationem entitatis, ut contractā, aut completam per indivisionem, sive cum carentia divisionis; sicut in simili dicimus nos Thomistæ infrà, quod vitalitas in actibus supernaturalibus sumpta concretivè in illis, non significat præcisè rationem motivi à se, nec rationem excedentis omnes vires naturæ, sed priorem rationem ut contractum ad hanc, vel per hanc posteriorem, qua ratione dicitur formaliter, & adæquatè supernaturalis, & excedens partiales quascunque vires intellectus creati &c.

Ex his ratione prob. Illud est formale, vel constitutivum alicujus concreti, quod significatur per illud, sed per hoc concretum unius non significatur præcisè positivum, nec præcisè negativum, sed illud, completum per istud, ergo prout sic est formale, vel constitutivum adæquatum illius, maj. patet ex dictis, & inductivè in omni concreto, min. verò præterquamquod traditur à D. Tho., prob., & primò quoad primam partem patet ex dictis; deinde passio entis, ut potè de linea transcendentium debet formaliter transcendi ab ente, at purè negativum nequit formaliter sic transcendi, cum nequeat ens formaliter transcendere id, de quo nequit verificari, quale est negativum, vel carentia, de quo nequit affirmari, quòd sit ens, aliàs negatio, vel carentia non esset, ergo. §. Secundò quoad secundam partem, quia in ente advertendo indivisionem, seù carentiam divisionis, quidquid relucet, est pura ratio entis, ergo in illo prout sic non habetur formaliter ratio unius, prob. cons., quia unum, ut patet ex sui conceptu definitivo, importat indivisionem, ergo præveniendo illam non habetur formaliter conceptus unius. §. Deinde quia ut vidimus ex D. Tho. loco relato de potentia, unum, quod convertitur cum ente, non addit suprà ens (sumendo scil. à toto genere entis, seù modo explicato) nisi carentiam divisionis, sed id, quod superaddit ad ens, debet formaliter ingredi definitionem ejus, cum superaddat id, quod est sibi maximè proprium, ergo ante indivisionem non habetur formaliter unum, & consequenter non importat istud puram rationem positivi.

Expl., & Urg. hoc. Ens ut prævenit ipsam indivisionem pro formali, sive ut præcisè sistit intrà lineam fundamenti ejus, adhuc non denominatur formaliter ab illa, ut patet ex terminis, & in simili dictum est in logicis de fundamento relationis v. g. similitudinis unius albi, quod præcisè ut album, seù sistens in præciso fundamento albedinis, sive unitatis, & convenientiæ in illa cum alio albo, adhuc non intelligitur formaliter simile, sed tantùm fundamentaliter, ergo ens prout sic, sive ut præcisè fundans, & non contractum, aut completum per illam nequit intelligi formaliter unum &c.

Urg. ulteriùs, (& est alia optima ratio pro concl.) Ratio entis sic præcisivè sumpta ab indivisione, seù sistens in pura linea entis non est sibi sufficiens ad formalem rationem unius, ergo indiget complemento illius, ut sit formaliter unum, cons. tenet, quia in eadem prioritate, aut præcisione, quidquid relucet in illo est de foro entis, ut supponitur, ergo si ratio entis prout sic non sufficit ad formalem rationem unius, indiget eadem indivisione tanquam aliquo sibi extraneo, & complente ut sit formaliter unum, cum non sit aliud assignabile per modum extranei, nisi indivisio, aut carentia, quæ est defectus entis, & extrà forum illius; ant. verò probatur, quia de ratione unius est formalis oppositio cum multitudine, ut patet ex ejus definitione, sed præcisa ratio entis

etiam

etiam ut fundans indivisionem non est sufficiens in eadem prioritate ad eandem oppositionem, ergo nec erit sufficiens ad rationem unius proa. mi., quia multitudo non habetur ex præcisa ratione divisibilitatis, sed per actualem divisionem, qua ratione in physicis, & suprà diximus implicare infinitũ in actu secundùm multitudinẽ in statu productionis, nõ verò in illo possibilitatis, vel producibilitatis intrà forum omnipotentiæ, vel continentiæ possibilium, quia non possibilitas, aut producibilitas, sed sola productio, utpotè communicans, vel distribuens unicuique rei suum esse in proprio ordine facit multitudinem, vel numerationem cum eodem infinito incompossibilem, cum infinitum in actu numerando pertransiri non possit, ergo stando in pura linea entis, seù fundamenti indivisionis sub quacunque formalitate consideretur ens, nondum potest haberi completa sufficientia ad formalem rationem unius &c.

Nec juvat, quòd inter unum, & multa non sit tantùm oppositio privativa, sed aliquomodo etiam contraria, ad quam utpotè inter extrema positiva sit sufficiens ratio entis. §. Non inquam juvat, quia licet inter illa sit aliqua contrarietas, nequit tamen haberi formalis multitudo non supposita actuali divisione, ergo nec potest haberi ratio unius non supposita oppositione privativa, ergo si ad hanc non sufficit ratio entis, utpotè tendens ad lineam non suam, sive non entis, vel carentiæ, nec erit sufficiens ad rationem unius formaliter, ant. patet ex dictis, & prima conf. prob., quia unum opponitur, aut habet pugnam cum multis ratione indivisionis, vel carentiæ divisionis, ergo nequit intelligi non intellecta indivisione, seù carentia, & consequenter sine oppositione privativa &c.

Ex his etiam infertur magis constitui unum per carentiam divisionis, quam multitudinis, quia hæc cum resultat, ut dictum est, ex divisione, carentia ejus est quid consequens,& nõ constituens, unde definitur unum, quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio, ubi ratio entis indivisi, vel cum indivisione, seù carentia divisionis est integra ratio, ut vidimus, constitutiva ejus; posteriori carentia, scil. multitudinis consecutivè se habente ad illud. §. Id totum subtiliter explicat D. Thom. hic ar. 2. ad 4., ubi ait. *Dicendum, quòd unum opponitur privativè multis, in quantùm in ratione multorum est, quòd sint divisa. Unde oportet, quòd divisio sit prius unitate non simpliciter, sed secundùm rationem nostræ aprehensionis. Aprehendimus enim simplicia per composita. Unde diffinimus punctum, cujus pars non est, vel principium lineæ; sed multitudo etiam secundùm rationem consequenter se habet ad unum; quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quòd utrique divisorum attribuimus unitatem, unde unum ponitur in diffinitione multitudinis, non autem multitudo in diffinitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis, ità quòd primò cadit in intellectu ens. Secundò, quòd hoc ens non est illud ens, & sic secundò aprehendimus divisionem, tertiò unum, quarto multitudinem.*

Idem etiam ferè ad litteram tradit opusc. 42. c. 2. circà medium dicens. *Et ideò manifestum est, quòd unitas non importat privationem multitudinis, quia cum privatio sit posterior illo, quod privatur; si unum privaret multitudinem, sequeretur, quòd esset posterius multitudine: & cum habitus sit de diffinitione privationis sequetur, quòd unitas diffiniretur per multitudinem, quod est falsum, quia tunc esset circulus in diffinitione. Nam multitudo diffinitur per unitatem. Multitudo enim est aggregatio unitatum. Et ideò unum, quod convertitur cum ente, non importat privationem divisionis entis, quæ est per quantitatem, quia ista divisio pertinet ad unum genus particulare entis, & non posset cadere in diffinitione unius, cum sit particularius, quam ipsum unum, quod diffinitur, sed dicit privationem formalis divisionis, quæ est per opposita, cujus radix prima est affirmatio, & negatio. Illa enim sic dividuntur, quòd unum non est aliud. Ex quibus sic concludit. In intellectu igitur primò cadit ens; secundò divisio; tertiò unum, quod divisionem privat, & consequenter multitudo, in cujus diffinitione cadit unitas; sicut & in ratione unius cadit divisio, & tamen divisa rationem multitudinis prædicto modo habere non possunt, nisi unicuique divisorum ratio unitatis applicetur.* Quod etiam repetit infrà q. 30 ar. 3. ad 3. ubi ait, *quod unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis, quæ est prior secundùm rationem, quam unum, vel multitudo &c.*

Ex quibus fit ulterius argumentum. Per illam carentiam debet constitui unum, cujus habitus, vel forma, cujus est carentia, vel privatio præcedit unitatem, ergo sola carentia divisionis, non multitudinis est detiotiva unius; maj. est certa, nam prædictum definitivum, cum sit ratio veluti à priori respectu definiti, debet secundùm ordinem intelligendi præcedere illud; mi. verò patet ex superiori doctrina D. Thom. nam multitudo est aggregatio unitatum, unde per unitatem definitur, sed pluralitas unitatum fit per divisionem, ut patet inductivè, ergo secundùm rectum ordinem intelligendi sola divisio præcedit unitatem, & multitudo, aut carentia ejus consecutivè se habet ad illam &c.

Dices negando suppositum mi., quòd divisio sit quædam forma positiva, nam explicatur à D. Tho. per hoc, quòd unum non sit aliud, quod magis est esse aliquid negativum, quam positivum, aut per modum habitus, per cujus carentiam debeat constitui unum, nam aliàs magis constitueretur per carentiam carentiæ, quod est veluti nugatorium, unde aptiùs recurrendum est ad negationem, vel carentiam multitudinis, quæ importat rationem positivi per modum formæ &c.

Sed contrà hoc est, nam licet divisio præsuppositivè importet aliquid negativum, non tamen formaliter, ergo adhuc formaliter potest esse quid positivum distinctum à negatione, & à multitudine, per cujus carentiam verè constituatur unum, prob. antec., quia non est idem hoc non esse aliud, & esse divisum; nam primum præcisè dicit esse quid distinctum, constat autem posse dari distinctionem in subjecto sine divisione, ut in Petro v. g. datur distinctio partium sine divisione earum, unde licet primum supponatur ad hoc posterius, ut explicatum est in logicis de distinctione partium substan-

tiæ,

tiæ, & relationis à fundamento, ita ut idem posterius arguat primum, non tamen è contra, quia primum importat præcisè negationem identitatis, & consequenter aliquid negativum, posterius verò extraneitatem, & quemdam veluti recessum, aut separationem unius ab alio, quod est quid positivum, ad quod sequitur multitudo consurgens ex pluralitate unitatum, nam post divisionem fiunt plura unum, ergo non est confundendum unum cum alio, nec divisionem constituere in aliquo negativo, sed magis in positivo antecedente multitudinem, & subsequente ad negationem distinctionis; unde non dicit D. Tho. divisionem consistere in hoc, quòd unum non sit aliud, sed quòd divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis, quia nempè, ut dictum est, nequit intelligi divisio non intellecto hoc, quod est unum non esse aliud, sive non intellecta negatione identitatis inter utrumque, quod non est constituere divisionem in aliquo negativo, sed magis in aliquo distincto, & consequenter in positivo.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arg. contra primam; si unum non distingueretur realiter, nec formaliter ab ente, idem constitueretur realiter, vel formaliter per se ipsum, nec posset unum esse passio realis illius, cons. est falsum, ergo, maj. quoad primam partem constat, quia si nihil superaddit per modum realitatis, aut formalitatis, jam ens esset unum realiter, vel formaliter per se ipsum; quoad verò secundam prob., quia passio realis debet realiter dimanare ab essentia, sed quòd sola ratione distinguitur ab illa, nequit ab eadem realiter dimanare, ergo &c.

Ad hoc dico in primis esse solvendum à contrariis, præcipuè Scotistis, qui solam ponunt distinctionem formalem, vel ex natura rei, nam si ita est, quòd quia unum est passio realis entis, nequit sola ratione distingui, ex eo quòd passio realis debet realiter dimanare, jam tenentur majorem distinctionem ponere, quàm solam formalem, si semel distinctio proportionanda est emanationi; unde vel tenentur asserere, quòd non est necessaria hæc proportio, vel dare distinctionem realem, & non tantùm formalem. Sicut ergo ipsi salvant illam cum minori, possumus & eandem salvare nos. Pro omnibus ergo nego ant. quoad utramque part.; ad prob. pro prima, dist.; esset unum per se ipsum absolutè, vel nudè sumptum, nego; connotativè, vel completivè, conc.; unde unum constituitur per ens non absolutè sumptum, sed ut connotans indivisionem, seu carentiam divisionis in se & divisionem à quolibet alio, aut completum per illam, ut dictum est; quod non est constitui idem per idem omninò idem, sed virtualiter distinctum, quod satis est ad relationem constituti, & constitutivi, sicut & subjecti, & passionis, præcipuè in hujusmodi transcendentibus, quæ contrapositivè ad genera prædicamentalia, vel univoca, licèt ex quo transcendentia sunt, crescant quoad extensionem ad res magis diversas, sive ad ens creatum, & increatum, decrescunt tamen quoad distinctionem inter se, alia transcendentia, aut mutuò se includentia non essent, ut infrà etiam 3. p. de modo unionis inter humanitatem, & Verbum advertimus in solutione ad 2.; qua ratione etiam in divinis salvamus hujusmodi conceptus ob eorum infinitatem sine distinctione reali cum sola virtuali, sicut salvant Scotistæ cum sola formali &c.

Ex his etiam ad aliam probat. pro 2. par., dist. maj.; passio realis debet realiter dimanare in foro prædicamentali, vel physico, transeat; in illo transcendentium, vel metaphysico, nego; unde ad rationem passionis realis ut sic abstrahendo ab utroque foro, vel etiam à creato, & increato satis est, quòd in se quid reale sit, quamvis sola ratione, aut virtualiter distinguatur ab essentia, ut manifestè patet in attributis divinis, quæ in nulla sententia modò inter Catholicos distinguuntur realiter ab illa, sed vel solùm formaliter, aut ex natura rei, ut volunt Scotistæ, aut sola ratione, vel virtualiter, ut Thomistæ, nam in hujusmodi transcendentibus, vel divinis, magis se habet essentia, aut radix per modum rationis formalis respectu suorum attributorum, quàm per modum causæ strictè, vel realiter influentis, sicut in foro physico, vel prædicamentali &c. Hac solutione, vel distinctione solvuntur alia similia inconvenientia, quæ solùm probant de ente secundùm se, vel absolutè sumpto, non ut connotante, aut fundante prædictam carentiam, aut completo, vel determinato per illam &c.

Sed instas. Quia ens non est sufficiens ad fundandam determinatè, aut causandam talem carentiam, ergo adhuc nequit unum constitui per ens ut fundans illam, prob. ant.; ens ex terminis dividitur in unum, & multa, ergo nequit se ipso intransitivè, vel immediatè fundare, aut causare carentiam divisionis magis quàm divisionem, & consequenter erit necessarium aliquod superadditum, saltem formaliter distinctum ad causandam determinatè illam &c.

Urg. hoc. Cùm dicimus, ens ut fundans est formaliter unum, vel sit sensus formalis, vel causalis; si primum, unitas non erit passio entis, sed magis pertinebit ad conceptum formalem, vel essentialem illius; si verò secundum, jam erit necessarium aliquod superadditum positivum, cùm nequeat ens immediatè, aut determinatè causare carentiam divisionis &c.

Huic instantiæ nego in primis suppositum ant., quòd ens positivo veluti influxu habeat fundare, aut causare prædictam carentiam, quia cùm hæc non sit de linea effectus, sed magis defectus, non petit causam per se influxivam respectu sui, sed præcisè fundamentum per viam connexionis, unde conjungitur eadem carentia, vel negatio cum ratione entis per puram connexionem, non per influxũ effectivum sui, quatenùs scil. est fundamẽtum in ente, quòd hoc ipso, quòd concipitur ut ens, petit concipi cum tali carentia, cùm divisio magis pertineat ad defectum entis, vel imperfectionem, quàm ad rationem entis, vel perfectionis.

Deinde nego ant. ad prob.; vel nego ant.; tum quia multa non sunt ens, sed entia, unde ens deter-

determinatè est unum; tum qoia cùm multitudo causetur ex divisione, magis consequitur ad defectum eotis, qualis est divisio, ut dictum est, quàm ad ens: vel dist. ant.; dividitur in unum, & multa, æquè immediatè, nego; mediatè, transeat, quia immediatè est uoum, & ex multiplicatione deiode unitatum per divisiooem consurgit multitudo, uode falsum est, quòd sit se ipso indifferens ad causandam carentiam divisionis, magis quàm divisionem; tum quia se ipso est de linea perfectionis, & consequeoter magis de linea unitatis, qoàm divisionis, quæ spectat ad imperfectiooem; tum quia divisio non cootingit, nisi supposita unitate, quam dividit, & multiplicat ad faciendam multitudioem.

Ad confirm. dico ut supra fieri seosum causalem, non strictè, & per viam iofluxus formalis, sed virtualis, seu per viam coouexionis, aut rationis formalis, unde oon tollitur, quin unitas sit passio ejus, aut quòd immediatè ooo sequatur ex illo, quia immediatè connectitur, & infertur ex illo, ut dictum est &c.

Sed iostas. Quia ad salvandam rationem passionis non sufficit conceptus subjecti sub reduplicatiooe alterius posterioris considerationis, aliàs cōceptos radicis iu essentia respectu suarū proprietatū haberet rationē passiois, & esset de lioea secundaria, oon prædicatum essentiale, quod est falsum, ergo ratio entis sub ratione fuodantis, vel coonotantis careotiam divisionis, non est sufficiens ratio constitutiva unius in ratione passionis ejus &c.

Resp. negando ant.; ad prob. anoexam, nego suppositum, quòd conceptus radicis, vel naturæ respectu proprietatum, vel operationum in essentia sit distinctus à coooceptu adæquato essentiæ, cùm nec per nostros conceptus possit concipi ratio naturæ, ut quid radicatum in essentia, aliàs in conceptu essentiæ deberet præintelligi conceptus naturæ, sive radicis alterius, & iterum in illo, utpotè intraote in conceptu essentiæ, alter conceptus radicis, quod esset procedere in iofinitum &c. Præterquamquòd conceptus radicis nil addit ad illum essentiæ, nisi puram essentiam, ut radicantem attributa, quod totum, ut patet, est de linea primi, vel essentiali, cæterùm unum non addit præcisè ens, aut aliquid spectans ad puram lineam primariam importantem ordinem ad esse, sed ad divisionem, quæ spectat ad secundariam, vel supponentem illud secundùm se, unde non constituitur per conceptum subjecti, sub reduplicatione, aut expressione prædicati, aut considerationis posterioris quomodocumque, sed adæquata, vel penès distinctam lineam, & purè inadæquata intrà eandem primariam, ot contingit in prædicato radicis attributorum respectò essentiæ &c., vel in illo intellectualitatis respectu immaterialitatis juxta modum probabilem, quòd ambo pertineant ad conceptum essentialem adæquatom naturæ intellectualis &c.

Secundò etiam principaliter arg. ad probandum, quòd uoom pro formali importat, aut consistat in negativo, sive in sola negatione divisionis ex D. Tho. supra qu. 6. ar. 1. ad 1., ubi inquit: *Unum non importat rationem perfectionis, sed indivisionis tantùm*. Et Quodlib. 10. qu. 1. art. 1. ad 3. ait: *Divisio autem est, quæ negatur per unum, quod convertitur cum ente &c. Hac autem est divisio per affirmationem, & negationem, & ideò hujus divisionis negatio constituit rationem unius. Est enim unum, quod non dividitur tali divisione, quod sit accipere hoc, & non hoc.* Et deinde in 1. dist. 8. qo. 1. ar. 1. ad 1. ait: *Quòd in ratione æternitatis est quadam negatio, in quantùm æternitas est unitas, & unitas est indivisio*. In qoibus videtur D. Tho. apertè docere, quòd couceptus formalis unitatis in puro negativo consistat, nam si ad illum esset necessarium aliquod positivum, exprimeret illud, aliàs videretur diminutè procedere omittens illud, quod essentiale est, vel formalter iogreditur constitutivum ejus, & magis diceret, quòd est eotitas indivisa, quàm ipsa indivisio, utens vocabulo purè negativo &c.

Ad hoc dico in primis primam authoritatem ita visam fuisse difficilem, ut Cajetanus ibidem in fine Commeot. §. *In responsione ad 1.*, dicat: *Adverte tu Thomista, quòd hic expressè habes, quòd unum non dicit rationem perfectionis, ac consequenter nec unitas, nec ejus species dicunt perfectionem simpliciter, formaliter loquendo, sed abstrahunt à perfectione, & imperfectione.* Unde plures referunt illum pro sententia affirmante illam consistere in sola carentia divisionis &c.

Sed quidquid sit de hoc; ex eodem D. Tho. ibidem resp., quòd dum post verba relata immediatè subdit: *Quæ* (scil. indivisio) *unicuique rei competit secundùm suam essentiam*: non potest in prioribus intelligi de integro conceptu *unius*, sed tantùm de inadæquato, nempè de eo, quod addit, quasi extraneum ad eos, quod est idem negativum, nam si ita est quòd conveniat uoicuique rei secondùm suam essentiam, cùm hæc nou consistat in aliquo purè negativo, sed quælibet importet suum positivum, non possumus D. Tho. interpretari, quod velit *unum* secundùm integrum sui conceptum importare puram indivisiouem, vel carentiam divisionis; unde nisi velimus sibi immediatè cootradicere, tenemur sic explicare de inadæquato; & integrè dicat entitatem indivisam, ut explicatum est &c.

Ad 2. patet potiùs stare pro nobis; nam si unom est, (ut ait ibi) quod convertitur com ente, jam nequit per D. Tho. iu solo negativo constitui, cùm negativum magis recedat ab ente, aut dicat defectum ejus, quàm convertatur cum illo, unde iterùm tenemur ex parte unius assignare aliquod positivum coovertibile cum eodem, & aliquid negativum, realiter negativè distinctum ab illo, scil. indivisionem, & sic integrè, & adæquatè habeatur ejus constitutivum, & distinctivum ab eote absolutè sumpto, & appareat ejus conceptus per modum passioois &c.

Ad 3. similiter dicimus, quòd propositio illa: *Unitas est indivisio*, non potest ex parte prædicati accipi pro integro coostitotivo, vel purè abstractivè pro sola iodivisione, aliàs posset etiam affirmari, quòd æternitas est pura indivisio, vel negatio, sicut affirmatur ab illo, quòd est unitas, quod tamen nullus concedit &c.

30. Arg. ad idem, & potest esse replica. Quidquid affirmatur de uno, salvatur in sola indivisiooe, ergo per istam constitoitur, vel io negativo consistit; prob. ant.: Hæc sunt, quæ affirman-

mantur de illo, scil., quòd addat ad ens, quod sit ejus participatio, & consequenter quòd non dicatur essentialiter, sed magis in secundo modo dicendi per se de ente, sed hæc salvatur in sola indivisione, ut patet, ergo. §. Urg. primò, quia si positivum entis ingreditur conceptum formalem unius, sicut verificatur de ente, quòd est subjectum passionum entis, deberet id pariter verificari de uno, nam quæ communicant in conceptu formali, vel definitivo, debent etiã communicare in propriis prędicatis. 2°. Idẽ est constitutivũ, & distinctivum, sed distinctivũ unius ab aliis, scil. verò bono &c. non est positivum entis, cùm verum, & bonum sint ens, ergo nec est constitutivũ etiam inadæquatũ. 3°. Unum constituitur unitate, sicut quodlibet concretum per suam formam, sed unitas in sola indivisione unitatis, & non in positivo entis consistit, cùm nulla passio significata in abstracto trahat secum in recto subjectum suum, ut patet in risibilitate, & in aliis hujusmodi inductivè &c.

Ad hoc nego ant.; ad prob. nego min. adæquatè loquendo; quia duo addit, ut vidimus, unum, alterum, ut extraneum, seu realiter negativè distinctum, & hoc soli indivisioni convenit, cùm sit aliquid negativum recedens à perfectione entis; at hæc ratio non sufficit ad plenè constituendam passionem entis, cùm debeat hæc esse de foro entis, & eo ipso, quod est aliquid negativum, & veluti extraneum, magis subtrahit se ab eodem foro, quàm pertineat, aut convertibiliter dicatur cum illo, ut tenentur hujusmodi passiones, utpotè de linea transcendentium, unde omninò desideratur aliud positivum ratione distinctum, nempè ratio entis, non absolutè, aut quasi nudè sumpta, sed ut vestita, aut determinata, vel completa, ut dictum est, per aliud negativum, unde possit salvari mutua affirmabilitas, aut convertibilitas. Per quod patet ad omnia, quæ assignantur, nullum enim eorum verificari potest de sola indivisione prout importat purum negativum, quod non solùm non est affirmabile essentialiter de ente, sed neque in secundo modo, nec se solo potest aliquid addere intrà forum entis, ut patet, aliàs purum negativum non esset, & aliàs tenetur addere saltem aliquid ratione distinctum, si velimus esse passionem ejus intrà idem forum, unde neque in abstracto, nec in concreto affirmari potest convertibiliter de illo.

Ad primam confirm. dist. claritatis gratia ant.; si ingrederetur idem positivum secundùm se, & absolutè sumptum, conc.; nam hoc modo ens est subjectum suarum passionum; si tantùm ingrediatur ut determinatum, vel completum per negativum, nego; non enim debet verificari de uno, quod verificatur de ente secundùm se, & absolutè sumpto, sed quòd tantùm verificatur de illo, ut sic determinato, & completo, & tunc non venit ut subjectum, sed trahitur utpotè contractum, ad lineam passionum, sicut animal semel contractum per alteram ex suis differentiis trahitur ad earum speciem, & differt à ratione animalis contracta per aliam, si velimus unam speciem adæquatè differre ab alia. Unde ad prob. annexam dicimus ita esse, quòd communicant, nempè prout ingrediuntur, & non in prædicatis, quæ conveniunt alteri eorum secundùm se, quale est esse subjectum passionum conveniens enti secundùm se, ut dictum est, unde non tenetur hoc convenire passioni, cujus conceptũ formalẽ ingreditur sub alia scil. ratione, determinati, & completi &c.

Ad 2. similiter dicimus, quòd distinctivum unius ab aliis non est positivum entis secundùm se, in hoc enim conveniunt omnes tanquam in sui subjecto convertibiliter dicto de illis, sed ut determinatum per indivisionem, unde sicut verum pro formali non dicit præcisè ens, sed cum connexione ad intellectum, & bonum cum connexione ad voluntatem, ita unum cum determinatione ad indivisionem; & ita dist. min.; non est positivum entis secundùm se, conc.; ut determinatum per indivisionem, nego &c.

Ad 3. vel nego min., vel dist. eodem modo, & non in positivo entis secundùm se, & absolutè, conc.; ut determinato per indivisionem, nego; ad probationem annexam, dist., & expl., nulla pariter extra lineam transcendentium, vel intrà forum univocum, transeat, vel conc.; intrà illam, vel forum analogum, nego, nam quidquid sit de passionibus, quæ non transcenduntur à suis subjectis, ut sunt risibilitas, & aliæ hujusmodi; quæ tamen transcenduntur ab illis, ut in casu, tenentur illud secum trahere ex merito suæ transcendentiæ, unde hæc est vera: veritas est entitas connexa cum intellectu, & bonitas cum voluntate; & ita pariter debet hæc esse vera: unitas est entitas cum indivisione, aliàs transcendentes non essent, ut patet ex terminis, si semel ejus limites egredi possent &c.

48. Arg. ad idem. Si in conceptu formali unitatis importatur etiam positivum, & non purum negativum, plus diceret quàm formalis conceptus pluralitatis, & multitudinis; conf. repugnat, ut patet ex terminis, & manifestat lumen naturale, ergo, prob. maj., quia pluralitas utpotè opposita privativè unitati, solùm importaret pro formali carentiam ejusdem positivi, ergo plus diceret unitas, quàm pluralitas &c.

Urg. hoc. Pluralitas pro formali, ut supponimus, importat quid reale positivum, ergo nequit ejus privativè oppositum, scil. unitas, dicere formaliter aliquid positivum; ant. constat, quia pluralitas, & multitudo important aggregationem, vel reduplicationem entitatum; sed hæc, ut patet, est quid reale positivum; conf. etiam tenet, quia in privativè oppositis juxtà legem oppositionis privativę, unum dicit carentiam alterius, ergo alterum eorum in negativo tantùm formaliter consistit. Eò vel maximè, quòd formale positivum, & formale negativum in unã essentiam transire non possunt, nam licèt duo positiva alterum per modum materiæ, & alterum per modum formæ constituant unam essentiam, non tamen si alterum sit positivum, alterum negativum; quia tunc comparantur tanquam duæ formæ, ex quibus una essentia resultare nequit, quia formæ tribuunt rei ultimam unitatem, unde si duæ formæ unam essentiam constituerent, consurgeret hæc ex duabus ultimis unitatibus, quod est implicatorium, aliàs esset una, ut supponitur, & non esset una, quia importaret duas formales unitates, aut differentias specificas, quarum quęlibet constituit per se unam essentiam &c.

Urg. ulteriùs. Quia pluralitas, & unitas comparantur ut extremum divisum, & indivisum, ergo

ergo alterum tantùm potest esse pro formali positivum, scil. pluralitas, & alterum negativum, sive unitas; prob. conf.; quia divisum, & indivisum contradictoriè opponuntur, ut patet, ergo de altero tantùm potest affirmari positivum, scil. de diviso, quod est pluralitas, & de altero negativum, quod est unitas &c.

Ad hoc claritatis gratia dist. maj.; plus diceret, constitutivè, transeat; diffusivè, vel extensivè, nego; nam pluralitas dicit multitudinem unitatum, quæ non invenitur in uno, quidquid deinde sit, quòd si velimus pluralitatem in puro negativo, aut carentia positivæ unitatis consistere, plura tunc concurrant ad constituendam unitatem, quàm pluralitatem, in quo nullum esset inconveniens, cùm aliàs pluralitas discretè, & extensivè longè superet unitatem; cæterùm in nostra sententia, in qua unum utrumque importat, positivum, & negativum, seu carentiam divisionis, pluralitas, vel multitudo illi opposita, utpotè aggregatio plurium unitatum, importare nequit purum negativum, sed magis plura positiva cum divisione, & sic unum multis non opponetur purè privativè, sed contrariè, ratione positivi, & privativè ratione negativi, nec in plus se habebit unum, quàm multitudo, etiam constitutivè, quia in multitudine habetur affirmatio ex parte positivi, & ex parte divisionis, & in uno habetur affirmatio ex parte positivi, & negatio ex parte carentiæ divisionis. Et per hęc etiā patet ad 1. confirm., quæ specialiter militat contra eos, qui unum adæquatè in positivo constituunt, non contra nos, qui utrumque in illo admittimus, & positivum, & negativum, per quod etiam privativè opponatur multitudini.

Ad id verò, quod contra hoc subditur, non posse nempè hæc duo in unam essentiam transire, resp. ita esse si utrumque importetur in recto, vel ex æquo, ut convincitur exemplis, vel probationibus adductis; secùs verò si alterum in recto, vel per modum formæ, alterum verò in obliquo, vel per modum complementi, ut dictum est; & patet in aliis similibus; nam objectùm v. g. Fidei est res divina non visa, non quòd ratio non visi, quæ est per modum negativi, veniat quasi in recto, aut ex æquo cum re divina, sed ut modus quidam intrinsecus, unde non est inconveniens, quòd aliquod negativum ingrediatur limites essentiæ entis positivi tanquam modus, vel complementum, sicut contendunt aliqui è converso, quòd aliquid positivum ingrediatur limites essentiæ extremi negativi, saltem ut modus, in opinione asserentium actum voluntatis pertinere ad essentiam omissionis, quidquid sit de veritate istius ob alia motiva adducta in materia de vitiis, & peccatis ad q.71. p. 2.

Ad 2. confirm., quæ potest iterùm esse replica, dist. ant., sumpta unitate secundùm conceptum sui adæquatum, nego, inadæquatum, conc.; nam unum non definitur præcisè per rationem indivisi, sed quòd sit ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio, unde nego deinde conf.; ad ejus probat., transeat ant., & nego suppositum conf., quòd unum præcisè dicat rationem indivisi &c.

Sed instas. Quamvis in uno dicatur importari utrumque, tamen hoc nomen *unum*, non exprimit negationem, ergo non potest hæc in conceptu ejus venire constitutivè; prob. conf., quia quando in conceptu formali alicujus definiti importatur positivum, & negativum, si istud, proprium illius nomen nō exprimit, vel non est impositum ad significandam negationem, vel privationem, tunc hæc dicitur tantùm se habere consecutivè, & non constitutivè, ut patet pluribus exemplis; nam quia v. g. hoc nomen, *personalitas*, non est impositum ad significandam negationem communicabilitatis alteri supposito, licèt eam importet, scil. cum perseitate independentiæ ab alio, ut sustentante, non eam importat constitutivè, sed tantùm consecutivè. Quia verò ex opposito hoc nomen, cæcus, vel tenebrosus est impositū ad significandam negationem, vel privationem visus, aut lucis, adæquatè in privativo consistit, ergo adæquatè unum in positivo consistet, estò importet negationem, vel carentiam divisionis: Eò vel maximè, quòd si semel ingreditur hæc ejus constitutivum etiam per modum complementi, ut nos dicimus, vitare non possumus, quòd verè pertineat ad lineam passionis entis, aliàs neque unum pertineret ad illam, si semel secundùm adæquatum sui constitutivum non pertineret, & consequenter neque ens adæquatè transcenderet illam, quod non admittitur à nobis &c.

Resp. dist. ant.; non exprimit, adæquatè eam explicitè omittendo, nego; præcisè in recto, transeat, vel conc.; nam eo ipso, quòd definitivè dicit ens indivisum, non omittit eam etiam expressivè, & consequenter nequit se habere purè consecutivè ad ejus constitutivum. Per quod patet ad exemplum de personalitate, nam persona in primario sui conceptu importat prædictam perseitatem naturæ rationalis, ad quod dicitur deinde consecutivè se habere negatio communicabilis alteri, ut supposito; sicut de substantia dicimus in logicis, quòd adæquatè constituitur per rationem entis per se, licèt ad hoc sequatur similis negatio essendi in alio, ut in subjecto; cæterùm unum, ut tradit D. Tho. qu. 9. de Potent. ar. 7. utrumque ex conceptu sui definitivo importat, unde nequit respectu illius consequenter se habere negatio. Tria ergo nomina distinguenda sunt, ut rectè concludit M. Ferre hic ad 6., scil. indivisum, divisum, & unum; primum per se significat negationem; secundum dicit adæquatè positivum; tertium verò positivum cum negativo &c.

Ad id verò, quod subditur, scil. negativū debere esse passionem entis, resp. negando sequelam loquendo de illo seorsìm, aut per se sumpto, vel in recto, quo pacto etiam in superioribus subtractum est ab eadem linea, cùm reverà non intret prout sic constitutionem unius, sed tantùm in obliquo conjunctivè cum eote, & sic ens cum negatione divisionis est passio entis, non negatio, & eo modo etiam, quo intrat, transcenditur ab ente, id est, non secundùm se, & seorsìm; sic enim magis recedit, aut subtrahitur, & accedit ad alterum extremum contradictorium, sed in obliquo, ut dictum est, unde ratione sui præcisè non habet meritum intrandi transcendentia entis, & licèt ens dicatur transcendere rem, & modum ejus, hoc tamen intelligendum est de modo positivo, sive ut constituente in recto, ut sunt modi quantitatis, qualitatis, & cæteri prædicamentales, non de negativo, aut constituente in obliquo, & extraneo ad ens, ut sunt hujusmodi negationes, quæ tantùm dicuntur complere constitutivum, unde nec tenetur de istis prædicari &c.

Ex dictis inferimus; quòd cùm dicimus unum esse ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio; hoc posterius non spectat per se ad unitatem, nam inte-

gra ratio uoius est, ut dictum est, quòd sit ens indivisum, seu completum per carentiam divisioois in se, unde per ly *divisum* ab alio exprimitur alia ejus formalitas, scil. quòd sit aliquid, ut subtiliter docet D. Tho. qu. 1. de Verit. ar. 1. in corp., ubi ait: *Negatio, quæ est consequens omne ens absolutè, est indivisio, & hanc exprimit hoc nomen* uoum; *nihil enim aliud est unum, quàm ens indivisum. Si autem accipiatur ens secundùm ordinem unius ad aliud, hoc potest esse dupliciter, uno modo secundùm divisionem unius ad aliud, & hoc exprimit hoc nomen* aliquid, *quasi aliud quid, unde sicut ens dicitur unum, in quantùm est indivisum in se, ita dicitur aliquid, in quantùm est ab aliis divisum*; unde magis pertinet ad cooceptum alterius passionis, scil. *aliquid*, quàm *unius*; cujus & rationem insinuat; qoia nempè unum convenit enti absolutè, & in ordioe ad se, uode est passio absoluta, esse verò divisum ab alio, convenit illi ex comparatione ad alia, & ex modo, quo se habet ad illa.

Sed dices. Si esse divisum non spectat ad cooceptum cooftitutivum unius, cur communiter ponitur in definitione ejus, nisi velimus hanc contioere aliquid superfluum. §. Resp. ex dictis in logicis, quòd una definitio quandoque traditur non solùm per id, quod est constitutivum, sed etiam per aliud, quod est magis explicativum juxta modum illum explicandi definitionem tertii prædicabilis, nempè quod prædicatur de pluribus, & differentibus specie in quale quid, ita ut ly, *& differentibus specie*, accipiatur explicativè, & non tanquam pars intrinseca differentiæ ut sic, aliàs quælibet etiam athoma deberet prædicari de illis, quod est falsum; sic dicimus in casu, quòd ly esse divisum à quolibet alio, respectu passionis, quæ est unum, est particola magis explicativa, licèt respectu alterius sibi valdè intimæ, & connexæ sit constitutiva, unde utraque eadem definitiooe comprehendatur, sicut in priori diffinitione differeotiæ comprehenditur etiam subalterna, & sit eadem particula, *differentibus specie*, constitutiva illius sine ulla superfluitate &c.

QUÆSTIO SECUNDA.
De Unitate Dei.

Duo simul comprehendimus, de quibus D. Tho. ar. 3. & 4., an scil. Deus non solùm sit unus, sed etiam maximè unus, per quod à fortiori manebit impugoata vanitas, immò extrema cæcitas Gentiliom, præcipuè Romaoorum usque adeò multiplicaotium Deos, & Deas, ut asserat August. lib. 4. de Civit. Dei c. 8., quòd eorum nomina, & officia vix grandibus volumioibus comprehendi potuerint. Et planè quid stultius in mentem homioum unquã cadere potuit, quàm quòd ad eorum arbitria Divioitas aut concederetur, aut negaretur; unde Tertullianus in Apologet. c. 5. Romanos alloquens inquit: *Apud vos de humano arbitratu Divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit.* Hæc tamen deliramenta Evangelio corrufcante, longè ante Isa. c. 2. prędixerat esse dissipanda: *Elevabitur solus in illa die, & Idola penitùs conterentur.*

Non defuerunt etiam ex Hæreticis, qui duos finxerunt, alterum malum, sive factorem visibilium, alterum bonum, seu Creatorem invisibilium, ut Manichæi, Cesdomani, & Gnostici, contra quos omnes efficaciter procedit S. Tho. in præseoti, ut statim constabit &c.

§. PRIMUS.
Statuitur Conclusio.

Deus non solùm est unus, sed etiam maximè unus. Primam partem pluribus rationibus convincit 1. cont. Gent. c. 42., quas hìc ar. 3. ad tres reducit. Prima est, Deus est essentialiter singularis, ergo unus; conf. tenet, quia de ratione singularitatis est esse immultiplicabilem, & incommunicabilem pluribus numero diversis, unde si homo peteret essentialiter differentiam Platoois, sicut petit rationalitatem, non posset multiplicari numero, sicut non potest multiplicari specie; manifestum est enim, ait S. Tho., quòd illud unde aliquod singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim unde sortes est homo, multis communicari potest, sed id, unde est hic homo, non potest communicari, nisi uni taotùm; si ergo sortes per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures sortes, ita nõ possent esse plures homines; ant. autè prob., quia Deus est essentialiter sua existẽtia, ita ut hæc sit de cooceptu quidditativo, saltem physico, divioæ naturæ; ergo est essentialiter singularis; ant. est certum, cùm sit Deus ens per essentiam, & ipsum esse subsistens, vel actus purus in ipsa plenitudine essendi, conseq. verò probatur, quia existentia suppoñit siogularitatem, & cæteros alios gradus, nulla enim res potest esse existens, nisi sit singularis; ut enim docet Aristot., substantiæ secundæ non existunt nisi in primis, sive in singularibus, ergo si divioa natura est tantæ perfectionis, ut ex vi suæ naturæ per identitatem perveniat ad existentiam includeodo eam in suo conceptu quidditativo, à fortiori identificabit, & includet in illo singularitatem, quod est esse omninò incommunicabilem &c.

Hinc etiam sumitur secunda ratio: Deus est summè infinitè perfectus, & illimitatus in omni linea, ergo est unus in plures immultiplicabilis; antec. est certum ex dictis, nam si aliud perfectius possemus imaginari, illud esset Deus, & hic, quem colimus, utpotè minus perfectus, & cosequenter inferior, Deus non esset, cùm Deus nec perfectiorem, nec superiorem admittere possit, cùm sit id, quo majus excogitare non possumus; conf. verò prob., quia quod est summè, & infioitè perfectum in omni linea, noo potest admittere æquale; nam si semel admitteret, differre non possent, cùm quæ sunt omnimodæ ejusdem perfectionis, differre nequeant, ut patet ex terminis, ergo si semel daretur alius Deus, deberet iste esse, vel perfectior, & tunc alter deficeret à conceptu Divinitatis; vel imperfectior; & tunc deficeret iste posterior ab illo; ergo uno semel admisso summè infinitè perfecto, non est alius possibilis &c.

Tertia sumitur ab unitate, vel ordine rerum in mundo, quia ad hunc ordinem pervenire non possent, nisi ad illum ab aliquo uno primo, & consequenter perfectissimo reducerentur. Unde sic discurrit: Omnia quæ suot, ita ioveniuntur ordinata, ut quædam quibusdam deserviaot, at non possent tam diversa in unum ordinem convenire, nisi ab aliquo uno ordinarentur, ergo supremus omnium sic ordinans

nans, debet esse unus; maj. patet experientia inductivè una alteri creaturæ deserviente, mi. verò prob., quia unum est tantùm causa per se unius, multa autem non nisi per accidens sunt causa, in quantùm scil. sunt aliquomodo unum, ergo ad tam mirabilem rerum ordinem non potest esse reductio, nisi ab aliquo uno supremo ordinante, & extrà omnium ordinatorum seriem existente cuncta reducerentur. Hac etiam ratione utitur infrà qu. 103. ar. 3. ad probandum, quòd debeat Mundus gubernari ab uno. Videatur ibid., & M. Porrecta, ubi obiter, sed egregiè unitatis Monarchiæ Ecclesiæ excellentiam, & indefectibilitatem ostendit ex eo, quòd purè humana non sit, sed magis ordinis divini.

Hinc etiam inferimus, quam immeritò constantem adhærendi voluntatem alicui Sacro Doctori præsertim ab Ecclesia consecrato, ut inter cæteros sunt Augustinus, & D. Thom., recentior quidam pecuinum obsequium appellaverit. Etenim quis nescit nihil ad doctrinæ sanæ incorruptam firmitatem conferre magis, quam si unus ex his Magister eligatur, à quo ne latum quidem unguem recedere liceat: nè cum August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 2. vehementer metuendum sit, ne studio altercandi, novaque invehendi quisque non videat, quod à paucis videri potest. His temporibus, ut cum Tertuliano lib. de anima cap. 2. loquar; latè queruntur incerta, latiùs disputantur præsumpta; (ut experimento constat in tot damnatis propositionibus), & quantò est probandi difficultas, tanta est operositas suadendi.

Et quidem si in naturalibus scientiis suum unaquæque Principem agnoscit, à quo discedere nefas sit: si Perhipathetici Aristotelem, Academici Platonem, Rhetores Latini Tullium, Græci Demosthenem, Astrologi, & Mathematici Ptolomæum, & Euclidem, Medici Hipocratem, & Gallenum Duces sequuntur, & Magistros venerantur, quidni in fac. Theologia, ubi de rebus gravissimis agitur, Doctoribus illis adhærebimus, quos sibi in controversiis Duces, & normas ipsi Pontifices, ipsa sacra Concilia præstituerunt? Sanè si teste Tertulliano pluralitas Numinum est nullitas Numinum, ità quoque necesse est multitudinem in doctrina Principum, aut Ducum id efficere, ut nullus sit Dux, Princeps nullus; ubi autem Princeps non est, ubi nullus regit Dux, contingat confusio, contingat disturbatio necesse est.

Unitatem ergo sectemur, qua sine sicut Deitas, ità veritas nulla consistit, cum & onme quod est, ut Boetius dixit, tamdiù maneat, quamdiù est unum, tuncque intereat, cum dissolutum unum esse desierit, unde D. Thom. infrà qu. 103. relata ar. 3. in corp. ex eodem Boetio inquit. *Quòd sicut omnia desiderant bonum, ità desiderant unitatem, sine qua esse non possunt, nam unumquodque in tantùm est, in quantùm unum est; unde videmus, quòd res repugnant suæ divisioni, quantùm possunt, & quòd dissolutio uniuscujusque rei provenit ex defectu illius rei*. Ex quo etiam recessu ab unitate alibi egregiè sic infert in cap. 4. D. Dionys. de divinis nominibus. *Manifestum est, quòd circa unum non contingit, nisi uno modo verum dicere, sed multipliciter à veritate errare contingit, & ideò illi, qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia, sed illi, qui ignorant, dividuntur per diversos errores*. Felix ergo necessitas, quæ te ad meliora compellit, dum tutis nos Augustini, & Aquinatis dogmatibus astringit. Non est turpe nobis Doctoribus illis supponi, eisque submittere falces, quos Deus, & Mater Ecclesia super omnes extolit. Non confundamur eorum esse discipuli, quos agnoscit Ecclesia Magistros. Sed hæc iterum obitet dicta sint &c.

Secunda pars prob. à D. Tho.: quia ad esse maximè unum duo requiruntur, ut patet ex definitione unius, nempè esse maximè ens, & maximè indivisum, sed utrumque Deo competit, cum sit ens per essentiam, sive ipsum esse subsistens omnibus modis indeterminatum, & summè plenum in ipsa plenitudine essendi, & sit omninò indivisibilis tam actu, quam potentia secundùm quemcunque modum divisionis, ut ostendit supra qu. 3. ar. 7., ergo est maximè unus &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Primò arg. contrà prim. rationem D. Thom. pro 1. parte conclus. supponendo illam fuisse desumptam ex Arist. 12. metaph. c. 8. tex. 49., & præcipuè fundari in eo, quòd cum Deus sit actus purus carens omnimoda materia, non habet unde possit multiplicari numero, sed sicut summè identificat suam existentiam, pariter identificet singularitatem, unde ibid. Philos. hac via procedit ad probandam unitatem numericam unius primi principii. Quæcunque numero sunt multa, materiam habent, una enim, & eadem ratio multorum, Socrates verò unus, ipsum verò quid erat esse primum, non habet materiam, cum actus sit; unum ergo tum ratione, tum numero. Hoc supposito sic arg. Hæc ratio desupta ex pura actualitate, seu omnimoda carentia materiæ videtur evidenter destruere Trinitatem numericam Dei, ergo est insufficiens ad probandam unitatem. numericam illius, prob. ant.: juxtà illam ea, quæ carent materia, tantùm possunt esse unum numero, ergo si semel ex carentia materiæ in Deo arguitur unitas numerica, ità ex illa inferenda est, ut pereat pluralitas, vel Trinitas numerica quoad personas.

Resp. 1°, quòd quantùm attinet ad Aristotelem non spectabat ad ipsum respicere ad pluralitatem numeri personarum sola revelatione divina cognitam, sed satis illi erat inferre unitatem numericam Dei contrà inanissimam illius multiplicitatem ab aliis positam, Immò hinc apparet efficacia ejusdem principii, (scil. quòd unitas numerica à materia sumatur); quòd ex vi illius purum lumen naturale ad hauc naturæ divinæ unitatem numericam pervenerit, statuendo unum numero Deum, cujus tamen unitati numericæ nec etiam opponitur pluralitas numerica personarum, ut statim dicemus &c.

2° Ergo resp., nego antec. ad proband. dist., & explico ant. pro subjecta materia. Tantum possunt esse unum numero, quoad naturam, & personas, nego; quo ad naturam, conc., nam pluralitas personarum in Deo, cum non multiplicet numero naturam, penes quam maximè attenditur unitas numerica Dei principaliter intenta à D. Thom., non debilitat pro hac parte efficaciam rationis ejus; quòd verò adhuc subsistere possit eadem pluralitas numerica personarum non obstante præfata carentia materiæ, & salva unitate numerica naturæ, aliundè provenit in supremo illius Mysterio, nempè quia personæ in tantum dicuntur differre solo numero, quia sunt personæ ejusdem numero naturæ, vel

vel Deitatis; cæterum inter se cum gaudeant oppositione relativa, quæ non attenditur penes præcisam materiam, suo modo etiam dicuntur differre penes formam, itàut inter se non gaudeant pura distinctione numerali, cum alia sit Paternitas, alia Filiatio, alia Spiratio, (plus enim inter se differunt, quam duæ Paternitates, duæ Filiationes, duæ Spirationes), & ideò Trinitas illa numerica optimè componitur cum unitate numerica Dei, & cum carentia materiæ in illo. Quod elegenter expressit D. Bernar. lib. 5. de considerat. cap. 8. ubi ait. *Non abducimur ab hac unitatis professione, assertione trium, cum in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec pluralitatem in unitate. Quamobrem cum dico unum, non me turbat Trinitatis numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursum cum dico tria non me arguit intuitus unitatis, quia illa quæcunque tria, seu illa tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit.*

2º Arg. contrà 2. conclusionem, & opponitur idem mysterium Trinitatis. Non potest esse ibi maxima unitas, ubi non est maximus, vel summus recessus à pluralitate, sed in Deo uno præcisè in natura, & trino in personis, ut colitur à nobis, non salvatur iste summus recessus, ergo nec maxima unitas., maj. patet ex terminis, quia ubi non est maximus recessus ab illa, potest esse major unitas; min. verò probatur, si esset unus tam in natura, quam in persona, ut falsò imaginantur Judæi, & Turcæ, esset major recessus, ut constat, cum excluderet utramque pluralitatem ergo &c.

Ad hoc ex proximè dictis dist., & explico maj., à pluralitate purè relativa, ut in casu, nego, absoluta, vel divisiva conc., & dist. mi., non salvabitur iste summus recessus à pluralitate etiam relativa, conc., divisiva, nego, quia purè relativa non dividit, nec multiplicat Deitatem, ut dictum est, sed tantùm ex summa ejus fœcunditate, & bonitate habet una numero communicari, vel repetiri in pluribus sine ulla sui divisione, aut partitione, cum nullã habeat oppositionem cum personis, & careat omni materia, & limitatione, quæ sunt radices totius divisionis, & multiplicationis: unde de pluralitas ista relativa nihil diminuit de unitate, sed magis facit eam crescere suprà illã, quam ponunt Judæi, & Turcæ, ut subtiliter ponderat M. Ferre, quia nempè facit eam magis resistere divisioni, dum conjuncta plutalitati adhuc se ipsam conservat indivisam, illæsa omninò remanens, cum tamen Deus apud Judæos, & Turcas si conjungeretur eidem pluralitati, itàut esset unus in natura, & trinus in personis, divideretur, unde fortior est, & major unitas Dei nostra Catholica, quam inanis illa, & fictitia Judæorum, & Turcarum &c.

Poterat etiam huic argumento responderi, ut infrà de Trinitate ad simile, quo contenditur inter absolutum, & relativum non esse admittendam distinctionem rationis ratiocinatæ, sed tantum ratiocinantis ex eo, quòd debet esse in Deo summa simplicitas, qua major excogitari non possit, major autem esset per exclusionem prioris distinctionis; unde sicut ibi dicemus, quòd est aliquomodo major abstractivè, non tamen concretivè, quia componi non potest, sicut ibi cum summa eminentia ex parte objecti, neque hic cum summa fœcunditate, & bonitate divina ad intrà, de quo latè ibid.; quamvis ut dictum est, in eo, quòd magis resistit divisioni, etiam abstractivè possit dici major, eò vel maximè, quòd etiam concretivè eadem pluralitas non dividat, nec multiplicet Deitatem, sed tantùm faciat, quòd Deus non solũ sit unus in absoluto, sed etiã plures, vel Trinus relatione. Ex quo non infertur, quod sit minus unus, tum ob rationem datam: tum sicut ex hoc, quòd est justus, & misericors, non sequitur, quòd sit minus justus, quam esset, si solum justus esset, & non misericors, ut inquit idem Magister meus &c.

3º Arg. ad idem. Esse maximè unum, idem est, ut vidimus ex D. Thom., quòd nec actu dividi, nec posse dividi, seu esse omninò indivisibile tam actu, quam potentia, sed hoc non convenit soli Deo, sed etiam puncto indivisibili continui, qua ratione probamus in physicis, non posse istud componi ex solis indivisibilibus, quia nempè ista faciunt plus, non extensum, vel quantum, seu divisibile, quale est continuum, ergo non erit Deus maximè unus saltè respectivà ad punctũ &c.

Ad hoc dist. mi., sed etiam puncto ex sui maxima imperfectione, conc., aliter nego min., & conf., nam sicut in simili dicimus in logicis, quòd licet ens rationis abstrahat ab omni materia negativè, non tamen convenit cum summa actualitate Dei sic similiter abstrahentis ab omni, quia nempè illud abstrahit ob sui maximam imperfectionem, qua utpotè ens fictum, & diminutum nec pervenire potest ad entitatem, vel perfectionem materiæ primæ, ità licet idem punctum nec actu, nec potentia dividi possit, non tamen convaniet cum summa unitate Dei, quia id illi convenit ob sui maximam imperfectionem, quia est minimæ entitatis, unde rectè D. Thom. ad probandsm summam unitatem, ut propriã Dei ad duo recurrit, quia nẽpè est maximè ens, & maximè indivisum, quòd nulli creaturę competere potest &c.

Sed instas. Quia hæc solutio videtur destruere se ipsam, nam juxtà D. Thom., ut dicit solutio; ad maximam Dei unitatem, utrumque copulativè requiritur, & quòd sit maximè ens, & maximè indivisus, ergo eo ipso, quòd probatur Deum non esse maximè indivisum, saltem respectivè ad punctum, jam probatur non esse maximè unum &c.

Ob hanc instantiam M. Ferre resp. distinguendo eandem min., sed etiam puncto, à toto genere entis, nego, intrà præcisum genus quantitatis, conc., nam licet istud ob sui minimam entitatem, ut dictum est, nullam admittat divisionem, admittit tamen intrà illud entis, cum saltem componatur juxtà meritum creaturæ, ex esse, & essentia, Deus autem, utpotè actus purus, & summè infinitè perfectus eam admittere non potest, unde inquit; sicut si intrà genus quãtitatis daretur linea infinita, non liceret arguere, quòd Deus non esset magis infinitus, quia linea esset solum infinita in determinato genere, & Deus in ipsa plenitudine essendi, ità ex hoc, quòd in linea quantitatis punctum sit omninò indivisum, non licet inferre, quòd Deus non sit magis indivisus, quia punctum à toto genera entis habet divisionem, quam nullo modo habet Deus &c.

Sed licet hæc etiam solutio subtilis, & prout de more optima sit; sustinendo nihilominus priorem, utpotè sumptam ex eadem ratione D. Tho. resp. ad replicam nego suppositum consequentis, quòd probetur etiam comparativè ad punctum non esse maximè indivisum, nam licet utraque indivisio, si solitariè accipiatur, non videatur una alteram excedere, utpotà utràque prout sic, veluti in indivisibili consistente per exclusionem cujuscunque divisibilitatis; si tamen sumatur concre-

concretivè prout una oritur ex maxima Dei antitate, & perfectione, & altera ex entitate minima, & maxima imperfectione, non potest illa non excedere istam, ut patet in eodem exemplo entis rationis, cujus abstractio à materia, licet sit ab omni negativè, quia tamen oritur ex sui maxima imperfectione, longè inferior est illa Dei orta ex summa sui actualitate. Et potsrat etiam exemplificari in veritate, quæ licet etiam in indivisibili consistat, & prout sic solitariè accepta, vel abstractivè non videatur posse admittere excessum respectu alterius; prout tamen una oritur ex ente actualiori, & firmiori, potest ex hac parte excedere aliam, ut explicatum est in libris posteriorum &c.

TRACTATUS TERTIUS

De Visione Dei.

Visis quæ pertinent ad Deum prout in se ipso est, descendimus ad considerandum modum, quo prout in se ipso est, cognosci potest, & quia ad hoc quatuor concurrunt, scil. capacitas ex parte potentiæ, & lumen, quo elevatur; deinde species ex parte objecti, & ipsum objectum specificans, in quatuor disputationes dividemus præsentem Tractatum, de quo D. Thom. in 4. dist. 49., q. 8. de Veritate, 3. cont. Gent. c. 54., & p. 2. qu. 5., & tandem hic qu. 12. in 13. articulos distributa.

DISPUTATIO PRIMA

De Possibilitate Intellectus creati ad videndum Deum.

Quatuor principaliter inquirimus; primum est, an intellectus creatus sit capax, ut elevetur ad videndum Deum, idque sit naturaliter demonstrabile, explicatis ibid. rationibus D. Thom. Secundom verò, an Deus clarè visus continestur intrà objectum specificativum illius. Tertium de appetito innato. Quartum de elicito.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum intellectus creatus possit elevari ad videndum Deum per essentiam.

Difficultas non tam est circa id, quod exprimit titulus, quam circa mentem SS. PP., & rationes D. Thom., nam circa primum supposito errore, qui tribuitur Armenis, & aliis recentioribus Græcis, ac deinde Abailardo, Arnaldo Brixiensi, & tandem Almarico, & pluribus Albigensibus Galliæ, nempè non posse intellectum creatum, nec humanum, nec Angelicum Deum intuitivè, & prout in se ipso videre, sed solum quendam illius fulgorem, Vasquez hic disp. 37. c. 2. 3., & 4., & disp. 52 c. 4. indebitè prætendit, ac valdè immeritò, ut constabit infrà; plures ex PP., præcipuè Chrysostomum quasi hunc errorem docuisse. Sunt autem hi PP., nec pauciores, nec minoris authoritatis, quam Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, uterque Cyrillus, Epiphanius, Nissenus, Isidorus, Theophilatus, Euthimius, & Teodoretus; de quibus tamen nullo modo est dubitandum, cum facilè explicari possint, ut dicemus; quòd vel loquantur de visione Dei in hac vita, vel ex viribus naturæ creatæ, quæ nullatenus videre potest Deum sine beneficio supernaturali, vel quòd loquantur de cognitione cõprehensiva, quæ omninò neganda est creaturæ. & licet de Teodoreto aliqui existiment vix posse admittere explicationem, rectè nihilominus salvant illum M. Joan. à S. Thom. hic disp. 12. ar. 1. ad 2. §. *Duo ergo dicemus*, & Illustriss. Godoy disput. 6. §. 1. n. 20.

Pro tituli verò intelligentia adverto intellectum creatum communiter sumi pro quolibet, scil., sive humano, sive angelico, an possit absolutè, non determinando an viribus naturæ, an verò solùm ut elevatus supernaturali lumine; de hoc enim agit D. Tho. ar. 4 & 5. Videre autem per essentiam idem est, quòd cognoscere clarè, & quiditativè divinam essentiam per se ipsam terminantem cognitionem; nam cognoscere Deum per effectus tanquam in medio priùs cognito, non est videre divinam essentiam, aut videre Deum per essentiam; unde sensus est, an aliquo modo sit possibile intellectum aliquem creatum humanum, vel angelicum cognoscere Deum cognitione terminata immediatè ad divinam essentiam, ut in se est &c.

Pro quo tamen, nè fiat æquivocatio, iterùm adverto, quòd Deum cognosci, aut videri per essentiam, sive cognitione immediatè terminata ad divinam essentiam dupliciter intelligi potest, scil. immediatione excludente medium creatum, ut Quod, vel in Quo, vel per quod priùs cognitum, ut dictum est, Deus videatur, vel etiam excludente medium creatum Quo, scil. spe-

speciem impressam, & expressam creatam; modò autem non disputamus de immediatione hoc secundo modo, nam prout sic non est certum de Fide, immò negant plures extra Scholam D. Tho., contendentes speciem creatam in visione beata, ut dicetur infra ad ar. 2., sed priori modo, ut communiter fatentur Theologi contra prædictos errores.

Nec refert, quòd D. Tho. eodem art. 2. in corp. versùs finem dicat, quòd videri Deum per similitudinem creatam non est videri divinam essentiam, nam intelligendum est, quòd id sentiat tantùm probabiliter dicere, aliàs teneremur asserere, quòd contrarii admittentes eandem speciem, aliquid admitterent contra Fidem, cùm de Fide sit divinam essentiam videri à Beatis, de quo tamen infra.

His præmissis supponit D. Thom. rationem dobitandi, non sumi ex defectu cognoscibilitatis in objecto, quia cùm Deus sit actus purus infinitæ perfectionis, quantùm est ex se, est maximè cognoscibilis, sed sumi ex parte virtutis cognoscitivæ creatæ, quia contingit id, quod est maximè cognoscibile non esse cognoscibile ab aliqua virtute cognoscitiva ob excessum objecti supra ipsam, ut patet in Sole comparatione vespertilionis &c.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

De fide est intellectum creatum, sive angelicum, sive humanum posse videre Deum per essentiam, sive prout est in se ipso, ita ut in se sit proximum, & immediatum objectum visionis modo explicato. Sumitur ex illo Jo. 3.: *Cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Videre autem objectum sicuti est, est ipsum videre intuitivè. Deinde ex illo 1. ad Corinth. 13.: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et licèt facialis visio in Scriptura non semper sumatur pro immediata, & intuitiva, benè tamen in præsenti; tum quia ita communiter explicant hunc locum SS. PP.; tum quia Apostolos loquitur de faciali contrapositivè ad enigmaticam, quæ habetur ex creaturis. §. 30. Ex illo Matth. 5.: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Propter quod pertinere conclusionem ad Fidem docet Augustinus Epist. 112. c. 4. 40. Denique ex illo ibidem 18.: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Ubi iterùm *faciem* intelligunt PP. substantiam Dei, & meritò, quia de Angelis, utpotè incorporeis, non potest verificari de facie aliqua corporea, sub qua in similitudine hominis appareat Deus, nisi velimus videre Deum visione sensibili, vel imaginaria, quod est alienum respectu creaturæ purè spiritualis, vel intellectualis &c. Ex his,

Ratione prob. primò. De fide est tam homines, quàm Angelos clarè, & intuitivè de facto videre Deum ut in se est, ergo de fide possibile est, ut sic videatur Deus; conf. tenet, quia in argumento ab actuali existentia ad possibilitatem rei, consequens includitur intrinsecè in antecedente; ant. verò præterquamquòd constat ex locis relatis, definitum est in Conc. Flor. sess. ult. in literis sanctæ unionis, ubi sic habetur: *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum, & unum sicuti est.* Et in quadam extravag. Benedicti XI., seu XII., (ut alii volunt) quæ incipit: *Benedictus Deus in Sanctis suis.* Et refertur in Directorio Inquisitorum par. 2. in extravag. diversorum Pontificum, & à Castro lib. 3. de Hæresibus, verbo *Beatitudo &c.*

Deinde prob. duplici ratione D. Tho., quarum prima est. Ultima hominis beatitudo consistit in altissima ejus operatione, quæ est intelligere, ergo possibile est intellectum hominis videre Dei essentiam; prob. conf., quia aliàs vel homo nunquam posset consequi suum ultimum finem, vel ejus beatitudo non consisteret in Deo, quod est contra Fidem, & cótra rationem, quia unumquodque est perfectum in quantùm attingit suum principium essendi, ergo ultima perfectio creaturæ rationalis consistit in Deo, qui est ejus principium &c.

Hæc ratio videtur primò pati difficultatē in eo, quòd licèt Adversarii concedant ultimam hominis beatitudinem in altissima ejus operatione consistere, quæ est intelligere, non tamen quæ sit immediata visio Dei, sed alicujus lucis ab illo immediatè derivatæ, & in visione hujus consistere nostram ultimam beatitudinem, unde licèt Deum non videant, quia tamen modo possibili conjunguntur cum illo, adhuc salvatur consequi suam beatitudinem, scil. consistentem in ultima sui operatione, sive conjunctione cum Deo; ex quo concedent ant., & negabunt conf., & ad utramque probat. negabunt iterùm ant. &c.

2°. Est etiam difficultas; quia non videbatur tempore D. Tho. posse assignari determinatum locum, vel authoritatem probandi, quòd ultima hominis beatitudo consistat in conjungi immediatè cum Deo, seu per immediatam visionem illius, cùm hoc postmodùm sit à Benedicto, ut dictum est, & posteà à Conc. Florentino definitum &c.

His tamen non obstantibus adhuc optimè subsistit eadem ratio, & utrumque præoccupat D. Tho., si attentè consideretur; primum quidem, nam de fide est, quòd hominis beatitudo consistat in perfectè conjungi cum Deo, ut statim ex eodem etiam constabit, quod adhuc ratione ostendit, quia nempè, ut dictū est, unumquodq; est perfectū inquantùm perfectè conjungitor proprio principio essendi, ergo de fide erit, quòd videat Deum immediatè in se ipso, & non in luce, aut fulgore circa illum; prob. conf., quia videre illum in alio non est perfectè conjungi cum illo, sed magis cum alio, quia est alia perfectior conjunctio, scil. cum eodem in se ipso; unde nec est conjungi per perfectissimam sui operationem, nam licèt sit conjunctio per intelligere, non tamen per perfectissimum intelligere; rectè autem, & acutè ait consistere beatitudinem hominis in altissima ejus operatione, & non præcisè in intelligere, licèt altissima illa operatio sit operatio intellectus; ut detur intelligi, quòd non est quodcumque intelligere, sed altissimum, scil. intuitivum Dei in se, quia, ut statim subdit: *Si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus,* sive intelligere non quodcumque, sed altissimum, *vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet, quàm in Deo, quod est alienum à Fide.* De quo etiam Cajet. hic *§. Circa prob. conf. &c.*

Quòd verò sit de fide sic cum Deo conjungi, per quod impugnatur secundum, sumit in argumento, sed contra ex illo 1. Joan. 3.: *Videbimus eum sicuti est.* Nam certum est, quòd intellectus conjungitur cum objecto per sui operationem, ergo si fide est, quòd videbimus eum sicuti est, de fide erit, quòd si semel beatitudo consistit in conjungi cum Deo, quòd per-

perfectè, & immediatè conjungatur cum illo, & non cum alio à Deo, nam sic conjungi, aut videre illum in alio, non est videre illum sicuti est, & consequenter contra Fidem erit dicere, quòd beatitudo consistat in videre solam lucem circa Deum,& non Deum in se ipso. Quod alibi etiam de Verit. qu.8. art.1. in corp. expressit dicens: *Illud autem, quod est supremum in qualibet creatura rationali est intellectus; unde oportet, quòd beatitudo cujuslibet creaturæ rationalis in nobilissima visione intellectus consistat.* Ecce iterùm prædictum intelligere perfectissimum, scil. visivum Dei in se, ut statim etiam paulò post declarat: *Si ergo creatura rationalis in sua perfectissima visione non perveniet ad videndum divinam essentiam, beatitudo ejus non erit ipse Deus, sed aliquid sub Deo, quod esse non potest, quia ultima perfectio cujuslibet rei est, quando pertingit ad suum principium.*

Nec refert, quòd post D. Thn. dicatur id à Pontifice, & à Concilio definitum, nam Pontifex definiendo non condit novam fidem, seu non constituit rem de fide per novam revelationem, sed ob hæreses insurgentes declarat antiquam; unde optimè adhuc potuit D. Tho. procedere ex revelatis. Præterquam quòd non tam definitur ibi substantia visionis possibilis,seu possibilitatis ejus,quàm circũstantia temporis videndi, quod nempè animæ defunctorum statim ac recipiuntur in Cælum, immediatè vident Deum sine mora ad diem judicii contra aliquos, qui falsò existimabant expectandum esse ad diem illum, ut constat ex verbis Concilii: *Definimus*, inquit, ut refert M. Porrecta hic in Append., *illorum animas, qui post Baptismum susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum sicuti est.*

Aliter etiam explicat, & salvat D. Tho. M. Ferre ex Cajet., dicens, quòd tempore D. Tho. non fuit immediatè de fide præfata veritas sic, quòd peccaret immediatè contra Fidem, qui oppositum diceret, nihilominùs inferebatur ex Fide, ex hoc scil. principio, quòd semper fuit immediatè de fide, nempè, quòd Deus creaturas rationales condidit; nam subsumendo deinde hoc aliud, scil., quòd ultima perfectio cujuslibet rei est, quòd pertingat ad suum principium, rectissimè inferebatur, quòd ultima perfectio creaturæ rationalis consisteret in eo, quòd hæc per sui perfectissimam operationem immediatè conjungeretur cum Deo, quod ferè est idem, ac dicere, tunc non pertinuisse directè ad Fidem, sed tantùm indirectè juxta doctrinam ejusdem Angelici infra qu. 32.ar. 4. in corp., ubi ait: *Dicendum, quòd ad Fidem pertinet aliquid dupliciter, uno modo directè, sicut ea, quæ nobis sunt principaliter divinitùs tradita, ut Deum esse trinum, & unum; Filium Dei esse incarnatum, & hujusmodi; & circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim, maximè si pertinacia adjũgatur. Indirectè verò ad Fidẽ pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrariũ Fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanæ. Ex hoc enim sequeretur Scripturam divinam esse falsam. Circa hujusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis falsum potest opinari antequàm consideretur, vel determinatum sit, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium Fidei, & maximè si non pertinaciter adhæreat,sed postquàm manifestũ est, & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium Fidei, in hoc errare non esset absque hæresi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ priùs non reputabantur propter hoc, quod nunc est magis manifestum, quid ex eis sequatur.* Hæc D. Tho., quæ valde notanda sunt ad plures difficultates circa determinationem, vel definitionem Ecclesiæ in materia Fidei dissolvendas.

Ex his ergo patet, quomodò aliter salvari possit, & doctrina D.Th., quòd tunc etiam fuerit de Fide; & superior etiã M.Ferre, quòd nõ fuerit immediatè,seu directè, sed tantùm mediatè, vel indirectè, quia id solùm sęculo sequenti 1300.à Benedicto XI.vel XII., & deinde à Concilio Florentio 1400. determinatum fuit; unde antecedenter, seu tempore D. Tho. erat de Fide, quia ex negatione ejus, scil. quòd creatura rationalis non posset immediatè videre Deum ut in se est, inferebatur falsitas præcedentis immediatè de Fide, nempè quòd Deus immediatè omnes creaturas rationales condidit, cùm certissimum sit posse illas cõsequi suam ultimã perfectionem, vel beatitudinem & quòd ultima ejus perfectio, vel beatitudo consistat in perfectissima conjunctione, seu per perfectissimam sui operationem cum sui principio, ut explicat qu. relata de Verit.; unde rectissimè inferebatur ex una de fide, & altera naturali.

Secunda ratio D. Tho., in qua videtur, major difficultas procedit sic. Cognitis effectibus inest homini naturale desiderium cognoscendi causam in se, seu videndi illam, ergo cognitis creaturis naturaliter desiderat cognoscere Deum Creatorem, ut causam earum, ergo possibile est sic cognoscere, & videre illum, quia aliàs naturale desiderium esset frustrà, & versaretur circa impossibile. Qua etiam ratione utitur 3. contra Gent. cap. 50., & 51. Et pro utriusque intelligentia adverto, quòd licèt D. Tho. in illis in particulari loquatur de intellectu hominis, non tamen diminutè concludit eandem possibilitatem; tum quia, ut rectè advertit hìc M. Catalam in expositione articuli, ad veritatem conclusionis sufficit ut de ipso vera esse ostendatur. Tum quia si de ipso vera est, à minori ad majus vera erit de angelico intellectu.

§. III.

Expenditur secunda ratio D. Thomæ, & an prima etiam sit demonstratio.

EXaminando hanc secundam rationem, adhuc dicetur, vel constabit circa efficaciam primæ. Difficultas ergo prima est, an utraque sit demonstratio; 2ò. de quibus effectibus loquatur D. Tho.; unde Vasquez 1. 2. disp. 20. existimans ratione naturali demonstrari posse intellectum creatum videre posse Deum, ut in se est, consequenter docet hanc secundam rationem esse demonstrationem procedentem ex principiis naturalibus. Cajetanus verò hìc asserit utramque esse demonstrationem theologicam, & primam supponere hanc propositionem: *Deus est Creator omnis creaturæ rationalis*; quæ, inquit, sola fide est certa. Secunda verò ait, non procedere de homine absolutè considerato, sed ut ordinato ad visionẽ Dei, ut ad finem supernaturalem per media eidem fini proportionata, & ideò in ea non inferri desiderium naturale videndi Deum, ut in se est ex cogni-

gnitione quorumcumque effectuum, sed ex cognitione gratiæ, & gloriæ, quorum Deus est causa, non præcisè ut nniversale agens, sed ut in se est absolutè.

Sed in primis quod opinatur Vasquez posse id demonstrare ratione naturali, est contra communem consensum Theologorum hìc, & p. 2. qu: 5. art. 1.; nec oppositnm, ut putat, docet Scotus in 4. dist.49., qo.8.; nam licèt ibi Scotus aliquibus argumentis probet posse Deum, ut in se est, videri ab intellectu creato, tamen non docet esse demonstrationes. Quod autem addit Vasquez, scil. demonstrationes, quæ id id probant, etsi verè naturales sint, non posse tamen intellectum eas assequi, nisi sit lumine Fidei instructus, qnia absurdnm videtur absolutè concedere, ratione naturali posse evidenter cognosci possibilitatem visionis Dei; non ei suffragatur, quia per hanc limitationem non evadit absurdum, quam præsefert ejus opinio, nempè quòd aliquod supernaturale contineri debeat in aliqoo naturali, ut in principio, & causa, quod tamen est necessarium, si velimus esse demonstrationam; nam hoc absurdum, sive solo naturali lumina cognoscantur hujusmodi demonstrationes, sive non, infertur ex eadem opinione, ut statim constabit. Præterquamquòd demonstrationem ex naturalibus principiis procedeotem non posse naturali lumine cognosci ab intellectu saltem angelico, est omninò à ratione alienum, cùm sit totius antis naturalis comprehensivus.

Duplici ergo ratione, ni fallor, evidenti impugnatur primò sic. Quia nec à priori, nec à posteriori id potest demonstrari, ergo nullo modo. Non à priori, quia nulla datur causa, aut principium naturale, in cujus virtute contineatur visio clara Dei, ut effectus; nam ut traditur infra art.4., & 5., supernaturalis est, excedens cujuslibet intellectus creati naturalem facultatem, & naturaliter non est possibilis, nec de lege saltem ordinaria sine lumine gloriæ, ut definitur in Concilio Viennensi, ergo nec datur principium naturale, per quod à priori, ut effectus per causam probetur. Deinde nec à posteriori, quia visio clara Dei, utpotè supernaturalis, nullum habet effectum intrà ordinem naturæ, ex quo possit evidenter inferri ejus possibilitas, vel existentia, ergo &c.

2ò. Quia non potest naturaliter cognosci evidenter divinam essentiam ut in se est, habere proportionem in ratione objecti cum intellectu creato in ratione potentiæ, ergo nec evidenter probari posse iotellectum creatum intueri illam, nt in se est; conf. tenet, quia nequit sic videri nisi intellectus talem proportionem habeat cum illa, ergo nec evidenter cognosci, quòd possit sic videri, non cognito evidenter quòd habeat prædictam proportionem; ant. autem prob.; nequit evidenter cognosci proportio inter duo extrema, ntroque evideoter non cognito secundùm illam rationem, in qua fit comparatio cum ipsa, nt patet ex terminis, ergo nec evidenter cognosci proportio intellectus cum divioa essentia, ut in se est, hac ut in se est evidenter non cognita. Est autem certissimum in bona Theologia divinam essentiam ut in se est nō posse evidenter lumine naturali cognosci.

Ex quibus inferimus, quòd ratione theologica (in qua utraque, vel saltem altera præmissa est certa de fide) demonstrari potest possibilitas visionis Dei, nt in se est, & probabiliter probari solo lumine naturali excitato per Fidem ad excogitandas rationes naturales. Primum patet, quia prima ratio, qua ostendimus conclusionem §. præcedenti, est demonstratio theologica; prima etiam ratio articuli, ut jam insinuavimus, & ex dicendis etiam constare poterit, vim demonstrationis theologicæ habet. Secundum etiam, quia intellectus viatoris cognita per Fidem futura visione Dei in Beatis excitatur ad rationes naturales indagandas, ut declaret non repugnantiam illius, sive ex parte intellectus creati, sive ex parte divinæ essentiæ, sicut cognito per Fidem mysterio Incarnationis excitatur ad excogitandas rationes naturales, quibus probabiliter ostendit illam non repugnare, sive ex parte extremi creati, sive ex illa increati, aut suppositi divini, ut latè ostendimus 3.p. qu. 1. ar. 1. &c.

His præmissis dicimus primò primam rationem D. Tho. esse demonstrationem theologicam. Ita Cajet., Bannez hìc dub. 1. ad 5., M. Ferre ubi supra, M.Catalam concl.1.& 3.in ordina,& cōmuniter Thomistæ, licèt difficultas sit, quam propositionem, ot Fide ceitam supponat D. Tho.; nam quod ait Cajetanns præsupponere ex Fide Deum esse Creatorem rationalis creaturæ, incertum est, inquit M. Catalam; quia etsi sola Fide possit haberi, Deum in principio temporis creasse illam, tamen quòd absolutè Deus sit Creator, & prima causa creaturæ rationalis naturali ratione cognosci potest; ut autem discursus D. Tho. sit efficax, satis est, quòd cognoscat Deum esse causam, aut Creatorem rationalis creaturæ, sive ab æterno, sive in principio temporis, sive producendo ex nihilo, siva ex aliquo subjecto; quia quomodolibet admittatur esse primam causam efficientem illius, infertur io conjunctione cum Deo consistere ultimam homiois beatitodinem adjuncta illa propositione: Unumquodque est perfectum inquantum attingit suum principium; nnde sola supposita eadem propositione sic absolutè sumpta non videtur salvari discursus D. Tho. in vi demonstrationis theologicæ; quare M. Bannez existimat D.Tho. in illa ratione supponere, ut Fide certnm posse hominem consequi suam baatitudinem. Alii docent supponere beatitudinem consistere formaliter, vel saltem antecedenter in sua perfectissima conjunctione per operationem cum Deo.

M. autem Catalam hanc utramque opinionem, vel modum dicendi admittit, & meritò, nam utraque, ut rectè advertit, habet fundamentum in D. Tho.; quia verba illa hìc in corp.: *quod est alienum à Fide*, referri possunt ibidem tam ad hæc præcedentia: *vel nunquam beatitudinem obtinebit*, scil. homo, quàm ad hæc immediatè sequentia: *vel in alio ejus beatitudo consistet, quàm in Deo*. Nam utraque per continuatam sententiam immediatè præmiserat, neque inconveniens est si dicatur otrumque ut Fide certom præsupponere, cùm ntrumque Fide certum sit. §. Potest autem ad formam syllogisticam sic cum eodem reduci. Possibile est creaturam rationalem consequi ultimam beatitudinem, sed hæc vel formaliter, vel saltem antecedenter consistit in altissima operatione intellectus, qua attingit Deom nt in se est, ergo possibile est videre Deom. Utraque præmissa ast de Fide, & min. etiam consona rationi naturali ex illo principio; Unnmquodque intantùm est perfectum &c. Ex quo præcipnè, licèt non demonstrativè, ratione tamen probabili satis efficaci probat D. Tho.

Dicimns 2ò, quòd secunda ratio articnli secnndùm se considerata non restringendo ad modum, & intentom, in quo à D. Tho. proponitur, explicari potest ad

ad mentem Cajetani, quem sequitur à S. Tho. hìc disp. 12. ar. 3. §. *Dico ultimò*, & tuoc est demonstratio theologica. Ita etiam M. Catalam, & quoad 1. p. patet, quia nihil est, quod cogat prout sic ad eam intelligendam de homine præcisè secundùm naturalia sine ordine per Fidem ad supernaturalem finem, aut de cognitione effectuum ordinis naturæ tantùm.

Secunda pars prob. reducendo eam ad formam demonstrationis sic. Ex cognitione effectuum cujuslibet causæ consurgit naturale desiderium videndi illam secundùm eam rationem, qua apparet in illis, vel secundùm quam est causa eorum, sed in creatura rationali est cognitio per Fidem effectuum Dei, ut in se est, & non tantùm ut est prima causa, ergo ex hac cognitione resultat naturale desiderium videndi Deum ut in se est, ergo cùm hoc desiderium non possit esse frustra, evidenter, vel demonstrativè concluditur possibilitas visionis Dei ut in se est. Sic explicata ratione rectè, & consequenter docet Cajetanus hoc desiderium, esto sit de objecto, & fine supernaturali posse esse efficax, & naturale, vel connaturale homini, non secundùm se, sed ut elevato per Fidem, & supernaturalem revelationem ad cognitionem supernaturalis finis.

Dicimus 3°, quòd eadem secunda ratio, ut traditur à D. Tho., intelligenda est de desiderio naturali videndi Deum consurgente ex cognitione, quæ per effectus naturales habetur de Deo quoad an est, Ita Ferrara 3. cont. Gent. c. 51., M. Catalam conclus. 3. in ordine, M. Ferre §. 3. n. 676., & jam communiter alii Thomistæ, & videtur satis colligi ex litera. Nam integra ratio articuli est hæc: *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum, & ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ.* §. In qua primò ponderandum est, quòd in antec., ut patet, nulla fit mentio supernaturalis effectus, sed de desiderio consurgente ex cognitione naturalium effectuum, ex qua homines incipiunt admirari, & philosophari: nec in consequente fit aliqua mentio de desiderio videndi Deum, ut est Author supernaturalis gratiæ, & gloriæ, sed tantùm de desiderio videndi illum ut primam causam, ergo de desiderio naturali intelligenda est.

2°. Quia expressè in antec. loquitur de effectibus, qui intuentur à nobis pro hoc statu, ut patet illis verbis, cùm intuetur effectum, sed isti pro hoc statu non sunt supernaturales ut tales, aliàs haberemus scientiam evidentem de Deo authore supernaturali, sicut habemus evidentem de illo, ut authore naturali, quia intuemur effectus naturales, & consequenter modò in via haberemus scientiam evidentem, & fidem de eodem ut authore supernaturali, quod juxta doctrinam D. Tho. admitti nequit, ergo non loquitur de desiderio, vel appetitu in nobis consurgente ex cognitione effectuum supernaturalium. Ex quo infertur, quòd dum videmus miracula, & prophetias, & alia hujusmodi, non videmus supernaturalia formaliter ut talia, sed tantùm materialiter experimur, quæ supernaturalia sunt, aliàs, ut dictum est, haberemus evidentiam de supernaturalibus formaliter ut talibus; unde nec appetitus consurgens in nobis potest esse ex visione effectuū supernaturalium, & consequenter nec entitativè supernaturalis, & solùm naturalis, quia est conformis naturæ rationali, ut vult Jo. à S. Tho.; sed magis erit entitativè talis &c.

3°. Quia, ut fatetur Cajet. in eodem sensu loquitur D. Tho. hìc de desiderio naturali videndi Deum hìc, & in 3. cont. Gent., sed ibi loquitur de naturali consurgente ex cognitione effectuum naturaliū, sive quæ habetur per effectus naturales de Deo, ergo etiam hìc, prob. min., quia c. 50. expressè docet hoc desiderium naturale in Angelo consurgere ex cognitione propriæ substantiæ, & ex cognitione, qua cognoscunt Deum esse causam rerum, quarum substantias vident, utraque autem hujusmodi cognitio procul dubio est naturalis in Angelo. Ex quo infert, quòd ex hac cognitione, quam habent substantiæ separatæ de Deo, non potest naturale earum desiderium quiescere, quia nempè cùm Deum naturaliter in propria substantia, vel in substantiis aliarum rerum non videant, quiescere nequeunt, sed ulteriùs anxiæ sunt, ut perfectiùs videant, cujus rationem assignat in principio, quia *omne imperfectum in aliqua specie desiderat consequi perfectionem illius speciei, qui enim habet opinionem de aliqua re, qua imperfecta illius rei est notitia, ex hoc ipso incitatur ad desiderandum illius rei scientiam.* Sed notitia, quam habent substantiæ separatæ, prout sic de Deo, est imperfecta, ergo est in illis naturale desiderium excitans ad perfectam Dei cognitionem. In qua ratione D. Tho. ex hoc quòd Angeli per suam substantiam imperfectè Deum cognoscunt, infert, quòd naturaliter desiderent perfectam Dei cognitionem, in quibus nihil prorsùs supernaturalitatis præhabetur, quod possit assumi ut medium, vel motivum ad fundandum supernaturale desiderium videndi Deum, ut rectè etiam advertit M. Ferre n. 678.

4°. Quia ex eodem ibidem, & c. 57. hoc desiderium naturaliter habet quilibet intellectus, unde hìc vocat *desiderium naturæ*, quia nempè est conveniens ex conceptu naturæ, sive quia rationales sunt, qua ratione etiam peccatum originale dicitur peccatum naturæ, quia cùm individuis conveniat ratione naturæ, convenit omnibus habentibus talem naturam, ergo non loquitur de desiderio præsupponente fidem, & supernaturalem cognitionem gratiæ, & gloriæ; quia hanc non habent omnes, nec desiderium habitum per fidem, vel ex lumine ejus est desiderium naturæ, sed solùm habentium fidem, per quam solam prædicta cognoscuntur.

Dicimus 4°. Non esse intentum D. Tho. per prædictam rationem naturalem demonstrare possibilitatem visionis Dei, neque eandem esse demonstrabilem ex tali desiderio naturali videndi illum. Primam partem docent M. Bannez hìc dub. 1. ad ultim., Ledesma de Divina Perfect. q. 8. ar. 3. ad 5., M. Catalam concl. 4. in ordine, & jam cōmuniter alii Thomistæ asserentes intentū D. Tho. tantùm esse persuadere probabiliter consonū esse naturæ rationali ultimam beatitudinem hominis esse possibilem, & confidere in visione Dei, quod ut Fide certum præmiserat in prima ratione; sæpè enim D. Tho. utitur congruentiis, & probabilibus rationibus ad explicandum mysteria Fidei non repugnare rationi naturali, ut monet vel ipse D. Tho. q. infra 32. ar. 1. ad 2., ubi docet, quòd ea, quæ naturaliter adducuntur ad probandum ea, quæ sunt Fidei, non probant sufficienter radicem, & propositionem Fidei, sed tantùm ostendunt illa supposita, quòd congruant, & non repugnent, unde 3. p. q. 1. ar. 1. ex bonitate Dei, & quòd bonum est diffusivum sui, (quòd constat lumine naturali) infert idem mysterium non repugnare

gnare divinæ naturæ. Et in 4. cont. Gent. c. 79. probat resurrectionem mortuorum esse possibilem, & non repugnare naturis rerum, quia anima naturaliter inclinatur ad corpus.

2a para, ut probetur cont. Vasquez, suppono cum eodem, & communi sententia, D. Tho. non loqui de desiderio naturali, quod Philosophi vocant innatum, neque est operatio alicujus potentiæ appetitivæ, sed quidam veloti impetus naturæ, seu quædam propensio, vel inclinatio consequens essentiam, & formam naturalem rei realiter indistinctam ab illa, ut est appetitus materiæ ad formam, & corporis gravis ad centrum, sed de desiderio naturali, quod dicimus appetitum elicitum, & est operatio vitalis potentiæ appetitivæ consequens formam apprehensam, seu cognitionem; nam loquitur expressè de eo, quod sequitur ex cognitione intuitiva effectuum primæ causæ. Tum quia in natura rationali dari nequit appetitus innatus ad visionem Dei, ut est in se, nepotè excedentem totam facultatem naturæ, ut etiam constabit infra, & probat M. Bannez dub. 2., & Thomistæ communiter 1. 2. q. 5. ar. 8.

In quo autem sensu tale desiderium videndi Deum dicatur naturale à D. Tho., & an sit efficax, non conveniunt DD., sed verior modus explicandi quoad primum, & quem sequitur M. Catalam, videtur esse, quia necessariò non quoad exercitium, sed quoad specificationem consequitur naturalem cognitionē, quę habetur de Deo quoad an est per naturales effectus, Ita Ferrara 3. cont. Gent. c. 51. §. *Propter quod*, & sumitur ex D. Tho. 1. 2. q. 10. ar. 1., ubi docet naturaliter desiderari quæ desiderantur necessariò, & ratio est, quia id fit necessariò, quod fit cum determinatione ad unum, qui est modus operandi naturæ oppositus modo operandi voluntatis, quæ est libera, ergo desiderium necessarium quoad specificationem rectè dicitur naturale, ut distinguitur contra liberum, nam prout sic non procedit à voluntate ut libera, sed ut natura est. Tum quia ex eo dicitur necessarium quoad specificationem, quia quod est videre Deum secundùm se, nulla potest apparere ratio mali excitans ad fugam, nisi contingat aliqua deceptio, vel error, unde licèt voluntas possit suspendere actum, vel non elicere circa visionem Dei secundùm se consideratam, si tamen eliciat, talis necessariò est prosequutio, non fuga, id est volitio, desiderium, vel amor, non nolitio, aut odium, sed de hoc iterùm infra.

Dixi secundùm se consideratam, quia licèt intrinsecè nil mali includat, ob difficultatem tamen in assequendo illam, potest ratione hujus adjuncti respui à voluntate, sed hoc est per accidens, nec tam est respuere visionem, quàm laborem assecutionis.

Quoad 2. verò quòd sit efficax, affirmat M. Ferre, & probat ex c. 51. ubi supra cont. Gent., ubi ait D. Tho., cùm impossibile sit naturale desiderium videndi Deum esse inane &c., quæ verè D. Tho. nō diceret, inquit ipse, si sentiret tale desiderium esse inefficax, quia hoc non est impossibile, quòd reddatur inane, cùm videamus desiderium, quo damnati desiderant non esse, prorsùs inane reddi; ex quo probatur tale desiderium esse inefficax; unde in forma arguit sic: Illud desiderium est efficax, cui est impossibilis inanitas, seu frustratio, igitur tale desiderium est efficax; cons. est bona, & præmissas probat, maj. quidem. Etenim desiderium inefficax potest esse de re impossibili, quod patet in desiderio damnatorum, quo vellent non esse, quod quidem inefficax est, & de re impossibili secluso miraculo; igitur desiderium, cui impossibilis est inanitas, seu frustratio erit efficax; min. sic probat ex D. Tho. ubi supra asserente esse impossibile, quòd naturale desiderium videndi Deum sit inane, & frustrà, ergo tale desiderium est inconjungibile cum sui frustratione.

Nihilominùs negat M. Catalam dicens desiderium videndi Deum consequens naturalem cognitionem non posse esse efficax, sed inefficax, implicitè, vel expressè includens conditionem, si sit possibile; & probat ex eo, quia intellectus naturali lumine non potest esse certus de possibilitate visionis Dei in se, etiam ut est Author naturæ, & prima causa, quia etiam quòd sic videatur est supra totam facultatem naturæ, ut dicitur infra art. 4.; & ita etiam tenet M. Bannez hic dub. 2. &c.

Crediderim tamen posse utramque sententiam conciliari dicendo, quòd si consideretur præcisè secundùm se, & ut consequitur ad naturalem cognitionem visivam effectuum, vel attento præcisè merito ipsius cognitionis est efficax; secùs verò si attendatur ex parte elicientis, vel purum meritum illius. Hoc posterius convincit ratio M. Catalam. Primum verò, quia ad intentum D. Tho. requiritur, & sufficit quòd sit tale, vel efficax, aut infrustrabile quantùm est ex se. Nam D. Tho. in principio ejusdem cap. sic habet: *Cùm autem impossibile sit naturale desiderium esse inane: quod quidem esset, si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam, quod naturaliter omnes mentes desiderant.* In quibus, ut patet, intentum ejus est ex tali desiderio inferre non repugnantiam, vel possibilitatem perveniendi ad visionem Dei. Hæc autem illatio non impeditur si solùm sit inefficacia ex parte elicientis ob defectum luminis naturalis de se insufficientis ad penetrandam talem possibilitatem, & consequenter ad certificandum de illa, nisi superiori lumine Fidei elevetur; unde satis est, quòd sit efficax quantùm est ex se, efficacia scil. orta ex visione effectuum, cui licèt non correspōdeat visio causæ in se etiam ut Authoris naturæ, & ptimæ causæ ob excessum, correspondet tamen possibilitas ejusdem visionis juxta priorem doctrinam D. Tho. cap. 50., quia nempè cognitioni imperfectæ in aliqua specie correspondet possibilitas perfectæ in illa, licèt non correspondeat semper certitudo hujus possibilitatis ex parte cognoscentis, si perfecta excedat penès ordinem, lumen natorale ejus; unde ex defectu certitudinis potest esse defectus efficaciæ in sui desiderio, ut rectè arguit M. Catalam.

Quod etiam poterat exemplificari à simili in eadem visione Dei ex superiori doctrina: nam licèt secundùm se considerata nequeat esse objectum fugæ, vel nolitionis, per accidens tamen ex parte subjecti renuentis laborem, potest esse terminus illius, ergo pariter licèt desiderium naturale prout oritur ex cogitatione imperfecta Dei, cui intrà eandem speciem correspondet indispensabiliter perfecta, vel possibilitas ejus, (omne enim quod est imperfectum in aliqua specie, ut inquit D. Tho. c. 50. in principio, desiderat consequi perfectionem illius speciei) nequeat esse inane, scil. inanitate excludente efficaciam illius secundùm se, sive ut sequuti ad cognitionem imperfectam Dei ex visione effectuum, & possibilitatem consequutionis perfectæ, seu visionis illius secundùm se, non tamen quòd non possit esse inane

ina-

inanitate excludeute efficaciam ex parta subjecti non habentis lumen prout sic, quo cognoscat certitudinem talis possibilitatis.

Ex quibus etiam patet ad fundamentum utriusque Authoris; nam alterum probat de desiderio ex parte elicientis, alterum verò de illo secundùm se. Nec oppositum convincit exemplum de desiderio damnatorum versante circa impossibile, nam licèt aliquod inefficax possit esse de ra impossibili, quando scil. procedit ax judicio corrupto, vel falso, nt contingit in damnatis apprehendentibus ut quid melius, non esse, quàm esse, non tamen omne inefficax tenetur versari circa impossibile, ita ut ex eo solùm arguatur inefficacia ejus, quia potest versari circa illud, nam, ut dictum est, quandoque oritur, ut in casu, ex alio capite, scil. ex defectu luminis insufficientis ad attingendam certitudinam possibilitatis rei, unde licèt omne, quod versatur circa impossibile sit inefficax, vel inane, non tamen omne inefficax versatur circa impossibile &c.

Addit etiam M. Catalam tale desiderium directè formaliter, vel expressè posse se extendare ad desiderandum videre omnia illa attributa, quæ ex effectibus naturalibus cognoscit intellectus quoad an sit de Deo. Dicit autem directè, & expressè, quia indirectè, implicitè, & consequenter ad Deum, ut in se est, absolutè terminatur, ut optimè advertit Cajetan. p. 1. qu. 3. ar 8., & videtur insinuare D. Tho. c. 50. proximè ralato, dum ait, quòd omne imperfectum in aliqua specie desiderat consequi perfectionem illius speciei, scil. saltem implicitè, præcipuè ubi est axcessus penès ordinem. Et ratio ast, quia repugnat videri Deus sub aliqua ratione, nisi totus nt in se est absolutè videator.

Quòd si opponas hinc magis inferri, quòd etiam explicitè, & formaliter debeat tala desideriom terminari ad illum, ut in se est absolutè, & non solùm implicitè, vel ex consequenti. Quia non stat semel videri ut prima causa naturalis, quin formaliter, & expressè totus ut in se est, absolutè videatur, ergo nec stabit desiderium videndi Deum semel terminari ad illum nt primam causam, quin formaliter, & expressè terminetur ad eundem ut in se est absolutè. §. Respond. neg. conf., nam visio essentialiter terminatur ad essentiam divinam, ut est à parte rei, & ideò cùm in re sit simplicissimus actus, vel tota formaliter videtur, vel nullo modo; cæterùm desiderium non terminatur ad illam, ut est à parte rei, sed ut est proposita per cognitionem naturalem, per qoam expressè, & formaliter proponitur tantùm ut prima causa.

Ex quo pariter infertur, quòd licèt idem desiderinm terminativè implicitè supernatnrale sit, explicitè tamen, vel etiam motivè est naturale; nnde nnnquam tenetor prout sic ortom ex cognitione effectuum naturalium esse entitativè supernaturale, quia ad hoc ut actus voluntatis sit supernaturalis, non sufficit, qnòd terminetur implicitè tantùm, & ex consequanti, sed requiritur, quòd explicitè, & motivè, ita ut moveat ad illnm, ut supernaturale est. Quamvis ex hoc qoòd terminetur sic implicitè, & ex consequenti ad Deum, ut in se est, ultariùs convincator possibilitas ejusdem visionis Dei.

His præmissis facilè suadetur secunda pars ejusdem dicti, nempè qnòd præfato desiderio naturali videndi Deum damonstrari non possit possibilitas visionis; nam licèt evidens sit ratione naturali appetitum innatum tendere non posse ad impossibile, quia utpotè inditus ab Authore naturæ nequit esse inordinatè institutus, seu inaniter tendens, vel ad impossibile, evidens tamen non est naturali ratione non possa elicitom, præcipuè inefficacem, & conditionatum, seu incognita per idem lumen certitudine possibilitatis modo explicato, sic tendere ad impossibile apprehensum, ut possibile, sive absolutè, sive sub conditione; argo ex tali desiderio circa visionem Dei nequit evidenter inferri ejus possibilitas; ant. patet, tum quia tale desidarium non est impressum ab Authore naturæ, sed excitatum per cognitionem; ergo adhuc non manifestata ex vi istius, vel ejusdem luminis certitndine possibilitatis termini, nequit esse evidens, quòd non possit esse frustrà, vel circa impossibila; tum quia demus Infidelem audire à Fidali possibilitatem resurrectionis mortuorom, nil prohibet eam desiderare elicito desiderio quoad specificationem necessariò, supposita eadam possibilitate, estò fidam non recipiat, sed nullus hactenùs dixit, ratione naturali posse esse evidens, qoòd sit possibilis resurractio mortuorum; ergo nec quòd sit possibilis visio.

Nihilominùs estò dicamus rationem D. Tho. demonstrationem non esse, est tamen adeò probabilis, & efficax, nt excedat omnem aliam natoralem ad idem intentum, quia est maximè rationi consonum, quòd desiderium naturale qooad specificationem necessarium, universaliter in omni creatura rationali ax recta cognitiona naturali consurgens, non debeat essa frostrà, nec versari circa impossibila, & quamvis, ut insinuavimus, licèt directè, & formaliter solùm inseratur possibilitas visionis Dei, ut primæ caosæ, & secundùm ea, quæ quoad an ast ax effectibus naturalibus cognoscuntur de illo, consequenter tamen inferenr etiam possibilitas visionis ejus ut in se est.

§. IV.

Solvuntur Argumenta contra principalem Conclusionem ex authoritate Scripturæ, & Patribus, & simul aperitur eorum mens.

PRimò arg. ex illo Jo. 1.: *Deum nemo vidit unquam.* Unde etiam Apost. 1. ad Timot. 1. vocat eum invisibilem; & 6. ibidem, quòd lucam habitat inaccessibilem; quibus consonat illud Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet.* §. Ad hoc dico in primis, quòd est solvandum ab omnibus, qnia, ot notat ibi D. Tho. lect. 11., sæpè alibi in Scripturis habemus Deum videri à creatura rationali, Isa. 6.: *Vidi Dominum sedentem*; & alibi ut supra. Unde ex eodem ibidem, & in 4. dist. 49. ar. 1. ad 1. tripliciter exponi possunt, primæ quidem; (& sic de aliis) quòd nullus homo, vel Angelus vidit Deum visione comprehensiva. 2ò. Quòd nullus homo vidit visione corporali Deum ut in se est. 3ò. Quòd nullus in hoc statu vivès vita mortali, & sensibus carnis otens vidit divinam essentiam atiam visiooe intellectuali, ut etiam innuitur loco relato Exod.: *Non videbit me homo, & vivet.* Tres hujusmodi modos desumpsit ex D. Aug. Epist. 112., sed ultimus est, quem magis videtnr probare Aognst. ibi c. 4., & reverà iste est sensus literalis, ut probat Tolatos in eum locum.

R 2 Eis

Eisdem tribus modis explicat Apost. ad Timot. 6., addens 4., scil., quòd nemo vidit, nec videre potest per se ipsum propriis viribus; & his etiam quatuor explicari potest ibidem c. 1., quamvis ibi lect. 4. magis probet invisibilem dici visione corporali; & sumitur iterùm ex August. Epist. relata c. 19. ubi ait: *Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur, non quia corda munda sua substantiæ contemplatione fraudantur*. Hic tamen D. Tho. ad 1. explicat de visione comprehensiva.

2ò. Arg. opponendo SS. PP., quos Vasquez, ut dictum est, parùm modestè, & minùs veridicè contendit ad errorem Armenorum declinasse. Nam de Ambrosio ait, apertè eum tradidisse in 1. c. Lucæ de Apparitione Angeli, & eum locum referre D. August. Epist. 112., nec eum explicare. Sed valde mirum est, quòd Ambrosium opponat, & D. Augustinum silentem referat, cùm primus expressè ibidem catholicam veritatem tradat his verbis: *Quid mirum si in præsenti seculo Deus non videtur, in ipsa resurrectione non facile est Deum videre, nisi his, qui mundo sunt corde, & ideò beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et infra: *Deus non videtur in loco, sed mundo corde*. Et in fine cap. concludit: *Christus in omnem plenitudinem nos implere dignetur, ut videre possimus*. Et quamvis in principio c. dicat Deum natura esse invisibilem, nihil aliud docere vult, quàm vel corporali visione, vel certè etiam intellectuali ex viribus naturæ videri non posse, ut rectè infert August., præcipuè c. 5., adducens D. Ambros., ubi expressè ait, quòd quamvis naturæ sit non videri, voluntaris tamen est videri; *& quamvis non sit potestas videndi, est tamen gratia promerendi, ut videre possimus*. §. Sed videatur quæso Augustinus; nam tota illa Epistola (quam modò præ oculis habeo) latissimè prosequitur hunc locum Ambrosii, præsertim à c. 5. relato, non solùm ut tantum Doctorem à suspicione erroris Armenorum vendicet, ut etiam egregiè advertit M. Catalan, sed ut ejus authoritate & testimonio suam, & catholicam veritatem confirmet; unde cap. 22. statim in princ. sic ait: *Quæ sic approbas tene mecum sancti Viri Ambrosii sententiam, jam non ejus solùm authoritate firmatam &c. quia de hac re, & ipse dixit, quòd piè cogitanti, & rectè intelligenti loquitur etiam ille, qui incrementum dat Deus*. Et tandem versùs finem inquit: *Illi, qui aliter sapiunt conentur merè videre, quod verum est, & in simplicitate cordis quærere Deum, nec tam doctos divinorum eloquiorum Tractatores temerè reprehendant*.

2ò. Opponit Hieronymum Isa. 1. in illud: *Audite verbum Domini*, ex eo quòd dicat: *Homo igitur Dei faciem videre non potest*. Sed planè ibi apertissimè docet nostram conclusionem, & communem Catholicorum veritatem; nam simul ait: *Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei, & nunc in speculo videmus in enigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos proficiscerimus*. Quæ verba referens Augustinus, ait: *In his verbis hominis Dei multa consideranda sunt; Primùm, quòd secundùm apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit, tunc visuros faciem Dei, quando de hominibus in Angelos proficiscerimus, facti fuerimus Angelis æquales*. Hoc protulit Augustin. judicium de sententia Hieron., & meritò, quia nec levem tribuit ibi occasionem suspicandi, quòd erraverit cum Armenis; quia prima illa verba: *Homo igitur* de homine pro hoc statu sensibus utente, aut de visione corporali intelligenda esse docet August., quam in fine relato ait. *Ut enim non tantùm, quòd B. Ambrosius, verùm etiam, quòd B. Hieronymus dicam, non solùm Patris Divinitatem, nec Filii quidem, nec Spiritus Sancti, quia una in Trinitate natura est, possunt oculi carnis aspicere, sed oculi mentis*. Quid clariùs pro sanissima mente tantorum PP.? Præterquamquod ex contexto evidenter constat his verbis difficilioribus, quæ subdit. *Licet faciem Dei juxtà natura sua proprietatem nulla videat creatura, & tunc mente cernatur, quando invisibilis creditur*, D. Augustinus ait, *nil aliud voluisse significare, quam Deum aspectibus corporalibus invisibilem esse*. Videatur etiam epist. 3. &c.

3ò Opponit Cirillum Alexandrinum ex eo, quòd lib. 1. c. 22. in Jo. asserat soli Filio visibilem esse Patrem. §. Cæterùm loqui Cirillū de cognitione cōprehēsiva ità apertè constat, ut non nisi otiosè adduci possit contrà catholicam veritatem. Subdit enim. *Visionem autem Deo convenientem semper intelligas*. Quasi dicat, quod dixi, *soli Filio* esse visibilem Patrem, intelligendum est de visione, quæ est propria Dei. Hanc autem esse comprehensivam nullus sanæ mentis negare potest. Sed videatur lib. 10. in Jo. c. 1., ubi apertissimè docet communem veritatem dicens, *Deum in Cælo non in speculo, nec in enigmate, sed apertè, perfectè, & totaliter, idest totum contuendum &c.*

4ò refert Cirillum Hierosolimatum Catechesi 6. §. Sed ibi nec verbum reperitur, quòd eidem errori faveat; nam solum ait; *vident Angeli, sed non ità, ne est; sed ut est, & ipsi capiunt*. Ubi non negat, quòd videant, ut in se est, sed tantùm vult, quod modo finito, & non comprehensivo, ut exprimunt verba illa, *& ipsi capiunt*, unde quilibet eorum videt ut in se est, magis, vel minus juxtà mensuram luminis gloriæ, ut clarè constabit legenti verba sequentia. Refert etiam Epiphanium, & Basilium, primum lib. contrà hæreses hæresi 60., sed loqui de visione corporali adeò certom est, ut vel oscitanter legenti, ut sic dicamus, id fiet manifestum. Basilium verò lib. 1. contrà Eunomium post medium. §. Sed planè ibi tantùm negat Dei essentiam posse videri in hac vita, aut naturæ viribus, ut Eunomius affirmabat &c.

§. V.

Solvuntur aliæ autoritates ex Chrisostomo, Gregorio Nisseno, & Theodoreto.

Quia maj. difficultas, vel apparentia videtur de his tribus, specialiter eos proponimus, nam contrà istos principalem vim facit Vasquez; sed inaniter, ut constabit præcipuè de D. Chrysost., quem contendit sensisse cum Armenis homil. 4. in Jo., & in 5. homiliis de incomprehensibili Dei natura, quæ habentur to. 5., nam priori loco ante medium explicans illud Jo. 1. *Deum nemo vidit unquam*. Ait. *Nam id, quod est Deus, non modo Prophetæ viderunt, sed nec Angeli, nec Archangeli, sed si eos percunctaveris, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantùm referentes Gloria in Excelsis Deo*, & paolò inferiùs addit; *Deum ante Incarnationem fuisse Angelis invisibilem, per Incarnationem autem factum fuisse visibilem, ergo*.

Ad primum resp. non negare ibi cognitionem quiditati-

tativam Dei, ut in se est, sed tantùm comprehensivam, ut ex contextu colligit D. Thom. hic ad 1. & in 4o ubi suprà ad 1. In aliis verò agit contrà Anomęos qui ut monet Epiphanius hæresi 76, & Basilius lib. 1. contrà Eunomium post medium, affirmabant se etiam in hac vita viribus naturæ, seu naturali facultate Deum non tantùm quiditativè, sed etiam comprehensivè cognoscere, unde sæpè expressè affirmat Dei substantiam ab intellectu creato non posse unquam comprehensivè cognosci.

Sed contrà instat 1ò Vasquez. Quia Anomęi nunquam docuerunt posse Deum comprehensivè cognosci ab intellectu creato; *neque enim*, inquit; *adeò amens erat Eunomius eorum Caput, & Magister, ut Deum comprehensivè posse cognosci existimaret*. §. 2ò Quia ut Angeli aliquod nobis dicere possent de Dei substantia, non requiritur, ut illam comprehendant, sed satis est, quòd videant, ut in se est, sed Chrysost. negat aliquod nobis posse Angelos dicere de illa, ergo utramque negat cognitionem, min. patet ex illis verbis, *sed si eos percunctaveris &c.* §. 3ò Eam cognitionem negat Angelis ante Incarnationem, quam concedit post illam, sed post illam non comprehensivè, sed tantùm quiditativè cognoverunt, ergo hanc negat ante illam. §. 4ò Deniqua quia de Angelis, quos vidit Isa. c. 6., qui Beati erant, inquit, *non videbant ipsam meram lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quod videbant, condescensus erat*.

Resp. benè ibi dictum esse, scil. loqui de cognitione comprehensiva. nam parum post verba prædicta, ut hic ad 1. refert D. Thom.; subdit, visionem hic dicit certissimam Patris considerationem, & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio. §. Ad replicas dico in primis esse ab eodem Vasquez solvendas, nisi velit, vel Chrysostomum apertè sibi contradicere, vel eodem modo dubitare de D. Paulo, cum Chrysost. epist. 5. ad Theodoretum eodem modo loquatur, sicut Paulus 1. Corinth. 13. Nam ut hic referunt illustris. Godoy ad 2. num. 15. & M. Jo. à S. Tho. ar. 2. §. *Secundùm quod dicimus est*, explicans illud Petri, Matt. 17. *Bonum est nos hic esse*, inquit, *quid dicemus, quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, nec per enigma, sed facie ad faciem, non ampliùs inquam per fidem, sed per speciem*. Idem expressè asserit super psal. 42. ad illud, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Vide, inquit, ardentem hominem, vide inflammatum, sciens enim se hinc, cum recesserit, Deum esse visurum, ne expectat quidem dilationem*. Idem videtur supponere homil. 73 in Jo. ubi docet Philippum postulasse visionem ipsius substantiæ Dei. *Videamus*, inquit, *quid Philippus quærat, num sapientiam Patris? num benignitatem? Minimè, sed quid esset Deus, ipsam videlicet substantiam*.

Sed deinde resp. ad singulas; & ad primam iterum dico valdè mirum esse, quod Doctor Catholicus ne hęreticos amentes esse concedat, annuat SS. PP. errasse. Ego verò libenter fateor Eunomium, & sequaces amentissimos fuisse, quia Chrisostomus in illis homiliis stolidos appellat, & eorum errorem delirium furentium, manifestam insaniam minimè excusandam. Deinde homil. secunda refert eos solitos affirmare *se ità perfectè Deum nosse, quemadmodum ipse se noscit*; quæ clariùs exprimunt comprehensivam Dei cognitionem in eisdem hæreticis, quàm negent verba Chrisostomi quiditativam in Beatis, & tamen maluit prædictus Author mentem hæreticorum, quàm verba Chrisostomi in bonum sensum explicare, cum tamen aliàs lex optima sit tradita à Theologis, quòd ubi difficultas est de aliqua doctrina SS. PP., cum jam de eorum sana mente dubitandum non sit, piè interpretanda est, & conferendæ circumstantiæ temporum, & personarum, cum quibus disputant, nam facilè aperietur eorum sensus ab omni erroris suspicione depurandus, ut alibi advertimus in materia de gratia circà eundem Chrisostomum: unde in forma nego ant., quod caruerit tali amentia. Utinam caruisset, quòd non ità errasset. Nam si, ut ait D. Thom. p. 2. q. 109. ar. 8. in corp. in homine sanato per gratiam, *adhuc remanet quadam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundùm quam, ut etiam dicitur Rom. 8., quid oremus, sicut oportet nescimus*. Quantò magis remanebit in spoliato illius, & extremè cæco, (ut est hæreticus); vel obcæcato per extremas peccati infedelitatis tenebras, & teterrimum superbiæ fumum: Diligit enim magis tenebras, quàm lucem, quia nempè non videt &c.

Ad 2. nego min., nam verbis illis non negat Angelos posse aliquid utcunque dicere de divina substantia, sed negat dicturos aliquid, non quia eam non videant, sed quia se valde impares, vel insufficientes agnoscunt, & profitentur ad enarrandum pro dignitate rei, quam vident, sicut alibi Apostolus post raptum ad tertium Cœlum, & audita, & visa arcana Dei ingenuè, & humiliter fatetur non licere homini loqui; nam qui piè etiam diligit, & scrutator est Majestatis opprimitur à gloria, ne enarrare valeat, sed solus Filius, qui utpotè Unigenitus Patris, seu adæquans, vel ipsum comprehendens enarrare potest, unde etiam negat posse enarrare, eo modo, quo enarrat Filius, nam ad hec erat necessaria comprehensio, sicut est in Filio &c.

Ad 3. dist. maj., eam cognitionem negat ante carnem assumptam, quam concedit post illam, si intelligatur de comprehensiva, conc., si de quiditativa, nego suppositum, quòd loquatur de ista, nisi velimus, ut suprà, sibi contradicere, unde ante Incarnationem negat comprehensivam de Dei substantia, non quasi post illam concedat eandem, sed solum, quòd comprehendant Deum non secundùm substantiam propriam, sed secundùm carnem assumptam, quem sic ante illam non comprehendebant.

Ad 4. resp. 1ò., quòd ly *condescendent non dicit aliquid* derivatum à Deo, sed Deum ipsum condescendentem, seu accomodantem se capacitati, seu modo eorum finito, licet quiditativo in videndo, quod est tantùm negare cognitionem illimitatam, seu comprehensivam. §. 2ò Resp. negare etiam quiditativam, non tamen absolutè, sed per vires naturæ, & utraque est ad ejus intentum contrà Anomęos, contrà quos agit, ut ostendat contrà illos esse impossibile etiam à supremis, vel Seraphim, sive comprehensivè, sive naturali facultate posse videri Deum, ut in se est, unde ad purè adhuc quiditativè videndum indigent condescensu Dei, quasi se inclinantis in dando lumen supernaturale, quo videant. Itaque in illa visione non repræsentatur, quomodo in beatitudine videant Deum, nam in illa juxtà Chrysostomum revelata facie vident, nec tegunt alis faciem Dei, sed repręsentatur, quòd naturalis facultas intellectus etiam Seraphim est insufficiens ad Deū videndū facie ad faciē, & ideò nō adduci ab eod., ut ostendat Seraphim supernaturali lumine eam in se nō videre, sed ut contrà prædictos excludat puras vires natu-

naturæ etiam Seraphim ab eadem visione, unde nullibi negat Chrysost. quiditativam per vires gratiæ, sed ut notatur in margine homil. 1. post medium, & 3. ante medium tantùm negat naturali facultate id possibile esse cuicunque intellectui creato &c.

Denique opponit D. Gregor. Nissenum, & Theodoretum, nam primus lib. de beatitudinibus orat.6. in illud Mat:. *Beati mundo corde. quoniam ipsi Deum videbunt*; ubi opponens sibi loca Scripturæ, in quibus Deus invisibilis nuncupatur, videtur iu respondeudo reducere beatitudinem ibi promissam ad simplicem cordis puritatem, non qua homo Deum videat, sed qua Deum habeat in se ipso, & concedit solam visionem, quæ habetur, non ex qualibet creata imagine, sed ex illa, quam quis participat ratione gratiæ; cum impossibile sit Deum videre ex illo. *Deum nemo vidit unquam*.

Theodoretum verò in dialogo de eo, quòd Deus sit Immortalis; ubi etiam de Angelis sic concludit, *Itaque de Angelis intelligimus audientes quotidiè, vident faciem Patris vestri, non enim vident substantiam divinam, qua nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & qua universa comprehendit, sed quandam gloriam, qua eorum viribus correspondeat, sitque iis commoderata &c.*

Quod si dicas negare tantùm comprehensionem, non visionem. §. Contra obstant illa verba, *nec percipi potest*; si quidem, qui videt, licèt non comprehendat, tamen percipit. §. Deinde etiam obstant ultima, nempè, *sed quandam gloriam, qua eorum viribus correspondeat &c.*, nam priora si velimus contrapositivè sumi ad superiora, scil. *substantiam divinam*, (ut contrapositivè accipienda sunt, aliàs simul affirmaret, & negaret) quid distinctum ab eadem substantia importare debent: quod etiam convincitur ex ultimis, nempè, *qua eorum viribus correspondeat &c.*, nam substantia, vel essentia divina, ut visibilis in se, nequit planè correspondere viribus Angelorum, & esse illis commodarata, ergo etiam de quiditativa intelligendus est &c.

Ad primum M. Catalam dicit 1° satis obscurum esse, in quo mens ejus consistat, nec mirum esse, quia Laurentius Sifanus ibi in margine, & in prologo advertit, se originale græcum integrum non potuisse invenire; nihilominus subdit idem Magister posse congruè explicari de visione Dei in hac vita præsenti, & meritò, tum quia, ut rectè ponderat M. Ferre hic ad ultimum, impossibilitatem videndi Deum probat Gregorius ex illo *Deum nemo vidit unquam*; quod ut dictum est, rectè etiam intelligitur de viatoribus, carnis sensibus utentibus. Tum quia beatitudinem consistere in cordis munditia probat ex illo Chrysostomi ad discipulos. *Regnum Dei intrà vos est*; quæ non sunt dicta Beatis, sed viatoribus.

Sed instat Vasquez 1°, quia ibi loquitur D. Gregorius de beatitudine, quæ Sanctis promittitur in præmium laborum, at hæc est beatitudo patriæ, ergo &c. §. 2° Quia videre, in usu Scripturæ idem significat quòd habere, quòd multis ostendit, at si sentiret visionem, prout verba sonant, possibilem esse in altera vita, non esset, cur ad prædictam interpretationem recurreret, ergo &c.

Ad primam, dist. min., est beatitudo patriæ, tantùm, nego, loquendo de præmio ultimo, & consumato conc. Nam etiā cognitio, quam quis habet de Deo, ex eo quòd se Dei amicum cognoscit, & meditatur puro corde per gratiam, dicitur præmium justorum, licet non consumatum; & hoc duplex præmium apertè assignat idem Nissenus dum ait; *promissio quidem tanta est, ut superet supremum terminum beatitudinis*; ubi dicit unum superare aliud, licet quoad quantitatem excessus, loquatur per quandam exagerationem, cum certum sit à nemine concedi posse excessum cognitioni viæ suprà illam patriæ, cum sit ibi status consumationis, seù consumatæ, vel plenæ perfectionis &c.

Ad secundam nego min., immò juvat ad explicandam prædictam beatitudinem, vel præmium viæ consistens in eo, ut dictum est, quòd ex cognitione habita de Deo quis meditetur habere illum amicum, quod est illum aliquomodo videre juxtà capacitatem ejusdem viæ.

Ad Theodoretum videtur difficilior solutio, adeò ut existiment aliqui vix ullam admittere explicationem; nihilominus resp. posse optimè glosari, quòd ipse etiam loquatur de cognitione comprehensiva, quod colligitur tum ex illis verbis, *qua nec circumscribi, nec comprehendi potest*. Tum ex eo, quòd Deum ab Angelis videri non posse, confirmat ex illo Jo. 6. *Patrem non vidit quisquam, nisi qui est ex Deo, is vidit Patrem*. Quæ verba communiter interpretari solent de cognitione comprehensiva; Tum quia lib. 4. hæreticarum fabularum titulo de Eunomio sic ait. *Ausus est dicere Eunomius se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsum Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse Deus de se ipso habet. Hoc ejus su ore percit, qui sunt execranda illius secta participes audent apertè dicere, se Deum nosse, ut ipse se ipsum*. Ecce quomodo mens ejus est invehere contrà contendentes comprehensivam; ubi iterum patet contrà Vasquez, quomodo Eunomius, & ejus Sectatores contendebant comprehensivam, & non purè quiditativam.

Ad id verò, quòd 1° opponitur illis verbis; *Nec percipi potest*, quasi excludat quamcunque visionem divinæ substantiæ in se, dicimus 1° esse solvendum ab omnibus, nam si semel licet eisdem excludere de mente ejus quiditativam, vel perfectam cognitionem Dei in se, pariter liceret excludere quamcunque etiam imperfectam, nam ut vidimus suprà ex D. Thom. ex imperfecta arguimus possibilitatem perfectæ, unde sicut ex eisdem verbis, nullus audebit ex mente ejus negare imperfectam, nec erit neganda, quæcunque perfecta, sed tantùm comprehensiva, & propria Dei. Ex his ergo pro omnibus resp., quòd perceptio objecti est duplex alia adæquata, qua nempè fines ejus circumscribuntur, ut constabit ex definitione comprehensionis, alia in adæquata, qua nempè totum percipitur, ità ut nihil lateat videntem, sed tamen non adæquatur cum cognoscibilitate ejus, cum non sit idem totum videre, & totaliter, seù peradæquationem, & hanc non negat Theodoretus, ut dictum est, sed tantùm primam.

Ad secundam similiter dicimus, quòd verba illa, sed *quandam gloriam*, sumuntur quidem aliquomodo contrapositivè ad illa priora, *non enim vident divinam substantiam*, non quasi per modum objecti extrà Deum ad Deum in se; sed per modum ejusdem substantiæ divinæ ut cognitæ, vel visæ inadæquatè ad se ipsam, ut visam adæquatè: Verba autem posteriora, scil. *qua eorum viribus correspondeat*; cum certum sit ibi loqui de cognitione supernaturali, explicari non possunt per correspondentiam ad vires naturales nudè sumptas, nisi veli-

velimus natúram nudè sumptam posse supernaturaliter operari, quod esset ei imponere alium turpissimum errorem; unde explicandæ sunt relativè ad easdem vires supernaturalizatas; sed quia istæ etiam prout sic pervenire non possunt ad operandum, vel videndum modo divino, seu comprehensivo, sed tantùm finito, & limitato, seu proprio creaturæ, ideò dicit videre gloriam Dei, ut contemperatam viribus creatis etiam ut elevatis per vires gratiæ, ut similiter dictum est de condescensu suprà ex mente Chrysostomi &c.

Sed iterum instas. Quia Theodoretus respondens Eranisto interoganti, *si Deus videri non potest ab Angelis, quo modo intelligemus, quòd Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Respondet, *sicut intelligere solemus ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt*; scil. Prophetis; sed homines, vel Prophetæ non dicuntur vidisse substantiam Dei prout in se ipsa, sive adæquatè, vel comprehensivè, sive inadæquatè, vel tantùm quiditativè, sed solum vidisse Deum in aliqua creata imagine juxtà communem PP. intelligentiam excepto D. Paulo, vel etiam Moyse &c.; ergo negat utramque visionem &c.

2ò Quia dum dicit, ut suprà, *nec percipi potest*; procul dubio loquitur de cognitione distincta ab illa, quam exprimit prioribus verbis; scil. *nec circumscribi, nec comprehendi*, nisi velimus otiosè multiplicare verba; sed istis exprimit comprehensivam, ergo expressa per ly *percipi*, erit quiditativa.

Ad 1. resp., quòd cum iterum certum sit Theodoretum loqui de visione, qua Angeli beatificantur, nequit ejus comparatio strictè intelligi quoad æqualitatem perfectionis, nisi pariter velimus, quòd Prophetæ, vel alii sic videtes in via beatificarentur per talē visionē, quòd nec Theodoretus, nec alius sanę mentis sentire potuit, ūde solum potest esse paritas quoad exclusionem comprehensionis, quam potissimè intendebat excludere contrà Eunomium, ut dictum est. §. Pro quo, & superioribus adverto, quòd quandoque PP. dum impugnant aliquem errorem, adeò longè recedunt, ut videantur in alterum extremum vitiosum declinare, & propterea, ut monuimus, piè interpretandi sunt, ne sanissimæ eorum menti fiat præjudicium.

Ex his etiam patet ad secundam, nam quasi ad ampliorem ejusdem delirii Eunomii detestationem abundantiùs loquitur, quod nec etiam percipi potest, licet solum Verbum *nec circumscribi* videretur sufficiens ad excludendam comprehensionem, nam aliàs nec videbatur superaddendum ly, *nec comprehendi*; cum per antecedens scil. circumscribi, esset jam exclusa comprehensio. Vel poterat etiam, (& fortè meliùs dici), quòd per ly *nec percipi* aliud membrum ejusdem erroris significari, nempè quòd viribus naturalibus percipi, aut videri poterat, unde prioribus verbis excludit comprehensionem; posteriori verò etiam quiditativam ut eliciendam naturali facultate, non absolutè, aut viribus gratiæ, & tunc rectè verificatur loqui de distincta non per negationem totius visionis, sed ut ab Eunomęis ponitur, scil. naturali facultate possibilis, ut dictum est de D. Chrysostomo, & sic omnia consonant.

§. VI.

Solvuntur alia argumenta ex ratione.

22. ARg. Visio Dei in se quæcumque sit, debet esse infinita, sed hæc non est possibilis creaturæ, ergo nec est possibile, quòd Deum in se videat; prob. maj. Visio Dei in se, quæcumque sit, est visio objecti simpliciter infiniti, ergo debet esse infinita; conf. tenet, quia cognitio quiditativa alicujus objecti crescit ad incrementum perfectionis ejus, ut patet inductivè; tū quia sicut habitus, & potentiæ crescunt juxta incrementum perfectionis objecti, ita eorum actus, cùm specificentur omnes ab illo.

Dices, negata maj., & hac posteriori conf., dist. utrumque hoc posterius ant.; crescunt juxta eorum capacitatem, conc.; aliter, nego; nam si solùm modo finito tendant ad illud, vel sint attingentia ejus inadæquata, nequeunt accipere infinitatem, estò objectum sit infinitum, & præcipuè quia creatura entitativè, vel etiam metaphysicè, aut quoad essentiam non est capax hujus infinitatis, & patet in cognitione Dei quoad an est, quæ licèt pariter versetur circa objectum infinitum, non tamen tenetur esse infinita, quia inadæquatè, vel modo finito tendit ad illud. Et à simili etiam constat in gratia habituali, quæ licèt sit participatio formalis naturæ infinitæ, sive divinæ, non tamen est simpliciter infinita, nec potest esse talis, quia est tantùm inadæquata participatio ejus, unde nec dicitur Deus in recto, sed tantùm in obliquo &c.

Sed contra hoc est 1ò. Quia hæc solutio videtur petere principium; nam id est, quod contenditur non posse dari visionē Dei in se, quæ adæquata non sit, vel modo infinito non tendat ad illum, unde quia prout sic repugnat creaturæ, pariter illi repugnat possibilitas visionis; unde instatur primò sic. Nam quia visio attingit Deum ut objectum supernaturale, est simpliciter, & adæquatè supernaturalis, adeò ut si esset incapax supernaturalitatis, non posset sic eum attingere ut objectum beatitudinis, vel supernaturale, ergo pariter quia est intuitiva objecti infiniti, debet esse infinita, sic quòd intellectio semel incapax infinitatis non poterit esse visiva objecti infiniti ut in se ipso est &c.

2ò. Non obstante modo, & conatu finito, nihilominùs injuria irrogata Deo Majestatis simpliciter infinitæ, evadit offensa gravitatis simpliciter infinitæ, ita ut teneatur crescera aritmeticè, & non tantùm geometricè, seu proportionaliter, ut tradunt gravissimi Thomistæ 1. 2. vel 3. p. de infinitate peccati, aliàs eadem facilitate, & distinctione solvent argumentum contrarii desumptum ex simili principio, quòd offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, ergo pariter in casu &c.

3ò. Quia perfectior est cognitio Dei in se, quàm sit sola quiditativa omnium possibilium, vel eorum, extra Verbum; sed hæc petit esse infinita, ut suppono, in communi sententia Thomistarum, ergo à fortiori erit infinita illa Dei in se.

4ò. Nam loquendo etiam de quiditativa non adæquata, adhuc verificatur crescere juxta incrementum perfectionis objecti, ut patet in cognitione quiditativa, qua Angelus inferior cognoscit supremum, & alium superiorem, non supremum; nam quia supremus perfectior est alio non supremo, cognitio terminata ad supremum perfectior est terminata ad non supremum, estò neutra sit adæquata, sed tantùm quiditativa, ergo adhuc intrà forum cognitionis quiditativæ, non adæquatæ, est debitum incrementum juxta incrementum perfectionis objecti.

Resp. benè ibi, ut patet, præcipuè in instantia visionis Dei quoad an est, cùm Deus non solùm quoad quid

quid est, sed etiam quoad an est sit infinitus, & tamen prior, ut dictū est, & suppono apud omnes nō perit esse infinita, aliàs pariter esset neganda possibilitas istius, quod non nisi Athæi stultissimè negant. §. Ad 1. replicam nego quòd sit petitio principii, cùm in bona Metaphysica non omnis cogoitio quiditativa, & consequenter nec omnis objecti in se teneatur esse comprehensiva, vel adæqoata, ut constabit infra, & præcipuè in subjecta materia, quia ut sit quiditativa, vel objecti in sa satis est, quòd attingat præcisè quiditatem objecti, sive attingat illud quoad omnia, quæ illi formaliter conveniunt, non autem quæ eminenter continet adæquando totam cognoscibilitatem ejus, & præcipuè si hæc sit infinita, ut in casu; sic enim tantùm à strictè comprehensore, sive à se ipso attingi, vel videri potast; unde D. Tho. qu. 8. relata de Verit. ar. 2. ad 1. explicans utramque superiorem authoritatem 1. Jo. 1.: *Deum nemo vidit unquam*; scil. loquendo etiam de visione Dei, & alteram Chrysostomi homil. 14., nempè quòd nec supremi Angeli, sive Charubim, & Seraphim ipsum ut est, unquam videre potuerunt, inquit: *Dicendum, quòd cùm dicitur, hoc videtur ut est, potest intelligi dupliciter; uno modo, ut modus, quo res visa, est, eadat sub visione, hoc est dictu, ut videatur in re visa ipse modus, quo res est, & hoc modo Deus ut est, ab Angelis videtur, & videbitur à Beatis, quia videbunt essentiam ejus habere illum modum, quem habet, & sic intelligitur quod habetur 1. Jo. 3.: Videbimus eum sicuti est*; (ecce cognitio, vel visio purè quiditativa) *alio modo potest intelligi ut modus prædictus conformetur visioni videntis, ut scil. talis sit modus visionis ipsius, qualis est modus essentiæ rei in se, & sic à nullo intellectu creato potest Deus videri ut est; quia impossibile est, ut modus visionis intellectus creati sit ita sublimis, sicut modus quo Deus est, & hoc modo intelligendum est verbum Chrysostomi.* Ecce adæquatio, seu visio comprehensiva, distincta à purè quiditativa, vel inadæquata. Videatur ibidem.

Ad paritatem verò supernaturalitatis negatur conf., quia naturalitas, vel supernaturalitas dicuntur pertinare ad essentiam, vel substantiam actus; nec supernaturalitas est prædicatum incommunicabile creaturæ à toto genere creaturæ, sed tantùm quæ sit substantia, ut probatur infra; cæterùm infinitas pertinere dicitur ad modum ejus, qui non tenetur participari, ut proximè vidimus ex D. Tho.; immò nec potest ex conceptu infinitatis, ut dictum est.

Ad 2. replicam nego iterùm conf., tum ob discrimen adductum 3. p. qu. 1. ad ar. 2. inter subjectum, & objectum, quòd istud utpotè forma extrinseca non tenetur communicare actui infinitatē simpliciter, quā in sa habet, sed tantùm secundùm quid, & extrinsecè; subjectum verò offensæ cùm sit forma veluti intrinseca in genere moris non impeditur communicare illam actui injurioso ex finitate conatus, vel cognitionis, sicut neque impeditur communicare superioritatem ordinis, estò idem conatus, vel cognitio sit ordinis inferioris, præcipuè quia, ut jam insinuavimus, non repugnat hæc infinitas simpliciter in genere moris, ut etiam patet in actionibus Christi, quæ sunt infinitæ simpliciter, sive valoris simpliciter infinti in hoc genera ob eandem rationem, quia habent formam valorantem simpliciter infinitam, scil. Personam Divini Verbi, unde utrobique tenentur crescere aritmeticè, & non tantùm geometricè, vel secundùm proportionem; eò vel maximè, quòd hæc infinitas specialiter consistit in eo, quòd hujusmodi actiones ob idem subjectum, vel personam infinitæ dignitatis, vel majestatis, sunt dignæ infinitæ æstimabilitatis, sive in genere offensæ, sive in genere valoris, quod non repugnat, ut per se patet, creaturæ. §. Tum deinde, quia, ut subtiliter ibidem dub. 2. insinoat M. Gaspar Catalam, ex eo peccatum mortala accipit infinitatem simpliciter ex dignitate personæ offensæ, sive Dei majestatis simpliciter infinitæ, quia summo modo morali, vel infinito tendit in illum, ita ut quolibet illorum offendatur Deus modo infinito, cum quolibet quantùm est ex sa affectu peccantis auferatur à Deo infinita dignitas ultimi finis, quia constituit creaturam, Deum, & ultimum finem, quod est offendi modo infinito, unde mirum non est, quòd contrahat prædictam infinitatem; cæterùm visio Beatorum modo tantùm finito, & inadæquato terminatur ad Deum, & ideò estò aliàs esset in hoc genere capax infinitatis, nequit hanc ab illo participare, unde etiam poterat retorqueri.

Ad 3. vel nego suppos. maj. quoad utramque p., quòd cognitio omnium possibilium collectivè sit tantùm quiditativa, & non comprehensiva, cùm repugnet omnia collectivè attingi, & non attingi totaliter, seu non perveniri ad ultimos fines cognoscibilitatis eorum, aut non cognosci quantùm cognoscibilia sunt, nam omnis modus eorum pertinet ad forum possibilium; & consequenter tenetur esse infinita, vel modo infinito, utpotè ad objectum infinitom &c. tendere ad illa, qood non militat de pura visione Beatorum, quæ potest præcisè esse quiditativa, & finita, non comprehensiva, ut dictum est; vel deinde dist. maj., perfectior est, attenta præcisè dignitate objecti, conc.; attento modo tendendi, nego; quia, ut dictum est, cùm tota collectio possibilium sit quid infinitum, utpotè correspondens infinitæ continentiæ, & extensioni Omnipotentiæ Divinæ, cognitio semel perveniens ad illam debet esse infinita, vel modo infinito ad eam tendere, quod non habet simplex visio quiditativa Dei; licèt aliàs superet ex parte objecti, scil. Dei, quod non est inconveniens; nam sicut simplex quiditativa Angeli superat comprehensivam formicæ, ita simplex quiditativa Dei, estò finita sit, poterit superare infinitam possibilium, si daretur.

Ad 4. dist. ant.: adhuc verificatur crescere aritmeticè, nego; geometricè, conc.; non enim negamus, quòd etiam simplex quiditativa etiā crescat ad incrementum perfectionis objecti, sed solùm, quòd non teneatur crescere, ut dictum est, aritmeticè, sed secundùm proportionem; nam si cognitio est simplex quiditativa, & non adæquata, perficitur quidem per excessum ad quamcumque objecti minòs perfecti, sed non per adæquationem cum perfectiona sui, aliàs inadæquata non esset respectu illius, & præcipuè in casu, in quo agitur de objecto infinito simpliciter, comparativè ad cognitionem finitam, vel creatam &c.

Sed adhuc instas alia via prosequendo, aut etiam invertendo superiorem instantiam. Motivum, vel objectum supernaturale nequit immediatè terminare, vel specificare actum naturalem; ergo nec objectum infinitum poterit immediatè terminare, vel specificare actum finitum; conf. videtur tenere à paritate rationis, ant. traditur à nobis, ut supra, &

& alibi etiam in materia de Fide &c.

Resp. neg. conse , quia , ut statim dicemus , in solutione argumenti sequentis ; inter actum finitum , & objectum infinitum potest esse proportio in ratione actus , & objecti , non enim infinitum , ut declarabitur infrà , est suprà exigentiam finiti , quin potiùs cum omne finitum dependeat simpliciter ab infinito, ut à primo efficiente, & ultimo fine, omne tale potest intrà suum ordinem exigere illud , utpotè cum sit ab illo , & propter illud , unde potest dari actus finitus , cujus objectum formale sit infinitū ; at verò supernaturale ex terminis est extrà, vel suprà vires, & exigentiā totius naturæ, unde cū actus exigat essētialiter objectū sui specificativum , & ad illud immediatè , & proximè inclinetur, nequit dari actus naturalis, cujus objectum formale, supernaturale sit . Qua ratione etiam, ut insinuavimus in logicis ; licet ens rationis realitatem non habeat , ratione cujus exigat scientiam realem , quia tamen habet scibilitatem aliquo modo exigitivam illius, sufficit ad specificandam scientiam realem, sive logicā, quæ est habitus realis , nam cum habeat connexionem simpliciter , vel infallibilem cum suis passionibus , habet esse id , propter cujus attingentiam potest esse instituta aliqua scientia realis, (non enim datur scientia , quæ entitativè realis non sit) & ideò petit attingi per scientiam realem , quod est specificare illam , nam specificare scientiam , non est aliud, quam esse id, ob cujus attingentiam scientia realis instituta est; unde etiam dicitur ens rationis quid reale connexivè, quod tamen verificari nequit de objecto supernaturali respectu actus naturalis , quia dum ob sui excessum , ut dictum est ; sit supra vires , & exigentiam totius naturæ , nequit esse id, propter cujus attingentiam sit actus naturalis, sed tantū supernaturalis, & ideò hunc solum specificare potest , & uno verbo dici potest, quòd sicut scientia realis, quia in illa sunt vires potest attingere , & specificari ab ente rationis, ità actus finitus quia in illo sūt vires , potest attingere, & specificari ab objecto infinito, quia tamē ex opposito non sunt vires in actu naturali respectu objecti supernaturalis , nequit ille attingere , nec specificari ab isto .

3ò. Arg. minor est distantia inter Angelum, & visū corporeum, quā inter Deum, & intellectum, vel intellectionē creatam, sed nequit Angelus attingi etiā per elevationē à visu corporeo, ergo nec Deus ab intellectu creato &c.

Ad hoc quod proponitur à D. Thom. in 4. ubi supra 7. loco, & hic quarto, respond. ex eodem ; dist. ma. minor est distantia secundùm entitatem , vel secundùm proportionem quantitativam conc., secundùm habitudinem potentiæ ad objectum , vel secundùm proportionem habitudinalem nego ; vel iterum dist. mi. est distantia secundùm convenientiam in natura conc., secundùm proportionalitatem nego , nam licet loquendo de priori distantia magis distet Deus ab intellectu creato, quā intelligibile creatū à sensu, secus tamen de posteriori, quia sensus non est proportionatus ad cognoscendum aliquod immateriale , sicut intellectus proportionatus est ad cognoscendum quodcunque immateriale , cum sit potentia universalissima spiritualis , & hæc posterior similitudo requiritur ad cognitionem, non prima, quia constat, quòd intellectus intelligens lapidē, non est similis in naturali esse. Ità D. Th. ad 7. relatum, & de his videri potest 3. cōt. gēt. c. 54. præcipuè ad 6. in fine c. &.

Sed instas. Quia hęc solutio quoad priores, & frequentiores terminos distinctionis , scil. quoad entitatem , & quoad habitudinem potentiæ , videtur petere principium ; nam idem est distare secundùm entitatem , & distare secundùm habitudinem actus , vel potentiæ ad objectum, ergo, prob. ant. hæc habitudo est entitas quædam, ergo proportio, & distantia habitudinis erit necessariò entitativa, & consequenter si Deus plus distat secundùm entitatem , plus distabit secundùm habitudinem potentiæ ad objectum &c.

2ò, Et Urgetur præcedens. Distantia habitudinis oritur ex priori distātia entitatis, ergo non stat plus distare secundùm istam , & non secundùm priorem, prob. ant. quia improportio habitudinis potentiæ ad objectum oritur ex improportione entitativa potentiæ cum illo ; non enim à priori potest alia ratione ostendi potentiam sensitivam esse improportionatam cum objecto intelligibili , vel immateriali secundùm proportionem habitudinis potentiæ ad objectum, nisi quia est improportionata cū illo entitativè, quatenus habet entitatem corpoream, vel sensitivā, ergo posterior improportio, vel habitudinis potentiæ nascitur ex priori, vel entitativa &c.

Ad 1. nego , quòd sit petitio principii , si rectè intelligatur , ut jam insinuavimus ex D. Thom. , ad prob. annexam nego ant. , quòd sit idem modus distandi ; ad ejus probat. distin. , & explic. ant. , est entitas quædam præsuppositivè, & materialiter, vel implicitè, & transcendentaliter , conc., formaliter , & explicitè , nego , nam licet eadem habitudo præsupponat entitatem , vel eam implicitè , & transcendentaliter importet , non tamen formaliter in ea consistit , sed in respectu , vel coaptatione essentiali potentiæ ad objectum , quæ non commensuratur præcisè cum entitate , sed cum proportione, quam potest habere , ut vidimus, potentia finita cum objecto infinito ; sicut in simili dicimus, quòd licet scibilitas implicitè importet entitatem, vel eam supponat, non tamen formaliter in ea consistit, sed in connexione simpliciter , ut dictum est ; vel infallibili cum suis passionibus , unde non tenetur commensurari , utpatet , entitati in ente rationis vel accidente , sed connexioni ejus cum proprietatibus ; quæ potest esse simpliciter talis , vel infallibilis, esto entitas sit secundùm quid, vel diminuta, qua ratione in ratione scibilis dicuntur accidens, & ens rationis univocari cū substantia, & ente reali, unde rectè ait D. Th. ibid., quòd ad cognitionem non requiritur convenientia in natura, sed secundùm proportionem , ex quo inferimus etiam quòd hujusmod instantia peccat in hoc, quòd non distinguit inter distantiā entitatis, & distantiam entitativam , nam sicut proportio potentiæ ad objectum est proportio quidem entitatis , sed non entitativa ; vel in entitate, sed in habitudine, vel in coaptatione unius ad aliud, ità pariter distantia . Quòd verò hæc duplex proportio distinguenda sit patet , nam alias teneremur asserere , quòd non solum intellectus creatus non posset elevari ad videndum Deum , sed neque eum cognoscere , quod manifestè ostāditur, & simul retorquetur argumētum , nam ità est quòd non obstāte minori distantia inter intelligibile creatū, & sensum, nequit iste non solum per elevationem , sed nullo modo attingere illud , ergo minus poterit stante distantia majori inter Deum , & intellectum, cognosci Deus ab isto non solum per elevationem , sed nullo modo. Unde est argumentum cum suis instantiis solvendum à contrariis . Tenemur ergo omnes distinguere inter distantiam , vel proportionem entitativam , & objectivam , & hanc concedere etiam cum in æqualitate prioris , ubi est proportio inter potentiam , & objectum &c.

Ad 2. vel nego ant. , vel dist. eodem modo , oritur quasi materialiter , & præsuppositivè, conc., formaliter,

& commensurativè; nego; ad probat. vel similiter dist., vel negn antec., ad probat. nego illam, sed quia Angelus, utpotè objectum spirituale, est adæquatè extrà lucidum coloratum, quod est objectum specificativum visus, Deus autē licet infinitus, qnia tamen est objectum intelligibile, non est adæquatè extrà limites, ut jā insinuavimus; potentiæ intellectivæ, quæcunque sit; nam quælibet, utdictum est, & constabit infrà, est universalissima spiritualis, & consequenter potens se extendere ad quodcunque intelligibile, vel per vires gratiæ, si sit, ut in casu, excedens, vel per vires naturæ, si sit proportionatum; cujus etiam signum à posteriori est, quòd intellectus in via, saltem imperfectè potest attingere Deum, secus verò Angelum potentia visiva. Sub aliis etiam terminis juxtà superius exemplum de scibilitate poterat iterum distingui utrumque ant., oritur ex distantia, vel improportione entitatis, ut dicit respectum ad existentiam nego, ut dicit coaptationem, vel connexionem unius cum alio conc., hujusmodi autem coaptatio, ut dictum est, reperitur inter Deum, & intellectum, non verò inter Angelum, & sensum, nam aliàs nec imperfectè posset intellectus creatus attingere Deum, vel potentia visiva posset saltem imperfectè attingere Angelum, quod est alienum &c.

Sed adhuc instas. Nam verum increatum, quale est Deus in ratione objecti, tantum potest dicere connexionem cum intellectu increato, ergo repugnat Deum etiam in ratione objecti dicere illam cum creato, prob. ant., ens increatum tantùm potest dicere habitudinem, vel connexionem cum existentia increata, ergo etiam verum increatum cum intellectu increato, nam sicut ens dicitur per ordinem ad esse, ità verum per connexionē ad intellectum §. Dices dist. hoc consequens simul cum 1. ant., tantùm potest dicere primariò, conc., secundariò, nego, quia intellectus creatus cum habeat præfatam coaptationem ad quodcunque intelligibile, potest Deus habere hanc connexionem saltem secundariò cum illo, cum nulla in hoc assignari possit repugnantia, vel imperfectio.

Sed contrà hoc est. Nam qnia Deus est ens increatū, nec primariò, nec secundariò potest dicere habitudinem ad existentiam creatam, salva sui infinita perfectione in ratione entis, ergo quia est verum increatum, nec primariò, nec secundariò poterit dicere connexionem cum intellectu creato, salva sui perfectione infinita in ratione objecti &c.

Resp. iterum in primis, quòd hæc instantia cum sui replica est solvenda ab omnibus; quia si aliquod probat, probat nec etiam imperfectè posse cognosci ab illo, sicut nullo modo potest existere per existentiam creatam. Sed pro omnibus respond. benè ibi dictum esse. Ad replicam nego causalem, ut adæquatam, sed quia etiam existentia cum sit actualitas ultima simpliciter in toto genere entis, & veloti intrinsecè actuans essentiam, cujus est existentia, ex utroque hujusmodi capite omninò repugnat ens increatum posse dicere habitudinem, vel connexionem cum existentia creata, nam ratione primi repugnat admittere ulteriorem actum, aliàs ultimus simpliciter non esset, ratione verò secundi magis implicat, quòd forma creata intrinsecè actuet ens Divinum, nisi velimus posse perfici per creaturam; cæterum in ratione veri, vel objecti, cum tantum comparetur, ut forma extrinseca, & finis potentiæ, magis est ad perficiendum, quam ut perficiatur per illam, aut per ejus actionem, præcipuè si solum secundariò connectatur cum illa, de quo adhuc infrà &c.

De his præcipuè videatur D. Tho. c. 54. in 3. icont. gent.

§. ULTIMUS.

Solvuntur alia argumenta contra Superiora circa rationes D. Thomæ.

Quartò arg. ad probandum præfatam possibilitatem visionis ex principiis naturalibus posse demoustrari. Quælibet potentia respiciēs, ut objectū aliquam rationem communē operari potest circa singula objecta particularia sub illa ratione, cōtenta, sed intellectus creatus respicit ut objectū, communem rationem entis, sub qua etiam venit Deus, ut est in se, ergo potest operari circa illum, ut in se est, ergo ex principiis naturalibus potest demonstrari possibilitas visionis ejus; hæc ultima cons. tenet, 1. etiā est evidens, & utraque præmissa est principium naturali lumine notum &c.

Ad hoc dico in primis, mi. esse incertam, ut constabit infrà; quia licet probabilius sit, objectum intellectus esse ens in tota sua latitudine, plures nihilominus limitant ad ens naturaliter cognoscibile, sub quo sulum cōtinetur Deus, ut cognoscibilis quoad an est, quod sufficere existimant, ut elevari possit, sive ut ex sua ratione essentiali coaptationem, & aptitudinē obedientialē in habeat ut supernaturali lumine elevatus cognoscere possit Deum quidditativè, ut in se est; talis autem aptitudo non est lumine naturali cognoscibilis, cum respiciat supernaturalem terminū, sine quo cognosci nequit.

Deindè etiam ma. est incerta, & ambigua, cum, ut insinuavimus; sub objecto ut sic, vel adæquato, præcipuè si analogum sit, ut in casu, in genere rei possit contineri aliquod excedens vim activam potentiæ, vel scientiæ, unde est distinguenda; potest operari circa singula particularia, attingendo illa imperfectè saltem quoad an est, transeat, sed ex illa ut sic vera non infertur claræ Dei visionis possibilitas ut de se patet; attingendo perfectā, & quiditativè, nego, nā probabile est sub objecto metaphysicç contineri Deū, & tamen est omninò certum non posse per illam quiditativè cognosci, sed à posteriori solū cognoscitur, & quoad an est, unde etiam solū poterat verificari ma. in hoc sensu, de objecto proportionato.

Sed instas. Evidens est ratione naturali posse Deum supplere defectū virtutis potentiæ ad attingendū objectū quomodolibet excellens, ergo excellentia objecti nō impedit cognitionem per idem lumen possibilitatis attingendæ. Resp. dist. ant. supplere defectum in ordine naturæ, augendo scil. virtutem potentiæ intrà propriā speciem, vel genus conc. in ordine supernaturali nego; nam licet ratione, aut principio naturali ut plurimum probari possit Deum supplere posse virtutem potentię in priori ordine per prædictum augmentum, non tamen, quòd supplere possit ejus defectum, vel supernaturalem virtutē extrahendo à naturali ordine, & modo operandi, unde quādo excellentia objecti tāta est, ut defectus virtutis in potentia, virtute naturali suppleri non possit, nec poterit naturali principio probari, posse potentiam tale objectum attingere, unde ut hoc argumentum concluderet probandum erat Deum naturali lumine videri posse quod nullus Catholicorum admittit.

5. Arg. ad idem Certum est lumine naturali appetitum innatum versari non posse circa impossibile, sed intellectus creatus innato appetitu inclinatur ad videndam Deum, ut in se est, ergo eodem lumine proba-

ri

ri poteſt ſic poſſe videri ab illo, prob. min. medio quo ſupra: omnis potentia cognoſſitiva appetitu innato inclinatur ad cognoſcenda ſingula objecta particularia ſub objecto adæquato ſpecificativo contenta, ſed Deus ut in ſe eſt continetur ſub objecto adæquato intellectus creati, ergo, prob. ma., quælibet potentia dicit ordinem naturalem, & eſſentialem per ſe primò terminatum ad communem ratione ſui objecti ſpecificativi, & ſecundariò ad ſingula ſub illa, contenta, ergo, quęlibet naturali, vel innato appetitu per ſe primò tendit ad eandē rationem communem, & ſecundariò ad ſingula, prob. cōſ., quia appetitus innatus potentię ad objectum in eodem ordine eſſentiali ad objectum conſiſtit; vel ſi quid eſt aliud diſtinctum ad omnia ſe extendit, ad quæ eſſentialis ordo.

Ad hoc neg. mi., ad prob. diſt. ma. ut ſuprà; inclinatur ad ſingula, ſi ſint proportionata conc., ſi excedentia naturalem facultatem potentiæ, ſeu vires naturæ neg.; vel iterum diſt., inclinatur ad cognoſcenda ſingula, eo modo cognitionis, quo naturali virtute potentiæ attingi poſſunt conc., cognitione immediatè terminata ad ipſa ut in ſe ſunt, vel ſecundùm omnem gradum perfectionis, quem in ſe habent nego, & patet utrinſque diſtinctionis veritas in guſtu, & tactu, nam licet amaritudo abſcintii, vel alia hujuſmodi inſipidiſſima contineātur ſub objecto ſpecificativo guſtus, non tamen inclinatur iſte naturaliter ad illa ſimiliter nec tactus ad calorem, vel frigiditatem in ſummo gradu, cum naturalis inclinatio potentiæ non ſit ad ſui deſtructivum, imò potiùs fugiat illud nam vehemens ſenſibile lædit ſenſum.

Quod ſi cōtrà hoc inſtes in potētia viſiva noctuę, quę ut vulgò dicitur, naturaliter inclinatur ad videndū ſolē, eſtò ſit ſenſibile improportionatum, ergo præciſa improportio non obſtat inclinationi naturali. Reſpond. I. nego ant., nam probabile eſt potentiā ejus viſivam diſtingui ſpeciei à cæteris aliarum animalium, & tunc ſolum naturaliter appetit videre aliquem ſplendorem, aut lucem derivatam à ſole: vel deinde juxtà alium probabiliorem modum dicendi ex D.Tho. 3. cont. gent. c. 54., quòd ſint ejuſdem ſpeciei, diſt. ant. inclinatur conſiderata materialiter prout eſt in noctua nego, (& hoc eſt per accidens ex parte ſubjecti) formaliter, vel ſecundùm ſuam rationem ſpecificam, conc., ex quo ſolum infertur, quòd intrà ſuam ſpeciem poſſit ejus vis cognoſcitiva ſic augeri, ut ſolem in ſe ipſo videre poſſit, non tamen quòd prout ſic, vel ut materialiter contracta in tali ſubjecto, actu inclinetur ad illum videndum; ſicut in ſimili dicitur 3. p. de juſtitia commutativa infuſa in nobis, quòd ſi admittatur eſſe ejuſdem ſpeciei cum illa Chriſti, quòd tunc ſecundùm rationem ſpecificam inclinetur ad offerendum æquale Deo, ſecus tamen prout in pura creatura, unde nunquam prout in illa poteſt æquale offerre illi. Et idem ſimiliter dicitur de humanitate Chriſti ex oppoſito, quòd ſibi relicta, vel ſecundùm ſe conſiderata inclinatur ad propriam ſubſiſtentiam, ſecus tamen prout in Chriſto, ubi ſubſiſtens per ſubſiſtentiam increatam Verbi plenè ſatiatur ab illa, unde prout in illo non inclinatur actu ad propriam.

Ad probat. verò ejuſdem major principalis argumenti diſt. 2. part. anteced., & ſecundariò ad ſingula, ut conveniunt in communi ratione objectiva, conc., ſecundùm proprias rationes, nego, quia ſecundū iſtas formalitèr, & expreſsè ſumptas poſſunt excedere, ut dictum eſt. Reſpicere autem illa, ut conveniunt in eadem communi ratione, non tam eſt reſpicere particularia objecta, quam communem rationem objectivam repertam in illis, ſicut charitas extendens ſe ad proximum, non tam reſpicit illum, quam Deum in illo; & deindè diſt. conſeq., appetitu naturali inclinatur ad ſingula, attingendo eo modo cognitionis, quo attingi poſſunt naturali facultate potentiæ, conc. (ex quo tantùm infertur intellectum creatum naturali appetitu inclinari ad cognoſcendum Deum eo modo, quo per creaturas manifeſtari poteſt, quod libenter fatemur;) inclinatur ad illa ut in ſe ſunt, vel ſecundùm omnem perfectionis gradum, nego, aliàs etiam inclinaretur ad illū comprehendēdum. Ratio hujus verò eſt, quam inſinuavimus; quia ſecundùm propriam rationem poteſt particulare objectum eſſe tantæ perfectionis, & excellentiæ, ut rationem objectivam communem ad ſe contractam extrahat à ratione objecti connaturalis, & proportionati, vel motivi, eſtò non extrahat à ratione objecti adæquati, & terminativi; Unde ſicut rationem communem, ut ſic contractam virtute naturali attingere non poteſt, ut in re eſt, ità nec naturaliter appetit ſic attingere illam. Ad probat. verò conſeq. dicimus appetitū innatū potentiæ formaliter diſtingui ab ordine eſſentiali ad objectum conſtitutivo ejus, ſicut appetitus materiæ ad formam formaliter diſtinguitur à ratione potentiæ ad illam conſtitutiva materiæ, & ratio eſt, quia appetitus naturalis eſt quaſi proprietas conſequens rem, nec tamen tenetur ſe extendere ad omnia, ad quæ idem ordo, niſi prædicto modo intelligatur, ſed infrà iterùm de his &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Deus clarè viſus contineatur ſubobjecto noſtri intellectus.

DE objecto ſpecificativo, & ratione ſui terminantæ habitudinem potentiæ inquirimus, nam de extenſivo, & comprehendente tam illud, quod ratione ſui, quam omne aliud, quod ratione alterius, aut connotativè ad ſpecificativum attingi poteſt, fatentur omnes, nam aliàs nec per elevationem videre poſſet, cum nulla potentia tendat ad objectum adæquatè extrà ſui latitudinem tam extenſivam, quam ſpecificativam, ſive adæquatè extractum ab objecto ſui ſpecificativo, aliàs exiret limites ſuæ eſſentiæ, quod eſt implicatorium reſpectu entis finiti, vel creati, niſi velimus auditum poſſe percipere coloratum, & ſic de aliis, quod eſt alienum. §. Similiter cum ſpecificativum dividatur in motivum, quod ratione ſui, vel per propriam ſpeciem movet potentiam, & illam determinat, & in terminativum, quod terminat actum cognitionis; & utrumque in proportionatum, quod per proprias vires attingitur à noſtro intellectu, & in improportionatum, quod tantùm per vires ſuperiores, non eſt etiam difficultas de proportionato, nam certum eſt ſine elevatione non poſſe ab intellectu creato videri, ſed tantùm de improportionato, & excedente vires naturæ, non tamen adæquatam habitudinem, & coaptationem eſſentialem potentiæ.

§. PRIMUS.

Præmissa radice difficultatis referuntur sententiæ, & modi dicendi.

PRæcipua difficultas oritur ex eo, quòd cum intellectus noster specificativè respiciat ens, ut connotat quidditatem sensibilem, sive cognoscibile per ordinem ad sensibilia, & Deus ut clarè cognoscibilis non connotet aliquod sensibile, videtur impossibile, quòd ut pars subjectiva contineri possit sub objecto ejus specificativo. §. Nec videtur referre si dicatur ens prout sic connotativè cognoscibile, esse tantùm objectum proportionatum non specificativum, sed istud esse ens in tota sua latitudine, modo tamen finito attingibile, sub quo etiam continetur Deus, ut clarè visus; quod etiam videtur insinuare D. Thom. 3. cont. Gent. c. 54. ubi sic ait; *divina substantia non sic est extrà facultatem intellectus creati, quasi aliquod omninò extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia immaterialis à sensu (nam in ipsa divina substantia est primum intelligibile, & totius cognitionis intellectualis principium), sed est extrà facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia sunt extrà facultatem sensuum, unde & Philos. in 2. met. dicit, quòd intellectus noster se habet ad rerum manifestissima, sicut oculus noctuæ ad lucem Solis.*

Nihilominus non videtur id referre; quia si tantùm excederet proportionem virtutis, teneretur intellectus sub eadem ratione formali, qua attingit cætera objecta, attingere etiam Deum clarè visum, cum potentia sub eadem attingat omnia; nisi iterum velimus, posse exire limites suæ essentiæ; hoc autem est impossibile, nam Deus clarè visus non est attingibilis per ordinem ad sensibilia, in quo ratio formalis nostri intellectus consistit contrapositivè ad angelicum.

In hac ergo re divisi sunt Authores, nam alii existimaverunt adæquatum specificativum nostri intellectus esse ens naturale, aut tantùm naturaliter cognoscibile, negant Deum ut quiditativè, vel clarè visibilem sub illo contineri, sed tantùm ut cognoscibilis est quo ad an est per effectus, & hoc sufficere dicunt, ut intellectus creatus ex sua essentiali ratione adæquata coaptationem, & habitudinem obedientialem habeat ad illum quidditativè videndum media elevatione, & superiori lumine, quod est contineri sub extensivo tantùm. Ità Cabrera 3. p. q. 10. ar. 4., & alii, quos suppresso nomine refert Nazarius hìc controver. 1., & probabilem admittit M. Catalam hìc dub. 2. in solut. ad 1. contrà 1., licet oppositum affirmet probabiliùs.

2. Sententia extrema asserit contineri tanquam sub objecto naturali: Ità Arrubal hìc disp. 13. cap. 4., sed displicet hæc opinio aliis ejusdem Societatis, & meritò, nam aliàs esset cognoscibilis ut sic viribus naturæ, cum objectum naturale ut communiter admittunt Theologi, idem sit, quòd proportionatum, unde ut illum liberent ab omni censura, dicunt pro eodem accepisse naturale, quòd contentum intrà objectum specificativum, quod tamen est contrà communem modum loquendi. Vel nisi fortè quis dixerit, quòd quia ens confusè acceptum, sub quo continetur, est naturaliter cognoscibile à nostro intellectu, ideò potuisse affirmare, quòd sub objecto naturali, aut naturaliter cognoscibili continetur. Sed tamen sensus iste est valde materialis, quia licet contineatur sub illo, non tamen ut naturaliter cognoscibile est in sensu formali, aliàs posset iterum ab eodem naturaliter cognosci.

3. Et media distinguens, ut suprà inter objectum motivum, & terminativum, asserit contineri sub isto, non sub illo. Solet hæc attribui Suarez lib. 2. de attributis negativis cap. 7. ex eo fortè, quòd asserat ibi sufficere ad Deum videndum, quòd ens, quod in confuso acceptum specificat nostrum intellectum, reperiatur in Deo, licèt non sub illa ratione, qua specificat illum. Cæterum ibid. solum docet Deum ut clarè visum contineri sub objecto adæquato naturalium, sed nullam mentionem facit de motivo. Tribuitur etiam Vasq. disp. 37. c. 6., sed hìc etiam tantùm docet contineri sub adæquata ratione intellectus nihil distinguens inter motivum, & terminativum.

4. Iterum media affirmat quidē contineri sub specificativo, non tamen sub proportionato, & naturali, sed sub improportionato, & excedente: ità communiter Thomistæ licèt sit aliquale discrimē in modo explicandi; nā Illustriss. Godoy hic concl. 2. distinguit de intellectu humano, & secundùm quòd humanus est reduplicativè, sive secūdùm ultimā ejus differētiā, & secūdùm quòd creatus est, aut secundùm rationē communē utrique intellectui angelico, & humano univocè illis convenientem; si hoc ergo posteriori modo consideretur, tunc asserit sub objecto ejus specificativo contineri, non quidem secūdùm vim proximè activam, aut immediatē cum visione proportionatam, sed tantùm remotè, & obedientialiter, sive secundùm coaptationem essentialem, secus verò priori modo, prout specie differt ab angelico. Alter modus affinis præcedenti iterum distinguit in nostro intellectu tres gradus, primum specificum distinctivum ab Angelis, secundùm quòd humanus, & rationalis est, intelligens dependenter à materia, & phantasmatibus, & cum discursu; 2. genericum illis commune, ut scil. creatus est, intelligens per ordinem ad naturam creatam; 3. analogum commune etiam intellectui divino: secundùm primum gradum assignat illi pro objecto specificativo ens materiale saltem connotativè; secundum posteriorem, ens naturale, undè secundùm utrumque excludit Deum clarè visum ab objecto adæquato ejus, affirmans solum contineri secundùm tertium, quià prout sic objectum ejus adæquatum est ens in tota sua latitudine abstrahens à naturali, & supernaturali, sensibili, & spirituali, totà quod comprehenditur Deus quiditativè cognoscibilis. Hunc modum refert M. Ferre suppressu nomine Authoris.

Cæterum licèt uterque valdè subtilis sit, patitur tamen non levem difficultatem in salvando unitatem potentiæ nostræ intellectivæ in specie athoma, si semel multiplicantur specificativa etiàm inadæquata, sicut in simili dicimus in physicis de partibus Philosophiæ, quòd si semel importent distincta specificativa ex parte mobilium, de quibus tractant, jam Philosophia non est amplius una in specie athoma, sed tantùm genere, ut probabilis sententia affirmat. Prætérquamquòd homo secundùm rationem differentialem hominis, qua distinguitur ab Angelo, non erit prout sic reduplicativè, beatificabilis per claram Dei visionem & amorem, si prout sic non respicit Deum clarè visum, ut contentum intrà sui objectum specificativum, eò vel maximè, quòd si semel non pertinet ad specificativum, nec etiam pertinere potest ad extensivum

sivum juxta doctrinā ejusdem Illustriss. quià ut efficaciter arguit concl. prima n. 5. & jam insinuavimus, objectum, quod non participat rationem specificativam nostri intellectus, nec sub illa continetur, non attingitur ab illo absolutè, sed solū connotativè, & per habitudinem ad illud, à quo specificationem desumit, & per speciem illius, ut patet in ente rationis, quod per speciem entis realis cognoscitur, & ad instar illius, at sic est, quòd Deus per visionem beatificam non videtur cōnotativè, nec per ordinem ad ens creatum, seù connotationem ad illud, sed absolutè, & per propriam speciem immò repugnanter per alienam, ut constabit infrà, ergo si semel subtrahitur à specificativo nostri intellectus prout sic differentialiter sumpti debebit etiam subtrahi ab extensivo illius; & consequenter non esset homo prout sic, seu ut rationalis, beatificabilis per visionem claram Dei.

Tertius ergo est M. Jo: à S. Thoma hìc art. 2. ubi de potentia nostra intellectiva, vel creata discurrit sic, quòd quià capacitas ejus passiva non fundatur in ipsa specifica ratione actualitatis, & virtutis, sed in ratione generica immaterialitatis, ex qua habet intellectus, quòd possit fieri omnia, respiciendo passivè omne ens intelligibile sub quocunque modo intelligibilitatis finito, ideò major, & universalior est, quam virtus activa ejus, nec ità specificè distinguitur sicut activa juxta diversum modum specificum immaterialitatis, ex quo fit, quòd licèt Deus clarè visus superet vim activam, aut motivam naturalem intellectus, & consequenter ad videndum Deum indigeat supernaturali lumine elevante, non tamen superat passivam, sic quòd constituatur extra latitudinem capacitatis passivæ ejus, nam objectum specificativum istius est ens modo finito attingibile, sub quo etiam venit Deus clarè visus &c.

Sed hic etiàm modus dicendi displicet M. Ferre, quià si semel ratio passivi superat rationem activi, jam non erit huic subordinata, nec propter istam, & cōsequenter nec identificata, quod videtur iterum destruere unitatem indivisibilem intellectus §. Nihilominus videtur satis fundari in D. Tho., & Cajetano infra q. 79. ar. 2., ubi docent intellectum creatum comparatum ad objectum primò, & simpliciter esse potentiam passivam, quià reverà objectum, ut etiam ex eisdem advertit M. Catalam 3. p. q. 13. ad ar. 2. dub. 3. in fine, nil omninò patitur, aut recipit ab intellectu, sed potiùs intellectus natus est pati, & recipere ab objecto aliquid, quo fiat aliquomodò in actu ad eliciendam intellectionem circa illud, aut producendum verbum, quod egregiè probat, & declarat ibidem Cajetanus. Ex quo infertur, inquit M. Catalam, quòd licèt ut Author supernaturalis contineatur intra latitudinem objecti creati, non est necessarium, quòd intellectus, ex se respiciat Deum, ut potentia activa, sed satis est, quod ut potentia obedientialis passiva ex propria ratione formali aptus sit recipere aliquod supernaturale, quo fiat in actu ad eliciendam intellectionem circa Deum, ut est objectum supernaturale. Ecce quomodò passivum in intellectu superet activum, vel in plus se habeat, quàm istud, cùm in ordine ad Deum prout sic assignetur passivum, non activum, quod tenemur nos Thomistæ fateri omnes, si velimus intellectum accipere adæquatas vires à lumine in ordine ad visionem, undè instantia, vel replica M. Ferre videtur ab omnibus solvenda, quomodò stante tali excessu passivi in intellectu super activum salvetur unitas ejus indivisibilis. §. Ad quod tamen potest pro nunc obiter dici, quòd quià, ut dictum est, intra specificativum potentiæ, in ordine ad quod attenditur ejus unitas, potest esse aliquod objectum excedens, & respectu istius non possit passivo potentiæ correspondere activum ab intrinseco, sed tantum ab extrinseco, ut nos Thomistæ contendimus rejicientes potentiā obedientialem activam, optimè poterit salva unitate potentiæ, passivum illius superare activum proprium, vel sibi connaturale, quià prædictum objectum excedens non variat ejus specificativum, & consequenter nec excessus passivi, quod extenditur ad idem objectum excedens variabit illam, nec etiam tenebitur hoc passivum respectu istius identificari cum activo sibi correspondente, immò est necessarium, quòd veniat istud ab extrinseco, cum sit activum respectu objecti excedentis supplens vires proximas, quæ deficiunt in potentia. In quo autem consistat hoc passivum potentiæ respectu objecti excedentis dicemus infrà, quià non est passivum, sicut passivum aquæ respectu ignis, vel calefactionis, alias compararetur potentia, vel intellectus, sicùt subjectum sustentans lumen, sicùt comparatur aqua respectu caloris, sed est passivum, quod alias vocatur vis radicalis, seù coaptatio essentialis vel habitudo potentiæ ad objectum specificativum, quod licèt contineat objectum excedens, istud tamen non est adæquatè extrà, ut vidimus ex D. Tho., sicùt calor, vel calefactio respectu aquæ, vel sonus respectu visus est, sed est sola improportio, unde tantùm indiget proportionari respectu illius, ut poterit suo loco explicari &c.

41. Ergo dicendi modus est, quem primò proponit in manuscriptis hic §. 4. & iterùm to. 1. quæst. 1. §. 5. n. 688. M. Ferre, ubi ait, cū intellectus noster sit potētia universalissima debet habere objectum universalissimum specificativum, quod non potest esse aliud, nisi ens modo finito attingibile, cumque intellectus Angelorum simpliciter potentię universalissimæ sint, pariter illis pro objecto specificativo debet correspondere ens finito modo attingibile, ex quo sequitur, quòd intellectus noster, & angelicus non sic debent adæquatè distingui, quòd nunquā actus ejusdem omninò rationis elicere valeant, undè objectum specificativū intellectus nostri nequit adęquatè distingui à specificativo intellectus angelici, sed partim esse distinctū, partìm idē, si ergo cōmēsuretur objectū specificativum intellectus nostri cū viribus nostris, ut potētibus proximè intelligere se ipsis, sic debet distingui à specificativo āgelici, ut cōmensurati cum vi āgelica, ut potēte proximè intelligere, & secūdū hanc rationē Deus ut clarè visus sub neutro specificativo continetur, quià neque ab homine, neque ab Angelo solis naturę viribus cognosci potest; si autē objectum nostri intellectus comparetur ad illum, ut potest intelligere per vires gratię, sic idem est specificativum utriusque, quià tam noster intellectus, quàm āgelicus elevabiles sunt per easdem specie vires gratiæ, & secundùm hanc considerationem Deus ut clarè visus continetur intra specificativum nostri. Cum ergo, subdit; intellectus humanus ut talis partim dicat distinctionem ab angelico, partim convenientiam cum illo non est necesse ponere duo objecta adæquatè specificativa distincta specificare nostrum intellectum, sed unum, & idem partim idem cum angelico, & partim diversum ab illo. Ex quo infert, quòd intelligere per discursum, & per conversionem ad phantasmata, & acipere spe-

cies

cies à rebus non adæquantur cum homine, ut intelligens humanum est, sed primom convenit animæ pro statu conjunctionis cum corpore, secundum convenit in ordine ad aliquas operationes humanas, non in ordine ad omnes, & sic intellectus humanus, ut humanus ad plura alia se extendit, quam ad prædictas intellectiones, undè illi assignandū est objectum specificativum, intra quod contineatur intelligere per discursum, & sine discursu, per conversionem ad phantasmata, & sine conversione ad illa, quod objectum non est aliud, quàm ens modo finito attingibile, undè etiam comprehenditur Deus, ut clarè visus, quià prout sic est modo finito attingibilis.

Hunc modum dicendi n. 691. fatetur per plures annos sustinuisse, sed re malius inspecta judicat sustineri non posse. Tum quià objectom specificativum alicuius potentiæ debet eam distinguire ab omni alia, quæ non est ipsa essentialiter, ergo cum intellectus noster distinguatur essentialiter ab angelico nequit ut sui specificativum habere ens modo finito attingibile, quia in isto habent convenientiam §. Nec valet dicere, inquit; quòd noster partim conveniat cum angelico, partim differat, & consequenter sit illi assignādum objectum, in quo partim conveniat cum illo, partim differat §. Contrà hoc enim instat; quià anima nostra ex sua ratione differantiali, per quam in specie cōstituitur, adæquatè differentialiter differt ab Angelo, ergo & ejus intellectus adæquatè differentialiter differre debet ab illo Angeli; unde falsum erit, quòd in ratione differentiali possit partim convenire, partim differre, probat. primam consequentiam, quia intellectus sequutus ad ratioοem differentialem animæ, debet ea differtia distingui ab illo Angeli sequuto ad rationem differentialem Angeli, qua anima distinguitur ab Angelo, cum uterque sit proprietas, ergo si anima per suam rationem differentialem differt adæquatè ab Angelo, paritèr ejus intellectus differre debet adæquatè ab illo Angeli.

Relicto ergo hoc modo, ut alterum suum statuat, advertit, quòd intellectui nostro duplex genus cognitionis convenit, alterum positive, & secundùm propriam inclinationem, quam accipit à natura rationali, quæ cum specie diversa sit ab angelica, diversam quoque inclinationem indidit, quæ consistit in eo, quòd possit intelligere ens cum conversione ad phantasmata, & cum discursu, nec enim sic à natura habet, quòd se convertat ad phantasmata, & cum discursu intelligat, ut ab his modis liberari non possit, undè distinctivum ejus ab angelico stat tantùm in eo, quòd noster habet aptitudinem ad convertendum se ad phantasmata, & ad discurrendum, contrà verò angelicus hac aptitudine caret. Alterum verò convenit ei per non repugnantiam, quam habet à Deo, ut elevetur per vires gratiæ, & pro nutu Dei supernaturalia intelligat. Per primum habet adæquatè distingui ab Angelo, & per secundum habet positivè convenire cum illo, nam hoc secundùm habet convenire illi ex quo intellectus creatus est, per quod nequit ab angelico differre, & quia omne dans speciem alicui vocatur specificativum ejus, ideò cum noster per primum habeat ab angelico essentialiter distingui, jure possumus dicere esse objectum specificativum ejus, secundùm autem quia tantùm est illud, quòd intellectui non convenit ex positiva inclinatione, sed solùm ex non repugnantia, quia non repugnat, quòd ad illud intelligendum se extendat, possumus dicere objectum extensionis ejus.

Hoc prænotato sic resolvit. Deus clarè visus præ continetur intrà objectum nostri intellectus extensivum, seu conveniens ei per non repugnantiam, non tamen intrà ejus specificativum, hoc est, intrà illud, quod positiva inclinatione naturali respicit, per quod ab Angelo distinguitur. Quod etiam declarat hoc exemplo, nam Cæli moventur motibus propriis, & motu primi Motoris; & si inquiratur à quo motu speciem capiat Cælum ut mobile, certè respondebimus, à motu proprio, & peculiari, qui sibi ex propriis coovenit, & per quem ab aliis differt, non verò à motu, qui eis convenit ab extrinseco, aliàs speciem sumeret Cælum à duobus motibus sibi contrariis. Et idem similiter contingit v.g. in gravi, cui etiam conveniunt duo motus, alter ex positiva inclioatione gravis, & alter ex obedientia ad Deum Authorem Naturæ. Per primum descendit deorsùm, & per secundum sine violentia ascendit sursùm ad vitandum, nè detur vacuum in natura, sed speciem accipit grave tantùm à primo, quia primus convenit gravi, ex quo distinguitur à levi. Sic ergo concludit; cùm intellectus noster dupliciter intelligat uno modo ex propria, & peculiari inclinatione indita ei à natura rationali, alio modo intelligat per non repugnantiam, & per solam obedientiam ad Deum Authorem supernaturalem, speciem capiet à primo modo intelligendi, non à secundo, & consequenter specificativum ejus erit objectum, quod correspondet priori modo intelligendi, non à secundo, & quià Deus, ut clarè visus non continatur in primo, sed in secundo tantùm pertinebit ad objectum extensivum, non specificativum.

Placuit hunc modum paulò fusiùs ex eodem referre ob reverentiam ad sapientiss. mum Magistrom, & ob ejus etiam subtilitatem, non solùm ut elegantibus exemplis explicatam, sed præcipuè ut difficili auctoritati D. Tho. innixam, & efficaci adhuc rationi; nā D.Th.3.cōt.Gent.c.53.ratione 4.docet, quòd augmentū, quod lumen gloriæ tribuit intellectui est ad operationem alterius specificationis, nam ibi condistinguit visionē Dei ab omoi serie actuum, quos intellectus intrà viriom suarum potestatem habet posse elicere; qui non sunt ejusdem speciei, nisi per comparationem ad objectum specificativum intellectus, cùm innumeri eorum inter se specie differant, & solùm quia tendunt ad idem specificativum, ejusdem speciei dicuntur, comparativè ad qoos cùm visio dicatur alterius speciei, debet hoc tantùm verificari, quia sub distincto specificativo cadit visio ab eo, sub quo eliciuntur omnes alii actus ordinis naturalis, uode non poterit Deus ut clarè visus contineri intrà objectum specificativum nostri intellectus.

Ratione deinde probat, quia specificativum alicujus potentiæ idem est, quòd essentialiter distinctivum, sed videmus, quòd omnes intellectiones angelicæ ordinis naturalis, specie distinguuntur à naturalibus nostri intellectus, estò circa idē objectū materiale versētur; & videmus, quòd in ordine supernaturali omnes intellectiones hominum, & Angelorom ejusdem speciei sunt, ergo tenemur fateri, quòd objectum specificativum nostri intellectus tantùm comprehendat ens, prout est naturaliter à nobis cognoscibile, non verò prout ambit ens intelligibile à nobis, sive naturaliter, sive supernaturaliter. Hæc sunt, quibus convincitur hic Auctor ad limitandum specificativum intellectus creati intrà forum entis naturaliter cognoscibilis, licèt ab initio in statuan-

de

do hunc modum fateatur se magis velle in hac re agere discipulum, quàm Doctorem.

Nihilominùs, salva eadem reverentia, videtur modus iste pati plures difficultates. Primò quia videtur contrà jam communem, aut frequentiorem doctrinam Thomistarum in lib. de Anima, limitare objectum specificativum ad solum proportionatum, scil. ad quod tendit potentia naturali inclinatione, & per vires proprias, reducendo improportionatum ad purum extensivum, cùm tamen (ut vidimus, & insinuat D. Tho. hìc ar. 1. in luce Solis respectu vespertilionis;) non est novum, quòd intrà objectum specificativum potentiæ contineatur aliquod excedens, ad quod licèt non habeat inclinationem naturalem, aut vires proximas, habet tamen coaptationē essentialem, quę etiam, ut dictum est, vocatur vis radicalis, aut habitudo potentiæ ad objectū.

2ò quia, ut etiam insinuavimus ex Illustriss. Godoy, objectum extensivum non videtur habere locum in præsenti; cùm istud, utpotè non participans rationem specificam potentiæ, non attingatur absolutè, sed respectivè, aut connotativè per habitudinem ad illud, à quo potentia speciem capit; quod nequit verificari de Deo clarè viso, ut dictum est, cùm non attingatur prout sic connotativè ad ens creatùm, unde si semel non ingreditur specificativum, nec pertinebit ad extensivum, & consequenter duplex prædictum genus cognitionis, aut non repugnantia ad Deum clarè videndum, videtur dę subjecto non supponente.

3ò. Quia hinc videtur hic modus diminutè procedere, dum assignat, & non explicat quomodò in ordine ad objectum connotativè non attingibile ad specificativum, & per speciem ejus, salvari possit non repugnantia tanquam ad objectum extensivum contra communem modum explicandi extensivum contra positivè ad specificativum.

4ò. (Et arg. præcedens) quia nisi velimus intellectum se habere ut purum subjectum sustentans lumen in ordine ad visionem, tenetur ulteriùs explicare, in quo eadem repugnantia consistat, cùm in ordine ad illam non se habeat purè non repugnanter, aut negativè, sed cum habitudine potentiæ elevabilis ad illam eliciendam, unde, ut vidimus, qui teneut idem ens ut tantùm naturaliter cognoscibile, esse objectum specificativum intellectus, conantur salvare per hoc, quòd quia adhuc continetur Deus sub illo, ut cognoscibilis quoad an est, habet intellectus creatus ex sua ratione essentiali adæquata coaptationem, & habitudinem obedientialem ad hoc, ut possit supernaturali lumine elevatus cognoscere illum quiditativè, ut in se est; sed hoc est perpetuò difficillimum, ut dictum est, si semel ut quiditativè visibilis subtrahitur à specificativo, cùm non videatur ampliùs locus respectu extensivi.

5ò. Quia in potentia sunt duo, scil. virtus, seu vis proxima connaturalis, & essentia importans prædictam coaptationem, seu habitudinem ad objectum, sed hæc non adæquatur cum sui virtute, ut patet inductivè in qualibet essentia respectu suarum proprietatum, & aliàs habitudo, vel coaptatio essentialis potentiæ attenditur in ordine ad sui objectum specificativū, ergo in plus se habet istud, quamvis propria, & connaturalis, & consequenter objectum specificativum intellectus non erit prædictum ens ut tantùm naturaliter cognoscibile, seu correspondens ejus virtuti propriæ, & connaturali.

Ex his etiam patet ad utrumque exemplum de cœlo, & gravi, quia non ità dicunt talem coaptationem essentialem ad motum alienum, sicut intellectus ad visionem, sed secundùm inclinationem valuti universalem, aut secundum quòd nata est quælibet pars subordinari ad obediendum in his, quæ concernunt bonum totius, unde & post diem judicii expleto numero electorum dicitur esse illud cessaturum à sui motu, & grave etiā extrà imminentiam vacui, violenter moveri respectu loci sursum, quod tamen non contingit in potentia intellectiva, quæ habet perpetuò perfici per cognitionem cujuscunque intelligibilis, & maximè excedentis, vel beatifici. Ad D. Thom. dicimus, quòd ly *alterius speciei* pro eodem sumi debet, quòd alterius ordinis, & non alterius specificationis; ut ipse explicat, scil. speciei rigorosè sumptæ; vel à toto genere, aut latitudine sui specificativi, aliàs nec posset pertinere ad extensivum, cū nulla potentia possit exire limites suæ speciei, & ingredi limites alterius, aliàs quid finitum non esset, præcipuè, ut dictum est; quòd Deus ut clarè visus nequit extensivè, aut connotativè ad aliud specificativum, vel creatum cognosci. Quod etiam colligitur ex eodem D. Thom. ibid. ubi actionem, quam inferiùs dicit alterius speciei, ab initio vocat altiorem, quod idem est, ac ordinis altioris, ex quo non infertur alietas speciei, sed tantùm excessus, qui optimè permittitur, ut vidimus; intrà eandem speciem; ut etiam patet ex eodem Angelico cap. 54. sequenti, ubi expressè docet, divinam substantiam non sic esse extrà facultatem nostri intellectus, quasi aliquid omninò extraneum, sed sicut excedens virtutem ejus; & ponit exemplum in excellentibus sensibilibus respectu sensuum, ut in luce solis respectu noctuæ, quæ juxtà probabiliorem sententiam in via D. Thom. non est extrà suam rationem specificativam, unde eadem ratione quarta ob istum excessum infert requiri in intellectu ad habendam visionem, augmentum non purè intensivum suæ virtutis, sed per superadditionem novæ formæ ad illam, quod iterum arguit tantùm superioritatem ordinis, penes quam excedit intrà idem specificativum, non alietatem, aut extraneitatem ab illo. Ad rationem verò factam constabit infrà quomodo distinguatur, val non, ab Angelico &c.

6. Est Salmanticensium, qui cum aliis distinguunt intellectum in ratione proprietatis, & in ratione potentiæ. Primo modo consideratur secundùm habitudinem, quam dicit ad sui principium, vel radicem à qua oritur, 2. verò prout respicit objectum, & hoc modo asserunt intellectum nostrum habere tantam latitudinem objectivam, quantam habet Angelicus, & consequenter continere intrà proprium specificativum, totum, quod continetur in angelicò, licet specificè differant in ratione proprietatis, prout ab essentiis specificè distinctis dimanant &c.

Sed hunc modum impugnat Illustriss. Godoy concl. 2. quià non stat priori mododistingui non distinctis 2ò. quià cum natura sit principium motus, & quietis, ubi sunt diversæ naturæ, ibi debent esse diversi motus intellectuales, sed eo ipso, quod isti essentialiter distinguuntur, non possunt ibi non esse diversæ potentiæ proximæ etiam in ratione potentiæ, cum prout sic speciem capiant ex motibus, vel actibus ergo.

Quòd si dicas prædictas naturas formaliter consideratas, vel ut sunt principium motus non distingui specificè, cum motus siut idem, sed tantùm materialiter; prout dicunt ordinem ad existentiam. In contrà arguit; quia

qoià potentiæ in ratione proprietatis oriuntur à natura formaliter, ut tali, ergo vel non stat distingui in ratione proprietatis, vel etiam distingui debeot in ratione potentiæ, 2ò. Nam sicut ubi est diversa immaterialitas objectiva, ibi est diversa essentialiter potentia, vel habitus, ità ubi est diversa immaterialitas subjectiva, non potest non esse ibi diversa natura; vel radix potentiæ intellectualis proximæ, cum immaterialitas comparetur ut radix intellectoalitatis activæ, ut traditur infrà qu.14. ar.1. sed in homine, & Angelo est diversa essentialiter immaterialitas subjectiva, ergo.

Ultimus tandem est M. Catalam infrà dub.4. ad ar. 6. io solutione ad 1. contrà 1., ubi eodem quidem modo distinguit sicut præcedens, sed diversimodè explicat, (per quod etiam videtur posse fieri satis præcedentibus replicis) Dicit ergo, quòd intellectus hominis, & Angeli potest dupliciter coosiderari; 1ò. absolutè secundùm commensurationem, & coaptationem essentialem ad objectum intelligibile, & actus intelligendi, & hoc est considerare illum in ratione potentiæ intellectivæ. 2ò. ut habet superadditum modum aliquem operandi magis, vel minus perfectè, connaturalem tali potentiæ, non absolotè, & secundùm se consideratæ, sed quatenus est io tali subjecto, v. g. in homine, & hoc est coosiderare intellectum hominis in ratione proprietatis. Si priori modo consideretur, ejusdem speciei est cum intellectu Angeli, nec consequitur ad essentiam homiois, sed ad gradum substantiæ spiritualis univocè communem otrique, nec est proprietas hominis, unde tunc habet idem specificativum; si verò posteriori, tuoc emanat, ut proprietas ab essentia hominis, & specie distinguitur ab intellectu Angeli, qui sub alio modo operandi emanat ut proprietas ab essentia Angeli. Nec est novum; inquit, qualitatem aliquam secundùm rationem specificam, non esse proprietatem alicujus substantiæ, & secundùm peculiarem aliquem modum, aut gradom intensionis esse proprietatem illius, ut patet in calore, qui absolutè secundòm essentiam non est proprietas ignis, & tamen in summo gradu est proprietas ejus.

Hic modus dicendi aliquomodo coincidit cum 1., & fundatur cum præcedenti in Cajet. infrà qu. 77. ar. 3. §. ad evidentiam, & in Ferrar. 2. cont. gent. cap. 94. §. ult., ubi similiter distinguont potentias, & eorum actus secundùm utramque habitudinem exemplificando iu visu, qoi in ratione potentiæ absolutè sumptæ ejusdem speciei est in homine, & aliis animalibus, quia idem objectum formale respicit, & tamen in rationæ proprietatis diversificantur essentialiter. Et favet etiam D. Thom. infrà qu. 59. ar. 1. ad 1., ubi docet idem esse objectum propositum appetitivæ potentiæ per rationem, seò per intellectum discursivum, & per intellectum Angeli, & ideò in Angelis non esse appetitū superiorem voluntate coosequente rationem. §. Nihilominus hic modus habet difficultatē, ut supra, in eo, quòd videretur homo tantùm beatificari secundùm quòd intelligens creatum est, non tamen secundùm quòd intelligens humanum est, cum prout sic non comprehendat objectum beatitudinis, scil. Deum clarè visum intrà proprium specificativum. Ex quo etiam infertur, quòd ut homo non videat Deum principaliter, sed tantùm instrumentaliter, cum nulla causa operetur principaliter extrà suom specificativum adæquatum, quod tamen ferè communiter rejicitur etiam à PP. Societatis contrà Suarez. Fateor ergo omnes hujusmodi modos esse quidem valdè metaphysicos, ac subtiles, sed æquè difficiles, & qui à nobis eligendus sit dicemus infrà.

§. II.

Statuitur prima Conclusio.

Deus ut in se est, & clarè visus continetur intrà objectum adæquatum, vel specificativum nostri intellectus. Sumitur ex D. Thom. locis proximè relatis; dum 3. cont. gent. c. 54. dixit non esse divinam essentiam extrà intellectum, quasi aliquod omninò extraneum, sed tantùm excedens, & 59. infrà, quod idem est objectum respectu utriusque intellectus angelici, & humani; sed objectum specificativum angelici comprehendit Deum clarè visum, cum sit ens ut eos, modo finito attingibile, ergo.

Ex his etiam prob. principaliter concl. Objectum specificativum nostri intellectus est eos in tota sua latitudine, sed sub ente ut sic, continetur Deus quidditativè visibilis, cum nullum determinatum ens subterfugiat supremam actualitatem entis, ergo continetur iotrà ejus objectum specificativum; prob. ma., tum quia ens ut sic, est objectum modo finito attingibile, sed objectum modo finito attingibibile, est potens immutare intellectum in esse intelligibili, ergo erit potens terminare specificando intellectionem ejus; conf. tenet, quia quod est potens immutare, est potens terminare, cum non immutet nisi media ratione formali objectiva, unde quia Angelus caret ratione formali objectiva visus, scil. qualitate sensibili, nec potest immutare visum, nec terminare ejus visionem. Nam de facto hæc suprema, ac latissima ratio entis attingitur à nostro intellectu, sed non attingitur sub aliqua altiori ratione, alias suprema non esset ergo sub specificativa,

Explic., & urg. hoc. Intellectus noster utpotè omninò immaterialis, est potentia universalissima potens omnia fieri, cum sola materia sit, quæ limitat ad propriam formam, ut probat infrà D. Thom. qu. 14. ar. 1., ergo est ei assignandum objectum universalissimum ejus amplitudini correspondens, quod nequit esse aliud, nisi ratio entis ut sic &c.

Dices primò ex his tantùm convinci de objecto extensivo, non specificativo, nam si, uti quia finitus est, assignamus omnes, ens modo tantum finito attingibile, quia pariter est potentia una specie simpliciter, & essentialiter naturalis, tenemor assignare ens tantùm naturaliter cognoscibile, quia cum specificativum comparetur ad specificatum, ut propria mensura perfectionis ad mensurabile, (ad quod naturaliter dicit habitudinem transcendentalem) necessariò debeat pertinere ad eundem ordinem.

Sed contrà hanc solutionem militant superiores replicæ contra quintum modum; unde ex eisdem insto sic: licet intellectus humanus, vel Angelicus essentialiter formaliter sit potentia naturalis, tamen ex propria ratione formali dicit coaptationem, & aptitudinem ad hoc ut elevatus, & factus in actu per supernaturale lumen, & speciem, intelligere possit supernaturale objectum, qua ratione dicitur ab aliquibus supernaturalis radicaliter, aut potentialiter, cum tamen in se nihil habeat, quod formaliter supernaturale sit, ergo licet ejus objectum specificativum non possit esse ens supernaturale formaliter, & expressè, debet tamen illud suo ambitu continere

ime

implicitè, & in confuso sub ratione tamen specificativa, ut debita sit comensuratio objecti cum potentia, de quo adhuc infrà.

Dices hinc solum sequi, quòd habeat non repugnantiam, ut elevari possit ad Deum videndum per vires gratiæ, quod est respicere illum, ut objectum extensivum, non specificativum, quia istud, ut opponit M. Ferre, debet esse distinctivum intellectus nostri ab angelico; nequeunt autem distingui per objectum ad quod sunt tantùm elevabiles, aut pervenire possunt per viras gratiæ, quia in ordine supernaturali intellectiones utriusq; sunt ejusdem speciei &c.

Sed contra hoc est (& in primis, ut sæpè dictum est) respectu Dei clarè visi, est de subjecto non supponente ratio objecti extensivi. Deindè instatur eodem argumento, quia ex sua ratione formali verè dicit præfatam coaptationem, & aptitudinem ad supernaturalia, modo explicato, sive ut viribus gratiæ attingenda, sed ratio formalis potentiæ attenditur in ordine ad objectum specificativum, ergo respicit ut specificativum, & non solum ut extensivum; mi. est certa; & ma. prob., quia, ut vidimus ex D. Thom., intelligibile supernaturale, vel increatum, non comparatur ad intellectum nostrum, quasi aliquod extraneum, sed tantùm ut excedens, sed excessus non facit exire limites objecti specificativi, sed tantùm proportionati, ergo ex sua ratione formali dicit talem coaptationem, & aptitudinem tanquam ad objectum specificativum, & non purè extensivum &c.

Explic. hoc. Intellectus creatus ità est, quod in ordine ad idem intelligibile tantùm indiget proportionari, sed improportio non extrahit à linea specificativa, sed tantùm à connaturali, vel quòd solum respicere nequeat ut specificationẽ formaliter, & expressè ut tale, sive ut supernaturale, ut dictum est, non tamen à toto ambitu sui specificativi tam expresſè, & formaliter, quam implicitè, & in confuso, & ratio est, quia, ut dicebamus ex D. Thom., cum excessus perfectionis, & excellentiæ causans talem improportionem non faciat extraneum, nequit extrahere à tota linea specificativa, sed tantùm à connaturali, quæ non adæquat specificativam. Quod verò ait de distinctivo utriusque intellectus infrà dicemus.

Dices ex eodem §. 6. ad primam instantiam, quòd licet non omnis excessus ex parte objecti faciat diversitatem specificam, bene tamen in casu, quia intelligibile increatum, sive objectum nostri intellectus extensivum, seu conveniens ei per non repugnantiam & non ex propriis viribus, & naturali inclinatione attingibile; & objectum proprium potentiæ intellectivæ differunt specie, unde est excessus specificus, in quo differt ab excessu lucis solaris respectu noctuæ, nam quia potentia visiva corporalis in omni animali est ejusdem omninò speciei, tam respectu oculi noctuæ, quam cæterorum animalium, tantùm datur unum specificativum ejus, per quoad differat specie ab auditu, & aliis sensibus, & ideò excessus solis tantùm excedit proportionem, non specificationem oculi noctuæ; cæterum intellectus noster, ut dictum est; specie distinguitur ab angelico; at cum non possit distingui penes intelligibile supernaturale, vel increatum, utpotè habens cum illo omnes intellectiones in ordine ad objectũ ejusdem speciei, tenetur habere specificativum distinctum intrà proprias vires, & consequantur ens non tantùm modo finito, sed etiam naturaliter tantùm attingibile; qua ratione existimat paritatem D. Thom. inter excellens sensibile respectu sensuum, & excellens intelligibile respectu intellectus creati tenere quoad aliquid, sed non quoad omnia &c.

Sed hæc solutio non videtur posse componi cum doctrina D. Thom. non solum ibi, sed etiam quæst. 59. relata infrà, ubi respectu utriusque intellectus dicit objectũ esse idem, sive proponatur discursivè per nostrum, sive simplici intuitu per angelicum. *Idem est ergo*, ait, *objectum, quod appetitivæ proponitur, & ex parte rationis* (scil. intellectus discursivi,) *& ex parte intellectus* scil. intuitivi, vel angelici; unde etiam tenemur de utroque intellectu affirmare, quod adhuc in ratione potentiæ sint ejusdem speciei, ut explicabitur infrà, sicut ipse cum aliis probabiliùs affirmat de oculo noctuæ cum cæteris animalibus, & ideò sicut excellentia sensibilis tantum facit excessum supra proportionem, non specificationem, ità excellentia intelligibilis supernaturalis, vel increati tantum faciet priorem excessum, non posteriorem.

Denique, quia hoc ipsum videtur manifestè docere D. Thom. relato cap. 54. ubi ex Philos. inquit, *quòd intellectus noster se habet ad rerum manif stissima, sicut oculus noctuæ ad lucem solis*; ex quo sic concludit; *indiget igitur confortari intellectus creatus aliquo divino lumine ad hoc, quòd divinam essentiam videre possit*. In quibus apertè in primis videtur tradere superiorem nostram doctrinam, nempè quòd ex sua ratione formali habeat prædictam coaptationem, ut supposita elevatione, & confortatione Deum videat, quod est tantùm excedere proportionem, non specificationem ejus, nã diversitas specificationis excludit coaptationem ut patet in sono respectu visus, nec præcisè importat excessum, vel superioritatem, cui correspondet elevabilitas, vel confortatio, sed extraneitatem à ratione formali, & magis infert repugnantiam, quàm solam improportionem, ut iterum patet in eodem sono, unde non tantùm indigeret intellectus elevari, vel confortari, sed extrahi à sua ratione formali, sicut extraheretur visus, respectu sonus, cum tamen D. Thom. dicat ibid., quòd divina substantia, seu intelligibile supernaturale, vel increatum non est omninò extrà ab intellectu creato (in quo agnoscit eandem coaptationem potentię ad objectum, & non præcisè non repugnantiam, per modum quasi purè negativi, ut in naturali ut suprà, respectu supernaturalis contrà positivè ad finitum, & infinitum, vel in aliis similibus contingit, sed per modum veluti activi radicalis de quo infrà) sed solum extrà facultatem, si autem esset extrà specificationem non solum esset extrà eandem facultatem, sed omninò extrà, præcipuè quia ut toties dictum est; Deus clarè visus, nequit extensivè, vel conotativè attingi ad aliud specificativum creatum.

Tùm quia ex eo parificat, & infert D. Thom., quòd se habet intellectus creatus ad divinam substantiam, sicut oculus noctuæ ad lucem solis, quia sicut lux solis est maximè, seu primùm visibile, ità intelligibile increatum est maximè, seu primùm intelligibile, at juxtà solutionem non videretur rectè adduci hæc causalis, & paritas ad proprium intentum, imò potiùs eidem obstare, aut difficultare illud ergo, prob. mi. quia juxtà illam adhuc est disparitas, & ex parte objecti, & ex parte potentiæ, nam ex parte intellectuum est diversitas specifica, non ex parte visus, & in intelligibili increato est uterque excessus supra potentiam; in luce verò solis est tantùm excessus proportionis suprà vi-

 sum

sum, ergo non videretur rectè assumi à D. Thom. ad probandum suum intentum, sed magis impediri, prob. cons., quia intentum ejus in eodem capite est concludere, quòd intellectus creatus non debeat impediri ex excessu objecti ad videndum Deum, at si semel est major excessus ex utroque capite potiùs videretur retorquenda paritas, & oppositum inferendum, cum statim contrarii assignatent discrimen, & concedendo de noctua, non tamen tenerentur concedere de intellectu, unde restaret adhuc explicandum, quomodo non obstante tali majori excessu posset adhuc pervenire ad visionem Dei; nam quòd noctua videre possit lucem solis, est quia hæc tantùm excedit proportionè, quod non militat de intelligibili increato, cum ulterius excedat excessu specificationis, ergo magis sibi præjudicaret D.Th. eadē paritate, quàm promoveret suum intentū.

Dices ergo, 2. eidem principali arg. cum Erice instando cons. primi syllogismi sic. Deus non solum ut clarè visibilis, sed etiam ut comprehensibilis continetur sub ente ut sic, sed ens ut sic est specificativū nostri intellectus, ergo etiam ut comprehensibilis attingitur, & continetur sub objecto specificativo ejus; sicut ergo hæc est nulla, pariter prima nulla erit; unde videtur argumentum nimis probans, quòd nempè posset etiam comprehendere Deum &c.

Sed cōtrà hoc est, & in primis de solutione potiùs apertè verificatur nimis probare, nam si semel convinceret, convinceret etiam, quòd nec quiditativè posset Deus à nobis cognosci retorquendo suum syllogismum, quià non obstante quòd Deus ut comprehensibilis contineatur sub ente ut sic, nullo modo tamen est à nobis comprehensibilis, ut constabit infrà, & fatentur jam communiter Theologi loquendo de comprehensione propriè dicta; ergo licet contineatur sub illo ut quiditativè, aut clarè visibilis, non tamen videri poterit, quod est error in fide; unde tenetur nobiscum distinguere, quòd licet sub illo cōtineatur utroq; modo, non tamen, ut cōprehensibilis attingi potest modo finito, sicut attingitur ut quiditativè tantùm cognoscibilis, quod negare non potest, nisi etiam neget eandem possibilitatem visionis. Ex quibus insto sic. Objectum nostri intellectus est ens non infinito, sed modo tantùm finito attingibile, sed Deus ut comprehensibilis nequit modo finito, sed tantùm infinito attingi, cum comprehendere sit adæquare cognoscibilitatem objecti, ut dicetur infrà, ergo licet utroque modo contineatur sub ente ut sic, non tamen tenetur utroque pertinere ad specificativum intellectus creati.

Dices 3. Quòd licet intellectus noster sit omninò immaterialis est tamen finitus quoad substantiam, & modum, unde non solum est illi assignandum ens modo finito attingibile, sed etiam finitum, sub quo non continetur Deus clarè visus &c.

Sed hæc solutio iterum militat contra possibilitatem visionis, ut patet ex dictis, quam tamen modo supponimus, inquirendo solum an pertineat ad lineam specificativam. Deindè quia tantùm convincere potest de comprehensibilitate, cui obstat eadem finitas, non de pura visibilitate. Quod probatur, quia estò quid finitum sit, est tamen elevabilis ad infinitum intelligibile attingendum, cum ex finitate non impediatur dicere coaptationem ad illud, ut dictum est; nec infinitas ex parte objecti faciat istud, omninò extraneum, ut docet ubi supra D.Th., & patet etiam ex discrimine superiùs assignato inter infinitum respectu finiti, & supernaturale respectu naturalis, quòd supernaturale est adæquatè supra naturam, non tamen objectum infinitum suprà potentiā finitam. Quod totum egregiè explicat D.Tho. c. illo relato in fine ad quintam objectionem dicens *Neq; autem divinæ substantia visionem impedire potest, quod Deus dicitur infinitus, non enim dicitur infinitus privativè, sicut quantitas, hujusmodi enim infinitū rationabiliter est ignotum, quia est quasi materia carens forma, quæ est principium cognitionis, finis enim, & terminus est forma; sed dicitur infinitus negativè quasi forma per se subsistens non limitata per materiam recipientem, unde quod sic est infinitum, maximè cognoscibile est secundùm se.* Ecce quod infinitas ex parte Dei non obstat, imò maximè constituit intrà formam intelligibile, intrà quod est specificativum nostri intellectus, & ad quod dicit, quodcunque sit, coaptationem essentialem, vel habitudinem potentiæ ad objectum sola carens proportione, si excedens sit, ut statim constabit. Deindè prosequitur non obstante finitate ex parte intellectus creati. Unde ait. *Proportio autem intellectus creati est quidem ad Deum intelligendum non secundùm commensurationem aliquam proportione existente, sed secundùm quòd proportio significat quamcunque habitudinem unius ad alterum, vel materia ad formam, vel causa ad effectum, sic enim nihil prohibet esse proportionem creaturæ ad Deum secundum habitudinem intelligentis ad intellectum, sicut & secundum habitudinem effectus ad causam.* Ecce quomodo intellectus creatus estò finitus sit, possit adhuc habere prædictam coaptationem ad intelligibile etiam divinum, & consequenter ad ens intelligibile ut sic, comprehendens illud, eò vel maximè quòd ens ut sic se ipso habet rationem formalem objectivam, secundùm quam, ut dictū est, potest immutare intellectum, utpotè potentiam universalissimam spiritualem, & consequenter pertinere ad objectum ejus specificativum, & non purè extensivum, in quo deficit ens rationis in opinione excludēte illud à specificativo metaphysicæ, & constituente illud in solo ente reali, quià nempè ens rationis se ipso non habet rationem formalem objectivam, sed tantùm connotativè ad ens, & ideò dicunt præcisè pertinere ad objectum illius extensivum &c.

Ex his iterum impugnatur solutio. Licet intellectus creatus infinitus non sit est tamen omninò immaterialis, ergo adhuc erit potens specificativè attingere ens abstrahēs à finito, & infinito; prob. cons. quia quò potentia est immaterialior eò ad plura se extendit, & universaliùs fit alia à se, ut patet inductivè, ergo si intellectus creatus est omninò immaterialis poterit fieri omnia intelligibiliter usque ad ens abstrahens ab utroque,

Explic., & urgetur hoc. Ex eo, ut vidimus in physicis, probabiliùs statuitur pro objecto Philosophiæ mobile abstrahens à substantiali, & accidentali, & non præcisè substantiale, quia prout sic est objectū potens aliquā scientiā specificare, nec sit alia assignabilis, sed etiā ens abstrahēs à finito, & infinito ut finitè attingibile est objectū alicujus potentiæ intellectivæ cum sit intelligibile, & potest eam specificare ut pote se ipso habens rationem formalem objectivam, & non tantùm connotativè ad aliud quasi extraneum, cum nihil ab eo extraneum sit, ergo cum non possit prout sic infinitam, utpotè modo infinito intelligentem erit objectum intellectivæ creatæ, estò finita sit &c.

2ò. Prob. etiam principaliter concl. De facto noster intellectus in patria per modum potentiæ vitalis videbit Deum, ergo tenemur asserere, quòd clarè visus contineatur intrà objectum specificativum ejus, prob.

prob. conf. quia implicat potentiam vitalem etiam media elevatione operari vitaliter extrà suum adæquatum specificativum, ut constabit, quia cum specificativum sit terminos adæquatus essentialis habitudinis potentiæ, idem est operari extrà suum adæquatum specificativum, & exire limites essentiæ, quod implicat, ut alibi etiam ostendimos 3. par. circa terminabilitatem naturæ ab aliena subsistentia creata.

Explic., & simul urg. hoc. Nam modo in via imperfectè cognoscit Deum, & clarè in patria principaliter, ut est jam communis consensus, ut dicebamus, & patebit infrà contra Suarez, ergo saltem à posteriori tenemur colligere, quòd etiam quiditativè cognoscibilis contineatur intrà ejus specificativum, probat. conf. Ex eo colligimus non continari objectum spirituale intrà specificativum sensus, quia se ipso nec etiam imperfectè potest illud attingere, unde signum probababilissimum saltem à posteriori, quòd aliquod objectum pertineat ad specificativum potentiæ vitalis, est quòd saltem imperfectè est attingibile propriis viribus ab illa, sivè quòd idem est, imperfectè cogoitum cadit sub ultima differentia objecti ejus, qua ratione excluditur Angelus ab objecto specificativo visus, quia etiam imperfectè cognitus cadere nequit sub objecto specificante ultimam differentiam illius ex defectu qualitatis sensibilis, vel visibilis, ut dictum est. Tum quia ut insinuavimus in referendis modis, nulla causa in universum potest principaliter operari extrà suum specificativum &c.

Dices primò satis esse ad hoc, quòd pertineat ad objectum extensivum. Sed hæc solutio sufficienter impugnata, est quia, erat necessarium, quòd attingeretur in patria connotativè ad aliud à Deo distinctum, vel creatum, & non immediatè in se ipso, aut per se ipsum, ut petit meritum objecti extensivi; quod tamen est alienum à visione beati, & ab objecto beatifico terminate illam immediatè in se, & per se.

Dices ergo, secundòcum Suarez lib. 2. de attributis negativis cap. 7. iterum ad id satis esse, ut attingatur à nostro intellectu, quòd tantùm contineatur sub ente specificativo ejus, in confuso, non tamen reduplicativè sub illa ratione, sub qua specificat illum.

Sed contra hoc est, & primò quidem solutio assumit magnam provinciam, nam si sola contineotia unius io alio materialiter, & in confuso, & non sub ratiooe specifica sufficit ad attingentiam illius à poteotia, ad quam specificativè non pertinet, nullus est amplius terminus respectu poteotiarum, & habituum faciens sistere intra proprium specificativum, sed poterūt se extendere ad alienū, sed hoc implicat, ut dictum est, cum sit exire limites propriæ essentiæ, quæ io ordine ad sui specificativum attenditur, ergo est omninò in subsistens hæc solutio; prob. ma., nam sæpè contingit, quòd eadem potentia, vel habitus versantur formaliter circa objectum, in quo materialiter, & in confuso continetur objectum alterius, ut patet inductivè, oam intellectus versatur circa verum, in quo materialiter, & in confuso iocluditur ratio boni, & voluntas circa bonum, materialiter, & in confuso implicans rationem veri: sensus etiam communis versatur circa sensibile ut sic, includens particulares rationes sensibilium in particulari, & tamen nullus dicet, quòd intellectus ad formalem rationem boni, & voluntas ad rationem veri, & sensus communis ad sonum v. g. se extendat, & sic de aliis. Similiter metaphysica specificativè attingit eos, vel eos reale juxtà diversitatem opinionnm, io quo contioentur in confuso, & materialiter ratio mobilis, & alia hujusmodi objecta, & tamen ad formalem rationem eorum non se extendit. Et idem est io habitibus superioribus. Nam charitas versatur circa divinum booum, in quo materialiter, & io confuso prout sic continetur ratio primæ veritatis, & in hac ratio booi divini, & sic de aliis supernaturalibus habitibus; & tameo charitas adæquatur cum divina booitate non se extendens ad formalem rationem primæ veritatis, aut veracitatis: at si semel id sufficeret ad attingentiam talium objectorum, omnes hujusmodi potentiæ, vel habitus possent egredi suos limites specificativos, sicut modo juxtà solutionem egreditur iotellectus ex eadem materiali continentia, & in confuso, ergo nullo modo salvari potest, quòd sit sufficieos.

Quòd si fortè dicas priores rationes objectivas in eisdē instaotiis esse pro formali disparatas, ut patet in ratione boni, & veri, quæ pertinēt ad distinctas lineas; intelligibile autem increatum cum ente iotelligibili specificativo intellectus pertiuere ad eandem lineam intelligibilem, & ideo ad attingentiam sui sufficere materialem cootinentiam, & in confuso in ente intelligibili ut sic. §. Incontra est, quia io primis tenebatur ex hoc magis inferre continentiam formalem sui, vel sub formali ratione specificativa in illo, & non purè materialem, si semel ad idem forum intelligibile pertinet cum solo excessu perfectionis, qui tantùm arguit, ut dicebamus; improportionem, & indigeotiam superinris luminis, & speciei, non extraneitatem specificativam, nec tollit coaptationem, & habitudinem potentiæ ad illud.

2º. Quia in tantùm aliæ suot disparatæ, & consequenter inattingibiles, quia pro formali non pertinēt ad idem specificativum, oā pro materiali tantū una implicatur, & in confuso in alia, quæ est causalis ejusdem solutionis: & præter eà sicut intelligibile excedens contioetur in ente intelligibili ut sic, scil. materialiter, & in confuso tanq; pertinens ad eandem lineam, quasi genericè, (nam specificè nō pertinet, ut dicit solutio) ità sensibile tale ad lineam sensibilis, ut sic, genericè loquendo; non enim est ratio extranea prout sic ab illo; & bonum etiam divinum ut possideodum, correspondens spei ad lioeam boni divini, ut sic, cootinetur in illo, ergo vel aliàs etiam spes posset se extendere ad objectum formale charitatis, at sensus communis ad sonum &c. vel id non sufficit ad attingentiam objecti materialiter, & in confuso contenti in specificativo alterius &c.

3º. Impugnatur principalis solutio endē argmento. Nam modo Deus enigmaticè, & imperfectè cognoscitur à nobis, ergo ut clarè visus non tantùm continetur sub ente nt sic specificativo intellectus materialiter, & in confuso, sed etiam formaliter, seu sub ratione, sub qua specificat, prob. conf., tū à signo, & paritate relata in arg. Tū quia ex eo sonus nequit percipi à visu etiā imperfectè, quia licet ut tale sensibile sit contentum sub sensibili ntrique sensui, communi, non tamen cootinetur sub illo sub ratione, qua specificat ultimam differentiam uisus, ergo si modo Deus saltem imperfectè, & enigmaticè cognoscitur à nobis, signum est ot clarè visibilem non tantùm contineri materialiter sub specificativo iotellectus,

sed etiam sub ratione specificativa ejus.

4ò. Nam ens ut sic specificativum intellectus creati non specificat illum sub aliqua ratione repugnante Deo, ergo clarè videns attingit illum, ut quid contentum sub proprio specificativo formaliter ut tali, & non tantùm materialiter; ant. constat; tum quia attingitur sub ratione perfectibili; cum ratio communis entis contracta ad intelligibile in creatum maximè perficiatur: tum quia aliàs non posset elevari intellectus ad illum videndum, ut patet in objecto auditus comparativè ad visum. Et hinc etiam prob. conf., nam ex eo sonus nequit contineri sub sensibili, ut specificativo visus, quia formaliter, ut tale specificat sub ratione repugnante objecto visus, ergo si semel ens ut sic, vel confusè acceptum non specificat intellectum creatum sub ratione repugnãte intelligibili increato, non est cur debeat excludi à continentia sub illo formaliter, ut specificativo.

§. III.

Statuitur secunda Conclusio.

Deus ut clarè visus non continetur intrà specificativum nostri intellectus præcisè ut in nobis determinatè habet superadditum modum essendi, & distinctum ab angelico, vel prout minus perfectè consequitur ad essentiam hominis, sed tantùm sumpti absolutè, seu secundùm gradualem suam rationem specificativam, aut commensurationem, & coaptationem essentialem, quam dicit ad objectum intelligibile, & ad actus intelligendi, prout scil. consequitur ad gradum substantiæ intellectualis univocè communem angelico, & humano; unde unico verbo dicimus in favorem ultimi modi, quòd continetur intrà specificativum illius in ratione potentiæ absolutè sumptæ, non proprietatis, prout in nobis habet distinctum modum operandi ab angelico.

Hæc conclusio affinis est primo modo dicendi, & crediderim, quòd in re aliquomodo etiam coincidat cum 4ò., quem alibi insinuavimus in 3. de anima, nam dum dicit iste, quòd intellectus angelicus, & humanus partim conveniant, scil. in modo operandi per vires gratiæ, & partim differant, nempè in proximo modo operandi connaturali, idem ferè est, ni fallor, ac dicere, quòd connaturalem modum operandi contrapositive ad angelicum non habet, nisi ut determinatè est in tali subjecto, scil. in nobis, prout consequitur ad essentiam hominis, unde restat quòd tantùm in ratione potentiæ absolutè sumptæ, & secundùm commensurationem essentialem ad objectum intelligibile, ex meritis cujus potest elevari per vires gratiæ ad attingendũ intelligibile excedens; habeant convenire. Placuit tamen cum sapientissimo Mag. Catalam hac via resolvere hanc gravem difficultatem, quia videtur clariùs exprimere meritum utriusque intellectus, & eorum specificativum.

Explicatur ulteriùs concl. exemplo jam insinuato de justitia commutativa in Christo, quæ juxtà probabilem modum dicendi, si sumatur secundùm suam propriam rationem formalem, idem omninò objectum pro formali respicit, quòd nostra infusa, & consequenter ejusdem speciei est, licet in Christo utpotè in subjecto connaturali, & orta à gratia plena habet modum operandi, quem non in nobis, unde in illo exhibet satisfactionem æqualem Deo pro peccato mortali, quam nequit exhibere in nobis ex defectu subjecti insufficientis ad communicandum valorem æqualem actui satisfactorio, sic similiter intellectus noster si sumatur, ut potentia consecuta ad gradum substantię intellectualis sibi, & angelico communem, & secundùm propriam rationem formalem potentiæ intellectivæ sic consecutæ ad eundem gradum, ejusdem speciei est cum angelico, & uterque prout sic specificativè se extendit ad Deum clarè visum dicens ex formali sui ratione habitudinem potentiæ, vel commensurationem ad illum, ut contentum intrà sui specificativum, licet noster, ut in nobis est, vel prout in subjecto hominis habeat determinatũ modum operandi distinctum ab angelico & distinguatur specificè ab illo, nec specificativè prout sic respiciat idem intelligibile increatum. Favet, ut dictum est; huic mo... dicendi D. Thom. infrà quæst. 59. relata, Cajet., & Ferrara ubi suprà.

Sic explicata prob. præcipuè quoad primam partem, nam ex ista infertur secunda, ut infrà. Intellectus noster prout in nobis modo explicato est inferior angelico in gradu immaterialitatis, ergo nequit specificativè respicere ens ut sic comprehendens Deũ clarè visum, ant. constat, quia aliàs posset quiditativè cognoscere Angelum. Tum quia prout in nobis oritur à forma, quæ est etiam radix sensuum, & eminenter sensitiva, & ulteriùs etiam constabit infrà explicando gradus immaterialitatis ad art. 2. conf. verò prob., quia vis intellectiva respiciens aliquod objectum, aut specificativum debet specificativè, vel intrà propriam lineam specificativam fieri illud intelligibiliter, at intellectus inferior angelico in gradu immaterialitatis nequit intrà propriam lineam specificativam fieri intelligibiliter ens ut sic, ergo si noster intellectus est inferior angelico in gradu, specificativè non poterit respicere illud; ma. patet quia ut vidimus in lib. de anima vis cognoscitiva, aut intellectiva hoc habet, quòd cognoscendo fit alia à se intentionaliter, vel intelligibiliter, mi. probat., quia ens ut sic, superat intellectum inferiorem angelico in gradu, cum sit abstrahens ab omni materia physica, à qua similiter abstrahit Angelus, ergo intrà propriam lineam specificativam nequent fieri idem intelligibiliter &c.

Explic. & urg. hoc. Quod superat in gradu, superat etiam in specie, cum major sit distantia secundùm gradum immaterialitatis, quam penes præcisè differentiam specificativam, ut patet in Angelis, qui differunt specie, & tamen conveniunt omnes in eodem gradu immaterialitatis, licet non in eodem modo participandi illum, de quo infrà, ergo si ens ut sic superat in gradu, superabit etiam in specificando intellectum nostrum prout in nobis.

Explic. ulteriùs. Intellectus noster prout sic distinctus in gradu, aut specificativè ab angelico, debet habere specificativum distinctum ab illo, aliàs non essent specificativè distincti, at non haberet, ente ut sic specificantè illum, ergo, ma. constat, quia in ordine ad specificativum distingui debent; mi. verò prob., quia ens ut sic pariter assignatur intellectui angelico ergo &c.

Dices primò præcipuè huic posteriori explicationi ex doctrina salmantic., nego suppositum ma., quòd secundùm habitudinem ad objectum, vel in ratione potentiæ distinguantur. Sed hæc solutio jam sufficienter impugnata est, quia dum dicimus distingui in ratione proprietatis, non est hæc accipienda in pura ratione entis, vel in ordine ad essentiam, vel radicem, secundùm

cundùm præcisam rationem accidentis ad illam tanq; ad subjectum, sed prout in nobis, vel in angelico, ut sic consecuti, habent talem, vel talem modum operandi, quæ est ratio pertinens ad lineam potentiæ, quod etiam patet ex eo, quòd prout sic considerantur, ut consecuti ad essentiam, vel radicem, quæ est natura, sive principium radicale operationis, ergo etiam prout sic considerantur, ut consecuti per modum principii proximi, vel potentiæ, ergo non stat distingui prout sic in ratione proprietatis, & non in ratione potentiæ, licet non secundùm se, & absolutè sumptæ, ut dictum est, vel prout consequuntur ad gradum substantiæ intellectualis illis communem, sed ad talem essentiam, vel naturam essentialiter unam ab alia distinctam &c.

Dices ergo secundò negando mi., ad prob. distingues ant., ens ut sic assignatur intellectui etiam angelico cum necessitate convertendi se aliquando ad phantasmata, & discurrendi in multiplici attingentia entis, nego, cum exclusione utriusqua necessitatis, conc. Unde distinctio inter utrumque non est penes limitationem objecti specificativi, quæ sit in uno, & non in alio, sed penes hoc, quòd intellectus humanus, utpotè imperfectus, multoties necessitatur in intelligendo illud se convertere ad phantasmata, & discurrere, quòd non habet angelicus, unde non penes objectum, sed penes modum attingendi distinguuntur.

Sed contrà hoc est primò eodem arg. Nam intellectus noster prout sic ità imperfectus, ut sit inferior in gradu, ergo non tantùm distinguitur ab illo penes modum, sed etiam penes objectum, prob. conf., quia repugnat esse defectum in gradu, & fieri omnia intelligibiliter, quæ sit angelicus intra propriā lineam specificativam, ergo si semel deficit in gradu, deficiet etiā in objecto, conf. tenet ex dictis, quia in hoc consistit defectus ex parte objecti, quòd non possit fieri illud intelligibiliter, ant. verò prob., quia fieri aliud à se habet ex vi immaterialitatis, ergo deficiens in gradu immaterialitatis deficit etiam in hoc, quod est fieri alia à se; & ità non solum in modo attingendi ens, est inferior illo, sed etiam in ente attacto, ità ut nequeat istud correspondere ei in tanta universalitate, in quanta correspondet angelico &c.

2º. Ens ut sic abstrahit; ut dictum est; ab omni materia physica, & solam includit metaphysicam, vel potentialitatem, ergo ità superat intellectum nostrum prout in nobis, ut non possit in tota sui latitudine specificare illum, prob. conf., quia intellectus noster prout in nobis concernit etiam physicam, cum oriatur à forma, quæ est etiam radix sensuum dicens ordinem ad materiam, cum qua componit compositum physicum, ergo prout sic nequit adæquare ens in tota sui amplitudine, cum ubi non est convenientia in gradu immaterialitatis, ut dictum est, nec sit in specie &c.

3º. Quia non stat ens modo illo distincto correspondere utrique intellectui angelico, & nostro, & non distingui penes objectum, ergo, prob. ant., eo; ut attingibile cum utraque illa necessitate non est ens abstrahens, vel in tota sua latitudine, ergo, prob. ant., quia prout sic non includit Deum clarè visum, qui cum utraq; ut visibilis attingi nequeat scil. per discursum, aut per conversionem ad phantasmata &c.

Dices hinc probari quidem distinctionem penes specificativum, non tamen adæquatè, sed inadæquatè: quia intelligere per discursum, & per conversionem ad phantasmata non adæquatur cum homine, ut intelligens humanum est, sed tantùm convenit illi pro præsenti statu, unde si sumantur secundùm se præscindendo à statu, ad plura alia se extendit usque ad ens ut sic.

Sed contra hoc est, & insto eodem argumento; quia repugnat convenire in specificativo adæquato, quæ nequeunt convenire in eodem gradu immaterialitatis, sed ut dictum est, intellectus noster prout in nobis, sive ut oritur ex tali essentia, nequit habere hanc convenientiam in gradu cum angelico, ergo neque in specificativo adæquato.

Ex quibus poterat iterum suaderi principaliter conclusio quoad eandem partem. Intellectus noster prout in nobis modo dicto nequit esse potentia universalissima spiritualis, ergo nequit respicere prout sic ens in tota sui latitudine, ut etiam comprehendit Deum clarè visum, conf. tenet, quia hac ratione asseritur respicere illud, quia est facultas universalissima spiritualis, ãt. verò prob., quia prout in nobis nō habet, ut dictum est, convenientiam in gradu cum angelico, ergo nec potest habere tantam universalitatem objectivam, conf. itetum tenet quia hæc major vel minor universalitas attenditur penes gradum immaterialitatis.

Ex his etiam per evidentem conf. infertur secunda pars. Nam Deus ut clarè visus continetur, ut probavimus, intrà specificativum nostri intellectus; tùm quia aliàs non esset visibilis à nobis, cum non possit pertinere ad purum extensivum, utpotè de subjecto non supponente respectu objecti beatifici, ut etiam probatum est, at non continetur intrà specificativum illius, sumpti prout in nobis modo explicato, ut patet ex dictis, ergo solum prout sumitur absolutà, vel in ratione potentiæ consecutæ ad gradum substantiæ intellectualis utrique intellectui communem &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra primam Conclusionem.

PRimò Arg. Deus clarè visus, vel ut in se est, excedit excessu specificativo intellectum creatum, ergo nequit contineri intrà ejus specificativum; ant. probari potest primò paritate illa superiori, quia magis excedit, quā Angelus visum, cum tamen iste non sit specificativus, visus. Secundò à priori iterum, ut supra; quia objectum adæquatū intellectus creati est ens naturaliter cognoscibile, sed Deus, ut in se est, non est naturaliter cognoscibilis, ut prob. infrà art. 4., ergo, prob. ma., quia intellectus v. g. humanus est potentia una specie simpliciter, & essentialiter naturalis, ergo objectum ejus adæquatum specificativum tantùm est ens naturaliter cognoscibile, quia cum specificativum ut dictum est, comparetur ad specificatum, ut propria mensura perfectionis ad mensurabile, ad quod essentialiter, & connaturaliter dicit habitudinem transcendentalem, necessariò debet pertinere ad eundem ordinem &c.

Dices ex superioribus neg. primum ant., ad primam probat. ex paritate distingues iterum ant. magis excedit in ratione entis, & secundùm quantitatem perfectionis, conc., in ratione objecti, & potentiæ, nego, nam Deus est objectum intelligibile, & ideò potest immutare intellectum in esse intelligibili, & constituere illum in actu primo intelligentem, ac termi-

terminare intellectionem, intellectus etiam propter suam immaterialitatem est potentia capacissima apta immutari ab ente in tota sua latitudine, Angelus autem nullo modo est objectum sensibile, & ideò nec visibile, nec potest immutare visum ex defectu qualitatis visibilis, quæ est formale objectum visus, unde nullam proportionem habet in ratione objecti cum potentia visiva. Quòd ergo Angelus non contineatur sub objecto adæquato visus non tam provenit ex ejus excessu in genere entis, quàm ex hoc, quòd est omninò expers, & incapax qualitatis visibilis specificantis visum.

Ad 2. verò negabis maj., & deinde conf.; ad illius probat. dices, quòd licèt sit essentialiter formaliter naturalis, quia tamen ex propria ratione formali coaptationem, & aptitudinem habet ut viribus gratiæ attingere possit Deum ut in se est, unde etiam dicitur radicaliter, aut potentialiter supernaturalis; ideò ejus specificativum limitari nequit ad ens naturaliter tantùm cognoscibile, sed in tota sua latitudine, & comprehendens sub ratione sub qua specifica, tam naturale, quàm supernaturale, licèt non expressè, ut tale, saltem implicitè, ut debita sit commensuratio objecti cum potentia &c.

Sed præter superiores replicas jam in superioribus solutas instas sic. Si specificativum intellectus creati esset ens continens utrumque, ita ut tam naturale, quàm supernaturale pertineret ad illud, id esset, vel ut differunt inter se, vel ut conveniunt in una eadem ratione communi entis, sed neutro modo, ergo solum erit ēs limitatū ad naturaliter cognoscibile, prob. mi. primò quoad 1. part., quia aliàs intellectus, ut etiam opponit argumentum, non esset una potentia specie, quia respiceret diversa genere, ut diversa sunt, nec esset major ratio, ob quam coaptatio, & habitudo intellectus ad suum objectum esset naturalis potiùs, quàm supernaturalis: quoad secundam etiam prob., quia illa ratio communis neque in esse entis, neque in esse objecti potest esse simpliciter una, ergo nec potest esse specificativum potentiæ, quæ est una specie, quia unitas potentiæ ex unitate specificativa objecti pensatur: Antecedens quod non in esse entis patet, quia ens naturale, & supernaturale, ut comprehendit Deum, in ratione entis non habet conceptum communem unum simpliciter; quòd verò non in esse objecti prob., quia objectum naturale, & supernaturale ut comprehendit Deum etiam in esse objecti est diversi generis, & ordinis, sicut ens naturale, & supernaturale in esse entis, ergo sicut hæc quia sunt diversi generis, & ordinis non habent rationem communem unam simpliciter in esse entis, ita nec habere possunt in ratione objecti &c.

Resp. bene ibi dictum esse. Ad replicam dico, ens supernaturale, non ut tale formaliter, & expresſè, & ut differt à naturali, sed ut convenit cum illo in ratione communi entis pertinere ad specificativum intellectus creati, undè nego mi. quoad 2. p. Ad ejus probationem M. Bannez, & Zumel hìc, & Ledesma q. 8. de divina perfectione docent specificativum nostri intellectus, non solum in ratione entis, sed etiam in ratione objecti sola gaudere unitate analoga, & esse multiplex specie, & genere, nihilominùs tribuere potentiæ intellectui unitatem specificam, quia inquiunt; objectum specificans se habet ad potentiam, vel habitum, ut forma extrinseca; proprium est autem formæ tribuere, quod in se non habet, sicut albedo constituit album, cùm in se alba non sit, pariter ergo objectum, estò unitatem specificam non habeat, tribuere illam poterit habitui, vel potentiæ. Refertur Cajetan. opusculo de nominum analogia c. 10. eò quòd asserat Metaphysicam esse unam specie scientiam, licèt ejus objectum sit analogum. Verum constans est Cajet. sententia, quòd in ratione objecti, & scibilis ex unitate formali abstractionis est unum specie, & solum loquitur de illo in ratione entis.

Hunc modum philosofhandi multis impugnat Cabrera 3. p. q. 9. ar. 2. disp. 1. §. 4., & nisi aliquod addatur reducens ad bonum sensum, videtur destruere statuta principia Thomistarum de unitate, & diversitate scientiarum, & potentiarum, ut constat ex traditis in secundo poster. Nec relinquit firmum fundamentum ad probandam distinctionem unius scientiæ, vel potentiæ ab alia, quia hæc ex unitate specifica objectorum prob. ab omnibus Metaphysicis, nam analogam in ratione objecti, immò & genericam inter omnia objecta sensuum, & scientiarum nullus negabit.

2ò Impugnatur, quia si objectum intellectus in ratione objecti esset multiplex pariter esset in ratione specificantis, quia specificat ut objectum, ergo non tribueret unitatem specificam, sed multiplicem, quia multiplicato specificante necesse est multiplicari specificatim. §. Quòd si dicas ita esse de specificativo intrinseco, quale est ordo ad objectum, non de extrinseco, vel objecto, quod tantùm, ut forma extrinseca, sivè ut terminus ejusdem ordinis specificat. §. In contra est, quia sicut potentia sumit immediatè unitatem ab ordine, ita ordo à termino sui formali, vel objecto in ratione objecti, ergo sicut potentia nequit esse una secundùm speciem, ordine multiplici, secundùm speciem, nec erit ordo unus secundùm speciem, termino formali, vel objecto multiplici secundùm speciem, & consequenter non poterit potentia esse una secundùm speciem, termino formali, vel objecto non existente uno secundùm speciem.

Nec refert quòd dicitur de causa formali, vel extrinseca, nam licèt hæc tribuat effectum, quē in se formaliter non habet, sed tantū virtualiter, implicat tamen plures formas diversas secundùm speciem tribuere eundem formalem effectum, aut idem esse specificum, ut inductivè constat in omni genere formarum, & ratio est, quia, ut vidimus in physicis, quælibet forma ex natura rei tribuit suum esse specificum, ergo si sunt plures secundùm speciem, tribuent ex natura rei plura esse specifica. Argumenta autem in favorem ejusdem modi tantùm probant. de ratione *qua* attingitur, ita ut objectum scientiæ, aut potentiæ, quæ est una specie quoad rationem *qua* attactam sæpè tantùm esse unum analogicè, sed quòd non modus, aut ratio sub qua attingitur non sit unus vel una specificè.

Ad eandem ergo prob. dicimus communem illam rationem entis, in qua conveniunt ens naturale, & supernaturale habere unitatem specificam in ratione objecti terminantis, & specificantis intellectum humanum, vel creatum ex modo, quo attingitur, unde licèt ens, ut alii dicunt, in prædicando, (qua ratione comparatur, ut superius ad inferius) sit analogum, in specificando tamen, prout scil. comparatur ad scientiam, vel potentiam per modum causæ ad effectum, potentia esse specificè unum, ex quo etiam diximus in logicis, quòd ea, quæ analogantur in uno genere, sive entis, si transferantur ad aliud,

puta

puta scibile, vel intelligibile posse univocari, ut patet in ente rationis respectu entis realis. §. Ad ejus impugnationem dist. ant., objectum naturale formaliter consideratum, ut tale, & supernaturale, ut supernaturale, est diversi generis, & ordinis, conc. si considerentur præcisè ut conveniunt in ratione entis, aut intelligibilis, nego; nam prout sic tantùm dicunt rationem entis utrique objecto naturali, & supernaturali communem, quæ licèt ex parte rationis *qua* materialiter sumptæ, vel in prædicando, ut dictum est, sit una analogicè, ex parte tamen rationis sub qua, vel prout determinatur ab illa, sive in specificando est una specificè, & sub hac ratione pertinet ad objectum specificativum intellectus.

Expl. hoc ex doctrina D. Tho. infra q. 77. ar. 3. & 79. ar. 7. Nempè, quòd si potentia aliqua secundùm propriam rationem respiciat ut objectum aliquam rationem communem, in qua plura genere, vel specie diversa conveniunt, talis potentia non diversificatur specie secundùm diversitatem specierum, vel modorum contrahentium. Et ratio est, quia illa diversitas per accidens, aut materialiter se habet respectu potentiæ, & multa illa sub eadem ratione contenta non respiciuntur per se essentialiter à potentia, ut diversa sunt, sed ut conveniunt in ratione communi, quæ est ratio *qua* adæquata specificativa potentiæ, qua ratione etiam, ut vidimus in 1. physicorum, idem habitus unus specie respicit plures actus, qui licèt inter se specie distinguantur, comparativè tamen ad objectum formale habitus, specificè conveniunt. Intellectus ergo humanus (inquit D. Tho.) eò quòd est natus omnia fieri, respicit per se essentialiter ut objectum, communem rationem entis, & ideò secundùm nullam differentiam entium multiplicatur specie, quia quæcunque multiplicitas contenta sub ratione entis, per accidens, & materaliter se habet respectu intellectus, hic enim per se primò non respicit substantiam, nec accidens, neque ens naturale, ut naturale, vel supernaturale, sed hæc omnia, ut conveniunt in ratione entis, quæ licet sit tantùm una analogicè, & diversitatem implicitè includat, quia tamen talis diversitas materialiter, & per accidens se habet respectu illius in ratione objecti terminativi habitudinis intellectus, non ut multiplex, sed ut una eam terminat, & secundùm quòd est præscindibilis secundùm quid, & fundamentaliter distincta à propriis rationibus inferiorum, ideò in ratione objecti terminativi, & specificantis, simpliciter est una, quia ut tali modo nata est concipi, & non aliter est objectum specificans. Sic egregiè ex D. Tho. discurrit M. Catalam hic dub. 1. ad ultimum. Ex quibus solvi possunt ferè omnes instantiæ ad idem intentum.

Subdit autem posse Thomistas in oppositum relatos in bonum sensum redigi, si dicatur tantum voluisse affirmare, neque in ratione entis, neque in ratione objecti intelligibilis, loquendo de reali intelligibilitate, quæ dicitur proprietas entitatis realis; posse dari rationem realem unam specie, & univocè communem Deo, & creaturis, quod non negatur, quia omnis realis perfectio priùs convenit Deo, & creaturæ solùm per participationem ab illo, cæterum nec ratio entis, nec intelligibilitas ejus secundùm se considerata est objectum specificans intellectum humanum, quia tota illa attingitur etiam ab intellectu angelico, & divino, sed ut nata speciali modo prædicto attingi ab humano, sub quo non attingitur à divino, nec angelico. Hic verò modus intelligibilitatis nil reale addit, sed est ipsa entitas, & intelligibilitas realis entis analoga, ut fundat relationem rationis mensuræ ad intellectum humanum, ut ad mensuratum; esse autem intelligibile ab intellectu creato non dicit relationem realem in ente, sicut nec esse scibile in objecto scientiæ, quia relationes tertii generis, ut dictum est in logicis; non sunt mutuæ reales ex parte utriusque extremi. Neque est necessarium, quòd modus, aut ratio sub qua attingitur objectum à potentia, vel scientia dicat perfectionem aliquam realem in objecto, ut patet in ratione non visi, quæ, ut plures docent, est ratio sub qua specificativa fidei supernaturalis, & tamen ad hujus objectum, utpotè increatum, nullam addere potest.

ad etiam principaliter arg. prosequendo rationem à priori jam insinuatam, & potest esse replica contra superiora. Adæquatum specificativum alicujus potentiæ debet esse ejusdem ordinis cum illa, sed intellectus noster est adæquatè de ordine naturæ, nam hac ratione prob. infrà non habere vires proximas ad visionem, ergo nequit ens supernaturale pertinere ad specificativum ejus, ita ut non ens comprehendens utrumque, sed tantùm naturaliter cognoscibile specificet illum; ma. patet quia cùm potentia speciem capiat ab objecto, debent ad invicem commensurari. §. Urg. hoc quia saltem connexivè noster intellectus deberet esse de ordine supernaturali, id est habens connexionem cum ente supernaturali, si semel istud pertinet ad ejus specificativum, nam hac ratione est de ordine naturæ habens connexionem cum ente naturali, quia istud spectat ad specificativum illius, sed hoc non admittitur, ergo, &c.

Ad hoc distinguo primò maj. sic. Adæquatum specificatiuum, si sit istud tantæ latitudinis ut intra lineam sui specificativam claudat aliquod objectum excedens, ut in casu, ut vidimus, nego; si sit ratio limitata, & homogenea in omnibus objectis intra illam contentis, ut præcipuè contingit in objectis habituum, quæ utpotè determinationes potentiarum, habent objectum magis limitatum, transeat, vel conc., & disting. claritatis gratia mi., est adæquatè de ordine naturæ, entitativè, vel subjectivè, aut secundùm vires proximas, conc., radicaliter, aut potentialiter vel terminativè, nego, quia ut vidimus ex D. Tho. eò quòd natus est omnia fieri, potest intra sui specificativum admittere aliquod objectum excedens, quia specificativum respectu potentiæ præsertim intellectivæ potentis ex eadem amplitudine, ob sui immaterialitatem omnia fieri, non limitatur ad purum ens naturale, aut naturaliter cognoscibile, sed potest includere etiam excedens, vel supernaturale, & in universum quodlibet intelligibile, ad quod potest pervenire, sivè per vires proprias, sive per vires gratiæ, ut dictum est. Undè ad quodlibet dicit præfatam habitudinem, aut coaptationem essentialem, saltem ut continetur in communi ratione entis sub ratione ejus specificativa.

Ex his secundò dist. eandem ma. Debet esse ejusdē ordinis, tam quoad implicitum, quam quoad explicitum nego; quoad explicitum trāseat, vel conc., & dist. mi., est de ordine naturæ cum capacitate elevabilitatis per gratiā ad intelligendum entia supernaturalia, conc., aliter, vel sine illa, nego; unde licèt sit adæ-

adæquatè de ordine naturæ per exclusionem virium proximarum, non tamen per exclusionem prædictæ coaptationis, & habitudinis, quam dicit ex sua ratione formali, vel in ratione potentiæ formaliter, ut factus in actu per vires gratiæ possit videre, in quo etiam consistit debita commensuratio, ut dictum est, dum utrumque suo ambitu saltem implicitè continet.

Ad confirmat. Illustrissimus Godoy ad 2. existimat non esse inconveniens, quòd ens naturale connectatur cum ente supernaturali, ut possibili, sed tantùm cum existente; & consequenter cum Deo, ut clarè viso, vel cum clara ejus visione, & licet status possibilitatis Deo in se repugnet, non tamen formaliter ex vi connexionis potentiæ. Ex quo tamen asserit non esse inferendum, vel quòd productio visionis non sit supra exigentiam omnium causarum naturalium, cum productio effectus non sit suprà exigentiam causæ, quando intrà illam continetur, & cum illa connectitur, ut possibilis: vel quòd etiam teneretur connecti cum illa, ut existente, aut extitura, cum qualibet potentia petat aliquando reduci ad suum actum. Nam ad primum dicit ità esse, quando est positiva connexio, & proportionata cum possibilitate effectus, non verò si tantùm improportionatè, & per non repugnantiam. Et ità respondet ad 2., quòd sic petat reduci, quando est actus proportionatus, & non excedens, ut contingit in casu.

Sed hæc solutio apparet difficilis nisi aliquid addatur. Nam ex eo ens naturale nequit connecti cum ente supernaturali, ut existente, quia ut existens est ordinis superioris à toto ordine naturæ, sed hunc pariter superat, ut possibile, cum possibilitas pertineat ad eundem ordinem existentiæ, hæc enim, sive ens existens necessariò connectitur cum sui possibilitate, nam destructa possibilitate destruitur, & existentia; qua ratione infrà de Trinitate efficaciter infert contrà Vasquez necessariam connexionem omnipotentiæ cum possibilibus, quia sicut implicat existentia actionis absque existentia termini, ità virtus productiva absque possibilitate ejus, nisi velimus posse dari existentiam effectus absque possibilitate illius, quod est implicatorium, ergo si semel repugnat connexio cum illo ut existente, videtur pariter repugnare cum eodem ut possibili.

Aliter ergo ex dictis dist. ant., cum ente supernaturali, ut supernaturale est formaliter, & expresè, nego ut confunditur à ratione specificativa entis; conc., nam sicut non tenetur esse supernaturalis, quia non attingit illud ut tale est formaliter, & expresè, ità nec tenetur connecti cum illo, ut tali formaliter, & expresè, quia non specificat ut supernaturale est formaliter, & expresè, sed tantùm ut convenit cum naturali in communi ratione entis specificativa intellectus, qua ratione, ut vidimus, licet quælibet potentia habeat naturaliter inclinari ad suum objectum specificativum, non tamen tenetur intellectus inclinari ad Deum clarè visum explicitè, ut talem, sed tantùm ut confunditur à ratione entis. Ex quo iterum inferimus quòd nec possibilitas claræ Dei visionis, estò intrà spheram specificativam nostri intellectus contineatur, lumine naturali demonstrari potest, nec Deus clarè visus ab intellectu etiam angelico comprehendente nostrum intellectum, vel specificativum ejus, naturaliter attingi, quia ut dictum est, licet pertineat ad illud; pertinet tamen prout sic secũdùm excessũ, unde nec comprehenditur idẽ specificativũ ab illo tam quoad explicitũ, quam quoad explicitũ, sed tãtùm quoad explicitam rationẽ entis, in qua omnes partes subjectivæ conveniunt, sed quia altera ex his est excedens, non est necessarium quòd pertineat ad cognitionem habitam per vires naturæ.

3º. Arg. (& est replica contra superiora.) Ut Deus clarè visus contineatur intrà objectum specificativum intellectus, non sufficit dicere coaptationem, ut factus in actu per lumen, & speciem Deum videre possit, ergo non continetur intrà illud, conf. tenet ex dictis, hac enim potissimè ratione id asseritur à nobis; ant. verò prob., etiam potentia sensitiva in nobis prout est nata obedire rationi attingit objecta virtutum, & vitiorum, aut peccatorum, ut 1. secundæ ad quæst. 71. ostenditur, & tamen non continentur intrà ejus specificativum, utpotè quid spiritnale, & cadens sub regula honestatis, quæ spiritualis est, qua ratione dicimus non posse Angelum, vel objectum quodcunque spirituale cadere sub objecto specificativo visus, vel auditus; tum quia aliàs caderent sub specificativo naturæ sensitivæ brutorum, quæ ejusdem speciei est cum sensitiva hominis, sicut, & earum potentiæ, ut patet in visu, & auditu, quæ ejusdem speciei sunt, ut jam in superioribus innuimus ex D. Thom., & infrà etiam constabit ex eodem, ergo id non est sufficiens, ut Deus clarè visus pertineat ad objectum specificativum nostri intellectus &c.

Ad hoc, quod etiam potest militare contrà secundam conclusionem, nego ant., ad prob. dist., & explic. ma., attingit objecta virtutum &c. Si hæc nempè bonum honestũ, vel non honestum accipiantur universaliter, nego, si participativè, conc., & dist. mi., si accipiantur priori modo, conc., si posteriori, nego; bonum ergo virtutis v. g., scil. honestum potest dupliciter accipi, primò universaliter, & sic est extrà omnem rationem sensibilitatis, unde non solum non ingreditur specificativum sensus, sed neque potest ab illo attingi, & quoad hoc poterat paritas retorqueri, nam etiam probaret, quòd nec possit Deus clarè visus attingi ab intellectu creato, & non solum non pertinere ad ejus specificativum.

2º. Participativè, & tunc spectat ad ejus objectum, nam sicut sensus est participativè rationalis, quamvis sit materialis, & corporeus, sic & honestum est participativè materiale, & est intrà lineam sensibilis, in quo differt idem honestum ab objecto spirituali, vel etiam ab universali, ut tali, nam ista, scil. tam spirituale, quam universale sunt adæquatè extrà lineam sensibilis, non enim istud, ut tale potest convenire singulari, nec spirituale rei corporeæ, & ideò ità sunt extrà, prout sic, ut nullo modo possint attingi à sensu etiam ut subordinato rationi, quia neque ut subordinatus potest exire limites sensibilis, cæterum honestas potest convenire bono sensibili, à quo appetitus sensitivus habet suam speciem. Et ex hac parte etiam poterat itarum retorqueri paritas; quia Deus clarè visus non ità excedit, ut sit extrà lineam entis, vel intelligibilis, unde intellectus noster, qui est tantæ universalitatis intrà forum intelligibile, ut possit omnia fieri, ut vidimus ex D. Thom., tantùm indiget proportionari in ordine ad aliquid contentum intrà sui specificativum, quod habet per lumen, supposita eadem coaptatione sibi conveniente ex sua ratione formali, ut explicatum est. Hæc verò coaptatio repugnat sensui in ordine ad idem honestum prout est excedens, sive universaliter sumptum, aut sistit intrà lineam spiritualitatis.

Et per hæc patet ad primam probat. annexam, quòd nempè istud sit quid spirituale. Ad id verò quod

sub-

subditur de regula honestatis, similiter distinguimus, quòd alia in homine est universalis,& veluti per essẽtiã,seu per se talis,scil.ratio superior,alia particularis, & talis per participationem, scil. cogitativa, & licet prior sit spiritualis, posterior tamen est materialis circa sensibilia materialia, unde licet prima nequeat immediatè regulare appetitum sensitivum, vel ejus honestatem, benè tamen posterior, & ideò juxtà hanc regulatus potest attingere objectum virtutis, & vitii &c.

Ad 2. Illustriss. Godoy ibid. de vitiis, & peccatis tract. 3. disp. 18. §. 2. Admittit distinctionem specificam inter potentias sensitivas hominis ab illis brutorum in ratione proprietatis, non tamen in ratione potentiarum, nec etiam quoad omnes, sed tantùm quoad illas, in quarum objectis invenitur diversitas specifica, & quia hæc non apparet in objecto visus, & auditus, benè verò in illo cogitativę in homine, & æstimativæ in bruto, ideò istæ habent essentialiter distingui in ratione potentiarum, non tamen illæ, & consequenter non est necesse, quòd id, quod continetur intrà specificativum cogitativæ hominis, contineatur intrà illud æstimativæ in leone.

Sed hæc solutio attenta præcipuè ratione proprietatis in his potentiis etiam comparativè ad objectum juxtà superiorem explicationem prout in 2. concl.; non videtur ad mentem D. Thom., quòd istæ posteriores distinguantur specie, nam infrà quæst.78.art.4. ad 5. inquit; *dicendum, quòd illam eminentiam habet cogitativa, & memorativa in homine, non per id, quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem universalem secundùm quandam refluentiam, & ideò non sunt aliæ vires, sed eadem, perfectiores, quàm sint in aliis animalibus.* Ecce quòd D. Thom. non distinguit illas, (& idem est de appetito sensitivo) sed tantùm superaddit modum excellentiorem prout in homine ex affinitate, & propinquitate ad rationem universalem secundùm quandam refluentiam, sicut in simili proportionabiliter diximus de utraque justitia commutativa infusa in Christo, & in nobis, quòd sint idem specificè juxtà modum illum probabilem, de quo latè, & ex possesso dictum est 3. par. ad art. 2. quæst. 1., licet in Christo habeat eminentiam, & valorem secundùm refluentiam ex persona Verbi, qua potest offerre satisfactionem æqualem pro mortali offensa &c.

Ex his etiam ad eandem probationem resp., quòd supposita adhoc prædicta identitate, non tamen in aliis tenentur hujusmodi potentiæ attingere idem objectum, quod in homine, ob imperfectiorem modum in illis, cũ non sint ibi participativè rationales, sicut in homine, estò aliàs contineant intrà sui specificativum, attenta præcisè earum ratione formali, vel specifica, aut secundùm quòd sequuntur ad naturam sensitivam secundùm se, ut patet in eadem justitia infusa, & similiter diximus de nostro intellectu in 2. conclus., & ab initio in explicatione ultimi modi dicendi, quidquid sit, quòd in tali, vel in tali subjecto, in quo non habent affinitatem, vel propinquitatem ad rationem universalem sicut in nobis, non possint ad illud etiam ut participativè tale pervenire.

4. Arg., (& est iterum replica contra superiora) Intellectus noster præcisè ut potentia vitalis naturalis nequit per se respicere, aut inclinari ad eliciendum actum vitalem, ut abstrahit à vitali naturali, & supernaturali, ergo nec poterit naturaliter inclinari ad ens abstraheos à naturali, & supernaturali, & consequenter nec implicitè poterit ad Deum clarè visum terminari; hæc ultima conf. tenet ex dictis, quia in tantùm sic modo terminatur; quia inclinatur ad ens abstrehens, & non ad determinatè naturale, prima etiam constat, quia non tendit nisi mediantè actu, ant. etiam est certum in via D. Thom., in qua intellectus creatus, nec sub ratione supernaturalis, nec sub ratione vitalis potest proximè influere ex propriis ad actum visionis beatæ &c.

Ad hoc, nego utramque conf., & disparitas est, quia ad causandum actum, ut dicemus infrà, requiritur præcontinentia ejus, potentia enim vitalis præcisa vitalitate de ordine naturæ nequit continere actum vitalem vitalitate de ordine gratiæ, & consequenter neq; inclinari ad actum abstrahentem, in quo ut pars subjectiva contineatur supernaturalis actus; ut verò inclinetur ad objectum abstrahens non requiritur aliqua hujusmodi præcontinentia ex propriis, sed satis est, ut vidimus, quòd ex sua ratione formali dicat coaptationem; & aptitudinem, ut elevata per lumen possit attingere supernaturale, & excedens, in quo nullum est inconveniens, cum ad hoc necessarium non sit, quòd aliquod supernaturale, ut supernaturale est, terminet inclinationem naturalem, sed tantùm ratione prædicati communis sibi, & enti naturali, ut dictum est.

§. V.

Solvuntur argumenta contra secundam.

PRimò arg. Secundùm nostrum modum dicendi non salvatur intellectum nostrum esse unam potentiam secundùm speciem, consequens non admittitur, ergo, prob. sequela, quia secundùm D. Thom. infrà qo.77. art.3., potentiæ distinguuntur penes objecti specificativi distinctionem, sed hic modus dicendi duo illi specificativa assignat, alterum in ratione potentiæ, ut consequitur gradum substantiæ intellectualis, alterum in ratione proprietatis, prout habet in nobis determinatum modum operandi, ergo non erit unus secundùm speciem;

2ò. Quia non stat latitudinem tendendi ad eos ut sic convenire illi secundùm rationem superiorem potentiæ intellectivæ, repugnante illi ut humanæ, vel secundùm rationem inferiorem prout in nobis, nam hac ratione dicimus infrà de Trinitate, & alibi, quòd intellectioni ut sic non stat convenire hoc, quod est producere verbum, & quòd illi repugnet ex conceptu differentiali, quo visio est, ut in simili etiam dictum est, in logicis circa tertium prædicabile in ordine ad prędicari de pluribus differentibus specie, quòd non potest repugnare illi, ex quo athoma, est si semel convenit illi positivè, ex quo differentia est, ergo.

3ò. Quia, ut dicebamus; si Deus ut clarè visus non continetur intrà specificativum nostri intellectus, ut humanus est, vel prout in nobis, sequitur quòd homo tantùm beatificetur secundùm quòd intelligens, non secundùm quòd est intelligens humanum, conseq. est falsum, aliàs non beatificaretur reduplicativè ut

homo, ergo, prob. sequela, quia beatificatur homo per visionem Dei, ergo si Deus, ut clarè visus non continetur intrà specificativum nostri intellectus prout in nobis, vel ut humanus est, jam homo, ut homo non videbit Deum, & consequenter non beatificabitur ut homo &c.

4ò. Et simul urg. procedens. Nam sequitur iterum, quòd homo, ut homo non videat Deū principaliter, cons. est contrà communem consensum, ergo, prob. sequela, quia nulla causa in universum operatur principaliter extrà suum objectum specificativum adæquatum, ergo si Deus, ut clarè visus non continetur intrà specificativum intellectus nostri prout in nobis, homo, ut homo non videbit principaliter &c.

5ò. Denique. Nam ex eo excludimus intellectum nostrum prout in nobis à specificativo angelici, quia prout sic inferior est gradu, & specificè distinguitur ab illo, sed hęc ratio non convincit distinctum specificativum adęquatum, ergo, prob. mi., tū quia licet inferior sit in statu, modo unionis, non tamen in illo separationis, cum prout sic, utpotè quid medium inter extremum purè sensitiuum, & superius angelicum, participat de gradu istius. Tum quia, ut illum distinguamus ab angelico satis est assignare unum tantùm specificativum, quod ut attingitur ab intellectu nostro per suas vires naturales proximè faciat distinctas operationes in homine ab eis, quas facit in Angelo operante proximè per suas naturales, & ut iterum attingitur ab humano per vires supernaturales faciat in nobis intellectionem ejusdem rationis athomæ cum illa, quam similiter elicit Angelus per vires gratiæ, ergo idem omninò erit specificativum utriusque cum sola diversitate in ordine ad vires proximas naturales &c.

Ad primùm, nego ant., ad probat. dist. mi., dat illi duo specificativa alterum materialiter se habens ad rationem formalem specificativam potentiæ intellectivę, conc., formaliter, & attenta ejus commensuratione, & coaptatione essentiali ad objectum intelligibile, & actus intelligendi, nego ant. & cons., quia modus ille determinatus operandi prout in nobis non est sufficiens ad multiplicandum specificativum intellectus in ratione potentiæ intellectivæ modo explicato, sed materialiter se habet ad rationem sui formalem specificativam, utpotè imperfectè, & inadæquatè se habens respectu illius prout sic, quia ut vidimus ex D. Thom., cum ob sui amplitudinem, vel immaterialitatem sit poteos omnia fieri, non habet formaliter diversificari ob rationes inferiores ad eus ut sic, aut ob solam diversitatem modi operandi veluti subjectivam, sivè ortam ex conditione subjecti, id enim materialiter tantùm se habet, & inadæquatè, unde salva sui unitate specifica potest ad omnes hujusmodi rationes, & diversum modum operandi se extendere, ut statim iterum declarabitur.

Ad 2. dist. ant., non stat convenire illi ex ratione superiori, repugnante secundùm inferiorem, repugnantia orta ex sola conditione subjecti, vel quasi ab extrinseco, nego, aliundè, vel ex meritis lineæ intellectivę pro formali, & veluti ab intrinseco, cōc., & hoc convincunt probationes annexæ. Itaque ut dicebamus, sicut justitia commutativa infusa ex sua ratione formali respicit æqualitatem constituendam inter extrema, sive finita, sive infinita sint, & tamen in nobis utpotè minus habens ex defectu subjecti non habentis valorem æqualem nequit eam respicere in ordine ad Deum, ità intellectus noster, quamvis ex sua ratione formali, aut secundùm prædictam commensurationem, & coaptationem essentialem ad objectum respiciat specificativè ens ut sic comprehendens etiam supernaturale, potest nihilominus ut in nobis habere inferiorem, vel minus perfectum modum operandi, quo sufficienter distinguatur ab angelico habente perfectiorem, vel magis universalem prout in Angelo, salva utriusque unitate specifica in ratione potentiæ intellectivæ secundùm se, vel absolutè consideratæ, quia in ordine ad illum secundùm hanc rationem, uterque ille modus inadæquatè, & materialiter se habet, licet sit sufficiens ad distinguendum utrumque in ratione proprietatis minus universali, vel inferiori, ut dictum est; sicut in simili etiam dicimus de duobus actibus intrà forum ejusdem scientiæ, quòd licet facta comparatione utriusque secundùm hanc rationem inferiorem actus, sufficienter habeant, unde possint inter se specificè distingui, hæc tamen distinctio eorum, utpotè inadæquatè se habens ad rationem formalem scientiæ, vel habitus, materialiter se habet ad illam, unde salva sui unitate specifica, potest eadem scientia admittere hujusmodi distinctionem specificam actuum inter se.

Ad 3., nego suppositum maj., quòd intellectus noster habeat beatificari, aut Deum videre secundùm vires, quas habet à sui radice prout in nobis, sed tantùm per vires gratiæ, unde ut dicatur beatificari etiam ut humanus, satis est, quòd ex sua ratione formali, ut dictum est; dicat coaptationem, & aptitudinem, ut factus in actu per lumen, & speciem supernaturalem, possit illum videre; ex hoc enim negamus potentiam visivam posse ullo modo pervenire ad claram Dei visionem, in qua nostra beatitudo pro formali consistit, quia neque ut in tali subjecto; neque ex propria ratione formali potest dicere coaptationem, & aptitudinem, ut facta in actu per aliquod supernaturale attingat objectum spiritnale, quia nempè istud est adæquatè extrà suum specificativum; per quod etiam patet ad ejus probationem &c.

Ad 4., nego sequelam, quia ad hoc requirebatur, quòd esset extrà per excessum utroque modo, unde ut dicatur principaliter concurrere, satis est, quòd ex eadem sui ratione formali dicat prædictam coaptationem, & aptitudinem, sic enim adhuc continetur intrà limites proprios, ut non indigeat elevari per modum puri instrumenti &c.

Ad ultimum dist. mi., non convincit distinctum adæquatum, facta comparatione inter se in ratione proprietatis modo explicato, nego, in ratione potentiæ intellectivæ, vel in ordine ad ejus rationem formalem, conc. sicut enim, ut vidimus, quod est adæquatum respectu actuum, est inadæquatum respectu habitus; ità, quod est adæquatū respectu utriusque intellectus in ratione proprietatis, utpotè minus universalis, est inadæquatum respectu eorum in ratione potentiæ intellectivæ, vel in ordine ad ejus rationem formalē, nam priori modo consequitur ad talem determinatam radicem vel naturam, unde habet determinatum modum, vel magis limitatū operandi; posteriori verò ad gradum substantiæ intellectualis utriq; communem, quę est superior, & magis universalis, & consequenter minus coarctatur intellectus noster prout sic in modo operandi, unde potest habere ità amplum specificativum, sicut angelicus, & respectu utriusque secundùm hanc considerationem, materialiter se habet, & inadæquatè vel minus perfectè, ut dictum est, alter modus operandi &c.

Sed contrà hanc, & superiores solutiones instas retorquendo paritatem justitiæ commutativæ, Nam quia hæc

hæc ex sua ratione formali tendit ad idem objectum æqualitatis constituendæ inter extrema etiam inæqualia in nullo subjecto, sive in Christo, sive in nobis patitur distinctionem specificam, estò in nobis habeat distinctum modum, val longè minus perfectum operandi, cum solo excessu personali ex parte Christi, ergo si uterque intellectus ex sua ratione formali respicit idem objectum, scil. ens ut sic, in nullo subjecto, sive angelico, sive humano habebit specificativum distinctum, estò in nobis habeat minus perfectum modum operandi, & consequenter, vel utroque modo distinguendi erunt specificativè, vel nullo &c.

Resp. neg. cons., quia non est assumenda paritas quoad omnia, nisi etiam velimus quòd radix utriusque intellectus, scil. natura angelica, & humana sit ejusdem rationis, vel speciei, sicut radix utriusque justitiæ, nempè gratia habitualis ejusdem rationis est in Christo, & in nobis, unde major latitudo quoad hoc assignanda est inter utrumque intellectum, quam inter utramque justitiam. Dicimus ergo, tenere ad hunc sensum, quòd sicut eadem justitia ex sua ratione formali juxtà modum illum probabilem dicendi, habet respicere æqualitatem constituendam inter extrema quæcunque sint, estò in nobis non respiciat illam in ordine Deum ex defectu subjecti non habentis valorem æqualem, ità intellectus noster ex sua ratione formali prout potentia intellectiva est consecuta ad prædictum gradum substantiæ intellectualis utrique communem respicit ut sui specificativum ens ut sic, sub quo etiam venit Deus clarè visus, estò in nobis, ut consequitur, & deservit naturæ minus immateriali nequeat illud attingere secundùm illam immaterialitatem, & universalitatem, qua correspondet angelico, quæ quidem diversitas, utpotè orta ex diversitate naturæ secundùm tendentiam ad objectum sic diversimodè immaterialiter attactum, formalis est, & consequenter sufficiens ad distinguendū aliquomodo specificativè utrumq; intellectum, scil. in ratione proprietatis licet non in ratione potentiæ intellectivæ, quia cum prout sic, ut dictum est, oriatur ex superiori gradu substantiæ intellectualis utrique univocè communi, non est talis diversitas, vel excessus secundùm immaterialitatem in angelico supra nostrum, unde possunt specificè convenire, sive habere idem objectum specificativum.

Hanc verò identitatem, vel diversitatem formalem nequit sic admittere justitia commutativa etiam ut in nobis, quia cum ejus objectum sit æqualitas, quæ in indivisibili consistit, nequit sic diversimodè attingi intrà suum sui formale, vel specificativum, sicut prædicto modo attingitur ens, sed solum secundùm diversitatem materiæ æqualiter, vel inæqualiter exhibitæ ex sufficientia, vel in sufficientia subjecti habentis, vel non habentis valorem æqualem; & ideò magis dicuntur personaliter distingui, quam formaliter, vel specificativè. Sed de his latà infrà de Incarnatione &c.

Ex dictis colligimus, quòd loquendo de intellectu nostro secundùm eandem commensurationē, vel rationem formalem ad objectum, non solum continetur Deus clarè visus sub ejus objecto terminativo, sed etiam motivo, cum in eo, quòd cum aliis convenit in ratione entis non solum habet posse terminare, sed etiam movere. Tum quia de facto unitur illi per modum speciei influentis ad cognitionem, quod est movere ratione sui.

20. Etiam facilè solvimus difficultatem ab initio insinuatam, nempè quòd intellectus noster specificativè respicit ens, ut connotat quiditatem sensibilem; dicimus namque ità esse, vel loquendo de objecto proportionato, vel de intellectu prout in nobis consequitur radicem non plenè immaterialem, ut explicatum est. secus verò ut consequitur ad præfatum gradum substantiæ intellectualis nobis, & Angelis communem; sic enim ut dictum est respicit ens abstrahens ab omni sensibilitate, & physica potentialitate, solam retinens metaphysicam, prout nempè includit creaturas, quæ potentiales sunt.

Nec obstat hujusmodi potentialitas entis, ut dicatur Deus clarè visus includi in illo tanque pars subjectiva ejus, estò actus purus sit. Quia licet ità sit, quòd Deus in se excludat omnem potentialitatem, non repugnat tamen modo finito attingi, quod est dici quid potentiale objectivè, unde etiam quoad an est, vel ut est author naturæ pertinet ad objectum metaphysicæ, quod est aliquid potentiale, utpotè similiter includens creaturas.

QUÆSTIO TERTIA.

An detur appetitus innatus ad gloriam.

De appetitu innato, qui prævenit cognitionem, & est per modum ponderis naturæ, & quasi proprietas rei, modo inquirimus an detur in nobis, vel in Angelo, & quia plura de illo jam dicta sunt in examinando alteram rationem D. Thom., ea subjiciemus, quę poterant desiderari ad pleniorem notitiam. In quare duplex est sententia extrema, & altera media: prima absolutè affirmat, quam tenet Scotus in 4. dist. 49. qu. 10., & attribuitur etiam Durando ibid. quæst. 8. & Mag. Soto qu. 2. art. 1., & lib. 1. de natura, & gratia, cap. 4., & videtur ex recentioribus consentire Valentia par. 2. qu. 5. art. 8. disp. 1. punct. 1., licet non accipiat ibi appetitum pro inclinatione ordinis naturalis ad beatitudinem in particulari, sicut Scotus, sed pro capacitate ad illam, de qua statim dicemus.

2. Media distinguit de intellectu humano, & secundùm rationem specificam, & secundùm superiorem analogam ad humanum, angelicum, & divinum; priori modo negat illi hunc appetitum, concedit verò posteriori. Ità Mag. Errera sequutus Martinez 1. 2. qu. 3. art. 8. dub. 2. concl. 7.

3. Extrema absolutè negat, Ità jā communiter Thomistæ, & PP. Societatis uno, vel altero excepto; sed quia idem est inquirere an detur hic appetitus in nobis, & an Deus clarè visus sit naturalis finis hominis, suppono in hoc omnes convenire, quòd non sit finis naturalis quoad assecutionem, cum ad Deum clarè videndum indigeat supernaturali lumine in communi sententia, & est certum de fide, unde difficultas est tantùm de naturali fine quoad inclinationem supponendo etiā dari capacitatem ad sic videndum Deum ut dictum est, sicut, & ad alia dona supernaturalia, quam nos vocamus potentiam obedientialem, licet aliqui deinde ut Erice disp. 37. cap. 2. concl. 3., & Alarcon tract. 1. de visione Dei disp. 1. cap. 3. existiment hanc esse, vel fundare appetitum innatum, quem vocant obedientialem, sed immeritò, cum appetitus innatus, ut di-

dictum est, & constabit infrà tantùm fit ad formam debitam, & non excedentem, ad quam est potentia obedientialis, nam hæc non importat exigentiã, ant debitum formæ, sed puram capacitatem, unde in subjecta materia respicit vires superiores, vel Deum authorem gratiæ, modo alibi explicato in primo physicorum.

2. PRIMUS.

Statuitur conclusio.

NOn potest in nobis admitti appetitus naturalis innatus ad claram Dei visionem. Est D. Thom. hic, & in 4. dist.49. qu.1. art.3. quæstiunc.3. , ubi ait, *Quòd quamvis ex inclinatione naturali voluntas feratur in beatitudinem secundùm communem rationem, tamen quòd feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est per inclinationem naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel illo summum bonum constare.* Idem docet infrà q.23. art. 1.,& q.62.art.1.,& a.,& 1.2.q.114.art.2.,& de veritate q.22. art.2., ubi non solum quoad assecutionẽ, sed etiã quoad inclinationem expressè negat hunc appetitum ad visionem dicens. *Homo autem secundùm naturam suam proportionatus est ad quandam finem, cujus habet naturalem appetitum, & secundùm naturales vires potest ad consecutionem illius finis, qui finis est aliqua contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundùm facultatem naturæ, in qua Philosophi ultimam hominis felicitatem posuerunt, sed est aliquis finis, ad quem homo à Deo præparatur, naturæ humanæ proportionem excedens, scil. vita æterna, quæ consistit in visione Dei per essentiam quæ excedit proportionem cujuslibet naturæ creatæ soli Deo connaturalis existens, unde oportet, quòd homini detur aliquod non solum per quod inclinetur ejus appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quandam dignitatem, secundùm quam talis finis sit ei competens, & ad hoc, datur gratia, ad inclinandum autem affectum in hunc finem datur charitas; ad exequendum autem opera, quibus prædictus finis acquiritur, dantur aliæ virtutes, & ideò sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa, quàm inclinatio naturæ, & ejus motus, & operatio; ità & in gratuitis est aliud gratia à charitate, & à cæteris virtutibus.* Quem egregium ordinem probat ex D.Dionys. cap.2. cælest.Hierarch. ubi dicit, quòd *non potest aliquis habere spiritualem operationem, nisi prius esse spirituale accipiat, sicut nec operationem alicujus naturæ, nisi prius habeat esse in natura illa.*

In quibus tria valdè consideranda sunt; primum quidem ad nostrum intentum, quòd respectu beatitudinis excedentis, qualis est visio Dei in visione non datur appetitus naturalis etiam quantum ad inclinationem, & non solum quantum ad assecutionem. Secundùm, (quòd etiam potissimè confert ad idem intentum) appetitum nempè innatum, ut suprà innuimus; non esse præcisè essentiam, sed magis quasi proprietatem, consequentem ad illam, sive ipsam essentiam, ut propensam ad propriam, & connaturalem perfectionem, & ideò etiam formaliter distinximus illum ab ordine essentiali, quem dicit potentia ad objectum, constitutivo illius, sicut formaliter distinguitur, ut dictum est; appetitus materiæ ad formam à potentia ad illam, quæ est ratio constitutiva, sive essentialis materiæ, unde nequit se extendere ultra limites rei, cujus est appetitus, imò nec se extendit ad omnia, ad quæ idem ordo essentialis, quia in termino istius, ut explicatum est, potest venire aliquod excedens puram inclinationem naturę. Tertiùm verò, quòd quia operari sequitur ad esse, scil. spirituale operari ad esse spirituale, & operari supernaturale ad esse supernaturale, manifestè infertur, ut dicemus infrà; impossibile esse, quòd sine omni dono intrinseco, vel qualitate supernaturali informante potentiam possit haberi actus supernaturalis cum sola assistentia extrinseca, sive cum omnipotentia extrinsecus tantùm auxiliante, cum non possit haberi in illa tale esse supernaturale sine aliquo intrinsecè unito per modum formæ; sic enim constituitur natura, vel esse sive in ordine naturali, sive supernaturali, qua ratione 3.par. dicimus non resultare tertiam naturam ex unione extremi divini cum humano, quia non uniuntur per modum naturæ, & formæ, sed per modum terminabilis, & terminantis; sed de hoc opportunè disp.3.

Ex his prob. principaliter conclusio. Implicat dari in natura appetitum innatum ad terminum excedentem totam facultatem naturæ, sed visio Dei in se eam excedit, ergo, mi. patet quia non est finis naturalis creaturæ rationalis, sed supernaturalis, ut tradit ibi D. Thom., & supra etiam qu.1. art.1., ma. verò prob., quia, ut dictum est, appetitus innatus est ipsa essentia rei, ut propensa ad propriam, & connaturalem perfectionem, ergo ex natura rei exigit posse reduci ad actum per naturæ vires, aliàs esset frustrà, unde Phyl. 2. de cælo tex. 28. dicit, quòd si astra haberent inclinationem naturalem ad motum progressivum, eis contulisset organa, & instrumenta, quibus sic moverentur.

Dices visionem esse finem excedentem quoad assecutionem, non quoad inclinationem. Sed contrà hoc est, quia non stat excedere quoad assecutionem, & non excedere quoad inclinationem, ergo si ità excedit, quòd non sint vires in natura ad assequendum, nec erunt ad inclinandum, prob. ant., quia ut dictum est, inclinatio naturalis nequit excedere naturam, cujus est inclinatio, cum habeatur ex ipsa natura, vel sit ejus veluti proprietas, sive ipsamet natura, ut propensa, aliàs neque esset naturalis, ergo sicuti quia visio est excedens naturam, tenetur excedere eam quoad assecutionem pariter tenebitur excedere quoad inclinationem &c.

Urgetur hoc, quia non stat naturam sic naturaliter inclinari ad aliquem terminum, & non exigere reduci in actu per vires naturæ ad illum assequendum, ut dicit argumentum præoccupando hanc solutionem; aliàs esset frustra, ergo si in illa deficiunt vires assecutivæ ob excessum termini, pariter deficiet inclinatio, & consequenter non stabit visionem excedere illam quoad assecutionem, & non excedere quoad inclinationem; 1. ant. constat, quia ut dictum est, naturalis inclinatio naturæ est ipsa natura ut propensa ad talem terminum, ergo non potest non exigere ut per naturæ vires tendat ad assequendum, vel ad actum assecutionis, ut patet inductivè &c.

Urgetur ulteriùs, & simul explic. hoc. Naturalis inclinatio est veluti pondus connaturale, aut impetus naturæ ad sui perfectionem, ergo non potest non exigere reduci in actu ad assecutionem ejus; at non potest exigere sic reduci per vires gratiæ, cum hæc superet omnem exigentiam naturæ, ergo solum exigere potest reduci per vires naturæ, ergo si istæ ob excessum termini sunt impossibiles, pariter erit impossibilis

lis inclinatio naturæ ad illum, unda non dabitur inclinatio, vel appetitus naturæ nisi ad propriam, & connaturalem perfectionem, ut efficaciter contendit argumentum; & patet evidenter ex ipsis terminis, nam inclinatio, vel appetitus naturalis rei cum sit ipsi connaturalis, utpotè fundatus in natura, non potest non esse ad connaturalem terminum, nisi velimus in natura aliquid fundari, vel esse ipsi connaturale respectu eorum, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, quod nequit admitti &c.

Dices, quòd videntur hæc omnia manifestè instari, nam in primis rectitudo charitatis est supernaturalis, & tamen est debita actui odii elicito per vires naturæ ut ostendimus infrà de vitiis, & peccatis ad salvandam malitiam privativam in eodem actu. Secundò in anima separata, quæ naturaliter appetit reunionem sui cum corpore, ut videtur docere D. Thom. infrà qu.76. art.1. ad 6., & tamen est naturaliter impossibilis, & solum per vires superiores, vel gratiæ eam assequi potest. Tertiò quia etiam in nobis est appetitus innatus ad vivendum secundùm rectam rationem, & tamen non possumus hanc rectitudinem consequi per puras vires naturæ sine auxilio gratiæ, igitur in natura poterit salvari aliqualis ratio debiti respectu alicujus supernaturalis; & etiam appetitus innatus ad illud, esto in illa non sint vires ad illud assequendum, per hoc solum, quòd sit finis ultimus illius, nam hac ratione salvatur in eadem anima separata ad reunionem, & in homine ad rectitudinem vitæ, quia obtinent rationem finis &c.

Sed contra hoc est, & quidem hæc exempla confirmant magis, quam enervent rationem factam, cum suis replicis contra priorem solutionem. Primum quidem quia si attendamus ad odium Dei secundùm sui rationem differentialem magis pugnat, quam debeatur sibi rectitudo charitatis, quidquid sit, quod sit ei debita, ex quo actus humanus est, debito orto ab extrinseco, seu ex vi legis, qua omnis actus humanus tenetur esse rectus, de quo latè ibi. Unde insto sic, licet actui odii Dei dicatur debita rectitudo charitatis, non tamen debito ab intrinseco, vel per modum inclinationis naturalis ad illam, sed tantùm ab extrinseco ratione subjactionis ad legem, reduplicata ratione actus humani, ergo licet diceremus esse aliquomodo debitam creaturæ intellectuali claram Dei visionem, scil. ab extrinseco reduplicata elevatione ejus ad illum finem ex summa Dei liberalitate, non tamen ab intrinseco, & per modum inclinationis, aut appetitus innati ad illam.

Contra 2. verò, & 3. exemplum insto sic, (& est alia optima ratio pro conclusione.) Tam materia, quam rectitudo vitæ, sunt quid ab intrinseco debitum animæ separatæ, & naturæ rationali, sed clara Dei visio nullo modo est debita ab intrinseco naturæ, cum superat, ut dictum est, totam facultatem ejus, ergo licet demus appetitum innatum in anima, ad materiam, & in homine ad rectitudinem vitæ, non tamen ad visionem Dei; ma. de materia constat, cum sit instituta ad componendum unum per se cum forma, unde dicunt ad invicem ordinem per se, vel essentialem, ut in primò physic. explicatum est; & in statu separationis non amittunt hanc sui naturam, qua ratione alibi de charitate dicitur, quòd modo anima separata in patria omni modo possibili non attendit adDeum, sicut attendet post reassumptum corpus, quia separata aliquomodo distrahitur perappetitum conjunctionis ad corpus, ut videtur insinnare D. Thom. 3. par. addit. qu.93. ar.1. ubi in corp. ait quod *perfectior erit beatitudo animæ post resumptionem corporis, quam antea*, scil. secundùm excessum fervoris, non secundùm gradualem intensionem, quæ semper est eadem, juxtà identitatem, & quantitatem luminis, ut non leviter innuit versus finem corp. dicès, & ideò anima separata naturaliter appetit corporis conjonctionem, & propter hunc appetitum ejus operatio, quæ in Deum fertur est minus intensa, & hoc est, quod dicit *Hieronymus, quod ex appetitu corporis retardatur, ne tota intensione pergat in illud summum bonum*, licet ità sit, quòd quia à privatione ad habitum, vel ad formam non sit naturaliter regressus, indigeat modo viribus superioribus ad hanc posterioram unionem, quod non tollit absolutam ejus naturalem possibilitatem.

De rectitudine etiam patet, quia esse hominem est secundùm rationem esse, unde dignitas hominis consistit in ordine, & rectitudine rationis, qua ratione vitium oppositum huic rectitudini est contra naturam ejus, ut ibidem ad qu.71. 1.2. ostendimus.

Ex quibus arg. iterum sic pro concl. Appetitus naturalis, vel innatus nequit dari ad formam non debitam, ut probatum est, nec dabitur instantia in contrarium, sed clara visio Dei non est forma debita naturæ, argo, mi. constat ex dictis, & latè ex dicendis.

2ò. Impugnatur solutio retorquendo iterum præcipuè hæc duo exempla. Nam falsum est, quòd in eo ordine in quo datur in anima, & in homine appetitus ad materiam, & rectitudinem vitæ non detur pariter possibilis assecutio per vires ejusdem ordinis, ergo si per vires naturæ non est possibilis assecutio Dei clarè visi non erit appetitus innatus ad illam, prob. ant., licet in anima sit appetitus ad materiam ex parte termini materialiter sumpti, non tamen ex parte viæ, ut jam insinuavimus, & explicatum est in primo phys., neque amplius intendit ibi D. Thom. Similiter in homine licet sit appetitus ad rectitudinem vitæ divisivè habendam vitando hoc, vel illud peccatum, implendo hoc, vel aliud præceptum, ut ibidem etiam de vitiis, & peccatis latè ostendimus ex D. Thom., non tamen in omnibus collectivè, sed ad habendam unionem animę cum materia præscindendo ad hoc, vel illo statu; & ad rectitudinem vitæ divisivè, non sunt necessariæ vires superioris ordinis, ut de 1. per se constat; & de 2. latè infrà in materia de gratia modo ibi explicato, ergo &c.

3ò. Impugnatur adhuc invertendo utrumque exemplum. Quamvis admitteremus in anima separata appetitum innatum ad materiam etiam ut reuniendam, hæc unio tamen elicitivè est per vires ordinis naturæ, licet modo in statu elevationis ad finem supernaralem imparativè sit à Deo authore gratiæ, ut in primo physic. explicatum est. Similiter si semel in homine daretur appetitus innatus ad rectitudinem vitę in omnibus collectivè, darentur pariter vires intrà eundem ordinem ad illam assequendam; quia cum hic appetitus, ut dictum est, sit connaturalis inclinatio, & veluti pondus, aut impetus rei, cujus est inclinatio, indispensabiliter importat tendentiam ad aliquod bonum connaturale, & consequenter assecutio illius non potest superare vires sui ordinis; unde adhuc non habetur, nec haberi potest inclinatio connaturalis intrinseca, quæ sit ad perfectionem excedentem, & non debitam, sive quæ sit assequibilis per vires alte-

riua,

rins, vel superioris ordinis. Ex quo etiam patet non sufficere, quòd sit finis, sed necessariò requiritur, quòd sit finis proportionatus, & non excedens, quia eo ipso quòd est connaturalis inclinatio, importat exigentiam, quæ nequit esse respectu finis excedentis &c.

4°. Ex his etiam prob. principaliter concl. destruendo fundamentum oppositæ sententiæ. Ex eo tenemur in homine assignare appetitum innatum ad claram Dei visionem, quia est finis, & perfectio ejus, sed hæc ratio est nulla, ergo, prob. min., tum quia, ut dictum est, licèt sit finis, & perfectio, non tamen est proportionata, sed supernaturalis, & excedens, ergo nequit esse appetitus innatus ad illam; conf. iterùm tenet ex dictis, quia iste utpotè connaturalis, est ad perfectionem propriam, & connaturalem, unde in hoc distinguitur ab elicito, quòd importat habitudinem fundatam in natura ut natura est, & non ut cognoscens, ut etiam fatentur contrarii, Rada hic ar. 2., sed inter entitatem purè naturalem, & supernaturalem nequit esse proportio, aut positiva convenientia orta ex ipsa natura, aliàs non esset supernaturalis, & excedens, ergo. Secundò prob. eadem principalis min. ratione, qua utuntur plures Recentiores ex nostris, Salmant. hic n. 64., & Godoy dub. 3. Non minùs unio hypostatica est perfectio humanitatis, quàm clara Dei visio sit perfectio hominis, vel Angeli, sed ad illam non admittitur etiam in opposita sententia appetitus innatus, & patet, aliàs modò Angelus existens sub propria subsistentia haberet appetitum innatum ad illam, quod est impossibile, nisi velimus illum ab intrinseco corruptibilem, cum hac ratione corpus aliquid est corruptibile, quia existens sub una forma habet appetitum ad aliam &c.

Dices primò ut suprà, quòd licèt visio sit finis excedens quoad assecutionem, non tamen quoad inclinationem, nam prout sic est finis noster naturalis, quia ut dicatur talis, satis est, inquit Rada hic in fine artic., quòd sit propensio, & inclinatio naturæ ad illum. 5. Sed hæc solutio sufficienter impugnata est; quia non stat excessus quoad unum, sine excessu quoad aliud, quia non stat esse terminum naturalis inclinationis cum excessu supra vires illius ordinis, in quo est inclinatio, vel appetitus; unde quod ait esse finem nostrum naturalem, quia est propensio, & inclinatio naturæ ad illam, videtur petitio principii, & de subjecto non supponente, nam id est, quod inquirimus, an possit natura sic esse propensa ad finem excedentem, & eo ipso, quòd est excedens, repugnat admittere talem appetitum in natura, ut probatum est.

Dices ergo secundò ad posteriorem prob., quòd est disparitas, quia licèt unio hypostatica sit perfectio humanitatis, divina tamen subsistentia non est perfectio consona illius, vel naturæ, sicut est visio respectu intellectus angelici, vel humani, unde benè poterit hæc, non illa terminare inclinationem naturalem.

Sed contra hoc est, & in primis hæc solutio ad intentum oppositæ sententiæ videtur implicatoria in terminis, quia non stat in eadem, quòd aliqua forma sit perfectio rei, & non sit consona illi; nam juxta illam idem est esse consonam rei, & perfectionem ejus; non enim consoneitatem formæ supernaturalis cum natura explicare possunt per hoc, quòd oriatur à principiis naturæ, aliàs supernaturalis non esset, ergo in eo consistet, quòd sit potens perficere naturam, sic quòd benè se habeat cum illa; & consequenter non stabit, quòd sit semel perfectio, & non sit consona ad intentum ejusdem sententiæ.

2°. Impug. Nam ex eo Rada hic a. 1. concl. 3. arg. 3., & 4. unicè prætendit convincere appetitum naturalem in homine ad actus supernaturales, & præcipuè ad visionem, quia sunt perfectio, & maxima perfectio, ergo cùm Divina subsistentia in infinitum superet omnem perfectionem creaturæ, à fortiori poterit esse terminus inclinationis naturalis, si semel hæc admittitur in natura ad perfectionem creatam supernaturalem, vel excedentem: Unde vel insufficienter arg. ex præciso capite perfectionis, vel ad omnem erit admittenda talis inclinatio in natura, si semel ad aliquam, quantumvis excedentem, admittitur.

3°. Quia non obstante excessu in prædicato ordinis, forma supernaturalis potest dici consona naturæ ad intentū sui Auctoris, ergo non obstante excessu in supremo analogato ejusdem ordinis gratiæ poterit subsistentia Divina dici consona humanitati; conf. tenet, quia si quid obstaret, maximè excessus in ordine.

Dices fortè, quòd ideò altera perfectio est consona, & altera non, quia natura rationalis saltem quoad inclinationem respicit finem illum visionis ut sibi proportionatum, non sic tamen humanitas unionem hypostaticam.

Sed hæc solutio iterùm videtur petitio principii, & de subjecto non supponente, nam de hoc inquirimus, utrùm possit sic respicere visionem; & eo ipso deinde, quòd est finis supernaturalis, & cōsequenter excedēs, repugnat, quòd sit proportionatus. 2°. Impugnatur; nam supposito decreto Incarnationis sic proportionabiliter est elevata humanitas ad ordinem hypostaticum, sicut natura rationalis ad ordinem supernaturalem, aut visionem beatificam, & sicut est gratia humanitati, quòd elevetur ad illum ordinem, ita & naturæ rationali, quòd elevetur ad ordinem gratiæ; non enim in natura est meritum hujus elevationis, ergo si hoc non obstante potest in homine esse appetitus naturalis ad visionem, pariter poterit esse ad unionem: Unde si semel visio beata esset proportionata quoad inclinationem respectu naturæ rationalis, pariter esset unio respectu humanitatis.

Dices esse donum gratuitum, quòd assequatur visionem, non quòd inclinetur, & rationem assignabis supra insinuatam, quia eo ipso, quòd Deus clarè visus ingrediatur objectum specificativum nostri intellectus, jam non poterit superare inclinationem ejus, cùm ad objectum specificativū teneatur potentia dicere coaptationem, & commensurationem essentialem, & consequenter inclinationem; & hinc etiam sumenda est consoneitas visionis beatificæ contrapositivè ad unionem hypostaticam, ad quam est pura potentia obedientialis, non coaptatio, aut commensuratio &c.

Sed contra hoc est: & in primis eadem facilitate dici poterit de unione, quòd licèt sit donum gratuitum quoad assecutionem, non tamen quoad inclinationem, si semel excessus in ordine non obstat inclinationi. Deinde quia visio beatifica nullo modo est debita naturæ, aliàs posset eam exigere ex propriis, ergo non solùm est donum gratuitum quoad assecutionem, sed etiam quoad inclinationem. Quod verò subditur de specificativo, patet ex dictis non convincere, quòd teneatur potētia inclinari appetitu naturali

rali ad singula contenta intrà suum specificativum, ut in se sunt, vel secundùm omnem perfectionis gradum, alioquin teneretur eodem appetitu inclinari etiam ad cognoscendum comprehensivè Deum, quod implicat; sed tantùm quòd inclinetur ad illum cognoscendum eo modo, qoo per creaturas potest manifestari, quod verum est; ratio autem est, quam dedimus, quia potest propria ratio objecti particularis, ut rectè etiam ponderat M. Catalam, esse tantæ perfectionis, & excellentiæ, ut rationem objectivam communem ad se contractam omninò extrahat à ratione objecti connaturalis, & proportionati, vel motivi, etsi non à ratione objecti adæquati, & terminativi, unde sicut rationem communem ut sic contractam, virtute naturali attiogere non potest ut in re est, ita nec naturaliter appetit sic attingere illam.

Si iterùm dicatur subsistentiam Divinam non esse consonam, quia semel terminans humanitatem impedit existentiam ejus sub propria. Contra hoc manifestè instatur in natura sublunari, quæ existens sub una forma, saltem ex natura rei nequit esse sub alia, & tamen prima est consona illi. §. Dices non ideò præcisè, quia impediat humanitatem manere sub propria, sed quia pariter impedit appetitum ejus ad propriam, quod non facit forma actuans materiam respectu alterius. §. Sed contra hoc est, & insto ex propria eorum doctrina. Nam ideò subsistentia Divina in sensu composito terminandi, impedit appetitum humanitatis ad propriam, quia, ut dicimus infrà de Incarnatione, est forma eminentior præcontinens omnem perfectionem propriæ, ergo hinc magis tenebatur inclinari ad subsistētiam Divinam, quàm ad aliam quamcumque formam supernaturalem, & minùs perfectam, conf. tenet, quia ex eo præcisè moventur contrarii, ut vidimus, quia visio perfectio est &c.

Dices, quòd licèt forma emineotior sit, magis tamen inclinatur ad propriam, quàm ad alienam. Sed contra hoc est, & in primis magis etiam juxta eorum doctrinam tenetur materia inclinari ad animam rationalem, utpotè perfectiorem, quàm ad alias formas, & tamen omnes sunt consonæ, cùm omnes perficiant illam. §. 2ò. Eodem argumento; quia juxta Adversarios, ut sæpè dictum est, fundamentum ponendi inclinationem naturalem ad aliquam formam est conceptus perfectioois, ergo quò forma erit magis perficiens, taotò erit major inclinatio ad illam, & major consoneitas, cùm hæc ad intentum ejusdem fundamenti ex hoc conceptu perficiendi attendenda sit.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arguit Rada contendens oppositam sententiam esse de mente D. Tho.; onde primò illum opponit ut supra, in eo, quòd homini concedit naturale desiderium ad videndum Deum visis effectibus. Dices D. Tho. non loqui de desiderio innato, sed de elicito, ut explicatum est. §. Sed instat primò, quia de illo loquitur, quem reputat inconveniens posse frustrari, utpotè inferens ex illo possibilitatem visionis, sed iste est innatus, nam de elicito nullum est inconveniens, maximè si sit inefficax, ergo, 2ò. Quia cùm dicimus appetitum naturæ non esse frustrà, communiter intelligitur de inclinatione naturali ipsius naturæ, ergo si loquitur de infrustrabili, intelligi debet de illo naturæ, vel innato, non de elicito. 3ò. Quia si de isto loqueretur, non rectè appellaret desiderium naturæ, cùm in hoc innatus ab elicito, vel ex ipsa vocabuli significatione distinguatur, ergo &c.

Urget totum hoc ex 3. cont. Gent. c. 50., ubi intendit D. Tho. probare naturale desiderium Angelorum non quiescere in cognitione, quam habent de Deo, nisi ipsum videant, unde ex secunda ratione arguit sic. A D. Tho. sic accipitur naturale desiderium in conclusione sui argumenti, sicut in majori, sed in ma. per naturale desideriom intelligit propensionem, & inclinationem naturæ, quia naturale desiderium ad sciendum, quòd assumit ad pasificandum in natura intellectuali, est inclinatio naturalis, ergo. Urget ulterius ponderando secundam rationem. Nam in antecedente de illo appetitu nomine naturalis desiderii loquitur, qui est omnibus naturis intellectualibus naturaliter inditus, sed iste non est elicitus, ut per se patet, ergo &c.

Deinde opponit D. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 10., ubi ex eo, quòd gratia non sit supra naturalem potentiam hominis probat justificationem quantùm ad hoc non esse opus miraculosum, ergo est concedenda in homine potentia naturalis, & consequenter appetitus natoralis ad gratiam, & visionem. Denique contra solutionem instat ex eo, quòd nequit admitti elicitus inefficax non admisso innato, ergo, prob. ant., quia ad omnem actum possibilem viribus naturæ datur in homine appetitus innatus, sed ubi datur ad actum, datur etiam ad objectum, ergo si semel admittitur elicitus in natura, debet etiam admitti innatus &c.

Ad hoc patet primò ex dictis, quòd juxta expositionem Cajetani non loquitur D. Tho. de homine absolutè sumpto, sed ut elevato per dona supernaturalia, sive ut ordinato ad finem supernaturalem per media eidem fini proportionata, unde juxta illam facilis est solutio, nam tunc tale desiderium potest esse efficax, cùm non oriatur ab homine quomodocumque, sed ut elevato; neque ex cognitione quorumcumque effectuum, sed gratiæ, & gloriæ, quorum Deus est causa, non præcisè ut universale agens, sed ut in se est absolutè; dicitur autem naturale, non quia sit præcisè ordinis naturæ, sed quia est connaturale homini, non secundùm se, sed ut elevato per Fidem, & supernaturalem revelationem ad cognitionem finis supernaturalis, de quo etiam videri potest à S. Tho. hic concl. ult.

Sed prætereà juxta aliam expositionem Ferrara, & aliorum, quòd loquatur nempè D. Tho. de desiderio naturali videndi Deum orto ex cognitione, quæ habetur per effectus naturales de Deo, quoad an est; sic quòd non utatur eadem ratione D. Tho. tanquam demonstrativa, sed tantùm probabili, ut frequenter solet utendo congruentiis, & rationibus probabilibus ad explicandum, quòd ea, quæ docet Fides non repugnant rationi naturali, cùm jam per primam tanquam argumento theologico demonstret intentum; tunc dicimus optimam esse solutionem datam. Ad primam replicam nego min.; ad prob, annexam distingno illam. Non est inconveniens elicitum frustrari ad intentum D. Tho., nego; ex meritis præcisè inefficaciæ ejus, transeat. Igitur nè dica-

dicatur frustrabilis ad ejus intentum satis est, quòd naturæ intellectuali valde conforme,& connaturale sit viso effectu, velle indagare, & videre causã; sic enim nec frustratur subjectivè, ex parte capacitatis ad videndum, nec etiam objectivè cum de re impossibili, aut repugnante naturæ non sit, sed possibili, ut videatur; unde satis efficaciter licet intrà limites probabilitatis concludit consonam esse possibilitatem visionis ex connaturalitate illius appetitus. Vel poterat iterum distingui, non ast inconveniens frustrari loquendo de appetitu fundato in conformitate naturæ, nego,aliter, vel si pura velleitas sit, ut cum quis appetit esse Angelum, vel habere corpus cæleste, conc., nam licet non omnes assequantur visionem, non tamen chimericus est, & de re impossibili, aut repugnante, sed conformi eidem naturæ, & quam plures etiam assequuntur, & natura etiam intrà limites proprios usque ad bonum in communi impellit. Vel tandem poterat distingui sic ex Illustriss. Codoy (quod etiam insinuant Salmaticenses dub. seq.) non est inconveniens, metaphysicè loquendo transeat, moraliter, nego, quia quando in tot sapientibus reperitur, quorum judicium ast regula uniformis, impossibile est moraliter frustrari.

Ex his facilè resp. ad aliàs replicas. Ad 2. dicimus appetitum naturæ sumptum pro innato non esse frustrà, non præcisè moraliter, ut affirmatur de elicito, aut quia solum inferat capacitatem, aut non repugnantiam ex parte subjecti, sed ex natura rei per modum ponderis, & exigentiæ ad aliquod sibi debitum, & sic debet communiter accipi contrapositivè ad elicitum. Ad 3. dicimus optimè vocari desiderium naturale, vel quia necessarium est quoad specificationem, ut dictum est, vel quia connaturale est, ut dicebamus; intellectuali naturæ,quòd viso effectu velit videre causam, & non quia sit pondus naturæ, nam satis erat, ut dictum est, esse sic connaturale ad inserendum intentum.

Ad 4. Ex ponderatione quinti, nego mi., expressè enim D. Thom. intendit probare ibi, quòd naturale desiderium Angelorum in sola cognitione,quam habent de Deo per proprias essentias quiescere non potest,quia hæc est imperfecta, ut incipit probare ratione prima, unde de elicito manifestè loquitur, non de innato. Ad probationem annexam dicimus similiter assumi à D. Thom., ut clarè explicat in 3. ratione, quòd in sola cognitiona *an est rei*, non quiatatur naturale desiderium, sed tendit intellectus ad sciendum *quid est rei*; quidquid sit an primus motus desiderii sciendi sit innatus, vel elicitus à visione effectus ad visionem *an est rei*; hoc enim non conducit ad intentum,utdictum est.

Ad 5. ex ponderatione 2. Similiter respond. intellecta ma. de naturaliter indito pro connaturali, modo explicato, non strictè pro pondere naturæ, nego mi., nam iste etiam elicitus ad videndam causam viso effectu ità est connaturalis, & cõformis naturæ intellectuali, ut videatur sibi naturaliter inditus; revera tamen supponit cognitionem, ut satis apertè colligitur ex litera, nam de illo desiderio, de quo asserit esse inditum, pariter affirmat excitari ex cognitione effectuum, ut patet illis verbis in principio rationis, scil. ex cognitione effectuum incitatur desiderium ad cognoscendam causam.

Ad aliam authorit. ex 1. 2. Resp. non negari ibi à D. Thom. justificationem esse opus miraculosum, quia in anima sit potentia naturalis ad gratiam, naturalitate sumpta quasi correlativè ad aliquid sibi debitum, ut requiritur ad appetitum innatum; *sed quia*, ut ait D. Thom.; *naturaliter anima est capax gratiæ, eo enim ipso quòd facta est ad imaginẽ Dei,capax est Dei per gratiam, ut Augustinus dicit*. Sensus ergo D. Thom. est, quòd quia gratia introducenda in animam, non est supra ejus capacitatem, imò etiam educitur de illius potentia, ideò justificatio facta per gratiam non est miraculosa, nam ex eo immediatè anteà asserit suscitationem mortui esse miraculosam, quia vita, quæ habetur per formam noviter introductam in tali materia, non supponit in ista hanc capacitatem, cũ à privatione ad habitum non sit regressus, nam mors utpotè privatio in facto in esse, seu malum simpliciter, est carentia totius boni, vel vitæ; qua ratione infrà qu. 48. art. 1. ad 2., inquit; quòd *à malo, quòd est secundùm morem contingit fieri reditum ad bonum* (quia nempè non est malum simpliciter, sed tale, ut latè de vitiis, & peccatis ostendimus sustinendo malitiam positivam) *Non tamen ex quocunque malo, non enim ex cæcitate fit reditus ad visionem*. Nam cæcitas etiam est privatio in facto esse, seu carentia totius visus, unde ejus restitutio, vel cæci illuminatio,est similiter miraculosa, sicot suscitatio mortui. Quòd subtiliter etiam explicans Cajetanus ibid. §. *Ad* 2. ait. *Inter mortuum, seu cæcum, & impium hoc interest, quòd in impio est velut potentia occupata sub altero contrario, sicut potens calefieri, actu frigidum existens*; in mortuo autem, aut cæco non est potentia sub altero contrario, sed omninò non est potentia; quia *de privatione ad habitum non est regressus nisi per resolutionem ad primum*. Quia tamen gratia supremi ordinis est super totum naturæ ordinem potentia animæ ad illam, simpliciter loquendo naturalis non est, sed magis obedientialis, vel supernaturalis, unde nullo modo potest inferri ex D.Thom. appetitus innatus.

Quòd si instes hinc magis inferri eandẽ justificationẽ esse opus miraculosum,si semel respectus animæ ad gratiam justificantẽ est simpliciter supernaturalis.Resp.negando sequelam; quia licet supernaturalis sit, propter modum tamen naturalitatis, quam habet anima modo explicato à D.Thom., deficit ejus justificatio à ratione miraculi, nam quia anima consideratur à Theologo, secundùm quòd Deus ab initio instituit creaturam rationalem ad huoc supremum ordinem elevandam per sua etiam opera, ideò dicitur proot sic naturaliter capax gratiæ per exclusionem miraculi, cum tamen si Deus solum naturalem ordinem rerum creasset, ac instituisset, non haberet potentia ejus ad illam sic appellari naturalis, sicut modo vocatur, nisi valdè remotè pro pura elevabilitate, ut innuit Cajetanus. §. anteced. in fine.

Ad ult. ex ratione dist. ant. Non admisso innato ad objectum eliciti, ut ast in se, nego, ut objectum illius est, vel ut confunditur à ratione boni in communi juxta superiorem probabilem modum dicandi, conc., ant. per quòd etiam patet ad ejus probat. &c.

20. Etiam principaliter arg. Ibi est inclinatio ad aliquam formam, ubi natura quiescit, quando habet, & tendit quando non habet, ut patet in lapide respectu centri, sed habita clara visione natura intellectualis quiescit, & illa non habita tendit ad habendum ergo.

Dices dist. ma. si tendat ex viribus propriis, conc., si ex viribus gratiæ, vel superioribus, nego, & tunc conc. mi., nego conf., quia cum terminus naturalis inclinationis debeat esse perfectio debita, & proportionata, non poterit forma per vires tantùm superiores, &

& indebitas assequibilis esse terminus illius, estò aliàs natura perfectè in illa quiescat &c.

Sed contrà hoc est. Nam licet assecutio gloriæ pendeat ex viribus gratiæ, in ejus tamen absentia nunquam habetur perfecta quies, ergo in natura ad illam non potest non esse tendentia per modum ponderis, aut inclinationis naturalis, prob. conf., quia quælibet natura in universum naturali pondere tendit ad suum centrum, sive propriæ quietis, ergo si sola visio dat plenam quietem erit in natura inclinatio naturalis ad illam.

Explic. hoc. Nam inclinatio naturalis nequit perfectè quiescere, nisi in sui ultimo termino, ergo si sola visio est terminus ultimus dans plenam quietem erit ad illam naturalis inclinatio &c.

Dices iterum si perfecta hæc quies sit tantùm acquiscibilis per vires gratiæ, & non naturæ, falsùm est, quòd tunc forma dans plenam quietem sit terminus inclinationis naturalis, quia aliàs ut dictum est; posset illam exigere, quod est impossibile; & instatur manifestè in humanitate Christi respectu subsistentiæ divinæ, in qua pleniùs, & perfectiùs quiescit humanitas, quam in propria, & tamen ad illam, ut fatemur omnes, non est in humanitate appetitus innatus; unde satis est, quòd forma dans plenam quietem naturæ, sit vel terminus inclinationis ejus, vel eminenter continens omnem perfectionem illius. §. Contra est quia ex eo in humanitate nō est talis inclinatio estò pleniùs quiescat in subsistentia divina, quia aliàs sine ista potest habere integram quietem, ut patet in quolibet alio individuo ejusdem naturæ, sed in absentia visionis nullibi invenit homo plenam sui quietem, ergo non obstante utriusque excessu adhuc poterit esse ad visionem, & non ad subsistentiam divinam.

Explic. hoc. Quia inclinatio naturalis nequit cessare non habito termino adæquato suæ quietis, sed iste in natura intellectuali, vel rationali, non est sola beatitudo naturalis, sed clara Dei visio, seu supernaturalis, ergo ejus inclinatio non erit ad solam naturalem, sed etiam ad supernaturalem.

Explic. ulteriùs retorquendo eandem instantiam. Quia potest haberi terminus adæquatus quietis respectu inclinationis naturæ humanæ non habita subsistentia divina, secus verò non habita visione, ergo ex eo quòd non datur ad subsistentiam divinam, non rectè excluditur respectu visionis &c.

Resp. benè ibi usque ad ult. replicam, ad quam nego causalem, sed quia non est terminus exigentiæ, aut proportionatus, vel debitus, ut sæpe dictum est; undè ex eo, quòd aliàs homo non habeat extrà visionem plenitudinem suæ quietis non rectè infertur, quòd sit terminus inclinationis naturalis ejus, si semel est excedens, & improportionata viribus ejus naturalibus, sed tantùm quòd sit terminus assequibilitatis, nam assequibilitas non restringitur ad vires naturæ, vel ad naturalem exigentiam, sicut terminus naturalis inclinationis, ut dictum est, unde ubi est excessus, ut in casu; tollitur hæc posterior inclinatio, & solum remanet capacitas per modum coaptationis essentialis, seu habitudinis potentiæ ad objectum, quod potest claudere in se aliquod excedens, ut in superioribus explicatum est.

Ad 1. explicationem dist. ma. Non habito termino adæquato, vel ultimo, si sit proportionatus, conc., si excedens, nego, tenetur enim naturaliter quiescere in eo, quem potest exigere, non in omni, ad quem potest tantùm per vires gratiæ pervenire, licet in solo isto inveniat perfectam quietem, nam satis est quòd ad istum perveniat per elevationem, non per naturalem inclinationem, aliàs non esset excedens.

Ad 2. Quæ iterum poterat esse replica, Resp. quòd sicut supposita elevatione ad ordinem supernaturalem, & ad Deum authorem gratiæ, non habet natura intellectualis plenam quietem non habita visione beatifica, ità etiam supposita elevatione naturæ humanæ ad ordinem hypostaticum, nec posset hæc habere plenam non habita unione ad esse personale Dei; unde quòd non detur in illa appetitus ad subsistentiam divinam, non provenit præcisè ex eo, quòd possit alibi habere perfectam quietem, imò est negandum suppositum stando in eodem statu elevationis ad eundem ordinem, & consequenter magis retorquenda est paritas cum suis replicis &c.

Sed contrà principalem solutionem adhuc instas ad probandum, quòd licet visio sit excedens quoad assecutionem, non tamen quoad inclinationem. Nam ad formam non debitam non est inquietudo, illa non habita, sed cor hominis in absentia visionis est inquietum juxtà illud Augustini lib. 1. conf. cap. 1. Inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, ergo signum est visionem non esse omninò indebitam saltem quoad inclinationem, & consequenter posse esse finem naturalem saltem respectu istius, ma. per se patet, nam quod est alicui indebitum nequit rationabiliter causare inquietudinem.

Urgetur hoc. Quia damnati dicuntur aliquomodo privati visione, non enim est pura negatio, ergo est debita.

Resp. dist. mi., cor hominis nudè sumpti, vel intrà puros limites naturæ, nego, elevati per gratiam, conc., & de illo sic sumpto intelligendus est D. Aug., unde solum est terminus inclinationis naturalis gratiæ, quæ est semen gloriæ, non naturæ sibi relictæ antevertendo omnem elevationem per gratiam; aut media proportionata fini supernaturali, & excedenti.

Ad confirm. resp., quòd damnati dicuntur privati remotè, aut quasi extrinsecè, privatione orta ex Deo sic ordinante, aut attenta eorum natura capaci aliàs gloria extrà illum statum, non eodem reduplicato, cum sint in termino simpliciter extra statum gloriæ &c.

Sed instas, & præcipuè iterum contrà principalem solutionem. Ut aliquid dicatur naturale, aut connaturale non est necessarium ex parte subjecti supponere vires assecutivas, ratione quarum dicatur debitum, sed sufficit capacitas ad illud recipiendum, ut patet in speciebus angelicis ad intelligendum ea, quæ pertinent ad ordinem naturalem universi, & in motu locali respectu corporum cælestium, nam tam istæ, quam illæ dicuntur quid connaturale Angelis, & eisdem corporibus, esto non detur in his principium activum ad acquirendum, sed tantùm passivum ad recipiendum, ergo ut pariter visio dicatur finis naturalis respectu intellectus creati, non erit necessarium supponere in natura vires assecutivas illius, sed tantùm quòd habeat aptitudinem ad illam consequendam sive per vires proprias, sive gratiæ &c.

Huic instantiæ dico in primis, esse retorquendam, & magis favere, quam adversari nostræ sententiæ. Nam licet dicamus non esse in Angelis (& idem proportionabiliter de cælis respectu proprii motus) principium activum ad acquirendum prædictas species nihilominus jure connaturalitatis debitum est, ut eis ab auctore naturæ tribuantur, qua ratione dicuntur habe-

re naturalem inclinationem ad illas, ut ad aliquid sibi conneturale, ergo ex his exemplis magis convincitur esse necessariem rationem debiti ex parte termini ad appetitum, vel inclinetionem naturalem, quam posse sine illo salveri. In forme, ergo dist. ent., sufficit cepacites nudè sumpta, aut purè negativè proximè se hebens, nego, superaddito jure connaturalitatis, conc., & nego conseq. quia ad visionem beetam nec habet vires, nec jus connatnrale, sed tantùm capacitatem obedientialem per modum coaptetionis, ut dictum est, unde nunquā potest esse quid debitum sufficienter ad fundandum appetitum, vel neturalem inclinationem tanquam finis naturalis, sive quoed assecutionem, sive quoad inclinationem, imò ut subtiliter explicat infrà M. Catalam dub.7. ad art.5., licet visio possit aliquomodo dici connaturalis respectu conjuncti ex intellectu, & lumine, quatenus non excadit vim agendi illius, vel ab eo procedit, ut à ceusa principali, quie per formam intrinsecam, cui connaturelis est operatio se movet ad illem producendam sueviter, & cum facilitate, seu cum delectatione, non tamen quia adhuc prout sic non sit supra essentiem, aut naturam intellectus etiem conjuncti, ità ut adhuc ut est sub lumine, modo sibi connaturali agendi producat illam, quia nunquam potentię potest esse connaturalis modus operandi per formā, aut operatio, si forma illi connaturelis non sit, sed superneturalis ellevās il.ā ad supernaturalem modum agēdi, ut se habet lumen gloriæ respectu intellectus, nā modus connaturaliter operandi, & supernaturaliter per elevationem repugnec eidem respectu ejusdem, cum includat unus negetionem alterius; de quo infrà.

Ex quo etiam rectè infert (quòd setis juvat ad præsens intentum) convenientiorem esse modum loquendi, ut non concedatur visionem esse connaturalem intellectui hebenti lumen, aut informato lumine, absolutè, sed ut hebenti, vel ut informato, ità ut reduplicetio involvat lumen ex parte termini ad quem respectus connaturelitatis tanquā formalem terminum, & rationem propter quam tali conjuncto dicitur connaturlis. Per quòd etiam explicat Cejet. dum ait, *habenti charitatem ut sic*; queli dicat *ut habenti*, & non absolutè, esse connaturale diligere Deum.

Sed contrà hæc omnia adhuc instas ex eodem D. Augustin. lib.3. de Trinitate cap.8., ubi ait. *Ad appetendum beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immortalis creator hoc indidit*, ergo non est in netura sola capacitas per modum purè receptivi, sed inclinatio, aut appetitus per modum impetus neturæ, & consequenter naturalis, ut satis expressè indicet verbum illud *compellit*.

Resp. Quòd vel est intelligendus de beatitudine natureli, aut in communi, que ratione vellent omnes esse beati, vel de appetitu elicito inefficaci, de quo infrà, vel si de inneto non ad beatitudinem, sed ad prædictum appetitum elicitum referri debet. Unde D. Thom. in 4. dist.49. qu.1. art.3. in corp. inquit, quòd *quamvis ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem secundum communem rationem, tamen quòd feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ sed per discretionē rationis, quæ ad invenit in hoc, vel illo summum bonum constare*. Et qu.22. de veritate art.7. iterum in corp. ait, quòd *non meretur homo ex hoc, quòd appetit suam beatitudinem (scil. in communi) sed ex hoc, quòd appetit hoc speciale, quòd non naturaliter appetit, ut visionem Dei*.

§. III.

Corolaria ex dictis.

Colligimus 1. Nec etiem deri in homine appetitum innatum secundùm gredum Deo, Angelo, & homini communem, & non solum secundùm gradum specificum intellectualitetis humanæ, aut creatæ. Probet. hoc corollarium Illustriss. Godoy hic concl. unica in 2. parte ejus, ratione quam supra insinnavimus, & infrà prosequimur de Trinitate, nempè quia quæ positivè conveniunt gradui superiori generico, aut trensceudentali, nequeunt repugnare inferiori specifico, cum omnia essentialia generi descendant ad speciem, & contrahantur per ejus differentiam specificam, ergo si semel inclinatio naturalis ad visionem repugnat gradui specifico, ut contrerii admittunt, non poterit convenire secundùm superiorem genericum, vel trensendentalem.

Hæc ratio sine dubio efficax est; in ejus temen modo dicendi, de quo supra; videtur pati instantiam, nem, ut ipse effert, intellectui nostro ex ratione generica communi intellectui angelico, & humeno competit habere specificativum comprehendens Deum clerè visum, & tamen hoc illi repugnet secundùm differentiem specificam, ergo poterit in cesu convenire prædicta inclinatio ex superiori retione communi, & non convenire, aut repugnare ex inferiori differentiali; nisi fortè dicat ibi tantùm convenire non positivè, aut exigitivè, sed permissivè in aliquo sibi inferiori sicut dicit hic ad exemplum de telpa sibi oppositum à Mag. Martinez, quòd ideò talpæ potest repugnare secundùm sui differentielem retionem hoc, quod est videre, quia ratio superior animalis non inclinet, nec positive exigit potentiam visivam, sed permissivè in eliquo, scil. inferiori, unde carentie visus in talpa, non est rigorosè privatio, sed lergè tantùm, ed quam sufficit deberi generi non secundùm se, sed solum in eliquo sui inferiori; licet deinde subdat, quòd si velimus retionem animelis inclinare, & positivè exigere illem tunc non repugnare telpę videre secundùm suam essentialem differentiem, sed solum ratione alicujus indispositionis accidentalis ipsius organi. Sed de hoc iterum infrà, ubi constare poterit efficacia hujus rationis.

2ò. Prob. ex dictis. Nem appetitus innatus, ut sæpè dictum est, fundatur, aut salvari nequit sine exigentia formæ connaturaliter debitæ, at intellectus noster etiam secundùm superiorem rationem analogam nequit exigere cleram Dei visionem, ergo nec secundùm illem potest in homine salvari idem appetitus edDeum clarè visum, ma. supponitur etiam ex contrariis, mi. verò prob., quia adhuc secundùm illam est de puro ordine naturæ, cum sit adæquatè de ordine isto, ergo est analogatum omninò in sufficiens ad exigendam visionem supremi in ratione objecti supernaturalis.

Explic., & urg. hoc. Nam intrà illum ordinem, in quo est appetitus innatus ad aliquam formam, sunt etiam vires proximæ ad assecutionem illius, ut inductivè constare videtur; sed in intellectu secundùm nullam rationem intrà ordinem naturæ sunt vires proximę ad visionem beatam, ut suppono iterum ex contreriis, & ex communi sententia contra PP. Societatis, ergo cum ratio illa, si velimus etiam connaturaliter

naliter convenire intellectui creato, sicut & cætera, quæ ei conveniunt ex natura rei, & contrahibilia sunt per ejus differentiam specificam, ut sunt omnia superiora; sit de ordine naturæ, non poterit secundùm illam fundare naturalem inclinationem ad visionem, aut exigere illam &c.

3º. Prob. invertendo fundamentum oppositæ sententiæ. Nam ex eo probant dari in ordine ad visionem purè quiditativam, quia saltem in aliquo inferiori reduci potest connaturaliter ad actum, sed hæc ratio videtur nimis probans, ergo, prob. mi., quia probaret etiam dari ad visionem, vel cognitionem comprehensivam, cum pariter hæc in Deo reducatur ad actum, ergo teneremur etiam dare ad utramque &c.

Dices, quòd sicut ratio illa superior analoga est, ità & appetitus conveniens ratione illius analogicè tantùm convenit inferioribus, & valdè imperfectè, & deficienter analogato creato, unde ex eo, quòd videamus supremo, & increato convenire extensivè ad cognitionem comprehensivam, non tenemur sic illum admittere in analogato creato, sed tantùm respectu quiditativæ, aliàs illi deficienter non conveniret &c.

Sed contrà hoc est, & retorquetur solutio. Nam quia videmus analogatum creatum deficienter, aut finitè participare rationem communem analogam fatemur omnes non posse in illo admitti appetitum ad cognitionem comprehensivam Dei, esto in aliquo sibi inferiori, scil. Deo reducatur ad actum, ergo quia pariter videmus idem analogatum inferius participare tantū intrà purum ordinem naturæ tenemur fateri nec posse in eodem admitti ad cognitionem semel supernaturalem, & consequenter nec ad simplicem quiditativam Dei, esto in aliquo inferiori reducatur ad actum. Et hæc ratio, aut paritas adhiberi potest contrà omnes sententiæ affirmativæ &c.

Contrà præcedens corolarium replicari potest primò impugnando posteriorem solutionem ad exemplū de talpa (nam contrà priorem ex conceptu privationis insinuatam, jam dictum est, non esse rigorosam privationem, sed largè acceptam, prout generi convenit in aliquo inferiori.) Talpa in nullo subjecto suæ speciei est potens habere exercitium videndi, ergo signum est, quòd non tantùm accidentaliter, sed etiam essentialiter repugnat ei videre, vel absolutè intrà suam speciem, prob. cons. exemplo illo justitiæ commutativæ infusæ. Nam si hæc in nullo sui subjecto, sive in Christo, sive in nobis exhibere posset satisfactionem æqualem erga Deum, teneremur asserere, quòd ex sua ratione formali, vel essentiali non haberet respicere æqualitatem inter extrema etiam infinita, ergo si talpa in nullo sui subjecto habere potest exercitium videndi tenemur asserere, quòd essentialiter illi repugnet videre, & non tantùm accidentaliter ex parte organi &c.

Urg. hoc. Nam juxtà modum satis probabilem, ut latè infrà discurrimus 3. par. 3 eadem commutativa infusa in nobis specie distinguitur ab infusa Christi, sed tunc nostræ ex superiori ratione generica convenit exhibere satisfactionem æqualem Deo, hoc illi repugnante ex inferiori specifica, qua distinguitur ab illa Christi, cum sit ei impossibile exhibere illi prout in nobis æqualem, ut modo suppono ex dictis ibidem in communi sententia Thomistarum, ergo.

Urg. ulteriùs. Ex eo etiam colligimus repugnare infusæ nostræ ex sui ratione specifica, quia videmus in nulla individuo puri hominis posse æqualem exhibere Deo, ergo quia pariter videmus in nullo individuo talpæ haberi hoc exercitium videndi tenemur asserere, quòd hoc ei repugnet ex sui ratione differentiali, & non purè materialiter ex parte organi, & consequenter aliquod prædicatum conveniens ex ratione superiori poterit non convenire, aut repugnare ex ratione differentiali.

Denique urg. ex eo quòd ideò contrà Durandum negamus 2. a. q. 2. art. 2. habitum fidei in damnatis, quia non est ibi possibilis ejus actus, ergo, &c. Et ratio utriusque est, quia potentia, vel habitus est propter actum.

2º. Nam etiam visioni creatæ ex quo intellectio est, sive ex ratione superiori intellectionis non repugnat producere verbum, & tamen ex inferiori differentiali repugnat ei producere illud, ut constabit infrà.

3º. Altero exēplo peccati, quia actui pariter humano malo, sive peccato transgressionis, aut commissionis, v.g. odii Dei, cōvenit ex superiori ratione generica, sive ex quo actus humanus est, debitū rectitudinis, seu conformitatis cum lege charitatis, si velimus salvare in illo malitiam privativam, ut communiter eam sustinent Thomistæ, & nos latè infrà 1. 2. ad qu. 71. ostendimus; & tamen hoc illi repugnat ex ratione differentiali, ergo stare poterit perfectam inclinationem, vel appetitū convenire intellectui creato ex superiori ratione analoga, esto illi repugnet ex inferiori differentiali &c.

Resp. ex dictis quòd si supponamus id positivè convenire animali, & per consequens etiam essentialiter talpæ, & supponendo etiam, quòd potentia visiva sit ejusdem speciei in omnibus animalibus, sicut in simili dictum est, de illa noctuæ, tunc dist. ant., in nullo subjecto potest habere exercitium, quantùm est ex se, aut secundùm sui rationem specificam, nego, materialiter ex parte subjecti, vel organi, concedo; sicut enim visiva noctuæ attenta sui ratione specifica inclinatur ad videndum solem, licet impediatur per accidens, aut materialiter ex parte subjecti, ità similiter de talpa dicimus, quòd attenta ejus ratione differentiali contrahente ratione animalis, non repugnat illi exercitiū videndi, sed tantùm materialiter impeditur ex parte organi; unde ut dicatur sic convenire animali, & non repugnanter talpæ satis est quòd visio exerceri possit in aliquo, vel in aliis inferioribus, licet per accidens ex parte subiecti, aut organi impediatur in illa, quia impedimentum per accidens non tollit convenientiam per se, vel ex parte rationis specificæ. Per quòd etiam patet ad probat. consequent., quæ etiam potest retorqueri in alio modo dicendi, quòd sit ejusdem speciei cum illa Christi; nam licet commutativa infusa prout in nobis, vel in nullo puro homine offerre posset æquale Deo, quia tamen id potest in Christo, adhuc salvatur quòd etiam prout in nobis non repugnet quantū est ex se, vel ex sua ratione formali eidē æqualitatas offerenda, licet impediatur per accidens ex parte subjecti non habentis æquale ad offerendū, quidquid sit si in nullo posset etiam in Christo, quòd tamen non militat in casu, cum in cæteris animalibus habeatur exercitium videndi; onde conc. antec., nego consequentiam &c.

Ad 1. Confirmat. respond., quòd si velimus in opposito illo modo dicendi, quòd repugnet nostræ ex sua ratione specifica tunc tenemur asserere, quòd rationi superiori tantùm conveniat permissivè, non positivè, scil. respicere æqualitatem offerendam inter extrema, quæcunque fiunt, etiam infinita, nam tunc nostra juxtà modum illum respicit tantùm jus debitum

tom homioi, non Deo, existimant enim authores illius, quòd diversa excellentia personarum, quibus est debitum jus, faciat formalem distiootionem inter debita, & distioguat specie virtutes, quæ respiciont illas, & præcipuè loqoendo de excellentia Dei comparativè ad illam hominis, qua ratione distinguunt religionem à pietate, & pietatem ab observantia, quia jus debitum Deo, quod respicit religio excellentius est jure debito pareutibus, quod respicit pietas, & hoc posterius est excellentius jure debito ab uno alteri homini, quod respicit observantia, de quo latè egimus 3. par. qu. 1. ad ar. 2., & videri potest D. Thom. 2. 2. qu. 101. art. 1., & 3. ad 2.

Ad 2. Resp., quòd cum fides sit virtus, vel donum gratiæ requirit subjectum proximè potens credere ex pia affectioοe ad bona repromissa, quæ est impossibilis in damnatis, undè status eorum non solum pugnat cum actu, sed etiam cum habitu fidei, cujus oppositum cooftat io carectere sacerdotali, nam quia iste non est virtus, nec quoad esseotiam, nec quoad statum, & consequenter per se non ità inclinat in actum moraliter booū, & laudabilem non pugnat cū statu illo, sed remanet io damnatis, unde idem proportionaliter dicimus de visu, qui non pugnat cum prædicatis specificis talpæ, licet ex indispositione orgaui impediatur ejus exercitium in suis individuis; per quod patet ad probat., vel ra tionem annexam pro utraque parte.

Ad instantiam 2. Resp. visionem Dei ex conceptu geoerico actionis intellectualis non convenire positivè, sed tantùm permissivè producere Verbum, scil. vel ex necessitate, ut in oobis viatoribus, aut ex fœcunditate, ot in Patre iu divinis, aliàs ex eodem positivè exigeret producere illud etiam io patria, sivè in statu illo supernatorali, quod admitti nequit, unde parum refert, quòd oon conveniat illi, aut repugnet ex conceptu differentiali; cœterum ubi est inclinatio, vel appetitus naturalis non est pura permissio, sed exigentia, & convenientia positiva, & ideò non admittit defectum convenientiæ, aut repugnantiam ex parte rationis inferioris.

Ad 3. latè fit satis à nobis ibid., ostendendo quomodo possint hæc doo rectè componi, nempè quòd alicui conveniat prædicatum ex ratione superiori, & sibi repugnet ex inferiori, si superaddatur habitudo ad aliquod extriosecum, vel consideráto inferiori noo purè intrinsecè, aut secundùm sui natoram qoasi physicè, vel metaphysicè, sed in alio geoere, vel dimiouto, aut respectivo, ut iu genere scibilis, vel in illo moris per respectum ad legem. Vidimus enim, quòd ens si coosideretur secundùm se, & iotrinsecè in hac sui linea entis importat unitatem tantùm analogam, quæ tamen sibi ex ratione inferiori scibilis, vel objecti Metaphysicæ repugnat, quia prout sic, sive ut consideratur secundùm habitudinem ad scientiam, quam specificat, tenetur importare unitatem univocam, vel specificam, & non purè analogam, si velimus Metaphysicam esse unam scientiam secundùm speciem, cum sui unitatem ab objecto accipiat, onde ens in hoc alio genere scibilis, vel respectivo, prout est natum attingi à tali scientia, vel specificare illam, non solum non exigit, sed magis opponit prædicato analogiæ, licet aliàs exigat illod ex sui ratione superiori entis, ot constat ex dictis, & in 3. de anima explicatum est: sic similiter dicimus de actu odii, (& idem est de quolibet alio peccaminoso) quòd si consideretur purè intrinsecè, aut veluti metephysicè secundùm ratiooem sui differentialem nequit exigere, imò pugnat sic præcisivè sumptos cum rectitudine cheritatis; si verò consideretur secundū respectum ad legē, qua obligatur quilibet actus humaous ad debere esse rectum per differentiam bonam, sive per rectitudinem virtutis, circa cujus objectum versatur, tunc exigere potest illam exigentia, scil. extrinseca, vel orta à lege, quę quia ut dictum est, licet ponat determinatè debitum morale ad bonum, oon tamē tollit, sed relinqoit indifferentiam ad oppositū permittendo illud, ideò optimè stant hæc duo, quòd omnis actus humanus ex quo humanus est exigat exigentia morali rectitudinē iu omni sui specie, (sic quòd etiā prout sic actus malus exigat illam,) & nihilominus metaphysicè contrahatur per obliquitatem, vel irrectitudinem alicujus rationis differentialis malę, & secundùm istam sic præcisivè sumptam non mereatur, imò opponat rectitudioi;

Preterquamquòd iu genere mali præcipuè moralis, cum ratio inferior non sit ad perficieodam, sed magis ad corrumpendam, aut vitiandam superiorem, non est inconveniens, quòd aliquid conveniat sub expressione superioris, & repugnet sub expressione inferioris; qua ratione explicavimus ibid., quomodo optimè stet etiam in seotentia, quòd idem peccatum comissionis pro formali in positivo consistat; sub expressiooe entis, à Deo esse, sub expressione vero entis cum defectu, sive sub expressione sui expliciti differentialis, ab illo non esse, ut ex D. Thom. ibi quæst. 79. art. 1., & 2., ostensum est, quia nempè sub priori expressione est à causa media, seu creata, ut subditur ordini causæ primę, sub posteriori verò, ut exit honc ordinem, & agit cootrà pręceptum Dei.

Colligimus 2. quòd quia, ut dictum est, appetitus inoatus importat exigentiam, proportionem, & debitum, nec proximè, nec remotè potest dari ad visionem, vel bonum excedens, quia utroque modo semper ratioet eedem prædicata, quæ nequeuot salvari, ut patet, & probatum est, respectu termini excedentis: ex quo etiam sit nec posse admitti etiam respectu visionis Dei authoris naturæ, quia hic adhuc est excessus superans inclinationem porè naturalem, quia visio essentialiter terminatur ad esseutiam divinam, ut est à parte rei, cum autem in re, sit simplicissimus actus, nequit semel videri oisi tota videatur, & consequenter etiam ut spectat ad ordinem gratiæ, io quo, ot vidimus, distinguitur visio à simplici desiderio ejus, quòd istud terminatur ad illā, non prout est à parte rei, sed ot proposita per coguitionem naturalem, per quam expressè, & formaliter tantùm proponitur, ut prima causa.

Ex his pariter infertur nec posse terminari ad visionem abstraheotem à naturali, & supernaturali, tum ob eandem rationem, quòd sit eodem modo prout sic de subjecto non supponente; tum quia etiam comprehendit extremum improportionatum, & excedens, in quo distinguitur appetitus innatus à coaptatione essentiali, vel habitudine, quam dicit potentia per modum commensurationis ad objectum, ut explicatum est; quia ad hanc noo requiritur exigentia, aut debitum, sed tantùm commensurabilitas, vel mutabilitas in esse intelligibili, quæ potest contingere etiam respectu objecti excedentis, quia excessus non tollit rationem intelligibilis, sicut tollit ratiooem proportionati, unde cum intellectus ob sui immaterialitatem sit potentia capacissima apta immutari ab ente iu tota sua latitudine, potest dicere prædictam habitudinem ad quodcunque

cunque intelligibile etiam excedens, non autem appetitum innatum, quòd est valde notandum in hac re, nam in hoc etiam potissimè distinguitur à sensu, qui cum ex opposito ob sui materialitatem non possit immutari ab objecto spirituali, nullo modo potest dicere talem habitudinem per modum potentiæ ad objectum, unde non solum est improportionatum, & excedens, sed est adæquatè extrà ejus latitudinem specificativam, vel objectivâ, & consequenter nec potest elevari ad illud videndum, de quo infrà ad art. 3. &c.

30. Ex omnibus his colligimus non esse confundendum respectum transcendentalem, aut eandem habitudinem potentiæ ad objectum cum appetitu innato, vel inclinatione naturali, quia cum hæc sit quidam impulsus, vel pondus, aut impetus naturę nequit spoliari prędicta exigentia, aut debito ex parte termini, sicut contingit respectu simplicis habitudinis per modum potentiæ, ut dictum est, unde licet non possit potentia transcendentaliter ad aliquid adæquatè extrà sui latitudinem, potest tamen sic respicere aliquod non debitum, aliàs nec posset voluntas transcendentaliter respicere actum peccaminosum, cum non sit illi debitus, imò nec inclinetur ex meritis naturæ rationalis, sed magis sit contrà illam, ut ostendimus, ubi supra, de vitiis, & peccatis.

Hinc etiam infertur non esse eundē appetitum confundendum cum capacitate entitativa, quasi detur ad visionem in homine appetitus quidam entitativè, ut voluit Granadus, quia nequit omninò salvari appetitus iste sine exigentia, & proportione tanquam ad formam debitam, quod est impossibile naturæ, vel entitati purè naturali.

QUÆSTIO QUARTA.

An detur in homine appetitus elicitus naturalis ad claram Dei visionem.

Supponimus ex dictis appetitum elicitum distingui ab innato, quòd hic antevertit, ille sequitur ad cognitionem, & est ad formam aprehensam: dividitur verò in efficacem, & in inefficacem. Primus est, qui sequitur ad cognitionem, vel dictamen practicum de assequibilitate objecti, & est perfecta, & efficax tendentia ad illud, & quantum est ex se affert, vel infert assecutionem rei volitæ, & ideò explicatur per verbum *volo*, vel *appeto*; posterior autem, utpotè conditionatus, scil. includens conditionem implicitè, vel expressè, scil. si sit possibile, per verbum *Vellem*. Et quamvis esset absolutus, imperfectè tamen semper tendit ad objectum, nunquam aplicans ad necessariam assecutionem ejus, unde consequitur, ad cognitionem, vel rei impossibilis aprehensæ, ut possibilis; vel si possibilis, aprehensæ tamen conditionatè, & imperfectè, conditione vel impossibili, vel non purificanda ex vi illius, & ità nunquā est executivus boni voliti.

Uterque autem dicitur multipliciter naturalis, vel quia, ut supra insinuavimus; connaturalis est naturæ appetenti; vel quia est necessarius quoad specificationem; vel prout contraponitur libero; vel tandem, ut est naturæ viribus elicitus, & opponitur supernaturali; modò ergo de utroque inquirimus etiam efficaci, ut contendunt aliqui, & quomodo inefficax, quem possibilem ostendemus; dicatur naturalis, an quia solum naturæ viribus elicitus, an etiam quia necessarius quoad specificationem.

§. PRIMUS.

Referuntur modi dicendi.

Igitur in hac re loquendo de efficaci naturali, vel ex motivo naturali affirmāt Erice hic q. 38., & Ripalda de ente supernaturali disp. 14. sect. 3. referēs Salas, Granadū, & Vasquez. Loquendo verò de inefficaci naturali in uno ferè omnes conveniunt esse possibilē ex motivo naturali, nam dum motivum, vel ratio appetendi naturalis est, estò objectum supernaturale sit, non tamen tenetur communicare actui suam supernaturalitatem; hæc enim tunc materialiter se habet respectu illius; unde nihil prohibet, quòd saltem supposita semel revelatione, quis simplici affectu feratur in illam, sive conditionatè, estò per vires naturæ impossibilis sit, & ut talis aprehensa possit appeti sub conditione, quòd possibilis sit, ut cum quis appetit esse Angelum, si esset illi possibile; sive etiam absolutè, cum possit, licet falsò aprehendi, ut possibilis viribus naturæ, & defacto illam aprehenderunt angeli mali; tum quia sicut impossibilitas naturalis non opponitur absolutę tendentiæ, sed tantùm efficaciæ, ità nec opponitur illi supernaturalitas. Difficultas ergo est de motivo supernaturali, an possit homo sic tendere ad illam simplici affectu inefficaci, & terminato ad visionem non præcisè ut ad objectum *quod* volitum, sed etiam ut *quo*, sive ut est ratio motiva ejus, in quo sensu iterum affirmant prædicti authores, aliis etiam pro se relatis, Scoto, Molina, & aliis pluribus.

Thomistæ verò in uno omnes conveniunt, in negando contra eosdem utrumque appetitum sive efficacem, sive inefficacem ex motivo supernaturali, admittentes solum ex naturali (in quo etiam subscribunt plures ex societate) discriminantur tamen in explicando, quomodo sit naturalis, nam alii negant ità esse naturalem, quòd sit necessarius quoad specificationem. Ità Cajet. infrà qu. 82. ar. 1. Conradus 1. 2. qu. 10. ar. 2., Martioez ibid. qu. 3. art. 8. dub. 1., Alvarez disp. 27., Nazarius, & Salmanticenses hic dub. 5. §. 3. concl. 2., & Gonet disp. 1. art. 5. concl. 3. Alii verò contendunt ità appellari à D. Thom., scil. naturalem, quia habet prędictam necessitatem, scil. quoad specificationem respectu visionis Dei, non quidem, ut trinus est, & author gratiæ, sed præcisè ut prima causa est absolutè, sive ut author rerum naturalium, & quoad prædicata, quæ ex creaturis cognosci possunt: ità Ferrara 3. cont. gent. cap. 51. §. *propter quid*, illumque sequitur, ut vidimus; M. Catalam dub. 2. hic §. *quo autem sensu*, loquendo tamen de visione secundùm se considerata, nam ratione alicujus adjuncti, v.g. propter difficultatem in assequendo illam, fatetur posse respui à voluntate, sed hoc est per accidens, inquit; nec tam est respuerę visionem, quam laborem assequutionis. Subdit deinde paulo inferiùs, quòd licet desiderium istud naturale, directè formaliter, vel expressè tantùm se extendat ad omnia illa attributa, quę ex effectibus naturaliter cognosci valent, ab intellectu quoad an est de Deo, implicitè tamen, & consequenter ad Deum, ut in se est, absolutè terminatur, ut optimè notavit Cajet. p. 2. qu. 3. art. 8. Alii verò etiam extendunt ad visionem Dei,

Dei, ut est clarè visibilis, tam ut unus, quam ut trinus, atque adeò tam ut est auctor naturę, quam gratię. Ità Vasquez 1. 2. qu. 5. art. 8. disp. 22., Suarez lib. de attributis Dei cap. 7. num. 10., & 11. Montesinos 1. 2. qu. 5. art. 8. disp. 7. qu. 3., & alii.

§. II.

Statuitur prima conclusio negativa de appetitu efficaci.

Repugnat dari in homine appetitum naturalem efficacem ad visionem beatificam. Ità Bannez, Gonzalez, Navarret., M. Catalam, Illustriss. Godoy, Gonet, Salmanticenses, à S. Thom. hic, & Medina, 1. 2. qu. 3. art. 8., & plures ex Societate, Suarez, Fasol. hic dub. 1., & communiter recentiores.

Prob. 1. paritate ex dicẽdis infrà de efficacia charitatis. Repugnat in pura natura efficax affectus ad gratiam, vel ad dona supernaturalia, ergo pariter repugnabit efficax affectus ad gloriam, vel ad visionem beatam, ant. suppono contrà pelagianos, & traditur ab August. lib. de corrept., & gratia cap. 1. asserente, quòd desiderium gratiæ ex gratia est, & D. Prospero redarguente collatorem cap. 8., eò quòd voluerit sanitatem animæ posse ab homine desiderari viribus naturæ. Et patet etiam ex eò, quòd affectus dicitur efficax ab intrinseco, quia potest applicare, aut movere ad assecutionem, si adsint vires in appetente, sed in natura, ut fatemur omnes, non adsunt vires ad primam gratiam, ergo; cons. verò prob., quia affectus efficax finis tenetur efficaciter tendere ad media conducentia ad illum; nam ex eo ibid. prob. 2. 2., & 1. 2. qu. 114. art. 8., quòd actus meritorius gloriæ tenetur esse meritorius augmenti gratię, quia augmentum gratiæ est necessarius progressus ad gloriam, vel ad augmentum ejus, ergo vel in pura natura dari nequit ad gloriam, vel etiam dabilis est ad gratiam, quod est alienum &c.

Explic. hoc, & simul affertur ratio utriusque. Nam cum media efficaciter conducentia ad finem sint necessariò connexa cum illo, stare nequit efficax intentio finis non comprehendens, aut omittens media efficaciter conducentia ad illum, unde ex eò colligimus inefficaciam voluntatis ad illum consequendum, quando omittit, aut non curat de mediis ad illum efficaciter conducentibus, ergo si in pura natura est impossibilis efficax appetitus ad gratiam, erit etiam impossibilis efficax ad gloriam.

Explic., & urg. hoc. Appetitus semel efficax alicujus finis tenetur causare electionem mediorum, sed impossibile est, quòd affectus purè naturalis causet electionem medii conducentis ad gloriam, ergo; mi. est certa, quia, ut alibi dictum est; & iterum dicemus infrà, implicat in terminis, effectum efficienter haberi à causa non præcontinente illum, constat autem, quòd affectus purè naturalis, nequit præcontinere medium supernaturale, quale est conducens ad gloriam; ma. verò prob. Tum quia sine electione mediorum nequit efficaciter respicere finem, ut dictum est, & consequenter efficax non esset. Tum quia efficax appetitus finis, nihil aliud est, quam efficax intentio ejus, sed electio mediorum provenit ab efficaci intentione finis, sicut in specolabilibus assensus conclusionis ab assensu præmissarum, ergo teneretur causare electionem supernaturalem gratię, & aliorum donorum supernaturalium, quod omninò purè naturæ repugnat.

Dices huic explicationi (per quòd etiam responderi potest præcedenti, sicut, & principali argumento) quòd sicut in demonstratione theologica, cujus altera præmissa est naturalis, vel nota lumine naturæ, potest idem lumen naturale in hac linea intellectiva, per eandem præmissam positivè influere ad assensum conclusionis, qui supernaturalis est quoad substantiam in plurium sententia, poterit similiter natura in linea volitiva per appetitum sui ordinis positivè influere ad electionem mediorum ordinis superioris.

Hanc solutionem impugnat Illustris. Godoy ex eo, quòd præmissa illa naturalis non concurrit ex propriis viribus, sed ut elevata per alteram supernaturalem; appetitus autem ille, vel intentio finis, non sic elevatur, nam si elevetur tunc non obstabit illum concurrere ad electionem supernaturalem. Cæterum hæc replica, ut supra, & alibi in lib. posteriorum insinuavimus, patitur difficilem instantiam; nam si præmissa naturalis tantùm concurreret elevata per alteram supernaturalem, tota ratio influendi ad assensum conclusionis esset præmissa supernaturalis, cum in nostra sententia nbi principium naturale concurrit ad actum, vel effectum supernaturalem tota ratio influendi est virtus, seu principium supernaturale, à quo elevatur, ut etiam constabit infrà, unde in re idem discursus non esset syllogismus, sed entymema.

Aliter ergo impugnatur. Nam præmissa naturalis in consortio supernaturalis non concurrit ex propriis, sed ut elevata lumine theologico, cum intrà ejus spheram assumatur ad concurrendum supposita eadem sententia, quòd conclusio, vel assensus ejus sit supernaturalis quoad substantiam, nam sibi relicta, aut nudè sumpta est omninò insufficiens ad illum, sicut & eadem intẽtio naturalis ad supernaturalem electionem; in opposita verò, quòd sit naturalis non est instantia ad rem, ergo nec efficax intentio finis, nisi elevetur per virtutem supernaturalem poterit concurrere ad electionem supernaturalem.

Urg. hoc. Repugnat judicium naturale objecti supernaturalis non supposita intrinseca ejus elevatione, concurrere ad actum supernaturalem, nisi velimus non esse necessariam fidem ad justificationem adulti, undè, ut ostendimus 3. par. qu. 1. ad ar. 1., intellectus creatus adhuc confortatus lumine extrinseco fidei, certò, & evidenter tendere nequit, seu tendentia perfecta ad mysterium supernaturale, sed tantùm imperfectè, & probabiliter indigens perpetuò virtute, aut principio effectivo intrinsecè supernaturali, ergo nec poterit voluntas adhuc etiam supposito lumine fidei dictante possibilitatem visionis efficaciter tendere sistendo in puris viribus naturæ, vel sistendo intrà ejus limites ad illam, cum pariter ista ex natura actus sit tendentia perfecta, & ideò indiget indispensabiliter principio intrinseco supernaturali, tum quia deberet concurrere, ut dictum est, ad electionem mediorum supernaturalium.

2o. Ex his prob. principaliter concl. ratione, qua utuntur nostri Thomistæ, & argumentor sic. Intentio efficax finis tenetur ex natura rei connecti cum possibilitate ejus, sed repugnat affectum purè naturalem habere hanc connexionẽ cum possibilitate visionis, ergo, mi. constat ex traditis ibid. de Incarnatione, tum quia, ut sæpe dictum est, si esset per se connexio, vel ex natura rei, esset etiam exigentia, & debitum, quod est impossibile naturæ respectu illius, ma. præterquamquòd tra-

traditur ab eodem Ripalda ibid. n. 18., ubi, ut rectè advertit Illustris. Godoy, licet ex intentione inefficaci fateatur non posse probari possibilitatem visionis, benè verò ex efficaci, quia inefficax versatur etiam circa impossibilia: ex quo etiam prob. eadem ma., nam appetitus efficax, ut contradistinguitur ab inefficaci, versari nequit circa impossibilia, quia sicut ista mandari nequeunt executioni, ità nec efficaciter, vel executivè appeti, ergo tenetur necessariò connecti cum possibilitate rei volitæ.

2ò. Nam intentio efficax finis est perfecta tendentia, sive applicativa, vel executiva mediorum, aliàs efficax non erit, ut dictum est, sed tendentia applicativa, vel executiva illorum, petit necessariò connecti cum possibilitate finis, nam planè circa impossibile nullus nisi stultus habere potest intentionem applicativam mediorum, quia appetitus efficax fundatur in dictamine practico, & recto, sed hoc dictamen necessariò connectitur cum possibilitate objecti exequendi, aliàs practicum non erit, & rectum, nec distinguetur à purè speculativo, aut erroneo, ergo,

3ò. Quia nequit intelligi virtus sufficiens productiva non connexa cum possibilitate effectus, sicut nec existentia actionis non connexa cū existētia illius, aliàs, ut dicemus infrà de Trinitate, posset dari existentia effectus non supposita ejus possibilitate, si simel in priori signo *A.* dari potest virtus productiva absque possibilitate effectus, & in posteriori deindè *B.* salvari nequit existentia actionis sine existentia effectus; at hoc posterius concedunt contrarii, undè hac ratione efficaciter ibid. ostendimus connexionem omnipotentiæ cum possibilibus; ergo nec poterit intelligi vis sufficiens applicativa mediorum non connexa cum possibilitate finis, non minus, quàm actualis motio ad assecutionem non connexa cum actuali assecutione finis &c.

Explic., & urg. hoc. Ità se habet vis sufficies applicativa mediorum in actu 1. ad assecutionem finis, qualis est appetitus efficax; sicut vis sufficiens productiva in actu 1. ad productionem effectus, sed implicat dari vim productivam in actu 1. non intellecta possibilitate effectus, & consequenter non connexa cum illa, ergo pariter repugnabit dari vim sufficientem applicativam mediorum non intellecta possibilitate finis, & consequenter non connexa cum illa; ma. patet ex terminis, & mi. ex proximè dictis.

Huic arg., quo ex parte etiam utitur idem Illustris., dici poterat instando 1. in ejus doctrina, nam licet non admittat, ut vidimus, connexionem entis naturalis cum ente supernaturali ut existente, admittit tamen cum illo ut possibili. Cæterum hæc instantia adhuc permittendo eandem doctrinam non enervat vim argumenti; quia licet admittat prædictam connexionem, non tamen cum illo, ut possibili practicè, sed purè speculativè, vel solam connexionem negativam, vel per non repugnantiam, non positivam, ut contingeret in casu, cum loquamur de tendentia efficaci ad finem, & consequenter de possibilitate practica ejus.

Aliter ergo dices, quòd sicut infrà distinguunt duplicem potentiam, alteram, quæ partim intrinseca, partim extrinseca est, alteram incompletam, & intrinsecam, ità proportionabiliter distinguūt duplicem appetitum efficacem, alterum intrinsecè, & extrinsecè talem, qui nempè in sua potestate habet omnia media necessaria ad assecutionem finis, & ad absolutè opus perficiendum, sicut potentia completa intrinsecè, & extrinsecè, quę non expectat concursum alterius ad perficiendum actum; alterum verò solum efficacem ab intrinseco, qui solum conditionatè potest applicare potentiam ad assecutionem mediorum, si nempè ad sint vires in natura, & consequenter solum conditionatè connectitur cum omnibus conditionibus ad assecutionem finis, si adsint vires, sicut potentiam. quam habet mens intrinsecè intellectus ad actum supernaturalem dicunt esse veluti conditionatam, & solum potentem operari, si Deus concurret. Loquendo ergo de priori appetitu fatentur non posse esse purè naturalem, sicut nec potentiam completam intrinsecè, & extrinsecè, secus verò de posteriori, quia ad istum non requiritur exigentia possibilitatis objecti, aut existantia virium in natura, sed tantùm si Deus dederit media necessaria ad assecutionem finis.

Sed contrà hanc solutionem, cui libenter adhærent contrarii, & qua putant in his, & similibus eludere argumenta Thomistarum, insto eadem paritate sic. Impossibilis est vel chimerica virtus productiva sub conditione omninò repugnāte, vel implicatoria, sed conditio existentię virium supernaturalium in pura natura est omninò impossibilis, & implicatoria, ut modo suppono secundùm fidem, ergo erit pariter impossibilis affectus efficax sub hac conditione, ma. constat, nam virtus, talis est censenda, qualis est conditio, sub qua ponitur, omnis enim conditionalis regulanda est juxtà mensuram, vel qualitatem suæ conditionis, unde omnis effectus pendens à conditione impossibili, vel implicatoria, impossibilis est, & implicatorius, ut etiam patet inductivè,

2ò. Impugnatur ex his, quæ tradimus ibidem in materia de justitia commutativa Christi, in eò quòd asserit utrumque appetitum tantùm extrinsecè distingui, scil. per defectum alicujus extrinseci modo explicato. Nam præcontinentia novæ passionis in radice variat intrinsecè, eamque essentialiter distinguit ab omni alia non præcontinente, & non tantùm extrinsecè, ergo si unus distinguitur ab alio, quia alter continet media supernaturalia, alter non, non poterunt intrinsecè non distingui, & non tantū extrinsecè. Et ratio utriusque est, quia prędicatum pręcontinentię, aut fęcunditatis, intrinsecum est cuilibet radici, aut virtuti effectivæ, & non extrinsecum, unde si semel distinguit, tenetur intrinsecè distinguere: vel aliàs evidenter convincitur adversarius dare continentiam, quam intendit effugere. Etenim si ità est, quòd intrinsecè non variat appetitum, tenetur fateri, quòd sicuti suppositis viribus in natura necessariò intrinsecè connectitur cum objecti supernaturalis possibilitate, pariter habebit connecti intrinsecè illis non suppositis, vel intrinsecè non erunt idem.

Ultimò prob. concl., & est replica contrà pręcedentem solutionem. Prædictus appetitus in pura natura esset, & non esset naturalis, consequens est implicatorium; ergo, prob. seq. tela, & quòd esset, supponitur; quòd verò non esset prob. sic. Ad faciendum actum intrinsecè supernaturalem, satis est connexio conditionata cum objecto supernaturali, ut patet in volitione restitutionis ex motivo charitatis ex suppositione, quòd ad sint vires ad restituendum, & ratio utriusque est, quia nequit actus esse naturalis semel tendens ad objectum supernaturale, vel ex motivo supernaturali, undè quia restitutio ex motivo charitatis est objectum supernaturale, pariter & volitio semel cum illo connexa etiam conditionatè supernaturalis est, qua ratione alibi contrà Vasquez dicimus gaudium de Deo clarè viso, aut amo-

amorem concupiscentiæ circà illum esse omninò actus supernaturales, nec posse à simplici naturali inclinatione voluntatis in proprium bonum elici, quia cū Deus clarè visus, quam visio ipsa sunt objecta supernaturalia; quidquid sit, quòd supposita visione dicatur connaturale esse, gaudere de illo, connaturalitate orta ex visione, aut quia hæc supponit habitus per se infusos, quibus elevatur ad eliciendum connaturaliter tales actus, nam aliàs etiam amare Deum amore amicitiæ, actus naturalis esset, & ab eadem simplici inclinatione voluntatis elicitus, cum pariter Deum videnti clarè, connaturale sit illum amare amore amicitiæ, & non tantùm concupiscentiæ, quod nullus admittit, sed fatemur omnes requiri principium supernaturale, aut habitum charitatis ad hunc amorem: nec obstat ratio conditionatę tendentiæ, quia non tollit hęc supernaturalitatē objecti, ergo pariter appetitus in casu, si semel connectitur etiam conditionatè cum fine supernaturali, supernaturalis erit, & non naturalis &c.

Explic., & urg. hoc. Quia intentio efficax finis, ut dicebamus, debet esse præcontentiva applicationis efficacis mediorum, aliàs efficax non erit, vel explicent, in quo efficacia ejus consistat, sed pura natura nequit eam præcontinere, nisi velint illam esse connexam cum enta supernaturali; (quòd ipsi non admittunt,) nam sicut dictum est, existentia actionis est necessariò connexa cum existentia termini, ità efficax applicatio mediorū connecti debet cum existentia eorum, unde si pura natura præcontineret hanc applicationem, vel motionem teneretur esse connexa cum illis.

§. III.

Statuitur secunda conclusio de appetitu elicito inefficaci ex parte motivi.

Licet ex viribus naturæ possit dari appetitus inefficax, vel conditionatus ad claram Dei visionem non tamen ex motivo supernaturali, seu ad illam, ut formaliter supernaturalem. Prima pars patet ex dictis, cum appetitus iste, utpotè valde imperfectus feratur etiam circa impossibilia, ut dictum est, unde supposita revelatione visionis potest quis inefficaciter, vel conditionatè appetera illam sub ratione cujusdam boni. 2a verò est contrà prædictos authores societatis, præcipuè contrà Erice, & Ripaldam, qui similiter in materia de virtutibus theologicis disp. 35., & 36. è converso affirmat actum supernaturalem, vel charitatem posse habere pro motivo formali Deum, ut auctorem naturæ; eam tamen docet D. Thom. 1. 2. qu. 109. art. 3. ad 1. Ubi licet tam de natura, quam de charitate affirmet Deum diligere super omnia, non tamen naturam diligere illum secundùm quòd est objectum beatitudinis, ut facit charitas, unde non haberetur ex parte objecti sufficiens distinctivum dilectionis naturalis à supernaturali, ergo nequit in doctrina ejus admitti appetitus naturalis tendens ex motivo supernaturali ad visionem beatam.

Ex his prob. 1. concl. Actus purè naturalis nequit tendere ità eminenter formaliter ad objectum supernaturale, sicut actus supernaturalis, at si tenderet ad illud ex motivo supernaturali, ità eminenter formaliter tenderet, ergo nequit appetitus purè naturalis esse ad claram visionem Dei ex motivo supernaturali; ma. est certa nisi velimus naturam habere eminentiam gratiæ, & charitatis in operando respectu supernaturalium, quod est alienum, mi. verò prob., nam eminentia pro formali in actu supernaturali ad naturalem ast eminentia ex parte motivi formalis, istud enim, utpotè specificativum actuum, & habituum habet dignificare illos, ut patet inductivè, & evidenter in actu martyrii ex motivo fidei, & virtutis, respectu alterius occisionis hominis ex motivo delicti, iste enim infamiam, martyr verò gloriam immortalem consequitur, ergo ubi est identitas motivi formalis, erit etiam identitas eminentiæ, & consequenter æquè eminenter tenderet ad objectum supernaturale actus purè naturalis semel habens idem supernaturale motivum, ac actus supernaturalis.

Explic. hoc ex eadem doctrina D. Thom. Nam licet dicamus naturam modo explicato, & non solùm gratiam, aut charitatem posse attingere idem objectum supernaturale, sub ratione, scil. aliqua communi, vel magni boni, eminentius tamen, ut fatemur omnes, attingitur à charitate, quam à natura, at si semel hæc poller illud attingera supernaturalitate se habente ut motivo, explicari nequit, in quo reluceat hic excessus, vel major eminentia gratiæ, vel charitatis in modo attingendi supra naturam, cum in actibus, vel habitibu, aut potentiis, perfectio, & eminentia, ut dictum est, attendatur ex parte motivi formalis, ergo &c.

Dices distingui naturam à principio supernaturali non per hoc præcisè, quòd illa partialiter moveri non possit ab objecto supernaturali, aut attingere illud supernaturalitate se habente, ut motivo, sed quia minus principaliter movetur, aut tendit ad illud, & principaliter tantùm ab objecto naturali; principium verò supernaturale ex opposito movetur principaliter, & tēdit in supernaturale, minus verò principaliter à natural.: vel quia etiam actus naturæ ast à principio naturali, alter verò gratiæ, vel charitatis à supernaturali, unde adæquatum distinctivum non est attendendum ex parte motivi, sed etiam principii, vel modi etiam tendendi, semper enim natura tendit modo naturali; gratia verò, vel charitas supernaturali &c.

Sed contrà hoc est, & quidem contrà hoc posterius statim dicemus. Contrà verò primum sic: nam principium, vel actus naturalis, ità est attingentia objecti supernaturalis, ut specificè distinguatur ab actu supernaturali, ut suppono, sed hæc attingentia minus principalis, si semel est ex motivo supernaturali, non salvat hoc distinctivum specificum (quidquid sit de alio duplici capite insinuato, de quibus infrà,) ergo, prob. mi. nam distinctio specifica actuum, vel habituum habetur ex attingentia ejusdem, vel diversi objecti sub distincta ratione formali, sed hæc diversitas attingendi principaliter, vel minus principaliter non variat in opposita sententia rationem formalem, cum possit eadem charitas juxtà Reipaldam moveri minus principaliter ab objecto naturali, ergo etiam sine diversitate specifica poterit moveri minus principaliter ab objecto supernaturali &c.

2o. Impugnatur (& est alia paritas pro conclusione.) Nam quia intellectus specificè differt à sensu, estò etiam singularia sensibilia cognoscat, nunquam tamen etiā minus principaliter eadē cognoscere valet sensibiliter, seu sensibilitate se habente ut motivo, sed tantùm intelligibiliter, vel ex solo motivo objectivo intelligibilitatis, ergo quia natura saltem specificè differt à gra-

à gratia, aut principio supernaturali, licet supernaturalia attingere valeat, nunquã tamen etiam minus principaliter attingere poterit supernaturaliter supernaturalitate se habēte,ut motivo, seu ex motivo supernaturalitatis,sed tantũ naturaliter, sive ex motivo objectivo naturali. Et ratio utriusque est, quam insinuavimus, & infrà etiam constabit, quia nullus habitus, aut principium principale operativum in universum potest exire rationem formalem sui objecti, unde sicut intellectus exitet cognoscendo sensibilitar, sensibilitate scil. se habente, ut motivo objectivo, & sensus similiter cognoscendo spiritualiter, ut infrà de potentia visiva; ità pariter exiret natura appetendo supernaturalitar, seù ex motivo supernaturalitatis, cum non sit hic minor, imò major distantia prout sic,si rectè attendatur.

2ò. Etiam prob. principalitar concl. ratione jam insinuata, & simul urgentur superiores replicæ. Appetitus naturalis, essentialiter, aut specificè differt à supernaturali,at non differret semel conveniens in motivo cum illo, cum ex parte motivi attendatur, ut dictum est, distinctio eorum specifica, ergo &c.

Dices 1. ex Oviedo alibi de fide dist. mi.,in motivo, & modo tendendi, conc., cum diversitate istius, nego, nam licet conveniant in 1. differunt tamen in 2. Nam prior appetitus tendit modo naturali, posterior verò supernaturali, quod est tantùm convenire materialiter in 1.; & ideò adhuc possunt distingui specificè non obstante identitate motivi, quia ad specificam identitatem requiritur identitas utriusque, & motivi, & modi tendendi.

Sed contrà hoc est, quia hæc solutio videtur repugnans in terminis. Nam repugnat naturalem actum tendere ad objectum modo naturali, & tendere ad illud ex motivo supernaturalitatis, quod prob. eadem proxima paritate, quia repugnat in terminis, quòd intellectus modo intelligibili attingat sensibilia, & attingat illa ex motivo sensibilitatis, & idem de sensu, quòd attingat objectum spirituale modo sensibili, & attingat illud ex motivo spiritualitatis, ergò etiam repugnabit, quòd actus naturalis modo naturali attingat objectum supernaturale, & attingat illud ex motivo supernaturalitatis,cum non sit minor distantia, ut patet ex superioribus, & iterom infrà; vel aliàs eadem facilitate dicamus, quòd possit sensus sensibiliter tendere ad spirituale ex motivo spiritualitatis, quod est alienum &c.

Explic. & urg. hoc. Nam quia intellectus modo tantùm intelligibili natus est percipere sensibilia, nunquam valet ea attingere ex motivo sensibilitatis; & quia similiter sensus modo tantùm sensibili attingit objectum, nunquam potest attingere illud ex motivo spiritualitatis, ergo quia similiter natura, vel actus ejus modo tãtùm naturali natus est attingere supernale, nunquam poterit actu suo attingere illud ex motivo supernaturalitatis. Et ratio utriusque est, quia motiva formalia, ut vidimus, sunt specificativa potentiarum habituum, & actuum, unde non stat, quòd semel distinguantur isti specificativè, & conveniant in eodem motivo formali, nisi velimus exire limites suæ speciei, quod implicat, aliàs quid finitum non essent.

Dices ergo ex Ripalda neg. mi. ad prob. annexam dist.,attenditur adæquatè, nego,inadæquatè,conc., quia etiam ex parte principii hujusmodi actus habent sufficienter distingui §. Sed contrà hoc est,& in primis, hæc solutio petit principium, nam etiam de principiis est eadem difficultas, unde si principia non distinguuntur sufficienter ex parte motivi, aut possunt pro formali in eodem convenire, idem erit dicere quòd distinguuntur, quia distinguntur. Quòd si iterum fiat recursus ad modum tendendi jam impugnatum est. Et quia etiam, licet modi tendendi, & actus distingui dicantur efficienter ex parte principii,formalitar tamen, vel specificativè hujusmodi relativa transcendentalia ad motiva, vel objecta formalia reducenda sunt, tanquam ad sui terminum, vel finem, à quo omnis actio speciem capit.

2ò. Ex his impugnatur: quia non stat distingui ex parte principii,non supposita distinctione ex parte motivi, cum principia operativa, in eo quòd talia, distinguantur peoes motiva formalia, ut dictum est, ergo.

3ò. Explic.,& urg.præcedens. Nã quæ distinguuntur ex parte principii in principio convenire non possunt, sic quòd actus naturalis à principio supernaturali elici non possit, ergo quæ pariter distinguuntur ex parte motivi, non poterunt in motivo convenire, sic quòd idem actus naturalis à motivo, vel objecto supernaturali moveri non poterit.

4ò. Et simul explic. præcedens. Major est distinctio actuum ex parte motivi, vel objecti, quam sit ex parte principii, cum hæc sit intrà lineam efficientis, quæ solũ tendit ad dandam existentiam; illa verò intrà lineã causæ formalis, quæ tribuit quidditatem, seu speciẽ tam actui, quam habitui, ergo si quæ semel distinguuntur ex parte principii sunt incompossibilia in illo,à fortiori erunt incompossibilia in motivo, quæ distinguuntur ex parte istius. Præterquamquod, ut latè prob. à nostris 1. 2. qu. 2. ar. 3., & rectè advertit hic Illustriss. Godoy, licet actus in ratione egressus, vel actionis, aut dimanativè specificetur, aut distinguatur ex parte principii, & nos etiam insinuavimus in logicis, & alibi; consumativè tamen, vel in ratione passionis, & quietis, seu ex qua parte consumatur, & quiescit, adæquatè distinguitur ex parte motivi, vel objecti, quia istud, ut dictum est, est finis ejus, ergo cum appetitus naturalis,& supernaturalis,& in universũ actus utriusque ordinis non solum distinguantur in ratione egressus, seu sub conceptu Ab., sed etiam in ratione quietis, & passionis, prout quiescit, aut aliquomodo patitur, seu terminatur, aut specificatur ab objecto,sicut convenire nequeunt in principio, nec poterunt convenire in motivo, vel objecto &c.

§. IV.

Statuitur tertia conclusio.

Probabile est appetitum elicitum, aut naturale desiderium videndi Deum esse necessarium quoad specificationem. Hec concl., ut jam insinuavimus, est ad intentum Ferrariensis, & Mag. Catalam, & eidem favet D. Thom. hic, & 1. 2. qu. 10. ar. 1., ubi docet, ut vidimus, quòd naturaliter desiderantur, quæ desiderantur necessariò, & videtur etiam conducere ad facilius salvandum, quod asserit, non esse scil. frustrabile hoc naturale desiderium videndi causam visis effectibus, nam licet dicamus, ut explicant Salmantic. hic, posse id sufficienter salvari per hoc, quòd sit necessarium ut in pluribus, vel frequenter, non quia sit simpliciter tale, aut ut semper, sicut dicitur proportionabiliter de appetitu vitæ, scientiæ, integrita-

tis corporis, & similium, qui non censetur simpliciter necessarius, vel ut semper, sed ut frequenter; nihilominùs naturæ intellectuali secundùm se conformius videtur, quòd necessariò quoad specificationem tendat ad intuitivam causæ habita abstractiva, sic quòd illam simpliciter respuere non possit, præcipuè loquendo de causa, in qua nulla appareat ratio mali, ut statim dicemus.

Ex his prob. principaliter. Habita notitia abstractiva per effectus natura intellectualis tendit necessariò ad intuitivam causæ ut causa est, sic quòd illam odio habere non possit, ergo naturale desiderium videndi causam visis effectibus necessarium est quoad specificationem; conf. tenet ex his quæ tradidimus in 3. de anima, & alibi in materia de gratia, nam necessitas quoad specificationem est, quando actus, si semel elicitur, est determinatè hujus speciei, v.g. amor, & non odium; ant. verò videtur expressum D. Thom. 3. contra Gent. cap. 50. ratione prima, & prob. ex doctrina ibidem; quia cognitio intuitiva causæ est consummatio, & plena perfectio abstractivæ per effectus, ergo motus desiderii ad illam in habente abstractivam est necessarius quoad specificationem, ita ut causam sic intuitivè visibilem odio habere non possit; prob. conf., nam motus imperfecti ad plenam sui perfectionem ita est necessarius, ut illam odio habere non possit, aliàs non erit plena sui perfectio.

Expl. hoc. In linea cognitionis ita est, quòd sola intuitiva dat plenam quietem, cùm sola illa, utpotè ultima, sit maximum, & plenum bonum in hac linea, sed ad formam, quæ sola dat plenam quietem in aliqua linea nequit per se esse actus fugæ, vel odii, cùm nulla sit occasio ejus respectu termini dantis plenam quietem, nisi interveniat deceptio, vel error; ergo motus à notitia abstractiva ad intuitivam causæ, necessariò erit amor, & nullo modo odium.

Expl. ulteriùs paritate ibidem insinuata à D. Tho. Nam quia intrà lineam discursivam cognitio scientifica est plena perfectio, & consummatio illius lineæ, desiderium scientiæ de aliquo objecto in habente solam opinionem de illo non potest non esse necessarium quoad specificationem, ita ut actus circa illam nequit esse fuga, vel odium, sed prosecutio, aliàs, ut dictum est, plena perfectio non erit illius lineæ, ergo à fortiori desiderium videndi Deum, ut causam visis effectibus, quod est aliquid fortius, & vehementius, utpotè plenum bonum, quo majus excogitari non potest, necessarium erit quoad specificationem, ita ut actus circa visionem ejus nequeat esse fuga, vel odium per se loquendo &c.

Dices ut supra ex Salmanticensibus tantùm probari de necessitate secundùm quid, non simpliciter, quia licèt eadem visio sit consummatio alterius cognitionis abstractivæ, vel desumptæ ex effectibus, non tamen est objectum adæquatum voluntatis, & consequenter nequit illam quoad specificationem necessitare. §. Sed contra hoc est, & in primis quod attinet ad objectum per se dicemus infrà. Deinde insto eodem argumento, nam in linea cognitionis, ut dictum est, visio rei, & præcipuè primæ causæ est bonum plenè satiativum cognoscentis illam tantùm abstractivè, vel ex effectibus, cùm plenius bonum illi assignari non possit, ergo supposita elicientia actus, simpliciter necessitat ad actum prosecutionis, scil. amoris, vel desiderii; conf. tenet, quia, ut dictum est, ad objectum plenè satiativum, si semel elicitur actus, planè nequit esse fuga, vel odium, nisi obstet deceptio aliqua, vel error, ergo per se loquendo tantùm est prosecutio.

2ò. Impugnatur urgendo præcedentem replicam, sicut & rationem factam cum suis explicationibus paritate appetitus innati, servata tamen proportione. Nam quia centrum est bonum plenè satiativum, ut sic dicamus, naturæ v. g. lapidis, si iste semel movetur extra illud, non potest per se non moveri motu deorsùm, licèt violenter detineri possit, aut moveri ad locum sursùm, ergo quia visio primæ causæ, supposita cognitione effectuum, est bonum plenè satiativum naturæ intellectualis, licèt hæc possit suspendere actum, aut aliundè diverti ex deceptione, si tamen elicit actum, non poterit non elicere actum amoris, vel desiderii; nam licèt modò non concipiatur clarè, ut objectum adæquatum, sicut in patria, aliquomodò tamen concipitur, ut plenè satiativum, vel quo majus excogitari non potest, ut patet ex dictis, & iterùm infrà.

3ò. Urgendo adhuc superiora. Nam quia assensus conclusionis est consummatio totius scientifici discursus, licèt ab initio possit non applicari intellectus ad præmissas, semel tamen habito earum assensu tenetur omninò, saltem quoad specificationem habere actum prosecutionis circa conclusionem, quidquid sit, an etiam teneatur quoad exercitium, ut dictum est 1. poster. in jam communi sententia, ergo quia similiter notitia intuitiva causæ, est consummatio abstractivæ, necessitabit quoad specificationem ad actum prosecutionis.

Expl. hoc. Licèt intellectus sit absolutè potentia libera ad assensum conclusionis, quia tamen est consummatio, & necessariò connexus cum illo præmissarum, habito isto sit naturalis ad assensum conclusionis, ergo pariter licèt sit potentia libera ad visionem primæ causæ, quia tamen ista est consumatio, & necessariò connexa cum visione effectuum, visis istis erit naturalis saltem quoad specificationem ad visionem causæ, & consequenter appetitus ad istam erit necessarius simpliciter; estò dicamus objectum adæquatum non esse.

Dices paritatem nimis probare, quia etiam probaret de necessitate quoad exercitium, sicut habet intellectus ad assensum conclusionis. §. Sed contra hoc est; & in primis non desunt in Schola D. Tho. qui teneant, ut Martinez, non necessitari intellectum quoad exercitium ad assensum conclusionis. §. Sed deinde insto, nam licèt visio primæ causæ sit consumatio notitiæ abstractivæ, vel per effectus, in statu tamen viæ nunquam proponitur sine indifferentia judicii, ergo licèt si semel elicitur actus circa illam sit necessariò prosecutio, non tamen obligatur potentia ad illum eliciendum, sicut ad assensum conclusionis, quia facta suppositione assensus præmissarum manet aliquomodò in statu consumationis, seu in termino viæ, aut motus discursivi, scil. in linea scientifica, quæ est suprema, & ultima in via cognitionis per discursum, sicut ultima, & suprema omnium simpliciter est visio in patria, unde sicut ad hanc necessitatur simpliciter ibi intellectus, & voluntas ad amorem, ita proportionabiliter necessitatur hic saltem secundùm quid ad assensum conclusionis ex suppositione, scil. assensus præmissarum.

2ò. Prob. principaliter ratione jam insinuata, & est replica contra priorem solutionem. In Deo clarè viso

secun-

secundùm se nulla potest apparere ratio mali excluso errore, vel decepti one, ergo desiderium vidandi Deum visis effectibus est simpliciter necessarium quoad specificationem; conf. tenet, quia bonum, ut bonum nequit odio haberi; ant. etiam constat, quia in Deo clarè viso secundùm se est plenitudo totius bonitatis.

Dices cum Gonet ad ult., & cum Salmanticensibus n. 81., & sequentibus, quòd licèt in illo prout sic nulla apparere possit ratio mali positivè, apparet tamen negativè, quia non cognoscitur pro hoc statu in eo continere omne bonum: & rationem subdunt Salmanticenses, quam jam insinuavimus, quia licèt secundùm se sit objectum adæquans voluntatem, nobis tamen viatoribus non proponitur ut adæquans, & ideò quandiù non cognoscitur evidenter, & prout est in se, sed obscurè, nunquam potest necessitari voluntas ad illud prosequendum etiam quoad specificationem, non quidem ex defectu objecti, ut convincitur ratione facta, neque etiam ex defectu luminis, cùm per Fidem firmissimè etiam proponatur, sed ex parte subjecti, quia evidenter non cognoscit, & ideò potest suspicari, aut dubitare, & consequenter habere actum per modum fugæ.

Sed contra hanc solutionem, in qua consistit præcipua vis Salmanticensium, dicimus primò, tantùm posse convincere de necessitate quoad exercitium, non quoad specificationẽ, quod patet superiori exemplo assensus conclusionis, ad quem saltem quoad specificationem in communi nostra sententia necessitatur intellectus ex suppositione assensus præmissarum, ut dictum est, estò non appareat ibi objectum adæquans. §. Deinde visis effectibus ita proponitur prima causa, vel Deus, quo bonum majus excogitari non possit, sic enim omnes concipimus Deum, ut patet ex dictis, aliàs non conciperetur, sed destrueretur; ergo si semel voluntas elicit actum circa illum ut sic, erit prosecutio, non fuga, nisi interveniat deceptio, vel error; nam errant omnes, qui operantur malum; aut nisi impediatur, ut dictum est, ratione arduitatis, vel laboris in assequendo; conf. tenet, quia conceptus objecti, quo majus bonum excogitari non potest, est conceptus pleni boni, saltem in communi, ergo non potest non obligari voluntas, saltem quoad specificationem ad sui desiderium, vel amorem, excluso errore, vel deceptione &c.

Explic. hoc. Nam licèt modò in via nequeat clarè attingi Deus ut objectum beatitudinis, visis tamen affectibus, ita attingitur sub ratione boni, ut illo majus excogitari non possit, quod est attingi cum tanta bonitate, cum quanta attingitur beatitudo in communi: sed hæc, ut fatentur omnes, sufficienter percipitur in via ad necessitandum quoad specificationem, ergo pariter Deus visis effectibus ità percipitur, ut quoad specificationem necessitet ad amorem sui.

Expl. ulteriùs retorquendo paritatem quam adducunt num. 82. de objecto Philosophiæ. Nam quia mobile ut sic concipitur à Philosopho cum plenitudine mobilitatis, estò quis ex ignorantia non referret ad illud aliquod mobile in particulari, non tamen sequitur, quòd habitus Philosophiæ non teneatur per se prosequi illud, si semel elicit actum; ergo quia modò etiam in via percipitur Deus à nobis cum plenitudine bonitatis, si valimus concipi cum excessu suprà omne bonum, estò quis ex errore, deceptione, vel arduitate operis non referat ad illum aliquod bonum particulare, non indè infertur, quòd non teneatur voluntas per se prosequi illum, si semel elicit actum, nam utrobique est per accidens, quòd non referat, ant non respuat, vel etiam non videat, ut dictum est &c.

Denique urgetur totum hoc exemplo illo Infidelis audientis possibilitatem resurrectionis mortuorum. Nam ille sic audiens à Fideli potest habere desiderium necessarium quoad specificationem circa illam si est possibilis, estò Fidem non recipiat, ergo à fortiori poterit habere circa visionem causæ visis effectibus, estò illam non videat; conf. tenet, quia urgentiùs videtur excitari ex visione effectuum, quàm ex solo auditu possibilitatis; ant. etiam constat, quia ad esse naturaliter inclinamur, ergo audita possibilitate ejus, estò quis Fidem non percipiat, saltem ad illam necessitabitur quoad specificationem, si possibilis est. Sed iterùm contra hanc solutionem ad ultimum &c.

§. V.

Solvuntur Argumenta contra primam Conclusionem.

Primò arg. Potest habitus entitativè naturalis habere efficaciam eliciendi actus supernaturales, ergo pariter actus entitativè naturalis habere poterit tendendi ad objectum supernaturale; ant. constat in habitu Theologiæ, qui in probabili sententia est entitativè naturalis, & tamen elicit assensus conclusionum supernaturales. §. Dices non elicere nudè sumptum, sed elevatum intrinsecè, ut dictum est, lumine theologico; & hoc modo etiam poterit actus sic elevetur, ut dicebamus.

Sed contra hoc est. Nam principium radicale non elevatum per aliquod supernaturale potest habere efficaciam concurrendi ad actus supernaturales, ergo etiam proximum naturale, vel habitus poterit sine elevatione habere illam ad objectum supernaturale, & consequenter poterit eodem modo actus; prob. ant. in anima Fidelis existentis in peccato mortali, nam hæc sine forma aliqua elevante concurrit ad actus informes Fidei, & Spei, cùm sit spoliata ipsa gratia &c.

Expl., & urg. hoc. Licèt hujusmodi actus supernaturales sint, quia tamen sunt informes, & imperfecti, potest in natura esse vis radicalis eliciendi illos sine elevatione ex parte radicis, sive ipsius animæ; ergo quia appetitus naturalis efficax ad visionem valdè imperfectus est in hoc genere, & veluti conditionatus poterit in eadem esse vis proxima eliciendi illum sine elevatione ex parte proximi &c.

Resp. benè ibi. Ad replicam resp. aliqui, quòd ut eliciantur hujusmodi actus imperfecti non supponentes gratiam, derivatur per quandam diffusionem ab habitu Fidei, & Spei aliquod supernaturale immediatè receptum in essentia animæ constituens eam radicale principium talium operationum.

Sed hæc solutio videtur omninò aliena à ratione. Tum quia contra rationem principii radicalis est, quòd oriatur à proximo. Tum quia si derivatur à Fide erit ipsâ imperfectius, & consequenter minus poterit esse radicale principium operationis vitalis, quàm Fides. Tum quia constituere in peccatore

eatore novam aliem qualitatem perfectiorem fide, & spe immediatè inhærentem animæ novum est,& contrà communem consensum Theologorum, nec explicari potest in quo ejus ratio essentialis contrapositivè ad gratiam constituenda sit, nam deberet esse participatio supernaturalis divinæ naturę per modum naturę, si velimus, ut requiritur ad principium radicale supernaturalis vitę, quòd tribuat vitam supernaturalem radicaliter per modum naturę. Ex quo etiam rejicitur quidam modus Oviedi ponentis duplicem gratiam, aliam sanctificantem, aliam non, sed pręcisè dantem primùm esse supernaturale per modum naturæ illius ordinis, de quo Mag. Ferre de spe tract.3. §. 15. ad 1.

Aliter ergo resp. neg. conf., quia cum principium radicale, seu substātia animæ immediatè active, vel operativa non sit, sed mediis qualitatibus agat, ut latè ostendimus in 2. physic.,& consequenter non habeat alium influxum ad actus vitales, nisi illum indivisibilem, quem præstat mediis potentiis,satis est, quòd istæ eleventur per principium supernaturale, nullo alio requisito ex parte animæ pro eisdem actibus supernaturalibus informibus, nam sicut influxus procedens ab anima,media potentia, aut virtutè naturali, naturalis est, ità procedens media potentia elevata per virtutem supernaturalem, supernaturalis erit; undè licet requiratur elevatio ex parte principii proximi, non tamen ex parte radicalis per aliquòd supernaturale distinctum ab elevante potentiam, nisi ad actus formatos, aut salubres ad vitam æternam. §. Pręterquamquòd licet habitus supernaturalis, ur subjecto *quo* inhæreat immediatè potentiis, tamen ut subjecto *quod* inhęret animę, & eam verè, & realiter informat, elevans ad ordinem supernaturalem. Ut ergo substantia animę, verè sit radicale principium operationis supernaturalis satis est, quòd sit radicale principium potentiæ,quæ elevatur ad eam producendam, & quòd talis potentia, ut subjecto *quod*, & principio radicali pendeat essentialiter in agendo ab anima. Adde quòd si operatio vitalis supernaturalis postularet ex natura rei principium radicale vitę supernaturale non exigeret accidens; sed substantiam supernaturalem, quę est impossibilis, ut ostenditur infrà &c.

Ex his etiam patet ad explicationem, vel enim negamus suppositum, quòd ex parte radicis non sit elevatio modo dicto, vel etiam negamus causalem, sed quia principium radicale non est immediatè activum, ut dictum est. Et quidem eadem paritate probare possent, quòd nec de facto ex parte principii proximi requiratur aliquid supernaturale, sive habitus fidei, sive spei, sicut nec requiritur ex parte radicalis, quod est alienum, Sed de hoc argumento agitur etiam infrà circà necessitatem luminis,

2o Arg. contrà idem. De facto angeli mali in statu viæ appetitu naturali efficaci appetierunt beatitudinem supernaturalem, ergo est possibilis, prob. ant., de facto apprehenderunt illam, ut sibi possibilem naturę viribus, ergo sic illam efficaciter appetierunt: conf., tenet quia appetitus efficax sequitur ad dictamen practicum de objecto possibili,ergo si semel apprehenderunt, ut possibilem viribus naturæ, potuerunt sic eam efficaciter appetere. Tùm quia motus ille voluntatis fuit cum pleno consensu volendi illam, si velimus peccasse mortaliter, ergo non potuit esse motus imperfectus, vel appetitus inefficax.

Resp. neg. ant., ad prob. nego conf., ad prob. annexam dist., & simul explico illam: sequitur ad dictamen practicum juxtà meritum illius, conc., aliter nego, nam secundùm quòd quis apprehendit falsò, vel verè possibilitatem objecti consequitur appetitus efficax, vel secundùm rei veritatem, vel secundùm apparentiam, aut imaginationem, ut contingit in quolibet apprehendente aliquod supernaturale, ut sibi possibile naturę viribus, ubi vera efficacia non est,sed tantùm apparens, vel imaginaria, ut patet in hæreticis, qui dum aliquibus discredunt, putant nihilominus alios credere, quos non negant, falsò tamen, & in apparentia,aut in sui judicio corrupto, ut alibi infrà de fide ostendimus. Per quòd etiam patet ad id, quod subditur nempè motum illum fuisse peccaminosum mortaliter, nam ad hoc satis erat efficacia illa apparens; errant enim omnes, qui operantur malum &c.

Sed instas. Ex eo semel habito dictamine practico de possibilitate rei nequit homo, vel Angelus vera efficacia tendere ad illam naturali appetitu, quia est impossibilis naturæ viribus ejus assecutio, vel præparatio mediorum ad illam, sed hoc non obstat, ergo,prob. mi., quia ad judicium practicum non pertinent vires executivæ, ergo ex defectu possibilitatis in assequendo per vires proprias non rectè negatur vera efficacia semel habito judicio practico.

Explic., & urg. hoc ex his, quę traduntur infrà qu.23., & 1.2. quęst. 109. Nam ex eo nos Thomistæ negamus prædestinationem consistere in judicio regulante electionem, quia objectum illi correspondens adhuc intelligi potest frustrabile; & similiter admittimus judicium per modum dictaminis practici circà quamlibet veritatem practicam saltem divisivè, quia ad illud non pertinent vires executivæ, ergo ad judicium practicum non pertinent hujusmodi vires, & consequenter bene stabit non esse vires in natura ad assequendum objectum, & tamen posse esse in illa appetitum efficacem saltem conditionatum.

Explic. ulteriùs ex doctrine, quā tradunt plures 1.2. ibid., scil. quòd in actu entitativè naturali, ut in dilectione Dei authoris naturę super omnia claudatur propositum efficax adimplendi omnia præcepta supernaturalia: ex quo ergo utur sic. Ex eo admitti potest illud propositum efficax clausum in actu entitativè naturali, quia judicium practicum de adimplendo omnia non trahit secum vires executivas, ergo eadem ratione poterit dari appetitus efficax in natura ad visionem, estò vires non sint, sub sola saltem conditione si ad sint &c.

Resp. ad instantiam neg. mi. ad prob. dist. ant., ad judicium practicum non pertinent vires executivę, si sit practicum per modum puri dictaminis practici, vel intra forum purè consiliativum transeat, vel conc. ant.; si per modum imperii, nego saltem connexivè, & exigitivè, quia hoc posterius cum sit in linea exercitii, necessariò connectitur, & exigit illas, primùm verò tantùm supereddit ad speculationem, quendam ordinem remotum ad directionem operis exequendi, vel vitandi, non tamen dirigit exercitè, nec dat vires voluntati, nec obligat ad operendum præcipuè opus excedens, ut infrà ostendimus in materia de gratia.

Et per hęc patet ad primam explicationem quoad id, quòd tangitur ex qu. 23. Ad aliud verò ex materia de prædestinatione; dicimus similiter, quòd judicium regulans electionem non est per modum imperii, unde meritò Thomistæ non in illo, sed in isto constituunt prędestinationem pro formali, ut latè ostendimus infrà nam

nam cum prędestinatio sit providentia perfectissima nullo modo intelligi potest frustrabilis, unde poterat retorqueri.

Ad 2. nego suppositum; quòd in illo actu purè entitativè naturali claudatur propositum efficax, sive positivè, scil. implendi pręcepta supernaturalia, sive negativè non transgrediendi illa, nam licet dilectio Dei etiam, ut auctoris naturę, ex quo super omnia est, teneatur excludere quidquid directè avertit à Deo auctore naturę, non tamē quidquid avertit indirectè ab illo, sicut est v. g. transgressio pręcepti supernaturalis, aut contrà Deū authorem gratię itaut habeat hanc vim excludendi illud, aliàs purè naturalis non esset, quamvis ità sit, quòd sit etiam incompossibilis cum hujusmodi transgressione, aut peccato avertente ab auctore supernaturali, non tamen activè quasi habeat vim expulsivam illius, aliàs posset ultimò disponere ad justificationem, quod sanę doctrinę non congruit; sed tantùm passivè, ideft si ponatur aliquod ex his peccatis in subjecto expelletur ab illo &c.

Aliud quippè est loqui de aversione, aliud verò de cōversione ad Deum per dilectionem, ut ostendimus infrà t. 2. ad qu. 71. in favorem etiam decreti nuperrimè emanati ab Alex. VIII. contrà propositionem negantem peccatum philosophicum, esse offensam Dei, & peccatum mortale in non cognoscente, aut actu non cogitante de Deo, nam licet ità sit, quòd aversio eò ipso, quòd semel est contrà bonum rationis tanquam proximum finem, & contrà Deum tanquam ultimum finem naturalem sit etiam contrà Deum, ut finem supernaturalem, & pręcipuè in statu modò elevationis hominis ad istum, ac per consequens sit offensa Dei auctoris, & finis tam naturalis, quam supernaturalis, non tamen conversio pręcisè, vel dilectio illius, ut finis naturalis importat tendentiam, aut vires tendendi ad illum, ut finem supernaturalem per observantiam pręceptorum supernaturalium positivè, sed negativè, ut dictum est, nam bonum est ex integra causa, malum autem ex particulari quocunque defectu.

§. VI.

Solvuntur argumenta contrà secundam, & tertiam.

PRimò arg. contrà secundam ad probandum, quòd possit dari appetitus inefficax naturalis ex motivo supernaturali. Potest dari actus supernaturalis ex motivo naturali tendens ad objectū naturale, ergo etiā poterit dari actus naturalis ex motivo supernaturali tendens ad objectum supernaturale, cons. tenet ex dictis, & antec. constat, nam potest quis existens in charitate motus ex bonitate naturali Dei cognita ex creaturis visibilibus diligere illum dilectione charitatis, cum nulla appareat repugnantia, quòd sic propositus diligatur per charitatem.

Explic. hoc; si voluntati affectæ charitate proponatur Deus, ut cognitus ex visibilibus sub ratione bonitatis merè naturalis excitabitur voluntas ad aliquem affectum, at sic affecta charitate excitari nequit ad affectum merè naturalem, ergo eliciet affectum supernaturalem tendētem ad Deum ex motivo naturali, ergo si pariter proponatur beatitudo supernaturalis probabiliter cognita, ut possibilis sub ratione magni, & excellentis boni modo dicto per apprehensionem naturalem pariter excitabitur affectus non supernaturalis, cum judicium regulans naturale sit, sed naturalis ex motivo supernaturali.

Resp. neg. ant., ad prob. dist. ant., potest sic Deum diligere, utendo prędicta bonitate naturali cognita ex visibilibus tanquam motivo, aut ratione formali, nego, illa pręcisè terminante ex motivo bonitatis supernaturalis Dei propositę per fidem, conc. Itaq; duplex est ibi propositio objecti altera per cognitionem naturalem habitam ex visibilibus, & hęc offert quidem bonitatem naturalem Dei, non ut objectum *quo*, aut motivum formale, sed tantùm *quod* diligendum: altera verò per fidem, & hæc est, quæ ex motivo bonitatis supernaturalis excitat voluntatem ad affectum supernaturalem charitatis offerendo objectum quo movens. Ad probat. verò annexam patet ex dictis quòd cum motivum formale sit objectum specificativum, si semel actus unius ordinis tenderet ex motivo alterius egrederetur limites suæ speciei &c.

Ad explic. similiter resp. excitari tunc affectum charitatis non tamen ex motivo naturali, sed supernaturali, unde poterat dist. ma., excitabitur affectus ex motivo naturali, nego, supernaturali, conc., & conc. etiam mi., nego conseq., & suppositum alterius consequentis, quod subinfertur, nempè, quòd in sola propositione beatitudinis per puram apprehensionem naturalem sine motivo naturali excitetur aliquis affectus. Nec enim excitari posset supernaturalis, ut rectè ibi probatur, quia judicium regulans naturale est; nec iterum naturalis, cum supernaturale motivum nequeat movere ad affectum alterius speciei, nisi exeat limites proprię, unde licet fortius sit ad movendum, quam naturale, non tamen extrà sui specificativum, sicut licet gratia fortior sit, quam natura, non tamen potest dare vitam de ordine naturæ. §. Et quidem ex his poterant desumere efficax argumentum contrà propriam sententiam, nam si quia judicium naturale est non potest appetitus esse supernaturalis, minus poterit esse naturalis stante motivo supernaturali, cum etiam in opposita sententia magis dependeat actus voluntatis à motivo formali, quam à judicio, aut cognitione regulante, quia hęc tantùm dicitur se habera ut conditio applicans, illud verò ut specificativum.

Sed contrà principalē solutionem instas. Ex eò quòd actus naturalis attingat objectum ex motivo supernaturali, vel supernaturalis ex motivo naturali non infertur exire limites suę speciei, & ingredi alienos, ergo, prob. ant., quia ad continendum utrumque intrà propriam speciem, vel distinguendum specificè ab alio sufficit diversitas in modo tendendi, ergo ex sola convenientia in motivo non infertur egressus ex propriis, & ingressus ad limites alienos; prob. ant. ex doctrina, quam insinuavimus infrà de amore Dei, nam ad distinguendum specificè amorem strictè dictum à gaudio, satis est diversitas in modo tendendi ad eandem divinam bonitatem, ut aliis omissis ostendimus ibi in favorem cujusdam modi dicendi exemplo motus recti, & semicircularis tendentium ad eundem terminum ergo &c.

Resp. nego ant., ad prob. patet ex dictis esse repugnantiam in terminis, quòd tendant diverso modo sine repugnantia ex parte motivi, ut ostensum est paritate utriusque potentię intellectivę, & sensitivæ, cui repugnat sensibiliter attingere objectum, & attingere ex motivo intelligibilitatis &c. unde nego ant., vel etiā suppositum, quòd possit esse altera diversitas sine alia.

Ad

Ad probat. iterum patet ex his, quæ sustinemus ibid. de amore strictè dicto in divinis, quòd non tantùm distinguitur à gaudio ex modo tendendi, sed ex diversa etiam formali ratione objectiva. Ad exemplum verò de utroque motu, similiter dicimus esse diversitatem in termino, quę solet à Metaphysicis explicari per diversam attingibilitatem in illo &c.

Sed instas licet motus rectus, & semicircularis specificè distinguantur, possunt nihilominus per nos tendere ad eundem terminum, secundùm diversam attingibilitatem, ergo licet actus naturalis, & supernaturalis essentialiter distinguantur, poterunt tamen respicere idem motivum secundùm diversam pariter attingibilitatem.

Resp. neg. suppositum conseq., quòd in motivo, vel objecto supernaturali possit esse diversa attingibilitas correspondens utrique actui, sicut reperitur in termino utriusque motus, & in aliis objectis comparativè ad actus ejusdem rationis, quia in motivo, vel objecto supernaturali tota attingibilitas intrinseca specificativa actus supernaturalis est, unde si semel actui naturali aliqua assignanda esset, teneremur assignare eandem, (scil. de ordine gratiæ) quæ est specificativa actus supernaturalis.

Sed adhuc instas. Nam licet divina bonitas secundùm se sit supereminens, & excedens vires totius naturæ, utpotè objectum nostrę beatitudinis; nihilominus in illa est assignabilis attingibilitas correspondens actui naturali, ergo licèt visio beata habeat eundem excessum, poterit nihilominus assignari in illa similis attingibilitas; ant. constat in actu amoris Dei authoris naturæ super omnia, qui purè naturalis est, nam licet hic actus attingat Deum, ut authorem naturæ, sive secundùm quòd est auctor effectuum naturalium, bonitas tamen attacta Dei in se naturalis non est, cum Deus sit adæquatè de ordine supernaturali, nec dividatur ejus bonitas in naturalem, & supernaturalem, & solum dicatùr auctor naturæ, vel gratiæ secundùm quòd est principium effectuum naturalium, vel supernaturalium &c.

Dices ut supra, quòd est assignabilis diversa attingibilitas ex parte objecti, *quod*, non *quo*, seu ex parte objecti motivi; & ex parte istius solum attingitur Deus sub ratione cujusdam bonitatis naturalis, sive ut relucet ex effectibus naturalibus, licet dicamus to se sola gaudere bonitate supernaturali.

Sed contrà hoc est. Nam quodlibet prædicatum Dei etiam ut auctoris naturæ infinitè superat omnem perfectionem creaturę etiam de ordine gratiæ, utpotè bonum increatum, ergo si semel actus naturalis potest habere pro motivo bonitatem Dei, etiam ut auctoris naturæ, poterit etiam habere bonitatem supernaturalem visionis &c.

Resp. bene ibi. Ad replicam dico in primis solvendam esse à contrariis, nam si ità est, quòd sit minor excessus inter bonitatem supernaturalem visionis, & appetitum naturalem, quam inter bonitatem Dei, ut auctoris naturæ, & amorem naturalem sui, sicut non obstante hoc minori excessu non solum datur amor naturalis ad Deum auctorem naturæ, sed etiam proportionatus, pariter dabitur appetitus naturalis in casu proportionatus, quem tamen ipsi non admittunt. §. Pro omnibus ergo dist. ant., superat excessu veluti naturali, & entitativo, conc. formali, vel excessu ordinis, nego ant., & conf. Alia argumenta contrà eandem conclusionem solvi poterunt infrà agendo de possibilitate, vel impossibilitate substantiæ supernaturalis, & de necessitate luminis gloriæ.

II. Arg. contrà tertiam arg. jam insinuato in favorem Salmantic., & sumitur fundamentum in D. Tho: qu. 22. de veritate ar. 7. versus finem corp., & in 4. dist. 49. ar. 3. ad 2. Ubi ait. *Beatitudo in quantùm hujusmodi importat per se objectum voluntatis; non autem divina visio*. Ex quo arguunt sic. Voluntas quoad specificationem necessitatur à suo objecto per se, vel adæquato, & non ab alio, sed visio clara Dei, seu Deus, ut clarè visibilis non est objectum per se, vel adæquatum voluntatis in via, ergo appetens ad illam non erit necessarius quoad specificationem; mi. præterquamquòd sumitur ex D. Thom. ibid. constat ex eo, quòd modò in via plura alia appetit, quæ ad illam non ordinantur, imò opponuntur; ma. verò quoad 1. par. de objecto adæquato constat, quia cum ab illo sumat totam suam essentiam non potest ex natura rei non esse determinata ad prosequendum illud; quoad secundam autem de inadæquato probatur, quia ex eo dicitur inadæquatum, quia non adæquat totā vim, & facultatē potentiæ, ergo non tenetur voluntas eliciendo actum prosequi illud. Tum quia in eo, quòd nō est adęquans, vel non satians, habet esse deficiens in hac linea, & consequenter includir aliquam rationem mali, ergo nequit necessitare quoad specificationem. Pluribus aliis confirmant, & explicant hoc argumentum, sed quia jam in superioribus tetigimus, & ex dictis solvi possunt, & adhuc ex dicendis, ne plus nimio immoremur, omitto &c.

Resp. in primis esse solvendum à contrariis, nam in idem coincidit, quod ab aliis cōtrà Thomistas opponitur in primo postet. non posse intellectum necessitari ad assensum conclusionis ex assensu præmissarum, quia nempè non est ibi plena ratio objecti. §. Deinde etiam, quia sicut voluntas potest plura alia appetere etiam contraria Deo viso, pariter potest alia appetere, quæ secundùm rei veritatem sunt contraria beatitudini, & tamen fatemur omnes ad beatitudinem necessitari *quoad* specificationem, sicut ergo ad hoc salvandum ex D. Thom. ibi ad tertium, recurrimus ad falsam æstimationem, sive ad deceptionem appetentis, pariter quia non nisi ex errore, & deceptione alia appetit, vel contraria Deo, ut optimè insinuavit ubi suprà, Mag. Catalam; poterit salvari per se loquendo, eadem necessitas in ordine ad Deum &c.

Sed pro omnibus resp. primò, specialiter probare de visione Dei auctoris gratiæ, vel ut est objectum beatitudinis in particulari, non ut prima causa est, & summum bonum absolutè, quæ est expressa; ni fallor; doctrina D. Thom. ibid. ad primum, ubi distinguit de objecto voluntatis per se, quod est bonum, & de objecto veluti per accidens, quod est hoc, vel illud bonum; cum ergo ratio primæ causæ, vel primi principii absolutè coincidat cū ratione boni absolutè; ut jā insinuaverat in corp.; tendentia ad illum ut primā causam absolutè erit necessaria saltem quoad specificationem, quidquid sit de tendentia ad illum in particulari, quæ est tendentia ad hoc bonum; & propterea ad secundùm asserit, quòd visio divina non importat per se objectum voluntatis, quia secundùm quòd est Dei in particulari, pertinet ad determinatum bonum.

Sed præterea admittendo etiam, quòd visio Dei, vel Deus sic clarè visus non proponatur, ut objectum per se, vel adæquatum, dist. ma., præcipuè quoad 2. p. Necessitatur &c., & non ab alio, absolutè loquēdo, transeat, vel conc. ma., facta aliqua suppositione, nego.; nam

tunc

tunc etiã quoad exercitiũ pôteſt neceſſitari, ut patet in aſſ'ſu concluſionis: quamvis ergo viſio 1. cauſæ modò in via ante omnem ſuppoſitionem non diceretur neceſſitate quoad ſpecificationem ex eo, quòd non ſit clarè propoſita, ut objectum adæquatum, ſecus tamen ſuppoſita cognitione ejus abſtractivè, vel per effectus. Tum quia eſt conſumatio ejus, ut dictum eſt. Tum quia creatura rationalis, ut dicit D. Thom. in eodem 4. in corp., in hoc aliis præeminet, quòd habet ex ſua natura perfectam circulationem ad ſuum principium, tanquam ad primum bonum, unde ſemel habita prædicta cognitione ejus, ſi ſemel elicit, non poteſt non elicere proſequutionem. Tum quia, ut dicebamus; Deum eſſe id, quo majus ex cogitari non poteſt, eſt omnibus notum, ſicut & Deum eſſe, & conſequenter tendentia ad Deum, ut ſic in communi, vel ut primam cauſam erit tendentia ad ſummum, vel plenum bonum, quòd eſt eſſe tendentiam neceſſariam quoad ſpecificationem, cum hac ratione ſit neceſſaria ad beatitudinem in communi.

Ex his tandem poterat ultimò reſponderi dato tranſeat ad ma. præcipuè quoad 2. partem, ſcil. quòd non ab alio; diſtingui poterat min., ſed viſio clara Dei, vel Deus clarè viſibilis non eſt objectum per ſe &c. ſumpto Deo, ut auctore gratiæ, vel in particulari, conc., in communi, vel ſub conceptu boni, quo majus excogitari non poſſit, nego per ſe loquendo, quidquid ſit per accidens ex deceptione; vel errore, aut ratione adjuncti, ut dictum eſt, nam cum viſio ut ſic importet perfectam poſſeſſionem objecti viſi, ſemel cognito Deum eſſe id, quo majus excogitari non poſſit, non poterit per ſe non eſſe objectum voluntatem neceſſitans quoad ſpecificationem, cum rectus appetitus per ſe reſpuere nequeat poſſeſſionem objecti, quo majus excogitari non poſſit, niſi velimus poſſe per ſe reſpuere poſſeſſionem pleni boni ſibi noti ex effectibus. §. Et per hæc etiam patet ad argumentum, quod proponit Gonet hic concl. 3., & coincidit cum 10. D. Tho. in 4. Fundatur enim in eo, quòd modò in via non poteſt naturaliter cognoſci clara Dei viſio, quod patet ſpecialiter probare de viſione Dei auctoris gratiæ, vel in particulari, non de Deo, ut prima cauſa eſt abſolutè, vel ſub conceptu boni, quo majus ex cogitari non poſſit, ut dictum eſt. Et videri poteſt, ubi ſupra, & in ſolutionibus argumentorum.

DISPUTATIO II.

De existentia, & poſſibilitate ſpeciei creatæ ad repræſentandum Deum, ut in ſe eſt; & oculi corporei ad illum videndum, præmiſſo modo unionis Divinæ eſſentiæ cum intellectu beati, & concurſu ejus ad videndum.

PRimò inquirimus an de facto detur ſpecies impreſſa creata tam juxtà D. Thom., quam veritatem, ubi ſimul explicabitur unio divinæ eſſentiæ cum intellectu beati; Secundò quomodo ſic unita concurrat ad viſionem, an ſcil. efficienter cum illo; Tertiò an ſit poſſibilis impreſſa; Quartò an ſaltem exp eſſa, ſeu verbum tam de facto, quam de poſſibili; Quintò denique an poſſit elevari oculus corporeus ad videndum Deum.

QUÆSTIO PRIMA.

An de facto detur ſpecies impreſſa creata Deum quiditativè repreſentans; An potius divina eſſentia uniatur intellectui creato, ut ſpecies, & quomodo.

DE facto non dari hujuſmodi ſpeciem jam communiter fatentur Theologi, excepto ex antiquioribus Ægidio, & ex recentioribus Vaſquez, quem ſequuti ſunt fidus ejus diſcipulus Alarcon, & noviſſimè P. Eſparza hic qu. 12.; Primo quidem affirmante ex eo quòd exiſtimat repugnare divinam eſſentiam gerere vices ſpeciei impreſsæ reſpectu intellectus creati, (quòd etiam probabiliter admiſſit Ricardus;) Aliis verò, quia putant lumen gloriæ habere rationem ſpeciei impreſſę, & in univerſum omnes habitus juvantes intellectum ad ſuos actus eliciendos eſſe ſpecies impreſſas objectorum, & iliis ſolis omnem intellectionem fieri, ſive in ordine naturali, ſive in ordine gratiæ. Et quidem Vaſquez primò hic diſp. 39. cap. 1., ut defenderet non eſſe contrà D. Thom. affirmare videri Deum per ſpeciem impreſſam creatam, docuit D. Thom. in 2. ſui concluſione tantùm negare ſimilitudinem creatam, quæ priùs viſa ducat nos in clatam Dei viſionem, & conſequenter non negate ſpeciem impreſſam repræſentantem Deum, ut in ſe eſt, eſſe poſſibilem, imò eam dari de facto conceſſiſſe, ſed ſolum negare ſpeciem expreſſam, ſeu verbum, quod prius debet videri, ut in eo objectum cognoſcatur. Quia autem nullum ex his, qui ſua ſcripta typis maudarunt (ut advertit M. Catalam hic dub. 1.) referre potuit, pro hac interpretatione, retulit ex noſtris Mag. Victoriam in manuſcriptis ſuper hunc articulum; dubitat tamen idem Mag. ne ſicut ſolet alios, ità eundem immeritò trahat ad ſui intelligentiam, unde ut ſingularem cenſet eſſe omninò deſerendam, quia nec ratione aliqua efficaci ex doctrina D. Thom. probatur, ut ex ſolutionibus argumentorum patebit; nec auctoritate, nam non ſolum Thomiſtæ omnes, ſed etiam Scotus, & alii, qui exiſtimant illam eſſe poſſibilem, fatentur nihilominus eam negari à D. Tho. in 2. concluſione. § Deinde diſp. 43. præſertim cap. 6. affirmat divinam eſſentiam non uniri intellectui beatorum loco ſpeciei impreſsæ, ſed de facto beatos videre Deum per ſpeciem impreſſam creatam, quam dicit eſſe habitum luminis gloriæ, & hoc ultimum aſſerit docuiſſe Ricardum, Scotum, & D. Tho. Cæterum Ricardus loco ab eodem relato tantùm docet,

cet, ut insinuavimus; probabile sibi videri, quòd Deus de facto per speciem creatam videatur. Quòd verò lumen gloriæ, sit species nec leviter insinuat, sed contrarium supponit. Scotus etiam licet afferat rationes, quibus probari solet impossibilitas speciei, sibi inefficaces videri, non tamen affirmat, quòd de facto videatur Deus per speciem creatam, imò in 4. dist. 49. q. 11., dum (ut Vasquez ipse refert) docet lumen gloriæ sine specie ad eliciendam visionem sufficere, quia objectum est per se præsens potentiæ, apertè negat lumen esse speciem, & satis indicat divinam essentiam per se ipsam supplere vices speciei, siquidem ait, causam, ob quam sine specie creata videtur, esse, quia per se ipsam est præsens potentiæ, scil. unita sufficienter, ut objectum intelligibile; in quo utrumque asserit contrà Vasquez, & quòd lumen non gerit munus speciei, dum hoc etiam supposito dicit, quòd in tantùm non est necessaria species superaddita ad objectum, in quantùm istud per se ipsum potest habere unionem, & præsentiam, quam aliàs faceret species, si objectum per se immediatè non haberet sic uniri, unde non recurrit ad meritum luminis, ut excludat necessitatem speciei, sed ad meritum objecti.

Quam verò immeritò referat D. Thom. constabit conclusione sequenti, & ex art. 5. quia dum probat necessitatem luminis gloriæ, non probat eam ex necessitate objecti, vel ex parte ejus quasi istud indigeat ex parte sui, ut scil. fiat intelligibile, & uniatur potentiæ, sed ex parte istius tanquam virtus, per quam fiat potens ad intelligendum, & disponatur ad hoc, quòd divina essentia fiat forma ejus intelligibilis. Et solutione ad primum ait. Per lumen gloriæ fieri intellectum potentem ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior per habitum ad operandum. §. Nec juvat dicere ex eodem Vasquez, quòd nomine habitus intelligit D. Thom. speciem impressam. Tum quia D. Thom. admittit id, quòd argumentum probat, nempè non esse necessarium lumen propter objectum; esset autem necessarium propter illud, si solum esset necessarium, ut habitus, qui est species gerens vicem objecti. Tum quia immediatè declarat se non loqui de habitu, qui est species subdens; *Et sicut lumen corporale necessarium est in visu exteriori, ut possit moveri à colore.* Manifestum est autem lumen esse quid distinctum à specie impressa, per quam videtur color. Quæ autem objicit Vasquez, parum urgent, & facilè solventur. Quod verò lumen non concurrat, ut species intelligibilis demonstrabitur.

§. PRIMUS.

Statuitur prima conclusio circa mentem D. Thomæ.

IN 2. sui conclusione D. Thom. præcipuè primò, & directè intendit excludere speciem creatam, quæ dicitur species impressa, & non ut objectum priùs cognitum, sed ut ratio cognoscendi ducit in cognitionem. §. Pro intelligentia adverto D. Tho. tribus præmissis, vel prænotatis, duabus conclusionibus respondere quæsito, scil. *an essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur*, Primum, quòd præmittit, est, ad visionem, tam sensibilem, quam intellectualem duo requiri, nempè virtutem visivam, & unionem rei visæ cum visu, aut potentia vidente, quia non fit visio in actu, nisi res visa sit aliquomodo in vidente. Secundũ, posse dupliciter intelligi rem visam uniri videnti; 1. per ipsam immediatè: secundò per aliquam sui similitudinem, ut patet cum res visa est corporalis, quæ non potest esse in vidente per sui essentiam, vel substantiam, sed solum per suam similitudinem, dum enim videtur lapis, non est in oculo videntis, ejus substantia, vel entitas, sed tantùm illius similitudo, per quam fit visio in actu: tertiò quòd si contingat rem visam esse etiam principium virtutis visivæ, opportet videntem habere à re visa virtutem visivam, quæ sit similitudo illius, sicut omnis effectus est quædam similitudo suæ causę; & hanc vocat D. Tho. similitudinem ex parte potentię. Et ab illa etiam haberet formam, per quam videret.

His prænotatis prima ejus conclusio est. Ad videndum Deum requiritur aliqua similitudo ex parte potentię, qua intellectus sit efficax ad videndum Deum, nam Deus ipse, qui videtur est auctor intellectivę virtutis, per quam videtur, sive hęc sit ipsa potentia intellectus, sive aliquod supernaturale lumen, ergo requiritur aliqua similitudo, quia talis similitudo cum non sit ipsa essentia Dei, debet esse aliqua similitudo participata à Deo, qui est primus intellectus.

2a. est. Ex parte rei visę, quam necessè est aliquomodo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam videri potest Dei essentia, quę repręsentet ipsam, ut in se est. Hanc probat. 3. rationibus. Prima est, ut Dionys. docet de divinis Nominibus c. 1. non longè à principio Per similitudines inferioris ordinis nullo modò possunt superiora cognosci quidditativè, v. g. per specië corporis nequit essentia rei incorporeæ cognosci, ergo minus poterit cognosci essentia Dei per specië creatam, cum longè in infinitum superet in gradu immaterialitatis, de quo infrà. Alię duę rationes suo loco etiam explicandę sunt. In hac ergo 2. contendit Vasquez non loqui D. Tho. de specie impressa, neque hanc negare, cujus oppositum modò evidenter ostendimus.

Primò quia ubicunq; tractat D. Tho. de modo, quo Deus videtur à beatis excludit hanc similitudinem impressam, ergo etiam hic, prob. ant. Nam quodlib. 7. art. 1. expressè distinguit tria media, scil. *sub quo, quo, & in quo*, sive sub quo intellectus videt, quod ait esse lumen: quo videt, & hoc esse speciem intelligibilem, quę proculdubio in nobis derivatur in intellectum possibilem, seu passibilem ab objecto per abstractionem intellectus agentis: & tandem in quo videtur objectum, & postquã ostendit in visione beata non posse admitti hoc tertium, subdit: *similiter etiam non est ibi secundum, scil. aliqua species essentiæ divinæ intellectum informans*, & probat, quia species creata non potest repręsentare essentiam divinam, ut in se est, sed aliquam ejus umbram, & ideò per illam non posse videri Deum immediatè: quibus apertè negat contrà Vasquez posse Deum videri ut in se est non tantùm per speciem, quæ repręsentet, ut objectum priùs cognitum, sed etiam, quæ sit tantùm ratio cognoscendi; quę ut fatetur Vasquez, est species impressa, & planè de hac loquitur in 2. medio, nam hęc est species intelligibilis, quæ ab objecto derivatur in intellectum, qua ratione suprà innuimus ex D. Thom., & Cajet. infrà qu. 79. art. 2., intellectus creatus comparativè ad objectum primò, & simpliciter est potentia passiva, quia revera objectum nihil omninò patitur, aut recipit ab intellectũ, sed potiùs intellectus natus est pati, & recipere

ab

ab objecto, ut egregiè explicat ibi Cajet. Ex quo etiam intulimus, quòd etiam si Deus, ut auctor supernaturalis contineatur intrà latitudinem objecti intellectus creati, adhuc tamen non teneri respicere Deum, ut potentiam activam, sed satis esse, quòd ut potentia obedientialis passiva, seu per modum coaptationis essentialis, ut explicatum est, sive ex propria ratione formali aptus sit recipere aliquod supernaturale, quo fiat in actu ad eliciendam intellectionem circà Deum, ut objectum est supernaturale.

Idem triplex medium expressè distinguit in 4. dist. 49. qu. 2. art. 1. ad 15., & primum docet reperiri, & esse lumē gloriç dans intellectui vim cognoscendi; de 2. verò ait. *Nec erit ibi secundum medium, quia esset a divina erit, qua intellectus noster videbit Deum*, ut dictum est; nempè incorp. art. circà finem, ubi ex professo ostendit, quomodò divina essentia per se ipsam uniatur intellectui, ut species intelligibilis, qua videtur Deus.

Huic 2. Auctoritati resp. Vasquez n. 11. D. Thom. negantem secundùm medium, tantùm negate speciem expressam.

Sed hoc pugnat apertè contrà textum, quia; ut idem Vasquez fatetur; species expressa in doctrina D. Tho. non ducit in cognitionem, nisi ut objectum priùs cognitum, sed D. Thom. nullam aliam differentiam constituit inter secundum, & tertium medium, nisi quòd istud, ut priùs cognitum ducit in cognitionem objecti, secundùm verò, ut id, quo cognoscitur, ergo contrà literam explicat de expressa. §. 2. Quia D. Thom. expressè docet secundum medium esse speciē intelligibilē, per quā intellectus determinatur ad speciale objectū. Sed certum est hoc esse munus speciei impressæ, nam expressa cū sit, vel ipsa intellectio, ut alii dicunt, vel terminus ejus, ut dicunt Thomistæ; planè supponit intellectum determinatum ad objectum speciale, ergo manifestè negat impressam, & non tantùm expressam.

Urg. hoc. Nam quia tertium medium est id, in quo, seu tanquam objectum prius cognitum ducens in cognitionem, contrà textum explicaretur de impressa, quæ est ratio qua, ergo quia secundum est id, quo, seu ratio videndi contrà textum explicatur de expressa, quæ est ratio in qua &c.

Prçterea qu. 8. de veritate ar. 1., docet essentiam divinam debere esse id, quo videtur, ut forma unita intellectui, nec posse videri per aliquam similitudinem receptam in intellectu, ubi utramque similitudinem non tantùm impressam, sed etiam expressam negare videtur, licet clariùs impressam, quia hæc est id, quo videtur objectum, nam expressa, ut dictum est, est id in quo; quod evidentius deducitur ex ar. 2. ad 3., ubi expressè docet essentiam divinam uniri intellectui, ut formam intelligibilem, quæ est principium intellectionis, hoc verò, ut dicebamus, est proprium speciei impressç, cum expressa non ut principium, sed ut terminus intellectionis eidem uniatur.

Denique 3. contrà gent. cap. 49. ratione 4., probat Deum non posse videri per speciem intelligibilem creatam, & cap. 51. docet speciem, per quam intellectus fit in actu, ut possit videre divinam essentiam debere esse eandem essentiam, quia per nullam speciem creatam potest id consequi; quibus directè excludit speciem impressam, ut rectè etiam notat ibi Ferrara, Tum quia nomine speciei intelligibilis regulariter intelligit impressam, quia expressam non solet appellare speciem intelligibilem, sed verbum, conceptumem, vel intellectionem intellectam; tum quia impressa est illa, per quam fit in actu ut possit videre, expressa autem supponit intellectum sic constitutum, cum sit terminus intellectionis &c.

Prob. deindè ratione, manifestè ostendendo ex discursu articuli, quòd loquatur de specie impressa, nisi fiat magna vis verbis ejus. Nam incorp. articuli præmittens necessitatem duplicis requisiti ad visionem tam sensibilem, quam intellectualem, scil. virtutis visivæ, & unionis ejus cum re visa, apertè loquitur de unione objecti cum potentia, quæ fit per speciem, vel similitudinem impressam, & consequenter quç est ratio cognoscendi, & non objectum priùs cognitum, sed in secunda conclusione expressè negat divinam essenti m videri per similitudinem, qua fit hçc unio objecti cum potentia, ergo primò, & directè negat videri Deum per speciem impressam, mi. concedit Vasquez, & patet ex illis verbis conclusionis, quam necesse est (scil. rem visam) aliquomodo uniri videnti. Tum etiam quia juxtà distinctionem prçmissam de duobus requisitis ad quamcunque visionem duas statuit conclusiones, ergo sicut prima respondet ad primum requisitum, ità secunda ad secundum; ma. autem prob., quia D. Th. non loquitur de unione objecti cum potentia, quç subsequitur visionem, sed quæ prærequiritur, ut fiat visio, ergo non loquitur de ea, quæ fit per speciem expressam, quç est terminus visionis, sed quæ per impressam, & prçcedit illam ex natura rei.

II. Quia loquitur de visione, quç in cōmuni sententia Phylosophorum requiritur in omni visione etiam corporali, sed quòd in oculo detur species expressa distincta à visione, quç priùs visa ducat in cognitionem objecti, neque D. Thom. vel leviter insinuat, & cum communi, & probabiliori, imò & certa sententia docent omnes Thomistç esse impossibilem, ergo non loquitur de unione, quç fit per expressam, ut objectum priùs cognitum.

Riduculum verò esset explicare de unione in actu secundo, quæ fit per visionem ipsam, nam hoc esset petere principium, & idem esset ac dicere, unionem requiri ad visionem, ac visionem requiri ad visionem. Prçterquamquòd D. Thom. expressè ait lapidem uniri oculo per similitudinem, per quam fit visio, nemo verò sanæ mentis diceret visionem fieri per visionem, & proculdubio particula illa *per* denotat causam efficientem, significat enim similitudinem, seu speciem, quæ est ratio agendi, ut principium quo illius, non visionem ipsam, aut ejus terminum.

Urgetur hoc. Quia certum est speciem impressam intrinsecè requiri ad omnem visionem, & esse similitudinem, per quam fit unio objecti cum potentia, necessaria ad visionem eliciendam, ergo de unionē, quæ fit per hanc similitudinem intelligendus est D. Thom. aliàs prçtermisisset unum ex prçrequisitis intrinsecè ad visionem in communi sententia. §. Quòd verò ait Vasquez, nomine virtutis visivæ intellexisse D. Tho. potentiam informatam specie, repugnat textui, nam virtutem visivam in corporalibus dicit esse oculum, in spiritualibus verò potentiam intellectivam, & hanc debere aliquomodo uniri objecto, ergo apertè loquitur de potentia nudè sumpta non de ipsa informata specie, & jam unita objecto &c.

§. II.

Statuitur secunda conclusio de unione divinæ essentiæ cum intellectu Beati.

IN visione non datur de facto species impressa creata, sed divina essentia unitur intellectui, ut species impressa. Est D. Thom. locis relatis, & eam admittunt non solum, qui nobiscum consentiunt esse omninò impossibilem, sed alii etiam recentiores, qui existimant possibilem saltem de potentia absoluta.

Prob. species impressa Deum repræsentans, ut in se est, vel est omninò impossibilis, ut dicetur infrà, vel adhuc admissa ejus possibilitate non est necessaria, ergo de facto non datur, conseq. tenet, quia non sūt multiplicāda principia quę juxtà exigentiā operationis non sūt necessaria; ant. autē quoad 2. p. prob., quia divina essentia per se ipsam immediatè potest uniri intellectui elevato lumine glorię ad eliciēdā visionē perfectiori modo, quàm per speciem creatam, ergo hęc non est necessaria; conseq. iterū patet quia non sunt multiplicanda principia sine necessitate, ant. verò prob., divina essentia, utpotè actus purus est objectum maximè intelligibile in actu, ergo per se ipsam est proportionata in ratione intelligibilis intellectui sic elevato, & intimè illi unita, ergo per se ipsam potest uniri ad eliciendam visionem, ant. est certum, 1: conseq. verò de proportione prob., quia solum posset dici improportionata illi propter excessum, sed supposita elevatione per lumen glorię tollitur improportio, cum lumen respiciat divinam essentiam ut in se est, tanquam connaturale, & proprium objectum specificativum, ergo: de intima verò unione patet, quia, ut ostenditur supra qu. 8. art. 3. Deus est omnibus rebus intimè unitus per suam substantiam, & hinc etiam prob. 2. conf., quia supposita intima unione, proportione, & infinitate divinæ essentię in ratione speciei intelligibilis, nulla potest assignari repugnantia unionis ejus in ratione speciei ad eliciendam visionem, ergo &c.

Difficultas tamen est in explicando substantiam, & modum hujus unionis, quæ nempè, & qualis unio divinę essentiæ cum intellectu sit necessaria, ut loco speciei concurrat cum eodem ad sui visionem. Nam Molina hìc disp. 2., asserit hoc ipso, quòd divina essentia est intimè præsens intellectui, ut cæteris aliis rebus, adveniente lumine gloriæ, quo intellectus proportionatur, vel fit habilis, ut cum eo concurrat divina essentia ad sui visionem, sine alia unione, aut conjunctione concurrere in ratione speciei ad illam. Idem videtur docere Suarez lib. 2. de attributis Dei, cap. 12, num. 10., dicens unionem istam consistere in sola propinquitate, & indistantia entitatum divinæ essentiæ, & intellectus; & licet addat requiri subordinationem ad agendum, vel producendum eundem actum, supponit tamen hanc subordinationem nullam superaddere unionem, aut unionis modum, quia nullum explicat. Fundamentum hujus modi dicendi, est, quia de ratione speciei est solum uniri cum intellectu, ut unum agens partiale cum altero ad constituendum unum integrum, & completum visionis; ad quod satis est unio per assistentiam, vel indistantiam in ordine ad spatium. Juxtà autem hunc modum, si verus esset, facilè est intelligere non repugnare divinę essentię, uniri in ratione speciei cum intellectu, siquidem sufficere dicunt unionem indistantiæ, quam de facto habet divina essentia cum omnibus rebus.

Sed hic modus communiter rejicitur à Thomistis; quia hoc modo essentia unius Angeli, & animæ separatæ possent uniri intellectui alterius in ratione speciei intelligibilis, & consequenter sine aliqua specie impressa recepta in intellectu possent se mutuò intueri, sed hoc est apertè contrà D. Thom. infrà qu. 56. art. 2. ad 3., ubi non solum docet unum Angelum cognoscere alium per speciem superadditam, quæ sit accidens, sed etiam supponit, quod arg. prob.; nempè non posse unum alterum cognoscere per propriam substantiam, aut per substantiam ejus tanquam per speciem, & rationem cognoscendi, ergo, ma. patet, quia evidens est posse naturaliter Angelos, & animas separatas uniri inter se unione propinquitatis, & indistantiæ in ordine ad spatiū; & pariter evidēs est substantiā animę, vel Angeli esse proportionatā in ratione intelligibilis cū intellectu alterius, ergo si prædicta unio cum proportione sufficit ad rationem speciei intelligibilis, substantia animę, vel Angeli per se ipsam naturaliter poterit esse species, intelligibilis, ut intelligatur respectu intellectus alterius.

II. Quia essentia divina non solum concurrit ad visionem beatificam generali concursu, ut prima causa supernaturalis, nec solo concursu objectivo extrinseco terminante visionē, sed etiam objectivo intrinseco motivo, quod per se ipsū est ratio cognoscendi, ergo antevertēdo visionē admittēda est aliqua specialis unio ejus cū intellectu distincta à generali, vel à pura unione propinquitatis, & indistantiæ in ordine ad spatium, ant. supponunt Auctores, quos impugnamus; tum quia certum est in supremo illo foro gratiæ, & intra ordinem intentionalem, vel objectivum non habere puram præsentiam, aut concursum generalem, & communem cum omnibus rebus, ut per se patet. Tum quia quoties intellectus procedit de potentia essentiali, seu de actu primo remoto ad actum primum proximum, tunc objectum non se habet præcisè ut terminans cognitionem, sed magis ut motivum, quod vel per se ipsum, vel per suam speciem constituit, aut proximè determinat intellectum ad eliciendam cognitionem, sed intellectus creatus dum elevatur ad videndum Deum procedit de potentia essentiali, seū de actu primo remoto ad primum proximum priùs natura, quam ad actum secundùm, ergo objectum visionis, sive divina essentia, ut objectum motivum intrinsecum constituit, & per se determinat intellectū in actu primo ad eliciendā visionem, conf. tenet, quia ut supponunt, id non præstat per speciem creatam; mi. est certa, quia ante adventum luminis est intellectus in potentia essentiali, & remotè se habens, utpotè improportionatus, & proportionandus per illud, & determinandus per objectum, vel speciē ad talem visionem, & etiam si daremus habere vires partiales, non tamen proximè exercendas line illo, & sine determinatione objecti, sed omninò expectātes adventum ejus, & determinationem objecti nisi velimus excludere illius necessitatem saltem de lege ordinaria contrà Concil. Vienense, (de quo infrà,) & specificam rationem intellectionis, ma. autem est communis consensus Phylosophorum juxtà illud principium; ex objecto, & potentia paritur notitia, quod tradidit Arist. 2. de anima cap. 5., & lib. 3. cap. 4., & D. Augustin. lib. 9., de Trinitate cap. 12., in illo enim apertè

sup-

supponitur objectum, vel per se ipsum, vel per suam speciem debere uniri potentiæ, ut principium cognitionis aliquomodo. Et ratio est, quia non supposita unione ejus per modum principii vel formaliter, vel effectivè concurrentis ad cognitionem, non haberet cognitio, unde magis esset in hac specie determinata, quàm in illa, quia hanc determinationem nequit habere ex intellectu præcisè secundùm se, cum prout sic sit in potentia essentiali ex se indeterminata ad hanc, vel illam cognitionem. Tum quia notitia, vel conceptus, ut exprimitur in eodem principio est de genere partus in genere intelligibili, ergo haberi nequit ab intellectu non fæcundato per objectum intelligibiliter unito, vel per sui speciem, vel per se ipsum loco speciei, nam ad speciem pertinet fæcundare in hoc genere, ut deinde constabit, & latè in tertio de anima.

Urg. I. Intellectus utpotè pura potentia in hoc genere, non potest se reducere ad prædictum actum primum, & se fæcundare ut patet, ergo indiget reduci, & fæcundari ab objecto, vel per se ipsum, vel per suam speciem ei intelligibiliter unito.

Urg. II. ex Cajet. infrà qu.14. art.1., quia objectum cognitum est principium specificativum cognitionis, utpotè finis ejus, at nequit sic esse principium, nisi ut unum cum cognoscente, quia aliàs cognoscens non esset sufficiens principium propriæ operationis, quod est contrà naturam cujuscunque agentis perfecti, quale est cognoscens, ergo objectum cognitum debet omninò, vel per se ipsum, vel per speciem uniri cognoscenti, ut principium cognitionis &c. Sed contrà hunc modum, iterum infrà de cognitione angelorum.

Ex his etiam, manet probata conf. principalis argumenti; quòd nempè antevertendo visionē debeat essentia divina uniri intellectui beatorum speciali unione distincta ab illa indistantiæ, & propinquitatis in ordine ad spatium. Et deindè etiam prob. sic. Quia hic specialis concursus objecti cum potentia ad cognitionem, vel requiritur, ut compleat activitatē potentiæ in actu primo, vel saltem ut formaliter determinet illam ad eliciendū potiùs hunc actum quam illum sed unio indistantiæ communis omnibus rebus non sufficit, ut eadem essentia, sic compleat, aut determinet formaliter illum ad eliciendum talem visionem, ut patet inductivè in aliis virtutibus, quæ uniuntur potentiis ad perficiendum, vel determinandum eas ad agendum, in nulla enim sola unio indistantiæ in ordine ad spatium sufficit, etiam si sint formæ per se subsistentes, ut patet in exēplo posito Angelorum &c.

Dices esse discrimen. Quia nec Angelus potest uniri intellectui alterius, nec virtus creata potentiæ per intimum illapsum, sicut essentia divina intellectui beatorum.

Sed contrà hoc est. Quia unio per illapsum convenit divinæ essentiæ ratione suæ immensitatis, ut est prima causa intellectus, & consequenter magis est unio in genere rei, quam in genere intelligibili, adhuc illi conveniens, estò non uniatur intellectui, ut objectum intrinsecum, & ut ratio cognoscēdi, ergo non est specialis unio, ut hic desideratur, intrà forum objectivum, ut nempè eadem essentia uniatur ad complendum, vel determinandum objectivè, loco speciei, & ut ratio cognoscendi, conseq. tenet, quia hic modus unionis, specialis est, & tantùm convenit divinæ essentiæ intrà hoc genus, seu tantùm comparativè ad intellectum beatorum, nec est unio in genere rei, sed in esse intelligibili, qualis est unio objecti cum potentia per se requisita ad cognitionem.

Communis ergo, & verus Thomistarum modus est divinam essentiam speciali unione in esse intelligibili verè, & propriè uniri intellectui beatorum, ut speciem, aut formam intelligibilem. Ità expressè D. Thom. q 8. de veritate art. 7. ad secundam rationem ex positis tertiò loco, quæ contendebat sufficere spiritualem contactum inter unum, & alium Angelum, ut illum per suam essentiam cognoscat: cui respondet, *quòd cognoscens, & cognitum non se habent sicut agens, & patiens, sed sicut duo, ex quibus fit unum cognitionis principium, & ideò non sufficit ad cognitionem contactus inter cognoscens, & cognoscibile, sed opportet, quòd cognoscibile cognoscenti uniatur ut forma, vel per essentiam suam, vel per similitudinem suam*. Et art. 1. in corp., & ad 5. dixerat, essentiam divinam respectu intellectus beatorum non esse formam in essendo, sed habere se ut formā in intelligendo. Aliis etiā locis supra relatis docet essentiam divinam uniri intellectui, & perficere illum, ut actum, & formam.

Sed pro hujus intelligentia; & ut appareat nullam esse repugnantiam, vel imperfectionem ex parte divinę essentiæ ad unionem sui cum intellectu beati per modum speciei intelligibilis, adverto, quòd speciei intelligibili creatę, quę est res distincta ab objecto cognito, sex conditiones tribui solent; prima est, quod sit forma inhęrens intellectui, & per physicam informationem tribuens illi aliquod esse, secunda quòd constituat illum intelligentem per modum virtutis objecti in actu primo, tertia quòd uniat objectum cum intellectu, quarta quòd eundem determinet ad speciem actus, quinta quòd sit similitudo repræsentans objectum; sexta quòd sit principium quo efficiens cum intellectu cognitionem, ut probabiliùs defenditur in via D. Th. concedendo ei non prçcisè influxum formalem, sed effectivum ad actum.

Circà primam communiter fatentur Theologi non esse de ratione speciei intelligibilis ut sic, esse accidens inhærens, aut informans intellectum, sed hoc tantùm per accidens se habere ad rationem formalem ejus, & solum ob sui imperfectionem convenire speciei creatę, quę est res distincta ab objecto; & patet nisi velimus omninò excludere à Deo rationem speciei intelligilis contrà D. Thom. infrà qu.14. art.2., & contrà veritatem, quia aliàs nec posset in illo admitti formaliter ratio verbi, cum ratio speciei intelligibilis sit id, quo exprimitur, & producitur verbum. Sicut ergo de ratione verbi non est, quòd inhęreat, vel in suo formali cōceptu importet imperfectionem Deo repugnantem, sed hoc accidit ei prout in nobis, ità nec erit de ratione speciei impręssæ ut sic, sed accidet ei prout in nobis. §. Unde sicut in simili etiā dicimus 3.p., de ratione subsistentiæ ut sic, quòd nulla imperfectio inhærentiæ, vel informationis, aut compositionis, & consequenter nec debitū constituendi naturam, sed tantùm terminare illā, in quo eandem distinguimus à charitate, & ab aliis habitibus tenentibus se ex parte potentię, qui quia sunt actus ejus in essendo, ex eo quòd teneantur, dando illi virtutem, & præcontinentiā actus, constituere naturam, debent omninò informare, cum naturæ constitutio non fiat, nisi vel per identitatem, vel per informationem, sicut & dare virtutem, & præcontinentiam actus; si semel non adest identitas, requiritur informatio; ità nec ulla est de ratione speciei intelligibilis ut sic, quia ut egregiè docet D. Thom. qu.8., de veritate non est de ratione ejus esse actum in essendo respectu intellectus, tribuendo ei aliquod esse, sic quòd cum illo uniatur ad

constituendam naturam, & ad dandam praecontinentiam actus (hoc enim pertinet ad formam, quae est virtus tenens se ex parte potentiae, ut dicemus infrà de lumine gloriae: tum quia aliàs neque eadem essentia divina posset habere rationem speciei intelligibilis respectu intellectus divini, neque essentia Angeli respectu ejus intellectus) sed tantum esse actum in intelligendo per modum terminantis, aut determinantis objectivè illum ad speciem actus, quod sine omni praedicta imperfectione praestari potest, ut patet in utraque essentia, divina, & angelica, unde ait ibid., quòd essentia Angeli non potest comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in essendo, comparatur tamen ad ipsum, ut actus ad potentiam in intelligendo; & ad 6. ait, intellectum Angeli esse formam, vel actum essentiae ejus; tamen in intellectu esse essentiam sicut actus intelligibilis in intelligente.

Ex his etiam circà secundam conditionem dicimus dupliciter intelligi posse speciem intelligibilem constituere intellectum in actu primo intelligentem; primò ut principium quo effectivum intellectionis non quomodocunque, sed ut complens activitatem potentiae, quod est esse actum ejus in essendo; & in hoc sensu non est de ratione formali speciei intelligibilis, sed magis convenit habitui tenenti se ex parte potentiae per modum virtutis ejus, nam aliàs, ut insinuavimus; impediretur essentia divina à ratione speciei intelligibilis respectu intellectus divini, & divinae intellectionis, nam haec est idem formaliter cum intellectu, & essentia Dei, unde omninò illi repugnat efficienter procedere ab intellectu, vel divina essentia. Imò dubitant plures, quòd esse principium quo effectivum intellectionis etiā creatae involvat intrinsecè imperfectionem, unde nolunt ei alium concedere influxum nisi formalem, sed licet dicatur, quòd sic constituere in actu, conveniat cuilibet speciei creatae, non tamen convenit illi, ut species est, sed tantùm, ut est qualitas quaedam per physicam informationem recepta in intellectu. §. Secundò intelligi potest, quòd illum cōstituat in actu primo in esse intelligibili ex hoc praecisè, quòd priùs ratione, quàm intellectus habeat intellectionem praeintelligi debeat formaliter determinatus per speciē ad habendam intellectionem ad modum actus primi, aut principii activi, abstrahēdo ab imperfectione potentialitatis, distinctionis, & efficientiç in ordine ad actū secūdum, & sic constituere in actu primo est de ratione formali speciei intelligibilis, ut communis est analogicè ad creatam, & increatam. Nā de ratione ejus ut sic, est unire objectum cum intellectu, ut asserit tertia conditio, & formaliter determinare illum ad intellectionem, ut dicitur in quarta, ergo pariter erit constituere illum in actu primo, modo dicto, conseq. tenet quia in intelligibile est, quòd sic uniat, & determinet, nisi in intelligatur praecedere intellectionē ex parte principii activi, ut perficiens, & determinans intellectum ad illam, ut ad actum secundum.

Sed pro ampliori horum intelligentia (quod etiam deservit ad aliàs graves difficultates tum philosophicas, tum theologicas praecipuè 3. par. de Incarnatione, adverto ex Cajet., & Bannez infrà quaest. 14. ar. 1., & Mag. Catalam, hic dub. 2., magnum esse discrimen inter unionem in esse intelligibili, qua cognitum unitur cognoscenti, & unionem in esse naturali, vel physico, qua forma unitur materiae; nam prior unio per se, & formaliter ad hoc ordinatur, ut cognoscens fiat res cognita, non in esse physico, & naturali, sed in esse intelligibili, ex quo fit, quòd ex tali unione non resultat tertia aliqua natura composita ex cognoscente, & cognito ab utroque distincta, sed intellectus cognoscens dicitur transformari in rem cognitam, & esse illam in esse intelligibili; posterior verò ex opposito per se ordinatur ad resultantiam tertiae naturae ex utroque componente, & ab illis distinctae, & nunquam unum componens fit aliud; qua ratione Averroes tertio de anima Comm. 5. dicit, quòd ex intellectu, & re intellecta fit magis unum quam ex materia, & forma, & rationem subdit, quia ex intellectu, & re intellecta non fit tertium aliquid, sicut ex materia, & forma. Hoc autem nempè, quòd ex illis non fiat unum tertium, & fiat magis unum quàm ex materia, & forma salvari nequit, nisi unum fiat aliud in eodem genere, vel esse intelligibili.

Sumitur hęc doctrina ex Arist. 3. de anima tex. 37., ubi ait, animam esse quodammodò omnia, scil. non simpliciter, sed quodammodò; tū ut daretur intelligi non esse actu omnia, sed potētia, quia non omnia actu uniūtur ei in esse intelligibili; tum quia non est omnia simpliciter, sive in genere rei, sed tantū secundū quid, sive in esse intelligibili. Et satis etiā praefatū discrimen, & doctrina rationi congruit, quia omninò per accidens est, & ex imperfectione cogniti, vel cognoscentis est, (ut patet in Deo, & Angelo respectu cognitionis sui ipsius,) quòd cognoscens, & cognitum sint inter se diversa, & ità uniantur, quòd fiat ex eis unum tertium; non tamen per accidens se habet ad extrema unionis in esse physico, nam materia, & forma per se exigunt esse diversa inter se, & ità uniri, ut ex illis resultet tertium, sive natura totalis; cujus etiam ratio est, quia materia, & forma in nulla natura possunt sic elevari, ut salvis propriis utriusque rationibus una sit idem alteri; possunt verò cognoscens, & cognitum ad tantam perfectionem elevari, ut salvis rationibus propriis unum sit aliud, & quo perfectiora sunt secundùm proprias rationes cognoscens, & cognitum magis sint unum, ut iterum patet in Deo, & Angelo respectu ejusdem cognitionis sui, unde transeundo ad hoc genus intelligibile per accidens est, quòd unum non sit aliud, & ex imperfectione cognoscentis, vel cogniti provenit.

Ex his omnibus prob. 2ò. principaliter concl. praecipuè quoad secundam partem, quòd sic uniatur divina essentia in ratione speciei intelligibilis. Quia licet ei repugnet alteri uniri, ut forma, vel actus in esse naturali, non tamen in esse intelligibili, ergo non est deneganda ei hęc unio, nec admittenda alia species, conseq. tenet; tum quia ex eo negant, quia putant repugnare; tum quia suppolita non repugnantia, non sunt multiplicanda principia sine necessitate: ant. etiam patet ex dictis, nam in priori unione est imperfectio informationis, potentialitatis, & compositionis, cum sit unio ad componendam tertiam naturam ab extremis distinctam, ut dictum est; hoc enim est de ratione formae in esse rei, & naturae, ut uniatur ad illam constituendam cum materia, cui unitur, quod praestare non potest, nisi realiter in esse rei informet materiam, & sit pars dependens à toto in genere causae finalis, quae omnia involvunt intrinsecè imperfectionem Deo repugnantem; nulla verò hujusmodi imperfectio est de ratione posterioris unionis, ut ostensum est, ergo licet illi repugnet prior unio, non tamen posterior.

Explic. & urg. hoc. Nulla ex his imperfectionibus est de ratione speciei intelligibilis ut sic, (quidquid sit

de

de specie creata; & realiter distincta ab objecto in ratione qualitatis receptæ in intellectu,) ergo nulla ex his obstat unioni divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis prob. ant., quia ut vidimus; tantùm est de ratione ejus, quòd ut actus in esse intelligibili terminet, aut determinet intellectum ad speciem actus, sed hoc exerceri potest sine omni informatione, & compositione, ut explicatum est, & patet in eadem essentia divina respectu proprii intellectus, & in essentia Angeli in cognitione sui, ergo &c.

Urg. 2º. Potest divina substentia, ut actus, & terminus substentia sive omni imperfectione reperta in substantia creata constituere naturam creatam formaliter subsistentem, ergo pariter divina essentia, ut species intelligibilis, vel actus in esse intelligibili sine omni imperfectione reperta in specie creata determinare intellectum creatum, & constituere illum intelligentem, prob. conseq. Ideò primum, quia est simpliciter infinita in ratione subsistentiæ, sed etiam divina essentia, ut tradit D. Thom. hìc ad 3., & 3. contrà gent. cap. 51. in ratione speciei intelligibilis est infinita simpliciter, & suum esse in tali genere, cum intelligibilitas sequatur esse rei, unde sicut essentia divina est suum esse in genere rei, ità est sua intelligibilitas, & suum esse in genere intelligibili, quia in utroque genere est purus actus, ergo &c.

Explic. totū hoc, & affertur ratio utriusq;. Nam ex eo species creata nequit sine informatione sic constituere intellectum in actu ad intelligendam rem à se distinctam, quia non est sua intelligibilitas, aut suum esse in esse intelligibili, sicut nec est suum esse in genere rei, & ratio omnium est, ut egregie tradit Mag. Catalan., quia nempè eo ipso, quòd forma non est formaliter illud esse, quod tribuit potentiæ, ut eam constituat in actu, necessè est tale esse procedere à forma in genere causæ formalis per realem causalitatem, & consequenter per realem, & veram informationem, cum hæc sit causalitas causæ formalis, ergo e contrà cum essentia divina sit formaliter ipsum esse intelligibile, quod tribuit intellectui, ut illum constituat in actu poterit ei tribuere tale esse per se ipsam immediatè sine formali causalitate, & informatione, ac per consequens hæc nequit esse de ratione formæ, aut speciei intelligibilis, ut sic, sive abstrahentis à creata, & increata.

III. Ex his iterum prob. concl. Divina essentia sine omni imperfectione potest per modum speciei uniri intellectui beati, ergo de facto non est alia creata admittenda, conf. tenet ut supra, quia non est multiplicanda sine necessitate, ubi non est repugnantia, ant. verò præter superiora prob. sic: divina essentia non minus est summè immaterialis, & infinita in genere intentionali, quam sit in genere physico, sed quia est summè immaterialis, & infinita in hoc genere est intimè præsens intellectui beati, vel elevato, præsentia physica, ergo quia est summè immaterialis, & infinita in intentionali erit intimè præsens illi præsētia intentionali, vel per modum speciei intelligibilis.

Explic., & urg. hoc. Non solum possibile est eam sic uniri, sed etiam perfectiori modo, & connaturaliùs procedit visio ab illa sic unita, quam media specie creata, ergo hæc de facto saltem, nullo modo est admittenda, conf. iterum tenet, quia attendendo ad suavem Dei providentiam, ut alibi etiam 3. par., dictum est, de facto tantùm admittendum est, quod perfectius, & connaturalius est juxtà exigentiam rerum, ant. verò prob., quia ad hoc ponitur species distincta ab objecto, quia istud per se ipsum nequit esse præsens, & intimè unitum, undè subrogatur ad supplendam insufficientiam objecti ad sui unionem cum potentia, ergo si semel objectum per se ipsum potest esse præsens, & intimè unitum perfectiùs, & connaturaliùs erit visio ab illo sic unito, quam media specie vicaria sui, sic enim verificatur esse à principio nobiliori, vel nobiliùs influente, aut sine defectu.

Dices, quòd si semel ex summa divinæ essentiæ immaterialitate licet inferre immediatam sui unionem cum intellectu creato per modum speciei intelligibilis, pariter liceret eam inferre cum intellectu viatoris.

Sed contrà hoc est, nam licet ex eadem summa immaterialitate rectè inferatur possibilitas, imò, & existentia ejusdem unionis cum intellectu creato in illo statu gloriæ, non tamen saltem de facto, cum intellectu non proportionato, ad unionem enim unius extremi cum alio excedente, & præcipuè excessu summo, ut in casu debet alterum omninò proportionari saltem de facto juxtà suavem Dei providentiam, ut patet inductivè, nam aliàs eadem facilitate dicamus intellectum creatum non elevatam per lumen, sola superaddita specie, quam ponit opposita sententia posse Deum etiā de facto videre, si semel non est necessaria proportio, qood tamen est contrà Concilium Viennense, & contra fidem, ergo meritum summæ immaterialitatis ex parte essentiæ divinæ non excludit, immò exigit proportionem seu elevationem ex parte intellectus creati saltem de facto.

II. Ex his impugnatur ad hominem: Licet intellectus creatus in opposita sententia de facto media specie creata videat, non tamen sine elevatione per lumen, ergo licet pariter per nos videat, media increata, non tamen non elevatus per illud; ant. est certum, aliàs eadem species non esset quidditativa repræsentatio Dei, quæ nequit fieri saltem de facto, intellectui non elevato per lumen, ut suppono ex eodem Concilio, & fide &c.

§. III.

Statuuntur aliæ quartuor conclusiones resolutivæ de modo unionis,

Tertia cōclusio. Quod per se primò immediatè unitur intellectui beatorum, ut species intelligibilis impressa, sive ut ratio eliciendi visionem beatam, non est divina relatio, sed ipsa Dei essentia, ut est quid absolutum commune tribus personis. Est jam communis sententia. §. Probatur. Quia habere rationem speciei intelligibilis ad videndum absoluta, & relativa, sive deitatem, & personas per se primò convenit essentiæ, ut distinctæ à relationibus, cum non sit prædicatum relativū, sed absolutum cōmune tribus personis, ergo. §. Tum quia in essentia tanquam in fundamento, & radice continentur saltem eminenter virtualiter relationes, ergo essentia est per se sufficiens ratio videndi non solum se ipsam, sed etiam relationes, sicut & est sufficiens ratio videndi creaturas, estò solum eminenter contentas in Deo. §. Tum quia cognitio, qua Pater producit Verbum est intuitiva essentiæ, & personarum, & tamen certum est relationem filii, & Spiritus Sancti non concurrere ullo modo, ut speciem intelli-

telligibilem, aut ut rationem eliciendi talem cognitionem, sed solam divinam essentiam esse rationem videndi omnia, quæ sunt in Deo, ergo etiam in visione beata: nam quòd ad istam concurrat efficienter; ut plures tenent; non obstat, imò confirmat, quod intendimus, quia omnis efficientia ad extra est communis toti Trinitati, non solum ex parte effectus, quatenus est necessariò à tribus personis, sed etiã ex parte principii, aut rationis agendi, quæ semper est eadem, & una in tribus personis; imò si semel admittatur essentiam divinam efficienter concurrere ad visionem, ut speciem intelligibilem, existimo necessariò esse dicẽdum, non posse per se primò non convenire essentiæ divinæ sic concurrere, cum relatio, activa non sit, ut rectè advertit M. Catalam.

IV. Conclusio. In hac unione essentiæ divinæ cum intellectu præter actionem supernaturalem, quæ est productio luminis gloriæ datur actio unitiva tenens se ex parte Dei unientis intellectum eidem essentiæ, ut speciei intelligibili, & ex parte intellectus realis passio, & denominatio uniti. Ita idem Mag. hic cum Cabrera 3. par. qu.2. ar.1. disp.3. n.24. §. Prob. quia ut ostendit idem Mag. Catalam. ibid. ar.7., & 8. ex communi consensu, in unione humanitatis Christi cum persona Verbi præter actionem productivam humanitatis fuit actio supernaturalis unitiva tenens se ex parte Verbi divini unientis sibi humanitatem, & ex parte humanitatis realis passio, & denominatio unitæ, ergo idem contingit in hac unione; conf. tenet, quia licet hæc unio sit alterius rationis, tamen verè est unio realis, sicut illa; & sicut in illa priùs prioritate naturæ producta est humanitas, quam sit unita Verbo, ità in ista intellectus priùs eadem prioritate informatur lumine gloriæ, quam uniatur essentiæ divinæ, ut speciei intelligibili, quia, ut prob. infrà art.5., non potest sic ei uniri non priùs elevatus per lumen, ergo actio unitiva diversa est à productiva luminis. Nec est dubitandum posse Deum producere in intellectu lumen gloriæ, & non unire illum suæ essentiæ, ut speciei intelligibili; in quo casu non videret illum.

Urg. hoc. Hęc unio essentiæ cum intellectu informato lumine verè est realis, ergo datur ex parte Dei, realis actio unitiva illius; conf. tenet, quia nova, & realis unio non sit sine reali actione, nec alius à Deo potest hanc unionem efficere, ut supponimus, sicut nec illam humanitatis cum Verbo, modo alibi explicato, cum utraque sit suprema in ordine gratiæ habens alterum extremum increatum, quod sub efficientia creata cadere nequit, ut fortè iterum infrà explicabitur; ant. verò prob.; quia extrema hujus unionis realia sunt, realiter inter se distincta, & unio eorum præordinatur, & præsequitur ad operationem realem producendam, ergo realis est, & non aliquid rationis.

V. Concl. In hac unione ex parte extremi divini non datur realis relatio ad intellectũ creatũ, sed viceversa duplici relatione reali refertur intellectus informatus lumine ad essentiã divinã. Prima pars constat, quia nulla relatio adveniens Deo in tempore potest esse realis, nisi velimus aliquod prædicatum reale posse Deo convenire, & non fuisse in illo ab æterno, aut posse illi intrinsecè superaddi priùs non habitum, quod est alienum. Ratio deindè est, quia hæc unio non importat aliquam dependentiam extremi increati à creato, nec mutationem, sed tota mutatio, & dependentia se tenet ex parte creaturæ, ergo nulla relatio realis importari potest ex parte extremi divini.

2a. verò pars magis indiget explicatione, quàm probatione. Unde dicimus intellectum informatum lumine referri primò ad divinam essentiam, relatione passi ad agẽs, vel uniti ad uniẽs fundata in passione, cui correspondet quidem ex parte essentiæ alia relatio, sed rationis, scil. agentis unientis ad passum unitum fundata in actione unitiva formaliter immanente, & virtualiter transeunte, sive sit hæc volitio efficax uniendi intellectum divinæ essentiæ, sive actus intellectus qui dicitur imperium; secundò refertur ad illam, ut unitam sibi in ratione speciei intelligibilis, & hæc etiam est relatio realis unionis ex parte intellectus, à qua denominatur realiter formaliter relativè unitus, cui ex parte essentiæ correspondet alia relatio unionis, sed tantùm rationis, à qua formaliter denominatur denominatione rationis relativè unita, quamvis terminativè dici possit unita realiter, quia terminat relationem unionis intellectus ad se ipsam. Tota hæc doctrina iterum patet à simili in superiori unione humanitatis ad verbum, nam ex parte humanitatis duplex relatio realis reperitur, alia passi ad Verbum, & ad totam Trinitatem, ut ad agens uniens; alia unionis ad Verbum præcisè, ut ad suppositum illam sustentans. De quo idem M. Catalam cum Cajet. 3. par. art.7. relato dub. Appendice.

Ult. Concl. In hac unione præter relata non est admittendus modus unionis intellectui intrinsecus tanquam nexus, aut vinculum inter extrema. Est contrà Cabreram ubi supra n.33., sed est Mag. Catalam hic, & ex professo probat Navarrette disp.35., & est jam communis consensus Thomistarum.

Prob. quia ut jam communiter docent isti cum Cajetano, uno vel altero excepto, ut vidimus 3. par. ibid. Inter humanitatem, & Verbum nullus datur modus substantialis unionis, sed subsistentia Verbi per se ipsam immediatè unitur humanitati, ut actus, vel terminus substantialis formaliter terminans, & constituens humanitatem subsistentem, ergo nullus datur accidentalis inter intellectum informatum lumine, & divinam essentiam, sed hæc se ipsa unietur illi, ut actus ejus in esse intelligibili formaliter illum determinans, & constituens intelligentem, prob. conf., quia non minus intellectus actuatus lumine dicit immediatam habitudinem in ratione potentiæ intellectivæ ad divinam essentiam, ut ad speciem, & actum in esse intelligibili, quam humanitas per potentiam obedientialem, ad subsistentiam Verbi, ut ad terminum substantialem in genere rei, ergo si non admittitur in priori unione, nec est admittenda in posteriori.

Dices esse utrobique necessarium non quidem ex parte extremi divini, sed creati, ut nempè illud uniat subjectivè alteri per se ipsum unito terminativè, ut in priori mysterio; vel objectivè, ut contingit in posteriori, & hoc solum probat conceptus summæ actualitatis, vel immaterialitatis, & infinitatis ex parte ejusdem divini extremi, quòd scil. non indigeat ex parte sui, ut terminativè, vel objectivè uniatur. §. Sed hęc solutio sufficienter ibidem impugnata est. Et præterea insto sic. In tantùm extrema uniuntur in utroque mysterio, in quantùm in priori unum est terminabile in genere rei, & alterum terminat, & in posteriori alterum est determinabile in genere intelligibili, & alterum determinans; sed sicut in priori alterum est per se ipsum immediatè terminans, & alterum in posteriori immediatè determinans, scil. increatum, ità alterum in ratione potentiæ obedientialis est immediatè

ter-

terminabile, & alterum in ratione potentiæ intellectivæ supposita informatione luminis est immediate determinabile, scil. creatum, ergo neque ex parte extremi creati est necessarium, ant. constat, quia creatura in his, quæ superant vires naturæ, ratione suæ potentiæ obedientialis dicit immediatam habitudinem ad divinam omnipotentiam, & similiter intellectus jam actuatus lumine ad divinam essentiam, ergo non indigent alio superaddito, in ratione terminabilis, & determinabilis, & consequenter neque in ratione unibilis, sed se ipsis pront sic erunt quid immediatè terminabile, & determinabile, ac per cons. unibile &c.

Explic., & urg. hoc. Nam utrobique fit unio sine informatione, & sine aliquo esse distincto ab extremo divino, & collato alteri extremo creato, sed per solā intimam unionem, vel in ratione actus substantialis terminantis dependentiam humanitatis, constituendo illam formaliter existentem, & subsistentem immediatè per se ipsum, seu per sui existentiam, & subsistentiam, ut in eodem priori mysterio, vel in ratione actus in esse intelligibili, dando immediatè per se ipsum, (utpotè suum esse in hoc genere) intellectui sic illustrato, esse formaliter Deum in eodem genere, ergo eo ipso, quòd extremum divinum non indigeat tali modo ex parte sui, neque erit necessarius ex parte alterius creati; cons. iterum tenet, quia alterum per sui potentiam obedientialem, alterum per lumen est immediatè capax, ut sic terminetur, vel determinetur, & constituatur, omni alio excluso, & consequenter, ut uniatur, nec videtur assignabilis efficax ratio ad convincendam necessitatem alterius superadditi, ut considerandi utrumque mysterium modo insinuato constare poterit: Eo vel maximè, ut dicebamus, quòd hæc unio in esse intelligibili, non est ad componendam aliquam tertiam naturam, neque per coadunationem, aut colligationem essentiæ, & intellectus in uno tertio, sed per transformationem, qua unum fit aliud in esse intelligibili, ut etiam admittit Cabrera, ergo non eget modo unionis, qui est vinculum, aut nexus, qnia iste tantùm requiritur inter extrema, quæ inter se distincta manent, & uniuntur in uno aliquo tertio, quod componunt &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arg. contrà primam. Ex D. Thom. hic, ubi non solum concedit in intellectu esse lumen gloriæ, sed etiam asserit esse similitudinem Dei requisitam ex parte potentiæ, ergo concedit similitudinem impressam, quæ non priùs intellecta faciat videre Deum. §. Deindè quia in argumento sed contrà desumpto ex August. 15., de Trinitate cap. 9., necessariò intelligi debet de similitudine objectiva priùs cognita, nam D. Aug. de hac intelligendus est, siquidem loquitur de similitudine, quam Apostolus vocat speculum, & enigma, similitudo verò, quæ tantùm est ratio cognoscendi ineptè diceretur enigma. §. Denique nam D. Tho. infrà art. 4. ad 1., & art. 11., negans Deum posse videri per similitudinem objectivam, subdit, ostensum hoc esse in hoc art. 2., ergo id solum probat per similitudinem, scil. objectivam non posse Deum videri &c.

Ad primum dist. 2. par. anteced. asserit esse speciem intelligibilem quidditativè repræsentantem divinam essentiam, nego, similitudinem analogicè, & communiter ut effectum, & participationem quandam divini intellectus, vel luminis increati, conc., & nego conseq. si intelligatur de similitudine, ut specie intelligibili: quod dicimus, quia lumen largè, seu generali locutione dici potest similitudo impressa, quatenus imprimitur, seu recipitur in intellectu, & aliquommodo repræsentat modo dicto, vel analogicè per modum effectus, & participationis luminis divini. Hāc autem esse mentem D. Thom. constat primò, quia eo genere similitudinis concedit lumen gratiæ, & gloriæ dici similitudinem participatam Dei, quo naturalis potentia intellectiva est participata similitudo divini intellectus. §. Secundò quia dicit esse similitudinem requisitam ex parte potentiæ, ut virtutem intellectivam; certum est autem, quòd species intelligibilis non est similitudo requisita ex parte potentiæ, ut virtus ejus, sed requisita in potentia ex parte objecti, cujus gerit vices in elicienda cognitione.

Ad 2. resp. D. August. largè ibi, aut generali quadam ratione, nomine enigmatis intellexisse quamcunque similitudinem creatam, estò sit tantùm ratio cognoscendi, quia quæcunque illa sit, obscurè tantùm, vel enigmaticè potest Deum repræsentare, sicut repræsentat enigma. §. Vel admisso etiam, quòd loquatur de similitudine tantùm priùs cognita; nihilominus rectè potuisse D. Thom. ex hoc probabiliter inferre, idem esse dicendum de similitudine, quæ est ratio cognoscendi, quantum ad hoc, quod est non posse esse medium sufficiens ad cognoscendum Deum quidditativè, ut in se est, sed tantùm cognitione obscura, & enigmatica, cum non minus repugnet uni similitudini creatæ, quam alteri continere adæquatè, seu ut in se est totam perfectionem divinam, ut requiritur ad similitudinem, & repræsentationem quidditativam Dei, ut constabit infrà.

Ad 3. nego omninò cons., quia dum D. Thom. directè, & primò probat per impressam similitudinem non posse Deum, ut in se est videri, consequenter à fortiori probatum relinquit, minus posse videri per similitudinem objectivam, cum hæc sit magis distans à quiditativa repræsentatione illius, unde rectè dicit hoc esse in isto art. ostensum &c.

Ad alia argumenta, quibus conatur Vasquez ad ostendendum inefficaces esse rationes D. Thom. ad probandam suam 2. conclusionem, ex dicendis constabit, quàm immeritò, & magis ipse inefficaciter laboret ad idem intentum explicando earum vim, & efficaciam &c.

II. Arg. ex eodem contrà secundam ad probandum divinam essentiam non uniri per modum speciei intelligibilis. Intellectus per lumen gloriæ sufficienter habet quidquid requiritur ad eliciendam visionem, ergo non est necessaria talis unio essentiæ, probatur ant., quia posito lumine non solum habet vim activam, proportionatam tali objecto, sed etiam determinationem ad talem speciem actus, scil. ad visionem claram Dei, ergo habet omnia requisita, cons. tenet, qoia posita præsentia Dei in ratione objecti terminativi tantùm, nihil aliud requiritur; ant. etiā constat, quia per lumen omninò proportionatur ad videndū Deum, eò vel maximè, quòd per nos, non tantùm est tota virtus elevans sed tota virtus proxima dans intellectui adæquatam præcontinentiam actus, ergo &c.

Ad hoc patet ex dictis, & iterum constabit ex dicēdis quòd cùm ex intellectu, & objecto pariatur notitia, non tantùm pendet hæc ex uno principio, sed ex duobus, unde licèt intellectus per lumen tanquam per virtutem ex parte sui habeat quidquid requiritur ex parte virtutis intellectivæ, non tamen quod adhuc ex parte virtutis objectivæ, sicut est species intelligibilis, scil. determinatio specifica desūpta ex parte objecti, unde adhuc requiritur unio objecti, vel per se ipsum immediatè, vel per sui speciem, & non sufficit sola præsentia indistantiæ, vel purè terminativa, ut dictum est; sed intima, & intelligibilis, sicut nec sola indistantiæ sufficeret ex parte luminis, nisi intimè afficeret dans præcontinentiam actus, quidquid sit, quòd ulteriùs requiratur informatio ex parte ejus, ob rationem adductam, & adhuc infrà adducendam, adeò ut sine informatione ejus, nec de potentia absoluta elici possit visio, ut latè ostendemus,

In forma ergo nego ant.; ad prob. dist, ant.; habet determinationem requisitā ex parte potentiæ, conc.; ex parte objecti, nego; quia lumen tantùm est virtus tenens se ex parte potentiæ; unde determinatio, quam tribuit intellectui, non est completa, sed complenda per determinationem requisitam ex parte objecti, & ab eodem tribuendam, vel per sui speciem, vel per se ipsum immediatè unitum loco speciei. Nec id voluntariè dicimus; nam etiam per habitum Fidei habet intellectus virtutem, & determinationem ad talem speciem actus, & similiter per habitum principiorum ad cognoscenda principia, & sic de aliis habitibus, & tamen præter illos requiruntur species, ut tribuant intellectui determinationem requisitam ex parte objecti; quia nempè, ut dictum est, à potentia, & objecto paritur omnis notitia. In his ergo, & similibus diminutè procedunt Adversarii, ut alibi ostendimus in physicis de causa secunda indigente ibidem similiter duplici determinatione, ut agat; altera agentis ad passum, quam sufficienter habet ex debita approximatione ad illud, ut patet in igne, dum est debitè approximatus stupæ comburendæ, altera superioris agentis ad inferius sibi subordinatum, ut scil. agat, quia superius agit; sive utagat, ut subordinatum illi, ut patet in Servo pervento ad locum, ubi jussus est agere, nam licèt ex accessu ad illum habeat sufficienter, ut præcisè agat, non tamen quòd agat, ut Servus, sive ut subordinatus Domino non posita hujus determinatione, vel imperio, ita proportionabiliter dicimus in casu, quòd quia ad notitiam, vel cognitionem duo concurrunt, cùm ex utroque pariatur; non sufficit ad illam, altera tantùm determinatio habita per virtutem tenentem se ex parte potentiæ, sed est altera etiam necessaria, quæ nempè habetur per virtutem objecti, scil. per speciem intelligibilem, vel immediatè per se ipsum loco speciei; & tunc etiam perfectiùs, ut vidimus, elicitur cognitio, quod non est denegandum visioni, utpotè supremæ omnium cognitionum &c.

Tertiò. Arg. ad idem. Si Divina essentia uniretur intellectui in ratione speciei intelligibilis uniretur ei in ratione actus primi, sed hoc repugnat Divinæ perfectioni; maj. patet, quia species intelligibilis comparatur ad intellectionem, ut actus primus ad secundum, ut jam insinuavimus, & adhuc dicetur infrà, & patet ex his quæ traduntur in 3. de Anima; prærequiritur enim ut principium, vel ut complementum principii elicitivi; min. prob., quia actus primus intrinsecè includit potentialitatem perfectibilem, & actuàbilem per actum secundum; est enim quasi medium inter nudam potentiam, & operationem; quod præcipuè verificatur, quando actus secundus est operatio vitalis immanens realiter distincta ab actu primo, ut contingit in casu, cùm visio beata sit distincta ab illo, ut supponimus de omni actione creata &c.

Urg. hoc. Intellectum esse intelligentem in actu primo per speciem est aliquod esse reale proveniens à specie, ut à forma, sed repugnat Deo esse formam alicujus tribuentem esse reale, ergo repugnat illi, quòd uniatur intellectui ut species constituens intelligentem in actu primo; min. patet, quia non ob aliam rationem dicitur repugnare Deo, quòd suppleat causam formalem, nisi quia repugnat tribuere, ut formam esse reale, siquidem videtur in intelligibile, quòd hoc præstare possit sine informatione &c.

Ad hoc loquendo de specie intelligibili ut sic, vel abstrahente à creata, & increata, posset negari ma.; nā dicunt plures ex nostris, ut refert Cabrera ubi supra, disp. 2. num. 70. speciem intelligibilem ex sua ratione formali, nec esse, nec dici propriè actum primum, sed determinationem perficientem formaliter actum primum in esse intelligibili; quòd si species creata, quæ est accidens propriè habet rationem actus primi, id non convenire ei ex formali ratione speciei intelligibilis, sed materialiter ex hoc, quòd ut actus in genere rei per realem inhærentiam, & informationem recipitur in intellectu. Quia tamen hæc doctrina ad sui veritatem pendet ex alia, scil. quòd de ratione ejusdem speciei non sit esse principium effectivum intellectionis à se distinctæ, quam non omnes admittunt, & de qua dicemus infrà. Ideò relicta hac solutione in sui probabilitate.

Aliter resp. dist. maj. in ratione actus primi formaliter determinātis intellectum ad intellectionem, determinatione requisita ex parte objecti, conc.; in ratione actus primi in genere rei, & qui est virtus requisita ex parte potentiæ, nego; & similiter dist. min., & in priori sensu, nego illam, in posteriori, conc. Ad prob. dist, eodem modo, de ratione actus primi in genere rei, & qui est virtus tenens se ex parte potentiæ, conc.; in esse intelligibili, & qui tantùm determinat determinatione requisita ex parte objecti, nego; licèt ergo de ratione actus primi in genere rei, qui est virtus activa tenens se ex parte potentiæ sit esse potentialem potentialitate perfectibili per actum secundum, quia nempè talis actus non est tantùm productivus intellectionis, sed etiam receptivus ejusdem, cùm potentia vitalis activè, & passivè concurrat ad suam operationem; non tamen est de ratione actus primi, qui tantùm se tenet ex parte objecti, ut uniens illud cum potentia, & formaliter tantùm determinans in esse intelligibili, quia nec est de ratione ejus recipere actum secundum, aut actuari, vel informari illo, aliàs, ut dicebamus, essentia Divina nec respectu intellectus Divini haberet rationem speciei intelligibilis &c.

Ad confirm. dist. maj. Est aliquod esse reale semper distinctum à specie, & proveniens ab illa per causalitatem formalem, & ut formalis effectus à forma, nego; distinctum, vel indistinctum, & proveniens sine eadem causalitate, conc; nam dare esse priori modo tantùm potest verificari de specie creata, quæ non est suum esse intelligibile, nec suum esse in genere

nere rei. Itaque aliud est intellectum debere constitui realiter intelligentem in actu primo per speciem intelligibilem, & aliud debere sic constitui per aliquod esse distinctum à specie, quod sit ejus effectus formalis; primum requiritur ex natura rei in quacunque intellectione, quia notitia, ut dictum est, pariter ex intellectu, & objecto; secundum verò non est necessarium, nisi ubi objectum, vel ejus species est limitata, & potentialis; quia ut optimè advertit Ferrara 3. contrà gent. cap. 51. post medium ex D. Thom. ibid.; licet species creata non actuet intellectum, nec constituat intelligentem in actu primo per se ipsam immediatè, sed per suum esse reale ab ipsa distinctum, ut effectus formalis à forma, quia non est suū esse intelligibile; divina tamen essentia unita intellectui per modum formæ intelligibilis non actuat, nec constituit illum intelligentem in actu primo per aliquod esse reale à se ipsa distinctum, quod tribuat ut formalem effectum, sed per se ipsam, quia utpotè actus purus, est suum esse, unde non unitur intellectui tanquam forma in esse intelligibili, quia causet in illo ut forma aliquod esse, quod ditatur esse intelligibile, sed quia per se ipsam formaliter excluso omni esse medio per intimam unionem fit eidem intellectui principium formale, aut ratio intelligendi requisita ex parte objecti, unde, ut monet etiam Mag. Bannez hic dub. 2. essentia divina non dicitur simpliciter forma, sed se habere ut formam in esse intelligibili respectu intellectus.

4ò Arg. argument. quo etiam utuntur 3. par., ubi suprà ad promovendum modum inter humanitatē, & Verbum. Unitio, seu actio unitiva est vera, & realis actio distincta, ut dictum est; à productione luminis gloriæ, ergo debet ei correspondere aliquis formalis terminus, sive modus unionis per eam productus; conf. tenet quia vera, & realis actio debet habere suum terminum, ergo cum non possit hic esse intellectus, aut lumen gloriæ, nec essentia divina, erit aliquis modus unionis.

Urg. 1. quia in intellectu datur relatio realis unionis, sed hęc non fundatur in essentia divina, quia hęc magis est terminus, quam fundamentū illius; nec in nuda intellectus entitate, aut in lumine gloriæ, quia non resultat ex vi actionis, qua lumen infunditur intellectui, sed ex vi actionis unitivæ, ergo est constituendus modus unionis tanquā fundamentum, aut ratio fundādi illam.

Urg. 2. Intellectus ex vi actionis unitivæ aliter realiter se habet, ac ante illam, ergo realiter mutatur, ergo indiget aliqua reali entitate, vel modo entitatis, ratione cujus verificetur esse realiter mutatum, & consequenter per actionem unitivam produci debet aliquis modus unionis in intellectu.

Ad hoc ex his, quæ adducimus ibid., nego consequ., imò & suppositum illius, nempè quòd terminus formalis actionis debeat per illam produci, quia ut docent Theologi infrà qu. 4t. art. 3., formalis terminus generationis Verbi divini, non est filiatio, quæ per eam producitur, sed essentia divina, quæ non producitur, sed communicatur filio; & formalis terminus generationis hominis, ut docent communiter Philosophi, est anima rationalis, quam certum est non fieri per generationem, sed per creationem, quod etiam præcipuè verificatur de actione unitiva, de cujus ratione non est producere aliquod extremorum, sed unire illa. Sicut ergo per actionem unitivam humanitatis Christi cum subsistentia Verbi, nec fit humanitas, nec eadem subsistentia divina, sed hoc tantùm, nempè humanitatem habere esse, & subsistere divinum, & hominem esse Deum, ut vidimus ibidem; ità per actionem unitivam essentiæ divinæ cum intellectu informato lumine gloriæ, nec fit eadem essentia, nec intellectus, vel lumen, sed hoc tantùm, scil. quòd intellectus habeat essentiam divinam, ut speciem, & quòd sit Deus in esse intelligibili: Et sicut Deum esse hominem in illo mysterio est totalis terminus unitionis; ità totalis hujus est intellectum esse Deum in esse intelligibili; formalis verò est essentia, quatenùs ut forma intelligibilis constituit intellectum Deum in eodem esse intelligibili, quia formalis terminus actionis unitivæ est id, quod se habet ut forma constituens terminum totalem.

Ad 1. confirmat. ex dictis ibidem, nego conseq., quia sicut fundamentum relationis unionis humanitatis ad Verbum, non est persona Verbi, nec humanitas nudè sumpta, sed humanitas ut terminata per subsistentiam divinam, vel Deum esse hominem, aut hominem Deum, ut ex Cajet. ibi etiam ostendit Mag. Catalan art. 7. relato, ità fundamentum relationis unionis intellectus ad divinam essentiam, nec est essentia, nec intellectus præcisè, sed ut terminatus, vel constitutus in actu intelligens per essentiā, sive intellectum esse Deum in esse intelligibili.

Ad 2. conc. ant., & 1. conseq., nego secundam, nam sicut humanitas aliter realiter se habet, ac mutatur per hoc præcisè, quòd realiter terminetur per subsistentiā Verbi excluso omni alio modo entitatis, ità eodem excluso aliter realiter se habet intellectus, ac mutatur per hoc præcisè quòd realiter terminetur, & actuetur in esse intelligibili per divinam essentiam &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An essentia divina unita intellectui, ut species concurrat efficienter cum illo ad producendam visionem.

SUpposita possibilitate, imò & existentia unionis divinæ essentiæ cum intellectu in ratione speciei intelligibilis rectè descendimus ad inquirendum de concursu ejus ad visionem, quod etiam satis deserviet ad ea, quæ insinuavimus in 2. physic. circà concursum substantiæ ad operationem in solutione paritatis assumptæ de concursu Angeli respectu suæ cognitionis, & in 3. de anima de aliis speciebus intelligibilibus, & infrà etiam de cognitione Angelorum, & de eorum speciebus &c.

§. PRIMUS.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

PLures ex recentioribus tribuunt Cajet. docuisse hic visionem beatam procedere à divina essentia, ut effectum formalem à forma, & generaliter omnem intellectionem sic procedere à sua specie intelligibili ex en, quòd in fine commen. dicat per unionem speciei intelligibilis cum intellectu constitui intellectum in actu secundo, & sic constituere illum non esse ipsam spe-

speciem esse actum secundum, sed habere se ad actum secundum, ut forma se habet ad esse. §. Sed longè diversa est mens ejus, ut egregiè ponderat Mag. Catalam. hic dub. 3. nam Cajetanus triplex esse considerat provenire intellectui à specie creata.

Primum est, quod tribuit ei, ut est accidens quoddam inhærens intellectui, & informans in genere rei, & per hoc esse docet non constitui intellectum in actu intelligentem, sed in habitu, & patet, quia nobis dormientibus adhuc tribuit illi hoc esse.

Secundum, quod tribuit quatenus exercet actu munus speciei intelligibilis, quod est unire objectum cum potentia in esse intelligibili, & tribuere hoc esse, ait Cajetanus; esse de ratione speciei intelligibilis ut sic; & speciem ut sic informantem intellectum constituere eum in actu secundo intelligentem, quod est intelligendum, non quasi per se ipsam formaliter, sed concomitanter, & ex natura rei, quia saltem secluso miraculo non stat, quòd species in exercitio uniatur intellectui, & intellectus non eliciat intellectionem; sicut non stat formam uniri materiæ, & quòd hæc non sit existens in actu.

Tertium esse est intelligere actualiter, quod tribuit formaliter ipsa intellectio, quam Cajetanus cum communi sententia supponit esse distinctam realiter à specie intelligibili, & procedere, ut à principio effectivo ab intellectu informato per speciem secundo illo modo; imò affirmat expressè speciem esse principium aliquomodo activum intellectionis; sed quia intellectio non est physica actio, sed metaphysica, & simpliciter qualitas, qua ratione non dicitur intellectus propriè causa efficiens physica illius, sed metaphysica, ideò dicit Cajetanus speciem non tam comparari ad intellectionem ut principium activum, quam ut principium formale determinans intellectum, ut ex illo quasi naturali resultantia pullulet intellectio, quod est loqui in sensu valdè metaphysico, unde intellectionem se habere ad speciem, sicut esse ad formam intelligibilem, intelligendum est proportionabiliter; & in hoc sensu saltim verificatur, quòd sicut esse, vel existentia ex natura rei supponit formam in materia, ut in ipsa recipiatur, & est ultima actualitas materiæ in genere rei, ità intellectio ex natura rei supponit speciem unitam intellectui, & est ultima actualitas intellectus in esse intelligibili. An verò interveniat alia similitudo, & proportio explicatur infrà qu. 14. ar. 4., ubi D. Thom., (sicut & Cajetanus hic) affirmat intelligere cõsequi speciem sicut esse consequitur formam.

Duo ergo supponenda sunt, (concludit idem doctissimus Magister) ut certa ex communi sententia. Primum est intellectionem non esse effectum formalem primarium, aut secundarium derivatum intellectui à specie intelligibili, sed ut à principio efficiente procedere ab intellectu informato per speciem, ac per consequens nec visionem beatam posse esse effectum formalem intellectui provenientem à divina essentia, sed procedere ut à principio efficiente ab intellectu elevato lumine gloriæ, & determinato per essentiam, ut per speciem intelligibilem. De intellectione, & specie creata prob., quia vel est qualitas specie, & realiter distincta à specie intelligibili, vel actio supponens eam ex parte principii activi; sed una qualitas non est effectus formalis alterius, neq; actio potest esse effectus formalis alicujus qualitatis, ergo. De visione verò patet, quia intrinsecè repugnat accidens esse effectum formalem substantiæ. Tum quia effectus formalis distinctus à forma, per causalitatem, & veram informationem procedit ab illa, quæ divinæ essentiæ omninò repugnant, ut patet ex dictis.

Secundum est fide esse certum divinam essentiam concurrere efficienter ad visionis beatæ productionem, ut primam illius causam supernaturalem, sicut & cujuslibet alterius effectus supernaturalis. Difficultas ergo est an præter hunc concursum, ut unita intellectui in ratione speciei intelligibilis alio speciali, ut principium quo, & ratio agendi producat cum intellectu visionem.

In qua re duplex est opinio inter Thomistas; altera distinguit inter speciem inhærentem intellectui, & non inhærentem; de prima affirmat esse principium quo activum; de posteriori negat, unde ait omnem speciem intelligibilem, quæ est accidens inhærens intellectui, concurrere ad intellectionem, ut principium quo activum; cæterum nec essentia divina unita intellectui, ut species ad visionem beatam, nec essentia Angeli ad cognitionem sui, (estò ad illam concurrat ut species intelligibilis,) cõcurrere possunt ut principium quo activum. Ità Mag. Bannez hic dub. 2., & infrà quæst. 56. art. 1. dub. 1., Zumel hic disp. 3., & probabilem reputat Ledesma de divina perfectione qu. 8. Secunda generaliter affirmat, quam videtur supponere Cajetanus hic, & docet Ferrara 3. contrà gent. c. 51. Soto in 4. dist. 49. qu. 2. ar. 3., & alii, quos refert Cabrera 3. par. qu. 2. ar. 1. disp. 6., & ut probabilem amplectitur Mag. Catalam hic concl. 1., & absolutè sustinet Mag. Ferre hic qu. 2. tract. 3. §. 5.

Imò Marleta hic controvers. 5. non solum contendit efficienter cõcurrere divinã essẽtiã ut unitã formaliter in ratione speciei intelligibilis, sed etiam propriè, & rigorosè proximè, & immediatè, scil. per suum imperium increatum, seu per suum intellectum, & voluntatem.

Cæterum hoc videtur magis confundere concursum generalem, & per modum causæ primæ, vel physicum, quo Deus exercet medio sui imperio per intellectum, & voluntatem cum alio speciali, & intentionali objectivo, scil. in ratione speciei intelligibilis, de quo modò agimus; unde quòd priori modo concurrat, supponendum est; & de hoc posteriori specialiter inquirimus, cum sit specialis difficultas intrà hoc forum intentionale, & repræsentativum tanquam proprium ipsius speciei; nam species, ut talis solum agit media sui repræsentatione, qua activè repræsentat objectum, concursus autem Deitatis per imperium intellectus, & voluntatis non est concursus repræsentantis ut talis, sed est concursus verè, & propriè intelligentis, & vitaliter operantis, unde Deitas sub munere speciei impræssæ non agit medio imperio sui intellectus, & voluntatis, hic enim magis est concursus physicus, quam intentionalis, & objectivus, qui solus convenit speciei intelligibili.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Essentia divina unita intellectui per modum speciei intelligibilis activè, vel effectivè concurrit ad visionem. Est jam communis consensus Thomistarum, & meritò, quia videtur expressa D. Thom.; ut diligenter expendit idem Mag. Catalam; nam nullibi D. Thom. negat speciem intelligibilem esse principium

pium activum visionis, & sæpè id affirmat; nam de veritate qu. 8. art. 2. ad 3. ait essentiam divinam esse principium visionis, & ar. 6. ad 3. docet, quòd in omni intellectione creata etiam in illa, qua Angelus intelligit se per suam essentiam, ut speciem, intelligens, & objectum illi unitum non se habent, ut agens, & patiens, sed ambo se habere, ut unum agens, quamvis quantum ad modum loquendi videantur ut agens, & patiens significari. Ad 8. iterum ait, quòd id, quod intelligitur non est ut passum, sed ut principiũ actionis, & consequenter, quòd essentia Angeli ut species, est principium cognitionis sui ipsius. Et ad 9. quòd est causa talis cognitionis, & ad 11., vel ultimum; quòd intellectio procedit ab intelligente, & à specie, ut ab uno principio. In 4. etiam dist. 49. qu. 2. ar. 1. ad 8., si conferatur solutio cum argumento manifestè constabit essentiam Divinam esse principium visionis, sicut calor calefactionis. Et ar. 2. ad 6. ait esse principium, quo fit visio. Idem repetit, ar. 3., & 3. contrà gent. cap. 51., & 55. ratione 3.

Hanc etiam opinionem eligimus, quia non videtur opposita explicare, quo genere concursus essentia divina ut species intelligibilis concurrat ad visionem. Nam si dicatur concurrere, ut formale specificativum extrinsecum, hinc sumitur efficax argumentum contrà illam. Quia formale specificativum extrinsecum actionis, aut est terminus illius, vel objectum terminans eam, vel est principium activum illius, actio enim à principio, objecto, & termino, ut explicatum est in 2. poster., & 2. physic.; suo modo specificatur, sed essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis non est terminus visionis, naque objectum, quod videtur, sed quo videtur, ergo erit specificans illam, ut formale principium activum.

Ratione deindè probatur primò. Essentia divina unita intellectui in ratione speciei intelligibilis constituit illum in actu primo ultimatè completo ad eliciendam visionem, ergo simul cum illo concurrit ut principium quo activum; ant. patet ex dictis, & est certum in via D. Thom.; quia essentia divina, ut vidimus ex eodem, se habet respectu intellectus ut forma in esse intelligibili constituens illum in actu primo intelligentem modo explicato, & patet, quia generaliter intellectus estò habeat virtutem sufficientem, & proportionatam ad intelligendum aliquod objectum, nunquam est constitutus in actu primo ultimatè completo ad producendam intellectionem circa illud, nisi per speciem ejus intelligibilem, aut per ipsum immediatè objectum in ratione speciei intelligibilis sibi unitum fiat illi similis in actu primo, nam cognitio, ut ostenditur infrà de Trinitate, fit per viam assimilativam, seù per assimilationem cognoscentis cum objecto cognito, & ex natura rei priùs est cognoscẽs assimilari objecto in actu 1. quã in actu 2. Tum quia si intellectus per lumen gloriæ esset constitutus in actu primo ultimatè completo ad videndum Deum, unio essentiæ divinæ cum intellectu non esset necessaria ex parte principii visionis, ut id, quo Deus videtur, sed sufficeret esse illi intimè præsentem ut objectum terminans visionem, & ut id, quod intelligitur; hoc autem est expressè contrà D. Thom. 3. contrà gent. cap. 51., & falsum constat ex dictis: conf. verò probatur, quia in universum id, quod ut forma, vel actus constituit aliquomodo agens in actu 1. ad producendam operationem concurrit aliquomodo, ut principiũ quo activum ad productionẽ illius; nec dabitur instantia in cõtrariũ, nec poterit aliquis rationabiliter dubitare actũ primũ, aut ejus cõplementũ in ratione principii habere se respectu operationis, & actus secundi, ut principium quo activum &c.

Dices id tantùm verificari de actu, vel forma unita in genera rei, seù per veram inhærentiam, & informationem constituente agens in actu primo, non in puro esse intelligibili.

Sed frivolum est, (inquit Mag. Catalam) quia de ratione essentiali actus primi est, quòd respectu actus secundi, vel operationis se habeat ut principium activum, ergo quod sine inhærentia, & informatione complere potest agens in actu primo sine eisdem imperfectionibus, poterit cum illo concurrere ad operationem, ut principium quo activum. §. Præterquamquòd videtur expressè contrà D. Thom. qu. 56. ar. 1., ubi asserit objectum unitum potentiæ se habere ad intellectionẽ, ut formam agentis, quæ est principiũ actionis, & ad hoc quòd sit principiũ actionis nihil referre, quòd sit inhærẽs, aut per se subsistẽs. Verba D. Th. sunt versus finem corp. *Nihil autem differt ad hoc, quod forma sit principium actionis, quòd ipsa forma sit aliquando inhærens, & quòd sit per se subsistens*. Non enim minus calor calefaceret si esset per se subsistens *quam calefaciat inhærens*.

II. Etiam prob. principaliter concl., & urg. præcedens ratio. Essentia Divina in ratione speciei intelligibilis unita intellectui beati per se requiritur ex parte principii ad producendam visionem, at non tantùm ut conditio necessaria, ergo ut principium formale quo activum illius, conf. tenet, quia si semel prout sic concurrit, & non concurrit tantùm ut conditio, jam in aliquo genere causæ concurret, & cum non possit in aliis, ut patet discurrenti per singula, in illo efficientis concurret. Sed deindè prob. simul cum min., quia non nititur in ratione objecti terminativi tantùm; sic enim unitur per verbum, seù speciem expressam, aut certè per se ipsam, ut habet rationem verbi, ergo unitur ei in ratione objecti motivi, ut revera fatentur omnes Thomistæ, ergo non præcisè unitur, aut influit ut conditio respectu intellectionis, sed ut principium aliquomodo efficiens; hæc ultima conf. tenet ex illo sæpè repetito axiomate, quòd ab objecto, & potentia pariter notitia, quod de objecto motivo verificatur quatenus per se ipsum, vel per suam speciem concurrit cum intellectu ad producendam intellectionem, & quidem vel ipsum nomen objecti motivi sonat hanc rationem principii activi, movere enim est agere.

Urg. hoc. Essentia divina est formale principium quo determinans intellectum ad specificationem visionis, nempè ad producendam visionem talem in specie, sive ut sit intuitiva Dei, ergo efficienter concurrit ad illius specificam rationem, prob. conf., quia determinatio potentiæ activæ ad specificationem actus non fit nisi per formale principium quo, quod sit vis activa actionis producendæ secundum specificam rationem.

Ex his prob. ult. concl. Supposita non repugnante unione divinæ essentiæ per modum speciei impressæ cum intellectu, ut eam concedit Mag. Bannez, & communiter Thomistæ, nulla est assignabilis repugnantia, vel imperfectio respectu cõcursus effectivi illius ad visionem, ergo non est illi denegandus, conf. tenet, quia hac ratione negatur; quia putant non posse exerceri sine imperfectione; ant. verò prob., quia supposita possibili unione sine imperfectione, nulla potest esse re-

speċtu concursus, ergo si unio illam non importat, nec importabit concursus, prob. ant. tum quia, ut patet in aliis speciebus creatis in eo consistit, quòd determinat intelleċtum circa talem intelleċtionem in specie, scil. ut eliciat intelleċtionem circa hoc objeċtum præ alio, sed in hoc nulla apparet imperfeċtio, quia nulla esse potest in hoc, quòd est efficere, nam genus efficientis est genus perfeċtionis, unde si aliqua esset, esset informatio in sui unione ante concursum, vel efficientiam, qua ratione, ut insinuavimus, & iterum constabit infrà, non potest Deus uniri per modum luminis gloriæ, quia ad efficiendum prout sic, opporteret priùs informare physicè potentiam constituendo simul, esse supernaturale, ad quod sequatur operari ejusdem ordinis, nisi velimus operari non supposito esse, & consequenter dando ei physicam præcontinentiam aċtus visionis, ergo si in eo, quòd Deitas, aut natura divina uniatur per modum speciei intelligibilis, vel aċtuet intelleċtum per modum formæ in hoc genere, nulla requiritur imperfeċtio, nulla dabitur in eo, quòd sic unita concurrat efficienter ad visionem.

Dices ex Mag. Bannez, quòd intervenit defeċtus subordinationis ad intelleċtum, quia hanc subordinationem petit concursus effeċtivus speciei, tum quia species eu solum dicitur efficere intelleċtionem, ut compleat defeċtum causæ efficientis, scil. intelleċtus, quem habet in efficiendo illam, & quia lumen gloriæ non patitur talem defeċtum in ordine ad visionem non permittit, quòd Deitas per modum speciei concurrat ad illam, unde non reċtè infertur concursus effeċtivus respeċtu divinæ essentiæ ex eo, quòd aliæ species effeċtivè concurrant &c.

Sed contrà hoc est ex diċtis, quia de ratione speciei intelligibilis ut sic non est uniri, ut virtus tenens se ex parte potentiæ, seu ut virtus ejus, aut forma in esse rei, sed magis, ut virtus objeċti, sive ut forma in esse intelligibili, sed in illa prout sic nulla importatur subordinatio ad intelleċtum, ergo neque ob hanc subordinationem excludendus est ejus concursus effeċtivus; prob. min. Tum quia intelleċtus magis per se ordinatur ad objeċtum, utpotè sui specificativum, & finem, quàm objeċtum ad intelleċtum, & consequenter magis intelleċtus ordinabitur ad virtutem objeċti, quàm è contrà: tum quia eo ipso quòd species non unitur, ut forma in esse rei, non dependet in esse, aut sustentari ab illo (quidquid de specie creata sit, ex quo accidens est nam hæc etiam informat, sed hoc materialiter se habet, & per accidens, & per consequens separabiliter ad rationem speciei) undè non perficit illum, ut forma in tali genere, sed solum adjuvat, & determinat utdiċtum est; ergo nec dependet, aut non subordinatur ei in operari, quia quod non dependet in esse, nec habet dependere in operari &c.

Quod verò ait, species creatas ideò effeċtivè concurrere, quia suppleant defeċtum, quem habet intelleċtus in efficiendo intelleċtionem, quem defeċtum cum non habeat lumen gloriæ ad visionem, permittere nequit, quòd essentia sic unita effeċtivè concurrat ad illam; videtur manifestè instari, tum in intelleċtu angelico respeċtu cognitionis naturalium, ad quam habet vim effeċtivam ità completè perfeċtam, ut non indigeat habitibus superadditis ex parte sui, sicut indiget noster intelleċtus, ut traditur infrà, & tamen, ut etiam concedit Mag. Bannez., species angelicæ concurrunt effeċtivè ad cognitionem naturalium; tum in lumine fidei, quod nec patitur talem defeċtum in ordine ad credendum, sicut illum non patitur lumen gloriæ in ordine ad videndum, cum utrumque sit tota adæquata vis proxima ad eundem aċtum fidei, & visionis, & consequenter habeat vim completè perfeċtam in efficiendo illum, & tamen juxtà eundem Mag. species, quibus homo juvatur ad credendum, effeċtivè concurrunt ad assensum fidei, ergo & poterit divina essentia effeċtivè concurrere ad visionem: unde si semel lumē fidei permittit concursum effeċtivū earum, pariter & lumen gloriæ poterit permittere effeċtivum divinæ essentiæ.

Deindè quia, ut dicebamus; species non unitur intelleċtui, ut forma in esse rei, sed tantùm in esse intelligibili, ergo non tenetur concurrere supplendo defeċtum efficientiæ ejus physicæ per subordinationē ad illum, (ut contingit in aliis habitibus, qui tenent se ex parte ejus, ut virtutes perficientes illum, aut virtutem sui effeċtivam physicam,) sed tantùm intentionalis, & objeċtivæ, determinando scil. ad talem speciem aċtus, quòd est lineam objeċtivam ex propriis effeċtivè concurrere ad intelleċtionem sine omni subordinatione, cum linea objeċtiva hanc non importet, ut diċtum est. Itaque ut toties innuimus; cum intelleċtio, vel notitia ab intelleċtu, & objeċto pariatur, uterque concursus, vel efficientia requiritur, physica scil. & intentionalis; prior est ab intelleċtu, & ejus habitibus, posterior verò ab objeċto, vel per se ipsum, vel per suā speciem, unde hæc non est ad supplendum prioris defeċtum per subordinationem ad potentiam, sed ad suppleudum vices objeċti, quando se ipso immediatè uniri nequit potentiæ ob sui materialitatem, nec sic unitum determinare illam ad specificationem aċtus, in quo, ut patet, nulla est subordinatio nec supplementum efficientiæ physicę, cum efficientia pure intentionalis supplere nequeat defeċtum virtutis physicę efficientis.

§. III.

Statuitur secunda, & tertia conclusio.

SEcunda. Concursus aċtivus, quem præstat divina essentia, ut species intelligibilis, absolutè, & simpliciter est liber applicativè, & determinativè; ex suppositione tamen unionis ejus cum intelleċtu in ratione speciei est necessarius elicitivè, vel quoad exercitium. §. Prob. prima pars: quia applicatio essentiæ divinæ ad concurrendum cum intelleċtu in ratione speciei ad visionem consistit in unione cum illo per modum speciei intelligibilis, sed hæc unio fit liberè, scil. per aċtum liberum divinæ voluntatis, ergo applicatio ejus ad sic concurrendum est libera applicativè, seu liberè fit à divina voluntate, ergo liber etiam erit simpliciter applicativè talis concursus.

Explic. hoc. Nam Personalitas Verbi quamvis per se ipsam immediatè terminet humanitatem assumptā, quia tamen terminat, ut applicata per liberam voluntatem Verbi, dicitur liberè terminare, & ejus terminatio libera est applicativè, & denominativè &c.

Similiter potentiæ sensitivæ in nobis, ut gustus, taċtus &c. quamvis secundum se liberæ non sint, & earum aċtiones supposita applicatione, necessariæ sint quoad exercitium, & elicitivè, quia tamen operantur, ut motæ, & applicatæ per liberam voluntatem, dicuntur liberè operari, & earum operationes liberæ sunt applicativè,

plicativè, & denominativè à libera applicatione voluntatis, ergo liber pariter erit eadem libertate concursus divinæ essentiæ. §. Deindè prob. 2. pars, quia supposita unione essentiæ cum intellectu per modum speciei non potest non elici talis concursus ab illa, nec procedit ab eadem medio intellectu, & voluntate divina, sed immediatè tanquam à principio quo formali activo, ergo supposita unione facta per liberam voluntatem, erit necessarius elicitivè, vel quoad exercitium, ut etiam patet in eisdem exemplis &c.

III. Concl. Intellectus illustratus lumine gloriæ, & essentia divina unita ei in ratione speciei intelligibilis non concurrunt ad visionem, ut duo agentia partialia, sed utrumque totaliter in suo genere, nempè intellectus sic illustratus per modum potentiæ determinatæ ad visionem per essentiam divinam, ut speciem; essentia verò per modum formæ intelligibilis determinantis illum, & concurrentis vice objecti; ità ut nihil sit in visione, quod non dependeat per se ab intellectu illustrato lumine, ut à potentia intellectiva, & ab essentia divina, ut à specie, & objecto motivo. Est contrà Suarez lib. 2. de attributis divinis cap. 12. & alios recentiores, sed est communis Thomistarum. Et videri potest Mag. Ledesma qu. 8. de divina perfectione art. 5. §. tertia solutio.

Prob. quia si concurrerent ut duo agentia partialia, sicut duo trahentes navim, essentia divina non concurreret ut species, & forma intelligibilis, & principium quo constituens intellectum in actu, & determinans ad visionem, sed alius seorsim esset concursus intellectus, alius essentiæ, & ab utroque seorsum immediatè procederet visio, ut patet eodem exemplo, & ex dictis in physicis, & hìc infrà etiam, & ulteriùs in materia de gratia; consequens non solum est contrà D. Thom., ut patet ex superioribus, sed etiam contrà veritatem, ergo, prob. mi., quia ut etiam constat ex dictis nulla intellectio procedit ab intellectu immediatè sed media specie intelligibili, ut determinante illum; neque ab essentia divina seorsum ab intellectu potest visio procedere totaliter, aut partialiter, ergo nihil illius potest sic procedere ab essentia divina, ut non procedat etiam ab intellectu, & intelligente in suo genere; ant. quoad primā partem, patet tum quia ut dictum est, ab utroque principio, scil. à potentia, & objecto pariter; tum quia intellectus, ut vidimus; non habet sufficientem virtutem tam in genere intelligibili activo, quàm passivo, vel objectivo, sed indiget ab isto determinari ad speciem actus; quoad 2. verò prob.; quia visio secundùm se totam in re est vitalis operatio, vel saltem est vitalis essentialiter juxtà diversum modum explicandi, de quo infrà, de ratione autem vitalis operationis est, quòd procedat à principio intrinseco vivente, ergo petit indispensabiliter procedere ab intellectu, qui vivit per illam, & à non solo objecto, vel essentia divina, quæ per eam non vivit. Sed de his iterum sermo infrà &c.

Hinc etiam infertur contrà Molinam hìc disp. 1. §. *patet aliquis &c.*, & disp. 2. §. *licet autem*. Non posse à Deo suppleri concursum, quem præstat divina essentia etiam de potentia absoluta, ità ut intellectus videat Deum essentia divina sibi non unita, & non concurrente cum illo per modum speciei intelligibilis. Ratio est, quia visio Dei pendet à divina essentia concurrente, ut specie non solum tanquam à principio quo efficiente, sed etiam tanquam à principio quo formali specificante illam, & formaliter determinante intellectum, sed hujusmodi principium quo vel nullo modo suppleri potest à Deo, aut saltem nisi per aliud formaliter eminenter continens illud, supplens vices ejus eminentiori modo, quod est impossibile, cum omninò impossibile sit principium formaliter eminenter continens essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis, ergo &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

PRimò arg. contrà primam pro prima opinione arg. jam insinuato. De ratione essentiali principii *quo* efficienter concurrentis ad operationem est subordinari in agendo, & dependere à principio *quod* ejusdem operationis, ergo repugnat essentiæ divinæ esse principium quo efficienter concurrens ad visionem cum beatis, conse. tenet, quia releganda est à Deo omnis subordinatio, & dependentia, ant. verò prob., quia principium *quo* producere nequit operationem sine principio *quod*, ergo in agendo subordinatur illi, & dependet ab eo.

Urg. hoc. Principium, quo agens operatur, debet esse forma intrinseca ejus tribuens ei aliquod esse per veram informationem, ergo subordinatur agenti saltem ut subjecto receptivo, & includit imperfectionem informationis, & subordinationis repugnantis divinæ essentiæ, ant. est Phil. lib. 2. de anima text. 4. & D. Tho. lib. 3. lect. 7., & 2. contrà gent. cap. 59., ratione 4., ubi contrà Averroem probat intellectum nostrum non posse esse substantiam per se subsistentem, quia non posset esse principium, quo intelligimus, nam id, quo agens operatur, opportet esse formam ejus dantem illi aliquod esse &c.

Ad hoc patet ex discrimine adducto inter formam in esse rei, & in esse intelligibili, quòd illa utpotè depēdens in esse, subordinatur agēti, hæc verò non, sed magis illud subordinat sibi juxtà meritum lineæ objectivæ, quæ cum finalis sit, vel specificativa, petit ut agens per sui actionem ordinetur per se ad illam. Quòd verò assumitur ad salvandam prædictam dependentiam formæ ad agens, non posse illam influere sine concursu istius, solvendum est ab omnibus Thomistis, nam hac ratione contendunt adversarii, ut vidimus in physic., adhuc salvari ibi dependentiam causæ secundæ ad primam sine concursu prævio, vel ex parte causæ, cum solo simultaneo, seu in effectum, quia illo etiam excluso, adhuc verificatur ex vi simultanei non posse causam secundam operari sine concursu causæ primæ, vel ista non concurrente, unde tenemur omnes fateri id non esse sufficiens ad inferendam dependentiam, vel subordinationem unius ab alio, ut etiam patet in prædictis duobus trahentibus partialiter navim, quorum neuter subordinatur alteri, cum non sit major ratio de uno, quàm de alio, & tamen nequit unus trahere sine concursu alterius, supposito quòd nullus habeat virtutem sufficientem ad trahendum, ut si sit pondus, ut 8., & quilibet solum habeat virtutem ut quatuor; Imò ut vidimus ibid., & statim etiam dicemus, potest hac ratione argui dependentia, aut subordinatio causæ primæ ad secundam in ordine ad actiones vitales, ad quas concurrere nequit non concurrente causa secunda, cum de ratione actionis vitalis, ut dictum est; sit procedere à principio intrinseco vivente, nec posse

à solo

à solo Deo produci, principio, vel causa creata merè passivè se habente, ut latè infrà 3. par. de scientia animæ Christi,& aliquid etiam dicemus disp. sequēti &c.

Pro omnibus, ergo in forma ad arg.dist. ant. De ratione essentiali principii *quo* &c. si sit ejusdem ordinis cum principio *quod*, & dependeat ab illo in essendo, conc.; si superioris, & independens in essendo, nego; & talis est essentia divina respectu intellectus beatorū, unde non subordinatur illi, sed magis subordinat illum sibi in producenda visione juxtà meritum etiam, ut dictum est; lineæ objectivæ; ad probationem, nego conf., quia non posse influere sine concursu alterius non provenit præcisè ex defectu, vel indigentia, (cum nec Deus, ut prima causa possit solus producere visionem beatam, utpotè actionem vitalem sine intellectu beatorum, nec tamen ex hoc habet dependere, aut subordinari illi in producenda visione) sed aliunde nempè ex dependentia essentiali visionis ab intellectu, ob quam non est producibilis sine ejus concursu, & ob eandem rationem producibili non est, ut probavimus, à sola essentia gerente vicem speciei. Aliam solutionem tradit Mag. Ledesma ubi suprà dub. incidente post tertiam conclusionem solutione ad 2. &c.

Ad confir. dist. ant. Principium quo &c. si sit præcipium *quo* radicale constituens primò agens *quod* in ratione agentis; vel si sit principium *quo*, ut potentia, & virtus requisita ex parte agentis; vel si concurrat ad operationem ut actus, & forma agentis in genere rei, conc., si tantùm sit actus agentis in genere intelligibili, nec concurrat in ratione potentiæ, aut virtutis requisitæ ex parte agentis, sed in ratione objecti, nego, quia si, ut dicebamus, & admittunt Auctores ejusdem opinionis; potest forma in esse intelligibili, & id, quod concurrit, ut objectum, constituere intellectum in actu primo formaliter intelligentem sine informatione, & dependentia, etiam poterit sine his imperfectionibus concurrere activè cum intellectu ad intellectionem, quia si semel informatio esset necessaria, per se primò formaliter potiùs requireretur ratione constitutionis agentis in actu primo, quam ratione activitatis, vel efficientiæ respectu operationis; efficere enim, ut dictum est; nullam ex propriis importat imperfectionem. Ad probat. dicimus Phylosophum, & D. Thom. intelligendos esse de principio *quo* juxtà priorem partem distinctionis ant., ut docet Ferrara eodem cap. circa quartam rationem D. Thom., & 3., contrà gent. cap. 51. §. ad primum horum &c.

II. Arg. ad idem. Si divina essentia in ratione speciei efficienter cum intellectu concurreret ad visionem, magis concerreret, ut causa secunda, quam prima, conseq. est alienum, ergo: mi. est certa, quia de ratione formali causæ secundæ est efficere cum subordinatione, & dependentia ad causam primam, quod essentiæ divinæ repugnat; ma. verò prob., quia modus concurrendi speciei distinctus est à modo concurrendi primæ causæ, hujus enim concursus est agentis, ut *quod*, illius verò est agentis ut *quo*, & ut forma intellectus in esse intelligibili, ergo non concurreret concursu proprio causæ primæ.

Urgetur hoc. Quia concursus Dei ad extrà est per imperium intellectus, & voluntatis suæ, sed concursus effectivus divinæ essentiæ in ratione speciei non est per hujusmodi imperium, sed immediatè à se ipsa, ut nos etiam supra dicebamus explicando ejus necessitatem supposita illius unione cum intellectu, ergo est distinctus à concursu causæ primæ.

Urg. ulteriùs præoccupando solutionem. Si ponamus Deum effectivè concurrere ad visionem per modum objecti intelligibilis; vel ponitur sic, quòd visio procedat à Deo media aliqua actione distincta à visione; vel quod id fiat media visione, ità ut sicut visio est ab intellectu, ut effectus, & ut causalitas, ità pariter sit à Deitate intelligibili, ut effectus, & ut causalitas; si ponatur primum, illa alia actio erit increata solum virtualiter transiens, & sic erit imperium intellectus, & voluntatis Dei; si verò secundum, ergo Deus aget effectivè per actionem creatam, quod est impossibile, cum sit omninò sibi improportionata, unde sicut agens creatum agere nequit per actionem increatam, nec potest agens increatum per creatam. Tum quia illa actio, utpotè vitalis, & immanens deberet indispensabiliter recipi in ipsa Deitate, quod non solum est falsū, sed etiā hæreticum. Tum quia deberet perficere principiū proximum, unde si istud esset Deitas, deberet hæc perfici à visione creata, quod est alienum, nisi velimus Deum posse habere perfectionem suam à creatura &c.

Ad hoc dico in primis, quòd videtur solvendum ab omnibus, nam probaret etiam non posse divinam essentiam concurrere ut speciem, vel ut objectum motivum ad visionem, quod nullus Thomistarum concedit; semper enim explicandum est, quo modò sic concurrat, & non concurrat per modum causę secundæ, si semel concursus speciei, aut objecti motivi est distinctus à concursu causæ primæ. §. Præterquamquòd est etiam solvendum ab omnibus Catholicis in mysterio Incarnationis, ut statim dicemus. In forma ergo pro omnibus nego ma., ad probat. dist., & explic. ant., distinctus est à toto genere causę primę, seu influxus divini, vel increati, nego ant. à generali, conc. Dicimus, ergo, quòd concursus divinæ essentiæ in ratione speciei peculiaris est, & distinctus à concursu generali, quem præstat, ut prima causa, ut benè probat argumentum, nihilominus propriè, & in rigore inferendum non est, esse concursum causæ secundæ, aut illam prout sic concurrere, ut causam secundam, sed ut rationem agendi in esse intelligibili ipsi causæ secundę, seu in ratione objecti motivi ad concursū causæ secundæ, & terminantis illum, sicut autem de ratione motivi non est esse aliquod creatum dependens in essendo à Deo, ut à prima causa (aliàs, ut dictum est, non posset eadem essentia concurrere, ut species, vel ut objectum motivum ad visionem,) ità neque est de ratione objecti motivi ut sic, subordinatio, & dependa in agendo à prima causa, sed hæc solum convenit objecto motivo creato, quod in essendo dependet à Deo, quia dependentia in agendo à Deo, præsupponit dependentiam in essendo ab illo, & in ea fundatur &c.

Ad primam confirmat. iterum dicimus in primis non solum esse solvendum in eadem essentia concurrente, ut specie, vel ut objecto motivo, ut suppono apud omnes Thomistas; sed etiam à cæteris in prædicto mysterio Incarnationis; nam de persona divini Verbi, ut persona humanitatis, sive ut faciente specialiter subsistere humanitatem, (quo pacto non faciunt eam subsistere persona Patris, & Spiritus Sancti,) tenemur fateri omnes, quòd concurrat effectivè ad actiones humanitatis, cum actiones sint suppositorum, non præcisè individuorum, aut singularium, ut communiter contrà Vasquez docent metaphisici; & tamen concursus iste non est per imperiū intellectus, & voluntatis Dei, cum sit præcisè concursus suppositi, ut quod, seu facientis subsistere humanitatem; nec sit concursus

cau-

causæ secundæ, cum sit concursus suppositi divini, vel increati, ergo tene nur omnes admittere aliam concursum ex parte Dei distinctum à concursu per imperium, & voluntatem, seu à concursu ejus generali. §. Iterum ergo pro omnibus resp., quòd sicut in supposito ibi divini Verbi, ut supposito, vel persona humanitatis in convenient non est, admittere specialem concursum effectivum merè suppositalem, & identificatum cum supposito, vel qui sit immediatè ab illo, & distinctum ab illo per imperium, vel generali, quem præstat, ut causa prima, ità nec erit inconveniens dare particularem effectivum merè objectivum, vel identificatum cum divina essentia, vel qui sit immediatè ab illa, ut specie, vel objecto motivo, & distinctum ab eodem generali, nec tamen propriè, & in rigore sit concursus illius, ut causæ secundæ, sicut nec est ille personæ Verbi in humanitate assumpta. Unde argumentum videtur peccare arguendo à superiori ad inferius affirmativè nempè ex eo, quòd semel effectivè concurrit, & non concursu causæ primæ, scil. generali, vel per imperium, concurrat concursu causę secundæ; est enim aliud membrum, quod debebat excludi, scil. particularis distinctus à generali, potens illi convenire in genere intelligibili, sicut & potest particularis convenire in genere subsistendi distinctus ab eodem, ut dictum est; quidquid sit, quòd non dicantur, aut non sine concursus simpliciter comparativè ad generalem, vel per imperium, & voluntatem, aut in genere essendi, sunt tamen effectivi in suo genere, ut explicatum est.

Ex his etiam ad 2. dicimus neque esse visionem, neque imperium divinum, sed peculiarem concursum modo explicato, quem Mag. Ferre hic vocat actionem secundum dici distinctam ab illis, & consistit in prædicta determinatione intellectus, quam se ipsa immediatè facit divina essentia, ut ratio illi agendi; ut dictum est; in genere intelligibili respectu visionis, quod est efficaciter concurrere per modum objecti motivi ad illam. Nec obstat quòd sit actio vitalis, & species, vel objectum non vivat per illam, nam satis est, ad salvandum ejus influxum effectivum, quòd reducatur, ut effectus in causam, aut rationem in eodem genere; quidquid sit, quòd ut actio vitalis reducatur elicitivè ad intellectum sicut omnis actio creata, ut actio est reducitur in principium proximum à quo elicitur, ut verò effectus in Deum, de quo alibi in physicis, & suprà etiam, quoad visionem insinuavimus, & iterum poterit constare infrà &c.

III. Arg. opponendo D. Thom. hìc, ubi docet, quòd virtus requisita ex parte intellectus ad reddendum illum efficacem respectu visionis producendæ est lumen gloriæ, & quòd essentia divina ut species tenet se ex parte objecti, ergo sentit non concurrere ad illam efficienter, quia si efficienter concurreret, teneret se ex parte intellectus, ut virtus activa roborans illum ad producendam visionem.

Urg. ex eodem, quodlib. 7. art. 1., ubi in fine corp. ait, lumē glorię respectu visionis Dei in intellectu beati facere id, quod facit respectu aliorum intelligibilium species rei intellectæ simul cum lumine, & rationem assignat, quia cum essentia divina per se ipsam sit totaliter ipsa lux intelligibilis, sufficienter perficitur intellectus per lumen glorię ad videndam divinam essentiam; in quibus videtur expressè ducere, quòd præter lumen gloriæ nullum aliud activum principium requiritur ad visionem &c.

Ad hoc nego conse. quia D. Th. non solū speciē increatā, sed omnem etiā creatā distinguit à virtute requisita ex parte intellectus; & tamen (ut etiā fatetur M. Bannez) certum est in doctrina D. Thom. speciem creatam, quæ est accidens, efficienter concurrere ad intellectionem. Stat ergo quòd ex parte objecti se teneat species, & quòd efficienter concurrat ad intellectionem, quia præter virtutem requisitam ex parte potentiæ adhuc est necessaria activitas objecti determinans ad speciem actus, & simul cum potentia pariens notitiam.

Ad confirmat. respond intentum D. Thom. esse ibi ad ostendendum non esse necessariam speciem creatam, ut divina essentia videatur, ut patet ex principio corp. ubi ait. *Dicendum, quòd absque dubio tenendum est, quòd divina essentia in patria immediatè ab intellectu glorificato videatur.* Quia nempè cum per se ipsam sit intelligibilis actu, non requiritur species recepta in intellectu, per quam fiat actu intelligibilis, sicut requiritur in rebus, quæ per se ipsas non sunt intelligibiles actu, nec possunt per se ipsas uniri intellectui in ratione formæ intelligibilis. Cæterum nonnegat, imò supponit essentiam unitam in ratione speciei concurrere efficienter ad visionem. Nec refert, quòd dicat sufficienter perfici intellectum per lumen gloriæ ad videndam divinam essentiam, quia solum vult docere non esse necessariam aliam formam intrinsecam receptam in intellectu, & perficientem illum in genere rei, nam exclusa quacunque alia intrinsecè recepta habetur totum, quod desiderari potest, ut producat visionem sive ex parte objecti, quia per se ipsum est intelligibile in actu, & consequenter non indigens alia specie supplente vicem sui; sive ex parte ejusdem intellectus, quia in genere rei sufficienter perficitur per lumen; sed quia nunquam intelligi potest sufficienter, vel completè perfectus tam in genere intelligibili activo, quam passivo, sive objectivo, nisi objectum activè in sui linea, concurrat ut probavimus, adhuc optimè stat essentiam divinam unitam intimè intellectui in ratione formæ intelligibilis perficere illum in esse intelligibili, & esse principium *quo* visionis; nam utrumque principium activum desideratur, ut vidimus; ad visionem, alterum tenens se ex parte generis intelligibilis activi perficiens intellectum etiam in genere rei, si sit illi superadditum, ut in nobis, vel quod est idem intellectus, ut in angelico respectu cognitionis naturalis; alterum tenens se ex parte generis intelligibilis passivi, vel objecti, quod est species, quæ si sit supperaddita, & accidens, ut contingit in speciebus creatis, intrinsecè recipitur, & informat, aliquumodo etiam prout sic perficiens in genere rei, sed hoc est per accidens, ut dictum est, & non requiritur ad rationem speciei ut sic; vel quod est intrāsitivè ipsum objectum, quia nempè per se ipsum est intelligibile in actu, ut contingit in patria; & tunc est quidem necessarius ejus influxus activus, sed sine omni receptione, vel informatione per solam sui intimam unionem, & consequenter sine eo, quòd perficiat in genere rei, sed tantum in esse intelligibili. Videatur Ledesma ubi suprà ad confirmat. primi, & Cabrera in solutione ultimæ confirmat. &c.

Ex dictis colligimus duplicem modum procedendi distinguendū esse in Deo, sive ad intrà, sive ad extrà; sicut ad intrà Verbū dupliciter concurrit ad processionem Spiritus Sancti, nempè sub munere Verbi media nempè repræsentatione, qui modus concurrendi proprius est sibi, & non Patri; & sub ratione Spiratoris, per

per voluntatem, qui est communis utrique; sic etiam ad extrà proportione servata, duplicem concursum activum, vel effectivum habere potest, scil. specialem vel sub munere suppositi ut explicatum est in mysterio Incarnationis; vel sub munere objecti, vel speciei, ut in casu, & uterque prior quidem est proprius suppositi Verbi, & non communis aliis suppositis divinis; posterior verò essentiæ divinæ, & non omnibus divinis, alterum verò communem, scil. per imperium, & voluntatem, unde visio beata duplicem dependentiam in linea effectiva habet à Deo; alteram in ratione effectus, & ad illam prout sic dicuntur concurrere tres personæ concursu generali, seu per intellectum, & voluntatem, aut imperium ejus, alteram specialem in ratione intellectionis, & secundum istam specialiter dependet à divina essentia, seu deitate unita sub munere speciei, vel objecti motivi, nam formalitas speciei impressæ solum convenit in via Thomistica deitati, ut deitas est, quia illa est, quæ per se primò cognoscitur, & ratione illius alia divina cognoscuntur, unde etiam illa sola, dum Pater per intellectū producit Filiū, fœcundatur.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum de potentia absoluta dari possit species impressa Deum ut in se est, intuitivè repræsentans.

AFfirmant ex antiquis Aureolus apud Capreol. in 4. dist. 5. art. 2., in argumentis contrà primam; Scotus qu. 11. §. *Respondetur*, & probabilem existimat Ricardus in 3. dist. 14. art. 1. qu. 3. Ex recentioribus verò Molina, Vasquez, Suarez, & alii ex Societate, & licet nonnulli cum Scoto, & Aureolo fateantur D. Thom. eam negasse in hoc articulo de potentia etiam absoluta, nihilominus Suarez conatur interpretari de ordinaria, sed tamen, ut jam constat ex dictis, & adhuc constabit ex dicendis, apertissimè negat de quacunque &c.

Negativam defendunt communiter Thomistæ Capreol. in 4. dist. 49. q. 5. art. 1., & 2., Paludanus q. 1. ar. 2. concl. 3., Soto qu. 2. art. 3. Ferrara 3. contrà gent. c. 49., & alii recentiores, cum Cajetano hìc art. 2., Salmantic. dub. 4., à S. Thom. disp. 13. art. 3. Mag. Catalam dub. 4. Illustriss. Godoy disp. 11. Mag. Ferre qu. 2. §. 7., & alii quos sequuntur ex Societate Arrubal, Granadus, & consentit etiam Durandus in 4. dist. relata, qu. 2. num. 13., & sequentibus &c.

§. PRIMUS.

Statuitur prima conclusio.

IMpossibilis est etiam de potentia absoluta species impressa, qua Deus, ut in se est intuitivè cognoscatur. Ità D. Thom., eamque docere in hoc articulo luce meridiana clarius est, quia ut ostendimos supra cum communi consensu Interpretum contrà Vasquez, speciem intelligibilem impressam, qua Deus, ut in se est, videatur probat D. Thom. esse impossibilem, & de impossibilitate simpliciter spectata quacunque potentia esse intelligendas rationes D. Thom. fatetur Vasquez cum Thomistis contrà Suarez, quia D. Thom. in prima ratione tam esse impossibile dicit videri Deum per speciem creatam, quàm videri quidditativè spiritum per speciem rei corporeæ; hoc verò in communi sententia impossibile est ut supponimus. In secunda ratione dicit speciem repræsentantem Deum, ut in se est, debere esse suum esse. Et in tertia debere esse illimitatam, & infinitam in genere intelligibili, & in genere entis. Utrumque autem repugnare cuicunque speciei creatæ, & creabili est omninò certum. Id non minus evidenter deducitur ex 3. contrà gent. cap. 49., ubi easdem tres rationes adducit, quia sunt omnium efficacissimæ, quibus probari possit.

Sed in primis efficaces esse contrà Vasquez ad hominem ostenditur sic. Rationes D. Thom. sunt evidentes demonstrationes ad probandum impossibile esse videri Deum, ut in se est per creatam speciem expressam, aut per similitudinem objectivam priùs cognitam, ergo etiam ad probandum impossibile esse videri, ut in se est per speciem creatam impressam. Ant. patet quia hic Auctor disp. 38. c. 4. ferè in principio docet, rationes D. Thom. esse evidentes demonstrationes ad probandum id, quod intendit, & disp. 39. docet intentum D. Thom. esse ad probandum non posse Deum, ut in se est, videri per speciem expressam, aut per similitudinem objectivam priùs cognitam, licet circa finē illius disputationis affirmet probabilius sibi videri contra D. Thom. per speciem expressam Deum, ut in se est, de facto videri. Sed opportebat esse dicti sui memorem, nam cum demonstratio sit de vero, si semel rationes D. Thom. sunt evidentes demonstrationes, quomodo contrà D. Thom. potest sibi oppositum videri probabilius, nisi etiam de facto dari concedat speciem, quam prius affirmavit evidenter demonstrare D. Tho. esse impossibilem: cons. verò patet primò, quia probabilius est posse dari speciem expressam, qua Deus videatur, quam impressam, nam plures de facto illam admittunt in beatis, qui tamen hanc, aut omninò impossibilem judicant, aut saltem negant dari de facto in beatis; & supposito quòd impressa dicatur possibilis, aut de facto ponatur, sine fundamento negatur possibilitas expressę, aut ejus existentia.

II. Quia semel admisso speciem expressam repræsentantem Deum, ut in se est, debere esse ejusdem ordinis cum Deo, esse suum esse in genere intelligibili, & in genere entis, esse illimitatam, & infinitam in genere repræsentativo, ut habent rationes D. Thom. sine apparenti ratione negatur hæc eadem debere convenire speciei impressæ repręsētativę Dei, ut in se est. Tū quia proportio, & commensuratio cum objecto, ut in se est, non minus requiritur in specie impressa, quæ est ejus naturalis similitudo, & vice objecti substituitur, quam in expressa. Tum denique quia expressa est effectus impressæ, ergo non exigit ex sui formali ratione majorem immaterialitatem, perfectionem, vel actualitatem, aut majorem commensurationem cum objecto cognito, quam exigat impressa, à qua producitur.

Urg. hoc. Creata illa similitudo naturalis impressa repræsentans quidditativè Deum ut in se est posset saltem de potentia absoluta cōprehensivè cognosci ab intellectu creato supernaturali lumine, ergo eadē ut similitudo objectiva prius cognita ducere posset intellectū in cognitionem quidditativam Dei, ergo illa admissa, sine fundamēto negatur similitudo objectiva, quæ prius cogni-

cognita ducat in cognitionem ejus; prima conf. tenet, quia cognita comprehensivè similitudine naturaliter repræsentativa alicujus rei necesse est cognosci rem repræsentatam prout repræsentatur per illam.

Sed jam veniamus ad examinandam efficaciā rationum D. Tho. Prima ratio, qua probat nostram conclusionem in hoc art. & qo. 8. de Veritate art. 1. & opusc. a. c. 105. & aliis locis in Tabula Aurea in Concordantiis dictorum dub. 485. potest formari sic. Per nullam speciem ordinis inferioris potest cognosci quiditativè res ordinis superioris, sed omnis species creata quomodolibet perfecta est ordinis inferioris Deo, ut in se est, ergo per nullam potest videri Deus ut in sa est: maj. probat D. Tho. auctoritate D. Dionys., & exemplo rerum materialium, quæ quia sunt ordinis inferioris respectu spiritualium, v. g. Angelorum, nequeunt esse ratio illos quiditativè cognoscendi.

Resp. primò Vasquez cap. illo 4. D. Dionys. esse intelligendum de similitudine objectiva priùs cognita, & de hac veram esse maj., falsam verò de similitudine impressa, quæ est ratio cognoscendi, quia evidens est per speciem impressam, quæ est accidens cognosci à nobis quiditativè substantiam, & ab Angelo inferiori cognosci quiditativè superiorē per speciem infusam accidentalem. §. Sed hæc solutio facilè rejicitur ex dictis; æquivocat enim circa modum, & qualitatem convenientiæ, quam servare tenetur species quiditativè repræsentans cum objecto, scil. in gradu immaterialitatis, ut dicemus infrà; qui exprimitur per prædictam ordinis identitatem, per quod patebit non esse ad rem instantias adductas, nam quantùm ad eundem gradum pòtest accidens superare substantiam, & non solùm convenire cum illa. Impugnator ergo sic. Non minùs est de ratione speciei impressæ esse similitudinem naturalem objecti cogniti, quàm de ratione similitudinis objectivæ, nec minorem exigit convenientiam in esse intelligibili cum objecto cognito, quàm exigat objectiva in esse rei, ergo sicut hæc ut ducat in cognitionem quiditativam objecti, debet esse ejusdem ordinis, & naturæ cum illo in genere rei, ita tenebitur impressa esse ejusdem in esse intelligibili, ut sit naturalis similitudo objecti, & ratio cognoscendi illud quiditativè; ant. patet ex dictis, & adhuc constabit ex dicendis.

Neque instantiæ sunt ad rem, quia speciem intelligibilem esse ejusdē ordinis cum objecto, vel re, quā quiditativè reprçsētat, non est prçcisè intelligendum in genere rei, nec substantiæ, nec accidentis, quasi teneatur species quiditativè repræsentans substantiam esse substantia, hoc enim materialiter se habet ad rationem formalem speciei intelligibilis, ut docet Cajet. hìc, & constat ex superioribus; quidquid sit in casu respectu Dei clarè visi, quia cùm ordo, vel gradus immaterialitatis illi conveniens sit gradus actus puri, non stat semel convenire, & non convenire in utroque genere. Intelligendum est ergo in esse intelligibili, vel raspectivo, quod per se primò, & formaliter pertinet ad rationem essentialem speciei intelligibilis, nam, ut expresè docet D. Tho. de veritate ubi supra, in omni cognitione, quæ est per similitudinem, modus cognitionis est secundùm convenientiam similitudinis, per quam fit cognitio, cum re cognita, sed non in esse naturali, vel in genere rei, ut patet inductivè, ergo secundùm convenientiam in esse intelligibili, vel repræsentativo, ut statim etiam ostendemus impugnando sequentem solutionem.

Dices ergo cum aliis ita esse, si species, quæ vocatur similitudo objecti, sit ordinis inferioris in repræsentando, non si solùm in esse entis; non repugnare autem, quòd species creata habeat priorem identitatem ordinis cum Deo, quia ad hanc sufficit quòd dicat immediatum ordinem ad Deum tanquam ad objectum immediatè repræsentatum; bene autem potest species creata Deum immediatè repræsentare; quin intermediet objectum creatum, tanquam immediatè repræsentatum. Quam solutionem contendunt deduci ex eodem Dionysio, qui non dixit superiora non posse per species inferiores cognosci, sed per species rerum inferioris ordinis, scil. per species, quæ immediatè objecta ordinis inferioris repræsentant, superiora cognosci non possunt; quam ex Aureolo apud Capreolum desumpserunt Auctores cōtrarii.

Sed hæc solutio, ut jam innuimus, æquivocat mentem Dionys. (de qua etiam infrà) & identitatem ordinis requisitam ad repræsentationem quiditativam, aut valde diminutè, & confusè explicat illam. Unde argumentor sic. Ut species quiditativè repræsentet objectum, debet immediatè dicere ordinem, seu relationem realem similitudinis ad quiditatem objecti, ut fatetur solutio, & per se patet, aliàs non repræsentabit quiditativè, cùm hujusmodi repræsentatio fiat per viam similitudinis, ergo debet habere convenientiam, non tantùm analogam, aut genericam, sed etiam specificam, ergo cùm hæc omnino repugnet creaturæ, impossibilis erit species creata immediatè repræsentans quiditatem Dei; hæc ultima conf. tenet, quia implicat in terminis, quòd ens creatum secundùm propriam rationem essentialem, aut specificam, qua differt à quolibet alio, habeat, in quocumque modo essendi reali ponatur, specificè convenire cum Deo, & consequenter neque in esse repræsentativo, cùm hic etiam sit quidam modus essendi realis; neque enim est pura denominatio rationis, ut per se patet, nam esse reprçsentativum nō est ex beneplacito, & impositione hominum, sed ex natura rei conveniens speciei, unde esset, & non esset ens creatum; prima verò prob., quia omnis relatio similitudinis fundatur in aliqua unitate, & convenientia extremorum inter se, ut suppono ex Metaphysicis, at hic ordo, & relatio speciei intelligibilis ad objectum fundari nequit in unitate, & convenientia cum accidentibus objecti, neque in pura unitate, & convenientia in esse intelligibili cum natura, & essentia ejus in gradu tantùm analogo, aut generico, ergo in gradu differentiali specifico, conf. tanet, quia non est alia assignabilis unitas, aut convenientia, in qua fundari possit, quia omnis unitas, & convenientia, vel est in natura, & essentia, vel in accidentibus; ant. quoad omnes partes patet, quia aliàs non reprçsentaret objectum secundùm specificam ejus rationem propriam, sed tantùm quoad accidentia, vel superiorem gradum analogum, vel communem genericum, nam intantùm repræsentat inquantùm est similis, vel inquantùm est quiditativa, vel naturalis similitudo ejus, cognitio enim fit per assimilationem cognoscentis cum re cognita &c.

Huic replicæ, vel rationi, quæ sumitur ex D. Tho. 3. cont. Gent. c. 49. ratione 2. & D. August. 2. de Genesi ad literam c. 6. 7. & 8. nequit aliter responderi, nisi negando prædictum ordinem, vel habitudinem speciei ad objectum esse relationem simili-

tudinis, sed esse purum ordinem ut ad objectum repræsentatum.

Sed hæc solutio in primis est contra communem consensũ Metaphysicorum, & evertit totum ordinem intelligibilẽ, fit enim cognitio et proximè dicebamus ex communi consensu per viam assimilativam, onde & ipsi, ut constabit infrà, eam vocant generationem, seu etiam partum intellectualem, qua ratione, ut ostendemus in materia de Trinitate, altera processio, scil. filii est generatio, altera verò, sive Spiritus Sancti, non, sed simplex processio, sivè spiratio, quia illa est per intellectum, & consequenter per viam assimilativam, hæc verò non, sed per viam impulsivam.

II. Impugnatur, & urg. totum hoc, explicãdo ex dictis meritum speciei intelligibilis. Nam ad hoc datur, ut objectum, quod est extrà animam ponatur intrà illam non in esse naturali, sed intelligibili, ut patet in specie lapidis, ut una deinde cum intellectu ad intellectionem concurrat fœcundando ad partum intellectualem verbi, ergo debet continere naturam objecti non secundum modum essendi naturalem, sed sub modo intentionali manifestando, & repræsentando illam, ergo tenetur omninò esse similis illi, ant. patet ex superioribus, & in eodem exemplo; prima verò conf. etiam tenet, quia repugnat, quòd per illam ponatur intrà aut deferatur intra intellectum, nisi contineat, ut patet ex terminis; secunda verò prob., quia nequit manifestare, aut repręsentare in quantum dissimilia, ergo in quantum similis &c.

III. Quia implicat in terminis, quòd naturalis, aut quiditativa repræsentatio objecti habeatur per purum ordinem ad illud, abstrahentem ab omni convenientia, cum repræsentatio quiditativa sit perfectissima in hoc genere, eò vel maximè, quòd saltem gratia materiæ, ut jam insinuavimus, & ostenditur infrà, repræsentatio semel quiditativa in casu, tenatur esse simul comprehensiva, at non sufficit, ut probatum est, convenientia purè analoga, aut in gradu tantùm generico, ergo est necessaria convenientia secundum propriam rationem specificam.

IV. Quia ordo, quem dicit species ad objectum immediatè repræsentatum non est effectus ad causam, nec causæ ad effectum, ut patet in speciebus angelorum, quæ nec ab illis causantur, nec sunt causæ illorum, ergo est ordo ratione similitudinis; at non sufficit similitudo purè analoga, ut dictum est; aliàs quilibet divinus effectus immediatè essentiam Dei repræsentaret, & quiditativè; nec in gradu tantùm generico, aliàs tantùm repræsentabit genus, quia id tantũ, ut vidimus, repræsentat, in quo est similitudo, ergo erit in grado specifico, & consequenter erit convenientia univoca, & specifica, cons. autem primi entymematis prob., quia prædictus ordo vel est effectus ad causam, vel causæ ad effectum, vel ratione similitudinis, ergo si non est ordo per modum effectus ad causam, nec causæ ad effectum, erit ratione similitudinis.

Et quidem nisi velimus invertere naturas rerum, ob difficultates occurrẽtes oot., quòd hęc est natura speciei intelligibilis quiditativè repręsentantis rẽ, quòd sit ipsa essentia rei in alio modo essendi, oempè in esse intelligibili, ut docent D. Tho., & D. Augustinus locis proximè relatis; onde ait hic Pater, quòd easdem naturas, quas Deus produxit in hoc mundo visibiliter, produxit prius intelligibiliter, producendo species intelligibiles earum in mentibus angelorum, & patet etiam ex dictis cum D. Th. Phil., & Averroe, quia si species intelligibilis in esse intelligibili non esset ipsa res intellecta, per receptionem ipsius in intellectu non fieret magis unum ex intellectu, & re intellecta, quam ex materia, & forma, neque intelligens in actu esset ipsum intelligibile in actu, quod est contrà communem consensum &c.

Explic., & urg. totum hoc. Imago regis, quia naturaliter repræsentat Regem quoad effigiem, delineamenta, & alia accidentia, verè est similitudo habens in accidentibus univocam convenientiam cum illo in esse repræsentativo; & quoad externam figuram ejusdem rationis est, & Rex dicitur in esse repræsentativo, ergo quia species intelligibilis naturaliter repræsentat quiditatem, vel essentiam rei, verè erit similitudo habens in esse repræsentativo univocam convenientiam in prędicatis essentialibus cum re repræsentata, & erit in esse repræsentativo ipsa rei essentia.

Dices ad hæc omnia satis esse, quòd habeat convenientiam extrinsecam, & terminativam cum objecto, idest quòd sua repræsentatio terminetur ad omnia, quę objectum continet in esse naturali, unde nec est necessaria continentia intrinseca prædicatorum ejus, sed satis est extrinseca, & terminativa consistens in eo, quòd repręsentet omnia, quæ in objecto physicè continentur.

Sed hæc solutio in primis ut dictum est; est contra prædictos SS. DD., & contra Aristotelem, & communem consensum; nam planè non fieret magis, sed longè minus unum ex utroque, si solum extrinsecè terminaretur, & conveniret, onde sufficienter impugnatur ex superioribus replicis efficaciter convincentibus similitudinem, & convenientiam in gradu specifico.

Deindè quia hujusmodi convenientia extrinseca, & terminativa convenit lumini gloriæ, cum terminetur ad Deum, quatenus est objectum beatificum, & consequenter mensuretur, & specificetur ab illo, & tamen adhuc nequit ex hoc exercere munera speciei, scil. ponendo objectum intrà intellectum, sufficienti modo, ut verificetur concurrere concursu objectivo ad visionem, nec illo mediante fit intellectus creatus intelligibiliter Deus, aliàs de facto exerceret munera speciei, quod esse falsum constat ex dictis, & negant communiter Theologi contrà Vasquez, & alterum ejus asseclam recentiorem, & meritò cum sit confundere totum ordinem intelligibilem, non distinguendo inter utrumque genus activum, & passivum, vel objectivum nec inter virtutes utrique specialiter deservientes, quæ nempè se tenent ex parte potentiæ, ut sunt lumen, & alii habitus informantes illam, & simul cum illa constituentes naturam, vel esse quoddam accidentale, & supernaturale in casu, ad quod sequatur operari ejusdem ordinis, & quę sint ex parte objecti determinantes objectivè, seu ad speciem actus, & prout sic concursu objectivo concurrentes ad intellectionem, ergo ut species juxtà sui meritum exerceat prædicta munera respectu intellectus in ordine ad visionem beatam sufficiens non est pura continentia, aut convenientia extrinseca, sed est necessaria intrinseca in esse intelligibili. §. Præterquamquòd difficultas modo non est de specie per modum luminis secundum puram terminationem, vel convenientiam extrinsecam ad objectum, nam supponimus definitum in Concilio Vienensi esse necessariam talem speciem, & non solum possibilem, sed de specie dante formalem repræsentationem ex parte objecti, & ad hanc dicimus omninò requiri convenientiam in gradu specifico, ut efficaciter probatum est ex D. Thom.; nec sufficere purè extrinsecam, aut virtualem, quam tribuunt lumini aut al-

teri

teri cuicunque formæ intelligibili, quia ut sæpè dictum est, visio rei non paritur ex solo concursu intellectus, sed etiam objecti, ergo si quia paritur ex priori concursu requiritur in omnium sententia, & juxtà Concilium forma dans proximam virtutem, pariter erit necessaria forma dans proximam, & formalem repræsentationem, ergo si hæc est impossibilis respectu Dei clarè visi erit impossibilis species quidditativè illum repræsentans &c.

Aliter ergo dices ità esse debere speciem esse formaliter repręsentantem, & habere convenientiam intrinsecam,& univocã cum objecto,hanc tamen non repugnare speciei creatæ respectu Dei in esse intelligibili, vel repræsentativo, licet repugnat in esse entis, nam, ut nos etiam supra insinuavimus; & alibi dictum est, non repugnat, quòd ea, quæ analogantur in uno genere,scil.entis,univocari possint in alio,scil.scibili,ut patet in ente reali, & rationis, & in substãtia, & accidente.

Sed hæc solutio jam præoccupata est; quia hoc esse repræsentativũ in specie intelligibili,ut dictum est,non est pura denominatio rationis,sed verum esse reale,sed in nullo esse reali potest creatura habere aliam convenientiam cum Deo præter analogam, ergo: probãtur præmissæ,ma.quidẽ,quia species intelligibilis nõ habet esse repręsentativã sui objecti ex beneplacito,& impositione hominũ ut dictũ est, sed ex se, vel ex natura rei est naturaliter repræsentativa illius, ergo esse repræsentativam in illa non est denominatio rationis, sed verum esse reale, cons. tenet, quia hoc est discrimen inter repræsentationem naturalem, & ad placitum, quòd illa importat realem perfectionem, & relationem, hæc verò tantùm denominationem rationis,mi.etiam prob. quia omne esse reale, aut realis perfectio creaturæ convenit illi per dependentiam, & participationem à Deo, ergo in nulla reali perfectione potest habere aliam unitatem, aut convenientiam cum Deo præter analogam &c.

Explic., & urg. hoc. Habere unitatem, vel convenientiam univocam,est esse unum ejusdem rationis cum alio in eo,in quo conveniunt, & præcipuè loquendo de formali, & specifica, quæ est maxima, sed implicat in terminis, quòd in aliquo modo essendi reali creatura sit ejusdem rationis, & præcipuè specificæ cum Deo, cum in omni sit creatura quid potentiale, & dependens à Deo, ergo impossibile est, quòd etiam in esse repræsentativo possit species creata habere talem convenientiam cum Deo, conseq. tenet,quia ut dictum est, esse repræsentativum est verum esse reale &c.

Urg.ulteriùs.Ex eo repugnat habere illã in esse entis quia dependet àDeo tanquã à causa super excedente,& infinita; sed sub omni portione entis quantumcunque diminuta, & intentionali perpetuò dependet ab illo, aliàs prout sic creatura non erit; ergo in omni repugnat habere talem convenientiam cum Deo.

Ex quo etiam sit satis ad utrumque exemplum,quia una creatura respectu alterius non est necessarium, quòd dependeat sub omni sui ratione, unde potest subtrahi ab analogia respectu illius, & habere consequenter in aliqua convenientiam univocã,ut de utroque ente dicitur in eisdem exemplis in genere scibilis, quia cum illud attendatur penes connexionem simpliciter, seu necessariam passionum cum subjecto, nec dicatur per analogiam ad ens, sed secundum habitudinem ad scientiam,quatenus est natum per se attingi ab hac, vel illa scientia, & id habeat utrumque tam ens rationis, quàm accidens, optimè possunt in eodem genere, vel in ratione scibilis univocari; cæterum respectu Dei præcipuè sub hoc ejus proprio, & formali conceptu, in nullo quantũvis diminuto modo essẽdi reali potest non dependere, si velimus esse creaturam; dico tamen sub proprio, & formali conceptu ejus, quia ut confunditur à ratione entis in ratione objecti metaphisicæ dicitur habere prout sic in ratione scibilis metaphisici unicam cõvenientiã cum aliis,cum metaphisica sit una secundum speciẽ sed hoc magis est considerare rationem entis in illo, quam propria sui prædicata, unde non est præcisa comparatio inter ens creatum, & increatũ formalitar,ut in casu,sed prout utrumq; exprimitur confusa ratione entis, & secundum habitudinem, ut dictum est, ad scientiam, à qua etiam prout sic natum se est modo potentiali, & finito attingi, non secundum se juxtà meritum sui, ut contingaret respectu speciei,quæ teneretur naturaliter illum, ut in se est, repræsentare, si semel esset quiditativa repræsentatio ejus, sed de his adhuc infrà &c.

§. II.

Explicatur identitas Ordinis inter speciem, & objectum.

Quia ut vidimus; vis primæ rationis D. Thom. maximè fundatur in defectu, vel inferioritate ordinis inter speciem creatam, quæcunque sit, & Deum ut in se est, restat explicandum, quid sit, aut in quo consistat speciem intelligibilem in esse intelligibili, vel repræsentativo esse ejusdem ordinis cum objecto, cujus est naturalis similitudo; & licet aliquid jam insinuaverimus; difficile tamen adhuc percipitur, quomodo species, quæ materialiter, & in genere rei considerata, supremo genere differt ab objecto, quia nempè illa est accidens, & objectum, substantia, possit in esse repræsentativo esse ejusdem generis, & ordinis cum illo. §. Omissis ergo variis dicendi modis, de quibus latè discurrit Gabrera 3. par. qu.12.disp.5.,dicendum existimo cum Cajetano hic juxtà me. tem D. Thom. non esse aliud speciem esse ejusdem ordinis in esse repræsentativo cum objecto, quàm convenire cum illo in eodem gradu immaterialitatis, & esse inferioris ordinis quã esse inferioris gradus in immaterialitate,quæ in recessu à materia,& potentialitate consistit.

Pro hujus ergo intelligentia simul, & probatione adverto quatuor esse immaterialitatis gradus, ut sumitur ex D.Thom. art.4. sequenti, quamvis expressè tres tantùm distinguat, quia primum, & secundum sub uno comprehendit, ut monuit ibi Cajetanus. Primus gradus est earum rerum, quæ habent esse in materia individuali, ac sensibili, à qua nec per intellectum seperari possunt, ut sunt singularia sensibilia. Secundus est earum rerum, quæ habent esse in materia individuali, & sensibili, à qua licet seperari nequeant secundum rem, possunt tamen per intellectum, ut sunt essentiæ rerum materialium. Tertius est rerum, quæ secundùm rem separatæ sunt ab omni materia, non tamen à potentialitate, quia habent esse distinctum ab essentia, & realem compositionem faciunt ex essentia, tanquam ex potentia passiva, & existentia ut actu, ut sunt substantiæ angelicæ. Quartus est rei, quę secundum rem separata est ab omni potentialitate, & ex-

expers omni compositione, quia formaliter est suum esse, & sua operatio; talis est Deus solus qui hac ratione dicitur esse actus purus. Proportionabiliter ergo in speciebus repræsentativis quatuor distinguuntur immaterialitatis gradus: in primo sunt species sensibiles, quæ solum repræsentant singularia sensibilia, & essentialiter sunt accidentia dependentia à subjecto materiali, & licet in modo essendi quodammodo immaterialiori superant, eam tamen concernunt materiam, quam res primi gradus. In secundo sunt species intelligibiles illustratione intellectus agentis abstractæ à phantasmatibus, quæ licet accidentia sint spiritualia, nequeunt tamen repræsentare nisi naturas rerũ materialium depuratas à conditionibus singularibus, & in repræsentando dependent à phantasmatibus. In tertio sunt species per se infusæ intellectibus angelicis, quæ spirituales sunt essentialiter, & omninò independentes à materia, includunt tamen realem potentialitatem, & compositionem ex esse, & essentia. In quarto est sola essentia divina sub ratione speciei intelligibilis, quæ etiam in hoc genere est suum esse, actus purissimus, seu ab omni potentialitate immunis.

Ex his patet, quid sit speciem intelligibilem esse ejusdem ordinis, aut convenire in eodem gradu immaterialitatis cum objecto, quòd verò hoc sit necessarium, ut sit repræsentatio, aut similitudo naturaliter repræsentativa objecti prob. primò, quia, ut vidimus; ad hoc est necessaria unitas, & convenientia cum objecto; at formaliter loquendo non requiritur unitas, & convenientia cum illo in gradu perfectionis in genere rei, cum unus Angelus alium cognoscat per speciem, quæ est accidens, & consequenter imperfectior objecto in genere rei, ergo requiritur unitas, & convenientia in gradu immaterialitatis, cum non sit aliud assignabile, in quo hæc unitas consistere possit. Secundò quia speciem intelligibilem esse repræsentationem, aut similitudinem connaturalem objecti non est aliud, ut vidimus ex D. Thoma, & Augustino quàm esse ipsum objectum in esse repræsentativo, sed hoc habet ex immaterialitate, ut à prima radice, ergo penes convenientiam in immaterialitate attendenda est unitas speciei cum objecto in esse repræsentativo, min. prob, quia ut docent theologi infrà cum D. Tho. q.14. art.2., & qu.84 art.2., & ostensum est etiam in 3. de anima, ex immaterialitate habetur, ut à prima radice quòd una res possit esse alia à se, unde cum de ratione cognitionis sit posse fieri alia à se saltem in esse intelligibili, omnĩ quodq; in tantùm est cognoscitivũ, in quantum est immateriale, & secundum gradum immaterialitatis in viventibus est gradus cognitionis, ergo ex immaterialitate habebit species posse esse aliud à se in esse repræsentativo. Et ratio à priori est, quia sicut limitatio, & coarctatio ad determinatum esse, & perfectionem oritur ex materia, & potentialitate, ità amplitudo, & extensio ad diversas perfectiones, ex immaterialitate, & recessu à materia provenit, & patet inductivè in qualibet re, quæ quantò immaterialior est, tantò crescit in universalitate, & perfectione &c.

Explic. hoc descendendo ad inductionem, qua utitur D. Thom. locis relatis. Nam inter sensus externos, quia visus est immaterialior ad plura se extendit, & sicut habet objectum minus materiale, ità immutatur per species immaterialiores; & tamen tam visus, quam alii sensus, quia sunt potentiæ affixæ organo corporali superantur à quocunque intellectu in immaterialitate tam ex parte objecti, quam ex parte specierum: Et intellectus noster, dum anima est in corpore sicut nequit intelligere quiditativè nisi essentias rerum materialiũ, ità nec intelligere potest nisi per species abstractas à phantasmatibus, & ab eis dependentes in repræsentando. Denique sicut objectum intellectus angelici independens est à materia, ità & species, per quas intelligit nullo modo pendent ab illa, ergo omninò necessaria est hujusmodi commensuratio, & convenientia inter speciem, & objectum in gradu immaterialitatis.

Ex his patet efficacia rationis D. Thom., & quàm sinistrè etiam, ut supra, interpretentur mentem D. Dyonis.; sed ut tollatur omnis æquivocatio, vel ambiguitas, potest clariùs ad hanc formam reduci sic: species quiditativè repræsentans objectum, aut est perfectioris gradus immaterialitatis repræsentans eminentiori modo illud quam ex se postulet, aut saltem debet cum illo convenire in eodem, ut ostensum est; sed implicat in terminis, quòd species creata conveniat in eodem gradu immaterialitatis cum Deo, cum gradus conveniens Deo excludat omnem potentialitatem, à qua implicat, ut dictum est; posse creaturam esse immunem in quocunque reali modo essendi ponatur, ergo implicat species creata Deum quiditativè repræsentans &c.

§. III.

Expositis aliis duabus rationibus statuitur secunda conclusio.

Secunda ratio D. Thom. potest sic formari. Species quiditativè Deum repræsentans debet esse suum esse saltem in esse repræsentativo, sed implicat creaturam in aliquo modo esse ... di esse suum esse, ergo implicat species creata Deum quiditativè repræsentans, mi. patet ex dictis, quia in quocunque modo essendi ponatur creatura semper essentialiter est ens per participationem à Deo in tali modo essendi includens indispensabiliter potentialitatem ad non essendum; ma. verò prob. ex eisdem principiis, quia species quæ est repræsentatio, aut similitudo naturalis, vel quiditativa objecti debet esse ipsum objectum in esse repræsentativo, & convenire cum illo in gradu immaterialitatis, sed Deus est ipsum esse per essentiam, ergo species, quæ est ejus repræsentatio, aut similitudo naturalis debet esse ipsum esse in esse repræsentativo per exclusionem totius potentialitatis.

III. Ratio pariter innititur eidẽ fundamẽto de similitudine, & convenientia in immaterialitate quoad gradum; unde potest formari sic: Divina essentia est actus purus, & infinitus, ergo species naturaliter, aut quiditativè repræsentativa illius debet pariter esse actus purus, & infinita saltim in esse repræsentativo, cons. iterum tenet ex eodem principio, quia species sic naturaliter repræsentans est ipsa res repræsentata in alio modo essendi, ergo cum implicet speciem creatam in aliquo modo essendi reali esse actum purum infinitum, implicabit dari talem speciem respectu Dei.

II. Concl. Repugnat etiam de potentia Dei absoluta species impressa, qua divina essentia distinctè quiditativè cognoscatur cognitione abstractiva. Ità communiter

moo ter discipuli D. Tho.; & consentiunt Duraod.q.3. prologi num.8. Suarez, Vasquez, & Valentia, quia licet hi posteriores existiment possibilem esse speciem, qua Deus quiditativè cognoscatur, censent tamen contradictionem involuere, quòd Deus quiditativè repræsentetur per speciem, & non intuitivè, aut quod cognitio Dei semel quiditativa, noo sit verè intuitiva, quod verum quidem existimo, quia cum actuale essa, vel existente io re sit formalissimè de concepto essentiali divinæ essentiæ repugnat divinam essentiam clarè, & quiditativè cognosci non cognita ut in ea actualiter existente pro eadem duratione, in qua cognitio terminatur ad illam, ac per conseq. intuitivè, ut rectè deducunt Cabrera ubi supra Alvarez. disp. 119., de Auxil. & Mag. Catalam hic. Cæterum, ut subtiliter advertit hic posterior Mag. non pendet veritas conclusiooìs ab hoc fuodamento; quia adhuc optimè subsisteret, estò admitteretur cognitio quiditativa Dei non intoitiva, sed abstractiva, ut affirmant plures cum Scoto io 2. dist.3. qu.2. circa secuodum principale.

Aliter ergo prob. concl. præsciodendo ab hac difficultate. Quia rationes D. Thom. eandem vim habeot respectu quiditativę repræseotationis abstractivę, quàm respectu intoitivę. Etenim nulla species qoiditativè repręsentans objectum, sive deserviat cognitioni intoitivę, sive abstractivę potest esse ioferioris ordinis in gradu immaterialitatis objecto repręsentato, sed omnis species creata est indispensabiliter ordinis ioferioris in eodem gradu respectu divinę essentię, sive sit hęc objectum abstractivę, sive intuitivę cognitionis, ergo per nullam sive abstractivè, sive intuitivè quiditas Dei repręsentari potest; mi. est certa, nam divina essentia repręsentata quiditativè, quovis modo sumatur, sive abstractivè, sive intuitivè perpetuò est actus purus, vel immunis ab omni potẽtialitate, ma. verò prob., quia species semel qoiditativè repræsentans debet esse essentialis similitudo objecti, & ipsa ejus essentia in esse repręsentativo, non enim potest esse naturalior repræsentatio, quam perveniens ad quiditativam repræsentationem rei, ergo si hac ratione species quiditativè intuitivè repręsentans nequit esse ordinis inferioris in grado immaterialitatis, nec poterit esse species repręsentans quiditativè abstractivè.

Urg. hoc. Quia nulla patet assignari sufficiens ratio ad denegandam possibilem speciem quiditativè intuitivè repręsentantem, si semel admittitur possibilis quiditativè abstractivè repręsentans, ergo vel nulla est admittenda; ut veriùs dicunt Thomistæ, vel solam quiditativè abstractivè repręsentantem contendere non possunt, prob. ant. quia ratio repugnantiæ assignari non potest ex infinita immaterialitate divinæ essentię, quia hanc etiam habaret, et sit objectum cognitionis abstractivę; neque ex hoc, quòd cognitio intuitiva teneatur esse comprehensiva; nam de facto datur cognitio intuitiva non comprehensiva; neque ex hoc, quòd cognitioni intuitivę repugnet fieri per speciem distinctam à re visa, nam si hoc intelligatur de notitia intuitiva ut sic, est apertè falsum, ut patet in visione corporali, & etiam in intellectuali, qua unus Angelus alterum intuetur; si verò intelligatur de notitia intuitiva terminata ad divinam essentiam est petitio principii, nam rationem inquirimus, ob quam repugnet cognitionem intuitivam Dei fieri posse per speciem creatam, si semel possibilis est creata species quiditativè illum repręsentans, ut egregiè urget idem Mag. Catalam &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

PRimò arg. contrà primam, contrà quam ex triplici coaptatione insurgunt contrarii; scil. ex paritate speciei expressę, vel Verbi, quòd supponunt dari in beatis; sed de hoc qu. sequenti. Deiodè ex paritate luminis, & visionis. Tertiò impugnando prædictam identitatem ordinis, cui innititur prima ratio D. Tho. unde arg. sic. Non est necessarium, quòd species impręssa quiditativè repręsentans objectum sit ejusdem ordinis cum illo, aut athomè specificè conveniat cum eodem, vel sit ejusdem quiditatis, ergo prędicta ratio falsò nititur fundamento, prob. ant. 1., nam Angelus inferior quiditativè cognoscit Angelum superiorem per speciem impressam accidentalem minus immaterialem Angelo, superiori, vel substantia ejus repręseotata per illam, quia sicut Angelus superior immaterialior est inferiori, idest minus habens de potentialitate ob propinquiorem accessum ad Deum actum purissimum, ità pariter immaterialior est speciebus deservientibus Angelo inferiori, cum istæ non superent immaterialitatem Angeli, cui deserviunt, sed sint proportionatæ ejus intellectui in immaterialitate, ergo,

II. Lumeo glorię est principium, quo Deus quiditativè videtur, & similiter visio beata est cognitio quiditativa Dei, & tamen non sunt ejusdem ordinis cum Deo viso in gradu immaterialitatis, nec tenentur habere univocam convenientiam specificam cum illo, ergo nec tenetur habere illam, aut esse ejusdem ordinis species impressa quiditativè repræsentans, prob. cons. quia species quiditativè repræsentans, objectum non tenetur esse superioris ordinis, imò videtur necessarium, quòd sit ejusdem cum virtute intellectiva, cui unitur, ut species, & cum cognitione, quam producit, ut patet in eadem specie Angeli inferioris quæ nequit excedere, imò proportionari in immaterialitate cum virtute intellectiva, cui unitur, ut species, & cum cognitione, quam producit, ergo,

Urg. hoc. Nam in quocunque ordine est possibilis cognitio quiditativa objecti, & virtus intellectiva productiva talis cognitionis, est etiam possibilis species impressa intrà eundem ordinem proportionata tali cognitioni, & virtuti, ergo si semel est possibilis cognitio quiditativa Dei, & virtus productiva illius, erit etiam possibilis species impressa illius,

Urg. secundò quia cognitio quiditativa objecti est etiam similitudo naturaliter repræseotativa illius, ergo si hoc non obstante potest esse ordinis inferioris, pariter esse poterit species impressa, estò sit similitudo naturaliter illud repræsentans; ant. prob. ex D. Aug. lib. 9. de Trinitate cap. 10. propè finem, ubi affirmat omnem notitiam esse similem rei, quam novit, & cap. 11. ait, cum Deum novimus fieri in nobis notitiam, quæ est aliqua similitudo Dei, quamvis sit similitudo inferior, quia est io inferiori natura; & infrà repetit, notitiam habere similitudinem cum re, cujus est notitia, & lib. 14. cap. 17. in fine docet tunc in homine fieri plenam Dei similitudinem, cum ejus plenam acceperit visionem; quibus verbis apertè videtur concedere rationem plenę similitudinis, visioni Dei. Quod etiam tradit Ansel. in Monologio cap. 31., ubi inquit. *Negari non posse cum mens se ipsam cogitando intelligit,*

git, imaginem sui ipsius in cogitatione nasci, imò ipsam cogitationem sui esse imaginem.

Ad hoc dico in primis solvendum esse à contrariis, nam si quid probat, etiam probat de facto, & non tantùm de possibili, de quo modo disputamus; imò probaret adhuc de impossibili cum impossibile sit videri Deum sine visione: sed deinde nego anteced. Ad 1. probat. dist. anteced., per speciem minus immaterialem à toto genere gradus immaterialitatis, nego, intrà eundem gradum, conc., sicut enim Angelus superior, & inferior continentur intrà eundem gradum immaterialitatis, sive intrà eundem ordinem intellectualis, & intellectivę substantię abstrahentem ab omni materia, sed non à potentialitate, & compositione (quamvis intrà talem gradum, vel ordinem, alii magis, alii minus recedant ab eadem potentialitate, & consequenter differant tantùm in modo participandi illum) ità species angelorum inter se, & cum Angelis, quibus deserviunt, ad eundem ordinem, & gradum pertinent, licet intrà illum aliæ magis, alię minus immateriales sint, quod est tantùm differre in modo participandi illum; ad quiditativam autem repræsentationem satis est esse ejusdem ordinis, vel gradus immaterialitatis cum objecto, nam omnimoda ęqualitas in immaterialitate solum posset esse necessaria ad repręsentationem adæquatam, & comprehensivam.

Quòd si inquiras an hęc diversitas in modo participandi gradum, seu ma., vel mi. immaterialitas intrà eundem ordinem, vel gradum importet essentialem, differentiam, vel solam accidentalem.

Resp. in genere rei posse afferre essentialem, sed in esse intelligibili, vel repręsentativo tantùm accidentalem, aut individualem penes diversos modos perfectionis intrà eandem speciem, aut penes individuales differentias: Constat enim res, quæ in genere entis sunt essentialiter, & primò diversæ, posse in genere scibilis, sensibilis, aut intelligibilis contineri sub eadem specie: & quamvis species intelligibilis repræsentans Angelum, accidens sit in genere rei, & in prędicamento qualitatis, tamen considerata in esse repręsentativo reducitur ad prędicamentum, & speciem Angeli, quem repræsentat, & universaliter species in esse repręsentativo reducitur ad prędicamentum, & speciem objecti repręsentati.

Ad 2. probat. nego conseq., ad ejus probat., distinguo non tenetur esse superioris ordinis, si objectum non excedat in gradu immaterialitatis virtutem intellectivam, vel lumen, & cognitionem, per quam attingitur, si conc. excedat in eodem gradu, nego, quia species, ut vidimus; se tenet ex parte objecti, ut naturalis ejus repræsentatio, vel similitudo, quæ est ipsum objectum in esse repræsentativo, & ideò tenetur omninò esse ejusdem ordinis, vel gradus immaterialitatis cum illo, ut probatum est; cæterum lumen, & cognitio, vel visio, cum non sint de genere intelligibili passivo, sed activo non se tenent ex parte objecti, sed potentiæ, quæ spectat ad idem genus activum, nec consequenter sunt naturalis repræsentatio, aut similitudo naturalis objecti repræsentativa, ut etiam patet ex dictis, & adhuc constabit infrà, unde accommodantur modo operandi potentiæ, nec exigere possunt identitatem ordinis, vel gradus in immaterialitate cum objecto. Per quod patet probat. annexam de eadem specie deserviente Angelo inferiori, nam in tantum non superat vim ejus intellectivam, & cognitionem, per quam attingit superiorem, quia iste non est ordinis superioris in gradu immaterialitatis, ut dictum est; nam si Angelus superior, (cujus est species, ut objecti cogniti,) excederet in illo, pariter, & ipsa teneretur excedere vim intellectivam, & cognitionem Angeli inferioris, ut probatum est.

Ad 1. confirmat. primò etiam ulteriùs dicimus, quòd etiam probaret esse de fide tenendum dari talem speciem de facto, cum de fide pariter sit dari de facto lumen, & visionem. §. Pro omnibus, ergo respond. unam ex duabus requiri conditionem, vel utramque simul ad verificandū quòd debeat esse possibilis species in ordine, in quo est possibilis cognitio, & virtus productiva illius. Prima est ut in eodem ordine sit possibilis virtus per modum potentiæ, sive quæ est potentia intellectiva, cui, quia debitus est modus habendi in se objecta sui ordinis, ut possit operari, & potentiæ creatæ non possit esse debitum habere illa per propriam entitatem, aut per entitatem objectorum, ut patet ex dictis, consequenter debetur ei species, per quam habeat objecta apud se.

Altera conditio est, ut cognitio objecti absolutè, & secundum se possibilis sit in illo ordine creato, & non dependeat ex suppositione unionis alicujus increati cum intellectu, nam quando actio creata est tantùm possibilis ex hac suppositione unionis increati ad creatum, non rectè infertur ex possibilitate actionis possibilitas principii integri creati in eodem ordine, ut patet in satisfactione, & merito infinito, & in actu justitiæ cummutativę in ordine ad Deum, quæ possibilia sunt, & de facto fuerunt in Christo, supposita unione Dei ad humanitatem in ratione suppositi, & tamen repugnat eorum integrum principium esse aliquid creatum. In casu autem argumenti utraque conditio deficit, quia in illo ordine non est possibile principium per modum potentiæ, ut infrà constabit, nec lumen gloriæ est potentia intellectiva, sed elevatio ejus; nec visio etiam est possibilis, nisi ex suppositione unionis divinæ essentiæ in ratione speciei cum intellectu, unde ex possibilitate luminis, & visionis non rectè infertur possibilitas speciei creatæ, aut principii integri creati visionis, sicut nec ex eo, quòd de facto detur aut tenendum sit de fide dari utrumque, sequitur de facto dari, aut tenendum sit de fide, quòd detur species, sicut nec, quòd impossibile sit non dari, ex eo quòd impossibile sit videre Deum sine lumine saltem de facto, & sine visione etiam de possibili, unde hujusmodi argumenta, ut dictum est, sunt de numero eorum, quæ nimis probant, & ideò nihil probant, & solvenda sunt à contrariis &c.

Ad 2. confirmat. Magister Soto ubi supra, concedit ant., sed negant illud Capreol., C jet. Ferrara locis relatis, & communiter Thomistę hîc, & sine dubio, est falsissimum, inquit Mag. Catalam, si intelligatur de cognitione formali, ut est operatio intellectus, & aliquid distinct. in à concepto, vel verbo pertinens ad genus intelligibile activum, nam si procedit esset formalis similitudo objecti cogniti, esset similitudo expressa ab intellectu media specie impressa, ergo frustra, & sine ulla necessitate constitueretur verbum, seu species expressa, ut terminus ejus. In quo autem consistat essentialis ratio intellectionis dicemus infrà. Ad probat. ex D. August. respond. quòd priori loco nomine notitiæ non intelligit vitalem actionem intellectus, sed conceptum expressum, qui est ejus terminus, & formaliter ipsum verbum, quod evidenter colligitur ex eo, nam cap. 10. sic incipit rectè quæritur *utrùm omnis no-titia*

tia verbum ; an tantùm à materia notitia ? novimus enim ea, quæ odimus. Et circà finem cap. inquit *verbum speciali ratione acceptum sic definiri*. *Cum amore notitia*. Et sensus ejus est, quòd verbum in hoc rigore acceptum se habet ut inferius ad notitiam, quià omne verbum est notitia, sed non omnis notitia est verbum, sed ea tantùm, quæ est cum amore. Et cap. 11. semel, & iterum repetit, *notitiam esse verbum si sit cum amore*. Et quamvis affirmet, dum Deum novimus, produci in intellectu similitudinem Dei, quæ est notitia, & verbum, sine fundamento tamen adducitur ad probandum in visione beata produci verbum, quià expressè loquitur de cognitione imperfecta Dei, quæ habetur à viatoribus.

Ad posteriorem locum dicimus, quòd dum enarrat illud Joan. 1. *Cum apparverit, similes ei erimus* docere quidem tunc nos futuros plenè similes Deo, cum acceperimus plenam ejus visionem; sed aliud est media visione nos assecuturos plenam Dei similitudinem, aliud verò, quòd ipsa visio sit formaliter perfecta Dei similitudo. Hoc secundum nec somniavit, primùm verò docet, sed ad ejus veritatem satis est, quòd visio sit assecutio Dei, & id quo medio divina essentia in ratione speciei expressę, aut verbi unitur intellectui in actu 2. Sicut enim per unionem divinæ essentiæ in ratione speciei impressæ fiunt beati similes Deo in actu primo, ità per visionem ejusdem in ratione verbi, quæ fit media visione, fiunt in actu 2. plenè similes Deo.

Ad D. Anselmum similiter dicimus, quòd non accipit cognitionem formaliter, ut actio vitalis est, sed indistinctè prò conceptu, & verbo, sicut Augustinus notitiam; & in hoc sensu explicari possunt alii SS. PP. appellantes cognitionem similitudinem rei cognitæ. Vel dici etiam potest, quòd largè, aut generaliùs accipiant similitudinem, nempè prout effectus proprius dicitur similitudo suæ causæ, eo modo, quo D. Thom. in art. lumen glorię appellat similitudinem Dei &c.

II. Arg. ad idem, (& potest esse replica, admisso etiam quòd species quiditativè repræsentans objectum debeat esse ejusdem ordinis cum illo in esse repræsentativo. Quia nulla est repugnantia, quòd species, quæ entitative est creatura, sit Deus repræsentativè, ergo, prob. ant., tum quia esse repræsentativè Deum, (& sic de aliis objectis) nihil aliud est, quam quòd sua repręsentatione terminetur ad id, quod est Deus, sed hoc, ut patet, non repugnat creaturæ, ergo. Secundo quià non repugnat, quòd id, quod est entitativè accidens, & ens in alio, sit repræsentativè substantia, & ens per se, ut patet in qualibet creatura quiditativè rapręsentante substantiam, ergo nec repugnabit, quòd id, quòd entitativè est creatura, vel ens per participationem, & dependens, sit repræsentativè ens à se, vel independens, sive Deus &c.

Urg. hoc. Ex eo quòd aliquid sit repræsentativè substantia, vel ens per se non sequitur, quòd sit tale in esse entitativo ergo, ex eo quòd species creata esset Deus in esse repręsentativo non propterea deberet esse in esse entitativo.

Explic., & urg. ulteriùs totum hoc, (& præoccupatur solutio.) Ille quartus ordo, seù gradus immaterialitatis, qui tantùm reperitur substantialiter in uno individuo, scil. Deo, non est repugnantia, quòd reperiatur in aliis accidentaliter, ut patet in lumine glorię, in gratia habituali, & in aliis hujusmodi, qui sunt ordinis divini, non quasi reperiatur in illis ordo divinus substātialiter, sed quia id, quod est substantia in Deo reperitur in illis accidentaliter, ergo poterit similiter reperiri idē ordo accidētaliter in specie id est Deum quiditativè repræsentante, quatenus scil. habebit continere accidētaliter id, quod in Deo est substātialiter, ità ut verificari possit, quòd sit ejusdem ordinis cum Deo ut in se est, saltem ut repræsentato &c.

Ad hoc nego antecedens, ad 1. prob. nego ma., quià omninò requiritur, ut probavimus, convenientia univoca adhuc in gradu specifico, si velimus posse quiditativè rapræsentare, unde repræsentatio quiditativa, quam exercet species fit indispēsabiliter per hoc, quòd prædicata quiditativa rei præcontineantur in ipsa specie, neque enim potest quiditativè repræsentari homo, nisi per id, quod est homo in esse repræsentativo, sicut nequit quoad effigiem &c., ut dictum est, raprǽsentari Rex nisi per id, quod hujusmodi accidentia, vel delineamenta Regis continet habens in illis convenientiam univocam cum Rege, aliàs in calce imaginis oportebit indicare, quod est imago Regis; unde si aliter fieret repræsentatio, nempè per id, quod est inadæquata participatio objecti repræsentati, ut est qualibet creatura respectu Dei, magis erit repræsentatio, ut insinuavimus, per modum effectus, quam per modum formæ, in quo appareant prædicata quiditativa illius; cum ergo Deus, qui est ens per essentiam, & actus purus, nequeat reperiri in aliquo, quod Deus per essentiam non sit, sed pura, & deficiens participatio ejus, in quocunque modo essendi reali ponatur, & consequenter perpetuò quid potentiale, impossibile est quòd per aliquod creatum possit quiditativè repræsentari.

Quòd si iterum contendatur repræsentationem formalem non debere fieri per ipsamet prædicata quiditativa rei in esse intentionali, cui præcipua vis nostræ doctrinæ innititur: jam sufficienter impugnatum est; nam planè repræsentatio quiditativa, (& in universum repræsentatio quæcunque sit,) nequit fieri nisi per id, quod est simile in eo, quod repræsentatur, nam per id, quod non est simile, non repræsentabitur tale objectum, sed aliud distinctum; sed omnis relatio similitudinis, ut dicebamus, fundatur in aliqua unitate, & convenientia juxtà mensuram repræsentationis, ergo si est repræsentatio quiditativa debet indispensabiliter importare unitatem, & convenientiam formalem specificam, vel quiditativam.

Deinde hæc repræsentatio formalis, vel quiditativa nequit consistere in hoc, ut etiam insinuavimus; quòd repræsentetur res per aliquem suum effectum, vel quòd iste per suam causam, ità ut immediatum repræsentatum, sit causa, ex cujus cognitione deveniamus in cognitionem effectus; vel sit effectus, ex cognitione cujus deveniamus in cognitionem causæ, aliàs ut vidimus, modo creaturæ repræsentarent quiditativè Deum, i. à, ut ex his vilis deveniremus in cognitionem ejus quiditativam, quod est alienum, requiritur ergo, quòd id, quod immediatè repræsentatur per speciem sit ipsummet objectum; hoc autem intelligibile est, quòd fiat illi per hoc, quòd ipsa prædicata objecti præcontineantur in specie, & per quorum exhibitionem formalem fiat rei formalis repræsentatio. Si enim species non exhibet v. g. hominem, debet aliud distinctum ab homine exhibere, & tunc immediatum repræsentatum non erit homo, sed illud distinctum, homo enim formaliter exhiberi non potest nisi per prædicata hominis, alia enim prædicata, sicut definire non possunt, nec constituere hominem, ità nec exhibere, ut per se patet ex terminis, unde sicut dialecticè oratio explicativa

cativa naturæ hominis, necesse est quòd contineat animal, & rationale, quæ sunt prædicata constitutiva naturæ illius; & sit formaliter ipsum definitum, quod est homo, modo alibi explicato; ità intentionaliter species repræsentiva formaliter naturæ alicujus objecti continere debet prædicata quiditativa illius, & esse formaliter ipsum objectum, aliàs non repræsentabit formaliter illud, sed quid distinctum, sicut nec eadem oratio formaliter explicaret naturam hominis, si non contineret prædicata constitutiva illius, sed magis quid distinctum ab homine.

Ad 2. probat. patet ex dictis esse latissimum discrimen, quòd accidens non solum potest pervenire ad gradum immaterialitatis substantiæ, ut dictum est, de specie angelica, sed etiam superare illam quoad hoc prædicatum, ut patet de specie repræsentativa lapidis, vel coloris, quæ quid spiritnale est, & tamen objectum repræsentatum est quid corporeum, vel materiale: cæterum nulla creatura in universum pervenire potest ad gradum, vel immaterialitatem actus puri convenientem Deo, in quocunque modo essendi reali ponatur, quia perpetuò, ut dictum est, est ens per participationem, & consequenter potentiale. Præterquamquòd, ut vidimus in primo physic., licet accidens in esse entis, vel prout est analogum analogia attributionis, sive ut est entis ens, vel quoad prædicatum inhętentiæ, vel existentię dependeat à substantia, in genere tamen intelligibili, vel scibili, in quo non attenditur hęc inhærentia, non habet hujusmodi dependentiam, sed ut dictum est, potest esse primum, & ingredi lineam radicis, vel mobilis radicaliter, & univocè convenire cum illa, sicut hac etiam ratione, ut insinuavimus suprà; ens rationis cum ente reali, quia non attenditur tunc per habitudinem ad illud, sed magis ad scientiam cujus est directiva. Unde de ipsa etiam substantia in secundo ibidem dictum est, quòd in eodem genere intentionali, in quo non considetatur, ut principium per se ordinatum ad esse, non prohibetur esse proximè operativa, ut patet in substantia angelica proximè efficienter concurrente in ratione speciei intelligibilis ad cognitionem sui, quia nempè ex hoc, quòd sic ex propriis sit immediatè ordinata ad esse, impeditur esse immediatè operativa, Id autem materialiter se habet in genere intentionali &c.

In forma ergo nego conf., ob discrimina assignata, nam esse ens per se, & in alio, sive esse substantiam, & accidens materialiter se habent ad rationem speciei, vel repręsentativi, ut dictum est; unde non impediunt illam, esto forma accidentalis sit, ut pervenire possit ad ordinem, vel gradum immaterialitatis substantiæ, vel etiam superare illam, nam immaterialitas creata, quæcunque illa sit, non dicitur tantùm in recto de prædicamento substantiæ, sed etiam de illo accidentis, seu vagatur per omnia genera, sumpto pręcipuè accidente non attributaliter, ut dictũ est, seu ut est analogum analogia attributionis, sed proportionaliter, seu ut est analogũ analogia proportionalitatis, vel prout in recto dicitur essentialiter ens, sic enim potest esse materialius illa. Quibus obiter addo (de quo infrà,) quòd licet certum sit rationem substantiæ, ut abstrahit à creata, & increata, esse perfectiorem simpliciter ratione accidentis communis ad naturale, & supernaturale, tamen probabile est rationem accidentis ut sic, non esse imperfectiorem substantia creata, quia continet gratiam sanctificantem, quam probabile est esse perfectiorem simpliciter omni substantia creata, quia est formalis participatio divinæ naturæ, ut subtiliter advertit Mag. Catalã infrà ad ar. 5. dub. 6. ad primum. Ex quo etiam patet posse accidens non solum intrà ordinem naturæ, vel in genere intentionali, aut diminuto posse æquare, aut etiam superare substantiam in perfectissimo prædicato immaterialitatis, sed etiam in superiori ordine, sive supernaturali posse simpliciter excedere illam; cęterum creatura in nullo potest sic se habere in ordine ad Deum, cum in nullo possit non esse ab alio, sive finita, potentialis, & dependens sub quolibet sui conceptu, nam sicut sub illo entis dependet à divina entitate, ità sub illo intelligibilis ab intelligibilitate divina saltem tanquam ab exemplati, & ideò sub nullo potest univocè convenire.

Ad 1. confirm. nego conseq., quià, ut jam insinuavimus, & constabit infrà, saltem gratia materiæ teneretur etiam in esse entitativo, cum semel perveniens in aliquo modo essendi reali ad gradũ, vel ordinem immaterialitatis divinæ, sit actus purus in illo, nec distinguantur in Deo esse, & intelligere, unde in nullo posset amplius limitari.

Ad 2. miratur valdè Magister Ferre aliquos ex una parte concedere (quòd tamen judicat falsissimum) ipsissima prædicata Dei reperiri in gratia habituali cum solo discrimine, quòd in Deo sint substantialiter, & in gratia accidentaliter, & nolle ex alia hoc ipsum concedere speciei impressæ secundum esse intelligibile, nam si semel ratio participationis, & potentialitatis non obstat in gratia, lumine & aliis hujusmodi, nec videtur posse obstare in specie, vel si semel obstat in specie etiam obstare debet in gratia, & meritò, quia ratio participationis creatæ divinis prædicatis essentialiter repugnat, cum omnis participatio Dei sit essentialiter, ut dictum est, quid potentiale, unde non minus repugnat, quòd ratio actus puri contineatur in aliquo potentiali, quàm ratio infiniti in aliquo finito, ipsissima autẽ prædicata Dei, sunt prædicata actus puri, non minus, quàm prędicata entis per essentiam, vel simpliciter infiniti &c.

Resp. ergo cum eodem, & conformiter ad superiora dist. ant., non est repugnantia, quòd reperiatur in aliis inadæquatè, & deficienter, conc., aliter, nego; non enim gratia, & alia hujusmodi dicuntur ordinis divini, quasi in recto sint talis ordo, vel Deus, hoc enim est impossibile, aliàs ens per participationem, aut dependens non essent, sed quia formaliter participant de ordine illo, salvo semper conceptu creaturæ, & effectus Dei, & consequenter solum in aliquo affirmari potest idem ordo de illis, idest tanquam de effectibus, in quibus relucet inadæquata similitudo cum Deo, v. g. cum gratia sit formalis participatio naturæ divinæ, sicut hæc est radix amandi, & videndi se ipsam modo infinito, ità gratia est radix videndi, & amandi Deum modo finito; unde ratio Deitatis ad Deum, & ad gratiam non dicitur analoga analogia proportionalitatis, sed tantùm attributionis, quia solum in Deo reperitur ratio analoga formaliter, & in gratia tantùm, ut in effectu non adæquante virtutem causæ, ex sola habitudine ad naturam divinam, cujus est inadęquata participatio, & sic est ordinis participativè, & per modum effectus non in recto, & essentialiter, aut per modum continentis ipsissima Dei prædicata, ut requiritur ad speciem formaliter repræsentativam divinę essentię, ut probatum est &c.

§. V.

§. V.

Solvuntur alia Argumenta etiam contra ſecundam ſolutionem.

Tertiò arg., & iterùm eſt replica cont. ſuperiora impugnando ſimul alteram, ſeu tertiā rationem D. Tho. Licèt ad repræſentandum objectum infinitum, & ordinis ſupremi modo infinito requiratur ſpecies infinita, & ejuſdem ordinis eſſentialiter, tamen ad repræſentandum illud modo finito ſufficit ſpecies finita, & ejuſdem ordinis participativè, ſed ad videndum Deum non requiritur, quòd repræſentetur modo infinito, ergo nec requiritur ſpecies infinita, nec ejuſdem ordinis in recto, vel eſſentialiter in repræſentando; min. patet, quia Deus non videtur ab intellectu creato lumine, aut viſione infinita, ſed finita, & ideò modo finito, ergo nec requiritur ut repræſentetur intellectui modo infinito; maj. verò prob., licèt ad cognoſcendum objectum infinitum modo infinito requiratur cognitio, & lumen infinitum, tamen ad cognoſcendum illud modo finito, ſufficit lumen, & viſio finita, ut patet in Beatis, & ratio utriuſque eſt, quia repræſentatio, & cognitio non debent proportionari, aut commenſurari cum objecto, ut in ſe eſt, ſed juxta modum, quo attingitur, & repræſentatur, ergo ſi tantùm repræſentatur, & attingitur modo finito, eſtò infinitum ſit, non petit lumen, aut cognitionem, & ſpeciē infinitam, & ejuſdem ordinis eſſentialiter &c.

Expl., & urg. hoc præoccupando ſolutionem. Sicut ſpecies impreſſa eſt repræſentatio Dei ut in ſe eſt, ita viſio beata eſt cognitio illius ut in ſe eſt, ſed hæc non tenetur ex hoc eſſe infinita, & ordinis Divini eſſentialiter, ergo nec tenebitur ſpecies; prob. conſ., quia hac ratione contenditur infinitas in illa, & identitas ordinis eſſentialiter, quia nempè eſt repræſentatio quiditativa, ſive Dei, ut in ſe eſt, ſed non minùs viſio eſt cognitio quiditativa Dei, vel ut in ſe eſt, ergo ſi ad hoc non exigitur quòd ſit infinita, vel ejuſdem ordinis eſſentialiter, nec exigi debet in ſpecie &c.

Ad hoc patet primò eſſe retorquendum ut ſupra, deinde nego maj., ſi intelligatur ut debet, de repræſentatione quiditativa evidenti objecti ſubſtantialiter infiniti, quale eſt Deus; ad prob. nego conſ., quia cùm viſio, & lumen ſint de genere intelligibili activo, ut dictum eſt, & conſequenter ſe teneant ex parte potentiæ, ut virtus, & actualitas ejus, non debent commenſurari cum objecto, cujus nec ſunt repræſentatio, ſed cum potentia, unde cùm hæc ſit finita, & modo tantùm finito tendere poſſit ad objectum quodcumque ſit, non tenentur eſſe quid infinitum, vel ejuſdem ordinis eſſentialiter cum objecto, eſtò iſtud ſit infinitum, & ſupremi ordinis, cæterùm ſpecies eſt de eodem genere paſſivo, & virtus objecti, & immediata repræſentatio ejus, ſi ſemel quiditativè repræſentat, unde non debet commenſurari lumini, nec potentiæ, aut cognitioni ejus, ſed immediatè objecto, ut in ſe eſt, & eſſe ejuſdem ordinis quiditativè cum illo, & conſequenter quantùm eſt ex ſe repræſentativa omnis perfectionis eſſentialis, & infinita in eſſe repræſentativo, alioquin non eſſet quiditativè objectum ipſum in eſſe repræſentativo, de quo videri poteſt Cabrera 3. p. ubi ſupra, egregiè oſtendens præfatum diſcrimen. Ex his patet etiam ad probation. annexam, ſicut & ad confirm., ubi iterùm confunditur inter id, quod ſe tenet ex parte potentiæ, & quod ex parte objecti, nam primum ut eſt v. g. viſio, & ſic proportionabiliter de lumine, non eſt formalis repræſentatio, ſed pura tendentia ad objectum, unde ſufficit, quòd ſit ordinis divini participativè, nam de ratione illius non eſt, quòd ſit Deus, ſed quòd dicat habitudinem ad Deum, ſicut eſt in ſe.

4°. Arg., & adhuc eſt replica contra ſuperiora. Ut forma creata quiditativè repræſentet Deum, non eſt neceſſarium, quòd ſit Deus in recto, aut ordinis ejus eſſentialiter, ſive quòd in recto perveniat ad divinam immaterialitatem, ſed ſufficit, quòd participativè, & in obliquo, ſed hoc illi non repugnat, ut fatemur omnes, ergo, prob. maj. proſequendo alia via ſuperius exemplum. Ut accidens quiditativè repræſentet ſubſtantiam non eſt neceſſarium, quòd ſit ſubſtantia in recto, aut in recto perveniat ad ejus immaterialitatem, & ordinem, ſed ſufficie, quòd in obliquo, cùm accidens ſit eſſentialiter antis ens, ergo ad repræſentationem quiditativam non eſt neceſſaria identitas in recto cum objecto in immaterialitate, & ordine &c.

Ad hoc nego ant.; ad prob. nego iterùm ant., & ſuppoſitum ejus, quòd accidens quiditativè repræſentans ſubſtantiam ſolùm in obliquo, & deficienter perveniat ad ejus immaterialitatem, & non magis ſit ſubſtantia in recto in eſſe repræſentativo, ut dictum eſt, unde ad probation. annexam, ut jam inſinuavimus, diſtinguendum eſt, nam dupliciter dicitur ens, nempè vel prout analogatur cum ſubſtantia analogia attributionis, hoc eſt ex ſola habitudine, quam dicit ad illam, & hoc modo non dicitur ens, ſive ens in recto, vel ſine addito, ſed entis ens, quia ut vidimus in logicis, in analogia attributionis ratio analoga ſolùm reperitur formaliter in principali analogato, & in aliis tantùm per attributionem, vel habitudinem ad illud; ſecundò dici poteſt ens, ut analogatur in ente cum ſubſtantia analogia proportionalitatis, & ſic dicitur ens in recto, & eſſentialiter, nam licèt non ſit id, quod eſt, ut *quod*, quia hoc ſolum convenit ſubſtantiæ, dicitur tamen abſolutè ens conſtans ſua peculiari exiſtentia, proportionabiliter tamen ad ſubſtantiam; ſicut enim ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita accidens ad ſuum, quod ſatis eſt ad participandum in recto gradus immaterialitatis, quos in recto participat ſubſtantia, quia, ut dictum eſt, immaterialitas creata, quæcumque ſit, non limitatur ad genus ſubſtantiæ, ſed divagatur per omnia prædicamenta, qua ratione non in ſola ſubſtantia, ſed in accidentibus reperitur ſufficiens immaterialitas ad ſpecificandas ſcientias, quæ ſpecialiter tractant de illis, immò etiam, ut dictum eſt, in eadem immaterialitate ſpecifica communicant cum illa, ut probabiliſſimè ſuſtinuimus in phyſicis de mobili ſubſtantiali, & accidentali; cæterùm de nullo ente creato, aut creabili verificari poteſt, quòd ſit Deus in recto, aut pervenire poſſit ad immaterialitatam divinam, vel actus puri, in quocumque modo reali eſſendi ponatur, ſalvo conceptu entis creati, unde gratia, lumen gloriæ, viſio &c. licèt ordinis divini ſint, non tamen ſunt Deus in recto, neque ens divinū, neque iſtud dicitur analogum analogia proportionabilitatis de Deo, & creaturis, ſed tantùm attri-

butionis, & solùm inadæquatè convertibiliter de Deo, & sic optimè stat quòd id, quod est accidens in esse physico, possit esse substantia in esse intentionali, & repræsentativo, in hoc esse continendo illam, cum qua communicat in recto in immaterialitate, & actualitate, quod tamen nulli enti creato, sive in esse physico, sive in intentionali convenire potest respectu Dei, vel immaterialitatis ejus, utpotè actus puri in quocumque esse repugnantis creaturę potentiali indispensabiliter in omni &c.

Sed instas; licet Deus sit in gradu actus puri adhuc tamen in probabili sententia etiam inter Thomistas admittitur identitas inter ipsum, & intellectum creatum, sic quòd non sola species sit idem cum objecto, sed etiam intellectus mediante specie, ergo puritas hujus ordinis non obstat huic identitati creaturæ, cum Deo in esse intentionali.

Resp. nego conseq. loquendo de identitate speciei ob multiplex discrimen inter illam, & intellectum comparativè ad objectum, nam primò differunt in eo, quòd intellectus non est, sed fit, species autem est veluti intransitivè, cum sit formalis repræsentatio ejus, & ideò debet esse in illa plenitudine immaterialitatis, in qua est objectum saltem quoad gradum, vel ordinem; secundò quia intellectus dicitur esse idem per modum subjecti, cujus proprium est limitare, species autem per modum formæ, & actus, qui ampliat, non limitat; tertiò quia intellectus non fit quasi per se primò; sed secundò, & mediatè, quod est fieri deficienter, forma autem per se primò; unde sicut de ratione agentis per se secundò est agere cum dependentia, & defectu in linea operativa, non tamen de ratione agentis per se primò, ità de ratione similis per se primò comparativè ad Deum visum est esse similitudinem sinè defectu, non tamen secundò &c.

Sed instas. Sicut habet intellectus, unde limitetur, & sit idem deficienter, ità pariter habet species suum limitativum, ergo poterit esse idem cum objecto sine adæquatione, vel identitate in gradu, vel ordine immaterialitatis cum illo; prob., ant. quia species cujuslibet objecti etiam in esse repręsentativo, & intelligibili mensuratur ab objecto, ergo habet limitativum suę identitatis, & convenientię, ne scil. possit esse ejusdem omninò naturæ, aut univocè convenire cum illo, conseq. tenet, quia ratio mensurabilis importat limitationem, & finitatem, ut per se patet, nec potest etiam inter res ejusdem omninò quiditatis esse causalitas mensurati, & mensuræ; ut patet inter duo individua ejusdem naturæ, ut inter duos homines, quorum nequit unus mensurari ab alio; ant. etiam constat ex dictis in logicis explicando tertium genus relationis, quę est mensurabilis ad mensuram, scil. ad objectum,

Urg. hoc. Si essent ejusdem omninò quiditatis non posset sic referri ad illud relatione mensurabilis, vel tertii ordinis, conf. est contrà meritum speciei, ergo, prob. ma., implicat, quòd eadem quiditas referatur ad se ipsam relatione reali, vel mensuretur realiter à se ipsa, relatio enim realis est necessariò inter duo extrema distincta, ut vidimus ibidem, ergo.

Resp. nego ant. loquendo formaliter de specie, vel secundum suum esse repræsentativum; ad probat. dist., & explic. ant., mensuratur ab objecto facta reduplicatione modi, conc., nulla facta reduplicatione illiùs, nego, prędicata ergo objecti, seù quiditas constituta ex illis, possunt dupliciter considerari, vel secundum modum naturalem, quem habent in illo, vel secundum intentionalem, quem habent in specie, nam quia species, vel esse ejus intentionale est propter ipsam repręsentationem objecti, necesse est ut species est, pręcontineat eadem prędicata, vel quiditatem objecti constitutam per illa, & ad illud referatur relatione similitudinis tanquam ad mensuram, at non sub eodem modo essendi, scil. naturali, sub quo sunt in objecto, (sic enim esset manifesta repugnantia; nam secundùm idem referretur, & mensuraretur à se ipsa, quod implicat) sed sub diverso, scil. intentionali, & diminuto, & consequenter, quòd eadem prędicata sub hoc esse referantur, aut mensurentur à se ipsis sub alio esse, vel modo essendi, quod non solum non repugnat, sed est omninò necessarium, si velimus habere quiditativam repręsentationem, & cognitionem objecti, quia sine continentia eorum nequit haberi repræsentatio formalis, & quiditativa, ut probatum est, & sine repræsentatione cognitio quiditativa, vel visio. Unde prędicatis uniuscunque rei non convenit pręcisè secundum se repræsentari, & repræsentare, & consequenter nec mensurari, & mensurare, sed ex reduplicatione alicujus modi essendi, in quo inveniuntur, qui si sit naturalis facit repręsentari, & mensurare, si verò intentionalis, repræsentare, & mensurari cum esse intentionale, ad quod pertinet species, sit, ut dictum est; propter repręsentationem objecti; nulla est autem repugnantia, quòd hæc duo secundum prędictam diversitatem modi essendi illis conveniant. Per quòd patet ad probat. conseq., & etiam ad confirmat, quę tantùm convincunt sistendo intrà eundem modum essendi.

Sed instas, ergo ad salvandam dependentiam mensurati à mensura, & conseq. limitationem, & potentialitatem in specie quiditativè repræsentante objectum sufficit sola disconvenientia in modo, ergo salvis hujusmodi imperfectionibus speciei creatę convenientibus poterit hęc quiditativè repræsentare Deū; 1. conseq. tenet ex solutione data, posterior verò prob., quia semper esset disconventia in modo, ergo si hæc sola sufficit ad salvandas prædictas imperfectiones in specie quiditativè repræsentante objectum, poterit species creata quiditativè repręsentare Deum salvis omnibus suis imperfectionibus.

Respond. conc. 1. conseq., nego 2. & suppositum ejus, quòd in ordine ad Deum clarè visum, ut in se est, possit esse convenientia in natura cum disconvenientia in modo, nam quidquid fit de quocunque alio objecto finito, cum natura divina sit essentialiter infinita, actus purus, & independens sub omni ratione tā in esse physico, vel naturali, quàm in intentionali, vel intelligibili, non stat speciem semel univocè convenire in natura cum Deo continendo prædicata quiditativa ejus, & differre deinde in modo, ità ut possit ei convenire modus aliquis realis finitus, potentialis, & dependens, ratione cujus possit ab objecto mensurari, hoc enim solū verificari potest de natura finita, quæ ratione suæ finitatis potest aliquomodo, scil. secundùm prædictos modos separari, ut sic dicamus, à se ipsa, & secundum alterum, scil. intentionalem, vel ut stat sub illo, mensurari à se ipsa, ut stat sub alio, nempe, naturali.

Sed adhuc instas: licet natura creata, v. g. hominis infinita non sit, est tamen absoluta secundum prædicata sibi essentialia ab omni respectu transcendētali, sed nihilominus ut stat sub modo speciei, vel intentionali potest dicere hunc ordinem, & specificari, aut mensurari salvo sui esse absoluto, ergo etiam natura divina

na esto infinita sit, poterit tamen sub modo intentionali aliqoomodo limitari, aut finitè repræsentari salvo sui esse infinito.

Explic. hoc. Sicut natura divina secundum modum naturalem est essentialiter infinita, ità natura hominis secundum eundem modum est essentialiter absoluta ab ordine transcendentali ad se ipsam, sed nihilominus, quia forum intentionale est respectivum, potest intrà illud dicere talem ordinem, ergo quia idem forum est diminutum, poterit natura divina intrà illud aliquomodo diminui, & limitari salva sui infinitate.

Explic., & urg. hoc ulteriùs. Quamvis eadem natura divina sit essentialiter independens, & terminus dependentiç creaturarum à se ipsa, & conseq. intrà forum entis nullam possit habere univocam convenientiam cum illis, potest tamen habere illam intrà illud scibilis, ut patet ex dictis in metaphysica, quæ utpotè una scientia secundum speciem respicit omnia sui objecta, scil. ens ut sic, vel ens reale ut sic, & conseq. tam creatum, quam increatum, ut conveniunt in eadem unitate specifica, ergo licet pariter sit infinita, & illimitata, ità ut intra genus entis contineri non possit in aliquo limitato, & finito, bene tamen intrà genus intelligibile, vel intentionale.

Resp. ad instantiam dist. ant., est absoluta sub omni modo, sub quo potest esse, nego, ub naturali, conc., nam sicut illa finita est, ità pariter finita sunt prædicata ejus, & limitatè illi conveniunt, unde non est necessarium, quòd ratio absoluti conveniat illi sub omni reduplicatione, & modo, sed tantùm sub modo naturali, unde non est ità cōveniens, ut ex illud t r. spectū sub omni, cæterum essentia divina est infinita, & illimitata sub omni, unde nequit limitari, aut contineri sub aliquo in aliquo finito, & potentiali.

Ad 1. explic., nego suppositum, quòd natura divina sit talis solum secundum esse, vel modum naturalem, sicut secundum illum tantum est absoluta natura hominis, ut dictum est, unde nequit illa limitari sub altero modo, sicut potest hæc referri sub illo.

Ad 2. nego conseq., & discrimen patet ex dictis, quia genus scibile fundatur in connexione prædicatorum, quæ non solùm enti increato, sed etiam creato, imò & enti rationis potest simpliciter convenire cum suis proprietatibus, genus verò intelligibile, & repræsentativum in immaterialitate, vel actualitate, quç nulli creaturæ convenire potest per exclusionem totius potentialitatis, sicut convenit Deo, & ideò nulla potest in hoc genere pervenire ad convenientiam univocam cum Deo per continentiam, & repræsentationem formalem divinæ naturæ &c.

Ult. arg., & urg. præcedens ex his, quibus alibi etiam arguebamus in lib. de anima ad probandum speciem non posse esse ejusdem naturæ, vel quiditatis cum objecto. Quæ habent diversa essentialiter prædicata nequeunt esse ejusdem essentiæ, vel quiditatis, sed in genere intelligibili, species impressa, vel expressa, & objectum habent prædicata essentialiter diversa, ergo non sunt ejusdem quiditatis, prob. mi., species intelligibilis, sive impressa, sive expressa dantur à natura ut repræsentent, & sint signum, objecta verò ut sint, non verò ut repræsentent, vel significent, ergo.

Urg. 1. nam species impressa, & expressa habent in genere intelligibili prędicata essentialiter diversa, ergo habent pariter diversa ab objecto, cons. tenet, quia si haberent eadem prædicata objecti, non possent inter se quiditativè distingui, ut patet; ant. etiam constat ex dictis, quia impressa se tenet ex parte actus 1., & antecedit intellectionem, expressa verò ex parte 2., ut terminus ejus, ergo.

II. & simul urg. totum hoc. Nam esse intelligibile objecti est prædicatum intrinsecum, & transcendentaliter imbibitum, & identificatum cum entitate ejus, ergo impossibile est, quòd forma realiter distincta habeat identificari, vel esse ejusdem intelligibilitatis atomæ cum illo, nisi velimus posse esse idem realiter, quæ semel realiter distinguuntur, nam hac ratione diximus in logicis, non posse partes substantiæ esse realiter idem ante actualem quantitatem, si semel realiter distinguuntur sub ista &c.

III. Et urg. ulteriùs: quia si utraque esset eadem quiditas, vel idem cum objecto, deberent pariter esse idem inter se, nam quæ sunt eadem uni tertio sūt idem inter se, conseq. est falsum, ut dictum est, ergo.

Ex quo etiam infertur, quòd in creatis supposita eadem identitate cum 3., & reali distinctione inter se videtur admitti mysterium Trinitatis consisteos in reali distinctione personarum inter se, cum identitate earum cum 3., scil. cum essentia, cum tamen in hoc puncto Trinitas, & unitas divina superet omnia creata, & creabilia, ergo dari nequit, quòd eadem natura objecti sit simul in illo, & in speciebus realiter distinctis, vel quòd identificetur cum esse suo naturali, & iterum cum esse intentionali specierum, quæ sunt duo esse realiter inter se distincta.

Huic arg. non desunt etiam de schola Thomistica, qui videantur aliquomodo succumbere, nam quidam recentior non ità existimat speciem impressam continere naturam objecti, ut sit ejusdem speciei cum illo, sed tantùm dicit prçcontinere illam repræsentativè, quatenus nihil est in objecto repræsentatu, quod non repræsentetur per speciem impressam, non autem ad hunc sensum, quòd ipsa natura objecti, quæ repręsentatur, scil. sub esse naturali, ut dictum est, sit ipsamet, qua posita sub esse intentionali, species eam repræsentet, scil. sub priori esse, sive quòd ipsamet posita sub esse intentionali speciei repræsentet se ipsam sub altero esse naturali; unde non sit eadem omninò sub utroque esse.

Sed hæc solutio ut latè patet ex dictis nec in bona metaphysica, nec in doctrina D. Thom. sustineri potest, quià ut vidimus ex eodem; cum species non repræsentet nisi in quantùm similis, sive ut dicens relationem similitudinis ad objectum, & hæc relatio teneatur omninò fundari in unitate, & convenientia, impossibile est quòd quiditativè repręsentet non habens univocam, & specificativam convenientiam cum quiditate ejus, unde D. Tho. 3. cont. gent. cap. 49 ratione 2. inquit; *similitudo intelligibilis, per quam in eligitur aliquid secundum suam substantiam opportet, quod sit ejusdem speciei, vel magis species ejus, sicut forma domus, quę est in mente artificis est ejusdem speciei cum forma domus, quę est in materia, vel potius species ejus; non enim per speciem hominis intelligibile est de asino quid sit, sed ipsa natura substantię separatę non est idem specie cum natura divina, imò nec genere.* Ità D. Thom., & meritò, quia aliàs in eo, quòd non repręsentat, repręsentaret sine similitudine, vel in quantum non similis, quod repugnat in terminis, & ideò rectè infert impossibile esse, quòd Angelus per suam substantiam cognoscat Deum per essentiam. In quibus etiam ponderat Mag. Ferre, quòd quia ea, quę sunt ejusdem speciei possunt distingui numero videns D. Th.

quòd hoc non sufficeret ad perfectè intelligendum objectum, si per individuum unius speciei cognosceretur aliud ejusdem speciei, addit illam partem, *vel magis spec·es ejus*. Ut detur intelligi, quòd ad perfectam, & quiditativam repræsentationem objecti requiritur idẽtitas, vel convenientia specifica inter speciem, & objectum, ità ut species contineat eandemmet quiditatem objecti, licet sub alio modo essendi, scil. diminuto, utpotè per se instituto ut dictũ est; ad repræsentationẽ alterio·; ut etiã magis ad longum tradit in 4. dist. 49. qu. 2. art. 1., ubi in impugnando opinionem Avicenne aliis priùs rejectis, & adducens deinde plures modos deficiẽdi à ratione perfectæ similitodinis ad ostendẽdum, quòd per nullam similitudinem creatam possit quiditativè repræsentari Deus, inquit. *Ad hoc autem, quòd visus cognoscat albedinem opportet, quòd recipiatur in eo similitudo albedinis secundum rrtionem suę speciei, quamvis non secundm eundem modum essendi, quia habet alterius modi esse forma in sensu, & in re extrà animam, si enim fuerit in oculo forma citrini non diceretur videre albedinem. Et similiter ad hoc, quòd intellectus intelligat aliquam quiditatem, opportet, quod in eo fiat similitudo ejusdem rationis secundum speciem, quamvis fortè non sit idem modus essendi utrobique . . . . Et ità patet quòd per nullam similitudinem receptam in intellectu creato potest it. Deus intelligi, quod essentia ejus videatur immediatè*. Quod ut jam insinuavimus, repetit infrà q. 14. art. 1. in eo, quòd immaterialia, & cognoscientia distinguit ab aliis entibus materialibus, quòd illa possunt recipere formas aliorum secundum idem esse, licet non secundum eundem modum essendi, hæc verò secundum speciem tantùm, non per identitatem, sicut filius accipit naturam Patris, non eandem, quæ est in Patre, sed distinctam intra eandem speciẽ. Consonat hoc cum his, quæ tradit iterum infrà qu. 82., & alibi sæpè 22. qu. 23. art. 6. præcipuè ad 1., & qu. 22. de veritate art. 11. io corp., & iterum ad 2., nempè quòd soperiora deteriorantur ex eo, quòd sint in intellectu nostro illis inferiori, inferiora autem meliorantur ex eo, quòd sint in illo, quia scil. illa perfectiori modo sunt in se ipsis, quam in illo; hæc autem econtrà, lapis namque perfectiori modo est in intellectu, quàm in se ipso cum in illo sit immaterialiter, in se verò materialiter, Deus verò perfectiori, vel eminentiori modo est in se ipso, quàm sit in iotellectu, ex quo infert, quòd cognitio eorum, quæ sunt infrà nos nobilior est cognitio, sed eorum, quæ sunt supra nos dilectio cognitioni præfertur; at hæc doctrina verificari non posset, si ipsæ rerum naturę non essent in speciebus intentionalibus præcontentę, sed solum earum similitudines, ut patet, ergo juxtà doctrinam D. Thom. tenemur asserere, quòd essentię rerum, seù prædicata quiditativa earum gaudeant duplici esse, altero physico, & reali, vel naturali in se ipsis, altero intentionali in specie impressa. Et quidem si in intellectu non est natura objecti, sed similitudo ejus, cum planè similitudo v. g. hominis non sit homo, sed quid essentialiter distinctom ab illo, licet dicamus per illam non repręsentari leonem, vel, cervum implicat quòd possit repręsseotari natura hominis, nisi velimus quòd repręsentetur homo per id, quod non est homo, nam loquendo de perfecta, & quiditativa repræsentatione implicat in terminis, quòd fiat per id, quod est deficiens à perfecta ratione repræsentandi, & quid essentialiter distinctum à natura rei qualis est pura similitudo, vel umbra ejos, & maximè comparativè ad essentiam divinam in infitum excedentem quamcunque similitudinem creatam, ut egregiè ostendit D. Thom. in 4., ubi supra. Nam perindè est, ac si per similitudinem, vel imaginem Cęsaris quis velit repræsentari essentiam ejus, quamvis enim non repręsentetur, Leo per illam, implicat tamen, quòd repræsentetur, quòd sit animal rationale. Sed stando pręcipuè in doctrina D. Thom. non est ulteriùs circa explicationem hujus Recentioris immorandum, cum sit luce meridiana clarior.

Ad arg. ergo quod tangit non levem difficultatem latè ibid. in lib. de anima discussam, dico peculiare esse in hoc foro intentionali, vel intelligibili, quòd ea, quæ pertinent ad illud, duplici genere prædicatorum essentialium gaudere dicantur, altero subjectivo, & materiali, altero objectivo, & formali, cum objectum pro formali attendatur, tanquam regula, ut sic dicamus; totios intelligibilitatis, sicut subjectum in moralibus dicitur regula totius moralitatis, ut infrà explicatur 3. par. qu. 1. ad art. 2., ex quo fit, quòd licet attendendo ad utramque speciem, secundum illud esse subjectivum, & materiale, quo gaudent in se, prout una distinguitur ab alia, habeant pręⅾicata essentialia distincta ab objecto, & inter se, ut probatur in argumento, non tamen si attendamus ad esse objectivum, ob cujus repręsentationem sunt, quia ex meritis suæ lioeę non præcisè sunt, ut sint, sed ut alia sint, sive repræsentent; alia namque ut vidimus in 2. physic., sunt ut sint, ut substantia; alia ut oper otur, sive ut sin principia immediatè operativa, ot accidentia naturalia, alia verò, ot alia fiot, live ut repręsentent, ut hujusmodi accidentia intentionalia, vel species, & loquendo de his non solum non repugnat, imò tenentor esse ejusdem quiditatis cum objecto, & inter se, aliàs essent incapaces ad perfectè, & quiditativè repræsentandum, si non continerent ipsissima prędicata objecti, ut probatum est, imo etiam fieret ęquivocatio in conceptu ultimato, si eadem non apparerent contenta in illis, ut insiouavimus in logicis, agendo de speciebus repræsentativis entis ratioois, unde ob meritum hujus generis inteutionalis, quod est, ut aliud fit, cootrapositivè ad naturale, quod est limitatum, secundum quod una res ab alia distinguitur, optimè verificati possunt quę opponuntur, sine omni contradictione, quidquid sit io genere physico, vel naturali ob ejus limitationem &c.

In forma ergo dist. ma, quæ habent diversa &c. nequeunt esse ejusdem quiditatis in phoro physico, conc., in intentionali, nego, & præcipuè si solum habeant diversa diversitate materiali, ut in casu, & dist. mi. habent diversa, diversitate generis pro formali, vel objectivi, nego, pro materiali, vel subjectivi, conc., nam prædicata, quibos distinguuntur, magis pertinent ad earum esse dimioutum, vel subjectivum, quàm formalem, & objectivum, ad quod repræsentandum, & consequenter ideotificandum iostitutæ sunt. Per quod patet ad primam explicationem &c.

Ad 2. dist. cons., impossibile est quòd habeat identificari secundum modum esseodi naturalem, conc., secundum modom essendi ejosdem intelligibilitatis penes naturalem, & intentionalem, nego, quia licet impossibile sit, quòd stando io modo naturali utriusque possint duo realiter distincta identificari, secus verò in intentionali ob discrimen assignatum, sicut in simili

bile,

dictum est de substãtia translata ad hoc genus intelligibile, quod quia non consideratur in istu, ut per se ordinata ad essendum, sicut in physico, sed ad repręsentandum in ratione speciei, quam inducit, potest esse proximè operativa. Per quod etiam patet ad id, quod subditur de partibus ejusdem substantię quoad realem distinctionem, nam ibi est sermo de illis stando in modo naturali.

Ad 3. similiter dist. ma. deberent pariter indentificari inter se in eadem linea in qua identificentur, cum 3., concedo & sic etiam verificatur axioma dialecticum, in alia linea, in qua non identificantur, sed magis distinguuntur, nego solum enim tenentur identificari inter se in linea objectiva in qua identificantur cum 3., scil. objecto, in quo nulla est repugnantia, imò debitum sic identificandi ex meritis lineę intentionalis, vel repręsentativę, ut dictum est. Ad id verò, quod subditur de myst.rio Trinitatis, respond. non consistere istud præc sè in eo, quod idem reperiatur in pluribus realiter distinctis, sed quod sit in illis secundum suum esse naturale, & simpliciter tale, & sine sui multiplicatione ad eorum multiplicationem, sic enim reperitur natura divina in tribus personis realiter distinctis, quod non contingit in casu, in quo quiditatem, vel naturam objecti secundum esse naturale tantùm ponimus in uno, & solum intentionaliter in pluribus: Hac distinctione solvi possunt aliæ instantię, ne plus nimio immoremur, quia specialiter probant in genere physico, & de accidentibus hujus generis, vel intentionalibus, non in intentionali, vel de speciebus pertinentibus ad hoc genus, & institutis propter aliorum repræsentationem, vel ut alia sint &c.

Ultimò tandem arg. contrà 2. Possibile est dari speciem impressam quiditativè abstractivè repræsentantem aliquod attributum Dei v. g. justitiam, ergo possibile est dari etiam repręsentantem divinam essentiam, conseq. tenet, quia quodlibet Dei attributum essentialiter est suum esse, & actus purus sicut essentia, ergo si semel possibilis est respectu attributi, erit etiam possibilis respectu essentię; ant. prob. quia potest dari verbum quiditativè repræsentans aliquod attributum Dei, ergo etiam impressu, cons. iterum tenet ex dicendis qu. seq., cum non minus requiratur identitas ordinis in expressa, quam impressa, ant. videtur D. Thom. in 1. dist. 2. qu. 1. §. ult., ubi ait, intellectum videntium Deum per essentiam formare diversas conceptiones attributorum: & deindè probatur ratione, quia beatus videns Deum potest unum attributum distinguere ab alio, ergo & formare diversos conceptus eorum &c.

Ad hoc, vel nego ant., loquendo de illo quiditativè cognito, vel secundum quantitatem perfectionis, quam includit, ut in se est; vel dist., potest dari repræsentans attributum ut nostris conceptibus inadæquatè concipitur, idest prout consideratur secundum suam realitatem, & rationem formalem non considerata quantitate perfectionis, quam includit, ut in se est, transeat, vel concedo anteced., quia hoc non est cognoscere illud quiditativè, ut in se est, repræsentarans illud, ut quiditativè cognitum secundum rationem formalem, & quiditatem; quam, includit, ut in se est nego, quia ut rectè dicit argumentum, non minus est de ratione ejus esse suum esse, & carere omni potentialitate, quam de ratione divinæ essentię, esse unde nec minus repugnat speciẽ creatam ejusdẽ ordinis, vel gradus immaterialitatis cũ divino attributo.

Ad prob. ejus ergo ant., quia ut ostendemus infrà loquendo de quiditativa repręsentatione similiter est negandum de expressa, sicut de impressa tam respectu essentiæ, quam respectu cujuslibet attributi, ut etiam rectè innuit argumentum.

Ad 1. prob. ex D. Thom. dicimus non concedere ibi, quòd forment diversos conceptus per visionem Dei, ut in se est; hoc enim constabit esse impossibile, & supponit ibid. D. Thom. dum ait, quòd si beati juxtà cognitionem, qua vident Deum per essentiam, imponerent ipsi nomen, illud esset unum, nec significaret bonitatem tantùm, aut sapientiam tantùm, sed significata omniũ istorũ includeret, in quo apertè supponit, quòd per cognitionem, qua vident Deũ per essentiam, non forment partiales conceptus, quia aliàs juxtà illam cognitionẽ diversa nomina possent Deo imponere, quibus significarentur diversi illi cõceptus formales, & objectivi per illos repræsentati, unde solũ concedit vidẽtes Deum posse formare diversos conceptus per cognitionem vespertinam, quæ non est cognitio quiditativa evidens attributorum Dei, ut in se sunt, sed solum quoad an est evidentia in attestante, ut communiter dicitur 3. par. qu. 1 r. ad art. r. de cognitione, quam habet Christus de eisdem per scientiam infusam.

Ad 2. probat. transeat ant., & nego conf., quia non desunt plures Thomistæ, ut alibi insinuavimus in logicis, (& probabile existimat Cajetanus cap. 6. de ente, & essentia qu. 12. ad 3.) docentes Deum posse formare distinctionẽ rationis inter sua attributa, cui tamen repugnat habere partiales de illis. Juxtà cõceptus, ergo hanc sententiam ad distinguendum ratione attibuta satis est cognitionem, qua attinguntur, & verbum, ad quod terminatur esse virtualiter multiplicia, quod si virtualis distinctio non sufficit, ut plures volunt; dicendum est beatos per visionem Dei. quæ dicitur cognitio matutina, non posse distinguere attributa, sed tantùm per vespertinam qua diversos formant conceptus, unde aliud erit, quòd illos forment in visione, & aliud per visionem, quòd negamus &c.

Ex dictis inferimus 1. discrimen inter potentiam, & speciem ex una parte, & Deum in ratione quiditativè repræsentabilis, & cognoscibilis ex alia, quod quia quiditativa, vel perfecta repræsentatio fundatur supra identitatem in gradu immaterialitatis, vis verò cognoscitiva supra habitudinem, vel commensurationem, seù coaptationem potentiæ ad objectum, & Deus in gradu immaterialitatis sit adæquatè extrà quamcunque formam creatam, & creabilem, cum gradus ejus, ut dictum est, sit gradus actus puri, ideò per nullam est quiditativè, aut perfectè repræsentabilis; quia tamen in ratione etiam quiditativè cognoscibilis non est adæquatè extrà habitudinem, vel coaptationem essentialem cujuscunque potentiæ creatæ, sed solum corporeæ, vel sensitivæ, ut probatum est, & adhuc constabit infrà, cum solo excessu supra proportionem intellectivæ, ideò potest ab ista ut elevata per vires gratiæ quiditativè cognosci.

Ex quo inferimus 2. nullam esse hanc conseq., quæ opponitur rationi D. Thom., & potest etiam militare contrà præcedens corolarium; nempè quòd sicut per speciem corpoream nequit repræsentari spiritus, etiam per potentiam corpoream nequit idem videri; enim ex hoc, non sequitur, quòd per potentiam creatam nequeat videri Deus, ut in se est, quamvis per speciem creatam non possit sicuti est in se repræsentari. Patet nãmque primo esse discrimen inter Deum

in ratione repræsentabilis comparativè ad speciem, & in ratione cognoscibilis comparativè ad potentiam creatam. 2. Adhuc esse discrimen jam in ratione repræsentabilis, quàm in ratione cognoscibilis comparativè non solum ad speciem, sed etiam ad potentiam corpoream, quòd spiritus, vel Deus est adæquatè extrà utramque non tantùm excedens in gradu immaterialitatis, sed etiam omnem habitudinem cujuscunque potentiæ sensitivæ, vel corporeæ, cum nullo modo sit quid sensibile; cæterum comparativè ad potentiam spiritualem, vel intellectualem non habet excessum, ut dictum est, à toto genere ejus amplitudinis, vel extensionis, sed solum supra proportionem, loquendo, scil. de Deo clarè viso, licet in ordine ad speciem ejus sit perpetuò excedens in gradu, quòd omninò impedit quiditativam ejus repræsentationem; unde prædicta cons. nullo modo instat illam D. Thom., quæ consistit in hoc, quòd sicuti spiritus, quia contineri nequit in aliquo esse corporeo, repræsentari non potest per speciẽ corpoream, nec poterit Deus repræsentari per speciem creatam, cum in nullo ordine, aut esse, possit esse creatura. Hæc autem cons. est legitima, & formalissima, quia id, quod ædificat veritatem antecedentis, pariter ædificat illam consequentis, sicut enim respect. spiritus ex impossibilitate continentiæ rectissimè infertur impossibilitas repræsentationis per speciẽ corpoream, à fortiori inferenda est respectu Dei hæc posterior impossibilitas per speciem creatam, cum major sit, ut patet, prior impossibilitas respectu illius. Hoc verò non militat in exemplo adducto, ubi non ædificatur veritas consequentis ex veritate antecedentis, nec ità connectitur cum illa, nam hoc antecedens potentia corporea, vel visiva nequit videre spiritum est verum, quia spiritus nullo modo pertinere potest ad rationem objectivam sensus, cum non sit, ut dictum est, quid sensibile, vel lucidum coloratum, hoc autem non ædificat, nec connectitur cum hoc consequenti, potentia creata nequit videre Deum, quia inter creatas potentias datur intellectiva, vel spritualis, quæ sub proprio specificativo, vel saltem extensivo continet etiam Deum clarè visum, nam cum objectum ejus sit ens, & Deus clarè visus non extrahatur à ratione entis, & intelligibilis, optimè potest ad illum pervenire, quidquid sit quòd quia prout sic est excedens, indigeat viribus gratiæ, vel elevatione luminis &c.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum beati per visionem beatam forment, aut formare possint verbum etiam de potentia absoluta.

De productione verbi per visionem, seu cognitionem matutinam, & quiditativam inquirimus, nam quòd producere possint partiale, & inadæquatum, seu diversas conceptiones attributorum per vespertinam, quæ non est evidens eorum cognitio ut in se sunt, sed solum quoad an est, evidentia in attestante jam insinuavimus ex D. Thom. in 1., ubi supra, in quo etiam sensu loquitur Cajetanus hic §. *Adverte*, & infrà qu. 27. art. 1. ad 3., dum admittit hujusmodi verbum partiale. In qua re est duplex sententia extrema, & altera veluti media.

I. Extrema non solum affirmat de possibili, sed etiam de facto, quam magno applausu sustinent plures Recentiores, ut hinc sumant argumentum ad probandam possibilitatem speciei impressæ, qua videatur Deus, ut in se est.

Inter hos tamen est discrimen, nam alii attendentes ad meritũ actionis intellectivæ, quæ si sit qualitas, dicunt coincidere cum verbo; si verò actio, quòd sit necessariò productiva illius, vel termini, consequenter ità necessarium statuunt, ut nec de potentia absoluta videri possit Deus sine illo. Ità Suarez lib. 2., de attributis negativis cap. 11., Egidius lib. 11., de beatitudine q. 7. ar. 3. §. 3, & l b. 8. q. 2. ar. 2. §. 5., & alii juniores. Alii verò licet illud affirment de facto, non negant tamen posse sine illo videri. Molina, Vasquez, Arrubal, & alii Recentiores; & videtur ex nostris favere Capreol. in 1. dist. 27. qu. 2. ad 8. Aureol. 2. loco contrà 1., & in 4. dist. 49. qu. 2. art. 3., ad arg. contra 1. Ferrara 1., contrà gent. cap. 53. concl. 5., Sylvester in conflato qu. 12. art. 2.: & modum, quo possit probabiliter defendi simul cum impossibilitate speciei impressæ explicat Ledesma uberiùs q. 8., de divina perfectione ar. 6., quamvis probabilius existimet omninò esse impossibile verbum creatum repræsentans quiditativè Deum. Priores tamen fortè solum intẽdunt verbum partiale, ut supra, vel terminum visionis, qui sit modus unionis, ut explicat, & consentit Mag. Gonzalez hic disp. 25. sect. 4., de quo Mag. Ferre hic tract. 3. q. 3. §. 5.

II. Veluti media concedit verbum partiale repræsentans unum, vel alterum attributum, vel aliquod eorum, quæ videntur in Deo, non tamen adæquatum visioni. Hæc probabilis visa fuit Capreolo in 1. ubi supra, sed meritò eam retractavit loco relato ex 4. Tribuitur autem Cajetano locis proximè relatis, eo quòd in priori dicat posse beatos formare verbum de his, quæ in Deo videntur, & in posteriori asserat posse verbum partiale non adæquatum visioni proferre, sed ut jam innuimus, aliud est, beatos formare verbum partiale de his, quæ videntur in Deo inadæquatũ visioni, & aliud quod per ipsam visionẽ forment illud, primum docet Cajetanus, & est verum juxtà superiora in fine qu. ant., secundum verò negat priori loco dicens beatos non posse formare verbum de Deo clarè viso ut sic, unde concedit quidem verbum formari de Deo, & de his, quæ videntur in Deo posse formari à beatis, at non per visionem, sed per cognitionem tantùm vespertinam.

III. Extrema negat tam de facto, quàm de possibili. Hanc docent jam ut certam in doctrina D. Thom. omnes ejus discipuli cum Cajetano hic, & infrà qu. 27., & meritò, quia est expræsa sententia illius, ut statim dicemus &c.

Pro explicatione tamen veritatis supposito ex communi jam consensu Theologorum, & ex his, quæ latè ostendimus in philosophicis, verbum mentis propriè dictum qualitatem esse productam per actionem intelligendi, & ab ea sic dependentem, ut non duret in intellectu nisi quamdiù actu intelligit, quæ qualitas species expressa dicitur, & imago objecti cogniti ut sic, quia est formalis similitudo ejus expressiori modo illud repræsentans, quàm species impressa. Nec est circà hoc immorandum, nam aliàs vix dabitur locus quæstioni, & latè examinatur in 3. de anima.

§. PRI-

§. PRIMUS,

Statuitur duplex Conclusio.

PRima Beati per visionem, seù ipsa visione non producunt, nec producere possunt partialia verba attributorum, neque creaturarum, quas vident. Est communis, & certa. Ratione nihilominus probatur. Ratio videndi omnia, quæ videntur ex vi visionis est una, & indivisibilis formaliter, scil. divina essentia unita intellectui in ratione speciei impressæ, eademque visione formaliter indivisibili videntur omnia, ergo aut nullum producunt per illam, aut tantùm producunt unum illi adæquatum, & repræsentans omnia visa, ant. est certum, & patet ex dictis, conf. verò prob., nequit multiplicari realiter verbum non multiplicata realiter actione expressiva, vel formativa illius, ità ut ex natura rei partiale verbum de aliquo objecto per partialem intellectionem fit, & totale per totalem, ergo si ratio omnia videndi, similiter & visio est una, & eadem indivisibilis formaliter, vel nullum producitur per illam, vel producitur adæquatum, quod non admittitur, nec admitti potest, ut constabit.

Explic., & urg. hoc. Supposito lumine gloriæ in intellectu, & unione divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis non est liberum beatis videre, & non videre, vel videre hoc attributum, & non illud, sed necessariò saltem ex natura rei tenentur in exercitio videre omnia juxtà quantitatem sui luminis, quæ repræsentantur per divinam essentiam, ut speciem intelligibilem, imò ut constabit infrà, nec de potentia absoluta possunt præcisivè videre attingendo unum attributum sine alio, ergo eadem indivisibili visione vident omnia, & in eodem Verbo, nullum omninò partiale producendo.

II. Concl. Beati per visionem, seù visione beata nullum de facto producunt, aut producere possunt verbum etiam de potentia Dei absoluta, Ità etiam communiter Thomistæ, & meritò, ut statim constabit existimo esse expressam sententiam D. Tho. Nam in primis de veritate quæst. 8. art. 1. ait, nullam similitudinem receptam in intellectu creato posse habere cum essentia divina aliam convenientiam, quam analogam, & ideò cognitionem, quæ per illam haberetur non posse esse Dei per essentiam.

Et in hoc art. 2. universaliter etiam affirmat Deum ut in se est, per nullam similitudinem creatam videri posse. Constat autem, quòd si beati visione beata formarent verbum, proculdubio per similitudinem creatam receptam in intellectu videretur Deus, ut in se est, quia verbum, ut dictum est, formalis similitudo est rei cognitæ expressior, & clarior specie impressa, & per illud videtur obj. ctum. Deinde ad 3. ait divinam essentiam uniri intellectui creato, ut intellectum in actu per se ipsam facientem intellectum in actu; uniri autem ut intellectum in actu, non est uniri, ut speciem impressam, quia hæc tantùm unitur, ut ratio intelligendi, intellecta non, Sed est uniri, ut verbum, quod non tant. m est id, in quo intelligitur objectum, sed etiam in actu 2. intelligitur eodem actu, quo objectum, & ideò D. Tho. 1. contrà gent. cap. 53 & lib. 4. cap. 11., & alibi sæpè vocat verbum intentionem intellectam, & q. 4. de veritate art. 2., ait. De ratione verbi esse duo, nempè quod sit intellectum, & quod sit ab alio expressum, & ibi vocat illud conceptionem intellectā; at verò si beati verbum formarent, planè uno uniretur essentia intellectui eorum, ut verbum faciens per se ipsam intellectum in actu 2. intelligentem modo in superioribus explicato.

Denique super 1. ad Corint, cap. 13. lect. 4, ad illa verba *facie ad faciem* inquit. *Sed tamen quidam dicunt. quòd in patria ipsa divina essentia videbitur per similitudinem creatam, sed hoc est omninò falsum, & impossibile, quia nunquam potest aliqu d per essentiam cognosci per similitudinem, quæ non convenit cum re illa in specie, lapis enim non potest cognosci secundum illud, quod est, nisi per speciem lapidis, quæ est in anima (sicut dicitur 3. de anima tex. 38.) nulla enim similitudo ducit in cognitionem rei, si differat à re illa secundum speciem, & multò minus si differat secundum genus. Non enim per speciem equi, vel albedinis potest cognosci essentia hominis, & multò minus essentia Angeli, ergo multò minus per aliquam speciem creatam, quæcunque sit illa potest videri divina essentia, cum ab essentia divina plus distet quæcunque species creata in anima, quā species equi, vel albedinis ab essentia hominis.* Ecce quomodo D. Tho. apertè negat quamcunque similitudinem creatam ad videndum Deum, ut in se est, ut omninò impossibilem, imò etiam efficaciter probet ex defectu convenientiæ in specie, & consequenter etiam in gradu, quæ est ratio præsentis articuli non solum convincens de impressa, sed etiam de expressa, ut statim dicemus &c.

Ratione ergo D. Thom. prob., nam universaliter convincit de specie, vel similitudine creata, quæcunque sit, sive impressa, sive expressa semel quiditativè repræsentante objectum, ut in se est. Species expressa, vel verbum Deum quiditativè repræsentans non minus tenetur esse ejusdem ordinis in gradu immaterialitatis cum Deo, quam impressa, ergo si hac ratione impossibilis est impressa, ut probatum est, pariter erit impossibilis expressa, prob. ant., quia nō minus expressa est formalis, vel naturalis similitudo, objecti cogniti, imò formalior, & expressior, utpotè in actu secundo, quam impressa, nec minus quàm illa debet esse objectum cognitum in esse repræsentativo, hoc enim est debitum speciei semel quiditativè repræsentantis, ut latè ostensum est, cum non præcisè sit, ut sit, sed ut alia sit, ergo non minus petit identitatem in gradu, quàm impressa. Et quidem si semel admittatur speciem inferioris ordinis in gradu immaterialitatis posse esse similitudinē quiditativè repræsentantē Deum, aut speciē creatā posse esse infinitā in esse repræsentativo, ejusdē ordinis cum Deo, & Deum ipsum in esse intelligibili, tres rationes D. Thom. in art. nullius erunt momenti; inquit Mag. Catalam, facilemque habebunt solutionem.

Huic arg. variè assignant discrimē inter impressā, & expressā, nā alii dicunt magis repugnare impressā, quia illa deberet esse principium effectivum visionis, expressa verò tantùm est causa formalis, aut terminus ejus, repugnat autem creaturam aliquam esse causam efficientem nostræ beatitudinis, non verò esse causam formalem ejus, sicut repugnat illam esse causam principalem efficientem nostræ justificationis, non tamen formalem ejus.

Sed hæc solutio neç efficaciam rationum D. Thom. sustinet, nec videtur esse momenti; quia ut constabit infrà, lumen gloriæ in jam communi sententia Theologorum contrà Suarez, ut principium quo principaliter effectivè concurrit ad visionem, ergo ex parte efficientiæ

tiæ non magis repugnabit impressa, quàm expressa; tum quia nec de ratione illius est alio modo esse principium intellectionis, quàm ut quo: unde sicut, esto nulla creatura possit esse causa principalis efficiens gratiæ, & habituum supernaturalium, quæ sunt principia actuum supernaturalium, nihilominus mediis iisdem habitibus infusis efficienter producimus actus supernaturales, ità licet nulla creatura possit esse causa principalis efficiens luminis gloriæ, intellectus tamen illo informatus poterit ut causa principalis producere visionem.

II. Alii dicunt magis iterum repugnare impressam, quàm expressam, quia hæc etsi quiditativè repræsentet Deum ut in se est, nō tamē comprehensivè, & modo infinito, sed tantùm finito, quia de ratione expressæ non est commensurari objecto, ut in se est absolutè, sed juxtà modum, quo attingitur per cognitionem, qua exprimitur; visio verò beata non attingit Deum comprehensivè, sed modo finito; cæterum impressa repræsentans Deum quiditativè, deberet illum repræsentare comprehensivè, & modo infinito, quià de ratione ejus est esse similitudinem adæquatam sui objecti utpotè ab illo emanantem tanquam à causa efficiente, & naturaliter, unde non habet, unde possit limitari. Quod discrimen alii exprimunt dicendo, quòd impressa est ipsa intelligibilitas objecti, & ideò impediri nequit, quin sit ipsum objectum, unde si esset immediata repræsentatio Dei, deberet ipsum præcontinere, & consequenter esse Deus, at verò verbum, vel species expressa non est ipsum objectum secundum se, sed tantùm est conceptus, seu id, quod intellectus concipit de objecto, hoc autem, quod concipit de illo est quid finitum, & limitatum, cum sit veluti partus expressus à principio finito, & sic non est necesse, quòd verbum repræsentativum Dei sicuti est, sit Deus, vel conveniat in gradu immaterialitatis cum illo.

Sed nec hæc solutio est sufficiens, & quidem expressa priori modo impugnatur sic. Non repugnat species impressa purè quiditativè repræsentans objectum, & non comprehensivè, vel adæquatè, ergo si semel non repugnat speciem creatam esse naturalem similitudinem quiditativè repræsentantem Deum, non repugnabit dari impressam sic purè quiditativè repræsentantem Deum, & non adæquatè, seu prout tantùm est necessarium, ut juxtà quantitatē luminis attingatur per visionem, ant. patet, quia non est de ratione speciei impressæ dimanare à suo objecto, ut patet in speciebus impressis, per quas Angelus alios cognoscit, nam istæ fuerunt ab initio à solo Deo infusæ, imò sine miraculo à proprio objecto efficienter emanare non poterant, ut infrà de Angelis; ergo optimè poterit à Deo liberè infundi species impressa quiditativè taotùm, sive inadæquatè repræsentans objectum, & non comprehensivè. §. Præterquamquòd, (quidquid sit in casu gratia materiæ, quòd teneatur etiam repræsentare comprehensivè, ut insinuavimus, quod tamen militat etiam de expressa,) non est de ratione speciei impressæ repræsentantis objectum quiditativè repræsentare illud comprehensivè, nam probabile est speciem impressam, qua intimus Angelus cognoscit supremum quiditativè, non representare illum cumprehensivè; & certum est species impressas à phantasmatibus non teneri ad repræsentandum comprehensivè naturas rerum materialium, quas quiditativè reprę̨sentant, ut suppono ex 3. de anima.

II. Impugnatur quoad posteriorem modum. Nam verbum semel expressivum objecti tenetur illud præcontinere secundum id, quod exprimit, sed implicat, quòd verbum finitum, & potentiale contineat objectum infinitum, & actum purum ut est in se, ergo implicat dari verbum illud beatificum, & sit quid finitum, vel creatum, conf. tenet, quia verbum beatificum, seu productum per visionem beatam deberet esse expressivum Dei ut est in se, aliàs beatificum non esset: tum quia debet esse expressivum, secundum quòd concipitur, cum verbum sit conceptus mentis, sed in patria concipitur Deus quiditativè, & ut est in se, ergo deberet esse expressivū Dei ut est in se, mi. patet ex dictis, & etiam ex terminis, ma. verò etiam constat. Tum quia aliàs esset exprę̨ssivum veluti à casu, nam sicut si quis loqueretur vocaliter, seu verbo vocali non præcontinens conceptu mentis, quod exterius exprimeret, loqueretur à casu, ità à casu esset ejus conceptus, seu locutio mentalis non præcontinens, quod mentaliter exprimit. §. Tum quia semel quiditativè cognoscens Deum si verbo exprimere posset id, quod concipit, planè exprimeret necessariò Deum, non enim posset aliud exprimere nisi, id quod intelligeret, at Deus nequit aliter exprimi formaliter, nisi per ipsum Deum intelligibiliter præcontentum in exprimente, cum per aliud à se essentialiter distinctum, ut est quodcunque creatum respectu Dei, nequeat apparere quiditas objecti, ut vidimus supra, & iterum patet ex terminis, ergo si semel aliquis conceptus exprimeret Deum ut in se est, esset subjectivè Deus, & non tantùm terminativè. Per quod etiam excluditur altera solutio reccurrens ad identitatem verbi cum intellectione, unde infert, quòd sicut hęc non tenetur esse objectum subjectivè, sed tantùm terminativè, ità pariter verbum.

Nam Præterquamquòd hęc solutio assumit falsum, & confundit, ut dictum est, genus intelligibile activum, ad quod pertinet intellectio; cum passivo ad quod pertinet verbum, cum quodlibet genus distinctum ab alio debeat habere suam ultimam actualitatem distinctam ab ultima alterius, ad; ut tamen gratis supposita eadem identitate, teneretur sub munere verbi, si semel posset exprimi, quod intelligitur, vel concipitur in patria, præcontinere secundum quòd concipitur, quia sub hoc munere tenet se ex parte objecti, ut formalis, & immediata repræsentatio ejus, sicut sub munere actionis, vel intellectionis tenet se ex parte potentiæ, ut ultima ejus actualitas, unde non satis est, quòd terminet ad Deum, sicut actio, sed quòd sit subjectivè Deus, non minus, quàm impressa, cum sit formalior, & expressior, utpotè in actu 2. similitudo ejus. Cujus etiam signum est, quòd si semel prout sic, non teneret se ex parte objecti per identitatem cum illo, sed sequi deberet conditiones actionis, vel intellectionis, sic quòd posset limitari ex parte principii, eadem facilitate dicamus limitari posse impressam ab objecto ex modo tendendi, sive prout correspondet modo finito, quo attingitur, aut est repręsentabile comparativè ad illum; sicut enim comparativè ad intellectum divinum, quo attingitur modo infinito, & comprehensivo, est repræsentatiu infinita, & comprehensiva, ità comparativè ad intellectum creatum, quo attingitur modo finito, erit Deus finitè repręsentabilis, ut etiam patet in lumine gloriæ, & eadem visione beatifica, quę limitantur ex modo finito, quo Deum respiciunt, & sic erit utraque limitabilis. Quòd si semel quiditas, vel prædicata Dei possent reperiri in expressa non obstante

ſtante limitatione ex parte principii, poſſent pariter reperiri in impreſſa non obſtāte limitatione ex parte modi. Præterquamquòd ſi ſemel licet arguere poſſibilitatē, vel exiſtentiam verbi ex identitate cum actione, arguant pariter, quòd ſit de fide eſſe illud admittendum, cum de fide ſit admittendam eſſe viſionem beatam, non ſolum quoad poſſibilitatem, ſed etiam quoad exiſtentiam, quod tamen nullus aſſeruit &c.

§. II.

Solvuntur argumenta ex Authoritate.

PRimò Arg. opponendo duo teſtimonia D. Auguſtini, & alia duo Gregor., & Anſelmi. Primum Auguſtini ſumitur ex lib. de Trinitate cap. 7., ubi inquit. *In illa æterna veritate, ex qua temporalia facta ſunt omnia, formam ſecundum quàm ſumus, & ſecundum quam, vel in nobis, vel in corporibus rectâ ratione aliquod operamur, viſu mentis conſpicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit*, ubi ſatis clarè videtur docere hujuſmodi productionē verbi. Secundum ex 15. ibid. c. 16., ubi de cæleſti patria loquēdo ait. *Tunc quidē verbum noſtrum non erit falſum, quia neq; mentiemur neque fallemur*. Tertium Gregorii habetur lib. 30. Moral. cap. 5. ubi de eadem felicitate diſcurrens ſic ait. *Sublatis namque orientibus, & occidentibus verbis, quaſi quidam ſonus æternę prædicationis ſit ipſa imago æternę viſionis*; ſentit ergo viſionem, quàm beati formant eſſe Dei imaginem, & conſequenter verbum. Ultimum ex Anſelm. habetur in Monolog. cap. 31., ubi ſimiliter cogitationem vocat imaginem, & ſimilitudinem objecti.

Ad 1. ex Auguſt. reſpond., quòd in toto illo capite nec verbum, vel minimum habet de viſione beata, ſed expreſsè loquitur de cognitione, quâ modo viator contemplatur Deum primam veritatem, ut cauſam efficientem, & exemplarem rerum omnium, quod evidenter infertur ex his, quæ ſubdit. *Cum autem*, inquit, *ad alios loquimur, & verbo intellectus manenti miniſterium vocis adhibemus, aut alicujus ſigni corporalis, ut per quandā commemorationem ſenſibile, tale aliquid fiat in animo audientis; quale de animo loquentis non recedit &c.* Conſtat autem hunc ſenſibilem modū explicandi, id quod de Deo concipimus, valde alienum eſſe à modo intelligendi in patria.

Ad 2. ex eodem dicimus neque ibi loqui de cognitione matutina, ſed veſpertina, quod etiam evidenter patet ex eo, quod ſubdit dicens. *Fortaſſis volubiles non erunt cogitationes noſtrę ab aliis in alias euntes, atque redeuntes &c.* Quæ ſine dubio intelligenda ſunt de cognitione extrà verbum, quia dubitare non poterat de immobilitate viſionis beatæ, cum volubilis non ſit, ſed in æternum duret.

Ad 3., & 4. ex Gregor., & Anſelm. Reſpondet. viſionem, vel cognitionem vocari imaginem, non quia ratione ſui imago ſit, (eſt enim per modum tendentię, non formæ repræſentativæ, ut dictum eſt,) ſed originativè, vel terminativè, ſcil. ratione principii, à quo procedit, vel termini, ad quem terminatur, vel inclinatur, cum tam principium, quam terminus, imagines ſint, ſpecies nempè impreſſa, & expreſſa, de quo mirari non debet Vaſquez, cum novum non ſit, ſed valde frequens, nomen effectus tribui cauſæ, vel è contrà, nam verbum in divinis, ut inſinuat D. Thom. qu. 4. de veritate art. 2. ad 6. dicitur ſapientia, vel notitia patris, non quia ſapientia formalis ſit, aut notitia, qua pater, eſt ſapiens formaliter, ſed quia eſt genita à patre, ſicut etiam Concilium Trident. fomitem peccati appellavit peccatum, non quia peccatum ſit, ſed quia à peccato eſt & ad peccatum inclinat. Et licet in viſione beata non detur ſpecies ſive impreſſa, ſive expreſſa diſtincta ab objecto, in eo tamen, quòd Deus ſe ipſo gerit vicem utriuſque, adhuc verificatur viſionem eſſe ab imagine, & ad imaginem inclinari.

II. Arg. ex D. Thom. 1. ex qu. infrà 27. art. 1., ubi aſſumit hoc principium ad probandam proceſſionem verbi, nempè Quicunque intelligit ex hoc ipſo, quòd intelligit procedit aliquod intrà ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ.

Sed quia hæc authoritas cum Caetano ibi §. ad 3. dub. explicari ſolet de intelligente viatore non comprehenſore. In contrà opponitur aliud teſtimonium ex qu. 4., de veritate art. 2., ubi expreſsè docet, quòd hoc, quòd eſt formari conceptionem intellectam, quæ dicitur verbum, eſt univerſaliter verum de omni, quod à nobis intelligitur, ſive per eſſentiam intelligatur, ſive per ſimilitudinem, quia ipſa conceptio eſt effectus actus intelligendi, ità D. Thom. Et ad 5. ibid. ſic ait. *Nec aliter poſſumus intelligere, niſi ipſam conceptionem exprimendo, & ideò omne intelligere in nobis propriè loquendo eſt dicere.*

Ad 1. præter ſolutionem jam aſſignatam, patet ex his, quæ tradimus ibid., nempè D. Thom. non aſſumere illud principium præciſè ad probandam ſubſtantiam proceſſionis, quia adverſarii non negabant iſtam, ſed qualitatem, ideſt, quòd id, quod procedit maneat intrà, quod negabant Arriani negantes conſubſtantialitatem filii cum patre, contendendo conſequenter, filium eſſe creaturam, & ejus proceſſionem magis eſſe ad extrà, quàm ad intrà. Ad quod parum refert, ut patet, quòd omnis intellectio ſit productiva, vel non, nam ſatis eſt ad intentum, quòd in omni de facto productiva, verbum quod producitur, maneat intrà. Vel dici etiam poterat auctoritatem illam præcipuè militare, aut deſervire poſſe contrà Scotum, qui prætendit dictionem eſſe actionem diſtinctam ab intellectione, cujus oppoſitum convincit D. Thom. eodem principio, ac ſi diceret. Quicunque producit verbum, intelligendo producit quia juxtà idem principium, *Quicunque intelligit, ex hoc ipſo, quòd intelligit*, producit, ideſt ex meritis intellectionis, & non alterius actionis; quidquid ſit, an per omnem producatur, vel non.

Ad 2. quæ adducitur per modum replicæ reſpond. D. Thom. non loqui ibi de cognitione per eſſentiam, quam habet beatus in patria, ſed quam habet anima per ſe ipſam de ſe ipſa in ſtatu ſeparationis, ſicut eſt etiam in Angelo: nam ad oſtendendam proceſſionem verbi in divinis aſſumit ſimilitudinem ex eo, quòd accidit in verbo à nobis producto cognitione naturali per eſſentiam, ut eſt in anima noſtra pro illo ſtatu, quod non arguit verbum producendum à beatis cognitione per eſſentiam, quam habent de Deo clarè viſo, ex latiſſimo diſcrimine inter utrunque objectum, cum nullum objectum creatum, utpotè potentiale, in quocunque modo reali eſſendi ponatur, ſit in grado intellecti, unde reſpectu illius ſemper eſt indigentia producendi,

cendi, non tamen respectu objecti beatifici, quod est actus purus, unde ex quo istud est in gradu intellecti non indiget beatus de facto producere; ex quo verò est ordinis superioris, suum esse, & infinitum, impossibile est posse producere, ut probavimus. Ex quo etiam patet ad tertiam, nam similiter dicimus esse intelligendū de omni nostra cognitione in ordine ad objectū potentiale, quod non est se ipso in eodem gradu intellecti, & cujus possibilis est similitudo perfecta, vel quiditativa inter formas, vel species creatas; sed de his iterum infrà.

Sed instas, quia D. Thom. ibid. intendit assignare discrimen inter intelligere Dei, & nostrum, quòd primum non potest non esse fœcundum, vel productivum verbi, & consequenter, quòd dicere non sit, secus verò nostrum, at semel admissa intellectione creata non producente verbum non salvatur hoc discrimen, ut patet, ergo.

Dices D. Thom. sub altero extremo intellectionis Dei, vel increatæ comprehendere etiam visiones beatorum, quæ licet increatæ non sint, fiunt tamen modo divino, sive in Deo, nempè per ejus essentiam unitam mentibus eorum per modum speciei impressæ, & per modum speculi perfectissimè repræsentantis se ipsam, unde dum dicit, *omne nostrum intelligere est dicere*, non comprehendit intelligere beatorum.

Sed contrà hoc est; nam ex eo affirmat illis verbis. *Et ideò omne intelligere in nobis, propriè loquendo est dicere*, non verò in Deo, quia in illo idem est intellectus, & intellectum, & intelligere, sed hoc verificari nequit de visione beata, cum perpetuò in nobis intellectus, & intelligere quodcunque sit, realiter distinguātur, ergo non solum videtur loqui D. Thom. de omni nostro intelligere in via, vel extrà verbū, sed etiam in patria.

Resp. quòd quidquid, ergo sit an ex parte alterius extremi, sive intelligere divini, comprehendat etiam visiones beatorum, certum est non loqui ibi D. Tho. de omni intelligere nostro etiam circà objectum increatum, sed tantùm circà creatum, quod evidenter colligitur ex eo, quòd in tantùm asserit intelligere divinum non debere esse expressivum, sicut nostrum, quia cum in Deo idem sint, intellectus, intelligere, & esse intellectum, nulla est indigentia exprimendi verbum, unde dicimus, quod si pater intelligendo exprimit, & producit verbum, hoc oritur ex fæcunditate, cum autem hæc eadem ratio militet de intelligere nostro in patria, quia licet intellectus, & intelligere in nobis, nunquam idem sint, nulla tamen sit ibi ob meritum objecti necessitas exprimendi, imò impossibilitas, ut dictum est, planè non loquitur de omni nostro intelligere, sed tantùm versante circà objectum potentiale, vel creatum. Per quod etiam patet ad replicam, secundum quod militare poterat contrà hanc solutionem.

§. III.

Solvuntur alia argumenta ex ratione.

Tertiò arg. præcipuo fundamento PP. Societatis, & sumitur ex his, quæ latè tractantur in lib. de anima circa distinctionem verbi ab intellectione. Verbum mentis, vel est realiter idem cum intellectione, vel terminus necessariò producendus per illam, ergo est admittendū in patria; prob. ant. primò quoad 1. par.; tum quia nulla est necessitas distinguendi illud; tum quia intellectio est formaliter assimilativa, cum sit notitia formalis, & per illam fiat objectum præsens potentiæ, & sit partus intellectualis productus ex semine objecti, de cujus ratione est esse similem intētionaliter objecto; tum quia in genere intelligibili passivo id præstat species expressa in actu 2., quod impressa in actu 1., sed hæc facit intellectum proximè potentem intelligere, ergo expressa faciet actu intelligentem, quod est munus actionis; tum quia intelligere nil aliud est, quàm intellectum fieri rem intellectam in actu 2., ergo coincidit cum verbo.

II. Quoad 2. par., nam visio beata est vera, & propria actio, sed vera actio est productiva termini, ergo, prob. mi. vera actio est per modum fieri, & viæ, sed repugnat dari viam sine termino, & fieri sine facto esse, ergo.

Ad hoc patet 1. ex dictis esse de numero eorum, quæ nimis probant, nam probaret etiam, ut dictum est; esse de fide, quòd possibile sit, vel detur, sicut de fide est dari visionem, & non solum esse possibilem, quod tamen nullus somniavit. Pro omnibus ergo nego ant. quoad utramque 1. par. Ad 1. prob. 1. nego ant., patet enim iterum ex dictis, esse omninò necessarium, quòd in quolibet genere distincto, detur ultima actualitas pariter distincta, aliàs ingrederetur unum limites alterius, quod est contrà conceptum entis finiti; unde verbum tantùm præstare potest id, quod pertinet ad genus intelligibile passivum, scil. constituere objectum intrà intellectū in actu 2. intellectū per modum termini per intellectionem producti, ut dictio est, vel per modum eidem manifestantis se ipsum, ut per eandem præcisè, ut speculatio, vel pura contemplatio est, non locutio, se ipsum speculetur, aut contempletur; actio verò tantùm deservit in genere intelligibili activo constituendo intellectum in actu 2. intelligentem per modum ultimæ actualitatis in illo, unde species intelligibilis tam impressa, quàm expressa, cum non sint ex propriis, ut forma in genere rei, non tenentur constituere intellectum, sive potentem proximè, sivè actu intelligentem per modum formæ, vel actualitatis ejus in eodem genere, sed tantùm objectivè determinare illum, vel constituere objectum proximè intelligibile, vel actu intellectum, ut vidimus ex D. Th.

Ex his facilè respondetur ad alias prob. Ad 2. nego ant., nam esse formaliter assimilativam pertinet ad formam de genere intelligibili passivo, vel tenentem se ex parte objecti, non activo, & tenentem se ex parte potentiæ.

Ad prob. ejus annexas, quòd sit notitia formalis, repræsentatio, & partus intellectualis &c. Similiter dicimus id totum esse de genere activo non passivo, nisi velimus utrumque genus confundere, unde est notitia quidem formalis, non tamen objectiva, sed elicita, & quòd est partus per modum generationis, non termini geniti, ut est verbum, & quòd fit per illam præsens, vel repræsentatur objectum efficienter, non per modum speculi, vel formæ, unde satis est illi, quòd sit tendentia, vel attingentia objecti non similitudo formalis, sed productio illius, seu termini similis objecto; cæterum visio beatifica, quia dictio non est, nec est generatio, nec partus intellectionis.

Sed instas. Ex eo probavimus supra contrà Vasquez esse necessariam unionem intentionalem, vel intrinsecam

cam

eam objecti per modum motivi, quia de ratione intellectionis est esse generationem vitalem, & consequenter à principio conjuncto, ergo si visio beata nec est generatio, nec partus generationis non erit necessaria unio divinæ essentiæ per modum motivi intrinsici, ut contendimus contrà eundem Auctorem, sed satis erit virtualis similitudo luminis.

Respond. quòd intentum contrà præfatum Auctorem fuit ad ostendendum ex communi axiomate, & ex meritis intellectionis non præcisè, ut intellectio est, sed ut est dictio, quod attinet ad conceptum generationis; quòd omnis nostra cognitio pendet ex duplici principio, altero concurrente veluti physicè, altero intentionaliter, vel objectivè, quia objectum intellectus debet esse intrà, & possessum, contrapositivè ad illud voluntatis, cum intellectus trahat illud ad se, & voluntas trahatur ab illo, unde non satis est unio extrinseca, vel assistentiæ, aut indistantiæ, quam ipsi contendunt, sed intrinseca, ut explicatum est, eo vel maximè, quòd omnis nostra cognitio excepta beatifica, sit generatio, vel productiva, aut expressiva verbi, sive mentalis locutio, ut dictum est. Deveniendo ergo ad visionem beatam, fatemur non obtinere rationem generationis, cum dictio non sit, sed pura contemplatio, in qua non importatur principaliter habitudo ad verbum conceptum, sed intelligentis ad rem intellectam, ubi nulla intervenit ratio originis, ut docet D. Thom. infrà qu. 34. art. 1. ad 3., adhuc tamen est necessaria prædicta unio, tum ex eodem communi axiomate: tum quia licet generatio non sit ob eminentiã objecti, quia se ipso immediatè est præsens, nihilominus, quantùm est ex se, vel ut est intelligere creatum tenetur esse expressivum, ut insinuat D. Thom. qu. relata de veritate ad 5.; tum quia objectum debet esse intrà in omni cognitione, ut dictum est, unde semper ex se petit, sive ut operatio cognoscitiva est, illam intimam unionem objecti cum potentia, cum sit per viam assimilativam.

Sed iterum instas contrà idem. Licet visio beata non sit partus ex semine superaddito objecti ex vi nempè speciei impressæ, est tamen effectus productus ab intellectu, ut fæcundato immediatè per essentiam divinam, sed quilibet effectus est similis suo principio, ergo verè obtinet rationem similitudinis sui objecti.

Resp. dist. mi. est similis, formali semper, vel specifica similitudine, nego, generica, vel analogica, conc., unde satis est, quòd habeat convenientiam analogam, & consistit in eo, ut optimè explicat Nazarius hic, & ex ipso Salmant. dub. 8. præcedenti in fine, quòd participet aliquid de eo, quod in Deo habet rationem naturæ, scil. videre se ipsam, prout est in se, quamvis non participet illam per modum naturæ; qua ratione dixit August., & Joan. quòd cum apparuerit similes ei erimus ex eo, quòd videbimus eum, sicut est. Et hæc etiam similitudo non præcisè est in esse intelligibili, & repræsentativo, sed naturali, & entitativo, unde nonquam visio potest obtinere rationem verbi, nam aliàs etiam obtineret in divinis, quod est alienum.

Ad 3. principalem prob. ejusdem antec. patet ex dictis esse retorquendam, quia species impressa non dat intellectui posse proximè intelligere, ut virtus complens activitatem de genere intelligibili activo, sed movendo objectivè, ut dictum est, unde expressa tantùm juvabit in intelligibili passivo, ut virtus objecti, non potentiæ, constituendo illam intelligentem in actu 2., hoc enim pertinet ad actionem tanquam ultimam actualitatem de eodem genere activo.

Ad 4. nego ant., quòd idem sit intelligere, ac intellectum fieri rem intellectam, nam cum illud sit, ut dictum est; de genere intelligibili activo, tantùm importat activam tendentiam potentiæ ad objectum, quod est intrà in actu 2. ex meritis verbi, unde ex isto magis habet, quòd fiat res intellecta in actu ultimo, quàm quòd actu intelligat, & ità antecedit intellectionem, ut contemplatio est, & sequitur ad illam, ut dictio est &c.

Ad ult. prob. pro 2. parte, duplici via possumus respondere 1. admittendo quòd sit vera, & propria actio, dist. mi., vera actio est productiva termini, actio immanens, per se, & necessariò, nego, transiens, conc. mi., & nego conseq., quia visio beata est immanens, quæ tantùm permissivè producit, tum quia neque est cum motu physico, neque infert ex propria ratione passionem, ut docet D. Thom. infrà qu. 41. art. 1. ad 3., & in 1. dist. 40. qu. 1. art. 1. ad 1., & quodlib. 4 art. 9.; tum quia per actiones etiam virtutum supernaturalium per se infusarum, quæ sunt in appetitu, & voluntate, nullus producitur terminus, cum non concurrant effectivè ad productionem, vel augmentum suorum habituum, sed tantùm meritoriè, vel dispositivè, unde ex propria ratione formali non ordinatur ad opus, vel terminum producendum, & esto aliquem producat, magis terminus est propter se ipsam, quàm è contrà, unde ejus ratio formalis in hoc consistit, quòd sit actualitas potentiæ, aut virtutis activæ, ut ejus actualis influxus, & tendentia ad objectum, ut ad terminum, circa quem versatur: ut dici poterat juxtà modum probabilem supra insinuatum, quòd licet sit productiva termini, non tamen, qui sit verbum, sed modus unionis.

II. Resp. potest, nego ma., quia ut frequentiùs docent Thomistæ, actiones immanentes non sunt propriè de prædicamento actionis, sed qualitatis, & solum dicuntur actiones grammaticaliter, quia significantur per modum actionis, & tendentiæ actualis ad objectum, quamvis autem qualitates formaliter sint, quia tamen ob sui perfectionem eminenter continent, rationem, vel modum essendi actionis, non petunt produci per aliam, aut veram actionem, sed sicut actio naturali resultantia emanat ab agente constituto in actu 1. completo, & applicato ad agendum, ità etiam naturali resultantia emanat cognitio ab intellectu, ut determinato objectivè per speciem intelligibilem, ut dictum est. Ex quo tamen non licet inferre cum Suarez, quòd si semel est qualitas coincidit cum verbo, quia istud non est qualitas quomodocunque, sed per modum similitudinis, & repræsentationis objecti; tum quia aliàs, ut dicebamus, inferenda esset possibilitas, vel existentia verbi, ut admittenda de fide, & non solum probabiliter, sicut de fide fatemur dari visionem, & non solũ opinativè inter Theologos Hæc solutio fundatur in D. Th., opusc. 48. cap 1., & in 1. dist 8. qu. 4. art. 3. ad 3., & in 3. contrà gent. cap. 100., ubi ait, quòd actio, scil. immanens, magis comparatur, ut finis ad operantem, quàm via ad factum esse, vel productum.

III. Etiam principaliter arg. De ratione verbi non est præcisè repræsentare objectum, ut in se est, sed esse terminum vitaliter expressum ab intelligente, ergo debet necessariò admitti in beatis, conf. tenet, quia Deus nequit supplere vices termini vitaliter expressi ab intelli-

telligente creato, nam de ratione ejus est, quòd sit à principio intrinseco se movente; ant. verò prob. quia de ratione verbi est esse locutionem vitalem, vel terminum ejus, nam sicut per verbum vocale loquimur, sic quòd sit aliquod vitaliter exteriùs productum, ità per verbum mentale, interiùs, sic quòd sit aliquod vitaliter expressum interiùs, ergo sicut non potest quis exteriùs loqui per verbum vocale à se non productum, vel alienum, ità nec poterit loqui interiùs per mentale à se non expressum.

Explic., & urg. hoc: quia non minus Deus est per essentiam intellectio, qua se ipsum intelligit, quàm sit per essentiam verbum, quo se ipsum repræsentat, sed nihilominus, quia de ratione intellectionis est esse à principio intrinseco vivente, nec est, nec potest esse nostra intellectio, ergo quia de ratione verbi est esse terminum vitaliter expressum, nec est, nec esse poterit nostrum verbum &c.

Ad hoc nego ant., nam id solum habet quando objectum se ipso uniri nequit exhibendo sui claram repræsentationem, in quo casu necessè est, quòd medio verbo vitaliter producto ab intellectu repræsentationem sui exhibeat, unde sicut in simili dictum est, de subsistentia creata, quòd licet illi duo conveniant, nempè procedere à natura, quam terminat, & terminare illam reddendo incommunicabilem, nihilominus supplebilis est à Deo quoad hoc posterius omittendo primum, quia tantùm hoc posterius est de conceptu ejus, ut sic, primo tantum conveniente subsistentiæ creatæ ob ejus limitationem, quia ingredi nequit ob sui finitatem limites alterius, & dare sui effectum naturæ alienæ, & consequenter tenetur dimanare à natura, cujus est subsistentia, ità pariter licet verbo creato illa duo conveniant (vel etiam subordinari agenti, aut intelligenti, vel ejus intellectioni cui deservit, ut præoccupemus instantiam:) ab his tamen absolvi, aut præscindere potest, & esse supplebile à Deo, quoad munus repræsentandi, quod tantùm est de conceptu ejus ut sic. In hoc enim distinguitur verbū, quod est terminus productus per intellectionem à communiter dicto, vel impulsu, qui est terminus productus per amorem, nam hic unum tantùm dicit, à quo præscindere nequit, scil. inclinationem procedentem ab amore, unde magis dicitur tendentia in objectum, quàm objectum, cæterum verbum duo importat, scil. rationem termini producti per intellectionem, & rationem formalis, vel expressæ repræsentationis objecti, & hoc tantùm posterius est de ratione formali ejus, non primum, quia cum solum producatur, vel ex indigentia, ut in nobis, vel ex fœcunditate, ut in Deo, nec sit semper necessarium, quòd altero ex his modis producatur, cum hoc posteriori modo à solo Patre producatur in divinis, non verò à Filio, vel Spiritu Sancto esto perfectissimè intelligant, ut docet fides, & priori modo solū contingat produci, quando objectum se ipso immediatè uniri nequeat, ante esse præsens intellectui, aut eidem manifestari, cujus oppositum contingit in patria, ideò nulla potest ibi esse necessitas, imò impossibilitas illud producendi ex impossibilitate, scil. perfectæ repræsentationis objecti, ut dictum est, unde optimè potest à primo præscindere, ex quo etiam fit posse quidem Deum uniri per modum verbi eidem intellectui beatorum, ut statim dicemus; non tamen per modum impulsus eorum voluntati.

Sed instas: quia, ut suprà insinuavimus, intellectus contrapositivè ad voluntatem intelligendo trahit ad se objectum, at si verbum posset à primo præscindere, intellectu illud non proferente mentaliter dum intelligit, non teneretur semper ad se trahere objectum, ergo nequit ab illo præscindere; prob. mi., quia objectum non trahitur præcisè vi intellectionis per se ipsum, quia pura speculatio relinquit illud ut in se ipso est, sicut pura speculatio, aut visio parietis non trahit illum intrà oculum, sed præcisè terminat relinquendo ut in se est, ergo solum trahi potest objectum ex vi verbi producti.

Urg. hoc. Quia repugnat intellectum intelligendo trahere illud in actu 2. ad se, & expressè non concipere, ergo repugnat sic trahere, & non formare expressum conceptum, seu verbum, & propterea rectè dixit ut supra, D. Thom., quòd Quicunque intelligit ex hoc ipso quòd intelligit, producit aliquid intrà ipsum, quod est conceptio rei intellectæ.

Resp. vel, nego mi. à toto genere trahendi ad se, vel dist. claritatis gratia, non semper teneretur trahere per aliquod utrique superadditum, conc., vel per superadditum, vel per ipsummet objectum immediatè se ipso intrans, & unitum, nego, nam quando objectum est in supremo gradu immaterialitatis, ut est Deus, se ipso immediatè trahitur ab intellectione, nam intantùm objectum indiget aliquo superaddito, ut per intellectionem trahatur, in quantùm habet aliquid materialitatis, ex qua impeditur ejus actualis ingressus, & ne sit in gradu intellecti, vel se ipso immediatè in actu 2. intellectum, unde si sit actus purus, sive expers totius potentialitatis tam physicæ, quàm metaphysicæ, sufficientissimè habet, ut se ipso per illam trahatur sine alio verbo, aut conceptu producto. Per quod patet ad probationem, quæ solum militat de objecto potentiali.

Ad confirm. dist. iterum claritatis gratia ant., & expressè non concipere, vel actualiter unicodo per contemplationem, vel producendo, conc., semper producendo, nego, sicut enim per generationem, ut insinuavimus; non semper est necessarium, quòd producatur forma, vel terminus formalis ejus, sed vel quòd producatur, vel uniatur, ità nec necessarium est, quòd intelligens semper concipiat producendo, sed vel producendo, vel uniendo, idest, quòd concipiat vel effectivè, vel unitivè, vel connexivè, ut manifestè iterum patet in Filio, & Spiritu Sancto, qui non minùs perfectè, quàm Pater intelligunt, aut concipiunt divina, & creaturas, & tamen nullum producunt verbum.

Per quod etiam confirmantur priores solutiones ad authoritatem D. Thom., quæ hic repetitur, non posse nempè ex particula illa, aut propositione universali *Quicunque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit &c.* Concludi necessitatem productionis verbi, nam aliàs Filius, & Spiritus Sanctus tenerentur producere, si semel quicunque intelligit ex vi intellectionis producit, unde rectè dictum est, quòd ex illo principio non intendat hanc necessitatem concludere, sed quòd utitur illo vel ad probandam qualitatem processionis, vel ad distribuendum pro solis viatoribus, quia nempè assumens in illo ea, quæ nobis ratione naturali nota sunt, rectè inde probabiliter infert verisimile esse dari in Deo processionem per intellectum, ut fides docet, constat autem ratione naturali tantùm posse esse nobis notum, quòd in hac vita dum intelligimus, intelligendo formamus conceptum aliquem rei conceptæ, quod consonat cum eo, quòd asserit Mag. Baunez ibid. dub. 1., & hic dub. 1. ad 3., scil. distinctionem illam distributivam

tivam *Quicunque*, distribuere pro omni intelligente virtute naturali per formam proportionatam suo connaturali modo intelligendi, quia de omni intelligente creato verum est universaliter producere verbum, quando intelligit modo sibi connaturali, sive intelligat per speciem impressam distinctam ab objecto, sive per ipsam essentiam objecti cogniti unitam loco speciei intelligibilis, ut accidit in cognitione, qua Angelus cognoscit se ipsum, vel mens nostra se per se ipsam intelligit, quod eodem modo deservit ad intentum D. Thom., sive ad probabiliter inferendam productionem illius in divinis, cum pariter sit ibi modus connaturalis, & per formam proportionatam. Quæ est etiam mens D. Thom. in altera auctoritate ex disputatis, quia in ea etiam, ea quę nobis ratione naturali nota sunt, assumit ad probandum non esse à ratione alienum in divinis Verbum realiter procedere à Patre, ut fides docet &c.

Quòd si adhuc instes contrà superiora; adhuc non salvari ex his, quòd intellectus per visionem in actu 2. verè trahat objectum, ut terminum sibi intimè unitum, vel intrà se illapsum, sed quòd tantùm connectatur per illam, utpotè intuitivam tanquam cum sui specificativo, ergo adhuc non excluditur necessitas verbi ad habendum illud ut terminum intrinsecum visionis, prob. ant., quia intellectio non productiva verbi, tantùm extrinsecè terminatur ad objectum, denominando illud præcisè intellectum extrinsecè, nam hac ratione visio corporalis, quia nempè non producit verbum, purè extrinsecè terminat, & denominat parietem visum, ergo visio beata prout sic purè extrinsecè habebit terminare, & connecti cum Deo viso tanquam cum specificativo extrinseco, non autem trahere ut terminum intrinsecum sui &c.

Resp. neg. ant., Quia cum intellectus ex propriis, contra positivè ad voluntatem tendat ad possidendum objectum, essentialiter exigit habere illud intrà se, & non præcisè terminare extrinsecè ad illud, aut purè connecti tanquam cum sui specificativo extrinseco, ut dicitur de visione corporali, quę utpotè valdè materialis, & externa, vel infimi ordinis in linea cognoscitiva, non habet tale meritum sic possidendi, unde sive producat intellectus verbum, sive non, semper habet trahere juxtà tamen conditionem objecti, nam si illud materiale sit, vel potentiale trahit medio verbo superaddito, vel producto, si verò actus purus sit, ut in casu, trahit exigitivè, idest exigendo essentia liter habere illud intrà se intimè unitum, quia istud non indiget aliquo superaddito, sed se ipso immediatè illabitur menti beatę, ut ipsum videat, & contempletur, ut est in se, unde ad prob. dist., & explic, tantùm extrinsecè terminat, exigendo tamen essentialiter habere illud intus, conc., aliter, nego, & ad prob. nego causalem, quòd ideo visio corporalis non habeat intus vel non trahat, quia non format verbum, sed quia externa est, non habet tale meritum possidendi intrà se, sicut intellectus, qua ratione etiam infrà dicitur de beatitudine, quòd quia hæc importat possessionem Dei, magis in actu intellectus, quàm voluntatis essentialiter, vel metaphysicè consistit; quia nempè intellectus trahit, & possidet, voluntas autem trahitur, & magis possidetur &c.

§. IV.

Solvuntur alia duo argumenta.

Quarto arg. Divina essentia non semper fuit actu intelligibiliter pręsens intellectui beato, ergo ut modo sit præsens actu, requiritur verbum, conf. tenet, quia ad hoc est necessarium, ut objectum intelligibiliter non pręsens, fiat intelligibiliter præsens.

Dices dist. ant., non semper fuit actu præsens, quantùm est ex se, nego ex defectu connotati, conc., & nego conf., & oppositum, ejus, quòd verbum sit ad supplendum defectum ex parte connotati, seò potentiæ, sed magis ex parte objecti cujus est virtus, ut dictum est.

Sed contrà hoc est: quia non minus divina essentia quantùm est ex se, est in gradu dilecti, quàm sit in gradu intellecti, sed nihilominus quia nõn semper fuit actu terminans amorem beatificum, in actuali terminatione amoris requiritur impulsus, ergo pariter in actuali terminatione visionis erit necessarium verbum.

Explic. hoc: sicut divina essentia quantùm est ex se, est intelligibiliter pręsens intellectui creato, ità substantia angelica proportione servata, intellectui proprio, sed nihilominus hæc ut sit actu intellecta, requiritur verbum, ut modo suppono, & constabit infrà, ergo similiter essentia divina, ut sit actu intellecta requiretur verbum &c.

Resp. 1. benè ibi. Ad replic. non desunt, qui negent mi., discurrendo similiter de impulsu, sicut de verbo, unde sicut non producitur verbum per visionem, sed unitur Deus per modum verbi, seù perfectissimę repręsentationis, ità nec producitur impulsus per amorem beatificum, sed unitur Deus per modum perfectissimi impulsus. In cujus modi dicendi confirmationem quidã ex nostris, inquit, se existimare probabilissimũ posse à solo Deo produci impulsum in voluntate, sicut potest produci verbum in intellectu, quia nempè illa non sunt vitalia per modũ actionis vitalis, sed per modum termini illius, non enim omnis vitalitas impedit producibilitatem à solo Deo, sed quæ est tantùm per modum actionis, de cujus ratione est, quòd agens per illam se moveat, & consequenter, quòd procedat à principio intrinseco vitali, unde vitalitas per modum puri termini actionis vitalis non excludit rationem producibilis à solo Deo, ut patet in planta, & homine, quæ hac ratione à solo Deo produci possunt, quia non sunt quid vitale per modum operationis, sed tantùm per modum termini operationis vitalis. Hoc autem admissu concludit, quòd sicut potest Deus uniri per modum verbi, ità & poterit per modum inclinationis vitalis &c.

Sed hæc solutio, vel modus dicendi videtur confundere, ut suprà, inter id, quod se tenet ex parte potentiæ, & quod ex parte objecti, nam impulsus, ut vidimus, cum sit quædam inclinatio voluntatis ad objectum indispensabiliter dicit habitudinem ad principium intrinsecum à quo fit, unde nec est terminus vitalis quomodocunque, sed originativè à principio intrinseco, sive vitalitate non purè producibili ab extrinseco, sed necessariò ab intrinseco, & ideo Deus nequit se solo uniri voluntati per modum impulsus, eo vel maximè, quòd licet daremus, quòd non teneretur oriri ab intrinseco, & consequenter esse producibilem

à solo

à solo Deo, adhuc tamen requireret omninò informare subjectum, quod inclinaret, quod Deo repugnat. Per quod etiam patet discrimen inter ejus vitalitatem, & vitalitatem plantæ, vel hominis, quòd hæc posterior non consistit præcisè in eo, quòd sint terminus actionis vitalis per originem ab intrinseco, sed in eo, quòd ex principiis intrinsecis possint se ipsa movere, & ità possunt à solo Deo produci. Cæterum verbum, ut vidimus, tenet se ex parte objecti, ut virtus ejus, unde de ratione formali ejus non sic, non est indispensabiliter habitudo ad principium intrinsecum mentaliter proferens illud, sed perfecta repræsentatio objecti, præcipuè si sit quiditativum, unde nulla est repugnantia, quòd suppleatur à Deo, aut quòd uniatur divina essentia per modum verbi. Quòd si poneretur à solo Deo produci, & uniri intellectui ad clarè illi manifestandum objectum, non diceretur habere rationem termini vitalis, quia vitalitas sibi conveniens in ratione termini producti, est etiam vitalis originativè ab intrinseco, quia cum sit vitalitas per modum conceptus debet esse vitalitas mentaliter prolata à vivente per locutionem sui mentalem, unde comparativè ad Deum magis compararetur ut effectus, quàm ut conceptus, non enim Deus loqueretur, aut viveret per illud, sed tantùm esset quid productum ab illo, & ideo nec respectu hominis haberet rationem conceptus vitalis, nec etiam homo viveret, aut loqueretur per illud, utpotè productum à solo principio extrinseco &c.

Quòd si dicas non salvari ex his discrimen, quod intendimus inter impulsum, & verbum, seu conceptum, & eorum vitalitatem in ratione vitalis termini, si semel salvari non possunt sine habitudine, vel processu ad principium intrinsecum.

Respond., nego ant., ad probat. annexam dico, quòd aliud est loqui de verbo secundùm formalissimam sui rationem, secundum quam præcisè dicit repræsentationem objecti, aliud verò de illo in ratione conceptus, vel termini mentaliter prolati, priori modo differt ab impulsu, quia prout sic nullam dicit habitudinem, aut processum à principio intrinseco, sed puram repræsentationem objecti, & prout sic supplebile est, & potest Deus uniri per modum verbi, impulsus autem, utpotè inclinatio voluntatis ad objectum præscindere nequit ab eadem habitudine ad intrinsecum principiū, & ideo nec potest à solo Deo produci, nec ab illo suppleri, cæterum quia aliàs verbum potest esse prolatum mentaliter ab intelligente, quando scil. objectum non est tantæ immaterialitatis, ut sit in gradu intellecti, tunc sub hac ratione prolati, vel conceptus expressi per actionem vitalem, & ut terminus ejus, similiter importat habitudinem ad principium intrinsecum, sicut impulsus, sed tamen non adæquatur huic conceptui, sed potest ab illo præscindere, ut dictum est, & cōsequenter ab eadem habitudine, à qua sub nullo sui cōceptu potest præscindere impulsus, & in hoc valde discriminantur inter se, sic quòd iste supplebilis non sit, nec à solo Deo produci possit, bene verbum, se solo etiam producendo illud in ratione perfectæ repræsentationis objecti, & uniendo illam intellectui, ut videat objectum.

Ex his etiam patet nullam esse conseq., quæ adducitur in confirm. prædicti modi dicendi ab impulsu ad verbum, quia etiam si daremus posse illum à solo Deo produci, sicut verbum, non tamen eodem modo suppleri, & uniri per modum impulsus, sicut per modum verbi, quia illud, & non ille præscindere potest ab habitudine ad intrinsecum principium tam originativè, vel egressivè, quàm informativè, quia adhuc iste teneretur saltem informare, quia teneretur inclinare voluntatem, verbum autem repræsentare, ad quod nec requiritur processus, nec informatio. In eo tamen casu deficeret à ratione termini vitalis, sive termini actionis vitalis, ut dictum est.

Aliter ergo ad eandem replicam, nego causalem mi., sed quia impulsus non se tenet ex parte objecti, ut virtus, vel ut ultima actualitas illius, sed præcisè est inclinatio in illud, unde nec requirit identitatem in gradu, nec quòd sit ejusdem quiditatis cum objecto, aut perfectè contineat prædicata ejus, sed tantum se habet per modum affectionis, & inclinationis, sicut centrum dicitur contineri à lapide.

Ad explic. patet ex dictis esse discrimen, quòd substantia angelica licet ex quo immaterialis, vel purè spiritualis est, possit esse præsens intelligibiliter in actu 1., vel per modum speciei impressæ, quia tamen potentialis est, non potest sibi identificare ultimam actualitatem generis intelligibilis passivi, sive verbum, & gerere vicem ejus se ipsa immediatè, sed tenetur Angelus producere illud etiam in cognitione sui, aliàs in eodem genere, sive in aliquo modo essendi reali substantia ejus esset actus purus, sicut in omnium sententia esset talis in genere intelligibili activo, si identificaret sibi ultimam actualitatem illius, scil. actionem, vel intellectionem.

Sed instas contrà priorem solutionem ad replicam. Sicut voluntas inclinatur, vel trahitur ab objecto, ità intellectus trahit illud ad se, ergo si quia trahitur voluntas indiget impulsu, ut formaliter in actu 2. inclinetur, pariter intellectus indigebit verbo, ut formaliter in actu 2. trahat.

Explic. hoc. Quia voluntas se ipsa non est formalis impulsus, inclinatur tantùm effectivè ad objectum, ergo quia pariter intellectus se ipso non est formalis similitudo, tantùm effectivè trahet ad se objectum, ergo si quia voluntas tantùm effectivè trahitur, vel inclinatur, amore beatifico producit impulsum, quo trahatur, & inclinetur formaliter, pariter intellectus visione beatifica producet verbum, quo formaliter trahat.

Resp. neg. iterum suppositum conseq., sed quia impulsu, ut dictum est, non se habet ut virtus, vel actualitas objecti, quamvis ità sit, quòd quia voluntas trahitur, magis indigeat impulsu ex parte sui, ut formaliter uniatur per modum inclinationis cum illo.

Ad explic. nego etiam suppositum conseq., quia licet intellectus contrapositivè ad voluntatem habeat trahere objectum, non tamen est necessarium, quòd perpetuò trahat medio verbo superaddito ad illud, sed quando objectum se ipso nequit esse intelligibiliter præsens per modum termini intimè uniti, ut dictum est.

II. Ad arg. principale, & ejus replicas, nego suppositum, quòd impossibilitas verbi sit præcisè attendenda ex parte connotati, ità ut visio in tantùm non producat, quia Deus sit summè intelligibilis, vel in gradu intellecti, sed ex impossibilitate repræsentationis attendendo etiam ad meritū verbi, quòd quia, si quiditativum est, debet esse perfectè, aut quiditative repræsentativum, & quiditativa, vel perfecta repræsentatio Dei omninò repugnet verbo creato, ut ostensum est, ideò impossibile illud judicamus in patria, & in hoc maximè fundatur D. Thom., ut patet ex dictis, cæterum impulsus, cum sit per modum puræ inclinationis,

& te-

& teneat se ex parte potentiæ non importat hanc impossibilitatem, nam optimè potest creatura elevata per gratiam perfectè inclinari, & uniri cum Deo clarè viso, in quo nullum impo tatur prædicatum illi repugnans, scil. continentiæ prædicatorum Dei, vel identitatis cum illo, in aliquo modo essendi reali, sicut desideratur ad perfectam repræsentationem, ut dictum est, unde satis est ad rationem impulsus, quòd sit, vel tendat ad objectum affectivè, non quòd sit vel præcontineat illud subjectivè, sicut ut lapis inclinetur in centrum, non requiritur quòd sit, aut subjectivè illud præcontineat, sed quòd aliqualiter illud participet, unde sicut charitas inclinatur in Deum esso essentialiter, vel subjectivè Deus non sit, sed sola participatio ejus, ità & poterit ad illum inclinari impulsus, esto sola ejus participatio sit, & non essentialiter, vel subjectivè, & ideò licet voluntas amore beatifico impulsum formet in patria, non tamen intellectus verbum visione beata, quia nempè ad istud ex meritis suæ repræsentationis requiritur identitas, & continentia essentialis, vel subjectiva, & non purè terminativa, ut probatum est &c.

Ult. arg. ex inconvenienti. *Si visio in patria fieret per verbum increatum, non posset cadere sub merito de condigno nostrorum operum, consequens est alienum, ergo, prob. ma., quia tunc visio in ratione præmii esset ordinis superioris, & conseq. excederet valorem nostrorum meritorum, ergo, prob. ma., quia tunc visio esset ordinis divini per essentiam, valor autem nostrorum meritorum esset tantùm illius ordinis per participationem, ergo, prob. ant., quia visio tunc procederet ab aliquo increato nobis intrinsecè unito, scil. à Deo unito per modum speciei impressæ, & expressæ, nostra verò merita à puro valore gratiæ habitualis, & virtutum ejus, ergo esset excessus penes ordinem divinum per essentiam: hac enim ratione hoc concretum Deus homo, importat excessum ordinis superantem meritum de condigno puri humi is, quia importat alterum extremum increatum intrinsecè unitum humanitati &c.*

Resp. neg. seq., ad prob., nego ant., loquendo præcipuè à toto genere gratiæ adoptivæ, quia adhuc visio non extrahitur in ratione præmii ab hoc genere, ad prob. nego iterum ant., ad ejus prob. dist. ant., procederet ab aliquo increato elicitivè, vel per modum actionis, nego, causativè, vel per modum effectus, conc., nam Deus unitus præcisè per modum speciei impressæ, & expressæ, sive per modum objecti, vel purè intelligibiliter non elicit visionem, nam aliàs per eam viveret, sicut per illam vivit intellectus beati, sed tantùm causativè, vel efficienter, concursu purè objectivo, vel determinativo, ut explicatum est, quod est concurrere ad illam magis, ut ad effectum, quàm ut ad actionum respectu sui, unde non tenetur elevare illam ad ordinem suum, vel divinum per essentiam, extrahendo à linea ordinis divini per participationem, vel gratiæ adoptivæ, & consequenter nec valorare per excessum ad merita nostrorum operum procedentium à valore habitualis gratiæ; per quod patet ad simile de concreto hominis Dei, quia ibi est unio in genere essendi, vel subsistendi, subsistentia scil. divini Verbi terminante immediatè humanitatem, & faciente illam subsistere in unitate personæ cum Verbo, unde trahitur humanitas ad supremum ordinem gratiæ, sive hypostaticum, vel divinum personaliter, & consequenter superantem quodcunque meritum procedens ex simplici gratia habituali in homine puro, quod non contingit in casu puræ unionis objectivæ, ut dictum est.

Argumenta contrà 1. concl. ex dicendis hic, & infrà q. 14., facilè solvi possũt. Præcipua enim procedũt ex eo, quòd visione beata cognoscunt unum attributum per aliud, v.g. æternitatem per immutabilitatem, & quòd ex vi visionis divinæ essentiæ non videntur necessariò creaturæ eminenter in illa contentæ, ut sunt objectum secundarium, & finitum; & quòd de potentia absoluta possunt eadem visione videre plures creaturas nunc quàm prius, qui modi cognoscendi videntur postulare diversos conceptus, & partialia verba tam circa priora prædicata divina, quàm circà creaturas noviter videndas.

Sed his facilè occurritur. Ad 1. quidẽ, quòd sicut quia eadem cognitione attinguntur præmissæ, ut sunt ratio cognoscendi concl., qua ipsa conclusio, eodẽ pariter cõceptu necessariò attingũtur, ità quia eadẽ visione attingitur attributum, quod est ratio cognoscendi aliud, & illud, cujus est ratio cognoscendi, eodem etiam conceptu, & verbo attingitur utrumque, quia impossibile est multiplicari conceptus non multiplicata cognitione, unde ut ex parte objecti dicatur unum attributum cognosci per aliud, satis est, quòd divina essentia, uniatur intellectui beatorum, ut repræsentans unum attributum esse rationem formalem alterius, quia etiã Deus dicitur hoc modo cognoscere unum per aliud, ut ostenditur infrà qu. 14. ar. 1.

Ad secundum quòd licet divina essentia videri possit non visis attributis, & creaturæ extrà verbũ per species infusas cognosci diversis cognitionibus, & conceptibus, eo ipso tamen quòd videntur in divina essentia, nec videri possint eadem non visa, quæ est ratio illas cognoscendi, jam non diversa visione, aut verbo, sed eodem, quo videtur essentia, videri debeant, unde si etiam verbo creato viderentur, non multiplici, sed eodem viderentur.

Nec refert tertium (quod est replica) non repugnare, posse videre plures nunc quàm prius, quia sicut plures creaturæ videri non possunt nunc, quàm prius ex vi visionis divinæ essentiæ nisi divina essentia uniatur perfectiori modo intellectui beatorum in ratione speciei intelligibilis, & perfectiori modo ipsa videatur, ità nec possunt videri visione diversa ab illa, qua videretur essentia divina, sed eadem perfectiori, & per consequens si produceretur verbum non diverso modo videretur, sed eodem, perfectiori modo repræsentante divinam essentiam primariò, & secundariò plures creaturas. Sed de his latè infrà &c.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum oculus corporeus possit elevari ad videndum Deum.

Duobus modus imaginari possumus posse oculum corporeum elevari ad videndum Deum, (& idem est de aliqua quacunque potentia sensitiva,) primò tanquam objectum ex se visibile, aut sensibile, & contentum intrà spharam objecti adæquati sensus; secundò affirmando quidem Deum esse purissimum spiritum, & consequenter extrà objectum adæquatum sensus, sed nihilominus posse de potentia absoluta Dei elevari visum, aut alium sensum ad il-lum

lum videndum. Priori modo supponimus ut certum de fide, non esse Deum visibilem, aut cognoscibilem aliquo sensu, quia de fide est certum esse omninò incorporeum, in quo sensu dicit Apostolus ad Hebr. 11., & 1. ad Timot. 6. vers. 16., Deum esse omninò invisibilem, ut notat ibi D. Thom., & videri possunt Epiphan. hæresi 70., & Iren. lib. 4. contrà hæres. cap. 37.

Circà hunc posteriorem modum Vasquez hic disp. 40., & Suarez lib. 7. de divinis cap. 6., affirmant D. Augustin. verisimile existimasse Deum oculo corporeo supernaturaliter elevato ad specialem modum operandi posse videri, imò, & sub dubio reliquisse an ità de facto videndus sit à beatis post Resurrectionem sumpto fundamento ex testimonio., quod idem D. Thom. hic objicit sibi. Consentiunt ex recentioribus Valentia, qui saltem dubitat, & de oculo possibili affirmant Arriaga, & alii, quibus, ut inquit Gonet, hoc studium est nihil statuere certum, & omnia revocare in dubium.

Oppositum tenent jam communiter Scholastici, & meritò, quia non solum est D. Thom. hic, sed aliorum etiam SS. PP., & præcipuè August., ut statim dicemus, unde immeritò illi attribuitur hæc possibilitas videndi objectum spirituale respectu sensus.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

LIcet de fide non sit oculum corporeum, aut aliam quamcunque potentiam sensitivam elevari non posse ad videndum Deum, oppositum tamen implicat etiam de potentia Dei absoluta.

I. Pars patet, quia nec Conciliorum, nec scripturæ testimoniis potest efficaciter probari, nam testimonia, quæ Deum invisibilem appellant, altero ex his modis explicari possunt, vel quia sæpè est in corporeus, & expers qualitatis sensibilis, vel quia virtute naturali potentiæ visivæ nullatenus videri potest.

II. Verò pars, in qua est præcipua difficultas, est expressa D. Thom. hic, & maximè fundatur in SS. PP. præsertim in D. August., lib. de videndo Deum, qui est epist. 112., ubi non semel, sed iterum, & sæpius repetit, impossibile esse Deum videri oculis corporeis etiam glorificatis, idque confirmat testimonio SS. PP. Ambros., Hieron., Nazian., & Athanasii, & quia hæretici illi, quos impugnabat, ut suum errorem defenderet, dicebant corpus nostrum in statu resurrectionis ità esse immutandum, ut converteretur in spiritum, postquam hoc validis rationibus impugnavit, subjungit adhuc hac hypothesi data, verum esse, Deum oculis corporalibus videri non posse, quia si converteretur corpus in spiritum jam non corporalibus, sed spiritualibus oculis videretur.

In tota etiam ferè epist. 5., ad Italicam viduam non solum egregiè probat Deum videri non posse oculis corporeis in hac vita, aut in futura, sed etiam circa finem, oppositam opinionem dementiam appellat.

Et licet contrapositivè ad errorem, quem impugnat, videatur tantùm loqui de facto, in similibus tamen, quæ paulo ante, vel ferè immediatè præmittit, rationem fundamentalem, (de qua infrà) insinuat, qua probatur etiam de possibili, quia nempè est objectum adæquatè extrà limites potentiæ sensitivæ, unde similiter ait. *Sonus ergo erit Deus, ut possit auribus percipi, & halitus erit, ut sentiri possit eius olfactum. Et liquor aliquis erit, ut possit, & bibi, & moles erit, ut possit, & tangi, non, inquiunt, quid ergo an illud potest Deus, & hoc non potest, si non posse dixerint, cur deregant omnipotentiæ Dei? si posse, & nolle responderint, cur solis oculis faveut, invideut autem cæteris sensibus &c.*. Ecce quòd non solum rationem fundamentalem innuit exemplo aliorum sensuum, (cum ex eo quòd Deus sit extrà à toto sensibili odorabili impossibile omninò sit posse per olfactum odorari, & sic de aliis sensibus,) sed etiam non leviter insinuat se loqui etiam absolutè, dum aliorum sensuum impossibilitatem supponit adhuc respectu omnipotentiæ.

Divus etiam Ambros. serm. 8. in psalm. 118. super illud *Deprecatus sum faciem tuam* ait. *Quòd si Moyses dum exod. 33. petiit à Deo ostende mihi faciem tuam, putavit Deo esse possibile facere, ut corporeis oculis videretur incorporeus, devotione sancta mensuram supergressus, & amore extrà se raptus, nesciens quid diceret, erravit, & ideo non esse in eo reprehensibilem hunc errorem*. Verum ut idem Ambros. subdit, & communiter docent interpretes in eum locum, Moyses Deum videre postulabat visione intellectuali, non corporali, de quo latè, atque egregiè prout de more Mag. Porrecta in suis veritatibus aureis ad idem cap. Ubi acutè ostendit alterum petiisse Moysen quoad substantiam, scil. videri divinam essentiam, eadem scil. visione intellectuali, & hoc sibi suisse concessum; ut colligitur ex his *ostendam omne bonum tibi*. Nam omne bonum est divina essentia: alterum verò quoad modum, scil. videre permanenter, vel per non totalem alienationem à sensibus, & hoc non est ei concessum, sed dictum est illi, *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea*. Quasi his omnibus diceret, faciem meam, scil. essentiam meam videbis quidem, sed per modum transeuntis, quod innuitur per ly *tollamque manum meam*, scil. lumen gloriæ, & tunc tantùm videbis posteriora, scil. effectus, vel me per effectus, quia cum causa sit prior effectu, effectus respectu causæ dicuntur posteriora ejus; non autem permanenter, sicut vident, qui non vivunt hac mortali vita, nempè comprehensores, quod innuitur per ly *non enim videbit me homo, & vivet*, vel sine totali alienatione à sensibus, sicut probabiliter conceditur de B. Virgine adhuc in statu viæ, unde de nullo puro homine affirmatur secundum hunc utrũque modum vidisse, nam solus Christus utpotè homo Deus, simul viator, & comprehensor Deum permanenter vidit, Mater verò ejus licet sine eadem totali alienatione, solum tamen transeunter.

Sed hæc obiter dicta sint in confirm. communis interpretationis de petitione visionis intellectualis. Omninò videatur idem doctiss. Magister ibidem, & præcipuè resp. 2., ubi notabilem regulam tradit ad vitandum in his, & similibus testimoniis graves errores ob incuriam examinandi contextum, & componendi hujusmodi apparentes contradictiones, pro quibus etiam vitandis adducit aliqua pulcherrima exempla scripturæ ad intentum ejusdem regulæ, secundum quam Deus penetrando cogitationes hominum semper illas in respondendo tangere solet, aut illas à se acceptas, aut ex opposito repulsas ostendendo.

Ratione deinde prob. ex D. Thom., quam etiam supra insinuavimus. Implicat in terminis, quod aliqua poten-

potentia vitalis egrediatur limites suæ essentiæ, sed potentia visiva semel attingens objectum spirituale egreditur limites suæ essentiæ, ergo implicat posse elevari ad attingētiam illius, ma. est certa, aliàs finita non esset, si semel, ut dictum est, egredi posset limites proprios, & ingredi alienos, unde quælibet creatura in universum ità clauditur intrà proprios limites, seu specificos, ut impossibile sit transire ad alienos, nam essentiæ rerum sunt sicut numeri, quibus fit præscriptio, vel limitatio ad determinatam unitatem, vel differentiam specificam cum impossibilitate transitus ad aliam, unde superaddito, vel subtracto aliquo ex prædicatis specificis, statim solvitur propria species, & fit transitus ad aliam, quia subtractio, vel superadditio unius ex his prædicatis de foro specifico arguit novitatem, vel defectum continentiæ, quæ est prædicatum essentiale ipsius essentiæ, vel radicis, & ideo statim eam variat intrinsecè, vel specificè; mi. autem prob., quia objectum adæquatum, vel specificativum potentiæ est terminus adæquatus habitudinis essentialis ejus, ut patet ex dictis, sed objectum spirituale est adæquatè extrà limites lineæ, vel potentiæ sensitivæ, aut corporeæ, ergo potentia visiva semel attingens aliquod spirituale egreditur limites suę esśetię, ma. patet, mi. est etiam certa, aliàs eadem facilitate dicamus, quòd possit etiā objectū, vel res spiritualis odorari, tangi &c., ut ait August., ubi suprà, si semel non est extrà adæquatos limites potentię sensitivæ, vel materialis, quod tamen vocat ibi dementiam, ut dictum est &c.

Explic., & urg. ex D. Thom. hìc. Quia impossibile est, quòd potentia, quæ est actus organi corporalis possit se extendere ultrà corporalia perveniendo principaliter ad spiritualia juxtà meritum potentiæ vitalis, sed omnis potentia sensitiva est actus organi corporalis, ergo nulla potest se extendere influxu principali ad spiritualia egrediendo limites corporalium, mi. prob. à D. Thom. infrà qu. 78., & est certa, quia omnis potentia sensitiva inhæret corpori, & est qualitas materialis ab eo dependens; ma. verò sic, quia agens, & præcipuè principale, ut est potentia vitalis, debet in agendo proportionari ei, cujus est actus, ergo actus organi corporalis tenetur omninò proportionari in agendo corporali organo, nec possibile est se extendere extrà, aut suprà ad spiritualia.

Explic. ulteriùs. Potentia visiva, utpotè vitalis, si semel attingit aliquod objectum, debet principaliter attingere illud, ut iterum constabit infrà, si velimus à puro instrumento distinguere illam, est enim se movens ab intrinseco, sed causa principalis nequit se extendere in agendo extrà limites suæ speciei, aut specificativi, cum in hoc differat ab instrumentali, quòd hæc non solum elevatur ad excedentes, sed ad omnes intrà ambitum causæ superioris moventis, dummodo non sit contradictio; ut patet in materia Sacramentorum, & in igne inferni torquente spiritus, ut instrumento divinæ justitiæ, ergo impossibile est sensum aliquem elevari in ratione potentiæ vitalis ad attingendum spiritum, seu objectum spirituale, vel ad operandum principaliter circà illud extrà limites sui objecti specificativi, & adæquati.

Explic., & urg. ulteriùs totum hoc. Nam evidens est ratione naturali implicare contradictionē, quòd potētia vitalis, vel cognoscitiva feratur ad objectum extrà limites sui specificativi, sed ratione naturali pariter evidens est Deum esse extrà objectum adæquatum potentiæ sensitivæ, quia ratione naturali evidens est implicare contradictionem, quòd Deus videatur ab illa, ergo: præmissæ patent ex dictis, mi. quia non solum fide, sed etiam ratione naturali certum est Deum esse omninò incorporeum, ut demonstrat D. Thom. suprà qu. 3. ar. 1., ratione etiam naturali est certum, tantùm sensibilia, & corporalia contineri intrà objectum specificativum, & adæquatū sensus, ut convincit ratio articuli in prima explicatione exposita; tum quia aliàs si semel sensus non continetur essentialiter adæquatè intrà lineam sensibilem, sed intrà ejus limites potest ingredi aliquod spirituale compsrativè ad ejus influxum principalem, seu comparativè ad illum, ut potentiam vitalem, dicamus iterum, ut suprà cum D. August., quòd poterit odorari, gustari, tangi &c. quod est alienum, & dementia apud eundem S.P. ma. etiam constat, quia contradictio evidens est, quòd actio respiciat simul, & non respiciat objectum potentiæ, cujus est actio, sed hoc evidenter infertur ex attingentia objecti extrà limites sui specificativi, vel objecti adæquati, prob. mi., nam de conceptu essentiali actionis est respicere objectum formale potentiæ, à qua elicitur, vel cujus est actio, quia actio nihil aliud est, quàm actualis tendentia potentiæ ad suum objectum, ergo eo ipso, quòd eliceretur à potentia respiceret ejus formale objectum, & simul non respiceret, conf. tenet, quia supponitur esse circa id, quod est extrà objectum adæquatum potentiæ, ergo si ex quo est actio potentiæ tenetur respicere objectum ejus formale, & ex quo est circa id, quod est extrà illud, impossibile est verificari, quòd respiciat illud, ut patet ex terminis, simul respiceret, & non respiceret &c.

Dices tantùm probari de oculo de facto non de possibili, cum non sit denegandum divinæ omnipotentiæ posse producere aliquem ità elevatum, quod pertingat ad objectum spirituale, & tunc non verificabitur præcedens contradictio, quòd respiciat, & non respiciat, vel quòd exeat limites adæquati etiam per elevationem, sed tantum proportionati, vel adæquati secundum vires naturales, vel proprias, nā objectū adæquatū illius ut sic non est præcise visibile coloratū, (istud enim magis est objectū proportionatū,) sed visibile ex terminis sive coloratū, sive non coloratū, sub hoc autē objecto adæquato continētur spiritus, & ipse Deus, unde ratione facta cū suis explicationibus non cōvincitur visū corporeū saltē divinitus nō posse videre objectū spirituale &c.

Sed contrà hoc est, & 1. iterum, & semper cum D. August. insto in aliis sensibus, de quibus ait esse dementiam id affirmare, nam similiter dicemus possibilem esse olfactum, gustum &c., qui saltem divinitùs odorare possit, aut bibere spiritum, ità ut objectum adæquatum eorum ex terminis nō sit præcisè odorabi e, aut gustabile sensibile, sed odorabile, vel gustabile, sive sensibile sit, vel non sensibile, quod est ridiculū, & nullus audebit de his sensibus hujusmodi nugas proferre.

Deindè adhuc militant eadem argumenta, nam oculus ille quantumcunque perfectissimus, nunquam extraheretur à linea corporei, aliàs non sumus in casu, nam de corporeo, & qui est actus corporalis loquimur, ergo perpetuò teneretur operari extrà objectum adæquatū secundum totam sui latitudinem, & non tantùm proportionatum, aut viribus propriis attingibile, quia ut ostensum est, actus organi corporalis nullo modo ultrà corporalia se extendere potest salva sui finitate, vel limitatione.

III. Quia visus, vel oculus, de quo modo loquimur, nequit habere visionem, quæ sensatio non sit, nam

modo loquimur, ut dictum est, de oculo, qui essentialiter est sensus, seu potentia materialis, & corporea, & patet à simili in intellectu, nam quia est potentia essentialiter spiritualis, vel immaterialis, utpotè corpori, vel organo corporali non inhærens, sed qualitas spiritualis ab eo independens, nequit habere etiam divinitùs actionem, quæ intellectio, vel immaterialis non sit, sed nulla visio, quæ sensatio sit, potest in objectum, quod sensibile non sit, sicut nulla, quæ intellectualis, aut immaterialis sit, potest in objectum, quod immateriale, aut immaterializatum, seu abstractum à conditionibus materialibus non sit, ergo nequit statui pro objecto adæquato ut sic oculi corporei, visibile ut sic abstrahens à corporeo, & incorporeo &c.

Urg. hoc. Nam quia intellectus est potentia essentialiter spiritualis, vel immaterialis nequit tendere ad objectum, quod immateriale, aut immaterializatum non sit, seu reductum ad statum immaterialitatis, ergo quia oculus, de quo loquimur, est etiam essentialiter sensus, seu potentia materialis, vel sensitiva non poterit ullo modo tendere ad objectum, quod sensibile, aut sensibilitate vestitum non sit, seu reductum ad statum sensibilitatis, ergo cum hoc omninò repugnet objecto spirituali, nisi velimus posse Deum induere rationem colorati, vel sensibilis, impossibile erit posse ingredi rationem objecti visus, vel sensus, sic quòd ab illo attingibilis sit.

Urg. ulteriùs illud solum potest ingredi rationem objecti visus, vel alterius sensus quod potest corporaliter, vel sensibiliter attingi, sicut illud tantùm potest ingredi rationem objecti adæquati potentiæ immaterialis, vel intellectus, quod potest immaterialiter, vel intellectualiter attingi, sed implicat objectum spirituale posse sensibiliter, vel corporaliter attingi, quia oporteret vestiri aliqua corporali, vel sensibili qualitate, quod est impossibile, ergo impossibile est objectum spirituale, ut visibile pertinere posse ad objectum adæquatum sensus.

Denique impugnatur sistendo in eodem supposito, quòd sive loquamur de oculo de facto, sive de possibili, semper sit sermo de oculo corporeo operante per elevationem, & simul urgentur superiora: nam de oculo isto possibili, aut creabili à Deo intrà lineam tamen corporei, uno ex his quatuor modis fingere possumus esse elevabilem ad videndum Deum, ut egregiè de more discurrit Mag. Catalam.

I. Augendo virtutem propriam visivam, & hoc est insufficiens, imò eodem modo implicatorium, quia virtus intensa, & remissa utpotè ejusdem speciei, versantur circà idem objectum adæquatum, vel specificativum, ergo quantumcunque intendatur virtus activa semper erit Deus extrà spheram objecti adæquati ejus.

II. Infundendo illi supernaturalem virtutem specialem, qua eliceret supernaturalem visionem specialem, sed hoc etiam implicat, quia ut dictum est, actio vitalis elicita à sensu, essentialiter est sensatio pertinens ad gradum vitæ sensitivæ, sicut actio elicita ab intellectu, essentialiter est intellectio, sed sensatio, & operatio vitalis pertinens ad gradum vitæ sensitivæ essentialiter est materialis, ergo.

III. Sic quod Deus solus produceret in sensu passivè se habente specialem visionem, qua attingeret Deum, sed hoc est magis implicatorium, quia, & si demus (quod est falsum) posse visionem à solo Deo produci, aut productam conservari, & imprimi oculo, non tamen ille per illam videret, quia videre est activè, passivèque vitaliter operari, ergo sicut repugnat potentiam agere, & non elicere actionem, pariter repugnat oculum videre, & non elicere visionem.

IV. Denique ponendo, quòd virtus, qua elevaretur, & visio, qua Deus videretur adhuc corporales essent, sicut etiam potentia, sed hoc etiam patet ex dictis, esse manifestâ implicantiâ, quia implicat actionem corporalem spiritualiter tendere ad objectum, unde nequit visio nisi modo corporeo ferri in illud, & per speciem materialem, & corpoream fieri, sicut actio spiritualis non nisi modo spirituali tendere in suum, & per speciem spiritualem, vel intelligibilem fieri; videri autem Deum, ut in se est, modo corporeo, aut corporali implicatoriū est, nam omnia ex parte objecti tam motivi, quàm terminativi spiritualia sunt, & ex parte potentię sensibilia, & è regione distantia, ergo &c.

Ex his manent impugnati aliqui modi dicendi, quibus contendunt quidam recentiores sustineri præfatam elevabilitatem oculi corporei ad videndum Deū, ut si nempè producat Deus intellectum, & hunc illustratum lumine gloriæ, eique unita divina essentia in ratione speciei intelligibilis uniat oculo corporeo, cum omninò improbabile non sit accidentia spiritualia posse esse in corpore, tunc enim non erit inconveniens, quòd Dei visionem eliciat, ut vult P. Salas 1. 2. qu. 3. tract. 2. dist. 5. sect. 1.: vel si eidem oculo communicetur species impressa Dei, vel cujuslibet alterius spiritus, ut olim Romæ defendebat Lector Olivetanus.

Sed prior sufficienter excluditur ex 2. modo relato, quia implicat in terminis, quòd actio vitalis elicita à sensu, sensatio non sit pertinens ad gradum vitæ sensitivæ, ergo nequit esse visio Dei, nisi velimus sensationem esse de objecto non sensibili, nam si similiter olfactus, ut sæpe dictum est, posset esse de objecto non odorabili &c. quod irridet August., nam etiam si uniatur oculo intellectus illustratus lumine gloriæ, eique unita essentia divina, ut specie intelligibili, adhuc oculus non extrahitur à gradu vitæ sensitivæ, ergo impossibile est, quòd etiam supposito illo sic unito, aut quacunque alia qualitate spirituali eliciat actionem pertinentem ad gradum vitæ superioris, vel intellectualis, aliàs dicamus similiter, quòd possit auditus videre, & sic de aliis, cum adhuc in his sit minor distantia, utpotè pertinentibus ad eundem gradum vitæ sensitivæ.

Posterior verò modus prẹterquamquòd est in casu de subjecto non supponente, quòd possit produci, aut dari species impressa Dei ut in se est, ut latè ostendimus, eodem etiam argumento excluditur, quia sive communicetur species quæ est virtus objecti, sive quæcunque alia qualitas spiritualis, quæ sit virtus ex parte potētię, si tamen velimus stare in supposito quæstionis, & luqui de potentia vere sensitiva, sive de oculo corporeo, tenemur asserere, ut probavimus, quòd actio ab illo elicita non obstante quocunque spirituali superaddito, utpotè non extrahente, ut dictum est, à gradu suæ vitæ sensitivæ, perpetuò sit sensatio, ergo iterum impossibile est, quòd sit visio Dei, aut alterius objecti spiritualis. Præterquamquòd, ut dicimus in superiori 4. modo, & in superioribus; nec minus regnat, quòd sensatio, aut visio corporalis fiat modo non corporeo, aut media specie non corporali, vel spirituali, nisi velimus sensum, vel potētiam materialem spiritualiter tendere ad objectum, quòd est manifesta contradictio, quia alias viveret, vel non viveret de proprio gra-

du

du sensitivo, nam cum potentia vivat per sui actionem, si semel sensitiva sit, vel gradu vitæ sensitivæ, jā per illam viveret hac vita, in eo autem, quòd spiritualiter, vel intellectualiter se moveret, viveret vita spiritus, vel intellectus, & consequenter, vita de gradu superiori, quæ sunt omninò aliena à bona metaphysica. An verò, aut quo modo qualitas spiritualis possit esse, vel recipi in corpore, aliquid poterit insinuari §. Sequenti in solutione primi argumenti &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arg. argumento jam insinuato. Non repugnat accidens corporeum, v.g. colorem recipi in spiritu, ergo nec repugnabit istum videri ab oculo corporeo, cons. tenet, nam in tantùm negatur, quia nequit spiritus sive objectum spirituale vestiri aliquo sensibili, vel corporeo, ant. verò prob., non repugnat accidens spirituale recipi in subjecto corporeo, ut patet in aqua baptismi, ergo nec repugnabit accidens corporeum recipi, aut afficere subjectum spirituale.

Urg. hoc. Potest forma spiritualis dara id, quod est de linea corporea, ut patet in anima nostra dante gradum corporeitatis, & constituente formaliter corpus, vel hominem corporeum, ut explicatum est in 2. de anima, ergo etiam poterit potentia corporea, vel materialis dare id, quod est de linea spirituali, & consequenter habere actum circa objectum spirituale, præcipuè ut mota à spiritu, vel ab intellectu sibi unito, & illustrato lumine gloriæ.

Explic. hoc. Non repugnat, quòd forma spiritualis in genere causæ formalis constituat corpus, ergo nec repugnabit, quòd objectum spirituale in genere causæ formalis extrinsecæ det esse specificativum potentiæ sensitivæ, vel materiali &c.

Ad hoc dico in primis, quòd licet daremus posse accidens corporeum recipi in quocunque alio subjecto creato, utpotè capaci alicujus extrinseci superadditi, non tamen in Deo omninò immutabili tam substantialiter, quàm accidentaliter, sive tam secundum substantiam, quam secundum formam quamcunque accidentalem superadditam, unde esto simul daremus posse ex opposito in potentia visiva, vel materiali recipi qualitatem aliquam spiritualem ad aliquod operandum suprà vires proprias, quia tamen, ut dictum est, per nullam extrahitur à propria linea sensitiva, vel à gradu vitæ sensitivæ, nunquam poterit in ratione principii vitalis, sive in ratione causæ principalis sic elevari, ut elicere possit actionem vitalem extrà lineam suæ vitæ, qualis est visio Dei.

Sed præterà nego ant., ad prob. nego cons., & disparitas est, quia cum accidens corporeum, seu sensibile, ut color, de quo modo loquimur, fiat extensum per quantitatem molis ipsius subjecti, quod ab eodem affici, aut denominari debet, & subjectum spirituale utpotè indivisibile, incapax sit istius quantitatis, impossibile est, quòd recipiatur in subjecto purè spirituali; cæterum accidens, vel qualitas spiritualis, præcipuè si sit quid incompletum, & per modum transeuntis, ut est virtus instrumentalis Sacramentorum (& sic de aliis hujusmodi,) non est necessarium, quòd coextendatur ad extensionem quantitatis subjecti, in quo recipitur, sed est in eo indivisibiliter, idest tota in tota, & tota in qualibet parte ejus; ut colligitur ex D. Thom. qu. 27. de veritate art. 4. ad 5., ubi docet, quòd virtus, quæ est in Sacramentis ad causandam gratiam, nec potest dici propriè corporea, nec incorporea, non quidem primum, quia indivisibilis est, & incapax extensionis quantitativæ, unde alii dicunt esse formaliter, & per essentiam spiritualem, ut Capreol., & Ferrara: nec etiam secundum, quia nempe, ut alii explicant, licet in ratione virtutis, (utpotè insensibilis, & productiva spiritualis effectus,) dici debeat spiritualis, essentialiter tamen in ratione entis, & qualitatis quid materiale est, ut tenent Palud., Cajetanus, & Mag. Catalam 3. par. qu. 13. dub. 4. ad art. 2. in appendice, ubi satis subtiliter, ut solet, hanc difficultatem examinat; nec tamen propter hoc indiget extendi, quia non recipitur in illo per modum formæ completæ, & permanentis, seu habitualiter, sed per modum transeuntis, vel fluxus, quia nempè sunt participationes virtutis divinæ, ut productivæ effectus supernaturalis, & spiritualis: & inquit idem Sapientiss. Magister esse formaliter materiales, & virtualiter spirituales, ut in simili dicitur de motu cœli, qui ut docet D. Thom. infrà quæst. 70. art. 3. ad 3., licet formaliter vitalis non sit, quia non procedit à principio intrinseco viventis, cum cœli sint corpora inanimata, quia tamen est ab Angelo extrinsecùs movente cœlum, vitalis est virtualiter, & concurrit instrumentaliter ad producendam, & conservandam vitam, & sic de aliis &c. unde etiam D. Thom. loco relato de veritate inquit, virtutem productivam gratiæ esse spiritualiter in Sacramentis, sicut species coloris sunt spiritualiter in aere, quæ tamen solum dicuntur spirituales, quia intentionales sunt, & in sensibiles. Et hac ratione existimat prædictus Magister posse utrumque modum dicendi componi, ità ut priores anthores appellent eam esse formaliter spiritualem, quia formaliter, & per essentiam indivisibilis est, & non quia essentialiter in ratione entis, & qualitatis non sit materialis. Sed de his obiter prout ad plura alia deservire possit, nam in utroque modo, ut patet salvatur assignatum discrimen, cum in utroque sit formaliter indivisibilis, & spiritualiter recepta in subjecto corporeo ut ait D. Thom. &c.

Ad confirm. dico in primis, quòd probaret etiam de facto, ut statim dicemus, deinde nego conf., quia forma spiritualis, & superior potest habere eminentiam ad præcontinendum gradus formæ inferioris, ut ibidem de anima ostensum est, sed non è converso forma inferior habet illam ad continendum gradus formæ superioris, aliàs inferior non esset, & eadem facilitate dici posset, quòd forma sensitiva continere, & prestare posset gradus formæ, & vitæ superioris, quod est alienum, unde nec poterit potentia de eadem vita inferiori habere actum de vita superiori, aliàs, ut dictum est, viveret, & non viveret de utraque vita, ut insinuatum est. Nec potest adhuc moveri ab intellectu unitosibi, quia nunquam extrahitur, ut modo supponimus, à gradu vitæ sensitivę, & consequenter alium actum habere nequit, qui sensatio non sit.

Quod si instes. Si semel anima nostra potest dare gradum corporeum constituendo formaliter corpus, cur movere non potest sensum, ut videatur ab illo?

Resp. 1. quòd hoc etiam convinceret de facto, & non tantùm de possibili, nam de facto anima nostra tribuit illum gradum, & constituit corpus (ad quod satis est ut sit corporea, ut quo) & non tantùm de possibili

bili, sed est deinde discrimen, quia ad dandum illum gradum, & constituendum corpus, non est necessarium, quòd extrahat aliquid à sua linea, vel gradu vitæ, ut supponimus, sed tantùm in operando subordinat sibi iohis, quæ non repugnant, cæterum movendo ad videndum se ipsam, extraheret ad superiorem gradum vitæ, cum visio sui non spectet ad lineam sensitivam, & consequenter nec ad vitam illius lineę, unde minus elevari poterit ad videndum Deum, qui nulla qualitate sensibili affici potest, ut dictum est: tum quia anima non movet per se ipsam sensum, cum hoc non fiat per substantiam, sed per accidentia quanta, quorum est incapax spiritus, & per quæ nequit haberi visio objecti spiritualis, gradum autem corporeum dat per se ipsam modo ibidem explicato, unde oon rectè ex hoc inferiori infertur primum. Per quod etiam patet ad explicationem, nam constituere intrinsecè fit à forma per se ipsam, unde satis, est quòd uniatur materiæ, sed dare speciem objectivè, vel terminativè tribuitur ab illa mediis accidentibus corporeis, vel medio colore in casu, quem nequit purus spiritus recipere.

II. Arg. argumento iterum insinuato. Potest corpus divinitùs elevari ut agat instrumentaliter in spiritum, ergo poterit potentia sensitiva, vel corporalis similiter elevari ad illum videndum.

Resp. neg. cons., & discrimen primum est, quia objectū corporis in ratione instrumenti Dei non est præcisè res corporalis, sed quodlibet ens realiter existens, undo agendo instrumentaliter in spiritum non exit limites sui objecti adæquati, sicut exit potentia vitaliter operãdo, nam prout sic cōcurrit in ratione principii, vel causę principalis, quatenus scil. se ab intrinseco movet principaliter intrà lineam vitæ, & habet objectum determinum intrà illam, nam si se moveret extrà etiam io linea superioris vitæ cum aliàs vivat per actionem, per quam se movet, simul viveret, & non viveret, ut dictum est, de linea suæ vitæ. Secundum est, quia actio, qua corpus agit, ut instrumentum Dei noo procedit activè à propria virtute corporis, sed à sola virtute supernaturali, qua elevatur, & corpus tantùm concurrit ut sustentans formam activam, at verò visio, quia est actio vitalis, de cujus ratione est procedere à principio intrinseco vivente, essentialiter petit procedere efficienter non solum à virtute, qua elevatur oculus, sed etiam à virtute activa sui, & ideo deberet versari circà ejus objectum.

Sed instas primò quia jã creatura posset assumi ut instrumentū ad creandum, si semel illud non habet determinatam spheram objectivam: secundò quia in his, quæ divinitùs fiunt tota ratio facti, est potentia facientis, ut dicit August. epist. 3. ad Volusianum, ex quo probamus infrà 3. par. de Incarnatione posse simul naturam humanam terminari à pluribus personis divinis, ergo sive loquamur de causa instrumentali, sive de principali noo est præcisè attendendum ad meritum creaturæ, sed Dei elevantis, & consequenter si est elevabile corpus in ratione instrumenti ad agendum in spiritum pariter erit elevabilis potentia sensitiva ad illum videndum, aliàs eadem facilitate oegabitur homanitatem posse simul terminari à pluribus.

Urg. hoc iustando etiam in intellectu, qui est causa principalis ad videndum, ut jam communiter fatentur Theologi contrà Suarez. Non minus intellectus noster est essentialiter de linea naturæ, seu potentia naturalis, aut materialis, quã sit oculus de linea sensitiua, uel potentia corporalis, aut materialis, sed nihilominus potest intellectus ut causa principalis elevari ad videndū Deū prout in se ipso est ens supernaturale, ergo pariter oculus ad videndū objectū spirituale, & consequenter Deū, cons. videtur tenere à paritate. Et idem argumentum fieri potest in prædicato finitatis, & similibus, cum non minus sit essentialiter finitus idem intellectus, & tamen elevatur ad videndum Deum, objectum infinitum.

Urg. ulteriùs ex eo quòd intellectus elevetur ad videndum Deum, & consequenter ad videndum supernaturaliter per visionem, quæ est vita supernaturalis, & vita gratiæ, non sequitur superior illa contradictio, quòd simul vivat, & non vivat de utraque vita, scil. naturali, & supernaturali, sed tantùm de supernaturali, ergo pariter ex eo quòd elevetur oculus ad videndum spiritum, non sequitur, quòd simul vivat, & oon vivat, de sua, & superiori vita, seu de vita sensitiva, & spirituali, sed tantùm de spirituali cons. iterum tenet à paritate.

Ad 1. instantiam, nego ant., ad prob. annexam dist. si non habet præcisè in determinata linea entis, nego, si non haberet à toto genere entis, conc., nam aliud est, quòd creatura in ratione instrumenti Dei non habeat limites in aliqua determinata linea entis, aliud verò quòd non habeat à toto genere entis, primum est verum ob ratiooem datam, secundum verò falsum, quia ad ens in quantum eos requiritur virtus infinita, quam creatura sustentare non potest, sive instrumentaliter, sive principaliter influat ut alibi ostensum est.

Ad 2. dist., & simul explico ant. prout uoiversaliter assumitur ad quamcunque elevabilitatem creaturæ, & non præcise in mysterio Incarnationis, de quo est sermo ibi. Tota ratio facti &c. supposita non repugnãtia ex parte termini elevabilis, conc., aliter nego, nã etiam in illo mysterio prob. 1. q. 1. ar. 1., quòd non solum non est repugnantia ex parte facientis, sed neque etiam ex parte humanitatis quantum ad assumptibilitatem à Deo, ut terminetur per subsistentiam divinam, ex quo deinde infertur neque esse ut terminetur simul per plures subsistentias divinas, ut efficaciter ibidem ostendimus, cæterum in casu est manifesta contradictio, ut patet ex dictis, unde nec eadem facilitate, nec legitimè inferri potest elevabilitas oculi ad videndum Deum ex assumptibilitate naturæ humanæ ad visioem simultaneam cum tribus personis divinis. Imò ut ibi pariter ostendimus, quia est repugnantia ex parte humanitatis jam terminatæ per propriam subsistentiam, ut terminetur per alienam, semel terminata per propriam, oec divinitùs potest terminari sive per unam, sive per plures divinas, undè poterat retorqueri.

Ad I. confirm. dist. ma., cæteris paribus, oego ma., aliis disparibus, conc., nam est latissimum discrimen, quia intellectus noster licet sit essentialiter de linea naturæ, est tamen simul potentia universalissima spiritualis, organo corporali noo inhærens, ut dictum est, unde non alligatur objectivè ad præcisum ordioem naturæ, sed extenditur ad omne intelligibile, dicens coaptationem essentialem etiam ad Deum clarè visum, vel ad quodcunque superoaturale, cujus etiam signum est, ut vidimus, quòd etiam hic in via saltem imperfectè concipit illum, & ideo etiam appellatur supernaturalis radicaliter, potens immutari à quocunque intelligibili, quod tamen oullo modo conceditur sensui; tū quia aliàs noo haberet natura posse perfici per gratiā, ut dictū est, si nempè neq; intellectualis, aut suprema elevari posset ad actus ordinis gratiæ, eo vel maximè, quòd cū gratia, vel vita ejus, utpotè formalis participatio naturæ divinæ

næ, ut est radix videndi, & amandi Deum, pertineat ad lineam intellectualem, nequit esse adæquatè extrà respectu naturæ pertinentis ad eandem lineam, sed solum dicitur extrà, vel supra, quia excedit proportionem ejus, unde intellectus noster non ideo dicitur essentialiter naturalis, quia per vires gratiæ elevari non possit ad videndum supernaturalia, sed quia sibi relictus, & ex propriis non potest nisi in actus naturales, cæterum oculus, vel potentia sensitiva, cum sit ex opposito affixa, vel inhærens eidem organo, ab eoque dependens, est omninò determinata, ut dictum est, ad gradum vitæ sensitivæ, unde nequit habere actionem, ut probavimus, quæ sensitiva, vel sensatio non sit, & consequenter nec poterit habere aliquam actionē vitalem, qua Deum, vel objectum spirituale attingat, nisi velimus istud, vel Deū clarè visum attingi posse per sensationem, aut actionem corpoream, quod est alienum.

Ex his etiam respond. ad 2. neg. cons. ob idem discrimen, quia cum vita intellectus sit jam de linea spirituali, & intellectuali perfici potest per vitam gratiæ, & supernaturalizari sine eo quòd exeat limites objecti adæquati, unde supposita elevatione nō infertur vivere, & nō vivere de altera vita, sed determinatè vivit vita gratiæ, ad quā elevatur propria: sicut enim non infertur tunc, quòd operetur, & non operetur supernaturaliter, vel naturaliter, sed determinatè operatur supernaturaliter, elevata scil. sui natura ad ordinem supernaturalem, ità etiam quòd determinatè vivat vita gratiæ, elevata vita sui ad vitam superiorem, vel æternam &c.

III. Arg. impugnando præcipuum fundamentum conclusionis, & est replica contrà superiora. Ex eo quòd objectum spirituale non sit præcisè de linea specificativa sensus non rectè infertur esse omninò invisibile ab illo, ergo non est omninò excludendus sensus saltem de potentia absoluta à visione ejus, cons. conseq. tenet, quia hac ratione excluditur, quia non pertinet ad objectum ejus, ant. prob. instando 1. in ente rationis, quod in probabili sententia non pertinet ad objectum specificativum metaphysicæ, & tamen attingitur ab illa. 2. etiam in ipso objecto beatifico, quod in probabili iterum sententia non pertinet ad objectum specificativum nostri intellectus, & tamen per elevationem attingitur ab illo. §. Tum quia licet potentia visiva materialis sit, nihilominus in genere intentionali gaudet aliqua immaterialitate, ergo non est ei deneganda potentia obedientialis, ratione cujus elevari possit ad attingendum spirituale.

Explic., & urg. hoc præoccupando solutionem. Ad attingendum aliquod objectum satis est, quòd contineatur intrà sphæram ejus extensivam, hac enim ratione ens rationis in eadem opinione attingitur à metaphysica, quia saltem spectat ad objectum ejus extensivum, sed objectum spirituale non videtur esse extrà extensivum visus, ergo, prob. mi., quia aliquomodo immaterialis est, ergo ejus objectum saltem extensivum non est limitandum ad purum visibile corporeū, sed abstrahit ab utroque.

Explic., & urg. ulteriùs. Quamvis intellectus noster purè immaterialis non sit, (cum non excludat saltem materiam metaphysicam, aliàs creatura non esset, sed actus purus,) nihilominus intrà proprium objectum non solum extensivum, sed etiam specificativum (ut cum aliis efficaciter ostendimus), includit ens summè immateriale, vel actum purum, ergo saltem intrà extensivum includet visus visibile spirituale, cons. tenet, quia ejus immaterialitas in genere intentionali aliquid in genere objectivo conferre debet suprà potentiam, aut sensum purè materialem, vel non gaudentem tali immaterialitate, ut est tactus &c., ergo superabit saltem objectivè extensivè, attingendo aliquid spirituale, ità ut mediet aliquomodo inter intellectum, & sensum inferiorem, quòd intellectus attingat illud specificativè, visus extensivè, & tactus nullo modo &c.

Ad hoc dico in primis, quòd probaret etiam de facto, & non solum de possibili, quod nullus admittit, deindè vel nego ant., vel dist. non sit de linea specificativa, nec de adæquata, vel extensiva, nego, de specificativa præcisè, transeat, nos autem probamus ex eo, quòd est adæquatè extrà lineam objectivam sensus, & non præcisè specificativam. Ad 1. prob. de ente rationis dicimus saltem pertinere ad extensivum, unde est discrimen; tum quia cum illud dicatur pertinere ad objectum extensivum, quod dicit ordinem, aut cognoscitur connotativè ad specificativum, & ens rationis dicat hunc ordinem, & consequenter sit cognoscibile connotativè ad ens reale, quod est specificativum metaphysicæ in eodem modo dicendi, optimè pertinere potest saltem extensivè ad objectum metaphysicæ; cæterum Deus clarè visus nullo modo connotat aliquid sensibile, unde impossibile est, quòd pertinere possit ad objectum extensivum alicujus sensus; tum quia ens rationis, utpotè scibile ob necessariam connexionem cum suis passionibus, non solum est intelligibile, aut cognoscibile extensivè ab aliqua scientia, sed etiam specificativè, ut ostendimus in logicis, unde non tantùm extensivè, sed etiam specificativè pertinet ad forū scientificum, cæterum visibile spirituale, & maximè beatificum, nullam omninò habens rationem sensibilis nec eam poterit induere; nec specificativè, nec extensivè pertinere potest ad objectum sensus. Unde iterum retorqueri poterat, quòd non solum probaret de facto, vel etiam quòd non solum extensivè, sed etiam specificativè pertinere deberet ad lineam objectivam sensus, imò impossibile esset, quòd sic non pertineret ad illam, sicut ens rationis non solum de facto, sed etiam specificativè pertinet ad lineam objectivam scientiæ, & impossibile est, quòd sic non pertineat ad illam ob eandem connexionem.

Ad 2. Similiter resp. neg. suppositum, quòd ex eo præcisè excludatur aliquid ab attingentia alicujus potētiæ, quia non pertinet strictè ad objectū specificativū, sed satis est, quod pertineat saltem ad extensivum, vel non sit adæquatè extrà, ut etiā in superioribus explicatū est, unde licet Deus clarè visus non contineretur tanquā pars subjectiva sub ente, ut est specificativum nostri intellectus, quia nempè existimant esse tantùm ens naturale, continetur tamen sub illo, quatenus cognoscibilis est quoad an est per effectus, quòd satis est ut perveniat deinde per elevationem ad illum videndum, quia jam non est adæquatè extrà habitudinem potentiæ respectu illius, sicut est respectu sensus, cujus evidens superius signū ast, quòd iste nullā etiā imperfectā potest elicere cognitionem de illo, benè verò intellectus.

Ad 3. dist. ant. gaudet aliqua immaterialitate extrahente illam à linea corporei, vel sensibilis, nego, intrà illam, conc., nam licet ità sit, quòd in sensibus detur potentia passiva perfectibilis, & mutabilis modo intentionali, vel immateriali, hæc tamen immaterialitas valdè imperfecta est, & ex sua ratione generica non excludit corporeitatem, vel sensibilitatem, sed est quidam modus immaterialitatis majoris, vel mi. secundum

cundum

cundum specialem diversitatem cujuslibet sensus consistens in quadam elevatione, & independentia majori, vel minori ab accidentibus sensibilibus; sed de his in 2. de anima. Et per hæc etiam patet ad primam explicationem, ad quam nego mi. ad prob. dist. iterum ant., est aliquo modo immaterialis immaterialitate extrahente à foro sensibili, nego, aliqualiter elevante intra illud conc., unde non est sufficiens ad attingendum id, quod est adæquatè extra illud, sicut est objectum spirituale.

Ad 2. dicimus, quòd licet intellectus noster plenè immaterialis non sit in seipso, quatenus excludere nequit omnem materiam etiam metaphysicam, seu potentialitatem, utpotè ens per participationem, sicut est omnis creatura, nihilominus quia ex sua ratione formali, ut consequitur gradum substantiæ intellectualis modo in superioribus explicato, habet radicem adeo immaterialem, sive abstrahentem à materia, ut non tantum contineat ens increatum, vel summè immateriale intra objectum extensivum, sed etiam specificativū, quod etiam insinuat D. Tho. 3. cont. gent. c. 54. dicens, Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso, sicut sonus à visu, vel substantia immaterialis à sensu, nam Divina substantia est primum intelligibile; sed extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem ejus, ita D. Tho: quia nempe, ut vidimus supra, intra proprium specificativum alicujus potentiæ contineri potest aliquid objectum excedens efficaciam ejus, nam duo distinguenda sunt in illa, scil. aptitudo, seu coaptatio essentialis, quæ est ipsa essentia potentiæ, & virtus, quæ est ipsa efficacia potentiæ ad agendum, per quam proximè operatur, quæ duo diversa esse patet, quia primum cōsistit in ordine transcendentali ad objectū adæquatū specificativū; secundū verò attenditur per ordinem ad objectum proportionatum, ad quod attingendum habet efficaciam ex se, ut patet in potentia visiva in talpa, quæ licet habeat coaptationem essentialem in ordine ad visibile ut sic, quia ab eo specificatur, non tamen habet virtutem, & efficaciam ad illud ut sic, quia non habet illam ad videndum Solem sub illa ratione communi contentum. Cæterum sensus, ut dictum est, & insinuat D. Tho. ibi, respectu substantiæ immaterialis, nec habet virtutem, nec essentiam, vel coaptationem essentialem, unde nec ex se, nec per elevationem potest eam attingere. Nec juvat iterum recurrere ad minimam illam immaterialitatem, quam habet unus sensus supra alium, quia nulla inter illos extrahit, ut dictum est, à linea sensibili, cùm nulla extrahat à gradu vitæ sensitivæ, unde rectè D. Aug. ut supra, opponit in conveniens aliorum sensuum respectu istius potentiæ visivæ.

§. III.

Solvuntur alia duo argumenta.

Quarto arg. (& est replica contrà principalem solutionem). Non magis distat objectum spirituale à potentia visiva, quam distet ab eadem Corpus Christi, ut est in Sacramento, sed nihilominus illud ibidem est ab illa visibile, ut concedit D. Tho. 3. p. q. 76. ar. 7. ad 2. saltem respectu oculi ejus, ergo, probatur ma., tum quia ut est in Sacramento est extra objectum naturale intellectus Angelici: Tum quia ut existens ibidem caret extensione in ordine ad extrinsecum necessaria ad objectum visus, sed hæc est necessaria ad illius objectum cùm nequeat istud immittere species nisi medio loco extrinseco, ergo &c.

Urg. hoc. Quia nec minus distat bonum rationis ab objecto sensus, quam distet aliud quodcunque objectum spirituale, cùm illud pariter spirituale sit, utpotè pertinens ad partem rationalem, vel intellectualem, sed nihilominus est attingibile à sensu, ergo, prob. mi. quia in parte, vel appetitu inferiori subjectantur virtutes morales, sed istæ tendunt in bonum rationis, ergo.

Urg. & explicatur hoc ipsum. Quamvis appetitus inferior adæquatè pertineat ad lineam sensitivam, seu ad gradum hujus vitæ, potest elevari nihilominus in nobis ex conjunctione ad partem superiorem, vel rationalem ad attingendum bonum rationis mediis virtutibus, quarum est subjectum, ut temperantia &c. ergo pariter ex conjunctione ad intellectum illustratum lumine gloriæ poterit oculus elevari ad videndum Deum, conf. videtur tenere à paritate, nam ex eo negatur de oculo, quia adæquatè pertinet ad lineam, & gradum vitæ sensitivæ, sed etiam appetitus inferior adæquate pertinet ad gradum istius vitæ, ergo si adhuc iste elevabilis est ad bonum rationis attingendum, pariter & oculus erit elevabilis ad Deum videndum.

Ad hoc dico in primis esse iterum solvendum à contrariis, quia probat etiam de facto, & non tantum de possibili. Sed pro omnibus dicimus primò posse negari mi. & ad probationem annexam ex D. Tho. responderi potest cum Cajet. ibidem, & Capreol. in 4. dist. 10. q. 4. ad 7. contra primam, quod est intelligendus de visione per accidens, non per se, vel quatenus oculus Christi ita videt se ipsum, ut statim intellectus videat modum, ut vult Cajet., simili modo, quo dicit D. Tho. hic ad 2. quòd oculus glorificatus dicitur videre Deum, scil. per accidens, vel in effectu, sicut oculi nostri dicuntur videre vitam alicujus, quia vident motus aliquos sensibiles ab illo procedentes; vel quatenus videt quædam corporalia signa, quæ sunt testimonia præsentiæ ejus, ut explicat similiter Capreol. sumpto fundamento ex D. Tho. hic, & ex antiqua lectione hujus loci, quæ sic habet: *Oculus Christi videt se ipsum in Sacramento quantum pertinens ad illam.* Quibus etiam consentit Suarez ibi sect. 3. & præcipuè cap. sicut & Paludano ibid. in eo, quod de potentia absoluta negant videri posse ibi oculo corporeo, unde in fine sectionis explicat esse intelligendum in sensu concomitanti, nempè quòd quia oculus Christi existentis in Cœlo est etiam in hoc Sacramento, dum in Cœlo videt seipsum dicitur etiam videre se concomitanter in Sacramento; Unde ly *in Sacramento* asserit non esse conjungendum cum objecto visionis significato per illam particulam, *se ipsum*, sed cum oculo vidente, quia etiam sub Sacramento habet visionem sui ipsius, non reduplicativè prout est in Sacramento; sed prout in Cœlo existit in propria specie, quia scil. visio, quam habet in Cœlo ponitur hic per concomitantiam &c.

Sed præterea admisso cum aliis frequentiùs Thomistis, quòd seipsum videat etiam ut est in Sacramento, ut videtur satis insinuare D. Tho. in eadem solutione; Resp. neg. ma., cum revera etiam ut est in Sacramento sit lucidum coloratum. Vel dist. illam, ut est in Sacramento, ly *ut reduplicante* modum essendi, transeat, vel conc., quia est ibi per modum substantiæ, qui pertinet magis ad forum intelligibile, quam sensibile, sicut & magis pertinet ad idem intelligibile identitas, vel diversitas accidentium in subjecto vivo, & mortuo, ut

ut vidimus in lib. de ortu, & interitu; Et idem similiter dicitur de modo obliquitatis apparentis in aqua respectu virgæ rectæ circa quos facile decipi potest sensus à ratione corrigendus: ly *ut* reduplicate præcise ratione Corporis existentis in illo, quòd uego dicimus sicut enim in alio simili de B. Virgine, quòd habeat scientiam, vel evidentiam circa Mysterium Incarnationis, quòd ex virili semine non conceperat, licet alii hoc credant; non tamen de modo, qua scil. virtute, unde dicimus quoad hoc habuisse fidem ejusdem Mysterii, sic pariter Christus de modo essendi non habuit visionem corporalem, sed intellectualem, potuit tamen videre se ipsum ibi existentem, licet negetur de aliis etiam glorificatis, quia ipse oculus Christi est etiam sub hoc Sacramento, unde in hoc non conformatur ei alius oculus etiam gloriosus, ut inquit D. Tho. & ideo huic negat visionem ejusdem Corporis.

Idq; explicari potest eleganti exẽplo, quod loco relato ex 3. p. q. 3. insinuat Mag. Nuño, & nos latè explicamus infra de Angelis, nempe quod sicut cogitatio cordis, respectu habentis illam dicitur pertinere ad hoc universum, & consequenter est ab illo cogitabilis; secus verò respectu alieni intellectus, sive alterius Angeli, quia non est in eodem supposito, ita Corpus Christi in Sacramento respectu proprii oculi existentis in eodem Sacramento pertinet ad objectum ejus, & est visibile ab illo, non tamen ab alio oculo etiam glorificato, quia respectu istius, utpotè positum sub velamine ejusdem Sacramenti, & consequenter sub velamine fidei est occultatum, & magis pertinens ad lineam credibilium, quam visibilium, vel apparentium.

Ad 1. prob. dist. similiter aut. est extra objectum naturale quoad modum, conc. quoad substantiam neg. Nam sicut quod est quantum, & coloratum est visibile per se, & pertinet prout sic ad objectum visus, ita quia substantiale est, est intelligibile per se, & pertinet prout sic intellectus Angelici, licet quoad modum excedat.

Ad II. dist. mi. est necessaria per modum conditionis, aut ut pertinens ad objectum secundarium, con. per modum rationis formalis, aut ut pertinens ad primariũ neg. sic enim tantum venit lucidum coloratum; unde sicut Deus potest supplere differentiam loci, ut manens hic videat Deum hominem in Cœlo, ut dicitur de D. Stephano, ita pariter supplere potest conditionem medii. Quamvis deinde loquendo de corpore glorioso necessaria non sit hujusmodi latitudo medii, quia per se ipsum immittit species visibiles proprio oculo per medium intrinsecum. Ex quo infert idem Nuño, quòd in cœna non poterat corporalibus oculis se ipsum in hoc Sacramento videre naturaliter loquendo, quia tunc ejus corpus adhuc non erat gloriosum, licet posset supernaturaliter, & forte ita contigit de facto ex maxima perfectione ejus &c.

Ad 1. confirm. dico iterum in primis, quòd probaret etiam de facto. Sed deinde dist. mi. bonum rationis formaliter, vel essentialiter egrediendo formaliter limites propriæ lineæ, nego, participativè, conc., nam sicut phantasia in nobis pervenit ad quendam discursum, non essentialiter, vel formaliter talem, scil. per vim collativam cognita proportione extremorum, ut contingit in parte superiori, sed tantum participativè, per quandam materialem collationem sine cognitione, vel judicio ejusdem proportionis, ita appetitus inferior ex impulsu, ut merito virtutis moralis, cujus est subjectum, dicitur inclinari, vel attingere bonum rationis, non quasi eligendo illud, aut attingendo secundum quòd est formaliter, vel essentialiter tale, vel prout correspondet eidem (hoc enim ad partem superiorem pertinet) sed tantum per modum regulati, & directi, ne exorbitans in his, quæ ad proprium forum pertinent, & subiiciuntur imperio rationis, impediat illud, deordinando, & pervertendo illam. Colligitur hæc doctrina ex D. Tho. p. 2. q. 74. ar. 4. ad 1. ubi ait: *Quod actus virtutis non perficitur per id, quod est sensualitatis tantum, sed magis per id, quod est rationis, & voluntatis, cujus est eligere, nam actus virtutis moralis non est sine electione. Unde semper cum actu virtutis moralis, quæ perficit vim appetitivam est etiam actus prudentiæ, quæ perficit vim rationalem.* Ex quo iterum infert, ut jam probaverat in corp., non posse in sensualitate esse peccatum mortale ex defectu scil. motus perfecti sufficienter ad illud constituendum in eadem parte. Deinde etiam ibidem q. 90. ar. 1. ad 1. explicans illud Apost. ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis &c.* inquit: *Dicendum, quòd cum lex sit regula quædam, & mensura, dicitur dupliciter esse in aliquo, uno modo, sicut in mensurante, & regulante, & quia hoc est proprium rationis, ideo per hunc modum lex est in ratione sola. Alio modo sicut in regulato, & mensurato, & sic lex est in omnibus, quæ inclinantur in aliquid ex aliqua lege; ita quod qualibet inclinatio proveniens ex aliqua lege potest dici lex non essentialiter, sed quasi participativè, & hoc modo inclinatio ipsa membrorum ad concupiscendum, lex membrorum vocatur.* Sicut ergo inclinatio in aliquid ex aliqua lege dicitur lex participativè, ita inclinatio in aliquid ex dictamine virtutis, vel attingentia illius ex regula rationis dicitur attingentia boni rationis participativè, qualiter scil. dum inferior appetitus versatur circa propriam materiam ex directione, & mensura virtutis, versatur circa illam simplicem regulam rationis, quod est attingere bonum rationis participativè, eo vel maxime quòd ut docet D. Tho. ibid. q. 78. ar. 1. in corp. principium actuum humanorum non solum est intellectus, & appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, sed etiam sensitivus, qui secundum quòd in nobis est natus obedire rationi, aliquo modo attingit bonum illius non essentialiter, vel formaliter, sed participativè, scil. in aliquo, in quo resplendeat bonum, & regula rationis, vel mensura virtutis; & hoc modo etiam oculus corporeus, ut vidimus ex D. Tho. dicitur aliquo modo attingere Divinam essentiam, quasi participativè in effectu, scil. in refulgentia Divinæ charitatis in corporibus innovatis. Et per hæc etiam patet ad 2. confirm., vel explicationem &c.

Ult. arg. ex quibusdam authoritatibus sac. Scripturæ, & D. August. Prima sumitur ex illo exod. 33., ubi de Moyse rogante Deum dicitur, *ostende mihi faciem tuam*, scil. videndam oculis corporeis, ut insinuat D. Ambros. serm. 8. in psalm. 118.; secunda ex Esa. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium*; tertia ex Job. 19. *In carne mea videbo Deum*, & 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*; quarta denique ex D. August. aa. de Civitate Dei cap. 29., ubi ut dictum est, de oculo glorificato videtur sub dubio relinquere, an etiam se extendat ad incorporalia.

Ad 1. patet ex dictis quòd intellecta de visione corporali potiùs reprehenditur à D. Ambros. licet piè, & reverenter; quàm approbetur, sed deindè, ut dictum est, de intellectuali communiter explicant Interpretes.

Ad 2. Similiter dicimus intelligendam esse, sicut & alia scripturæ testimonia de oculo spirituali, scil. fidei,

fidei, vel sapientię infusæ, non de corporali, & materiali si loquamur de Deo, ut modo loquimur, in sua pręsentia, quidquid sit in specie corporea, in qua potest apparere, vel in humanitate assumpta, nam prout sic in terria visus est, & cum hominibus conversatus est, ut dicitur Baruc 3.

Ad ult. August. patet ex dictis, nullo modo de mente ejus esse dubitandum. Unde cum D. Thom. hic ad 2. dicimus oculos glorificatos se extendere ad incorporalia non intuitivè, & immediatè, sed enigmaticè vel mediatè, & in effectu, ut jam insinuavimus, quatenus visis aliis corporibus gloriosis statim intellectus ex sui perspicacia ascendit ad cognoscendum ex illis divinam præsentiam &c.

DISPUTATIO III.

De lumine gloriæ ad articulum quartum, quintum, & sextum.

PLura se offerunt examinanda circà lumen gloriæ, nam præmissa, & visa efficacia rationis D. Thom. in art. 4. ad probandam impossibilitatem intellectus creati circà elicentiam visionis sola vi naturali, variæ occurrunt difficultates circà modum ejus influendi, vel quomodo se habeat tam ex parte intellectus, quàm in ordine ad visionem, & primò quidem an ad illam producendam concurrat, ut virtus intellectiva tenens se ex parte potentię, ut jam insinuavimus, an magis ex parte objecti per modum speciei impressæ; secundò an prærequiratur in intellectu, ut dispositio ad unionem essentiæ divinæ cum ipso in ratione speciei intelligibilis; tertiò an sit etiam necessaria dispositio ad recipiendam visionem beatam; quartò, & principaliter, an sit adæquata virtus proxima videndi, quibusdā ibidem pręmissis, in quibus utraqsententia convenit, & in quibus differt; quintò iterum principaliter, an sine omni lumine, vel qualitate intrinsecè inhærēte fieri possit visio saltem de potentia Dei absoluta, sive per modum dispositionis sive per modum habitus; sextò an sit proprię habitus, vel potētia; septimò an sit dabilis creatura, cui connaturale sit lumen gloriæ, & consequenter impeccabilis, ubi aliquid etiam de impossibilitate substantiæ supernaturalis; octavò utrū visio sit connaturalis intellectui informato lumine gloriæ; nonò, & decimò de æqualitate, & inæqualitate visionis, à quo nempè sint, & an sit dabilis una specie, vel essentialiter distincta ab alia, præmissa fidei veritate, scil. non omnes nempè beatos esse æquales in perfectione beatitudinis essentialis, & consequenter visionis Dei; esse tamen plures æquales.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum efficax sit ratio Divi Thomæ ad probandum non posse intellectum creatum sola vi naturali producere visionem Dei, ut in se est.

SUppenimus, ut certum de fide impossibile esse, impossibilitate, scil. de lege ordinaria, intellectum creatum de facto, (nam de potentia absoluta, & de intellectu producibili est adhuc difficultas apud Theologos, de qua infrà, cum nec Testimonio scripturæ, nec definitione Ecclesiæ probetur impossibilitas intellectus cui sit connaturale lumen gloriæ) producere visionem Dei, ut in se est sola naturali virtute contrà Begardos, & Beguinas ex Clementina ad nostrum de hæreticis sumpta ex Concil. Vienensi, nam inter alios errores quintus eorū, qui damnatur est hic. Quælibet intellectualis natura se ipsa beata est, & non indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Eundem errorem docuerant priùs Anomæi, quorum duces fuerunt Eunomius, & Ætius, ut referunt Epiphan. hæres. 76. Basil. lib. 1. contrà Eunomium post medium, & Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum in Eunomio. Asserebant enim Deum in hac vita, & in futura, naturæ viribus posse, ut in se est cognosci à nobis, imò & comprehendi, contrà quos laudati PP., & pręcipuè D. Chrisostom. quinque homiliis, ostendentes Deum ut in se est à nullo intellectu creato videri posse, scil. naturæ viribus, ut suprà dictum est, juxtà illud Apost. 1. ad Tim. 6. *lumen habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*, quod de eisdem naturæ viribus interpretatur D. Thom. cum communi PP. consensu. In quo etiam sensu intelligi potest illud Matt. 11. *Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare*. Nam licet hic locus exponi possit de cognitione fidei, hinc tamen sumitur efficax argumentum ad intentum. Quia sicut ex hoc colligitur, & definit Ecclesia contrà Pelagium nec obscura cognitione fidei posse intellectus viribus naturæ sine auxilio gratię cognoscere patrem, aut filium, minus poterit visione clara intueri, quia faciliùs est Deum per fidem cognoscere, quàm clara visione, & magis supernaturalis est visio Dei, ut in se est, quàm actua fidei, cum pertineat visio ad supremum statum gratię puræ creaturę, fides verò ad imperfectum, & ænigmaticum.

Constat præterea eadem veritas ex eo, quia fide est certum, & prob. art. 6. beatos, tam Angelos, quàm homines inæqualiter videre Deum, & hanc inęqualitatem provenire ex inæqualitate meritorum, ergo fide est certum visionem Dei non produci naturali virtute intellectus creati, quia aliàs inæqualitas ejus nō proveniret ex illa meritorum, sed magis ex inęqualitate intellectuum videntium Deum. Difficultas tamen est circà efficaciam rationis D. Thom.; nam Vasquez in comment. hujus articuli asserit nulla ratione philosophica posse sufficienter probari nec intellectum humanum, nec angelicum posse naturali vi intelligendi videre Deum, ut in se est, quamvis hoc sit certum in fide.

Sed D. Thom. 3. contrà gent. cap. 52. quinque Philosophicis id probat, quarum efficaciam optime defendit Ferrara eodem cap., & sequenti. Scotus verò in 4. dist. 49.

dist.49. qu.11. impugnat ex professo rationem D.Th. hic, & p.2. quæst. 5. art. 5., & aliam sibi visam efficacem assignat, sed eam cum aliis nominalium, & Durandi fusè impugnat Suarez lib.2. de divinis attributis cap.9.

Sed ne fiat æquivocatio circà literam, vel titulum præsentis articuli; Utrum scil. intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videri possit, adverto sensum tituli non esse, an viribus naturę possit creatura intellectualis adhibere media necessaria ad consequendam visionem Dei; de hoc enim agitur 1.2. in materia de gratia, & pars negativa est de fide certa; sed sensus est, ut jam insinuavimus, an intellectus propria virtute naturali intelligens possit producere visionem Dei, ut in se est, unde ly per sua naturalia causam efficientem visionis inquirit.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

RAtio D. Thom. efficaciter, & à priori ex propria ratione cognoscentis, & cogniti probat impossibilitatem visionis sola virtute naturali intellectus creati. Ità Capreol. in 4. dist. 49. qu. 4., Soto qu.2. art. 2. conclus. 5. Cajetan., Bannez, & alii Thomistæ hìc, & Ledesma qu.8. de divina perfectione art. 7. Potissima verò difficultas ejusdem rationis, ut acutè advertit, & egregiè sustinet Mag. Catalam, consistit in confirmanda, & explicanda hac propositione, cui innititur tota vis discursus. *Opportet cognoscens non esse inferioris ordinis objecto naturaliter ab ipso quiditativè cognoscibili, sed ejusdem, vel superioris ordinis.* Hæc autem variè explicatur à Thomistis.

Primus ergo modus explicãdi est Capreol., & Ferrar., ubi suprà, qui necessitatem convenientiæ cognoscentis cum objecto naturaliter cognoscibili in ordine, vel modo essendi docent provenire ex parte speciei impressæ, quæ est ratio cognoscendi. Ex quorum doctrina ad illam probandam potest fieri argumentum sic. Cognitio quiditativa fit secundùm modum, quo cognitum est in cognoscente per speciem impressam, quæ est ratio cognoscendi, sed species impressa quiditativè repræsentans objectum, & modo connaturali recepta in cognoscente, ut ratio naturaliter cognoscendi, debet esse ejusdem ordinis, vel saltem non inferioris illo, nec objecto cognito, ergo cognoscens non potest esse inferioris ordinis objecto à se naturaliter quiditativè cognoscibili, conf. tenet, quia si cognoscens debet esse ejusdem ordinis cum specie, & species cum objecto, jam cognoscens, & cognitum debent necessariò esse ejusdem, mi. etiam constat; nam si species quia est naturalis similitudo quiditativa objecti non potest esse inferior illo in ordine, ut probatum est, quia pariter connaturaliter recipitur in cognoscente ut ratio ejus naturaliter cognoscendi debet esse ejusdem cum illo, vel saltem non inferioris, quia unum quodque recipitur ad modum recipientis, idest juxtà exigentiam recipientis, si recipiatur in eo, ut in subjecto connaturali. Convenit hic modus cum Mag. Medina 1. 2. qu.5. ar. 5., & alium non longè diversum habet Sylvest. in conflato qu. 12. art.4.

Cajetanus verò hìc hanc identitatem ordinis inter cognoscentem, & cognitum ab illo naturaliter cognoscibile probat ex illo principio. In tantum aliquod est cognoscens, in quantùm est natum fieri, & esse alia à se, de quo Mag. Catalam hìc dub. 4. ad ar. 2. Ex quo infertur cognitum, & cognoscentem esse ejusdem ordinis nil aliud esse, ut latè explicatum est, quam convenire in eodem gradu immaterialitatis, quod satis indicat D. Thom. hìc, dum ad confirmandam prædictam propositionem tria genera cognoscentium distinguit penes tres gradus immaterialitatis suprà relatos. Debitum autem sic conveniendi potest inductivè probari. Nam quià sensus est materialis, & organo corporeo affixus, nequit supernaturalia cognoscere, nec etiã materialia in abstractione à materia, & in universalitate, sivè ut abstracta ab illa, & in universali. Intellectus etiam noster, quia pro hoc statu habet modum essendi in materia, nequit quiditativè cognoscere Angelos, sive substantias superiores à materia separatas, ergo inter cognoscentem, & cognitum naturaliter ab illo cognoscibile debet esse convenientia, & proportio in modo essendi, & abstrahendi à materia, & potentialitate.

Juxtà ergo hunc modum dicendi potest ratio D. Th. ad hanc formam reduci. Opportet omnem cognoscentem esse ejusdem ordinis, vel superioris in modo essendo, vel in gradu immaterialitatis cum objecto virtute naturali ab ipso cognoscibili, quiditativa, & perfecta cognitione, sed nullus intellectus creatus, aut creabilis potest ipse esse ejusdẽ in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis cum Deo, ergo nullus creatus, aut creabilis potest virtute naturali cognoscere illũ quiditativa, & perfecta cognitione, conf. est evidens, & mi. certa cum Deus sit in gradu actus puri, & omnis intellectus creatus, & creabilis in quocunque modo essendi realiter ponatur, semper compositionem, & potentialitatem includit, ut dictum est, ma. verò declaratur à D. Thom. inductivè assignando prædictos gradus cognoscentium, & cognoscibilium, qui clarè sunt in textu, & potest etiam probari sic, objectum cognitum si connaturali modo recipiatur in cognoscente recipitur secundum modum essendi ipsius cognoscibilis, ergo naturalis cognitio commensuratur modo essendi cognoscentis, & modo essendi objecti cogniti in cognoscente, quia omnis cognitio fit secundum modum, quo cognitum est in cognoscente. ergo ut perfecta, & quiditativa cognitio objecti sit cognitio naturalis, opportet, quòd cognoscens non sit ordinis inferioris in essendo, seu in immaterialitate ad objectum cognitum, prob. conf., quia si esset ordinis inferioris, jam objectum haberet in cognoscente modum essendi ordinis inferioris, quam esset in se ipso, ergo tunc cognoscens non attingeret illud ut in se est perfecta, & quiditativa cognitione, conf. tenet, quia perfectio cognitionis commensuratur modo essendi ipsius cogniti in cognoscente, & naturæ cognoscentis, ergo si semel objectum in cognoscente habet modum essendi ordinis inferioris, quàm sit in se ipso, cognitio illius nequit esse perfecta, & quiditativa, ut est in se ipso.

Hic discursus videtur per se evidens, & confirmari potest ratione Cajetani. Naturam aliquam esse cognoscentem habet ex hoc, quòd gaudet tali modo essendi, ut nata sit esse alia à se, ergo ex diverso modo, & gradu essendi alia à se consurgunt diversi gradus, & ordines cognoscentium tunc sic, sed modi essendi alia à se proveniunt ex diversis modis immaterialitatis, habitis à naturis natis esse alia à se, ergo secundum diversum modum, & gradum immaterialitatis in essendo distinguuntur diversi gradus, & ordines naturarum cognoscentium, ergo modus cognitionis naturalis commensuratur modo essendi naturæ cognoscentis

scentis, & sequitur modum, quo cognoscens sit connaturali modo ipsum cognitum, aut modum, quo cognitum est in cognoscente, quod idem est. Itaque impossibile est quòd componantur hæc duo; nempè quod fiat cognitio secundum modum, quo cognitum (scil. naturaliter,& quiditativè cognoscibile)est in cognoscẽte, & quòd si semel est in isto secundum modum essendi ordinis inferioris, quia nempè cognoscens est ordinis inferioris in modo essendi, vel in gradu immaterialitatis, quàm sit objectum; possit tunc esse cognitio perfecta, quiditativa, & connaturalis objecti prout in se. Quod manifestè patet quia in se ipso habet tunc altiorem, & perfectiorem modum essendi, sivè quiditativè diversum, & maximè in casu, in quo alterum extramum est increatum infinitè distans in modo essendi à quolibet intellectu creato, & creabili, ergo implicat tunc in terminis, quòd si semel cognitio est ad modum, quo cognitum est in cognoscente, sit ibi cognitio objecti naturalis perfecta, & quiditativa, seù prout est in se.

Urg., & explicari potest totum hoc duplici principio ex materia de anima. Primum est omnem cognitionem fieri per aliquam abstractionem à materia, vel aliquo modo immateriali, & intentionali, unde dicimus,quòd inter sensus ille est perfectior, qui habet modum operandi minus materialem, qualis est visus. Alterum est intellactum ideò esse omnium rerum cognoscitivum, contrapositivè ad sensum, ut vidimus supra, quia in suo esse abstrahit ab omni organo materiali, & corporeo, unde elevari potest ad quodcunque intelligibile cognoscendum etiam Deum clarè visum, sine eo quòd egradiatur limites objecti sui adæquati, aut quòd per sui actionem vivat vita alterius generis, vel ordinis, ut contingeret in sensu, ut latè ostensum est. Ex quo manifestè infertur virtutem cognoscendi, & modum naturalem cognitionis debere commensurari, & accommodari immaterialitati, & actualitati in essendo naturę cognoscantis. Quòd si ità est, ut verissimum, est apertam involuit contradictionam, quòd sit diversitas ordinis in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis, sic quòd cognoscens sit ordinis inferioris, & quòd cognitio ejus sit naturalis, & perfecta, vel quiditativa, sive objecti, ut in se est, aliàs esset, ut supponitur, & non esset,ut probatum est,quia in cognoscẽte non esset ut in se est, sed modo quiditativè diverso, & cognitio, perfecta, vel quiditativa illius ut in se est, est ad modum, quo objectum est cognoscente &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Primò arg. argumento difficili, quod etiam attigit Scotus. Intellectus creatus ut informatus lumine glorię visione clara quiditativè cognoscit Deum,ut in se est, sed neque intellectus ut informatus lumine, neque lumen ipsum convenit cum Deo in eodem gradu essendi, sed est inferioris, ut dictum est, & per se patet,cum sint entia creata, ergo ad cognitionem quiditativã non requiritur, quòd cognoscens, & cognitum conveniant in eodem gradu essendi, vel immaterialitatis, sed poterit cognoscens esse inferioris ordinis, & consequenter principium assumptum à D. Thom. non videtur subsistens.

Huic arg. variè respõdent Authoras, nam Gajet., & Ferrara ubi suprà distinguunt primum conf., ad cognitionem quiditativam naturalem naturæ viribus elicitam,negant conf., & sic intelligitur D. Thom., ad quiditativam supernaturalem elicitam à cognoscente, ut elevato concedunt, & talis est visio Dei.

Sed hæc solutio non videtur plenè difficultati satisfacere. Nam vis rationis D. Thom. in hoc consistit,ut vidimus, quòd ideò intellectus creatus non habet sufficientem virtutem requisitam ex parte potentiæ ad eliciendam cognitionem naturalem quiditativam objecti superioris gradus essendi, quia in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis est inferior, sed etiam ut elevatus lumine gloriæ habet hanc inferioritatem respectu Dei, ergo neque in statu illo poterit habere sufficientem virtutem supernaturalem requisitam ex parte potentiæ ad eliciendam supernaturalem cognitionem quiditativam Dei, prob. conf.quia nulla est major ratio ob quã virtus cognoscitiva naturalis si sit inferior in gradu, vel modo essendi non possit esse sufficiens ad eliciendam connaturaliter naturalem cognitionem quiditativam objecti, & virtus supernaturalis cognoscitiva esto inferior sit in eodem gradu, sit sufficiens ex se ad eliciendam connaturaliter supernaturalem cognitionẽ quiditativam illius, ergo vel lumen gloriæ utpotè inferius in ordine, erit insufficians ad eliciendam connaturaliter visionem Dei, & consequenter indigebit nova elevatione, quod esset procedere in infinitum, vel ratio D. Thom. est inefficax.

Propter hanc replicam Ferrara cap. illo 52. relata præfata solutione aliter respond. negando Deum excedere intellectum, ut illustratum lumina gloriæ excessu impeditivo visionis, quia sic illustratus est ejusdem ordinis cum Deo.

Sed hæc solutio videtur minus sufficiens, & laborare in æquivoco, nam dum dicit intellectum ut illustratũ lumine esse ajusdem ordinis cum Deo clarè viso, vel sumit hanc identitatem ordinis pro sola sui continentia intrà ordinem supernaturalem, & hoc licet verum sit, non tamen sufficit ad intentum rationis D. Tho., quia ut patet ex dictis,non intendit hanc solam identitatem, quòd præcisè contineantur intrà eundem ordinem naturalem, vel supernaturalem, nam aliàs modo etiam ut elevatus per gratiam viæ, aut aliud distinctum donum supernaturale à lumine gloriæ, posset elicere connaturaliter supernaturalem cognitionem quiditativam Dei, cum sic etiam ut elevatus, vel supernaturalizatus pertineat ad ordinem supernaturalem, ergo sumit eandem identitatem pro convenientia in eodem gradu, val modo essendi immaterialitatis, quod necessarium esse ait D. Thom., & tunc perpetuò est ordinis inferioris, ut patet ex dictis.

Aliter ergo resp. Suarez in Metaphisica tom. 1. disp. 30. sect. 11. à num. 44. usque ad 49. non oportere, quòd lumen gloriæ secundum se consideratum sit ejusdem gradus immaterialitatis cum Deo, quia concurrit ad visionem, ut instrumentum Dei, & ideò satis esse, quòd ratione Dei agentis principalia, cui subordinatur ad eliciendam visionem,conveniat cum objecto in modo essendi.

Sed hæc solutio falso innititur fundamento, & à communi jam consensu Theologorum alieno, quia ut jam insinuavimus, & prob. infrà, falsum est visionem non produci à lumina, ut principio quo principali, & ab Angelo, & homine beato, medio eodem lumine, ut ab agente quod principali.

His itaque posterioribus solutionibus relictis,quamvis

vis prima Cajet. possit optimè explicari, & sustineri, ut constabit infra, existimo cum Mag. Catalam propositionem illam D. Tho. Cognoscens non potest esse ordinis inferioris objecto cognito in modo essendi, aut gradu immaterialitatis, intelligi à D. Tho. de cognoscente, ut quod, & de virtute cognoscitiva, quæ est potentia connaturalis ejus, & de his universaliter verificari, quòd ut modo sibi connaturali operandi quidditativa, & perfecta cognitione attingant objectum, requiri, ut non sint ordinis inferioris. Ex qua sic intellecta facilè expeditur difficultas argumenti, unde disting., & simul explico ma. Intellectus ut informatus lumine cognoscit quidditativè Deum modo sibi connaturali operandi, nego, supernaturali, & excedente connaturalem ejus modum operandi, conc. & dist. mi. & alias intellectus operatur ibi modo sibi connaturali, & lumen elicit visionem ut potentia intellectiva connaturalis ipsi videnti ut quod, nego modo supernaturali, & excedente modum sibi connaturalem operandi, & lumen elicit, ut elevatio potentiæ intellectivæ, conc., unde in utroque deficit instantia ad intentum, & rectam intelligentiam rationis D. Tho., quia licet intellectus concurrat, ut potentia, non tamen modo sibi connaturali, sed supernaturali, & excedente illum, & licet etiam lumen eliciat visionem, non tamen, ut potentia connaturalis ipsi videnti ut quod, sed ut elevatio potentiæ intellectivæ, & quamvis naturale sit, aut connaturale lumini gloriæ producere visionem, ut proximum principium quo, non tamen tribuere intellectui, ut modo sibi naturali, aut connaturali operandi eam producat, quod patet primo à simili, quia ut optimè advertit idē sapientiss. Mag. ex D. Thom. q. 24. de veritate ar. 8. ad 4., licet per gratiam possit Deus tribuere libero arbitrio esse confirmatum in bono, non tamen potest ei per gratiam tribuere, ut naturaliter sit in bono confirmatum, quia oppositum, sive non esse confirmatum in bono convenit ei ex hoc, quod est ex nihilo, ut constabit infra, ergo quia similiter intellectui creato ex hoc, quòd est potentia naturalis longè inferior Deo in modo essendi convenit non esse naturaliter, aut connaturaliter productivū visionis, licet lumen gloriæ possit ei tribuere, quòd illam producat nō tamē naturaliter, aut cōnaturaliter. Secundò quia non potest intellectui esse magis connaturale producere visionem, quàm habere lumen, cùm producere eam conveniat per lumen, sed habere lumen non est ei connaturale, sed omninò supernaturale, ergo nec producere illam. Sed de his iterum infra ubi explicabitur in quo sensu possit visio dici connaturalis intellectui illustrato lumine gloriæ. Ex his ergo patet non esse necessarium, quòd beatus, vel intellectus ejus illustratus lumine sint ejusdem gradus immaterialitatis, vel in modo essendi cum Deo, ettò producant claram Dei visionem, quia non producunt illam virtute, aut modo sibi connaturali operandi &c.

Sed instas sistendo eidem paritati luminis, quæ adhuc videtur urgere. Virtus intellectualis, quæ non est potentia intellectiva, sed elevatio ejus, propria efficacitate potest connaturaliter producere cognitionem quidditativā objecti etiò ordinis inferioris sit in gradu, & modo essendi, vel in immaterialitate, ut patet in eodem lumine, ergo etiam virtus intellectualis, quæ est potentia intellectiva poterit eandem producere etsò ordinis inferioris sit, conseq. tenet à paritate.

Resp. neg. conf. & disparitas sumitur ex eisdem principiis, quibus probat D. Tho. propositionem, quam impugnat argumentum, & ut acutè advertit idem laudatus Mag. consistit in hoc, quòd nullum cognoscens creatum sua naturali potentia intellectiva potest modo cōnaturali cognoscere aliud à se cognitione quidditativa, nisi prius in se recipiat speciem aliquam impressam repræsentativam obiecti, quia cùm intellectus creatus sit essentialiter potentia passiva nata trahere rem ad se, ejus modus connaturalis intelligendi alia à se, exigit ut prius objectivè determinetur, vel fiat in actu per speciem intelligibilem in ipso receptam, unde cum cognitio naturalis fiat, ut dictum est, secundum quòd cognitum est in cognoscente & cognitū in cognoscente modo naturali, non recipiatur nisi juxta modum essendi cognoscentis, oportet, quod cognoscens, & potentia ejus cognoscitiva modo connaturali perfectè attingens cognitum non sit inferioris ordinis, vel gradus in modo essendi. Cæterum lumen gloriæ, quia non est potentia intellectiva, sed elevatio ejus ad modum operandi divinum, nec est potentia passiva, sive receptiva objecti, sed potius elevat intellectum ad hoc, ut objectum per intimam assistentiam sine receptione, & informatione possit ei uniri, ut species intelligibilis, & ratio intelligendi, non tenetur esse ejusdem ordinis, unde etiam fit, quòd cum obiectum non recipiatur ibi nec realiter, nec connaturaliter in cognoscente non trahitur ad modum essendi cognoscentis, sed retinens propriū modū essendi fit ei ratio cognoscendi, & ideo esiò cognoscēs sit inferioris ordinis, vel gradus secundum se, ut tamen habet illud, seu divinam essentiam unitam, ut rationem cognoscendi potest eam quidditativè attingere, de quo D. Tho. q. 8. de verit. ar. 3. ad 14.

Ex his facile explicari, & sustineri potest solutio Cajet. Nam cum omnis cognitio connaturali modo elicita à cognoscente creato, seu naturali potentia cognoscitiva sit necessariò naturalis, rectè dixit Cajet. intelligendum esse D. Tho. de cognitione naturali. Ad cujus replicam patet ex dictis rationem adæquatam, ob quam intellectus nō potest cognoscere modo sibi connaturali objectum superioris ordinis cognitione quidditativa, vel perfecta non esse præcisè, quia est inferior, vel gradus inferioris, sed quia concurrere debet ut potentia intellectiva naturalis ipsi cognoscēti, ex quo, ut dictum est, efficaciter deinde infertur prædicta identitas in ordine, aut gradu, vel exclusio inferioritatis in illo.

II. Arg. iterum impugnando rationem D. Tho. Quia dum dicitur cognitionem fieri secundum modum essendi cognoscētis, vel intelligitur de modo essendi substantiali illius, vel de modo essendi potentiæ cognoscitivæ, per quam fit cognitio, sed neutrum dici potest, ergo nō est necessaria hæc identitas in modo essendi ad perfectam, & quidditativam cognitionem; prob. mi. primò quoad prima primæ quia alias tres tātum essent modi cognitionum, cùm tres tamen sint modi essendi substantiales cognoscentium, nempe esse in materia, esse separatum à materia, & non à potentialitate, & esse separatum ab utraque, quod tamen est falsum, cùm certum sit esse quatuor, scil. sensitivæ, intellectivæ hominis Angelorum, & Dei, ergo.

Deinde quoad 2., quia aliàs iterum intellectus hominis etiam in statu conjunctionis conveniret cum modo essendi Angelorum, & consequenter etiam in hoc statu posset cognoscere Angelos quidditativè, sed hoc non admittitur, ergo, prob. ma., quia etiam in hoc statu intellectus noster est immaterialis, & habet modum essendi immaterialem, utpotè immediatè inhærens animæ, quæ immaterialis est etiam dum est in corp. ergo haberet convenientiam cum modo essendi Angelorum. Fff 2 Resp.

Resp. intelligi de utroq; primò tamen, & principaliter de substantiali formæ, vel naturæ substantialis constitutivæ cogn.: unde nego mi., & ad probationem quoad 1. p. dico quòd hujusmodi modi essendi sunt quatuor, quia sub primo relato continentur duo, ut supra insinuavimus; alter scil. formæ, quæ sic habet esse in materia, ut naturaliter extra illam esse non possit, ut anima sensitiva, alter verò formæ, quæ sic habet esse in materia, ut naturaliter extra illam esse possit, & per se subsistere, ut anima rationalis, quæ formaliter eminenter, ut dictum est, est etiam sensitiva, & principium potentiarum sensitivarum, quæ sine materia esse nequeunt, & ideo ut sensitiva pertinet ad primum gradum, quia ut est radix sensuum distinguitur virtualiter à se ipsa, ut est rationalis, sufficienter ut ad illum gradum pertineat, quia præcisè considerata, ut est eorum radix, non habet ut possit realiter esse separata à materia, sicut quia in materia est, estò ab illa non dependeat, constituit gradum distinctum ab Angelis, licet separata à materia ad illum pertineat; cùm enim sit medium inter Angelos, & animalia, participat de utroq, extremo, unde sicut ut sensitiva est, est supremum infimi gradus cognoscentium, ita pariter ut intellectiva attingit infimum superioris gradus. Ex his etiam patet ad probat. quoad 2.; ad quam nego iterum sequelam, quia intellectus humanus in statu conjunctionis, licet non inhæreat corpori, inhæret tamen formæ existenti in corpore, eidemque subordinatur in agendo, ut radicali principio, ut explicatum est in lib. de anima, & ideo pertinet ad gradum inferiorem gradu Angelorum, de quo videri potest Cabrera 3. p. q. 9. ar. 2. disp. 4., ubi latè explicat hos gradus, & alia leviora argumenta solvit contra rationem D. Tho., quam multis etiam impugnat Scotus, sed solvunt Capreol., Ferrara, & Cajet. locis relatis, & facilè solvuntur superiori illa exceptione nempe quod debitum sic conveniendi in modo essendi requiratur à D. Tho. ad cognitionem quidditativam, & perfectam objecti, ut in se est, ut patet dum solum visionem claram Dei probat esse impossibilem intellectui creato vi naturali; & deinde quod sic convenire in modo essendi intelligendum non sit quasi aritmeticè, & indivisibiliter cum omnimoda æqualitate, sed tantum de convenientia in gradu, ut supra explicatum est &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum lumen gloriæ concurrat ad visionem ut virtus intellectiva tenens se ex parte potentiæ, an verò solum ut species impressa ex parte objecti ut virtus ejus.

Suppono cum communi consensu visionem de facto efficienter procedere ab intellectu beati, imò ut ostenditur infra, nec de potentia absoluta fieri potest, ut intellectus videat Deum per visionem à solo Deo productam. Circa id verò, quod inquirimus, licet aliquod suprà jam insinuatum sit, quia tamen universaliter conducit ad rectè percipiendam naturam habituum, qui deserviunt potentiæ, ideò ex professo placet hanc difficultatem examinare contra Vasquez, qui hic disp. 43. duo asserit; Primum est, si divina essentia uniatur intellectui Beatorum, ut forma, vel species intelligibilis impressa, superfluit omninò lumen gloriæ, quia intellectus sola virtute sibi naturali cum essentia divina concurrente ut specie impressa producet visionem. Id specialiter probat c. 3. 4. & 5. Secundum est de facto essentiam divinam non uniri intellectui Beatorum, ut speciem, sed magis lumen gloriæ esse speciem impressam, nec alia ratione roborare intellectum ad videndum Deum, nec alio modo, aut genere causalitatis concurrere ad visionem, quàm aliæ species impressæ creatæ roborent illum, & concurrant ad intellectionem objecti, cujus sunt species. Ita docet c. 6. & 7. subscribunt huic Auctori pauci aliqui recentiores ex eadem societate Alarcon, & novissimè Pater Esparza hic.

§. PRIMUS.

Præmittuntur quædam necessaria circa quidditatem luminis gloriæ.

Quamvis in Concilio Viennensi ut dicemus infra, definita sit necessitas luminis, quid tamen nomine istius intelligat non constat inter Theologos, & quia notitia quidditatis ejus (& idem similiter est de aliis habitibus, aut donis supernaturalibus) valde juvat ad præsentem, & sequentes, & ad plures alias difficultates theologicas, ideò præmitto primò cum communi iterum consensu Thaologorum nomine luminis gloriæ in ea definitione necessariò esse intelligendum aliquid distinctum à visione beata præcedens ut elevatio intellectus ad eam habendam. Quia expressè Concilium affirmat requiri lumen gloriæ, ut elevans intellectum ad videndam divinam essentiam, ergo nequit omninò nomine luminis intelligi de actu videndi, sed de aliquo prævio elevante intellectum, vel ad recipiendum eundem actum, vel ad illum producendum, conseq. tenet, quia intellectum videre est habere actum vidandi à se elicitum, vel saltem receptum ab extrinseco agente, ergo sicut repugnat intellectum elevari per actum vidandi ad illum habendum, cùm in hoc, quòd est elevari intrinsecè includatur habere ipsum actum videndi, ut patet ex terminis, ita pariter repugnabit elevari per ipsum actum videndi ad videndum.

Hinc sequitur, quòd opinio asserentium visionem beatā à solo Deo produci intellectu merè passivè se habēte, & hoc supposito lumine gloriæ nō indigere, quia neq; ad producendam illam, cum à solo Deo fiat, neque ad recipiendā, quia per sua naturalia est immediatè raceptivus visionis, non videtur quod possit cōponi cum prædicta definitione concilii, ut deducitur argumento facto: quod potest etiam confirmari, quia propositio, quam Concilium damnat duas continet partes, altera est, intellectualem naturam virtute sua naturali posse esse beatam; altera verò, non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, ergo definit esse necessarium lumen, ut suppleat insufficientiam, quam intellectus creatus habet in ratione potentiæ cognoscitivæ ad habendā visionem Dei, ergo non videtur, quod prædicta opinio posse subsistere salva definitione Concilii, quia licet non affirmet possa intellectum creatum virtute naturali esse beatum, affirmat tamen non requiri lumen gloriæ ad videndum Deum.

Quòd si dicas primò salvari per hoc si dicamus concursum, quo Deus sa solo produceret visionam intelligi

ligi à Concilio nomine luminis elevantis intellectum ad videndum. Sed hoc videtur insufficiens, quia si dicamus talem concursum esse formaliter ipsam visionem, jam non poterit habere rationem elevantis intellectum ad videndum, sed constituet formaliter videntem. Neque etiam videtur posse suffragari, si dicatur esse aliquid distinctum à lumine, nam neque pront sic obtinebit rationem luminis, nisi admittatur in eodem recipi, ut aliquid præcedens visionem, quo disponatur ad eam recipiendam, quod præfata opinio non admittit. Præterquamquòd nullum est assignabile fundamentum, quo possit interpretari Concilium voluisse nomine luminis significare talem concursum, ut poterit constare infrà.

Præmitto 2. lumen gloriæ necessariò esse aliquod donum supernaturale creatum elevans intellectum ad videndum Deum. Hoc etiam adeò certum statuunt communiter Theologi, ut oppositum judicent periculosum, imò Cajet. hic §. ad 4. Scoti, Ferrara 3. contra gent. c. 54. versus finem, Capreol. in 4. dist. 49. ar. 3. ad argumentum Aureoli, Soto q. 2. ar. 4. & recentiores Thomistæ docent esse fide certum; quod colligitur primò ex illo psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Nam de visione beata esse intelligendum, præter D. Tho. hic docent etiam Aug. in enarratione ejusdem psal. & c. 36. soliloquior., & alii Interpretes, & apertè colligitur ex verbis illis præcedētibus *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, ubi fit expressa mentio in sensu literali de fælicitate justorum. Et ita docent Lyra, & Genebrard. prædicta verba in sensu literali sic exprimentes. In lumine tuo, idest, lumine gloriæ creato à te nobis concesso elevante intellectum nostrum videbimus increatum lumen faciei tuæ, ut in se est. Nec obstat D. Ambros., & alios gravissimos Interpretes locum hunc aliter interpretari. Tum quia non est certum literalem sensum tradere. Tum quia etsi literalem tradant, non tamen reiiciunt præcedentem, nam ut vidimus supra q. 1. ad art. 10. idem locus sæpè gaudet duplici sensu literali, ut tradit ibi D. Tho., & videri potest M. Bannez ibid. dub. 7.

II. Quia dum Concilium definit intellectum creatum indigere lumine gloriæ, in ea significatione loquitur, in qua solet communiter usurpari à Theologis, sed omnes Theologi ante, & post idem Concilium nomine luminis intellexerunt semper aliquod donum creatum, quod esset participatio luminis increati, ergo sic illud intellexit Concilium.

III. (& urgetur præcedens) licet gratis daremus possibilem visionem de potentia absoluta Deo se ipso elevante intellectum ad illam per solam intimam assistentiam, de quo infra; certum tamen est de facto non sic elevare, secundum legem ordinariam, sed medio aliquo supernaturali producto in intellectu, sicut certum est, voluntatem de facto non elevari ad amandum Deum per solam intimam assistentiam Spiritus Sancti, aut charitatis increatæ, sed per aliquod donum creatum, ut ostenditur 22. q. 23. ar. 2., ergo cum Concilium loquatur in sensu de facto non potuit nomine luminis intelligere increatam Dei substantiam, sed aliquod donum creatum.

Præmitto 3. Non esse fide certum lumen gloriæ esse habitum supernaturalem infusum. Ita Soto, ubi supra, Bannez hic, & communiter recentiores, licet isti velint, Capreolum, Cajet. & Ferrar. locis relatis oppositum docere, sive quod sit fide certum ob Clementinam ad Nostrum de hæreticis sumptam ex superiori Concilio. Cæterum ut rectè advertit M. Catalam hic in explicatione literæ, Cajet, nec mentionem facit hujus vocis *habitus*. Capreol. etiam, & Ferrara indistinctè loquuntur de lumine, ut significat supernaturalem virtutem, vel qualitatem activam per modum actus primi antecedentem visionem, sive hæc sit habitus, sive auxilium actuale. Ex Clementina autem juxta præfatum Concilium licet habeatur necessitas luminis, non tamen quod determinatè sit habitus. Deinde quia, ut ostenditur 2. 2. ubi sup., & 1. 2. q. 63. ar. 3., non est fide certum dari habitus per se infusos. Et auctoritates Scripturæ, & præcedens definitio Concilii, quæ de lumine gloriæ loquuntur, sufficienter videntur explicari, si dicatur nomine luminis intelligere supernaturale auxilium actuale, quod sit qualitas per modum motionis, aut motio ad eliciendam visionem.

Præmitto 4. Negari non posse sine periculo errandi lumen gloriæ esse qualitatem supernaturalem ex se permanentem. Ità authores proximè relati, & est communis consensus; quia dum Concilia definiunt aliquid, de quo erat quæstio inter Theologos, & eisdem vocibus, quibus utuntur Theologi, tenemur asserere, quòd in eadē significatione communi inter Theologos usurpent voces, aliàs nihil esset certū in definitionibus, si liceret interpretari voces definitionum in significatione, & sensu alieno à sensu communi; sed ante, & post Concilium Viennens. communiter Theologi, etiam qui negarunt ejus necessitatem, usi sunt hac voce luminis gloriæ ad significandam qualitatem permanentem elevantem intellectum ad videndum Deum, ergo contra communem consensum Theologorum, & cum periculo errandi in materia fidei, negaret quis esse qualitatem supernaturalem ex se permanentem; & revera probabilissimū est sic fuisse usurpatam à Concil. hanc vocem luminis gloriæ, unde non potest non esse periculosum in interpretanda propositione fidei aliter eam exponere contra communem consensum.

Urg. hoc. Nam quia est communis consensus Theologorum de facto, vel de lege ordinaria elevari à Deo potētias ad actus supernaturales perfectos mediis qualitatibus permanentibus, seu habitibus, nemo sine metu temeritatis, & periculi erroris auderet hoc negare, ergo nemo à fortiori id audebit sine eodem metu respectu actus visionis, cons. tenet, quia cum hic omnium perfectissimus sit ex natura sua invariabiliter in æternum permanens, ut fiat modo connaturali magis exigit permanentem esse ex se qualitatem elevantem intellectum ad illum habendum, quàm quilibet actus supernaturalis puri viatoris. Supposito, ergo quod lumen gloriæ sit qualitas supernaturalis per se infusa, & ex propria ratione essentiali permanens, quod jam nullus negabit ad ejus specificam rationem, & munera investigandum descendimus.

§. II.

Statuitur Conclusio.

Asserendum omninò est lumen gloriæ non esse qualitatem per modum speciei impressæ tenentem se ex parte objecti, sed magis concurrere ad producendam visionem, ut virtutem intellectivam tenentem se ex parte potentiæ. Est communis consensus Theologorum, ut ex possesso probat Lorca 1. 2. disp. 30., & docet Suarez lib. 7. de attributis Dei cap. 15.; & ex dictis supra ad art. 2. constat, quàm immerito oppositum tribuatur Ricardo, Scoto, & maximè D. Thom., de

quo

quo valdè miratur,& meritò Mag.Catalam hic dub.1., cum D. Thom. expressè in hoc art.5. probet requiri lumen gloriæ, ut dispositionem elevantem intellectum adhoc, ut divina essentia uniatur ei ut forma intelligibilis, & 3. contrà gent. cap. 53. ratione 2. probet esse dispositionem requisitam, ut divina essentia fiat species intelligibilis intellectus; quomodo ergo poterat, vel minimum dubitari de mente ejus, aut illi attribui quòd lumen se haberet tantùm ut species impressa, & quòd esset superfluum, essentia concurrente ut specie intelligibili &c.

Sed non solum esse contrà D.Thom. oppositam opinionem,sed etiam contra communem consensum Theologorum constat ratione superiùs facta, nam tempore Concilii Vienen., ut dictum est, communiter Theologi utebantur hac voce luminis gloriæ ad significandam virtutem ex parte intellectus requisitam ad videndum Deum, & non speciem impressam, neque cum hæreticis fuit unquam controversia, an ad videndum Deum, necessarium esset divinam essentiam uniri intellectui, aut per se ipsam, aut per aliquam speciem impressam, hoc enim nullus hæreticorum unquam negavit, ergo cõformiter ad commonem usum Theologorum, nomine luminis gloriæ non intelligit Concilium speciem impressam.

Explic., & urg. hoc 1. Quia species impressa, ut talis est, non requiritur ad elevandam potentiam, sed ad uniendum objectum potentiæ, ergo cum Concil.nomine luminis intelligat aliquid elevãs intellectũ,& supplẽs insufficientiã virtutis naturalis non potest ex eodẽ nomine luminis intelligere speciẽ impressã, ant. est certũ,& supponitur ex communi doctrina Animasticorum.

Urg. 2., & simul impugnatur altera pars ejusdem modi dicendi. Si probabile esset, vel posset admitti esse superfluum lumen,essentia divina semel unita intellectui beatorum ut specie impressa, pariter esset probabile, aut posset admitti intellectum de facto non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, consequens utpotè contradictoriè pugnans cum definitione Concilii, est hæreticum, ergo nullo modo videtur admittendum primum, conf. est evidens, ma. verò prob., quia non solum probabile est, sed etiam probabilius, & nunc jam communi consensu Theologorum receptum, essentiam divinam uniri de facto intellectui beatorum ut speciem intelligibilem. Nec apparet, qua ratione effugi possit vis argumenti,nisi dicatur eadem definitione Concilii damnatum esse, quòd divina essentia per se ipsam videatur sine specie impressa creata, sed hoc affirmare non solum est absurdum, sed omninò intolerabile, quia sine auctoritate, & urgenti ratione damnaretur communis sententia Theologorum.

II. prob. concl. opponendo plura inconvenientia, quæ sanæ doctrinæ non congruunt. Si lumen præcisè concurreret ut species impressa tenens se ex parte objecti sequitur intellectum ex sua intrinseca naturali perfectione habere integram virtutem requisitam ex parte potentiæ ad producendam visionem beatam, consequens sanæ doctrinæ non congruit, ut patet ex superiori definitione Concilii, & statim etiam constabit, ergo, & ant., sequelam concedit Vasquez, nec potest negare consequenter loquendo, quia ad visionem beatam, & in universum ad omnem aliam intellectionem requiritur duplex activitas (juxtà illud axioma communiter receptum in scholis,quòd ex intellectu, & re intellecta, vel objecto paritur notitia) altera scil. ex parte potentiæ, altera ex parte objecti, quam tribuit, vel per se ipsum, vel per suam speciem impressam, & certius est requiri activitatem ex parte potentiæ, quam ex parte speciei, vel objecti: ut verò intellectio perfecta sit, oportet utramque in suo genere, & ordine esse sufficientem, & integram, ergo si lumen præcisè confert activitatem requisitam ex parte speciei vel objecti, habebit intellectus ex se totam requisitam ex parte potentiæ, quod etiam patet inductivè in cæteris Intellectionibus, in quibus si tantùm deest activitas requisita ex parte objecti, totam habet ex se requisitam ex parte potentiæ, & hanc totam præsupponere ipsam speciem; mi. autem præterquamquòd, ut insinuavimus; colligitur ex eodem Concilio, prob. ulteriùs 1. sic. Quia aliàs intellectus esset æquè potens ex sua intrinseca perfectione naturali producere claram Dei visionem, ac visionem quiditativam Angeli, vel alterius objecti naturalis, nam si non datur ei species proportionata quiditativè repræsentans objectum, neutrum potest videre, si verò datur species proportionata utrique objecto, utrumque sua naturali virtute videbit, solo adjutus concursu speciei, & generali Dei,ut primæ causæ.

Dices cum Vasquez cap.4. num.13. esse discrimen inter visionem beatam, & visionem aliorum objectorũ, quòd ad illam producendam indiget supernaturali specie,ad visionem verò quiditativam Angeli, vel alterius objecti naturalis, sola indiget speciei naturali.

Sed hæc solutio, ut rectè etiam ponderat Mag. Catalam, magis confirmat argumentum, quàm solvat, nam si solum est discrimen ex parte specierum, jam erit æqualis virtus ex parte intellectus respectu utriusque visionis, sicut enim species naturalis confert tantum activitatem ex parte objecti, ità pariter supernaturalis, quia in hoc fatetur ibidem esse pares, & tenetur fateri, cum affirmet utramque præcisè concurrere, ut speciem, & supponere activitatem requisitam ex parte potentiæ ad utendum specie, ergo ità est sufficiens, & potens intellectus ad utendum specie supernaturali, & ad producendum cum illa visionem beatam, sicut est sufficiens, & potens ad utendum naturali, & ad producendum cum illa visionem naturalem, sed hoc sanæ doctrinæ non congruit, ut videtur per se manifestum, ergo solutio data magis confirmat, quàm solvat inconveniens adductum &c.

Explic. hoc, & simul prob. hæc mi. sub sumpta impugnando iterum discrimen assignatum. Si intellectus ex sua naturali perfectione haberet integram, & sufficientem virtutem ad utendum specie repræsentativa Dei, ut in se est, & ad producendum cum illa visionem beatam, jam talis species, (& consequenter etiam visio per illam producta) magis esset connaturalis, quàm supernaturalis respectu intellectus, consequens est alienum à sana doctrina, ergo discrimen assignatum ex supernaturalitate alterius speciei est nullum, & da sobjecto non supponente,mi patet,quia affirmare Deũ, ut in se est posse ab intellectu videri naturali virtute, naturali specie, & visione est error in fide, ma. verò prob., intellectus ex se habet virtutem sufficientẽ ad utendũ specie repræsentativa Dei ut in se est juxtà solutionem datam,ut ostensum est, ergo talis species non excedit, nec superat virtutem, & activitatem intellectus, nec est ei improportionata, & consequenter nequit esse supra naturam intellectus, aut supernaturalis respectu illius, sed proportionata, hæc ultima conseq. tenet, quia speciem esse supernaturalem respectu virtutis cognoscitivæ, nihil aliud est quàm excedare ejus natu-

naturalem virtutem, & activitatem, sic quòd indigeat elevatione ad hoc, quòd possit illa uti, & cognoscere, ut patet ex terminis, & inductivè in omnibus verificatur supernaturales non esse, si semel ejus naturalem vim cognoscendi non excedant: primum similiter constat, quia si excederet superans virtutem, & activitatem naturalem intellectus, jam indigeret etiam elevatione ad illa utendum, & cum illa intelligendum, & consequenter non haberet ex se sufficientem activitatem, ut habere vult Vasquez.

Dices cum eodem ubi suprà, ideò speciem repræsentativam Dei ut in se est esse supernaturalem, quia nequit dari in ordine naturali, nec à causis naturalibus, nec ullus intellectus eam postulat ex natura sua.

Sed neque hæc solutio videtur alicujus momenti, imò repugnantia afferere, quòd stet intellectum habere ex se integram, & sufficientem activitatem, & virtutem ad illa utendum, & cum illa intelligendum, & quòd eam non postulet, aut sibi connaturaliter non debeatur ut statim ostendimus.

Sed deindè impugnatur 1. nam plura sunt à solo Deo producibilia, & nullo modo à causis inferioribus, sive creatis, & tamen quid supernaturale non sunt, ut patet in anima nostra, & Angelis, & in speciebus etiam intelligibilibus connaturalibus intellectui Angelorum, quæ juxtà probabiliorem sententiam fuerunt infusæ à solo Deo producibiles, & certum est, vel à solo Deo, vel ab objecto, quod repræsentant posse produci, ergo ex hoc, quod aliquis effectus, vel species Deum repræsentans sit à solo Deo producibilis non rectè infertur esse supernaturalem.

II. Impugnatur. Nam supposito intellectum creatum habere ex se sufficientem virtutem ad utendum tali specie, & ad producendum visionem cum illa, gratis negatur eam exigere tanquam proprium, & connaturale perfectibile per illam, ut iterum patet inductivè, nam hac ratione postulat alias species repræsentativas suorum objectorum, & est aptus connaturaliter habere illas, quia ex se habet virtutem sufficientem intellectivam ad producendum cum illa intellectionem circà talia objecta; neque alia ratione objectum aliquod, & actus circa illud censentur quid proportionatum potentiæ cognoscitivæ, nisi quia ex se habet sufficientem virtutem ad producendum actum circa tale objectum, facta in actu per speciem ejus, ergo sicut Deus infundens speciem Angeli superioris intellectui inferioris dicitur operari ut Auctor naturæ, quia agit juxtà exigentiam, vel ut postulat naturalis perfectio intellectus angelici, ità producens speciem sui in intellectu creato diceretur agere ut auctor naturæ, quia ageret juxtà exigentiam, vel ut postulat naturalis ejus virtus intellectiva, ergo non minus hæc esset ordinis naturalis, & debita intellectui creato, quàm sit naturalis illa, & debita intellectui angelico.

Sed 2. prob. eadem mi. principalis argumenti, nempè quòd intellectum habere ex se integram, & sufficientiam virtutem ad visionem beatam ex parte potentiæ, & solum expectare activitatem ex parte objecti conferendam per lumen non videatur sanæ doctrinæ congruere, & iterum urgentur superiora inferendo aliud inconveniens. Si intellectus creatus ex sua naturali perfectione haberet hanc virtutē ad videndū Deum, sic pariter eam haberet voluntas facta convenienti propositione objecti ad producendos actus supernaturales diligendi, sperandi &c. sed hoc sanæ doctrinæ repugnat, ergo & illud, mi. constat, quia definitum est contrà Pelagium ad hujusmodi actus non sufficere revelationem, aut propositionem objecti, sed requiri ex parte voluntatis supernaturale auxilium, vel gratiam adjuvantem, ma. verò probat, quia non magis sunt supernaturales hujusmodi actus, quàm visio Dei, imò hæc, ut dictum est, est omnium perfectissimus in eadem linea, ergo non magis excedunt isti activitatem voluntatis, quam visio illam intellectus &c.

III. Prob. eadem mi., & simul præcipuū intentum conclusionis à priori, scil. quòd nequeat ex se intellectus habere totam activitatem ex parte sui, lumine influente præcisè ut specie ex parte objecti, aut purè conferente activitatem ex parte illius. Virtus conveniens intellectui ex sua naturali perfectione est merè naturalis, ergo nequit esse sufficiens ad producendam visionem intrinsecè, & secundum substantiam supernaturalem. Hac enim ratione dicimus definitam esse necessitatem luminis in Concilio Vienense contrà Begardos, ad actum visionis, & in aliis Concil. necessitatem auxilii supernaturalis contra Pelagianos, scil. propter insufficientiam utriusque potentiæ non solum ob defectum activitatis ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ &c.

Responderi potest ex eodem cap. 4. ejusdem disputationis dist. conseq., nequit esse sufficiens ad producendam visionem quoad gradum genericum, nego, quoad specificum, sive ut est intellectio supernaturalis, vel talis objecti, conc., quia ab intellectu tantùm habet, quòd sit intellectio, & vitalis operatio, non verò quòd sit supernaturalis, hoc enim habet à lumine gloriæ, ut specie, nō tamē quòd sit intellectio, aut vitalis operatio.

Sed hæc solutio videtur omninò insufficiens; quia licet communis ratio intellectionis, vel volitionis abstracta per intellectum à naturali, & supernaturali, nec sit naturalis, nec supernaturalis, ut tamen existit in re, & producitur contracta per differentiā supernaturalem tota est supernaturalis, ergo virtus naturalis intellectus, aut voluntatis nequit esse sufficiens ad producendum aliquid de intellectione, vel volitione supernaturali, nisi dicatur virtutem naturalem esse sufficientem ad producendum in re aliquod supernaturale, quod nollus admittet, utpotè non solum contrà rationem, sed & in hæresim Pelagianam declinans, ant. patet, tum à simili, quia licet communis ratio substantiæ abstrahat à corporea, & incorporea, tamen contracta ad Angelum in re, tota incorporea est, & contracta ad lapidem tota corporea. Tum à priori quia in re visio beata, & quælibet alia intellectio est una simpliciter entitas, & essentia, esto per rationem distingui possit in gradum genericum, & specificum, ergo in re, vel tota naturalis est, vel tota supernaturalis.

Propter hæc argumenta, & alia hujusmodi Mag. Catalam hic omninò certum existimat intellectum creatum non habere sufficientem virtutem etiam ex parte potentiæ ad videndū Deum, unde præter essentiam divinam unitam ut speciem intelligibilem, vel speciem creatam si daretur, indigere lumine gloriæ, ut virtute intellectiva tenente se ex parte intellectus, ut elevante illum ad utendum eadem essentia, ut specie, & ad producendum visionem cum illa, sicut generaliter ad quemcunque actum supernaturalem eliciendum præter species impressas indiget intellectus creatus supernaturali lumine intellectuali elevante illum. An verò idem lumen sit non solum elevans, sed tota virtus proxima, an verò intellectus saltem partialem virtutem habeat ex se ad producendam visionem, examinabitur infrà &c. §. III.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARg. primò ex Vasquez ad probandum, quòd si semel essentia divina concurrit, ut species, superfluum sit lumen, & quia hoc posterius saltem de facto ut vidimus, est contra fidem, ideò lumen præcisè habebit concurrere ut species, unde probat primum sic; quando plures causæ diversæ rationis concurrunt ad aliquem effectum producendum necesse est, ut cuilibet correspondeat in effectu aliquod realitet, vel ratione diversum ab eo, quod correspondet alteri, quia illa, cui specialis ratio in eo non corresponderet, esset superflua, sed in visione beata nihil potest assignari, quod lumini correspōdeat etiam ratione distinctum ab eo, quod correspondet intellectui, & divinæ essentię unitæ ut speciei, ergo supposita unione essentiæ sub munere speciei superfluum est lumen ad visionem producendam prob., mi., quia in visione beata hæc tria solù considerari possunt, scil. quòd sit intellectio, quòd sit visio, idest clara, & intuitiva intellectio, & quòd sit talis objecti, sed esse intellectionem habet ab intellectu, esse visionem, & talis objecti ab essentia divina ut speciei, quia quiditativè, & clarè repræsentat tale objectum, ergo &c.

Ad hoc in quo consistit tota vis ejusdem Authoris; dico in primis, quòd non solum videtur insufficiens ad tam novam opinionam introducendam, sed ferè nullius momenti, nam ut optimè advertit sepè laudatus Mag. Catalam, ma. propositio potest ut plurimū esse vera de ratione sub qua fit effectus, non de ratione quæ fit in illo, quia in causis, aut principiis agendi subordinatis inter se, idem gradus, aut ratio entis, quæ fit ab una sub uno modo, aut ratione sub qua agendi, attingitur ab alia sub alia, aut alia ratione sub qua agendi, v. g. eadem ratio intellectionis, quæ fit ab intellectu, ut à potentia vitali, & proximo principio, fit etiam ab anima, ut à principio primo, & radicali, nec potest assignari aliqua ratio in intellectione naturali, quæ tali modo non fiat ab utroque; nec ex hoc sequitur, quòd sit superfluus concursus animæ, vel intellectus.

Quòd si dicas, hoc ideò esse, quia anima non influit immediatè, & per se ipsam, sed medio intellectu, ut virtute, & ratione agendi: idem suo modo dicimus, & nos de intellectu respectu supernaturalis intellectionis, quia, ut ostendemus infrà, nihil de illa intallectus immediatè, & per se ipsum producere potest, sed solum medio lumine supernaturali, ut integra virtute, & ratione agendi elevante, & dante illi adæquatas vires proximas, unde sicut lumen sine intellectu nequit aliquod de illa producere, ità nec intellectus sine lumine, sed quælibet ejus ratio ab utroque procedit, ab intellectu, ut à potentia elevata per lumen, à lumine ut à virtute, & adæquata ratione agendi dante illi efficaciam ad agendum, unde propriè non dicuntur diversæ causæ, sed ex utroque constituitur unum sufficiens principium in ratione potentiæ intellectivæ.

Sed deinde admisso, quòd in qualibet operatione distinguendæ sint secundum rationem diversæ rationes, quæ per quandam appropriationem tribuantur diversis principiis, mi. est omninò falsa, & ad ejus probationem dicimus diminutè, & insufficienter numerari rationes, quæ in visione Dei considerati possunt, & per appropriationem tribui diversis ejus principiis; nam præter communem rationem intellectionis, habet visio primò, quod sit actus supernaturalis, & ad eam sic producendam necessarium est lumen supernaturale elevans intellectum, quia essentia divina concurrens præcisè ut species, non elevat potentiam, sed tantùm præbet concursum ex parte objecti.

II. Habet, quòd sit visio, & talis visio, scil. Dei, & sicut in essentiam divinam unitam, & speciem reducitur, quòd sit talis visio, ità in lumen gloriæ, quòd sit supernaturalis visio.

III. Habet, quòd sit assensus, aut judicium evidens, & hoc etiam referendum est in lumen, quia in qualibet cognitione, evidentia assensus, aut judicii non à specie, sed à lumine provenit, cum stante eadem specie, & aprehensione nunc judicium inevidens est, & opinativum, postea evidens, & demonstrativum, cum ergo lumen naturale intellectus tribuere nequeat evidentiam, & claritatem supernaturalis judicii erit necessarium præter speciem lumen supernaturale ex parte potentię, ut rectè concludit idem doctiss. Magister.

II. Arg. intellectus ad visionem per nullum comprincipium elevari potest, quod species impressa Dei non sit, sed elevatur per lumen, ergo lumen habet rationem speciei impressæ; prob. ma., quia à nullo alio juvatur intellectus in intellectione naturali aliorum objectorum nisi à solis speciebus impressis, ergo à nullo alio comprincipio elevabitur ad visionem.

Urg. 1. quia juxtà communem Theologorum doctrinam ideò colligimus posse intellectum elevari ad videndum Deum, quia videmus saltem imperfectè modo in via cognoscere illum, seù cognoscere posse naturaliter cognitione abstractiva, ut supra etiam insinnavimus, sed ad hanc cognitionem solum juvatur speciebus impressis abstractivè illum repræsentantibus, ergo solis istis indiget sive ad naturalem, sive ad supernaturalem cognitionem.

Urg. 2. Intellectus ex suo conceptu est essentialiter potentia purè assimilativa, solumque effectiva imaginum, & similitudinum formalium objectorum, ergo nequit intellectus elevari nisi per has similitudines intelligibiles, aut per virtutem assimilativam, & consequenter nisi per spe.ies impressas, quia istæ solum continent objectum intentionaliter, sivè in esse intelligibili, ergo cum intellectus elevetur per lumen nacessario istud erit species impressa.

Denique: quia si lumen non tribuit intellectui virtutam intentionaliter præcontentivam Dei in nullo potest juvare ad illum videndum, sed si intellectui tribuit lumen hanc virtutem in esse intetionali præcontentivam Dei, illum elevabit per modum speciei impressæ, cum hoc sit munus ejus, ergo verè lumen obtinet necessariò rationem speciei impressæ, ita ut denegato ei hoc concursu, & concesso essentiæ divinæ semel unitæ per modum speciei impressæ, erit superfluum lumen.

Ad hoc dico in primis, sicut ad præcedens, esse ab eisdem solvendum salva his temporibus, ut dictum est, communi sententia Theologorum, quòd essentia divina uniatur de facto, ut species intelligibilis intellectui beatorum, quę proculdubio satis, & ferè ad literam conformis est prædicto Concilio, quod præcipue fuit ad statuendam necessitatem luminis ob insufficientiam intellectus non purè objectivam, quæ suppletur à specie impressa, nam de hoc non fuit controversia apud hæreticos, quos impugnat, ut dictum est, sed ex parte potentiæ à communi autem sententia Theologorum sine

ma-

magno fundamento recedere non licet; magnum autem hic fundamentum non assignatur, nec assignari potest, ut patet jam ex solutione præcedentis, & statim etiam constabit ex solutione præsentis, quod ferè continet eandem vim, licet sub aliis terminis, & forma, & assumit etiam, quæ in bona Metaphysica sustineri nequeunt, ut dicemus, unde tenentur omninò solvere illud.

Pro omnibus ergo nego absolutè ma., ad prob. dato iterum in primis transeat ad ant., nego conseq. ob latissimum discrimen inter intellectionē naturalem, & supernaturalē præcipuè visionem Dei, de qua agimus, quia hæc plura habet ut proximè dictū est, quæ nec suppleri possunt à specie, & minus à virtute, vel naturali lumine intellectus; nam plenè continentia supernaturalitatis, sive ut actus, sive ut visio supernaturalis est, ab aliquo tenente se ex parte potentiæ omninò tribui debet, cum species, ut vidimus; tantùm præstet concursum ex parte objecti, & non sit munus ejus dare id, quod spectat ad lineam physicè, vel strictè effectivam, vel ex parte principii elicitivi, & productivi intrà hanc lineam, sicut est productio actus, ut supernaturalis est, sed tantùm quod spectat ex parte objecti, sive quòd sit actus, vel visio in casu talis objecti, minus autem id tribui sufficienter potest à sola virtute naturali intellectus, quidquid sit an partialiter concurrere possit ad illam ex propriis, de quo infrà: nec iterum à solo lumine naturali ejus haberi potest evidentia, & claritas judicii, quam importat visio, utpotè pertinens ad supremum ordinem puræ gratiæ, & quæ, sicut in cæteris cognitionibus, à lumine tenente se ex parte intellectus provenit, & non à specie.

Sed deindè, nego ant., quia nullo modo in bona Metaphysica admitti potest si velimus distinguere intellectum humanum ab angelico, quia ut vidimus in logicis, cū intellectus noster non consequatur ad substantiā plenè, vel completè intellectualem, sicut angelicus, indiget contrapositivè ad istum habitibus superadditis ex parte sui ad plura sui objecta etiam naturaliter cognoscenda, & non solum speciebus superadditis, nec possunt ad omnia supponere sufficientiam virtutis ex parte ejus, sicut supponunt in angelico, unde, ut ibidem ostensum est, licet dicamus ad præcisè intelligendum, vel cognoscendum naturaliter aliquod objectum non indigere qualitate supperaddita per modum habitus ex parte sui, sed sola speeie ejus, secus tamen ad perfectè, vel scientificè cognoscendum, vel sine errore, qua ratione statuimus necessitatem logicæ; nec habitus scientiarum constituere possumus in præcisa collectione specierum, quia omninò juvari debet ad sui insufficientiam habitibus superadditis, & distinctis ab illis, qui solum præstant concursum ex parte objecti, ut sunt species intelligibiles: ex quo etiam obiter constat insufficienter ibi resolvi prædictam difficultatem, si semel habitum scientiæ indistinctum velint à specie, & plenam supponere sufficientiam ex parte potentiæ, nam de necessitate specierum non poterat quis legitimè dubitare, cum etiam requirantur in Angelis, sed de habitu scientiæ, ut distincto ab illis, & supplente defectum ex parte illius, an revera sit necessarius simpliciter, de hoc enim est gravis difficultas, nec sine magno fundamento ex utraque parte, ut latè ibidem ostendimus, & partem affirmativam elegimus &c.

Ad 1. confirm. patet ex dictis illud esse signum, quòd intellectus sit elevabilis ad videndum Deum, quia nempè in via saltem imperfectè, & abstractivè illum cognoscit, in quo distinguitur etiam à sensu, qui nullo modo adhuc imperfectè ad illum, vel ad aliud quodcunque spirituale objectum pervenire potest, & ideò denegatur ei omnimoda elevabilitas ad ejus visionem, ut dictum est; cæterum ex hac imperfecta, vel abstractiva cognitione, (dato etiam quòd solis speciebus ad illam indigeat, de quo modo non vacat) illegitimè infertur, quòd solo etiam concursu speciei juvetur ad claram, & intuitivam illius, quia impossibile est, ut vidimus, ad istam supponere in illo sufficientiam virium ex parte sui cum sola indigentia concursus speciei, vel objecti. Præterquamquòd modo etiam in via præter species acquisitas ministerio sensuum, quibus utimur in ordine ad credibilia, indigemus lumine fidei, quod licet Esparza similiter de isto, & universaliter de quocunque habitu juvante intellectum ad suos actus, affirmet esse species impressas, immeritò tamen, quia in bona Theologia, ut supra insinuavimus, negari non potest, quòd idem lumen sit aliquod per se infusum, species verò illę sunt aliquod acquisitum, neque anima in hoc statu dum est unita corpori regulariter per species per se infusas intelligit, excepta anima Christi, quia erat anima comprehensoris, unde quidquid sit, quòd ad puram naturalem imperfectam, vel abstractivam Dei habitam ex visione effectuum sufficiant solæ species objectorum, non tamen ad quamcunque abstractivam, vel imperfectam, multo autem minus ad claram, & perfectam in patria, ubi proculdubio est minor sufficientia ex parte intellectus, imò nulla proxima ad illā, & ad quemcunq; actum supernaturalem, ut dicemus infrà &c.

Ad 2. dist. ant., est essentialiter assimilativus, & factivus imaginum positis debitis requisitis, conc. aliter nego ant., & utrumque suppositum, quæ includuntur in consequentibus illatis, scil. quòd intellectus sit assimilativus, & factivus imaginis, & similitudinis, nempè speciei expressæ non supposita specie impressa objecti, qua fœcundatur ad pariendum conceptum, sive eandem speciem expressam, quia ut toties dictum est, ex potentia, & objecto paritur notitia, & consequenter terminus ejus, qui est idem conceptus, quasi filius genitus ex utroque; & deinde etiam nego quòd lumen sit assimilativum immediatè, & pro formali, sed tantùm media specie impressa, quæ sola est formalis similitudo objecti, formaliter præcontinens illud in esse intelligibili, non vero lumen, nam istud, ut vidimus supra, tantùm dici potest similitudo analogicè, & communiter, ut effectus, & participatio quædam divini intellectus, vel luminis increati, non formaliter, ut species intelligibilis repræsentans divinam essentiam, unde generali quadam locutione, ut dictum est, tantùm dici potest species impressa, idest recepta in intellectu, nam cautissimè D. Thom. hic art. 2. ait, lumen esse similitudinem, nempè requisitam ex parte potentiæ, ut virtutem intellectivam, quæ longè diversa est à specie intelligibili, nam hæc non est similitudo requisita ex parte potentiæ, ut virtus ejus, sed requisita in potentia ex parte objecti, cujus vices gerit in eliciendа cognitione, ut acutè ibidem ponderat M. Catalā, unde licet elevet intellectum non, tamen per modum speciei impressæ, & consequenter præter hanc, aut Deum unitū in ratione speciei, est omninò necessarium aliquid distinctum elevans ex parte potentiæ, ut virtus ejus.

Imò, ut subtiliter advertit Mag. meus Ferre poterat argumentum aliter iterum retorqueri contra P. Esparzam, nam in ordine naturali, quando intellectus habet

bet virtutem completam ad intelligendum aliquod objectum, præter hanc completam, eique innatam adhuc indiget specie repræsentante illud, ergo in ordine supernaturali præter innatam tenentem'se ex parte potentiæ, & præter speciem repræsentativam objecti omninò indigebit virtute distincta ab utraque, prob. conseq. quia intellectus in hoc ordine, & præcipuè respectu visionis non habet se solo sufficientem, vel integram, & completam, ut late probatum est, ergo præter innatam,& præter speciem repræsentativam objecti, est necessariũ aliquid aliud supernaturale cõplens, conseq. tenet, quia si ordine naturali præter speciẽ repræsentativã objecti requiritur virtus integra, & completa ex parte potentiæ à fortiori erit hęc necessaria in ordine supernaturali, & pręcipuè in supremo purę gratię, ut dictum est, ergo si in hoc ordine non habet intellectus se solo sufficientem, & integram, vel completam, omninò indigebit aliquo superaddito, & distincto ab innata, & à specie repræsentativa objecti, & conseq. adhuc unita essentia Divina in ratione speciei intelligibilis intellectui beatorum, non erit superfluum lumen, unde optime stant hæc duo, quòd intellectus, & lumen sint suo modo aliquid assimilativum, & nihilominus sit necessaria species distincta ab intellectu, & lumine, ac per consequens erit indispensabiliter necessarium aliud conprincipium distinctum ab illa.

Ex his etiam patet ad tertiam: iam enim assignavimus quid correspondeat lumini distinctum ab eo, quod correspondet speciei nempe esse actum, vel visionem supernaturalem, & judicium, vel assensum evidentem; speciei vero quòd sit talis visio nempe Dei, unde præter virtutem præcontentivam Dei in esse intentionali, quam tribuit species, datur virtus præcontentiva visionis illius, ut actus, & visio supernaturalis, & judicium, vel assensus evidens est, quæ tribuitur à lumine, cum intellectus ex se, utpotè de puro ordine naturæ,hæc prædicata supernaturalia præcontinere non possit,sed tantum est elevabilis ab illo ad eadem præcontinenda &c.

Sed instas. Per nos species impressa concurrit effectivè ad visionem, ergo tenetur illam continere, & non tantum objectum, & consequenter sola illa sufficiet ad dandam utramque præcontinentiam, sive ad præstandum hæc duo, scil. repræsentantionem objecti & præcontinentiam visionis.

Ad hanc instantiam etiam patet ex dictis, unde disting. ant., concurrit, concursu purè objectivo, vel intentionali conc., physico, vel ex parte potentiæ nego, & dist. similiter primum consequens, tenetur illam præcontinere, præcontinentia purè objectiva, & intentionali conc., physica, & requisita ex parte potentiæ nego, unde adhuc est necessarius concursus luminis præter proprium, quem præstat ex parte objecti, unde etiam nego secundum conseq. Ex quo etiam infertur, quòd dum dicimus lumen esse necessarium ob meritum supernaturalitatis in visione, intelligendum est de supernaturalitate entitativa, vel physica non pure intentionali, vel objectiva, aut specificativa,hæc enim specialiter attenditur ex parte objecti, & consequenter dependet à specie.

III. Arguit Mag. Ferre in eorum favorem ex proprio marte sic. Quando intellectus, vel vis intellectiva est necessariò determinata ad cognitionem alicujus objecti in particulari, tunc non requiritur species objecti distincta à vi intellectiva, sed lumen necessariò determinat intellectum nostrum ad visionem Dei, ergo non requiritur species impressa Dei distincta à lumine,conseq. tenet, mi. est certa, & ma. probatur in intellectu angelico respectu cognitionis ejusdem Angeli, nam quia idem intellectus necessariò determinat Angelum ad cognitionem propriæ substantiæ non indiget Angelus ad cognoscendum seipsum specie impressa sui repræsentativa, sed sola vi intellectiva, & concursu terminativo objecti elicitur cognitio, ergo supposita tali determinatione intellectus non est necessaria species à vi intellectiva, distincta.

Ad hoc negat primò ma., ad probationem adducit primò modum explicandi Cajetani & Ioã S.Tho; quem retulimus in 2. phys. disp. 2. q. 1. §. ult. ad ultimum, quòd ideò intellectus angelicus manet sic determinatus sine indigentia speciei superadditæ, quia cum oriatur à sua substantis, quæ se ipsa est intelligibilis, & proxime intelligibilis, obtinet utrumque munus sine alio superaddito per modum speciei, nempe, & quòd sit virtus intellectiva ad intelligendum seipsum, vel substantiam Angeli, cui deservit; & etiam species impressa sui ipsius, vel propriæ substantiæ Angeli repræsentativa, unde ut ab illa oritur manet determinatus, non solum subjectivè itaut qua parte oritur ab illa, ut radicaliter intellectiva, sit virtus, seu potentia proxima, quæ potest se ipsum, & eandem substantiam intelligere, qua verò oritur ab illa, ut proximè intelligibili, sit virtus proxima qua possit tanquam specie impressa intelligi, vel qua, ipsa substantia intelligit se ipsam.

Sed hic modus dicendi videtur dare vires argumento facto, quia sicut intellectus angelicus; (inquit idem Magister)est participatio substanti æ suæ ex quo intelligir, & intelligitur,ita lumen gloriæ est participatio intellectus divini, qui oritur ab essentia Dei secundùm quòd intellectiva est sui ipsius,& secundùm quòd est intelligibilis à seipsa, ergo & dabit menti beatæ non solum virtutem, qua Deum physicè videat,sed etiam esse objectivum Dei, quo Deus videatur, quod est intentum Adversarii.

II.impugnat,& urgentiùs:quia Aûthores Thom.ejusdem modi licet dicant intellectum Angeli se habere, ut speciem impressam ad videndum propriam substantiã, non tamen ita gerere vicem ejus, ut sit similitudo formalis,sed tantum virtualis ejusdem substantiæ,ergo poterit similiter lumen habere rationẽ speciei, estò non sit formaliter repræsentativum Dei, sed tãtum virtualiter, quod est intentum Adversariorum non solum hic, sed supra etiam art. 2., ubi ut vidimus, contendunt saltem possibilem speciem creatam in visione Dei, ex eo quòd non tenetur esse similitudo formalis, & consequenter cum debito conveniendi in gradu immaterialitatis cum objecto, sed sufficit, quòd sit similitudo virtualis, seu virtualiter non formaliter repræsentativa.

Propter hujusmodi instantias aliter resp. eidem arg. negando iterum mai.,ad prob.negat ant., quia, ut docet infra de Angelis; propria Angeli substantia unitur intellectui per se ipsam pro ea cognitione, qua Angelus seipsum cognoscit, & sic non indiget specie impressa distincta, ut intelligatur à seipsa,

Quòd si opponas esse impossibilem hanc unionem, cum proprio intellectu, tam physicè,(cum in via Thomistica realiter distinguatur ab illo, & consequenter nequit physice illabi in illum,)quam etiam intentionaliter, quia conveniret ei per speciem impressam in

in qua solum pure intentionaliter præhabetur objectum, unde dicendum erit, quòd solus intellectus cum solo concursu objectivo terminativo habet intelligere propriam substantiam, quod iterum est dare vires Adversariis.

Respondet prędictam unionē esse physicam, neq; huic obstare realem distinctionem ejusdem substantiæ ab intellectu, quia bene stat, quòd duo physicè realiter distinguantur, & tamen inter se unita realiter sint; unde substantia angelica, inquit; cum se ipsa radicet suum intellectum illabitur illi physicè, sic quod sit extra vim intellectus, & est intra intellectum per illapsum & sic possit seipsam determinare intellectum ad sui cognitionem §. Cæterum hæc etiam solutio licet valde subtilis sit nisi tamen aliquid addatur videtur pati easdem instantias, & in re cum priori convenire: nam in eo vis illius consistit, quia intellectus Angeli oritur à natura radicaliter intellectiva & proximè intelligibili sic intime unitur, & participat ab illa, ùt maneat determinatus tam subjectivè, quam objectivè, sive tam in genere intelligibili activo, vel in ratione intellectivi, quam in genere intelligibili passivo, vel objectivo sine indigentia superadditi ex parte utriusque, & consequenter sine indigētia speciei impressę superadditę ad seipsum, vel ad sui radicem, ut se vel eandem cognoscat, illo, vel illa supplente munus ejus, sed hoc in re fere idem videtur, quod afferit ejus solutio, nisi quòd eandem intimam comexionem, vel unionem inter radicem ralis meriti, & suum radicatum causantem in illo talem determinationem explicat per viam illapsus, ergo adhuc contra hanc solutionem videtur utraque replica militare.

II. Quia etiam videtur difficilis physicus illapsus ejusdem substantiæ intra intellectum semel realiter distinctum ex eo, quòd licet duo realiter physicè distincta possint uniri, libenter admittatur; at quòd semel finita possint invicem ingredi unum limites alterius pręcipuè in casu, ut importat illapsus, hoc videtur repugnare eorum finitati, & limitationi, & esse forum solius Divinitatis, unde solus Deus dicitur illabi intra mentem, seu intra intellectum, & voluntatem hominis excluso quocumque Angelo ab ingressu ad illam, ut docet etiam D. Tho. 3. p. q. 8. art. 8. ad 1. & q. 64. ar. 1. in corp. & alibi sæpè.

Sed dato etiam quòd posset sic esse physicè extrà, & intra illum per illapsum, adhuc ibi non haberetur nisi sola similitudo virtualis, nam formalis, ut dictum est; tantum habetur per speciem intelligibilem, vel formaliter talem, ergo adhuc militat posterior replica quòd cum sola similitudine virtuali possit haberi qui ditativa cognitio, & consequenter quòd lumen gerere poterit vicem speciei impressę ad videndum Deum, quod utrumque est cōtrà communam nostram doctrinā. Ob hujusmodi ergo replicas fateor esse difficilem prædictam instantiam de Angelo in cognitione sui, vel sine specie impressā, scil. superadita, vel substantia ejus, aut intellectu gerente vicem ejus juxta diversitatem modi dicendi cum sola similitudine virtuali, quod videtur ferè idem in re.

Sustinendo nihilominus utramque solutionem resp. vel nego iterum ma., vel disting., quando est determinata tam subjectivè, quàm objectivè, vel repræsentativè transeat, vel conc., tantum subjectivè nego, & disting. mi., lumen gloriæ determinat subjectivè conc., adequatè tam subjectivè, quam terminativè, vel obiectivè, aut repræsentativè nego. Ad prob. vero ma. disting. similiter ant., necessariò determinat, aut est determinatus tam subjectivè, quàm objectivè conc, præcisè subiectivè nego: itaq; Sicut cognitiones liberæ, sive hominum, sive Angelorum, ita occultæ sunt, ex quo liberæ sunt, ut à nullo alieno intellectu creato cognosci possint sine revelatione, aut manifestatione directa ad illam ab eo, cujus sunt, ut infra explicatur de Angelis, secus tamen respectu proprii intellectus, quia respectu illius non sunt extra de foro alieno, & occulto, sed de proprio, & sui juris, ita propria substātia Angeli (& idem de ejus intellectu respectu sui) licet cognosci nequeat ab alio sine specie impressa superaddita, quia respectu alterius non est intra, sed extra, & ad hoc fit necessaria species, ut vidimus, ut objectum, quod est extra fiat intra, secus tamen respectu sui, quia respectū sui non est extra, sed intra, cum nihil magis sit aliquod intime præsens respectu sui, quam ipsum. Et licet eadem substantia respectu proprii intellectus sit aliquomodo extra extraneit ite distinctionis, non tamen extraneitate objecti cognoscibilis, quia ambo pertinent ad intimam rationē suppositi cognoscētis, unde dici nequit aliquid extrà à toto genere cognoscibi li intra lineam objecti intimè, præsentis, & possessi, qua ratione etiam dici potest, quòd sit aliquid illapsum non quasi de foris veniens per novitatem ingressus intra terminos alienos, vel extraneos, quòd est proprium divinitatis, sed intra proprios per determinationem activam, & passivam intra forum intelligibile, ut dictum est, quia nempe radicat illum tanquā sui participationem nō solum, ut radicaliter intellectiva est, sed etiam ut proximè intelligibilis, & ideo nō est necessariū aliquod superadditum de hoc genere passivo, vel objectivo per modum speciei; Cęterū lumen glorię licet sit participatio luminum divini non tamen, ut aliquod intra sed extra de linea creaturæ, unde solum est participatio ejus, ut intellectivum est, non ut proxime intelligibile, & ideo potest tantum determinare subjectivè, & in lineintellectiva, ut virtus potentiæ, non intelligibili, vel objectiva, ut virtus objecti per modum speciei impressæ strictè sumptæ, quidquid sit quod largè, & generali locutione, ut dictum est, dicatur similitudo, impressa, quia est recepta in intellectu per modum similitudinis analogicè, & communiter dictæ, ut est effectus, & participatio quædam ejusdem luminis.

Ultimò Arg. ex D. Tho. hic art. 5. in corp. ubi de lumine glorię de quo Apoc. 2. dicitur, quod *Claritas Dei illuminabit eam, scil. societatem beatorum Deum videntium inquit; Et secundum hoc lumen efficiuntur Deiformes, idest Deo similes secundum illud 1. Io. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*. Idem docet sup. ar. 2. in corp. & ad primum sed difficiliùs deinde videtur urgere Quod lib. 7. art. 1. ubi in fine corp. ait *lumen gloriæ ab ea* (scil. ab essentia Divina) *in intellectum descendens facit hoc respectu Divinæ essentiæ in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt lux tantum, sed species rei intellectæ, simul & lumen, sicut si lux sensibilis per se existeret ad ejus visionem sufficeret lumen oculum perficiens sine aliqua similitudine*. Ergo expressè videtur sentire, quòd lumen gloriæ sit species impressa. Quod etiam insinuat ad 2. dicens. *Quod intellectus creatus fit in actu, ad videndum divinā essentiā, per lumē gloriæ, & hoc sufficit*. Et denique ad 4. sic concludit *Essentia Divina est purè lux, & ideo non requirit aliquam aliam speciem, ut videatur*.

Ad hoc patet primò ex dictis quantum attinet ad mentem D. Thom. esse ab omnibus solvendum, cum tam apertè doceat nostram conclusionem, ut ab initio vidimus, quòd nisi velimus in meridie cæcutire, nullo modo sit de illa dubitandum, ut statim etiam constabit ex præmissis in eodem corp. ult. authoritatis.

Pro omnibus ergo ad 1. respondet., quòd similitudo, qua dicuntur fieri Dei formes secundum lumen, intelligenda est ex parte generis intelligibilis activi, non passivi ad hunc sensum, quòd sicut Deus per suum lumen intellectivum, quod est ejus intellectus se ipsum videt, sic & nos per lumen gloriæ, qood est ejusdem luminis divini participatio, tanquam per virtutem proximam videmus illum, nam secundum hanc rationem, ut dictum est, tantùm obtinet prædictam rationem similitudinis largè, & communiter dictam, nec potest aliam dare, nisi quam in se habet; non tamen ex parte passivi, vel objectivi faciendo, quòd intrà, Deum habeamus per modum objecti, in qua assimilatione formalis ratio speciei consistit, ut dictum est. Nunquam enim invenietor in D. Th., quod dicat lumen gloriæ quòd sit similitudo, per quam Deus unitor intellectui, hæc enim est propria speciei intelligibilis, sed solum dicit esse similitudinem, nunquam tamen vocat speciem impressam, ut detur intelligi, quòd licet possit aliquomodo dici similitudo, ut explicatum est, scil. per modum effectus, & participationis luminis increati, non tamen formalis, & objectiva, & ideò solum possumus dicere assimilari unam juxtà mentem D.Th., quantùm ad virtutẽ visivã, seu assimilatione activa, non passiva, vel objectiva, & formali; & in hoc sensu etiam expressè loquitur in ar. 2. dum dicit, quod est similitudo, ut virtus potentiæ &c.

Ad ult. ex Quodlib. patet solutio ex textu ibidem, nam D. Thom. nunquam dicit ibi, quòd lumen concurrat concursu objecti, qui est concursus speciei impressæ, vel intelligibilis, imò docet, quòd quia essentia divina totaliter est lux intelligibilis præter lumen perficiens intellectum ad visionem sui, non indiget specie superaddita respectu sui ipsius, sicut contingit in aliis obiectis, quæ non sunt pura lux intelligibilis; unde potius excludit lumen à ratione speciei, quam tribuat illi tale munus. Id apertissimè tradit illis verbis in corp. ante relata in argumento, ubi post quàm ad cognitionem aliorom objectorum distinxit tria tanquam necessaria ad eliciendam eorum cognitionem, nempè vim potentem proximè intelligere, speciem impressam, & objectum; ad visionem Dei asserit duo tantum concurrere, scil. lumen cum intellectu, & ipsum objectum terminans exclusa omni specie superaddita, quia nempè alia objecta non sunt pura lux intelligibilis, sicut essentia, & ideò alia indigent tali specie non verò essentia divina. Ecce verba D. Thom., & sensus ejus legitimus. *Restat ergo, quòd solum primum medium erit in illa visione, scil. lumen gloriæ, quo intellectus perficietur ad videndam essentiam divinam, de quo in psalm. 35. in lumine tuo vidεbimus lumen. Hoc autem lumen non est necessarium ad hoc, quòd faciat intelligibile in actu, ad quod est nobis necessarium lumen intellectus agentis, quia cum ipsa divina essentia sit à materia separata est per se actu intelligibilis, sed erit necessarium tantùm ad perficiendum intellectum, ad quod nunc etiam lumen intellectus agentis valet, prædictum autem lumen gloriæ sufficienter perficiet intellectum ad videndum divinam essentiam, eo quod ipsa essentia divina totaliter lux intelligibilis est.*

In quibus tam clarè docet lumen non esse speciem tenentem se ex parte objecti, sed tantùm virtutem perficientem intellectum, ut nec levissimè sit locus dubitandi de mente ejus; imò salva ejus causali nequit affirmari oppositum, nisi impugnando apertam contradictionem textui; nam ut patet ex litera ideò essentia divina non indiget, & alia objecta indigent tertio illo superaddito, quod est species impressa ex parte sui, per quod intelligibile in potentia fiat intelligibile in actu, modo concursu intellectus agentis in nobis ad productionem illius necessario, ut explicatum est in lib. de anima, quia illa est pura lux intelligibilis, ista verò non, ergo si semel velimus ex eodem ibidem sive incorp., sive in solutionibus, quòd lumen sit necessarium tanquam species impressa ex parte objecti, prædicta causalis, ut patet, esset insubsistens, & apertè sibi contradicit, dũ in verbis proximè relatis, negat hoc tertium cõcurens, scil. speciẽ impressam ex parte objecti seu essentiæ divinæ, & concedit ex parte aliorum objectorum in nobis ob eorum defectum in ratione lucis intelligibilis. Preterquamquòd dum manifestè de lumine gloriæ dicit ibid., quòd tantùm est necessarium ex parte intellectus, ut perficiens illum non verò ex parte essentiæ contrapositivè ad alia objecta, aut cognitionem eorum, non nisi contradictoriè ad ejus literam cõtendere possumus necessitatem luminis tanquam speciei impressæ ex parte ejusdem essentiæ.

Sed instas ex posterioribus verbis relatis in arg., ubi de lumine gloriæ affirmat, quòd faciat respectu essentiæ divinæ in intellectu, quòd facit respectu aliorum intelligibilium species simul, & lumen, ergo videtur expressè sentire, quòd non perficiat intellectum præcisè ex parte subjecti, sed objectivè, & per medum speciei.

Sed huic instantiæ iterom dico in primis, quòd est manifestè contrà textom, dum ex eo, quòd divina essentia sit totaliter lux intelligibilis excludit, ut vidimus, ex parte sui contrapositivè ad alia intelligibilia, quę non sunt lux tantum, omne superadditum per modum speciei: ad quid enim opus esset illam ab aliis intelligibilibus, quæ non sunt pura lux, sic distinguere in ratione lucis, si etiam ex parte essentiæ assignatur aliquid ut species, & quomodo etiam salvatur, quòd sit pura, aut totaliter lux, si necesse est ex parte ejus aliquid addere distinctũ in ratione lucis, ut appareat? sunt enim hæc oon solum contra literam, sed etiam manifesta implicantia in terminis.

Quod etiam à fortiori urget in opposita sententia, quæ cum supponat sufficientem virtutem ex parte intellectus ad visionem, & adæquatè statuat lumen ex parte objecti, adeò ut si essentia uniatur illi ut species, velit lumen esse superfluum, adhuc magis se opponit textui, dum ponit prædictũ superadditum speciei, quod apertissimè negat D. Thom. ex parte illius non præcisè ad perficiendum intellectum, ut intendit D. Thom., sed ad manifestãdum objectũ, quod non solum est contrà literam, sed contrà conceptum, ut dictum est, poræ lucis intelligibilis, ut est divina essentia. Nec iterum distinguit inter hanc, & cætera intelligibilia, cum tam ex parte essentiæ, quàm ex parte istorum duo ponat, scil. speciem, qua objectum formaliter unitur potentiæ, & ipsum objectum terminans visionem, quod clarissimè reijcit D. Thom. ob causalem, & discrimen assignatum, quod tamen destruit argumentum cum sui replica.

Pro omnibus, ergo respondet. sensum legitimum D.Tho.

D. Thom. esse, quòd lumen gloriæ in intellectu faciat respectu divinæ essentiæ, quod lumen, & species faciunt in illo respectu aliorum intelligibilium, scil. dispositivè non formaliter exercendo formale munus speciei, quasi uniat objectum cum potentia formaliter, & det illi quiditatem objecti in esse intentionali, sed tantùm disponendo, quatenus disponit intellectum ad unionem Dei cum illo per modum formæ intelligibilis, de quo statim quæstione sequenti.

Sed plus nimio immoramur in re evidentissima quantum ad mentem D. Thom.: quod etiam in ultimis verbis ab eodem arg. relatis, luce meridiana ni fallor, clariùs patet, dum ait. *Sicut si lux sensibilis per se existeret ad ejus visionem sufficeret lumen oculum perficiens sine aliqua similitudine*. Ecce manifesta exclusio luminis per modum speciei, & solum necessarium ad supplendum ex parte intellectus, ex quo etiam rejicitur, quod latè impugnatum est, nempè quòd ex parte potentiæ supponatur tota sufficientia virtutis, & quòd lumen concurrat ut species, vel similitudo ex parte objecti, si literis tam rotundis negat D. Thom. hanc similitudinem ex parte objecti, quando istud esset lux per se subsistens, vel pura, aut totaliter lux intelligibilis, ut est divina essentia.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum lumen gloriæ prærequiratur in intellectu ut dispositio ad unionem divinæ essentiæ cum illo in ratione speciei intelligibilis.

Vidimus non prærequiri, ut speciem, nec gerere munus ejus concurrendo ex parte objecti: de necessitate modo illius, & qualitate concursus ex parte potentiæ agendum est, & primò an sit necessarium, ut dispositio ad prædictam unionem, nam Vasquez loco relato in præcedenti quæst. contendens concursum illius contrà communem sententiam, ut dictum est, per modum speciei, negat ex hac parte prærequiri, ut dispositionem, Omitto verò antiquiores Theologos, de quibus infrà, qui, ut insinuavimus, idcò lumen gloriæ necessarium esse negant, quia visionem à solo Deo produci existimant. Oppositum verò tenent communiter Discipuli D. Thom., & meritò, quia est expressa illius mens, ut statim dicemus; & quidem difficultas procedit de facto juxtà suavem Dei providentiam, qua tam in ordine gratiæ, quàm naturæ operatur Deus id, quod est magis consentaneum naturis rerum.

§. PRIMUS.

Statuitur Conclusio.

Lumen gloriæ necessarium est ut dispositio constituens intellectum idoneum, & aptum ad hoc, ut essentia divina uniatur ei in ratione speciei intelligibilis. Est D. Thom. hic, & in 4. dist. 49. qu. 2. art. 6.; de veritate qu. 8. art. 3., & 3. contrà gent. cap. 53.

Ratione verò prob. 1., qua utitur hic D. Thom., & tribus aliis locis relatis. Ut subjectum recipiat formam sublimioris ordinis, vel suprà ejus naturam, debet per aliquam dispositionem elevari, & fieri susceptivum illius, sed divina essentia est forma sublimioris, vel suprà naturam intellectus creati, ergo ut iste recipiat, vel ei uniatur essentia divina, ut forma intelligibilis debet per aliquam dispositionem elevari, & fieri susceptivum illius, sed hæc dispositio est lumen gloriæ, ut tradit ibidem, & præcipuè explicat ratione 4. ex contrà gent. &c.

Videat hic iterùm Vasquez, quàm alienum sit à mente D. Thom. non habere lumen alium effectum, quàm speciei impressæ, vel quòd sit superfluum, supposita unione essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis, dum tam manifestè docet, & probat aliud munus gerere distinctum ab eo, quod gerit essentia sic unita per modum speciei. Scio conari ex Scoto, & Durando ad impugnandum hanc rationem, sed infeliciter, ut constabit in solutionibus, ne eadem repetamus &c. Quia tamen lumen gloriæ ultrà hoc, quod est disponere ad receptionem essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis habet dare virtutem intellectui activam visionis, alio etiam discursu utitur hic D. Thom. ad probandam indigentiam illius ad videndum Deum, sed de huc in sequentibus, nam præcisè de munere dispositionis modo intendimus probare.

II. Prob. concl. species intentionalis, sive sensibilis, sive intelligibilis sit, tantù uniri potest potentiæ cognoscitivæ habenti sufficientē virtutē ad utendum ipsa, & eliciendam cognitionē, sed intellectus creatus sine dispositione luminis non habet sufficientē virtutē ad utendum divina essentia, & ad producendam visionem, ergo sine illo, ut dispositione constituente intellectum aptum nequit esse visio: mi. constat ex dictis, ubi ostendimus contrà Vasquez intellectum creatum non habere ex se sufficientem virtutem ad producendam visionem, & omninò indigere supernaturali elevatione, & juxtà suavem Dei providentiam fieri hanc elevationem lumine gloriæ; ma. etiam supponitur ex eodem, qui ut vidimus, contendit lumen gloriæ tantùm se habere, ut speciem impressam, & consequenter supponere virtutem sufficientem ex parte intellectus; tum quia species visibilis v. g. licet in ratione qualitatis, & accidentis dicatur posse esse in lapide, vel in auditu, in ratione tamen speciei visibilis, solum potest uniri potentiæ visivæ, quod loquendo de ordinaria potentia, qua tantùm fit id, quod est consonum naturis rerum, est omninò certum, quia species visibilis, ut talis, tantùm respicit, ut sui proprium, & connaturale receptivum, potentiam visivam, sicut species audibilis auditum, & intelligibilis intellectum, imò etiam de potentia absoluta probabilius videtur fieri non posse, ut species aliqua in ratione speciei uniatur alteri, quam potentiæ apprehensivæ, habenti virtutem media illa ad cognoscendum, ut etiam sentit Mag. Catalam, & probat ex eo, quia uniri speciem in ratione speciei non est aliud, quàm uniri in ratione repræsentantis in exercitio objectum, & in ratione conprincipii ad eliciendam cognitionem; repræsentationē verò repugnat fieri in exercitio nisi potentiæ cognoscitivæ, nec alteri, quàm illi potest uniri species, ut conprincipium ad eliciendam cognitionem; cum nihil aliud præter illam sufficiat simul cum specie cognitionem producere.

Urg. hoc ex eodem D. Thom. cap. relato ex contrà gent. ratione prima. Essentia divina est propria, & connaturalis species divini intellectus, & ei proportionata, nam hæc tria in Deo sunt unum, intellectus, quo intelligitur, & quod intelligitur, ergo nequit in ratione spe-

speciei uniri intellectui creato, nisi iste participet aliquem influxum divini luminis, quo fiat aptus ad hoc ut ei communicetur essentia, ut species, sed hic influxus divini luminis, qui de facto tribuitur est lumen, ut egregiè explicat in fine cap. §. *Quia vero*. ergo est necessarium lumen disponens prob. prima consequentia, quia forma alicujus rei propria nequit alteri rei fieri propria, nisi hæc participet aliquam similitudinem illius, cujus est propria forma, sicut lux, inquit D. Tho., non fit actus alicujus corporis nisi aliquid participet de diaphano ergo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arg. ex Vasquez disp. hic 43. c. 1. arg. sumpto ex Scoto, & Durando, & ante illos vim ejus jam sibi opposuerat D. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 6. ad 3. Ut subjectum aliquod recipiat formam supernaturalem, atque ad id idoneum sit non est necessaria alia forma, sed per seipsum proximè eam valet suscipere, ergo prædicta ratio falso nititur fundamento, probatur ant. quià alias esset processus iu infrascriptum; nam vel ad formam supernaturalem deberet subjectum disponi per aliam supernaturalem, vel per aliam naturalem; per naturalem non posset magis aptari ad recipiendam supernaturalem, quàm erat antea secundum se; si vero dicatur esse necessariam supernaturalem, sequitur ad istam etiam recipiendam, per aliam quoque debere disponi, ergo erit processus in infinitum. §. Ad hoc nego ant. universaliter acceptum, quia ut constat ex secunda ratione facta, quia repugnat formam supernaturalem, quæ est species intelligibilis, recipi ut talem in intellectu nisi aliqua elevatione fiat potens intelligere cum tali specie, nam sicut repugnat speciem in ratione speciei, seu in ratione repræsentantis uniri subjecto non cognoscenti, vel non potenti cognoscere, ita pariter repugnat speciem talem, ut talem, seu ut supernaturalem, uniri illi non potenti supernaturaliter cognoscere, seu tali modo; est autem certum, quòd saltem de facto nequit intellectus supernaturalia, aut Deum videre sine elevatione, ut probatum est. Ad ejus vero probationem nego ant., quòd sequatur processus in infinitum, quia illa dispositio, aut elevatio potentiæ non prærequirit aliam dispositionem, aut elevationem, nam sicut actionis non est actio, ita neque dispositionis est dispositio, neque elevationis elevatio, & ratio hujus etiam est quia cum dispositio, elevatio sit per modum viæ, & se teneat ex parte agentis, ut explicabitur infra, tantum prærequiritur ad id, quod se habet per modum termini, sive formæ perfectæ, qualis non est pura dispositio, vel elevatio.

Solutio est D. Tho. ar. illo 6. proximè relato ad 3. quod tale erat fere idem in terminis. *Si homo indiget gratia, ut ad hoc preparet se ad gratiā, pari ratione indigebit gratia ad hoc, quod præparet se ad illam gratiam, & sic procederetur in infinitum, quod est inconveniens ergo, &c.* Cui resp. *Ad tertium dicendum quòd illa obiectio procedit de gratia habituali, ad quā prærequiritur aliqua præparatio, quia omnis forma requirit susceptibile dispositum.* Ecce forma perfecta, ad quam est necessaria dispositio. *Sed hoc quòd homo moveatur à Deo, non praexigit aliquam aliam dispositionem, cum Deus sit primum movens, unde non oportet abire in infinitum.* Ecce motio, vel dispositio, ad quam non est necessaria alia antecedens, ut statim ulterius declarabitur ex hac eadem solutione.

Ad plenam ergo rationis D. Tho. intelligentiam adverto, ma. illius duplici conditione esse intelligendam & sic universaliter esse veram, & immunem ab omni replica, & anteced. argument. sub utraque esse falsum Prima est, ut intelligatur de receptione formæ in subjecto, modo sibi connaturali juxta suavem Dei providentiam, quo, ut dictum est, operatur id, quod est magis consentaneum rerum naturis. Et quòd in hoc sensu loquatur D. Thom. patet, quia intendit probare lumen gloriæ, quod est habitus, esse necessarium ad videndum Deum. Hoc autem lumen esse necessarium etiam de potentia absoluta, incertum est, & probabilissimè, aliqui tenēt oppositum, ut dicetur infra, ergo tantum loquitur de potentia ordinaria, & juxta suavem providentiam. Secunda est, ut intelligatur de forma, quæ est supra naturam subjecti, tanquam terminus ultimus in suo genere, non autem de ea, quæ non advenit subjecto, ut terminus ultimus aliquomodo, sed ut via ad aliam, ut ad terminum, aut ut dispositio ad aliam formam. Ita Cajetanus hic 5. *ad primum boram*, & Ferrara 3. cont. gent. c. 53. relato §. circa assumptum, & ex eisdem M. Catalam, & sumitur ex superiori doctrina D. Tho.

Ex quo patet iterum probationem de processu in infinitum non esse momenti, quia sicut in naturalibus, formæ, quæ sunt viæ, & dispositiones ad aliam formā primò, & immediate insunt subjecto sine præviis aliis dispositionibus, ut patet ex dictis de ortu, & interitu, ita in supernaturalibus accidētia, quę ut dispositiones ordinantur ad aliam formam supernaturalem non exigunt præviam aliam dispositionem in subjecto, sed immediate in potentia ejus obedientiali recipiuntur.

Rationem autem, ob quam proposito D. Tho. intelligenda sit tantum de forma supernaturali, quæ in aliquo genere est ultimus terminus jam insinuavimus ex eadem in illa solutione ad 3., quam placet ulterius explicare, quia ad plura deservit. Ad hoc autem reducitur, quòd forma, quæ est dispositio, & elevatio tenet se ex parte agentis, ut id, quo mediante agens movet, & elevat subjectum ad formam, quam ut terminum ultimum intendit producere; ad motionem autem, qua agens movet passum non prærequiritur alia motio, ut patet, ut ideo debitus ordo, rerum postulat ut detur aliqua prima dispositio, quæ non supponat aliam, sicut in mediis ordinatis ad finem debet supponi aliquod primum non supponens aliud; Deus etiam suaviter cuncta disponens licet aliàs posset, non tamen sine prævia dispositione infundit gratiam, & alios habitus supernaturales subjecto nato per propriam dispositionem moveri, & præparari ad illos recipiendos, ut patet in adultis, nec de potentia ordinaria aliter infundi possunt. Nam ideo parvulis sine eadem dispositione infunduntur, quia subjectum non est aptum moveri, aut præparari ad illos per dispositionem propriam.

Diximus vero, quę sit in aliquo genere terminus ultimus, quia ut forma prærequirat dispositionē nō est necessarium, quòd sit ultimus terminus simpliciter, sed tantum in suo, nam eadem forma supernaturalis v.g. habitus gratiæ, & virtutum infusarum, quæ eam comitantur, ut propietates in genere formarum, quæ pertinent ad constitutionem quasi ejusdem naturæ in ordine supernaturali habent rationem termini ultimi esto non habeant à toto illo ordine tam in linea

actus

actus primi, quàm secundi rationem ultimi, & consequenter non sint terminus ultimus simpliciter, exigunt tamen in adultis, ut dictum est, prævias ad sui ipsarũ infusionem dispositiones. Similiter operationes supernaturales licet in eodem genere prædictarum formarũ non sint terminus ultimus, ac proindè non habent rationem ultimi simpliciter, quia tamen in genere actus secundi sunt terminus ultimus, præexigunt in potentiis aliquã supernaturalem formam, qua eleventur ad eas producendas. §. Sed instas quia etiam lumẽ gloriæ habet rationem ultimi termini in genere formæ constituentis quasi perfectam naturam in ordine supernaturali in patria non minus, quàm lumen Fidei in via, ergo ad illud pariter recipiendum, erit necessaria in intellectu supernaturalis dispositio.

Resp. disting. conseq. erit necessaria, in via conc. præcisè in patria, nego quia cum lumen gloriæ succedat ibi loco fidei non est necessaria ad illud recipiendum nova dispositio in patria præter eam, quæ præcessit in via ad habitum fidei, undè per dispositiones viæ manet intellectus sufficiẽter determinatus ad illud recipiendum, imò & ipsum lumẽ fidei aliquomodo in via disponit ad habẽdum lumen gloriæ in patria.

II. Arg., & urg. præcedens. Licèt dicamus esse necessariam dispositionem ad formam supernaturalem uniendam per realem informationem, & inhærentiam in subjecto, secus tamen ad unionem formæ sine omni informatione, & inhærentia, sed essentia divina non unitur, ut forma per informationem, & inhærentiam ergo non est necessaria dispositio ad unionem ejus cum intellectu; prob. ma. in subsistentia Divini Verbi unita humanitati sine aliqua praevia dispositione; nam ideò hæc non fuit necessaria ad unionem ejus, quia unita est illi sine informatione per puram terminationem, ergo ubi forma non unitur, aut recipitur per realem informationem, aut inhærentiam non erit necessaria dispositio prævia.

Explicatur hoc. Non minus subsistentia divina est ordinis superioris respectu humanitatis, quàm sit essentia divina respectu intellectus creati, sed quia illa unitur sine omni informatione, non est necessaria ad sui unionem aliqua prævia dispositio, ergo nec erit necessaria ad unionem essentiæ, coæs. tenet, quia hæc pariter unitur sine informatione: undè hac instantia impugnatur tam conclusio, quàm ratio D. Tho.

Ad hoc nego ma., quia ut dicamus esse necessariũ lumen gloriæ per modum dispositionis ad eandẽ unionem satis est, quòd constituat intellectum aptum, ut ei possit uniri essentia in ratione speciei intelligibilis, & quòd comparetur essentia ad intellectum ut actuatum lumine tanq. formale, & determinans ut materiale, & determinatum, nam meritum dispositionis consistit in sic habilitare, seù constituere intellectum aptum ob sui defectum, & excessum tum formæ, tum operationis eliciendæ cum illa, ad quod parum refert, quòd forma uniatur tali, vel tali modo, nam sivè uniatur informativè, vel non, perpetuo est removenda ineptitudo, vel defectus potentiæ per aliquod prævium disponens, & habilitans ad utrumque, scil. ad unionem formę, & elicientiam actionis excedentis. Ad probationem nego causalem antec., sed quia in nullo genere, sive rei, sive intelligibili unitur subsistentia, ut forma in ordine ad aliquam operationem eliciendam, sed præcise, ut terminus, vel complementum naturæ substantialis in ordine ad esse. Inter naturam autem substantialem, & existentiam, vel subsistentiam nulla sest necessaria dispositio; at verò Divina essentia, quamvis non informet, unitur tamen intellectui, ut forma in esse intelligibili ad producendum cum illo supernaturalem operationem, & ideo necessariò supponit dispositionem elevantem intellectum, ut probatum est. Hac ratione etiam convincitur de speciebus supernaturalibus intellectui angelico infusis ad percipiendũ supernaturalia, eò vel maximè, quòd non solum uniuntur, ut formæ in esse intelligibili, sed etiam, utpotè accidentia, in esse rei, undè tenentur in illo supponere aliquod supernaturale, quo disponatur, & ad earum unionem, & ad supernaturalia cum illis intelligendum, cum similiter sit ex parte earum excessus, & ex parte potentiæ defectus, & consequenter si velimus eidem uniri, ut species, scil. ad repræsentandum oportet quòd supponant intellectum aptũ, & potentem, seù elevatum ad illa intelligendum, cum ex vi sua naturali quantum est ex parte virtutis intellectivæ insufficiens sit, aliàs supernaturalia, sive excedentia non essent. Quod est valde notandum in hac re ad rectè sustinendam necessitatem utriusque concursus, & speciei & luminis non confundendo unum cum alio, ut immeritò confundit opposita sententia. Videatur Cajet. 3. p. q. 2. ar. 10, & Cabrera ibsdem disp. 2. solut. ad 1. & M. Ferre hic tract. 3. qu. 6. §. 1.

Ex his etiam patet ad confirm., vel explicationem, ad quam nego pariter causalem mi., quia non ex eo solum, quòd essentia divina sit sublimioris ordinis, sed ex hoc quòd cum sit ordinis sublimioris unitur intellectui, ut forma in esse intelligibili, infert D. Tho. necessariam præviam dispositionem, ut rectè etiam advertit M. Catalam ad confirm. primi, &c.

QVÆSTIO QVARTA

An lumen gloriæ, sit etiam necessaria dispositio ad recipiendam visionem beatam.

Quia præsens difficultas ad graves alias, tum theologicas, tum philosophycas desetvire potest, hanc etiam præmitimus ad principalem de necessitate ejusdem luminis ad vitionẽ producendam. Pro illius autem intelligentia adverto ex Palud in 4. dist. 49. q. 1. n. 4. dispositionem esse duplicem, alteram receptivam, in qua scil. immediatè tanquam in subjecto recipitur, & inhæret forma, ad quam disponit subjectũ, ac proindè est illi proxima ratio recipiendi formam, ut est v.g. quantitas respectu substantię in ordine ad recipiendum colorem, figuram, & alia accidentia materialia. Altera est, quæ non est receptiva formæ, sed tantum afficiens, aùt determinans subjectum ad formam recipiendam, ut eadem quantitas, & alia accidentia, quę disponunt materiam primam ad formam substantialem; forma enim substantialis in eis non recipitur, sed immediatè in materia prima determinata, & disposita per illa.

Hæ autem adhuc subdividuntur, nam aliæ sunt tantum necessariæ ad introductionem formæ in subjecto, & non ad ejus conservationem, ut molities in cera ad introductionem formæ sigilli, quia hæc nec recipitur in mulitiæ, nec perit cessante molitie, sed meliùs cõservatur indurata cera, alię verò non solum ad introductionem formæ, sed etiam ad illius conservationem ut

ut quantitas, & calor ut 8. ad formam ignis.

Hoc praenotato est duplex veluti sententia extrema, & altera media; prima affirmat, sed tamen asserit tantùm concurrere ad visionem in genere causae materialis, ut dispositionem ad eam recipiendam quae duplici via defendi potest, prima est admittendo visionem efficienter produci ab intellectu, & in hoc sensu defendit eamMajor in 4. dist. 49. qu.4., ubi docet lumen esse necessarium tantùm, ut dispositionem ad recipiendam visionẽ; & q.10. asserit hanc efficienter esse ab intellectu; sed in hoc sensu opinio haec defendi nequit, nisi admittatur, (quod jam latè impugnamus) scil. intellectum habere ex se sufficientem virtutem requisitam ex parte potentiae ad producendam visionem; secunda via est, negando procedere efficienter ab illo, sed à solo Deo produci, & pro illa in hoc sensu referuntur plures ex nominalibus.

II. Negat absolutè quòd concurrat in genere causae materialis dispositivae ad recipiendam visionem. Ità Molina hìc disp.1. in prob. 3. concl., & Vasquez ubi supra; eamq. videntur docuisse ex nostris Capreol. in 4. dist.49. qu.4. art.3. ad arg. Scoti contrà secundam, Soto qu.2. art.4., & Ferrara 3. contrà gent. cap.54. Sed crediderim istos non negare absolutè, quòd disponat ad illam recipiendam, sed tantùm quòd non disponat ad recipiendam, ut entitas quaedam est, & per se primò, & immediatè ut constabit infrà.

III. Ergo, & media distinguit de visione, & secundum quòd operatio vitalis est constituens intellectum formaliter in actu 2. intelligentem, & secundum quòd entitas quaedam est; & de illa priori modo affirmat lumen esse necessariam dispositionem etiam receptivam ut quo illius, secus verò posteriori, nam prout sic probabile est posse immediatè inhaerere intellectui nudo, vel nudè sumpto. Hanc tenent plures gravissimi Thomistae Ledesma q.8. de divina perfectione art.8. concl.4. Navarete hic controv. 38. §.2. Mag. Catalam concl.3., Illostriss. Godoy disp.18. §. ult. Cabrera 3. par. qu. 9. art.2. disp. 8. concl. 3., & consentit etiam Valentia puncto 3. §. *His igitur*. Alii tamen volunt solum esse dispositionem afficientem, & determinantem intellectum ad illam recipiendum, ità Paludanus ubi suprà, & probabile existimat ibidem Cabrera.

§. II.

Statuitur duplex Conclusio.

PRima: lumen gloriae est dispositio altero ex praedictis duobus modis necessaria in intellectu ad recipiendam visionem, non tamen praecisè concurrit ad illam in genere causae materialis dispositivae, sed etiam efficienter; primam partem existimo jam communem Thomistarum, & meritò, quia ratio D. Thom. ad probandum esse necessarium, ut dispositionem ad unionem nem essentiae divinae in ratione speciei cum intellectu, probat etiam requiri ut dispositionem ad visionem saltem secundariò, ut rectè ponderat Mag. Catalam hic concl.2.; eam expresè docent Paludanus, ubi suprà, & Cajet. hic § *ad primum horum*, ubi asserit visionem in ratione termini non ponere in numero cum divina essentia, ut forma intelligibili, sed constituere integrum terminum, ad quem disponit lumen gloriae.

Ratione deindè prob. insinuata ab eodem Cajetano. Lumen gloriae est dispositio intellectus ad unionem divinae essentiae in ratione speciei, ergo etiam ad visionem recipiendam, ant. ostensum est qu. praeced., cons. verò prob., quia accidentia per se primò disponentia materiam ad recipiendum formam, disponunt illam saltem secundariò, & conequenter ad recipiendum esse, vel id, quod consequitur formam, ergo quod disponit intellectum ad unionem essentiae in ratione speciei intelligibilis, sive ad speciem intelligibilem, ut exercentem munus speciei, disponit illum saltem secundariò ad intellectionem, vel visionem consequentem speciem.

Urg. hoc Ex Clementina saepè relata, nam ibi definitur lumen gloriae esse necesserium ad videndumDeum, ergo est etiam necessarium ad visionem recipiendam, prob. cons., quia videre non solum est elicere visionem, sed etiam recipere illam, ut statim constabit, ergo si semel est necessarium ad videre, est etiam necessarium ad recipere; & in hoc sensu intelligendi sunt Thomistae in oppositum relati, scil. quòd tantùm velint non disponere per se primò, & immediatè ad illam recipiendam, non autem negant omnem ejus influxum dispositivum.

II. pars, quae est jam communis consensus Theologorum contrà nominales Marsilium, Ochamum, & alios, quòd praeter influxũ dispositivum, habeat etiam effectivum, seu quòd non tantùm elevet intellectum ad eam recipiendam, sed maximè, & praecipuè ad producendam, ità ut tàm intellectus, quàm lumen effectivè influant in visionem, & non merè passivè se habeant ad illam, non solum colligitur ex Conc. relato Vienen., ut ostendimus, sed non leviter ex Trident. sess.6. can.4., & cap.5. definiente. Liberum arbitrium creatum non merè passivè se habere ad actus, quibus ad justificationem disponitur, sed non alia ratione, nisi quia vitales sunt, ut supponimus, quod militat de omni intellectione, ut statim dicemus, ergo debet quaelibet, & consequenter visio ab intrinseco activè procedere.

Ex quo prob. sic. Visio beata sicut, & quaelibet alia intellectio est vitalis actio, cũ per illã intellectus vivat, ergo ut fiat modo sibi connaturali (quidquid sit de potentia absoluta) exigit ex propriis, sivè ex sua ratione formali efficienter, vel activè esse ab intellectu, prob. cons., quia vitalis operatio per se petit esse à principio intrinseco viventis, quod in actu 2. constituit vivens, ergo saltem de facto juxtà suavem Dei providentiam negari nòn potest, quòd activè procedat ab illo, & consequenter etiam, à lumine, haec ult. cons. tenet ex dictis, quia intellectus per proprias vires, utpotè improportionatas, influere nequit in visionem lumine non elevante illum, & confortante, ac proindè efficienter non influente; prima etiam constat, quia negari non potest visionem beatam fieri modo sibi connaturali, & debito ex natura rei operationi vitali, ant. verò prob. ex discrimine inter vivens, & non vivens, quòd vivens movet se per sui actionem, non vivens verò movetur adaequatè ab alio, ergo operatio vitalis per se exigit esse activè à principio intrinseco viventis, quod constituit tale in actu 2., prob. cons., quia si non esset activè, vel effectivè ab illo non se moveret illud per illam, sed solum moveretur à principio extrinseco, nam in alio non consistit hoc, quod est moveri à principio extrinseco, quàm in hoc, quòd est recipere formam ab alio non praestando concursum effectivum ad illam, ergo si velimus intellectum vivere per visionem tenemur dare illi habitudinem se moventis, & efficientis illam, & non praecisè recipientis.

Prob.

Probatur 2., & urg. præcedens. Quià ut vidimus suprà, fide certum est lumine gloriæ elevari intellectum ad videndum Deum, ut constat ex eadem Clementina *Ad nostrum de hæreticis*; sed videre non est solum passivè concurrere ad visionem, sed etiam activè, & effectivè, sive elicere illam, ergo elevatur illo non tantū ad recipiendum, sed etiam efficiendo, probatur mi., quia videre, vel intelligere est vivere in actu 2. vita intellectuali, sed vivere in actu 2., est vitaliter activè immanenter operari; undè intellectus creatus qui non est suum esse sicut divinus, est essentialiter potentia activa simul, & passiva, scil. se movens simul, & recipiens, sive duplicem dicens habitudinem ad sui actionem, nempè principii producentis, & recipientis; & intelligere essentialiter est operatio immanens, de cujus ratione est in eo recipi ut subjecto, à quo ut à proximo agente procedit, quod planè negari non potest salvo eodem superiori discrimine inter vivens, & non vivens, ergo.

Explic. hoc, & simul confirmatur eadem mi. Repugnat aliquid agere per hoc præcisè, quòd actionem recipiat, nam hoc non est agere, sed pati, sicut etiam repugnat aliquid generare, generatione activè ab ipso non procedente, & sic de aliis, aliàs constitueretur quis agens ex sola habitudine patientis, quod est implicantia in terminis, ergo repugnat intellectum videre, & intelligere, visione, vel intellectione ab ipso activè non procedente.

Et sanè si à solo Deo produceretur visio, non tam denominaret intellectum, quàm Deum videntem, imò magis Deum, quia ut dictum est, subjectum non denominatur ex hoc, quòd actionem recipit, sed ex hoc, quòd eam producit.

Undè licet fortè de potentia absoluta fieri possit, ut entitas actionis vitalis à solo Deo producatur, & conservetur sinè concursu potentiæ vitalis, ut docent Capreol. in solutione 4. ubi supra, eorum, quæ 4. loco objecta sunt, & in 2. dist. 37. q. 1. art. 2., Ferrara 3. cont. Gent. cap. 54. circà finem, & alii, nihilominus, ut iidem fatentur, implicat, quòd sic producatur, & conservetur in ratione actionis vitalis consistentis in actu 2. vivens, sentiens, aut intelligens, sinè concursu ejusdem subjecti, quià aliàs viveret, ut supponitur, & non viveret in actu secundo, quià non se moveret, nec vitaliter ageret. De quo tamen ex professò infrà 1. 2. q. 3. ar. 2., ubi cum D. Tho. probatur beatitudinem formalem consistere essentialiter in operatione elicita à beato, & 3. p. q. 9. ar. 1. ubi cum eodem S. D. probatur implicare, quòd intellectus humanus intelligat per intellectionem increatam, aut per intellectionem à se non productam, de quo egregiè Cajet. ibi, & ex professò M. Catalam dub. 1. &c.

II. Conclusio: lumen gloriæ non est dispositio purè efficiens, aut determinans visionem, sed etiā receptivum illius, ut subjectum quo. Sermo est de illa formaliter sumpta in ratione operationis vitalis, nam materialiter, & ut entitas quædam est, probabile est, ut jam insinuavimus, quòd possit immediatè recipi in intellectu nudè sumpto, cum probabile sit prout sic posse à solo Deo produci, & conservari sine concursu intellectus, ut ex Capreolo, & aliis dictum est, undè, ut etiam monuimus, in hoc sensu de ea intelligēdi sunt Thomistæ negantes lumen gloriæ esse necessariam dispositionem ad eam recipiendam, quod consequenter verè dicitur, inquit M. Catalam, cum tunc nec ad eam producendam necessarium sit.

Sic intellecta prob. Essentia Divina in ratione speciei intelligibilis non unitur immediatè entitati, vel virtuti naturali intellectus, sed medio lumine, ut forma constituente illum aptum ad utendum tali specie, & intelligendum, ergo nec visio in ratione vitalis operationis sic unitur illi, sed medio eodem lumine, ut forma constituente intellectum proximè aptum ad recipiendum illam, & ejus formalem effectum, & consequenter ut subjecto quo receptivo illius, hęc ult. conseq. infertur ex prima, ut patet in quantitate respectu aliorum accidentium in substantia, ut dictum est, ant. etiam constat ex dictis, prima verò conseq. prob., quia eidem principio unitur immediatè intellectio, in ratione intellectionis, cui unitur immediatè species in ratione speciei ergo, &c.

Urg., & explicatur hoc. Intellectus creatus secundùm suam entitatem, aut virtutem naturalem non est proximè, & immediatè capax effectus formalis visionis Dei, ut visio est formaliter, ergo nequit prout sic, esse immediatè receptivus illius formaliter ut talis, ergo de facto secundùm legem ordinariam indiget lumine gloriæ, ut dispositione constitutiva illius in ratione proximè immediatè receptivi, ergo lumen est dispositio receptiva per modum subjecti quo visionis: priores consequentiæ sunt per se evidentes; hæc ultima verò constat ex proximè dictis, quià omnis forma constituēs subjectum proximè, & immediatè receptivum alterius formæ, dispositio est ut quo receptiva illius, nec est aliud esse dispositionem receptivam, ut quo illius, quàm formiter constituere subjectum receptivum, ut dictum est de quantitate respectu aliorum accidentiū, ant. verò prob., quia formalis effectus visionis, ut visio est, est constituere videntem formaliter, hoc enim est meritum cujuscumque formæ, quòd formaliter denominet, aut constituat in eo genere, in quo est forma, sivè in actu primo, sivè in secundo, ad quem spectat visio, sed intellectus creatus secundùm suam entitatem, aut virtutem naturalem non est proximè videns Deum, etiam ut quo, cum ex se non habeat sufficientem virtutem ad videndum illum, ut ostensum est, & præcipuè ex Concil. Vienn. & amplius cōstabit infrà, ostendendo nec habere vires partiales, quibus immediatè videat, sed lumen esse illi integram & totalem rationem proximam videndi requisitam ex parte potentiæ. §. Ex quo etiam sumitur efficax argumentum pro conclusione; quià intellectio recipitur in eo, ut principio quo, à quò procedit activè, ut à virtute intellectuali tenente se ex parte potentiæ, ut adæquata ratione intelligendi, ut rectè arguit M. Catalam hic ex Cabrera ubi supra, & innuit Illustriss. Godoii disp. 18. hic §. ult. quià nempè eò ipso, quòd lumen est proxima ratio videndi ex parte potentiæ, est comprincipium vitale ut quo proximum visionis, sed principium vitale immanens non solum elicit, sed etiam recipit actum vitalem, ut patet in intellectu, voluntate, & aliis &c., ergo est receptivum illius ut subjectum quo.

Diximus de facto secundùm legem ordinariam, quia si detur posse intellectum sine illo de potentia absoluta visionem producere, nec erit necessarium, ut eam recipiat, sed idem principium supernaturale, quo elevaretur intellectus ad eam producendam, esset dispositio receptiva ut quo visionis; cæterum quià hæc est actus omnium perfectissimus, sicut de lege ordinaria, supponit habitum luminis gloriæ, ut principium activum vitale supernaturale, ità pariter supponit

illud, ut principium passivum receptivum, ut subjectum quo.

§. SECUNDUS.

Solvuntur Argumenta.

Primò arguitur contrà secundam concl.(nam contrà primam præcipuè contrà secundam part., de qua est specialis difficultas possent quædam obiici ex Nominalibus, sed quià non urgent, & ea solvit Mag. Bannez dub. 2., omittimus.) De ratione visionis, quia est actus vitalis, est quòd immediatè procedat ab intellectu, ergo etiam de ratione ejus est, quòd immediatè recipiatur in illo: Sic arguit Suarez lib. 2. de Divinis attributis c. 15. n. 26.

Sed quià in doctrina D. Tho. ant. ad intentum sui Auctoris est falsum, ut constabit infrà, loquendo scil. de immediatione virtutis, quidquid sit de immediatione potentię, ut ibi explicabitur, pariter, & falsum est consequens; nec modo immoramur, ne eadem repetantur.

Aliter ergo contrà eandem arg. secundò. Entitas naturalis animæ, & potentiarum ejus sine aliqua dispositione receptiva per solam potentiam obedientialem est immediatè apta ad recipiendum habitus gratiæ, fidei, luminis gloriæ &c. ergo pariter entitas naturalis intellectus per suam obedientialem erit immediatè receptivus visionis; ant. patet in parvulis. Quòd verò præcedat aliqua in adultis de lege ordinaria, hæc non requiritur ex natura rei, sed ex ordinatione divina, neque est receptiva ut subjectum quo, sed tantum determinans aliquomodo subjectum, & ideò sine ipsa manet habitus supernaturales; conseq. probatur nam ex eo posset esse necessaria ad visionem, quia est aliquod supernaturale, sed non minus supernaturales sunt prædicti habitus, ergo si ad illos non est necessaria dispositio, neque erit necessaria ad visionem &c.

Urgetur hoc. Actus supernaturalis fidei non recipitur in intellectu medio habitu fidei, ergo nec recipitur visio medio lumine gloriæ; Conseq. tenet à paritate, ant. verò prob., quia actus supernaturalis fidei in adultis præcedit in genere causæ materialis dispositivæ infusionem habitus fidei, cum sit una ex dispositionibus requisitis ad illam, ergo nequit recipi medio habitu fidei, aliàs idem esset prius, & posterius in eodem genere causæ, quod repugnat; &c.

Ad hoc ne fiat æquivocatio dico in primis ant. tantum posse verificari ad hunc sensum, quòd habitus gratiæ, cum hæc non sit proximum principium operationis, sed magis per modum naturæ in illo ordine, recipiatur immediatè in essentia animæ, virtutes verò infusæ, quia sunt proximum principium operationis, ut determinatio, & elevatio potentiæ naturalis ad agendum, nequeunt ut tales formaliter recipi immediatè in entitate animæ, sed supponunt potentiã, ut dispositionẽ receptivam, ut subjectũ quo, undè sic explicatum de habitu gratiæ respectu animæ, & de habitùs virtutum infusarum respectu potentiarum concedo illud, & nego conseq., ad probationem nego causalem ma. sed quia est supernaturalis, ut operatio vitalis, & non præcisè quià est supernaturalis, aliàs quæcunque etiam dispositio supernaturalis indigeret alia prævia dispositione, quod patet ex dictis esse falsum, & dare processum in infinitum, sicut ergo de ratione actionis vitalis est, in eo recipi, ut subjecto quo, à quo ut à principio vitali procedit, ita de ratione operationis supernaturalis vitalis est, in eo, ut subjecto quo recipi, à quo procedit ut à principio quo vitali supernaturali.

Ad confirm. duplici via occurrere possumus, primò in opinione afferente primum actum fidei dispositivum ad infusionem habitus fidei non procedere effectivè ab isto, sed à potentia elevata auxilio supernaturali, & tunc disting., actus supernaturalis fidei, perfectus, nego, imperfectus, vel primus transeat. In eo ergo quòd actus procedit, vel non procedit ab habitu, ut principio activo recipitur, vel non recipitur in eo, ut subjecto, & quià juxtà hunc modum dicendi, primus, vel imperfectus non procedit ab illo, nec medio illo recipitur in intellectu, perfectus verò sicut est simpliciter posterior habitu, & ab eo procedit, ut principio activo, ità illo medio habet in intellectu recipi; verum sicut certum existimo non posse procedere ab intellectu immediatè, sed ut elevato aliquo auxilio supernaturali, intellectui inhærente, ut dictum est, & patebit infra, ità pariter existimo certum, nec immediatè in intellectu recipi, sed medio principio activo elevante, quodcumque sit, undè nego conseq., quia visio, ut insinuavimus, cum sit actus omnium perfectissimus saltem de lege ordinaria supponit habitum luminis gloriæ, ut principium passivum receptiuum, ut subjectum quo. Per quod patet disparitas, inter utrumqde actũ loquendo de primo fidei.

II. Resp. respond. in alio modo dicendi afferente dispositionem ad formam procedere efficienter ab eadem forma, & consequenter primum actum supernaturalẽ disponentem in adultis ad infusionem, vel receptionem habitus fidei, sub munere formæ perfectæ, vel permanentis, procedere ab eodem habitu sub munere formę auxiliantis, seu prout est in fieri, vel in infusione, aut ut habet modum actualis auxilii, vel motionis potentię ad actum, de quo 1. 2. q. 113. ar. 8. tunc nego antec., ad prob. disting., ant., actus fidei pręcedit habitum in genere causæ materialis dispositivæ; ut dispositio præcisè determinans subjectum, conc., ut receptiva, per modum subjecti quo, nego, & similiter disting., conseq., nequit recipi medio habitu fidei tanq. dispositione determinante subjectum, conc., ut receptiva nego: mutuò ergo se præcedunt, sed sub diversa ratione formali, vel specifica causandi, actus scil. habitum, ut dispositio determinans, habitus verò actum, ut dispositio receptiva, in quo nullum est inconveniens etiam in eodem communi genere causæ, ut optimè ostendit M. Catalam 3. p. q. 1. art. 3. dub. 2. concl. 1. & 2. in Incarnatione, & natura humana infecta peccato, seu in gloria Christi, & nostra iustificatione intrà forum causæ finalis, seu finis per se, & non per se intenti, vel cui provenit utilitas, de quo D. Tho. in 2. dist. 1. q. 2. dist. 1. q. 2. art. 11. Et patet etiam in calore, ut 8. & forma ignis, calor enim ut 8. in genere causæ materialis ut dispositio determinans, est prior forma ignis, quià ab eo ut à dispositione dependet in fieri, & conservari in materia, & tamen eadem forma præcedit calorem, ut 8., ut principium quo activum, à quo emanat, ut proprietas, & consequenter præcedit illum, ut subjectum quo receptivum, & constitutivum subjecti, quod sustentat eundem calorem: & poterat etiam generaliter exemplicari in aliis intrà hoc idem genus causæ materialis. Nam accidentia, quæ sunt dispositiones necessariæ pro conservatione subjecti, sunt causæ materiales dispositivæ ipsius subjecti quia à dispositione, ut à

causa

causa materiali per se dependet compositum, & tamen illud est causa materialis, cui inhæreot eadem accidentia, sed hic modus tamen causæ materialis est diversus specie.

III. Arg. ad idem opponendo quædam inconvenientia. Si lumen gloriæ esset receptivum, ut subjectum quo visionis posset divinitùs separatum ab intellectu retinere eam, consequens est falsum, aliàs atiam pront sic posset videre Deum sine consortio intellectus, quod est alienum, ergo, probatur ma. retorquendo exemplum quantitatis; nam quia hæc est receptiva, ut subjectum quo coloris, figuræ &c. divinitùs separata à substantia retinet illa, ut patet in Eucharistia, ergo similiter lumen posset sic separatum retinere visionē. §. Urgetur huc ex alio inconvenienti. Si esset sic receptivum illius, de illo tantum verificaretur per se eam recipere, & esse beatum, de intellectu verò utrumque per accidens, ergo semel separatum adhuc retineret, & videret. Ant. constat, quia illud tantum reciperet ratione sui, ergo illud tantum per se haberet formalem effectum visionis, scil. videntis, & consequenter beati &c.

Ad hoc vel nego ma. formaliter loquendo de visione, vel dist., posset retinere eam, formaliter ut operatio vitalis est, nego, materialiter, & purè entitativè transeat; nam certum est, quòd intellectus in omni sui operatione est subjectum quo receptivum illius, vel intellectionis, & tamen nullus dicet posse hanc in ratione operationis vitalis conservari in illo divinitùs ab anima separato. Et ratio à priori est, quia operatio vitalis formaliter ut talis, essentialiter dependet in fieri, & conservari ab activo influxu viventis, cum enim vitalis actio, utpotè de linea actus secundi intra genus vitæ, consistat in actuali exercitio intra hoc genus, implicat in terminis, qòd actu perseveret formaliter, ut talis, cessante actuali ioflaxu viventis, cujus est actio.

Ad prob. verò ma. dico in primis esse solvendam à contrariis in motu progressivo animalis & in ejus nutritione, quorum etiam in statu conjunctionis, seu ut inhærens viventi est receptiva ut quo, & tamen separata neutrum retinere potest; non ergo ex præcisa ratione receptivi, subjectum tale ut quo habet meritum retinendi in quocunque statu. Pro omnibus nego causalem anteced. ut adæquatam, sed ideo separata potest aliqua retinere, & conservare, & aliqua non, quia supposito quòd sit sic receptiva, dependent aliqua essentialiter, & aliqua non, ab actuali influxu substantiæ, à qua est separata, unde sicut de dependentibus negatur posse retinere, estò earum in aliquo statu receptiva sit, scil. in illo unionis, pariter est negandum de visione, & de qualibet alia operatione vitali formaliter ut tali, quòd in statu separationis ab earum subjecto receptivo ut quo retineri possint ob eandem rationem dependentiæ ab influxu actuali viventis.

Ad confir., qua utitur Scotus in 3. dist. 14. q. 2., & quā adeò magnificat Suarez, ut hoc solum argumentum ex omnibus, quæ adducit Scotus contrà nostrā conclusionē, existimet efficax; dico iterū in primis esse hoc incōveniens, (scil. intellectum per accidens tantùm recipere illā, & tantùm per accidens esse beatum) ab eodē Suarez solvendum, quia nobiscum fatetur non posse intellectum sine lumine elicere visionem, nec posse esse beatum illo activè non eliciente eam, unde si semel convincitur hoc argum., tenetur fateri, quòd intellectui tantùm per accidens utrumque conveniat, ità ut possint ei non convenire, lumine scil. non concurrente, & consequenter tenetur, vel solvere, vel negare ei talem efficaciā, ut reverà neganda est, cum planè videatur non esse momenti; nam sicut intellectui non convenit per se actu elicere, nisi proximè elicere illam, sed tantùm per accidens, nempè vel quia potest hoc ei non convenire, aut quia ratione alterius ut principii quo proximi convenit, scil. per lumen, ità nullum inconveniens est concedere, quòd non per se, sed per accidens, scil. accidentaliter, vel per aliud, conveniat ei actu recipere visionem, vel esse prout sic beatum. Dicimus autem proximè, quia posse remotè, aut remotè habere aptitudinem eliciendi, & recipiendi illam patet ex superioribus, & adhuc constabit infrà, per se & ex propria ratione formali, vel essentiali convenire, quia licet visio sit extranea ab ejus proportione proxima, aut viribus proximis, non tamen à coaptatione illius essentiali, & consequenter non est adæquatè extrà limites sui objecti, ut dictum est, &c. Sed circà hoc argumentum, vel confirmationem multa dicit Cabrera, ubi suprà ad 4. Ex his in forma conc. ma. in sensu explicato, nego in eodem mi., quia nullum est absurdum, quòd dicatur tali modo per accidens beatus.

QUÆSTIO QUINTA.

An lumen gloriæ sit adæquata virtus proxima videndi Deum.

Difficultas præcipuè oritur ex eo, qòd cum in visione beata reperiantur hæc duo prædicata, nēpè vitalitas, & supernaturalitas, difficilè multis apparet, quomodo lumē possit esse proxima ratio respectu primi, cū de foris veniat, cōtrà rationē virtutis, aut principii vitalis, unde partialitatem virtuti attribuunt intellectui ex propriis, non sic quòd partē visionis scil. ut vitalis est, attingat, & partē lumen, scil. ut est supernaturalis, sic enim concurrerent, ut duæ causæ partiales etiam partialitate effectus, ut contingit in duobus portantibus lapidem, quorum neuter habet sufficientem virtutem ad portandum totum, sed quilibet tantùm partialiter portat juxtà mensurā suæ virtutis, quod tamen contrarii non admittunt, sed quia licet tā intellectus, quàm lumen totam visionem attingant non tamen sub omni expressione, aut formalitate ejus, sed intellectus sub ratione vitalis, & lumen sub ratione supernaturalis, sicut dicitur de sole, & homine dum generant hominem, quòd uterque totum hominem producat, non tamen sub omni ratione, sed sol sub ratione corporis, & homo sub peculiari ratione hominis, quòd est cōcurrere sub sola tantū partialitate causę, & ità sentiūt plures Scotistæ, & ferè omnes Doctores Societatis contra Thomistas, licet discrimentur inter se in modo explicandi partialem, & immediatam virtutem, quam attribuunt intelllectui ex propriis, ut dicemus infrà.

§. PRIMUS.

Quibusdam præmissis in quibus utraque sententia convenit, & discrepat, referuntur sententiæ, & modi dicendi.

IN tribus nobiscum consentiunt PP. Societatis. Primum est, quòd fatentur visionem, & alios hujus-modi

modi actus ſupernaturales eſſe adæquatè tales, ſcil. tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum, ſed differunt in explicando ob quam rationem ſupernaturales ſint, in quo præcipua vis hujus, & ſeq. quæſtionis conſiſtit. Illi ergo ut partialitatem cauſæ ad hanc etiam materiam extendant, in eo dicunt conſiſtere actum eſſe adæquatè ſupernaturalem, quòd licet natura partialiter activè proximè ex propriis concurrat ad illum, non tamen ejus vires ſufficiunt, ſed prætereà requiritur principium ſupernaturale, & indebitum naturæ, unde ad ſalvandam adæquatam ſupernaturalitatem alicujus actus, vel ad illam componendam cum partiali, & immediato concurſu activo naturæ, duo aſſerunt requiri, & ſufficere, ſcil. neceſſitatem principii ſupernaturalis, ſic quòd ſine iſto elici non poſſit, & rationem deindè indebiti reſpectu naturæ, & ità in eorum doctrina hoc eſt univerſaliter verum, quòd eſtò natura vires proximas habeat ad actum, ubi tamen iſtæ non ſufficiunt, ſed ſunt neceſſariæ vires gratiæ, vel principii ſupernaturalis, & indebiti naturæ, ſemper actus erit adæquatè ſupernaturalis.

Cæterum in hac re magnam videntur aſſumpſiſſe provinciam, quia in primis, ut graviter ponderat hic 1. Illuſtriſs. Godoy ſi ità eſt, quòd proxima via naturæ non obſtat ſupernaturalitati actus, ex eo præcisè quòd aliàs neceſſarium ſit principium ſupernaturale, & indebitum naturæ, eadem facilitate dicant poſſe in natura, vel ex viribus ejus admitti diſpoſitionem non ſolum remotam, ſed etiam proximam ad gratiam ſanctificantem, nam per hoc quòd ad gratię infuſionem requiritur influxus Dei Auctoris gratię, vel ſupernaturaliter influentis, ſalvabitur, quòd ſit naturæ indebita, & ſupra naturam, & conſequenter adæquatè ſupernaturalis, ergo quamvis homo non tantùm remotè, ſed etiam proximè ſe diſponeret ad illam, dummodò exigatur prædictus concurſus, tota ſupernaturalitas gratiæ, vel infuſionis ejus ſalvabitur indemnis, quod tamen ſanæ doctrinę non congruit.

II. Quia videtur implicantia in terminis, quòd aliquis actus ſit adæquatè ſupernaturalis, & ſub aliqua ratione vires naturæ non excedat, ergo vel viſio adæquatè ſupernaturalis non erit, vel in natura non ſunt vires proximæ ad illam, prob. ant., nam idem eſt vires naturæ non excedere, & eſſe, quid proportionatum, vel ordinis ejus, nam planè in eo, in quo non ſuperat naturam, ſupernaturalis eſſe non poteſt, ut patet ex terminis, aliàs non ſuperaret, ut ſupponitur, & ſuperaret, quia quid ſupernaturale eſt, quod eſt eſſe ſuprà illam, niſi velimus abuti terminis, & planiſſima eorum ſignificatione.

Dices non ſatis eſſe, ut actus dicatur naturalis quoad aliquod prædicatum, quòd prout tale naturæ vires non ſuperet, ſed etiam requiritur, quòd quoad implicitum, ſcil. ratione ſupernaturalitatis, quam implicat, non ſuperet; quod duplici elegāti exemplo declarari poteſt, ut magis deinde appareat veritas Thomiſticæ ſententiæ. Primum eſt in opinione (quam 1. 2. infra de vitiis, & peccatis latè ſuſtinemus;) ſcil. aſſerente peccatum commiſſionis in poſitivo conſiſtere. Nam ut dicatur poſitivum iſtud non eſſe de linea efficientis præcisè, ſic quòd ſubtrahi poſſit à cauſalitate Dei, ſatis eſt, quòd ratione impliciti, vel conſecuti, ſcil. inordinationis, quæ reperitur in tendentia ad objectum diſſonum; vel privationis, quæ conſequitur, vel etiam implicitè clauditur in illa, juxta diverſitatem modi explicandi; aut averſionis, de eadem linea non ſit. 2. eſt in actionibus Chriſti, quia ut hæc in ratione ſatisfactionis pro formali dicatur non cadere ſub dominio Dei, eſtò aliàs quid creatum ſit, ſufficit, quòd prout ſic ſit quod cōjunctū alicui increato, aut illud implicitè involvat tanquam formam valorantem, ità ut quià ſub hoc implicito, utpotè increato, non cadit ſub eodem dominio, dicitur & ipſa prout ſic non cadere ſub illo, ergo pariter ut aliquis actus dicatur non eſſe de linea naturæ, ſatis eſt, quòd ratione impliciti ſuperet illam.

Sed contra hoc eſt; & in primis hæc ſolutio videtur ludere verbis, nā hic tam implicitum, quàm explicitum pertinent ad ordinem ſupernaturalem, ſi velimus eſſe actum adæquatè ſupernaturalem, ſive quoad utrumq; prædicatum, cum revera vitalitas viſionis, ut dictum eſt, non ſit vitalitas abſtracta à naturali, & ſupernaturali, ſed contracta per ſupernaturalitatem, ſicut dictum eſt de ſubſtantia angelica; eſt enim vita viſionis beatæ, vita æterna ſupernaturalis, pertinens non ſolum ad ordinem gratiæ, ſed ad perfectiſſimum, ſive gratiæ conſumatæ, ergo ſi quia implicitum pertinet ad illum ordinem, non permittit viſio proximum influxum naturæ reſpectu ſui ſub ratione impliciti, quia adæquatè quoad utrumque pertinet ad eundem ordinem, nullo modo, vel ſub nulla ratione permittere poteſt illum, ſalva adæquata ſui ſupernaturalitate, nec exempla adducta ſunt ad rem, imò retorquenda, ut ſtatim dicemus.

II. impugnatur. Nam prædicatum ordinis naturæ in effectu explicatur per hoc, quòd immediatam proportionem habeat cum natura, ſed actus iſte in eo, in quo non ſuperat, proportionem habet cum illa, ergo in eo, in quo non ſuperat verè eſt naturalis, ergo vel non erit adæquatè ſupernaturalis, vel ſalva hac ſui ſupernaturalitate, nullo modo poteſt admittere talem influxum in natura reſpectu ſui, aliàs ſimul iterum excederet, utpotè adæquatè ſupernaturalis, & non excederet, utpotè habens proportionem cum natura: ma. patet nam eſſe ordinis naturæ eſt eſſe effectibilem ab illa, ſed eſſe ab illa immediatè effectibilem eſt eſſe immediatè proportionatum cum viribus ejus, ut patet ex terminis, ergo: mi. etiam eſt evidens, nam aliàs ſuperaret.

III. Ex his impugnatur retorquendo utrumq; exemplum. Nam licet dicamus id ſufficere ad utramque actionē, ſcil. peccaminoſam, & aliā ſatisfactoriam Chriſti, de neutra tamen verificatur, quòd ſint adæquatè tales, ſed tantum cum reduplicatione, vel pro formali ergo nec de viſione verificabitur, quòd ſit adæquatè ſupernaturalis, ſed tantum inadæquatè, quod eſt intentum ſuperioris replicæ. §. Quòd ſi dicas actum viſionis in eo, in quo non ſuperat, ſive in prædicato vitalitatis, nec explicare naturalitatem, nec ſupernaturalitatem, ſed præciſum conceptum vitalitatis, qui ſecundùm ſe abſtrahit ab utroque. Jam hoc ſufficienter impugnatum eſt, quia modo non loquimur de vitalitate metaphyſicè, vel logicè ſumpta ſecundùm ſtatum præciſionis, ſed de illa in re, vel contracta, ſive in ſtatu productionis, aliàs non erit etiam propria viſionis; ſed prout ſic non eſt abſtrahens, ſed determinatè ſupernaturalis, ut verè etiam exigit ſic eſſe ſecundùm proprium conceptum vitæ conſumatæ, vel beatificæ, ergo non eſt immediatè capax influxus naturæ ſecundùm hoc prædicatum vitæ, ut eſt in re proprium ſui, ſicut dicebamus ſimiliter de ſubſtantia ſemel contracta in re per differentiā corporei, vel incorporei in ſubjecto materiali, vel immateriali quę nō abſtrahit, ſed determinatè eſt corporea vel incorporea, unde ſicut Angelus ſecundùm proprium

sui conceptum petit esse substantia incorporea, ita substantia abstrahens ab utroque non esset propria sui, ergo &c.

Aliter ergo & variùs explicant hanc adæquatam supernaturalitatem Thomistæ dicendo actum idcò esse adæquatè supernaturalem, quia vires naturæ non solùm sunt insufficientes, sed nullum concursum proximum, & immediatum præstare possunt ex propriis ad illum, unde tota virtus proxima, & adæquata ad illum eliciendum est qualitas supernaturalis tenens se per modum virtutis ex parte potentiæ, sic quod ex parte ipsius sit sola vis radicalis, vel coaptatio essentialis per modum commensurationis, vel habitudinis potentiæ ad actum ut contentum intra suam sphæram adæquatam, vel specificam, improportionatum tamen, & proportionandum per eandem qualitatem supernaturalem, quæ simul elevat, & dat vires proximas, ac præcontinentiam ejus.

Pro quo, & pro solutione unius ex præcipuis fundamentis oppositæ sententiæ existimantis juxta hanc doctrinam non posse salvari, quòd intellectus activè se habeat, adverto 1. duo in intellectu posse distingui, nempe prædictam aptitudinem, & coaptationem essentialem, quę est ipsa essentia potentię, & deinde virtutem, seu efficaciam, per quam proximè operatur, quæ duo diversa esse patet, quia primum consistit in ordine trãscendentali ad objectum adæquatum specificativum, 2. verò solùm est in ordine ad objectum proportionatum, ad quod attingendum habet efficaciam ex se: & declarari potest exemplo superiùs insinuato de potentia visiva in talpa, quæ licet coaptationem habeat in ordine ad visibile ut sic, quia ab eo specificatur, non tamen habet virtutem, & efficaciam in ordine ad illud ut sic, quia non habet illam ad videndum Solem sub illa ratione communi visibilis contentum.

Sumitur hæc doctrina ex D. Thom. 3. cont. gent. c. 54., ubi ait: *Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquod omninò extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia immaterialis à sensu, nam ipsa Divina substantia est primum intelligibile* (Ecce essentia potentiæ in ordine ad ambitum objecti adæquati) *sed est extra facultatem objecti adæquati, sicut excedens virtutem ejus*. Ecce virtus, vel efficacia illius, quæ tamen deficit in casu; unde etiam hic art. 1. ad 4. asserit inter Deum ut in se est, & intellectum creatum esse coaptationem, quæ consistit in habitudine potentiæ ad objectum; unde si velimus posse elevari ad illũ sic vidẽdum tenemur hãc coaptationem in illo admittere, quia ad hoc satis est, quòd Deus contineatur intra latitudinem objecti adæquati, vel specificativi ejus, & visiu intra latitudinem actum intellectus. Ex quo evidenter infertimus, quòd licet ad eliciendam visionem beatam expectet vires proximas adæquatas à lumine, non tamen hinc opponendum nobis est, quòd quasi passivè ad illam se habeat, & non activè, quia non expectat illas in ordine objectum, vel actum omninò extraneum, ut dicit D. Tho., & tenemur fateri omnes, si valimus esse elevabilem, ut poteotiam vitalem se moventem ad illam, & viventem per illam, sed tanquam ad aliquod proportionandum intra limites sui objecti specificativi per idam lumen, nam ob id solum, quòd Deus non continetur, ut vidimus, intra sphæram adæquatam alicujus sensus, repugnat sensum elevari ad videndum Deum; & ob id etiam, quòd aqua intra spheram sui adæquatam, vel specificativam non contineat calefactionem, non se habet activè respectu illius, sed præcisè ut subjectum sustentans formam, seu calorem, qui est ratio calcfaciẽdi, unde dicitur quòd calor non solũ est tota virtus respectu ejusdem calefactionis, sed etiam tota causa, quod tamen de intellectu verificari nequit, ut etiam constabit infra.

Sed pro ulteriori hujus intelligentia secundò adverto, dupliciter dici posse intellectum, vel potentiam inefficacem, vel insufficientem ad aliquem actum, primò quia licet per se respiciat, aut contineat illum intra sui specificativum, ut dictum est, non tamen pervenit ad virtutem proximam, siva completam, sive incompletam, sed tantum comparatur ut aliquid perfectibile per virtutem superadditam ad operandum, quia eo ipso, quòd actus ille non est adæquatè extra, sed magis intra spheram suæ adæquationis, utpotè dicens coaptationem præfatam ad illum, non se habet præcisè, ut subjectum sustentans virtutem productivam illius, sed magis ut aliquid proportionandum in ratione principii activi, unde non est habitudo extranei ad extraneum, vel contrarium, aut sibi repugnans, ut est illa aquę ad calorem, & calefactionem, sed potentiæ ad aliquid excedens, quia ut dicebamus, cum potentia non adæquetur à præciso objecto proportionato intra forum sui essentiale, admittit etiam aliquid excedens, & consequenter non tenetur habere efficaciam, vel vires proximas ad omnia objecta intra sui latitudinem contenta, sed potest expectare illas, & augeri ab aliquo sibi superaddito in ratione principii activi sibi convenienti ex eadem coaptatione, vel habitudine potentiæ; Nam revera hæc habitudo, scil. potentiæ, est habitudo principii activi, unde si hæc non limitatur ad præcisum objectum proportionatum, sed extenditur ad omne sub specificativo contentum, perperam infertur, quòd eo ipso quòd sibi superadduntur vires, aut conferuntur istæ ob excessum alicujus objecti excedentis intra idem specificativum contenti, statim amittat rationem principii activi; solum enim inferri poterat, quòd amittat rationem activi proportionati, non à toto genere activi, quia ratio activi à toto genere solum deperditur sublata prædicta coaptatione, vel habitudine potentiæ, ut patet in eadem aqua, nam quamdiù perseverat hæc habitudo, nunquam cessare potest adequatè ratio activi principii indispensabiliter importati in conceptu potentiæ; quod est valdè notandum in hac re, & aliis similibus, ad vitandam prædictam sequelam immeritò huic sententię à contrariis oppositam.

Alio modo dici etiam potest inefficax, vel insufficiens, scil. non per carentiam totius virtutis proximæ, sed quia licet eam habeat ad actum, non tamen completam, vel quæ se sola sufficiat sina aliquo superaddito complente, sicut supra, & alibi in logicis dictum est, de nostro intellectu in ordine ad syllogizandum, vel scientificè pro formali cognoscendum aliquod objectum, esto non excedat illud quoad ordinem, ut in casu, sed tantum quoad modum cognoscendi, scil. scientificè formaliter: in quo licet non importetur excessus à toto genere proportionati, ut iterum contingit in casu, importatur tamen peculiaris excessus quoad perfectionẽ, vel excellentiam cognitionis, quia non est pura cognitio apprehensiva, vel naturalis, sed manifestativa bonitatis consequentiæ, quæ haberi nequit ignoratis vitiis illius, unde indiget aliquo superaddito manifestante hæc vitia, aliàs non posset certò, & sine errore procedere, ut requiritur ad processum scientificum, & propterea sustinuimus necessitatem simpliciter logicæ ad scien-

scientias acquirendas, unde licet dicamus intellectum nostrum habere non tantum coaptationem essentialem, sed etiam virtutem proximam ad hujusmodi objecta sic cognoscenda, utpotè non excedentia paues ordinem, vel supra adæquatas vires proximas naturæ, non tamen contrapositivè ad angelicum habet illam completam, sed magis complendam per lumen, aut habitum superadditum scientificum, vel logicalem.

Ex his ergo patet, quòd in ordine ad actus supernales, & præcipuè adæquatè tales, utpotè excedentes à tota proportione objecti, dicuntur potentiæ insufficientes non quomodocumque, sed priori modo, unde dom de insufficientibus trāseunt per habitum, aut qualitatem supernaturalem ad esse sufficientes, transeunt per illam tanquam per virtutem proximam adæquatam, & non præcisè complentem, aut necessariò concurrentem in consortio partialis virtutis, quam præsupponant in potentia, superaddita præcisè ratione indebiti, unde solum in illa supponunt prædictam coaptationem essentialem, vel habitudinem potentiæ, aut vim radicalem, ut alii vocant, seu essentiam potentiæ omninò requisitam, ut dicantur deinde sic elevatæ concurrere activè ad eorum elicientiam, tanquam potentiæ vitales.

II. Cum Thomistis conveniunt, quòd nequeat potentia elicere hujusmodi actus sine elevatione, sic quòd ad illos eliciendum etiam sub ratione vitalis indigeat principio elevante. Sed iterum recedunt in modo explicandi hanc elevationem, nam prætendunt in eo consistere, aut sufficienter salvari per hoc, quòd potentia non possit illum producere sine influxo ejusdem principii, non quasi istud per modum causæ formalis det ei virtutem, aut præcontinentiam, sed tantum adjuvet influendo simul ad actum, quod est idem, ac dicere, quòd nisi lumen concurrat, intellectus concurrere nequit, non quia concurrat per lumen, sed quia tenetur concurrere cum lumine, vel in consortio ejus; ex quo deinde inferunt saltem de potentia absoluta posse potentiam, vel intellectum sine omni lumine intrinsecè inhærente elicere visionem, aut alium actum supernaturalem, quia cùm non sit de ratione principii sic adjuvantis dare intrinsecè virtutem informando, potest optimè suppleri à Deo sine qualitate intrinseca, de quo tamen infra &c.

Cæterum modus iste explicandi apparenter tamen ponit elevationem, & subordinationem potentiæ ad lumen, ut requiritur ad perfectibile respectu sui perfectivi, ut revera comparator lumen, vel gratia respectu naturæ; sed in re negat utramque, nec magis sustinet potentiam perfici, aut subordinari lumini, quàm lumen potentiæ, nam si in hoc elevatio, aut subordinatio consistit, quòd potentia sine lumine, aut consortio ejus operari, aut visionem elicere nequeat, cùm nec pariter lumen sine potentia possit elicere eam, non magis perficietur, aut subordinabitur potentia lumini, quàm lumen potentiæ, vel si hoc non obstante non perficitur istud, nec subordinatur potentiæ, neque hæc in re perficietur aut subordinabitur lumini. Tum quia hujusmodi effugium, cui tamen fidunt contrarii, si aliquod convinceret, pariter convinceret, ut alibi opponimus; Deum etiam respectu actionis vitalis creaturę perfici, aut subordinari illi, cum ad illam concurrere nequeat, creatura non concurrente, aut sine consortio ejus, cū de ratione actionis vitalis formaliter ut talis, sit, ut dicebamus, quòd indispensabiliter fit à principio intrinseco viventis. Sed de hoc iterum infra. Thomistæ ergo veram sustinentes elevationem intellectus ad lumen, ita dicunt adjuvari à principio supernaturali, ut totam efficaciam, seu virtutem proximam, & continentiam actus accipiat ab illo, cùm revera elevetor ad aliquid excedens adæquatam ejus proportionem proximam, sola remanente in illo remota, seu habitudine potentiæ, vel coaptatione essentiali ejus, ut dictum est; unde judicant omninò impossibile, quòd sine omni qualitate supernaturali habita intrinsecè saltem per modum transeuntis, vel auxilii fluidi, aut dispositionis eliciat actum supernaturalē, quia implicat in terminis, quòd potentia eliciat actum, quem non præcontinet, ut dicemus infra.

III. Conveniunt, quòd, ut jam insinuavimus; utraq; sentētia admittit causas partiales sola partialitate causæ, præcisivè à partialitate effectus, sed discriminantur in materia, circa quam admitti debeat, nam ipsi extendunt ad omnes actus, tam naturales, quàm supernaturales comparativè ad potentiam, sive intellectus sive voluntatis, & habitus tenentes se ex parte earum, sic quòd potentia, & virtus ejus non concurrant eodem indivisibili concursu, sed distincto partiali; & idem similiter dicunt de præmissis theologicis, quando una est naturalis, & altera supernaturalis.

Thomistæ verò licet admittant id accidere posse in causis diversi ordinis, ut dictum est, de Sole, & homine, utroque generante quidem totum hominem, sed non sub omni ratione, sed altero sub ratione corporis, scil. sole, altero verò sub peculiari ratione hominis; scil. homine; & etiam in agentibus particularibus, quorum alterum nequit esse virtus alterius, ut contingit in specie impressa, & intellectu circa elicientiam cognitionis, & formationis verbi modo in superioribus explicato; nam cum cognitio exigat prodoci ab intellectu, & objecto (dicit enim Aristot., quod ex utroq; paritur notitia) & species sit virtus objecti, nequit esse virtus intellectus, unde tantum habet adjuvare illum ad elicientiam cognitionis, objectivè determinando, ut dictum est, non autem tenetur dare illi virtutem, qua reddatur potens intelligere, sed hanc vel intellectus habet à se ipso, vel accipit ab habitibus, qui sunt virtutes ejus, unde nec tenetur species informare (nisi materialiter, quia in nobis est accidens ut dictum est) sicut tenetur habitus, qui est virtus potentiæ, & propterea dicimus infra, quòd lumen gloriæ, & alii hujusmodi habitus tenentes se ex parte potētiæ ut virtutes ejus sint insuplebiles, quia tenentur indispēsabiliter informare, quatenus dant virtutē constituēdo esse, vel naturam accidentalem, ad quā sequitur operari. In prædictis ergo causis diversi ordinis, vel agentibus particularibus admittimus partialitatem causæ præcisivè à partialitate effectus, unde etiam dicimus, quòd tota visio, vel cognitio est ab intellectu, & tota ab objecto, sub alia tamen, & alia expressione ejus, scil. sub ratione actionis vitalis, ab illa, & sub alia specificabilis ab isto, sicut similiter totum verbum ab utroque principio est, sed sub munere qualitatis vitalis ab intellectu, & secundum puram rationem repræsentationis intentionalis ab objecto. Cæterum constanter negamus posse hanc partialitatem causæ extendi ad habitos tam intellectus, quàm voluntatis, qui nempe se tenent ex parte utriusque potentiæ ut earum virtutes, & præcipuè quando sunt habitus supernaturales, quia tunc ast præfatus excessus ex parte actus, & objecti superans omnem efficaciam naturæ, unde tunc potentia, sive in casu, intellectus non comparatur ad lumen in ordine ad visionem (& sic de aliis habitibus, & actionibus supernaturalibus) ut causa compartialis, sed ut

ut essentia potentiæ ad virtutem, & efficaciam, qua constituitur simpliciter potens operari; unde lumen in ratione virtutis, vel efficaciæ productivæ est tota ratio agendi, quamvis non in ratione potentiæ intellectivæ, sed ex ipso, & essentia intellectus constituatur quasi una integra potentia intellectiva productionis.

Explicatur totum hoc, & simul aperitur æquivocatio oppositæ sententiæ ex superiori insinuato discrimine inter aquam calidam in ordine ad calefactionem, & intellectum illustratum lumine gloriæ in ordine ad visionem, in quo præcipua vis difficultatis consistit ad ostendendum scil. quomodo optimè salvetur adhuc intellectum activè concurrere, esto lumen sit ei tota & adæquata ratio agendi, & non causa partialis; ut egregiè ponderat Mag. Catalan dub. 3. in appendice ad art. 6. concl. 3. nam in primis aqua ex se non habet prædictam coaptationem essentialem potentiæ ad actum respectu calefactionis, nec perficitur per calorem ad agendum intra latitudinem proprii objecti specificativi, sed potius trahitur per calefactionem ad esse contrarium suæ naturæ; & denique calor in producenda calefactione non pendet ab aqua, quia non minus eam produceret, si in alio subjecto, aut separatus existeret, & ideo præcisè se habet ut dictum est, ut subjectum sustentans formam. Cæterum intellectus in ordine ad visionem hæc tria habet, & ideò activè concurrit cum lumine, licet istud ab extrinseco adveniens sit tota ratio agendi, & non partialis causa. Nam revera præfatam dicit habitudinem, & coaptationem potentiæ ad actum, nisi velimus istum, sicut & Deum clarè visum esse adæquatè extra limites suæ extensionis, vel specificationis, quod esset ei denegare possibilem visionem. Deinde per lumen perficitur consequenter ad agendum intra latitudinem proprii objecti specificativi, vel suæ adæquationis, unde non trahitur ad esse contrarium, sed maximè perfectivum suæ naturę, nisi velimus iterum per gratiam non perfici naturam; & deniq; lumen ita est virtus intellectus, ut in alio subjecto extraneo, vel separatum ab illo non produceret visionem formaliter, ut talem, ut dictum est. Quod etiam declarari potest exemplo formæ substantialis, quæ activè concurrit cum naturalibus potentiis ad proprias earum actiones; & tamen seclusis potentiis nullam habet virtutem proximam activam, ut latè ostensum est in physicis; quamvis in hoc (subdit idem Magister) magna sit differentia, quòd à forma substantiali oriuntur naturales potentiæ, & ideò licet non agat, nisi facta in actu per illas, non tamen dicitur elevari ad agendum, imò principaliùs, quam illæ concurrit ad operationem, at verò lumen gloriæ cùm sit supra naturam intellectus principaliùs concurrit ad visionem, nec intellectus agere dicitur nisi ut elevatus lumine, utpotè ad actum excedentem, ut dictum est.

Totam hanc doctrinam contra partialitatem causæ, ut applicandam habitibus operativis tradit D. Thom. p. 2. q. 54. ar. 4., ubi expressè docet, quòd hujusmodi sunt virtutes potentiarum, & dantur illis ad hoc, ut per eosdem perfectę eliciant actus, quos aliàs ex se vel completè non poterant, ut dictum est de scientificis intra proprium ordinem; vel nullo modo elicere valebant ex defectu totius efficaciæ, vel virium proximarum; unde habitus ex propria sui ratione est perfectio potentiæ in ordine ad eliciendum actum. Verba D. Thom. sunt in princ. corp. *Dicendum, quòd habitus ad operationem ordinatus, de quo nunc principaliter intendimus, est perfectio quædam potentiæ: omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili. Unde sicut potentia cum sit una ad multa se extendit secundum quòd conveniunt in uno aliquo, idest in generali quadā ratione obiecti, ità etiam habitus ad multa se extendit secundum quòd habet ordinem ad aliquod unum, puta ad unam specialem rationem obiecti.* Hæc D. Tho., quæ verificari non possent, si habitus essent causæ partiales simul cum intellectu in ordine ad elicientiam actus, nam sicut habitus esset perfectio potentiæ, ità hæc, ut insinuavimus, esset perfectio habitus, quia ratio perfectionis potentiæ in habitu consisteret in eo solum, quòd potentiam adjuvaret ad actum, at etiam potentia adjuvaret habitum ad elicientiam actus ergo sicut habitus esset perfectio potentiæ, ita, & potentia esset perfectio, & perfectibile, quod præcipuè in ordine ad habitus supernaturales est alienum, nisi velimus naturam elevare, & perficere gratiam, cum re vera dona supernaturalia elevent, & perficiant naturam, & consequenter hæc etiam exerceret idem manus in ordine ad habitus supernaturales, undè mutuò se elevarent, & perficerent.

Nec deinde etiam D. Tho. unitatem habitus ex unitate potentiæ colligere posset, ut patet in specie, nam quià hæc non est virtus, nec perfectio potentię in ordine ad operandū, sed magis ex parte objecti adjuvās intellectum, non sumit suam unitatem ex unitate potentiæ, sed objecti, unde multiplicantur multiplicatis objectis, quorum sunt virtutes. Scio contrarios, ut vidimus in logicis, non admittere hanc doctrinam D. Tho., utpote negantes habitū operativum esse simplicē qualitatem, sive unum unitate simplicitatis: sed pręterquam quòd latè hoc ipsum ibidem impugnatum ait, & ut ait M. Ferre ad hanc rem tom. 2. in 22. tract. de Charitate q. 7. §. 3. satis est cum D. Tho. loqui, ut veriùs loquamur; statim etiam constabit, quantum veritati consonet doctrina ejus.

In prædictis ergo tribus longè à nobis abeuntes PP. Societatis constanter negant lumen esse totam, & adęquatam virtutem proximam agendi, quià aliàs nec intellectus activè se haberet, nec visio esset vitalis, unde partialem influxum huic attribuunt in ordine ad illam, partialitate scil. causæ, ut dictum est, non effectus, sive attingendo quidem totam, sed partialiter ex propriis tantum sub ratione vitalis, & lumen iterū totam, sed sub ratione supernaturalis. Ità Molina, Suarez, Vasquez, Baccanus, Arrubal, Granado, Erice, Alarcon, & alii Recentiores sequuti Scotum in 3. dist. 13. q. 3. & 4.; quamvis non omnes ejus discipuli consentiant, ut advertit M. Ferre hic q. 6. §. 11., sed aliqui tantum, quia non omnes judicant Scotum sentire visionem esse quoad substantiam, & modum, supernaturalem, quod tamen supponendum est ad resolutionem difficultatis, nec negant prædicti PP., licet discrepent inter se in explicando qualitatem istius partialis concursus, aut virtutis, quàm immediatè attribuunt intellectui respectu visionis, seu etiam voluntati respectu actus charitatis, an scil. sit principalis, aut instrumentalis, aliis affirmantibus esse instrumentalem, aliis principalem, aliis partim instrumentalem, partim principalem, aliis distinguentibus, & asserentibus esse principalem, quando intellectus elevatur media qualitate, instrumentalem verò quando medio auxilio elevante extrinsece.

Oppositum tenent communiter Thomistæ, quos latè referunt, & sequuntur hic Illustriss. Godoii disp. 16. §. 1.

§. 1. & M. Ferre ubi suprà afferentes habitum luminis gloriæ esse adæquatam virtutem proximam agendi in ordine ad visionem, & consequenter intellectum ex propriis non habere partialem virtutem proximam, sed ex illo, & lumine integram, vel adæquatam causam visionis constitui, lumine concurrente, ut virtute proxima adæquata, intellectu verò ingrediente, ut potentia secundum coaptionem essentialem, ut dictum est, sive secundum essentiam potentię, aut vim radicalem juxtà diversum modum exprimendi præfatam habitudinem potentiæ ad obiectum, vel ad actum, ut vocat D. Tho.

§. II.

Statuitur prima Conclusio.

Intellectus constitutus in actu per lumen gloriæ non concurrit instrumentaliter propriè ad visionem producendam. Est contrà Suarez lib. 2. de attributis negativis, quem sequuntur aliqui Recentiores, Arrubal, Fasolis, Granado, & Recupitus, sed est communis Thomistarum, & meritò, quià est expressa D. Tho., ut statim constabit, & satis conformis veritati, & adhærent etiam ex eadem societate Belarminus, Vasquez, Erice, Tannerns, & Beccanus: dicimus autem propriè, quià largè accipiendo instrumentum, sicut omnis causa 2. comparative ad primam dicitur instrumentum, ità intellectus prout sic dici potest instrumentum productivum illius, non tamē strictè, secundum quòd causa instrumētalis distinguitur à principali, *Nec operatur nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur*, ut loquitur D. Tho. 3. p. q. 62. art. 4. in corp., ex quo infert, quòd *virtus principalis agentis debet habere esse permanens, & completum in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, & in completum, sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens.*

Ex his prob. primò sic. Instrumentum propriè contrapositivè ad causam principalem non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente, per aliquid transiens, & non permanens sed intellectus beati elicit visionem per aliquid acto, & ex sua natura permanens, ergo non influit in illam, ut instrumentum propriè; mi. constat quià lumen gloriæ ex sua natura est æternum, & inamissibile; tum quia, ut plures infrà dicēt satis probabiliter, ad visionem beatam, utpote operationem omnium perfectissimam adeò desideratur lumen, per modum habitus, & consequenter per modum permanentis, ut nec de potentia absoluta elici possit sine habitu luminis per solum auxilium fluidum; ma. verò est communis consensus, & debet esse certa, si velimus instrumentalem à causa principali distinguere.

Dices ma. D. Tho., & rationis factæ manifestè instari in Sacerdote, qui tantum instrumentaliter concurrit, ad consecrationem, & tamen operatur per formam permanentem, scil. characterem, qui utpote supernaturalis potestas, est aliquid permanens, & indelebile ad secundam speciem qualitatis reductivè pertinens, ut docet D. Tho. 3. p. q. 63. ar. 3., onde non videtur eadem ma. posse universaliter verificari.

Sed contrà hoc est; & in primis hæc instantia est ab omnibus solvenda, cum ma: D. Tho., ut dictum est, sit communissimum discrimen inter utramque causam. Deinde impugnatur satisfaciendo simul pro omnibus. licet dicamus Sacerdotem constitui per characterem in ratione Instrumenti potentis in actu primo efficere cōversionem panis in Corpus Christi, non tamen constituitur per illum, actu, & completè efficiens illam, sed indiget alia qualitate permodum actualis motionis, ut in exercitio agat, ut optimè in simili tradit D. Tho. de instrumento habituali artis in ordine naturali q. 7. de potentia ar. 7. ad 7. ubi ait. *Sicut secus per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non tamen dari potuit, quod vis artis esset in ea, quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum* Ex quo etiam infert, quòd licet rei naturali dari possit virtus propria, ut in ea permanens, non tamen vis, qua ut instrumentum primæ causæ agat ad esse, sive, ut producat actu universalissimum gradum essendi, vel existentiam; Undè subdit. *Ità rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agat ad esse, ut instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei, quòd esset universale essendi principiū*, ergo similiter licet Sacerdoti dari possit forma, ut in eo permanens, non tamen quòd operetur ad prædictā conversionem, nisi ut motum à principali agente per qualitatem, vel auxilium fluidum, quod est magis confirmare hoc exemplo ma. illam D. Tho. & rationis factæ, quàm impugnare.

Explicatur, & Urg. hoc. Licet non implicet posse à Deo produci in creatura qualitatem permanentem, qua habitualiter quasi in actu 1. constituatur potens instrumentaliter efficere effectum excedentem, v. gr. gratiam, miracula, &c. ut docet M. Catalam 3. p. q. 13. dub. 6. ad art. 2. concl. 3. cum M. Bannez pp. q. 110. ar. 2. hoc eodem exemplo Sacerdotis; ut tamen talis qualitas, seu instrumentum in actu primo constitutum per illam actu agat, indiget alia per modum motionis, sicut de facto ea indiget quilibet Sacerdos: & ratio à priori est ex eodem, quia nempe virtus, qua constituitur instrumentum ultimatè completum, ut actualiter agat non est participatio divinæ virtutis, ut habet rationem actus primi, sed ut habet rationem imperii, & productionis effectus, & ideo essentialiter habet rationem motionis actualiter aplicantis instrumentum ad productionem effectus, ergo habet necessariam connexionem cum productione illius, qua cessante cessat, ut egregie explicat ibidem dub. 4. conc. 3. Sumitur hæc doctrina ex D. Tho. in 4. dist. 8. q. 2. ar. 3. in corp., ubi sic ait. *In verbis consecrationis, sicut in aliis formis Sacramentorum est aliqua virtus ex Deo; sed hæc virtus non est qualitas habens esse completum in natura, qualiter est virtus alicuius principalis agentis, sed habet esse incompletum, sicut virtus, quæ est in instrumento, & similitudines colorum in aere*. Et quæstiun. 1. ar. 4. q. 2. ad 1. dixerat, quòd sicut motus reducitur ad prædicamentum sui termini, ita virtus, quæ est in Sacramentis, reducitur ad genus, in quo est virtus principalis, quæ est qualitas, vel in quo esset, si in genere esset, quià virtus increata non est in aliquo genere, ut ostendimus in logicis. In corp. etiam ejusdem quæstiun. & 3. par. loco proximè relato, ex hoc quòd instrumentum non agit, nisi dum movetur à principali agente, infert virtutem instrumentalem debere esse proportionatam motui, & ideò non habere esse fixum, & permanens in natura, sed transiens incompletum, & intentionale ad modum, quo virtus immutandi visum est in aere, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili. Ecce quomodo D. Tho. non tantum

tum doceat illam ma., sed etiam efficaciter probet.

II. Probatur etiam principaliter conclusio. Lumen gloriæ est principium quo principaliter productiuum visionis ergo intellectus, ut elevatus, & factus in actu lumine gloriæ est causa principalis illius, conseq. tenet, quia repugnat in terminis, quòd aliquid constituatur instrumentaliter agens per rationem agendi principaliter productivam effectus; antec. verò præterquam quòd admittitur à Suarez in simili de habitu charitatis respectu dilectionis lib.6. de gratia c.7. in principio, ubi docet à nemine posse negari; præterea prob., visio beata est proprius, & connaturalis actus luminis gloriæ non minus, quàm alii actus naturales suorum habituum, & potentiarum, ergo nec est minus principium quo principaliter productivum illius, quàm alii habitus, & potentiæ suorum actuum.

Urg. hoc, & simul prob. 2. idem antec. Deus clarè visus est proprium, seu conaturale, & proportionatum objectũ luminis gloriæ, ergo istud ut principium quo principale producit visionē, prob. conseq. quià vis cognoscitiva, ut principiũ quo principale producit cognitionem objecti sibi connaturalis, & proportionati.

Urg. 2. uam actus 2. vitæ, seu operatio vitalis ex natura rei supponit actum primum, à quo ut à proprio, & connaturali principio procedat, & cujus sit propria operatio, sed visio beata nequit aliud huiusmodi principium supponere, quàm lumen gloriæ, ergo erit illius principium quo principale; & planè repugnat, quòd operatio vitalis formaliter, ut talis non procedat ut à propria, & per se causa à vivente, quod in actu 2. constituit vivens, & consequenter quòd non sit ab illo, ut à causa principali, nam quælibet operatio ab eo est, ut à causa principali, quod ex natura rei est propria, & per se causa illius, constat autem intellectum perfusum lumine constitui viventem in actu 2. per visionem, ergo erit pro ut sic causa per se, & propria illius, ac proinde principalis. §. Dices ex doctrina ejusdem neg. conseq., quia quando actus ob diversas considerationes petit influxum duorum influentium simul, quorum unum est principale, & aliud instrumentale tunc non repugnat, quòd instrumentum aliquando elevetur per virtutem principalem.

Sed hæc solutio in subjecta materia, scil. influxus de linea vitæ, & præcipuè perfectissimæ, ut in casu, est insubsistens, quòd possit admitti subordinatio de pura linea instrumentali, ut statim dicemus, eò vel maximè, quòd ast influxus intrà objectũ specificativũ respectu intellectus, & intrà connaturale, ut dictũ est, respectu luminis.

Deindè; quamvis non repugnet ex duobus ad aliquē effectum concurrentibus, alterum esse principale, alterũ instrumentale, omninò tamen repugnat, quòd istud petat elevari ad connaturaliter agendum, per virtutem principalem, nec dabitur instātia in contrariũ, ergo, &c.

Ex his etiam prob. 3. Intellectus perfusus lumine gloriæ non tantum vivit per visionem, sed perfectissimè in actu 2. vivit per illam, ergo repugnat ad illam concurrere instrumentaliter propriè, ant. est certissimum, nam quodlibet vivens vivit in actu 2. per suam actionē, cum hæc sit actu 2. vitæ, conf. verò prob., perfectissimè vivere in actu 2. est perfectissimè se movere, sicut enim vivere in actu 2. est se movere, ita perfectissimè vivere in illo, erit perfectissimè se movere, sed repugnat, quòd agens in eo, in quo perfectissimè se movet, instrumētaliter propriè agat, ergo si intellectus perfusus lumine perfectissimè in actu 2. vivit per visionem, repugnat, quòd instrumentaliter propriè influat ad illam, prob. mi. Tum quia de ratione instrumenti propriè non est operari, ut se movens, sed magis ut motum à principali agente, ut est. Tum quia instrumentaliter, propriè agere nō est perfectè agere, si velimus ab influxu principali distinguere illud, ergo perfectè se movere, vel perfectissimè vivere nequit confundi cum influxu proprio instrumentali, sed magis opponitur illi.

Urg. hoc iterum ex præcedenti ratione. Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus ità vivit, & se movet, ut vivat, & se moveat intrà spheram sui objecti specificaui, ut patet ex dictis; sicut influit lumen intrà suum connaturale, & proportionatum, ergo neuter influxus potest in proprietate dici instrumentalis; prob. conseq., quià causa vel principium influens intra spheram sui adæquatam, vel specificatiuam, influit ex sui ratione formali, vel secundum formam propriam sibi intrinsecam, & ex natura rei conuenientem, licet indigeat proximè coaptari ad actum, vel objectum si sit excedens, ut late explicatum est, nam sub objecto specificativo, vel adæquato, ut vidimus, continere potest aliquid excedens tantum, & non ex raneum; sed hic influxus nequit esse instrumentalis propriè loquendo, nam causa instrumentalis formaliter, ut talis, non operatur ex propriis, vel secundum formam sibi nativam, aut rationem formalem specificatiuam, sed adæquatè ex pura motione, aut elevatione agentis principalis, nisi velimus perpetuò ejus influxum confundere cum illo causæ principalis, ergo si intellectus noster in patria semel vivit, & se mouet intrà proprium objectum, vel specificatiuum, nequit instrumentaliter propriè se movere, aut viuere, vel videre Quod à fortiori militat de influxu luminis, cum non sit tantum intrà proprium objectum adæquatum, vel specificativum, sed etiam, ut dictum est, intra connaturale, & proportionatum. Et reuera, ut probauimus; repugnantia sunt, & incompossibilia hæc duo, scil. vitaliter agere, & agere purè instrumentaliter, præcipuè loquendo de vita, aut operatione vitali perfectissima, de qua modo loquimur, nisi velimus causam propriè exercere rationem instrumenti, dum perfectissimè se mouet, quod ferè est implicantia in terminis, &c.

Dices rationi factæ, vel potiùs præcedenti confirmationi, quòd magis nos afferere videmur in illis repugnantia, dum dicimus ex una parte, quòd lumen sit adæquata virtus ad videndum Deum, & nihilominus asserimus ex alia, quòd intellectus ex sua vi natiua, vel secundum formam propriam concurrit, vel se mouet ad illam, hæc enim videntur manifestam inuoluere contradictionem, nam si semel lumen est adæquata virtus, quomodo in intellectu potest esse vis natiua? Nulla autem uidetur in eo, quòd dum intellectus habere nequit ex propriis influxum ad uisionem sub ratione supernaturalis, concurrat ad illā prout sic ex pura motione, vel eleuatione à Deo, quod est Deum concurrere per modum causæ principalis, & intellectum per modum instrumentalis &c.

Sed contrà hoc est, quòd hæc solutio laborat in æquivoco, & supponit, quod nullus Thomistarum somniavit, nullus enim istorum dixit, aut dicet, quòd lumen sit tota, vel adæquata virtus à toto genere concursus activi, quasi ipsum solum activè concurrat, aut nullum supponat principium elevabile in ratione activi, hoc enim inferunt ipsi contrà nos ex eo, quòd asseramus

esse totam, vel adæquatam virtutem proximam, quod tamen, ut ostensum est, nullo modo inferri legitimè poterat, quia esse totam virtutem proximam non extrahit intellectum neque ejus objectum, & actum visionis ab ambitu suæ specificationis, vel adæquationis, ac proinde nec reducit ad statum subjecti purè sustentantis, sed adhuc relinquit habitudinem potentiæ ad actum, seu prædictam coaptationem essentialem, aut vim radicalem ad illam, seu elevabilitatem in ratione potētiæ, vel principii activi, cum sit ad aliquod intrà suam sphæram specificativam contentum, & nō extraneum, & consequenter rationem elevabilis, & perfectibilis in ratione principii activi, ut dictum est, unde adveniente lumine potest optimè coaptari, & perfici, ut perfectissimè se moveat juxtà meritum visionis beatæ, quod est activè principaliter non passivè, aut purè instrumentaliter se movere ut probatum est.

Ex his ergo impugnatur: licet pugnent hæc duo inter se, scil. intellectum habere vim nativam proximā, & lumen esse totam, vel adæquatam vim; aut etiam habere vim nativam proximam, & lumen esse vim adæquatam proximam, non tamen habere vim nativam radicalem modo explicato, & magis infrà §. 5. explicando, & lumen esse adæquatā vim proximam, ergo nulla est in ratione facta, aut ejus confirmatione, vel in nostra sententia contradictio, benè verò in opposita, ant. patet ex dictis, & ex dicendis eodem §. radicitus constabit; conseq. autem quoad 1. partem etiam constat, quia nos, ut vidimus; non affirmamus primum, sed tantùm secundum, in quo non est affirmatio utriusque secundùm idem, ut patet, & consequenter nulla contradictio; quoad secundam pariter ex ratione adducta, quia in opposita, & in communi sententia per visionem intellectus perfectissimè vivit, ac proinde perfectissimè se movet, cum sit operatio, ut dictum est, in linea vitæ omnium perfectissima, ex quo ut jam insinuavimus, inferunt gravissimi DD. esse ad illam necessarium habitum luminis saltem transeunter communicatum, at sic perfectissimè vivere, & se movere, ut sæpè dictum est, nullo modo componi potest cum puro influxu instrumentali, ergo non in nostra, sed magis in opposita urget contradictio, sed de his adhuc infrà &c.

§. III.

Ratione probatur ultimò ex præcedentibus.

Ultimò tandem ex dictis prob. concl. urgendo superiora, & præoccupando evasiones contrariorū, Intellectus elevatus lumine, aut factus in actu per illud induit conditiones causæ principalis, seu oppositas causæ instrumentali propriè sumptæ, ergo non operatur hoc genere causæ, prob. ant. enumerando illas; quia sic elevatus perfectissimè se movet, & non præcisè ut motus, cum perfectissimè vivat, unde etiam denominatur ab operatione secundùm peculiarem rationem illius, scil. videntis assimilando sibi illam, cum visio solùm beatum denominet videntem, eique soli ex terminis assimiletur; & denique operatur intrà limites objecti specificativi, & per virtutem principaliter influentem, sed hujusmodi conditiones sunt propriè causæ principalis, & oppositæ instrumento propriè sumpto, ut patet tum ex dictis, tum consideranti inductivè, & suppono etiam ex consensu communi Phylosophorum, nec sina recessu à bona Metaphysica negari possunt, ergo ex nullo capite affirmari potest, quòd intellectus instrumentaliter propriè influat sic elevatus.

Huic rationi, & iterum superioribus variè conantur occurrere contrarii, vel primò admittendo lumen gloriæ esse virtutem principaliter influxivam, adhuc tamen non rectè inferri, quòd intellectus illo perfusus principaliter influat, quia non est illi debitus concursus Dei, nec connaturalis in actum supernaturalem, sicut est debitus, & connaturalis lumini, vel habitui supernaturali, quia cum potentia, utpotè ordinis naturalis, tantùm obedientialiter influat in illum, non potest talem concursum de ordine gratiæ, vel supernaturalē exigere, unde per lumen, vel habitum supernaturalem materialiter tantùm per accidens causare potest actum de eodem ordine, ad modum, quo aqua per calorem calefacit; tum quia, ut dictum est, non videtur repugnare, quòd aliquando instrumentum elevetur à Deo per virtutem principaliter operativam. Vel negando secundò cum aliis lumen esse virtutem principalitee talem, vel influentem, quia licet non sit instrumentum obedientiale, utpotè connaturaliter influens, ex eo quòd est ejusdem ordinis, quia tamen virtutem accipit à Deo, & ab illo simul efficiente dependet, & vitaliter non influit, nec vitale sit, nequit propriè dici, quòd principaliter influat ad actum, qui essentialiter vitalis est, sed adhuc sistit intrà lineā instrumēti, scil. connaturalis, imò strictiori jure dici potest instrumentum, quia licet potentia, vel intellectus accipiat etiam virtutem à Deo, ab illoque simul coefficiente dependeat, nihilominus vitaliter agit, & verè per visionem beatificam vivit, qualiter Deus non operatur per illam, cum nec vivat, nec per eandem denominetur vivens, ideò intellectus minus sortitur rationem instrumenti, quàm lumen in ordine ad visionem.

Sed hujusmodi solutiones jam præoccupatæ sunt, & quod attinet ad lumen, quòd vitale non sit, facilè etiam constabit infrà esse omninò falsum, cum revera sit participatio luminis, vel intellectus divini, ut vivens est vita intellectuali; tum quia ut dicebamus, vitalitas illa visionis, utpotè cōtracta per prædicatū, vel differentiam de ordine gratiæ, est essentialiter supernaturalis, & nō abstrahens, vel de ordine naturæ, unde impossibile est, quòd non habeatur à lumine, & consequenter, quòd istud vitale non sit.

Deindè contrà primam instatur sic. Potentiæ semel operanti intrà limites sui objecti specificativi debetur ei forma permanens, ut connaturaliter, vel modo connaturali eliciat actum intrà illud, & consequenter concursus Dei ad illam eliciendam necessarius, ut vidimus; operatur ibi intrà spherā sui objecti specificativi, ergo debetur ei habitus luminis gloriæ, ut connaturaliter visionem eliciat & cōsequenter etiam concursus divinus; ma. supponitur ex communi consensu Theologorum.

Ex quo reiicitur id, quod asserit intellectum materialiter, aut per accidens se habere ratione luminis, sicut aqua ratione caloris in ordine ad calefactionem, jam enim ostensum est non solum non comparari aquam in ordine ad aliquod perfectivum, sed magis contrarium suæ naturæ, & consequenter extrà sui adæquationem, quod nullo modo de intellectu verificari potest respectu visionis, cū revera habeat ad illam, habitudinem potentiæ ad actum, utpotè ad aliquid excedens quidem, sed non extrà spheram intelligibilis. §. Præterquamquod di-

discrimen, quod assignat ex parte concursus quoad tationem debiti, vel indebiti, est insubsistens, cum non repugnet virtuti instrumentariæ esse connaturaliter debitum concursum agentis principalis, ut patet in calore, qui dicitur virtus instrumentaria ignis, & tamen debetur ei connaturaliter illius concursus ad producendū ignem. Quod verò subditur posse aliquādo instrumentū elevari ad agendū per virtutem principaliter influentem, jam vidimus esse veluti manifestā in terminis implicantiā loquendo de elevatione ad connaturaliter agendum, & intrà limites proprii objecti specificativi, & maximè ad agendum per modum potentiæ vitalis, quæ formaliter prout sic tenetur vivere, & se movere per sui actionem intrà limites ejusdem objecti, quæ omninò repugnant puro instrumento, seù propriè sumpto &c. Quod verò tangitur de potentia obedientiali, impugnabitur infrà &c.

Contrà 2. instatur sic, & 1. contrà id, quod infert ex eo lumen esse instrumentum, quia virtutem accipit à Deo, ab eoque simul efficiente dependet. Quia si semel hæc causalis vera est, destruit in universum rationē causæ principalis à qualibet causa secunda non operante vitaliter, contrà communem doctrinam Philosophorum dividentium causam secundam, extrà forum etiam vitæ, in principalem, & instrumentalem, ergo est omninò insufficiens ad constituendam rationē instrumenti propriè sumpti, prob. sequela, quia quælibet accipit suum esse, & virtutem à Deo, ab eoque ut simul efficiente dependet, nam communiter contrà Durandum fatemur esse necessarium actualem Dei concursum operativum ad agendum, & dependendum ab illo, & non sufficere purè conservativum virtutis acceptæ, ergo quælibet erit purum instrumentum, vel rigorosè sumptum causæ primæ.

Contrà alteram verò causalem sumptam ex defectu vitalitatis: præterquamquòd, ut jam insinuavimus, & dicemus infrà, est de subjecto non supponente, quòd lumen careat vitalitate; sed deindè instatur sic. Quia hæc solutio infert aliud inconveniens, nempè implicare concursum partialem principalem partialitate causæ, consequens nec contrarii admittent, ergo nec erit excludendum lumen ab influxu principali ex defectu vitalitatis, prob. sequela, quia licet dicatur lumen non continere vitalitatem, sed tantùm supernaturalitatem, sicut de potentia dicunt, quòd contineat vitalitatem, non supernaturalitatem, tenentur tamen fateri, quòd conflatum ex utroque contineat utrumque, alterum ratione luminis, scil. supernaturalitatem, & alterum ratione potentiæ, nempè vitalitatem, si velimus adæquatè producere actum sub utraque ratione, ergo tenentur admittere, quòd vel conflatum saltem concurrat principaliter, vel de medio tollere omnem concursum partialem principalem; at primum juxtà solutionem admittere non possunt, ergo secundùm, prima consequentia quoad 1. par. videtur manifesta, quia si semel conflatum adæquatè continet utrumque nihil deest illi, ut principaliter eliciat; 2. verò infertur ex priori, quia si neque conflatum principaliter influit, & partes seorsim tantùm partialiter influant, ut tenentur, cum quælibet seorsim excedatur à perfectione effectus, ut supponimus, (nam si adæquaret, se sola adæquatè contineret, & non esset causa partialis) jam totaliter removetur concursus partialis principalis, sui. verò sub sumpta præterquamquòd admittitur à contrariis, ut iterum suppono; facilè etiam prob., quia nequit causa principaliter agere, aut constitui principaliter agens, partibus constitutivis tantùm instrumentaliter concurrentibus, ergo si neque intellectus, nec lumen principaliter influunt, ut ipsi dicunt, nec poterit conflatum ex illis influere principaliter.

Dices adhuc rationi factæ præcipuè quoad illā conditionē sumptam ex denominatione, & similitudine effectus ad suam causam, non rectè inferri intellectum non esse instrumentum, & Deum causam principalem respectu visionis, ex eo quòd intellectus videat, eique consequenter assimiletur in ratione videntis; & Deus non videat, ac proindè prout sic non assimiletur illi: quia hæc similitudo, vel denominatio, non sumitur præcisè ab efficiendo vitaliter, sed vel ab efficiendo vitaliter, vel à recipiendo, & quia solus intellectus eam recipit, & vitaliter efficit, cum solus ille per eam vivat, & in eo maneat, quod requiritur ad efficere vitaliter, scil. exigentia immanente in causante illam, & quòd per illam vivat, ideo solus ille denominatur, eique assimilatur, cum quo benè stat, quòd Deus sit causa principalis ejusdem visionis, & beatus, vel intellectus ejus per illam, operetur ut instrumentum &c.

Sed hæc etiam solutio præoccupata est; & in primis æquivocat rationem factam, quia non dicimus nos, esse necessarium, quòd ut aliquid dicatur causa principalis alicujus effectus, & præcipuè actus vitalis, debeat indispensabiliter denominari ab illo secundùm particularem rationem illius, aut secundùm eandem sibi eum assimilare, nam scimus Deum esse causam principalem totius entis creati, nisi velimus concurrere ut instrumentum alicujus causæ superioris, quod non nisi insipiens in corde suo dicens non esse Deum, imaginari potest; & tamen est certissimum, nec denominari creaturam, nec secundùm rationem particularem cujuslibet earum, quæ in suo formali conceptu important imperfectionem, nec secundùm eundem eam sibi assimilare, non enim dealbatur, aut denominatur albus, ex eo quòd principaliter concurrat ad dealbationem, nec eam sibi secundum hanc rationem assimilat, (idē est de alio quocunque simili effectu,) unde etiam si se solo produceret visionem non teneretur denominari videns per illam, & tamen de illo se solo producente dubitari non potest, quòd sit causa principalis; unde difficultas quoad hanc partem solum poterat specialiter esse de causa proxima, & univoca, non de universali, & æquivoca, & maximè suprema, & in infinitum excedente omnem sui effectum. Itaque uno verbo aliud est omnem causam principalem debere denominari à suo effectu secundùm peculiarem sui rationem, aliud verò causam, quæ sola sic denominatur, debere esse principalem, & non instrumentalem, vel si una concurrit, ut purum instrumentum, non debeat alia sic denominari; primum supponit solutio contrà rationem quoad hanc conditionem, dum contendit non obligari Deum ad illam salva principalitate sui influxus, ex eo quòd visionem non recipiat, nec vitaliter efficiat, quod tamen nos non prætendimus, sed tantùm secundum, & meritò, ut statim constabit; & hac ratione excludimus intellectum à proprietate instrumenti respectu ejusdem visionis sine præjudicio principalitatis alterius concursus divini.

Impugnatur ergo sic. Licet dicamus non teneri omnem causam principalem subire denominationem sui effectus secundùm peculiarem, aut specificam ejus rationem, repugnat tamen aliquam sic denominari solam ab illo, & non esse principalem, ergo non stat solum intellectum denominari vidētem, & esse purum instrumentum visionis, prob. ant., quia si concureret, ut purum instrumentum non posset sic denominari, ergo si

semel sic sola denominatur non concurrit ut purum instrumentum, prob. ant., quia purum instrumentum ad hoc assumitur, ut agens, cui deservit, intra lineam, in qua agit, principaliter efficiat, & consequenter denominetur agens intra illam lineam, ergo illud, quod solum secundum peculiarem rationem illius lineæ denominatur agens non potest esse purum instrumentum, nec est assignabilis instantia in contrarium, ergo si semel intellectus esset purum instrumentum ad videndum, magis Deus deberet denominari videns, quàm intellectus, ergo si solus intellectus denominatur videns, concurrere nequit, ut purum instrumentum, quod est præcipuum intentum argumenti facti quoad eandem conditionem &c.

Explicatur, & urg. hoc præoccupando solutionem, vel instantiam, eamque simul retorquendo. Nam quia Sacramenta sunt instituta, & assumuntur à Deo ad sanctificandum, non stat sic concurrere, ut instrumenta, & non sit, aut denominetur Deus principaliter sanctificans, ergo nō stat intellectum concurrere, ut instrumentum ad videndū, & non denominetur Deus principaliter videns. §. Nec juvat iterū assignari discrimen, quòd quia Deus non recipit visionem, nec vitaliter efficit, non est consequenter capax hujus denominationis. Nam nos, ut dictum est, non intendimus, quòd debeat Deus absolutè denominari videns, nec argumentum facit præcisè vim in hoc, sed tantum ad hominem infert ex opposita sententia, quòd si semel intellectus tantum concurreret ut instrumentū, non posset sic solus denominari videns, sed magis Deus videns, ut probatum est, & convincit instantia de Sacramentis; unde eam urgemus sic: quamvis etiam dicamus posse causam instrumentalem sic denominari, non tamen solam, causa principali nullam subeunte denominationem ejusdem lineæ, aut peculiaris rationis effectus, ob rationem factam, quia ad hoc, ut dictum est, assumitur instrumentum ut agens, cui deservit, principaliter agat intra lineam, in qua assumitur, & tale dicatur intra illam, ut patet in eisdem Sacramentis, & inductivè in aliis similibus; unde licet Sacramenta dicantur sancta, aut sanctificantia, non sola illa dicuntur talia, nam si illa sola subirent hanc denominationem, non haberent rationem puri instrumenti, quod est deservire ad principalem influxum alterius agentis, itaut dicatur istud principaliter tale in tali linea operandi, ergo non sunt hæc duo componibilia, quòd concurrat intellectus, ut instrumentum ad videndum, & nullo modo Deus denominetur videns, quidquid sit, quod aliàs Deus non possit ex motivis adductis sic denominari; imò ex hoc tenentur potius colligere, quòd non se habeat intellectus, ut purum instrumentum, si semel ille solus, & non Deus denominatur videns &c.

§. QUARTUS.

Solvuntur argumenta contra præcedentem Conclusionem.

PRimo arg. principaliter opponendo D. Tho. in 4. dist. 8. q. 2. ar. 3. ad 4. ubi ait: *Nulla creatura potest agere ea, quæ sunt supra naturam, quasi principale agens; potest tamen agere, quasi agens instrumentale à virtute increata motum, quia sicut creatura inest obedientiæ potentia, ut in ea fiat, quidquid Creator disposuerit; ita etiam, ut ea mediante fiat, quod est ratio instrumenti*. Idem ferè docet Cajet. 3. p. qu. 78. ar. 4. §. *Et quia esse virtutem*, paulò post initium, mutatis tamen verbis. Ex quibus sic argumentor; juxtà D. Tho. nulla creatura potest agere ea, quæ sunt supra naturam, quasi principale agens, sed visio beata est aliquid supra naturam, aliàs supernaturalis non esset, ergo ad illam intellectus non se habet ut principale agens, sed ut instrumentale §. Ad hoc quantum attinet ad authoritatem D. Tho. adverto in primis cum Mag. Catalam q. 13. relata 3. p. dub. 3. ad art. 2. in solutione ad 1. Suarez (quia potissimè huic authoritati confidunt) quòd illud relativum *Quod* est ratio instrumenti invenitur apud eundem authorem, mutatum terminatione fœminina, scil. in relativum *Quæ* (quidquid sit, quòd non vitio authoris, sed impressoris) sic enim deserviret ad adstruendam potentiam sui obedientialem activam, tanquam virtutem instrumentalem ad agendum, unde videretur referri ad potentiam obedientiæ, quasi esset sensus, quòd ipsa potentia obedientiæ, quæ inest creaturæ sit ratio instrumenti; sed revera idem relativum, ut habetur in litera D. Tho. ad priora verba immediata, *ut ea mediante*, refertur, & sensus est, quòd ratio instrumenti in hoc est posita, quod *eo mediante* (sic enim appellat positum per modum neutri) virtute principalis agentis fiat, quod agens disposuerit. §. Sed deinde resp. quantum iterum attinet ad authoritatem D. Tho., & Cajet., docere quidem omni creaturæ inesse potentiam obedientiæ, ut ea, idest creatura mediante fiat à Creatore quidquid non repugnat, cæterum quòd hæc obedientiæ potentia sit aliqua vis activa, aut ipsa virtus instrumentalis, nec leviter insinuarunt unquam, inquit sæpè laudatus Magister; imò in eodem art. D. Tho. docet virtutem instrumentalem esse aliquid per modum transeuntis receptum ex motione Divina in verbis Consecrationis; & Cajet. expressè dicit virtutem hanc esse aliquid adventitium verbis Consecrationis, & supponere significationem, addit verò esse usum passivum, aut motionem, qua assumuntur à Deo, ut instrumentum, quia nempe motio, aut elevatio, qua Deus elevat creaturam, ut instrumentaliter agat, non importat aliquam actionē physicam receptam in creatura, quæ elevatur, (Deus enim in sententia D. Tho. non agit actione formaliter transeunte) sed activè significata, aut concepta ut se tenet ex parte Dei moventis, est efficax volitio Divinæ voluntatis, & actus practicus Divini intellectus, qui dicitur imperium, & sunt actus formaliter immanentes, & virtualiter transeuntes, suntq; ipsa productio effectus ad extra, ut docet D. Tho. q. 6. de potentia ar. 4. in fine; passivè verò considerata, ut recipitur in creatura est effectus Divini imperii, & hic effectus est ipsa instrumentalis virtus, quæ prout in ejus receptione creatura patitur, & mutatur, passio, & mutatio dicitur non destructiva, sed perfectiva, sicut intellectio respectu intellectus; quia verò creaturam elevat, ut agat, movet, & applicat in executione, virtus, motio, & elevatio dicitur.

Ad rationem verò factam dist. mi. ex dictis, visio est supra naturam quasi aliquod extraneum à toto genere activi ejus, seu habitudinis potentiæ ad actum, nego, ut excedens vires ejus proximas, vel efficaciam, conc.; sicut enim Deus videndus, est supra naturam, non tamen quasi aliquid extraneum ab habitudine potentiæ intellectivæ ad objectum, cùm sit primum intelligibile, sed tantum ut excedens ejus efficaciam, vel proportionem, aut vires proximas, ita visio ejus utpote supernaturalis, licet excedat eandem proportionem, & efficaciam

ciam, non tamen est adæquatè extrà suam coaptationē, vel habitudinem potentiæ ad actum, intrà suam specificationem contentam, undè non elevatur, nec agit per modum instrumenti, sed per modum causæ principalis, scil. secundum suam vim, seu aptitudinem nativam, ut elevatam, & non purè sustentando virtutem agentem.

Sed instas. Visio beata est adæquatè supernaturalis, ut modo supponimus, sic quòd intellectus videns, tantum vivat operativè vita supernaturali ergo non vivit duplici vita, naturali, & supernaturali ergo si semel habet vim innatam ad visionem, istius tantum concursu visionem eliciet, hæc ultima conseq. tenet, quia si semel duplici vi, seu concursu scil. nativo, & supernaturali concurreret ad illam, duplici vita viueret, naturali ex meritis virtutis propriæ, & supernaturali ex vi, vel concursu supernaturali &c.

Resp. dist. eodem modo ant., est adæquatè supernaturalis, adæquatione superante, tam essentiam, quàm efficaciam naturæ, vel intellectus, sive tam proximam proportionem, quàm coaptationem essentialem, nego, efficaciam, vel proportionem, aut vires proximas, conc., & dist. similiter conseq., non viuit duplici vita, sic quòd supernaturalis superet omnem habitudinem, vel coaptationem vitæ ejus, nego, efficaciam, vel proportionem, aut proximas vires, conc., ex quo tamen non infertur, quòd in actuali visione exerceat munus utriusque vitæ, naturalis & supernaturalis, aut ex eo quòd habet vim innatam radicalem, seu habitudinem, vel coaptationem in ratione potentiæ vitalis ad illam, tantum se moveat per eandem vim nativam, quod esset habere visionem ratione illius solius, sed quòd solum in ratione talis possit elevari, & supernaturalizari ad videndum, vel se movendum supernaturaliter per illam, acceptis scil. viribus proximis media elevatione, quod est tantum, vivere vita supernaturali per gratiam, aut lumen coaptans, & proportionans ad talem vitam intrà limites suæ specificationis contentam, & consequenter, quòd verè activè se habeat, & non purè sustentativè. Sed clariùs totum hoc, vel prædicta vis nativa ne fiat æquivocatio adhuc explicabitur infra §. 5. ad 1. §. Sed instas prædicta vis innata, utpotè naturalis, est omninò inepta ad visionem, ergo vel lumen est tota virtus, & non solum tota virtus proxima, ac proinde intellectus erit purè sustentans illud, sicut aqua calorem, vel si intellectus agit per vim sibi nativam, jam non aget ut causa principalis sed magis ut instrumentum, non quidem luminis, ut supponitur, sed Dei.

Expl., & Urg. hoc. Intellectus influens in visionem, vel agit medio lumine, vel immediatè per vim sibi nativam, primum dici non potest, aliàs iterum lumen erit tota virtus, & non solum tota proxima ergo, secùndum & consequenter solum instrumentaliter, utpotè per vim omninò ineptam, &c.

Resp. dist. ut supra, & explico ant., est omninò inepta, quantum ad efficaciam, & proportionem, conc. quantum ad habitudinem potentiæ, & coaptationem essentialem ad actum intrà sui specificationem contentum, nego ant., & utramque conseq., nam ut lumen esset tota virtus non solum oportebat excludere ab intellectu efficaciam, & proportionem, aut vires proximas, sed etiam coaptationē, vel habitudinem potētiæ ad actū tanquam ad aliquid contentum intra sui specificativum, quià ut dicebamus, meritum potentiæ, vitalis ad actum nō est meritum principii purè passivi, sed etiam activi; vel potentis se movere per illum, si maximè actus, & ejus objectum contineantur intrà proprium specificativum, undè solum expectat aliquid superadditum coaptans, & proportionans, si contingat, ut in casu, quòd sint aliquid excedens ejus efficaciam. Per quod etiam patet ad 2. conseq., quià licet eadem vis nativa nō sit apta se sola ad videndum, aliàs visio non excederet illam, quià tamen importat habitudinem potentiæ ad actum intra suam adæquationem, vel specificationem contentū, nequit dici inepta à toto genere aptitudinis tam proximè, quàm radicaliter ad videndum, nam hac ratione etiam dicitur supernaturalis radicaliter, &c.

Ad explicat. similiter resp., quòd agit utrumq; secundum utriusque propria, sed eodem indiuisibili influxo, ut dictum est, non quasi partialiter, & ponendo in numerum in ratione causæ, sed per lumen tanquam per adæquatam virtutem proximam, & per vim nativam in ratione potentiæ elevatæ per lumen accipiendo efficaciam, & vires proximas ab illo; undè non immeritò eadem vis nativa appellatur etiam virtus non quidem formalis, sed radicalis, quià nempè ratione illius, intellectus est radicale principium visionis activè concurrens cum lumine ad ejus productionem, & lumen, quod est formalis virtus, vel proxima, ex natura rei supponit prædictam coaptationem, ut radicem, quam perficit, & constituit in actu, & sinè qua, nec de potentia absoluta posset producere visionem. Per quod, ut dictum est, potissimè distinguitur à calore respectu aquæ; undè in hoc sensu dici potest virtus radicalis, non quià sit principium, à quo oriatur lumen, aut illud exigat, vel eidem debeatur infundi, sed quià eam præsupponit, ut radicem, à qua intrinsecè pendet in producenda visione, & à qua primò incipit operatio ex suppositione quòd fiat. Per quod etiam præoccupatur instantia inferens aliàs exigentiam, vel debitum ex parte intellectus nam id tantum posset inferri, si esset virtus radicalis, & intellectus radix priori modo.

II. Etiam principaliter arg. destruendo unum ex præcipuis fundamentis nostræ sententiæ. Ex eo intellectus beati non concurrit ad visionem, ut instrumentum, quià ad illam, aut per illam, utpotè actionem vitalem, se movet, sed hæc ratio non subsistit, ergo, ma. patet ex dictis, & fundatur in proprio conceptu instrumenti, ut nos prætendimus, quòd nempè agit in quantum est motum, & non ut se movens, mi. verò prob. iterum primò ex D. Tho., qui sæpè docet prædictam vitalitatem, vel rationem se moventis non impedire rationem instrumenti, ità 1. 2. q. 21. ar. 4. ad 2. ubi ait. *Dicendum quòd homo sic movetur à Deo, ut instrumentum, quod tamen non excludit, quin moveat se ipsum per liberum arbitrium.* Idem repetit 2. 2. q. 173. ar. 4. in corp. ubi sic ait in initio. *Dicendum, quòd in revelatione prophetica movetur mens Prophetæ à Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis.* Et deinde in fine sic concludit. *Sciendum tamen, quòd quià mens Prophetæ est instrumentum deficiens, etiam veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.* Certum est autem, quòd prophetare est actus vitalis.

Idque etiam docuit q. 29. de veritate art. 1. ad 9. dicēs. *Quod duplex est instrumentum, quoddam inanimatum, quod agitur, & non agit, ut securis, & tale non indiget habitu; quoddam verò animatum, ut servus, quod agit, & agitur, & hoc indiget habitu, & tale instrumentum, est humanitas divinitatis.*

tatis. Iterum autem constat, quòd humanitas vitaliter concurrit ad actus, quos elicit mediis habitibus.

II. Prob.principalis mi.argumēti,quia aliàs non salvatur discrimen inter utrumque instrumentum animatum, & inanimatum, si semel utrumque tantum concurrit, ut motum, & non ut se movens, quod tamen est iterum contrà D. Tho. p. 2. q.68.ar.3. ad 2. & 3.p. q. 64. ar. 8. ad 1., ubi ex hoc, unum ab alio distinguit, quòd *animatum non solum movetur sed etiam quodammodo movet seipsum*, secus verò inanimatum,ergo optimè componitur ratio mouentis se cum ratione instrumenti, undè non erit excludendus intellectus à ratione instrumenti ex hoc, quòd se moueat ad visionem.

Ad hoc neq. mi. ad 1. prob. ex D. Tho. unico verbo in primis dicimus, quòd agentia vitalia, & libera, utpotè, quæ se mouent, & non præcisè mouentur, appellari ab eodem instrumenta in larga, & communi acceptione,ot ab initio insinuauimus;nō strictè,& rigorosè nam ratio instrumēti, strictè,prout sic reduplicatiuè dicit rationem non se mouentis; ut egregiè docet idem Angelicus Doctor ibidem de veritate q.24. art. 1. ad 5. dicens. *Instrumentum dupliciter dicitur Uno modo propriè, quando scil. aliquid ita ab altero mouetur,quòd non confertur ei à movēte aliquod principium talis motus, sicut serra movetur à carpentario, & tale instrumentum non est particeps libertatis Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est mouens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus sive non, & sic ab instrumento, non opportet, quòd omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet, & ita est de mente humana*. Ecce quomodo agenti moto quidem ab alio sed simul se mouenti,tantum attribuit rationem instrumenti communiter dicti, non propriè, unde juxta D. Tho.dum homo mouetur à Deo ad suos actus liberos, obtinet quidem pro hac parte rationem instrumenti; sed dum simul mouet se ad illos per liberum arbitrium, solum obtinere potest rationem instrumenti communiter dicti. Ex quo etiam inferimus, quòd quantò magis agens mouet se per propriam formam minus etiam obtinet de hac posteriori ratione instrumenti, & magis consequenter induit rationem causæ principalis, vel magis recedit à ratione instrumenti propriè dicti: unde etiam infertur, quòd inter hujusmodi mota simul moventia se, magis participet de ratione instrumenti communiter dicti,agens mouens se præcise vitaliter, quàm movens se vitaliter liberè, quià illud magis mouetur à se ipso, scil. per consultationem, & electionem, suæque actioni præstituendo finem, & inter hęc etiam agentia libera, tantò magis, vel minus participant de eadem ratione communiter accepti, ac proinde magis, vel minus recedunt à rigorosa ratione instrumenti, quantò magis, vel minus liberè se mouent, ut statim constabit de Propheta, qui minus se mouet ad cognitionem propheticam, quàm in ordine ad cæteros actus suos liberos.

Ex his patet ad singula testimonia. Ad primum sufficienter jam dictum est. Ad secundum similiter dicimus, mentem Prophetæ juxtà D. Tho. solum esse instrumentum Spiritus Sancti in ordine ad cognitionem propheticam largè,& communiter accepto instrumento, magis tamen quam se habeat liberum arbitrium in ordine ad alios actus liberos, tum quià ut dictum est, minus se movet, cum non liberè se aplicet ad illam, nec eam contineat in sua potestate; tum quià non mouetur consequenter per habitum, sed per motionem, vel fluidam qualitatem, in quo assimilatur instrumento strictè sumpto, licet quià adhuc aliquomodo se movet non possit propriè dici tale; ob utramque tamen rationem, quia nempe non potest quis uti prophetia cum voluerit, consequenter & lumen propheticum, non sit habitus, sed impressio quædam transeunter, communicata, ut docet D. Tho. ibid. q.10. ar. 2.,minus habeat de ratione causæ principalis, seu magis ut dictum est de illa instrumenti intrà limites tamen communiter dicti. Ratio vero cur Propheta non ita per habitum moueatur sicut ad alios sui actus liberos sed magis per motionem virtuosam, vel qualitatem fluidam, ea est, quia cum ea, quæ ei revelantur, videat,prout in se ipsis determinata sunt, vel prout habent determinationem in prima causa, & prout sic sint tantum habitualiter visibilia in verbo per lumē glorię,non spectat ad Prophetam in via videre ea per virtutem, aut qualitatem permanentem, sed fluidam, & ideò lumen propheticum dicitur eis communicari per modū transitus,itaut ad singulos actus prophetię indigeat noua motione, vel reuelatione, sicut aer semper indiget noua illuminatione, vel sicut discipulus, qui nondum est adeptus artis principia indiget, ut de singulis instruatur; ut inquit D. Tho. proximè relatus, ubi hanc etiam similitudinem assumit ex illo Isa: 50. *Mane erigit mihi aurem, & audiam quasi Magistrum*. Undè nequit modo Propheta habere lumen ad prophetandum siue dictis, siue factis per modum formæ permanentis, & perfectæ, quià ut docet D. Tho. ibi, lumen intellectuale sic perfectè, & permanenter in aliquo existens perficit intellectum principaliter ad cognoscendum, seu videndum principium illorum, quæ per tale lumē manifestantur, sicut per lumen intellectus agentis pręcipuè intellectus cognoscit, scil. evidenter prima principia omnium illorum, quæ naturaliter cognoscuntur; certum est autem, quòd Propheta per lumen propheticum non perficitur ad cognoscendum nempe perfectè, & evidenter, sive per essentiam Deum, qui est principium omnium reuelabilium per idem lumen, sic enim cognoscitur tantum à beatis, in quibus hujusmodi lumen.inest per modum formæ permanentis, & perfectæ juxtà illud Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Et ita solum inest animæ Prophetæ per modum cujusdam passionis, vel impræssionis transeuntis, ut significatur Exod. 33. *Cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ*. Et 3. Reg. 19. *Egredere* (sermo est ad Eliam) *Et sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit*. Sed quià, ut dictum est, adhuc Propheta in suis dictis, vel factis propheticis se movet, & non præcisè per prædictam motionem, vel qualitatem fluidam mouetur, rigorosè instrumentum esse non potest &c.

Sed instat Suarez.Quia D.Tho. seq.q.ibi 173.relata, ar.4. in corp., ex eo infert Prophetam non cognoscere omnia,quæ prophetat,quia est instrumentum deficiens, sed hæc illatio in consequēs videretur,vel negatoria, si rigorosè instrumentū non esset,ergo nequit interpretari D. Tho.de instrumento communiter dicto,prob.mi, quia si verè instrumentum non esset,sed intellectualiter se movens,deberet sibi præscribere,aut præstituere finē in suis dictis, vel factis, hac enim ratione contendunt Thomistæ non dari actionem indifferentem in individuo,quia agens intellectuale intellectualiter se mouens, debet

debet in suis actibus aliquem finem intendere, vel propter illum agere, & consequenter bonum, vel malum, quod est omnem sui actionem esse in individuo bonam, vel malam, at nequit habere talem finem non cognitis suis dictis, vel factis, ergo videretur inconsequenter inferre D. Tho. quòd non cognoscit, quia est instrumentum deficiens, si verè tale, aut rigorosum instrumentum non esset &c.

Resp. neg. mi. Ad prob. dist. ma. ex dictis, deberet sibi finem præstituere, si cum deliberatione, aut consultatione moveret se, cooc., si sine illa, nego, & in priori sensu loquuntur specialiter Thomistæ negantes actionem indifferentem in individuo, quando nempe homo deliberatè procedit, ut ibidem ostendimus, quidquid sit de pura actione hominis sine deliberatione procedentis; mens autem Prophetæ speciali instinctu movetur à Spiritu Sancto non tamen per deliberationem à se, & ideo potest non perfectè cognitis, quæ Deus revelare intendit, suis dictis, vel factis revelare; quia vitaliter tantum operans, & consequenter tantum movens se sine consultatione, & deliberatione non opus est, ut patet, quod sibi finem præstituat, illumq; perfectè cognoscat, sed tantum quòd se moveat in ordine ad finem à principali movente (ex cujus instinctu movetur) præstitutum, & per se cognitum.

Ad 3. auctoritatem D. Thom. Resp. mentem illius non esse, quòd instrumentum animatum in eo, in quo se movet, non sit tantum instrumentum communiter dictum, aut quòd per illam distinctionem velit illud intra lineam instrumenti rigorosè sumpti ab inanimato distinguere per hoc, quod istud tantum agat, ut motum, illud verò ut motum simul, & se movens, aliàs ut patet ex aliis authoritatibus in nostrum favorem adductis sibi contradiceret, sed solum velle, quòd licet in eadem ratione instrumenti strictè dicti conveniant, quòd utrumq; prout sic tantum agat ut motum, & non se movens (nam in hoc, ut vidimus, adæquatè statuit hanc rationem instrumenti) animatum tamen præter influxum purè instrumentalem, quem præstat, quando assumitur ad concurrendum de hac linea puri instrument i; habet regulariter alium prævium ad effectum principalis agentis, juxta D. Thom. iosra qu. 45. ar. 5., ad quem nempe se movet, & causat virtute propriæ formæ, qui est modus concurrendi oppositus concursui puri instrumenti; sed quia adhuc ad istum movetur ab alio, seu non est præcisè se movens, sed movens motum retinat quidem prout sic rationem instrumēti non strictè, sed communiter dicti; revera tamen principaliter concurrit, & tunc rectè iterum differt ab inanimato, quòd respectu istius actionis præviæ, indiget habitu, quo non indiget inanimatum, vel instrumentum rigorosum ad sui influxum purè instrumentalem, ut dictum est. Et sic humanitas, quæ est instrumentum animatum, & conjunctum Divinitatis indigebat habitibus non in ordine ad concursum purè instrumentalem, sed ad actiones prævias ad il. um, quæ nempe procedebant ab ipsa ut à formali principio principali, unde etiam istæ non se extendebant ad excitandum mortuum, vel sanitatem restituendam, sed per alium concursum instrumentalem virtute Divinitatis causabat hujusmodi miracola. Ad istum verò non se movet, sed movetur à Deo per aliquid fluidum ut dictum est; & tradit iterum D. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 1. dicens: *Impossibile est, quid principium operandi miracula, sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima.* Et idem ait in ordine ad alios quoscunque effectus supernaturales, gratiam &c. ad quos assumitur creatura ad purè instrumentaliter cōcurrendum; unde eodem modo concurrebat humanitas Christi ad miracula, & ad gratiam causandam, ut suppono in communi sententia. Quidquid sit, ut dicebamus; non implicare contradictionem in probabili sententia, posse à Deo produci qualitatem permanentem in humanitate, vel in alia creatura, quibus habitualiter constitueretur quasi in actu primo potans instrumentaliter efficere prædictos effectus; hæc tamen in exercitio non sufficeret ad sic agendum; sed esset necessaria alia qualitas fluida. Et per hæc patet ad 2. prob. mi. principalis ex ratione & aliis authoritatibus annexis jam enim assignatum est discrimen inter utrumque instrumentum.

§. QUINTUS.

Solvuntur alia duo Argumenta.

Tertiò etiam principaliter arg. ex Suarez contendente iterum potentiam obedientialem activam tanq. virtutem instrumentalem potentiæ intellectus, vel voluntatis in ordine ad hujusmodi actus supernaturales. Intellectus ad visionem beatam non influit ratione potentiæ naturalis, sed obedientialis activæ, sed virtus obedientialis activa non est principalis, sed instrumentalis, ergo non influit ad illam principaliter, sed instrumentaliter; conseq. tenet, ma. verò quoad 1. part. est certa, cùm visio sit supernaturalis, & consequenter excedens vim naturalem intellectus; quoad 2. etiam constat, quia sicut in omnibus rebus creatis admittitur potentia obedientialis passiva, ut in eie, & ex eis faciat Deus quidquid non implicat contradictionem, pariter erit in illis admittenda obedientialis activa, ut faciant, vel Deus per eas facia: quidquid non repugnat fieri, quia nulla involvitur contradictio, quòd constituatur potentia hæc activa, ut subdatur creatura Deo per eam in omnibus ad agendum, sicut per passivam subditur in omnibus ad recipiendum. Tum quia intellectus & quælibet creatura est participatio Divinæ perfectionis, quæ per se essentialiter est virtus productiva supernaturalium effectuum, ergo quæ vis creatura secundùm propriam entitatem est potentia obedientialis activa ad producendos supernaturales effectus adjuta per specialem concursum Dei sibi proportionatum. Tum denique quia intellectus, & voluntas vero, & reali influxu vitali producunt supernaturales actus, sed non ut sunt potentiæ naturales, quia potentia naturalis, ut sic non potest, ut dictum ast, esse principium supernaturalis actus, ergo producunt, ut sunt potentiæ obedientiales activæ. Mi. etiam probat, quia virtus principalis proxima influit juxta mensuram suæ naturalis virtutis, & cum concursu sibi debito, & cum proportione, & naturali propensione ad effectum, sed potentia obedientialis nequit sic operari, aliàs magis esset naturalis, quam obedientialis. Tum quia solum est apta operari juxta imperium, motionem, seu auxilium Dei principalis agentis, respectu cujus dicitur obedientialis, sed iste, ut vidimus, est modus operandi instrumenti, cum sit operari ultra mensuram, & naturam facultatis proximę, & cum dependentia per se ab agente superiori habente principalem virtutem, ergo instrumentalis est, & non principalis.

Ad hoc argumentum, cui satis etiam confidunt contra-

tratii in sustinendo prædictam potentiam obedientialem activam, ut deinde promoveant etiam in potentiis vitalibus ad suos actus vitales semel excedentes, ut est visio beatifica,& alii hujusmodi supernaturales, influxum instrumentalem in elicientia eorum, & ad re movendam pariter à lumine gloriæ, & ab aliis habitibus supernaturalibus vim adæquatam proximam,dico in primis esse ab ipsis solvendum; nam si quia in natura datur potentia obedientialis passiva ad recipiendum omne genus formarum supernaturalium,inferunt debere etiam dari activam ad supernaturales effectus producendos, inferant pariter, quod quia in natura datur non tantum obedientialis passiva, sed passiva principalis completa ad recipiendum, detur etiam obedientialis activa principalis, & completa ad producendum, quod nec Suarez, nec alius admittit, cùm velint hanc esse instrumentalem; tum quia aliàs nec de lege ordinaria indigeret intellectus lumine superaddito ad videndum, sicut nec indiget ad illud recipiendum, si semel utraq; esset completa.

Sed pro omnibus, & ut radicitùs appareat insubsistentia prædictæ potentiæ obedientialis activæ, tanquam virtutis instrumentalis, & ne etiam confundatur cum coaptatione essentiali, vel habitudine, aut vi radicali, quam pro eodem accipiunt Thomistæ aliqui, qui tali nomine eam appellant, ut benè advertit M. Catalam hic in appendice dub. 3. concl. 2., iterum adverto cum eodem 3.p. ubi sup.dub.3. in fine ex D.Tho.infra q.79.ar.2.,intellectum creatum comparatum ad objectum, primò, & simpliciter esse potentiam passivam, quia revera objectum nil omninò patitur, aut recipit ab illo, sed potiùs intellectus natus est pati, & recipere ab objecto aliquid, quo fiat in actu ad eliciendam intellectionem circa illud, ut egregiè probat Cajet.ibid.; ex quo infertur ut vidimus; quòd licet Deus, ut Auctor supernaturalis contineatur intra latitudinem objecti intellectus creati non est necessarium, quòd intellectus ex se respiciat Deum, ut potentia activa, sed satis est,quòd ut potentia obedientialis passiva ex propria ratione formali, ecce coaptatio essentialis, vel habitudo in ratione potentiæ, utpotè circa aliquid intra limites proprii specificativi contentum;) aptus sit elevari, & recipere aliquid supernaturale, quo fiat in actu ad eliciendam intellectionem circa Deum ut objectum est supernaturale. Ecce quomodo possit intellectus non solùm activè proximè concurrere, eò potentiam obedientialem activam non habeat, & lumen deinde sit illi tota, & adæquata virtus proxima videndi; & quomodo deinde per illud etiā possit principaliter concurrere,eliù effectus, vel actus excedat omnem sui vim naturalem activam, & randem quomodo non sit purum sustenstans lumen, sicut aqua calorem, quia nempe ex propria ratione formali, utpotè sistens intra proprium specificativum, perpetuò retinet habitudinem potentiæ (ut loquitur D. Tho. ubi sup. ex contigent.) ad aliquid non omninò sibi extraneum, sed tantum ut excedens; natus, vel aptus est elevari per vires gratiæ ad supernaturaliter operandum, & non purè sustentativè se habere, aut instrumentaliter, sed activè principaliter, quia perpetuò operatur intra lineam specificativam, & consequenter, ad quod natus est, vel aptus operari, quod nullo modo convenire potest puro instrumento, aut strictè dicto; quod est valde notandum in hac re, quia à fundamentis evertit prædictam potentiam,& influxum instrumentalem, quem prætendunt contrarii; tanq. omninò inutilem, & impossibilem, vel contra meritum potentiæ vitalis, vel operantis intra limites proprii specificativi,& pot issimè etiam conducit ad ostendendum, quomodo sine omni intrinseca qualitate inhærēte per solam assistentiam extrinsecam impossibile sit elici visionem, vel alium actum supernaturalem vitalem &c.

Ex his facilè ad arg. vel nego ma. ad intentum contrariorum, vel dist. claritatis gratia, sed obedientialis activæ, idest factæ activæ ut dictum est per elevationem, conc., præsuppositæ activæ ante illam nego. Ad 1.prob. nego iterum ant., quòd detur activa ad eorum intentum,vel eodem modo dist. & in priori sensu conc., in posteriori nego, ad probationem annexam dico repugnantiam, vel contradictionem consistere in eo, quòd cum supernaturale sit id solum, quod est supra virtutem, & ordinem naturæ,repugnat, ut materialis entitas rei sit potentia formaliter, & propriè activa supernaturalium effectuum, & ideo impossibilis est potentia obedientialis propriè, & formaliter activa proximè, vel remotè. Non repugnat autem, quòd in naturali entitate fiat à Deo aliquid supernaturale, & ideo datur in qualibet creatura potentia obediētialis passiva,quæ non est aliud,quam ipsa naturalis entitas cum non repugnantia,ut in ipsa, & per ipsam faciat Deus quidquid est possibile. Aliud discrimen assignat etiam Mag.Ferre de Charitate ubi supra q.5. §.2. ad 2. n.48. Præcedens tamen est securiùs, & minus subditur instantiis, imò nullam potest legitimè pati.

Ad 2. nego intellectum, aut aliam quamcumque creaturamordinis naturalis esse participationem Divinæ perfectionis, ut productivæ effectuum supernaturalium; nam naturalis creatura solum est participatio Dei, ut est auctor naturæ, & ideo ex vi suæ productionis tantum potest habere potentiam activam naturalis effectus, quia Deus, ut est auctor naturæ,neque est causa supernaturalium effectuum, nec potest communicare virtutem productivam illorum.§.Ad 3. dist., & explico ma., producunt supernaturales actus quasi ex se supernaturales sint,aut quasi ex se habeant vim naturalem productivam eorum nego, ut elevatæ per supernaturales habitus,conc.

Sed instas. Habitus quicunq; ille sit,solum est proximum principium formale operationis vitalis, & ex natura sua supponit vitalem potentiam productivam operationis, ut vitalis, ergo habitus supernaturalis supponit in intellectu, & voluntate aliquam vim, aut potentiam productivam supernaturalis operationis, ut vitalis, sed non supponit supernaturalem potentiam activam, ergo activam obedientialem, quia naturalis non sufficit, nam actus supernaturalis etiam, ut vitalis,supernaturalis est.

Resp. dist. ant. Habitus naturalis, conc.,supernaturalis,nego, quia cum naturalis juvet, aut determinet potentiam intra sui ordinem connaturalem, non præcisè juvat intra objecti specificativi, sed etiam proporrionati saltem inadæquatè ut dictum est, unde non tantum supponit essentiam illius, sed etiam efficaciam, vel virtutem aliquam proximam, licet incompletam; supernaturalis autem utpotè adæquatè excedens eundem ordinem, nequit virtutem activam sive proximam, sive remotam, vel obedientialem supponere ad intentum contrariorum, sed solam potentiam ex propria ratione formali natam, vel aptam elevari per illum, utpotè elevans ad aliquid intra limites

ejus

ejus specificativi, unde non tenetur supponere activum ante se quasi ponens in numerum cum seipso, sed passivum ex propria formali ratione elevabile ad rationem activi intra ordinem superiorem, vel excedentem. Unde etiam ab aliquibus statuitur discrimen inter utrumque habitum, quòd naturalis est purè habitus, & solum datur ad faciliùs, & meliùs operandum; supernaturalis verò habet quandam rationem potentiæ vitalis supernaturalis, ut probat Cabrera 3.p.q.9. ar.2. disput.12. & ideò non tantum dat potentiæ naturali faciliùs posse operari, sed posse simpliciter, & consequenter nullam supponit in illa vim activam etiam remotam, seu obedientialem, sed totam confert modo explicato, & probat ibidem Cabrera disp 4. concl.2. Itaque vitalitas supernaturalis intellectionis v.g., nec potest à solo habitu supernaturali produci, nec à naturali vitalitate intellectus; nec producitur partim ab habito, partim à potentia, sed à potentia elevata ut dictum est; ad supernaturalem ordinem, & constituta in actu per supernaturalem habitum tanquam per integram, & totalem proximam rationem ad supernaturalem actum quoad substantiam, & modum.

Ex his etiam fit satis ad mi. principalis argumenti; ad quam nego 1. suppositum, quòd obedientiale radicale ex parte potentiæ sit quid activum, ut ipsi contendunt, sed magis passivum natum aptum elevari, ex propria ratione ad activum supernaturale, utpotè importans habitudinem potentiæ ad aliquid intrà suum specificativum, in cujus toto ambitu, ut dictum est; non tenetur habere rationem activi, siue proximè, siue remotè, sed vel activi intrà spheram proportionatam, vel passiui in ordine ad excedentem, nati tamen eleuari, & accipere rationem activi intrà illam, onde nulla est necessitas adstruendi præter coaptationem essentialem, (quam alii modo explicato vocant vim radicalem) potentiam activam obedientialem. Deinde nego absolutè mi., quòd idem obsdientiale radicale, sive accipiatur per modum potentiæ activæ, siuè per modum coaptationis sit quid purum instrumentale, & non principale, nam perpetuò est in ordine ad aliquid intra suum specificativum, & intra genus vitæ, vel ad se movendum, & quidem perfectissimè, ut dictum est. Ad 1. probat. dist., virtus principalis naturalis conc. supernaturalis subdist., virtus per modum potentiæ, nego, per modum virtutis, vel elevationis ejus, conc., nam licet lumen, vel habitus supernaturalis, qui est virtus per modum elevationis operetur juxta mensuram propriæ, & connaturalis virtutis, non tamen tenetur sic operari intellectus, qui tantum est virtus per modum potentiæ, aliàs non indigeret elevari, quia tamen elevatur non quasi extra, sed intra spheram suæ specificationis, & ad se perfectissimè movendum non elevatur, nec potest prout sic elevari ad agendum per modum puri instrumenti, sed causæ principalis. Ad 2. similiter dist. ma., solū est apta operari juxta imperiū, vel motionem Dei intra spheram suæ specificationis, & ad se movendum, conc., extra, & ut quid inanime, vel purum motum, nego, nam intellectus prout nato sic elevari, & se movere per auxilia, vel habitus supernaturales, isti sunt formæ propriæ, unde ex nullo capite dici potest, quòd se habeat ut purum instrumentum, (purum namquè instrumentum est ut suppono in communi sententia, & statim iterum constabit; quod virtute propriæ formæ nō operatur), cum prout sic natus sit per illas moveri à se ipso nō purè moveri à principali agente, in quo præcipuè consistit formalis ratio instrumenti. Et tunc etiam distin. mi., iste modus sufficit ad rationem instrumenti; idest purè moveri, & extrà spheram suæ specificationis conc., intra illam, & simul se movere nego.

IV. Arg. ex aliis etiam Recentioribus. Illa est causa instrumentalis propriè, quæ remotè concurrit per puras vires obedientiales, & proximè per virtutem improportionatam, & acceptam ab alio, à quo vel præsente, vel absente dependet in operando, sed ità cōcurrit intellectus ad visionem, ergo instrumentaliter propriè influit in illam, mi. est certa ex dictis, cum ratione sui nullam efficaciam habeat, ma. autem prob., quia ratio causæ instrumentalis non sumitur ex modo, quo cum effectu comparatur, seu penes habitudinem ad illum, sed ad causam principalem, cui subordinatur, nam causa principalis illa dicitur, quæ est præcipua in agendo, & alteri non subjicitur, illa verò instrumentalis, quæ est minus præcipua, & alteri subjecta, ergo causa purè obedientialiter concurrens, & per vires superiores ab alio acceptas, & per subjectionem ad illud est propriè instrumentalis, seu minus præcipua, & subjecta.

Urg. hoc: intellectus in recipiendo visionem merè obedientialiter se habet, & nō naturaliter, ergo sic pariter se habet in efficiendo illam, quod est tantum instrumentaliter concurrere, ut patet per singula instrumenta; ant. constat, quia visio non educitur de potentia naturali intellectus, sed obedientiali, ergo nec recipitur naturaliter, sed purè obedientialiter.

Ad hoc patet 1. ex dictis esse solvendum ab omnibus, probat enim nullam causam 2. posse esse principalem, cum quælibet accipiat virtutem à Deo, ab eoque depēdeat, vel subordinetur illi in agendo, quod tamen, ut dictum est; non solum est contra D. Tho., sed etiam contrà communem consensum. Deindè operari per virtutem propriam non acceptam ab alia causa superiori, & per independentiam ab illa est proprius conceptus Omnipotentiæ, & non puræ causæ principalis juxta illud, quod canit Ecclesia. *Deus qui Omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas* quia (ut explicat D. Tho. infrà q.25. ar. 3.) *per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod liberè peccata dimittit. sius enim, qui superioris legi astringitur usu est liberè peccata condonare.* Undè sic operari magis est operari per modum causæ supremæ, vel omnipotentis, quàm principalis tantum.

Pro omnibus ergo nego absolutè mai. quia præcisè sic operari, ut ostensum est, non obstat, quin operetur intrà propriam spheram specificativam, & se movendo, cum nata sit potentia operari intrà illam non solum connaturaliter, si sit objectum proportionatum, sed etiam elevabiliter per vires gratiæ, si sit excedens, ac proinde ut se moueat, quod est contra rationem instrumenti strictè sumpti, & proprium causæ principalis, licet non primæ, quæ est Deus. Ad probat. iterum nego ant., quià instrumentum ad hoc assumitur ut non sibi, sed causæ principali, cui subijcitur, quærat effectum, & ideò nequit adæquari per alteram tantum habitudinem ad agens, sed penes utramque attendi debet, & cum utroque modo, quo comparatur cū agente principali, & quo cum effectu. Sed dato etiam quòd sola attenderetur habitudo ad agens principale, non tamen quæcumque est sufficiens ad constituendam ratio-

rationem instrumenti rigorosè accepti, sed quæ tantum importat acceptionem virtutis transeunter communicatæ, & per quam præcisè moveatur, & non se moveat, & in ordine ad aliquod extraneum, vel extrà sui adæquationem, itaut nullam ex propriis habeat sivè efficaciam, siuè coaptationem essentialem, nec ex ptopria ratione formali natus sit, vel aptus elevari ad producandum talem effectum; ut dictum est, nam si accipiatur permanenter, & tanquam forma sibi propria, utpotè per quam nata sit potentia operari, scil. intrà limites sui objecti specificativi, non nisi instrumenti communiter dicti, dici potest habitudo, ut contingit in casu. Et licet denominatio, *causæ principalis* quasi grammaticaliter idem sonet, quòd præcipua, instrumentalis verò, quòd *minus præcipua*, & *subiecta*, in rigore tamen, vel scholasticè *principalis* dicitur, quæ operatur per propriam formam, & quæ non præcisè movetur, sed simul se movet, cum cæteris conditionibus modo explicato, cui non obstat, esse acceptam ab alio cum dependentia inoperando ab illo aliàs nulla in universum daretur causa principalis, preter Deum, quod est alienum à communi cõsensu & à bona Metaphysica, nisi velimus utramq; confundere, & pro eodem accipere *principalem* quòd *Omnipotentem*, quod est plusnimio evertere significationes terminorum

Ad confirm., nego ant., ad prob. nego iterum ant., vel suppositum ejus, quòd educatur de potentia intellectus, quasi seorsim à lumine; nam licet dicatur esse proprium principii vitalis, quòd actus educatur ex illo, itaut sicut habet elici, & recipi in illo ita habeat effici, & educi ex illo, non tamen educitur, præcipuè loquendo de supernaturali de potentia ejus quasi nudè, aut seorsim sumpti, cum neque prout sic efficiatur, aut recipiatur in illo, sed ut jam elevati, & persusi lumine, & consequenter jam habentis efficaciam, & continentiam ad illum proximè eliciendum & efficiendum, undè sicut intellectus prout sic nequit purè obediẽtialiter respicere illum ut eliciendum, & recipiendum, ità neque, ut efficiendum, & educendum.

Sed contrà principalem solutionem instas 1. Quià juxtà illam simile inconveniens sequitur in ordine ad causas instrumentales, sicut nos Adversariis opponimus in ordine ad principales, scil. quòd nulla detur instrumentalis verè talis præter inanimatam, sicut in eorum doctrina nulla daretur principalis præter Deum, quod est etiam contrà communem consensum, & contrà D. Tho., ut vidimus, ergo, prob. ant., quià juxtà solutionem nulla datur instrumentalis animata, quæ ità moveatur, ut simul non se moveat, ergo si hoc obstat instrumento verè, & propriè tali, jam nulla dabitur instrumentalis verè talis.

Sequitur 2. Quòd lumen gloriæ non solum recipiatur in intellectu sed etiam ex propriis exigatur ab illo, consequens est falsum, ut constat ex dictis, alias supernaturale non esset, seù supra vires, aut exigentiam naturę ergo, prob. seq., quia ideò juxtà solutionem salvatur non esse propriè instrumentum respectu visionis, quià efficit illam per lumen tanquam per virtutem, aut formam sibi propriam, ergo non tantum habebit recipere illud, sed etiam exigere, unumquodque enim exigit, quod est sibi proprium, tum quià aliàs lumen non esset aliquid ei improportionatum si ptopria forma illius est, ergo.

III. Quià gratis, & voluntariè videtur aliud exigi ad rationem instrumenti propriè accepti, præter hoc, quod est accipere ab alio virtutem ad agendum ultrà spheram suæ activitatis, & suprà virtutem innatam ut patet; hic enim est proprius conceptus instrumenti, sed intellectus sic accipit virtutem à Deo in ordine ad visionem eliciendam, ut patet etiam ex dictis, cum ratione sui illam non habeat, nec activitatem, ergo propriè se habet ut instrumentum.

Ad has instantias, quæ jam praeoccupatæ sunt, resp. ad primam nego sequelam, & suppositum, quòd animatum, & inanimatum distinguantur penes se movere, & non se movere, sed præcisè esse motum, nam ratio se movendi non intrat lineam instrumẽti propriè, ut dictum est, sed potius extrahit ab illa, unde ut conjuncta cum ratione moti tantum relinquit rationem instrumenti communiter dicti, & aliàs permittit, ut idem animatum in eo, in quo per qualitatem fluidam tantum influit ut motum, habeat tunc rationem instumenti strictè dicti, & in hoc differt, ut vidimus ab inanimato, quòd istud non habet meritum se moventis prævie ad alium influxum purè instrumentalem; unde non excludimus ab hac linea animatum, quià etiam, istud respectu alterius influxus potest se habere ut purè motum, ac proinde, ut purè instumentum, sed quia præter istum habet alium, in quo se movet, & in quo consequanter tantum se habet ut instrumentum communiter dictum, assignamus excessum illins suprà inanimatum, per quem differt ab illo.

Ad 2. n. iterum sequelam, quià lumen, & alii hujusmodi habitus supernaturales, non dicuntur forma propria intellectus quasi oriantur à natura ejus, sed quià ob sæpè repetitam coaptationẽ essentialem, quam dicit ad objectum visionis, & aliud quodcumque supernaturale natus est perfici per illos ad agendum intrà proprium specificativum, unde ratione illius, ut dicebamus; radicale est principium actuum supernaturalium activè concurrens cum illis ad eorum productionem, itaut habitus supernaturalis, qui est formalis virtus præsupponat eandem coaptationem, ut radicem, & principium, non à quo oriatur, sed quod perficit, & constituit in actu, & à quo intrinsecè pẽdet in producenda visione, sicut infrà in simili in materia de gratia dicimus, auxilium supernaturale esse in nostra potestate non quià oriatur à natura, aut quia per actum liberi arbitrii possit homo promereri illud, aut acquirere, ut docet D. Tho. 3. cont. Gent. c. 159, sed quià natus est, idest habet in potestate eiusdem arbitrii posse impedire, vel non impedire prout ibi expl., divinæ gratię receptionẽ iuxtà illud Iob. 21. *Dixerunt Deo recede à nobis*; & 2. *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. Qua ratione meritò imputatur ad culpam non implere præceptum illi, qui impedimentum præstat auxilio gratię necessario implendum.

Ad 3. neg. ant. sumendo activitatem, & virtutem innatam pro efficacia, quià, ut diximus, intrà spheram specificativam, (intrà quam causa 2. non operatur, ut instrumentum strictè, sed tantum communiter sumptũ, potest dari objectum excedens efficaciam, & virtutem innatam sumptam pro viribus proximis, unde non sufficit ad rationem rigorosi instrumenti, quòd præcisè accipiat virtutem supra has vires, sed quod accipiat extrà coaptationem essentialem, & supra vim, tam proximam, quam radicalem modo explicato, neque hoc voluntariè asseritur, sed rationabiliter, ut probatum est &c.

Sed contrà hanc, & superiores solutiones adhuc instas. Quia intra propriam etiam specificationem, vel adæquationem, & intrà genus vitæ potest elevari influxus

fluxus propriè instrumentalis, ergo, prob. ant. in potẽtia generativa in viuente; nam hæc verè, aut viuens per illam instrumẽtaliter influit ad terminũ generationis, ergo eodem influxu influit ad generationẽ, cũ non stet instrumẽtaliter influere ad terminũ, & non ad actionẽ, &c.

Dices ex Illustriss. Godoij hic ad ultimum n. 53., arg. æquivocare inter influere instrumentaliter propriè, & influere ut virtutem instrumentariam, licet enim potentia generativa dicatur influere hoc posteriori modo, sicut & vivens principale ut quod, influit per illam tanquam per virtutem instrumentariam, non tamen instrumentaliter propriè; quià virtus hujusmodi instrumentaria non est instrumentum propriè, cum se ipsa sit virtus principalis agentis, ac proinde quamvis in virtute illius in sensu intransitivo moveatur, non sequitur, quòd adhuc non moveatur à se, aut quòd per talem actum non viuat, quià ut dicebamus, & tradit D. Tho. ubi suprà, instrumentũ, aut virtus instrumentalis verè, & propriè non est forma propria agentis subordinati, sed motio, vel qualitas fluida ab agẽte principali determinata, & communicata, quoties instrumẽtum, vel causa instrumẽtalis assumitur ad agendũ, unde nequit se ipsa esse virtus illius, ideoq; ageus per illã non à se ipso, sed ab agẽte principali mouetur, cũ quo non stat viuere per talem actionem, &c. §. Sed contrà hoc est primò. Quià per nos non stat causam instrumentaliter agere per virtutem principaliter concurrentem, qua ratione diximus quòd quià lumen gloriæ est virtus principaliter influens, verificari nequit, quòd intellectus per illud agat instrumentaliter, ergo neque è contra stabit, quòd causa principaliter agat per virtutem instrumentariam, seu instrumentariè ex propriis influentem. 2. Quià juxtà solutionem saltem poterit intellectus concurrere instrumentaliter ad visionem per modum virtutis instrumentariæ, si semel sic concurrere non obstat vitalitati.

Ad primam conc. ant. de influxu instrumentali propriè sumpto, nego conseq., quià ut dictum est; virtus instrumentaria, cum se ipsa sit virtus agentis principalis, & in virtute ejus intransitivè agat non extrahitur à linea influxus principalis, unde largè tantum dicitur instrumentaliter agere, quatenus aliquomodo in virtute alterius movetur, sed quia movetur ut virtus ejus, seu ut virtus propria agentis principalis vitalis, adhuc retinet moveri à se, quod non componitur cum instrumento, vel influxu instrumẽtali propriè dicto, &c.

Ad 2. nego sequelam. Ad probat. annexam nego suppositum, quòd ob præcisam incompossibilitatem illius influxus cum vitalitate impediatur intellectus à ratione virtutis instrumentariæ respectu visionis, sed quià ex nullo capite potest habere hoc meritum respectu actionis excedentis, vel supernaturalis, qualis est visio, cum nec possit se ipso esse virtus Dei auctoris supernaturalis, à quo dependet actio illius ordinis, nam ratione sui non subordinatur Deo prout sic in ratione virtutis sivè in operando, sive in essendo, nisi velimus, quòd entitativè, vel ut virtus pertineat ad illum ordinem, & non ad inferiorem naturæ, quod est alienum, quidquid sit, quòd ex propria ratione formali, ut dicebamus; sit natus elevari, & coaptari per lumen ad influendum intrà eundem ordinem per modũ potentiæ, concurrente lumine ut virtute adæquata proxima modo explicato. Nec iterum potest esse virtus instrumentaria animæ rationalis, quià iam hæc non posset principaliter in visionem influere, nam ratio quare intellectus non principaliter, sed instrumentaliter influat, nequit alia assignari, nisi quia visio illum excedit excessu ordinis, hæc autem, ut patet, militat etiam respectu animæ, cum neque illa sit de ordine supernaturali, unde si semel ob hujusmodi excessũ virtus eius impeditur ab influxu principali, pariter impedietur anima, in cujus virtute teneretur intellectus agere, si semel concurreret ad visionẽ ut virtus instrumentaria ejus, &c.

Sed instas: quia si semel concursus per modum virtutis instrumentariæ non obstat vitalitati, adhuc poterit salvari influxus principalis animæ respectu vitalitatis, estò intellectus sic instrumẽtariè concurrat ad visionem sub ratione supernaturalis, ergo, prob. ant., licet intellectus sic instrumentariè concurrat ad visionem sub ratione entis, vel existentis, ut sunt effectus proprius, vel rationes propriæ causæ primæ, adhuc salvatur influxus principalis animæ respectu ejusdem vitalitatis, ergo licet sic instrumentariè dicamus concurrere ad illam sub ratione supernaturalis, adhuc poterit anima principaliter sub ratione vitalis ad eandem concurrere.

Explicatur hoc: quia non magis distinguitur à ratione vitalis, nec magis eam excedit ratio entis, vel existentis, quàm distinguatur, vel eam excedat ratio supernaturalis, cum prior ratio reperiatur in utroque ordine excedente, & non excedente, sive naturali, & supernaturali, posterior verò determinatè sistat in superiori excedente, ergo si nihilominus cum influxu instrumentario ad visionem sub ratione entis, vel existentis, saluatur influxus principalis ad illam sub ratione vitalis, poterit hic idem influxus saluari cum instrumentario ad eandem sub ratione supernaturalis.

Resp. ad instantiam neg. ant., imò suppositum, quòd possit intellectus, vel potentia respectu prædicati semel excedentis concurrere, ut virtus instrumentaria, ob rationem adductam, unde aliud est, quòd possit respectu alicuius ex his instrumentaliter concurrere per virtutem instrumentalem, seu qualitatem fluidam, ut contingit respectu existentiæ, ut supra insinuauimus ex D. Tho. q. 3. de potentia ar. 7., aliud verò, quòd respectu illius concurrat, ut virtus instrumentaria, quià hæc, ut dictum est; se ipsa est virtus agentis principalis, eique subordinata, & in virtute illius instransitinè agit; patet autem intellectum non posse sic esse virtutem, nec Dei, nec animę respectu prędicati excedentis, aliàs excedens non esset, quidquid sit, quòd possit eleuari ad influendum etiam principaliter, aut se movendum ad illud, si aliàs, continetur intrà propriam spheram specificativam, ut contingit respectu supernaturalitatis, vel assumi ut instrumentum, si sit proprius effectus Dei, ut est prædicatum existentiæ: per quod etiam patet ad probationem. Iterum namq; nego suppositum, nam licet instrumentariè, idest instrumentaliter concurrat ad illam sub ratione existentis, nõ tamen ut virtus instrumentaria: & deindè est etiam discrimen inter utramque rationem supernaturalis, & existentis, nam illa est intra spheram specificativam, ut dictum est, posterior verò extrà, & propria Dei, ut latè alibi de Cælo, & Mundo explicatum est, & in materia de auxiliis, unde licet dicamus hanc non magis excedere excessu ordinis, magis tamen excedit excessu specificationis, quià est propria primi agentis, sive attingentis ens in quantum ens, vel secundum universalissimam rationem entis. Ex quibus etiam fit satis ad explicationem: præterquam quòd cum visio adæquatè sit supernaturalis, ut supponimus etiam ex contrariis; secundum nullum ejus prædicatum posset amplius salvari influxus principalis, animæ ad illam, nam

etiam vitalitas ejus, utpote contracta ad prædicatum, vel differentiam supernaturalitatis, est necessariò, de illo ordine, unde quidquid sit quod unum magis distinguatur, vel non: si semel est excessus in utroque, & hic excessus impedit influxum principalem, utrobique impediret. Quamvis non ex præcisa distinctione, vel excessu inferatur influxus instrumentalis, sed ex excessu importante extraneitatem ab adæquatione, vel specificatione, ut dictum est.

Sed instas. Quià juxta modum probabilem non sola existentia, vel actualitas ejus pertinet ad forum primæ causæ, ut proprius ejus effectus, sed etiam entitas, vel actualitas ejus, ergo si quià actualis entitas, naturalis sic pertinat ad primum agens ut conditorem naturæ, causa 2. tantum instrumentaliter influit ad illã, sivè ut instrumentum primæ causæ salva principalitate influxus ad actionem sub ratione vitalis, quià pariter actualis entitas supernaturalis pertinat ad illud, ut conditorem gratiæ, tantum instrumentaliter concurret ad illam salva principalitate influxus ad actionem sub ratione vitalis; conseq. tenet à paritate, tum quià sicut actualis antitas naturalis, correspondet Deo ut authori naturę, ita actualis supernaturalis correspondet illi, ut authori gratiæ &c.

Huic instantiæ dato transeat ad ant., nego suppositũ consequantis, quòd etiam instrumentaliter concurrat ad illam sub ratione naturalis, quià tam ratio naturalis, quàm supernaturalis, ut patet ex dictis, non sunt extrà ambitum specificativum causæ secundæ, sicut actualitas existentiæ, vel entitatis, sive actualis entitas juxtà modum illum, unde si semel ob excessum ordinis subtraharetur intellectus ab influxu principali, ad nullum ampliùs prædicatum posset principaliter concurrere ad visionem etiam sub ratione vitalis, cum pariter sub hac ratione, ut dictum est, ad ordinem supernaturalem pertineat. Unde nec anima talem influxum obtinere posset. Et per hæc patet ad utramq; probat. cum utraque similiter sit de subjecto non supponente, quòd conceptus naturalis, vel supernaturalis extrahantur à linea specificativa causę secundæ, & consequenter ad ambitum solius causalitatis divinæ, quantum ad influxum principalem pertinãt, sicut pertinet conceptus existantiæ, vel etiam actualis entitatis. Ex quo etiam inferimus, quòd ut intellectus vitaliter influat, & ut voluntas libera agat, non est necessarium, quòd habeant principalam continentiam hujusmodi rationis existentiæ, vel entitatis, benè vero naturalitatis, vel supernaturalitatis quià prior ratio est extrà suam specificationem, & pertinet ad causam primam, ut proprius eius affectus, secus verò posterior, sed etiam pertinet ad ordinem causæ secundæ &c. Nec refert, quòd una aliquomodo identificetur cum alia, ut præcisivè terminent influxum principalem, vel instrumentalem, nam ad hoc satis est quòd sint, vel non sint intra ambitum causalitatis causæ 2. sicut dicimus de vero, & bono, quòd licet identificentur in re, possunt tamen præcisivè terminare influxum intellectus, & voluntatis, secundùm quòd unum spectat ad unam potentiam, & altarum ad alteram. Qua ratione similiter de causalitate divina, infrà de vitiis, & peccatis, ostendimus se extendere ad omne id, quod est de portione entis in peccato, omissa deformitate, etiam in opinione constituente illud per aliquod positivum, quià deformitas non spectat ad ambitum divinę Omnipotentiæ &c.

§. VI.

Statuitur secunda Conclusio.

Secunda cõclusio. Intellectus creatus ratione sui, seu naturali sua virtute, nec partialiter producit proximè, vel immediatè visionem beatam, sed lumen gloriæ est adæquata virtus proxima producendi illam. Est expressa D. Tho. 3. relato ex contra Gent. c. 53. ratione 4. ubi asserit; Ità requiri lumen ad videndum respectu intellectus, sicut lucem ad illuminandum respectu diaphani, sed lux in diaphano est adæquata ratio illuminandi, sic quòd nullam virtutam proximam illuminativã supponat in illo, ergo pariter lumen juxtà D. Tho. ità erit adæquata proxima ratio videndi, ut nullam aliam proximam virtutem supponat in intellectu, &c.

Dices ex hac auctoritate non posse ullo modo probari intantum, quià si aliquid convinceret, id præcipuè etiam convinceret, quòd opposita sententia nobis opponit, nempè quòd si semel lumen esset tota proxima ratio videndi, sicut lux est tota proxima illuminandi, jam intellectus non activè, sed passivè se haberet respectu visionis, sicut se habet diaphanum respectu illuminationis.

Sed contra hoc est. Nam vis rationis, & paritatis D. Tho. ad hoc est, ut ostendat modum fortificadi intellectum in visione, non esse scil. per simplicem virtutis intensionem, sicut dum calor intenditur in subjecto; sed per novæ formæ appositionem salvis propriis utriusque subjecti, cum expressè ibidem doceat, ut vidimus; Deum clarè visum, utpotè primum intelligibile, nõ esse aliquid extraneum respectu intellectus, sed tantum excedens ejus vires proximas, seu efficaciam, ob præfatam nempe coaptationem essentialem, vel habitudinem potentiæ, quam dicitad illum, & ad ejus visionem tanquam ad aliquid intra ejus adęquationem, vel specificationem contentum, ergo maximè attendenda est ex modo se habendi utriusque formę, luminis nempè, & lucis, à quà pendet tota fortificatio, ita ut sicut lux fortificat per modũ adęquatę rationis proximæ illuminandi, ita fortificet lumen per modum adæquatæ rationis proximæ vidẽdi, quidquid sit, quòd ex parte subiectĩ, sive intellectus, & diaphani discrimen sit, quòd intellectus ob eandem habitudinem potentiæ, seu principij activi, elavabili sit activè influendũ, vel se movendum, non vero diaphanum habens simplicem capacitatem, vel dispositionem receptivam illuminationis, non habitudinem radicis, vel principii radicalis, sicut habet intellectus modo explicato ad visionem.

II. Prob. concl. duplici ratione ex D. Tho. ibidem præcipuè ex illis verbis versus finẽ ejusdã rationis, nempè *quia talis visio non est ejusdem rationis cum virtute naturali intellectus creati*. Utraque autem à priori reducitur ad hoc. Quia visio beata secundùm se totam quoad substantiam, & modum est supernaturalis, ergo virtus naturalis intellectus nec partialiter potest immediatè producere aliquid illius, ant. admittũt Suarez, & Vasquez, cotrà quos est præcipuè difficultas, conseq. verò prob. præoccupando ferè omnem solutionem quia licet causa partialis non debeat continere totum effectum, debet tamen continere id, quòd verè efficienter producit de illo, sed in virtute naturali intellectus nihil supernaturale

rale poteſt contineri, ut in cauſa productiva, ergo nec partialiter ex propriis, ſeu ratione ſui concurrit proximè ad illam.

Ex quibus prob., vel arg. ſic. Intellectus creatus ex propriis, ſeu ratione ſui eſt potentia naturalis vitalis, ergo non habet vires proximas ad attingendam viſionem etiam ſub ratione vitalis, ant. eſt certum, & conſ. prob., potentia vitalis naturalis ex propriis, tantùm poſſidet vitam ordinis naturæ, aliàs vitalis naturalis non eſſet; tum quia aſſentialiter contrahitur, & determinatur ad vitalitatem ſui ordinis, argo nequit ex propriis, val ratione ſui habere vires proximas ad vitam gratiæ; conſ. tenet, quia potentia vitalis ſolum poteſt habere vires ad motum vitalem intrà lineam, in qua vivit &c.

Dicas ita eſſe ſi potentia ſumatur ſolitariè, vel in abſentia principii ſupernaturalis, ſecus tamen ſi in conſortio ejus, nam tunc falſum eſt, quòd determinetur ad vitalitatem ordinis naturæ, ſed poteſt ſaltem partialiter influere ad motum in ordine ſuperiori.

Sed contrà hoc eſt. Nam ex eo in abſentia non poteſt, quia tunc operatur ſolis viribus naturalibus, ſed etiam in conſortio tantum præbet influxum vitalem naturalem, ergo nec in conſortio habere poteſt vires proximas ad viſionem, prob. mi. tum, quia aliàs nõ influeret partialiter ex propriis; tum quia conſortium principii ſupernaturalis non facit, quòd illa immediatè non operetur ut potentia vitalis naturalis.

Dices (& eſt reſponſio data mihi in Collegio Parmanſi à P. Felice Rotundo, & antea Mag. meo Ferre in Romano à P. Nicolao Martinez) quòd licet hujuſmodi conſortium non extrahat potentiam ab influxu virium naturalium, ſivè ab eo, quòd immediatè operetur viribus naturalibus, extrahit tamen à ratione potentiæ naturalis, & facit tantum operari, ut vitalem, quia cum actus ſemel pendens à principio ſupernaturali ſupernaturalis ſit, non eſt capax naturalitatis, quam aliàs potentia naturalis teneretur, & poſſet communicare; ſed tantùm vitalitatis.

Sed contrà hoc eſt, & in primis hæc ſolutio, & aliæ hujuſmodi perpetuò laborant in ſuppoſito falſo, quòd vitalitas viſionis ſit vitalitas quæcunque, vel abſtrahens, aut ajuſdem rationis, vel ordinis cum vitalitate, quam habet ex propriis intellectus, quæ eſt pura vitalitas naturæ, quod eſt omninò falſum, ut latè patet ex dictis: & quia aliàs viſio actus adæquatè ſupernaturalis non eſſet, unde ſi quia intellectus eſt potentia de hoc ordine, nequit immediatè operari ut naturalis, nec potarit immediatè ad viſionem operari, ut vitalis; unde hinc magis tenebantur à natura ex propriis removere omnem influxum ad actum ſupernaturalem, nam ſi ſemel iſte capax naturalitatis non eſt, planè ejus vitalitas ſupernaturalis erit, & conſequenter incapax influxus vitalis ſupernaturalis. Deinde impugnatur ſic. Principium naturale conjunctum ſupernaturali non impedit ejus ſupernaturalitatem, ſeu quòd operetur ut ſupernaturale, ergo principium ſupernaturale conjunctum naturali, nõ impediat naturalitatem ejus, ſive quòd operetur ut naturale; val adducatur diſparitas, quæ juxta eorum principia ſuperiùs relata vix potarit legitimè aſſignari.

Dices eſſe diſcrimen, quòd principium naturale ſubordinatur ſupernaturali, & elevatur ab illo, unde licet iſtud in conſortio impediat ejus naturalitatem, non tamen naturale impedire potarit ſupernaturalitatem principii ſupernaturalis. §. Sed contrà hoc eſt primò, quia principium naturale juxta eorum doctrinam non ita ſubordinatur, & elevatur, quin viribus de ordine naturæ non concurrat, aliàs ratione ſui, vel ex propriis non concurreret, ergo non ita ſubordinatur, & elevatur, quin ut potentia naturalis non concurrat communicando naturalitatem, quod tamen eſſe impoſſibile ſalva ſupernaturalitate actus; conſequentia tenet, quia idem eſt concurrere ut potentia naturalis, ac concurrere per viras naturales, aut de ordine naturæ, ſicut idem eſt concurrere, ut principium ſupernaturale, ac concurrere per vires ſupernaturales, aut ordine ſupernaturali, vel gratiæ.

II. & explicatur hoc. Non ita ſubordinatur, & elevatur, ut impediatur concurſus virium naturalium, argo non ita ſubordinatur, & elevatur, ut impediatur concurſus potentiæ naturalis, ut naturalis, quia idem eſt concurſus virium naturalium, ut naturalium, ac concurſus potentiæ naturalis, ut naturalis prout reduplicativè operatur per illas, ſicut concurſus viriũ ſupernaturalium ut ſupernaturalium idem eſt, ac concurſus principii ſupernaturalis, ut ſupernaturalis, prout reduplicativè operatur per illas, & præcipuè loquendo de potentia, vel principio vitali, ſive movente ſe per illas.

III. Nam quia ratione ſui operatur per influxum vitalem, non ita ſubordinatur, & elevatur, quin operetur ut potentia vitalis communicando vitalitatem, ergo quia ratione ſui operatur per influxum naturalem non ita ſubordinatur, & elevatur, quin concurrat, ut potentia naturalis communicando naturalitatem, unde videtur ſolutio manifeſtè repugnantia aſſerere, quòd ſubordinatio, & elevatio non faciat præſcindere ab influxu naturali, vel per vires naturales, & faciat præſcindere ab influxu ut potentiæ naturalis, ut patet in utraque ſimili influxus ſupernaturalis, vel per vires ſupernaturales, & influxus vitalis, vel motivè à ſe, qui nequeunt omninò præſcindere ab influxu principii ſupernaturalis, ut ſupernaturalis, & potentiæ vitalis, ut vitalis, vel motivè à ſe.

IV. & urg. totum hoc. Subordinatio, & elevatio non impedit, quòd ſi ſemel influit influxu vitali, vel motivè à ſe non communicet vitalitatem, argo nec impediet, quòd ſi ſemel influit influxu naturali, vel per vires naturales non communicet naturalitatem §. Ultimò tandem valuti à priori. Quia ut dicebamus juxta eorum principia ſubordinatio principii naturalis ad ſupernaturale in eo conſiſtit, quòd nequeat concurrere ad viſionem, vel ad actum ſupernaturalem ſub ratione vitalis, non concurrente ſupernaturali ad illum ſub ratione ſupernaturalis, ſed neq; ſupernaturale poteſt concurrere ſub hac ratione, non concurrente naturali ſub ſpeciali ſui ratione, ergo ſi nõ impeditur ſupernaturale à ſui ſupernaturalitate, neque impeditur naturale à ſui naturalitate, vel ſi ſemel ſupernaturale impedit naturale, pariter iſtud impediet ſupernaturale.

II. prob. etiam cõcl. principaliter alia ratione jam inſinuata, & ſimul urg. præced: s. illa eſt formalis ratio, vel adæquata proxima videndi, quæ eſt formalis, vel adæquata proxima continendi viſionem, ſed hæc eſt lumen, ergo iſtud eſt formalis, vel proxima adæquata videndi, ma. eſt certa, nam cuilibet cauſæ illa eſt formalis ratio agendi, vel producendi effectum, quæ eſt formalis ratio continendi illum, mi verò prob., quia ut modo ſupponitur in utraq; ſententia, viſio beata eſt adæquatè ſupernaturalis non cõpoſita ex duplici formalitate, altera naturali, altara ſupernaturali, ſed entitas adæquatè ſupernaturalis nequit in antitate purè naturali contineri,

ergo

ergo formalis, & adæquata proxima ratio continendi illam debet esse supernaturalis vel principium supernaturale.

Dices primò. Non contineri in intellectu non associato, vel nō elevato per lumen, secus tamen si elevetur per illud. §. Sed cont. hoc est. Et in primis hæc solutio manet sufficienter impugnata ex dictis, nam dum ipsi non admittunt intellectum agere per lumen, sed tantum cum lumine, inconsequenter ponunt elevationem dare intellectui præcontinentiam actus, quia implicat intellectum accipere præcontinentiam à lumine elevante, & non agere per illud, cum qualibet causa in universum agat per formā, ex qua habet præcontinere effectum, vel ergo necessitas luminis non erit præcisè per modum concomitantiæ in agendo, sed per modum virtutis dantis vires, ut dicunt Thomistæ; vel ab illo non accipit præcontinentiam actus, & tunc restat solvendum argumentum.

Ex quibus impug. 2. In opposita sententia dum dico intellectus elevatus non, fit reduplicatio rationis formalis, sed tantum conditionis, vel concomitantiæ ex parte luminis, aliàs inciduut io nostram sententiam, ergo vel ratio formalis continendi formalitatem, vel entitatem supernaturalem pansanda erit ex meritis entitatis naturalis, vel nulla assignatur, quorum utrumque est implicatorium, cùm pariter implicet causam producere effectum, quem non præcontinet, vel sine formali ratione præcontinendi &c.

Dices huic replicæ ex Suarez (& est alia solutio arg. principali) quòd formalis ratio continendi non præcisè attendenda est ex parte entitatis intellectus, ut entitas, vel potentia naturalis est, sed ut obedientialis, & per modum continentiæ improportionatæ, vel instrumentalis; & hoc genere continentiæ non repugnat rem ordinis superioris contineri in inferiori. §. Sed hæc solutio præter superiora iterum impug. primò ex doctrina ejus. Quia si intellectus contineret ratione sui obedientialiter, vel per modum instrumenti adhuc de lege ordinaria non indigeret lumine etiam ut conditione ad continendam, vel producendam visionem, conseq. non admittitur, utpote cont. Concilium, ut dictum est, ergo ratione sui non continet hoc genere continentiæ, prob. sequela, quia ut ipse fatetur de Sacramentis, ad continendum obedientialiter, vel per modum instrumenti formam supernaturalem non est necessaria qualitas superaddita elevativa &c.

Dices esse necessariam ad continendum, & producēdum per modum instrumenti connaturalis, ut est intellectus respectu visionis. §. Sed cont. hoc est in eisdem Sacramentis. Quia ut dicantur connaturaliter influere per modum instrumenti ad effectus supernaturales, satis est quòd obedientialiter præcontineant sine aliqua qualitate elevante intrinsecè etiam de lege ordinaria juxta ejusdem doctrinam asserentis superfluam esse qualitatem, aut virtutem supernaturalem, ut creatura modo connaturali operandi instrumento elevetur ad supernaturalem actionem, & effectum, sed sufficere præcontinentiam ratione potentiæ obedientialis activæ cum concursu Dei elevantis immediato ad effectum &c.

II. impug. eadem principalis solutio, vel recursus ad potentiam, vel præcontinentiam obedientialem ad hominem sic. Nam, ut ipsi dicunt, ad salvandam adæquatam supernaturalitatem actus saltem est necessarius concursus principii supernaturalis indebitus naturæ, sed posita hujusmodi potentia non salvatur hæc ratio indebiti, ergo concursus iste, vel continentia ratione potentiæ obedientialis destruit adæquatam supernaturalitatem actus, prob. mi., nam posita hac potentia id, quod ratione illius de actu illo correspondet naturæ debet esse debitum illi, cùm correspondeat ratione prædicati sibi congeniti, & debiti, sicut est eadem potentia in opposita sententia; at non stat hoc semel esse debitum naturæ, & esse indebitum concursum principii supernaturalis, ergo posita eadem potentia non salvatur prædicta ratio indebiti, prob. mi., non stat id esse debitum naturæ & non esse debitum, quod correspondet principio supernaturali, at non stat esse debitum hoc posterius, & non esse debitum concursum, ergo non stat esse debitum, quod correspondet naturæ, & non esse debitum concursum, mi. constat, quia quod correspondet principio supernaturali est ejusdē rationis, & exigit influxum ejus; & hinc etiam, prob. ma., quia id quod correspondet naturæ est intimè unitum, vel connexum, imò identificatum & ejusdem ordinis cum eo quod correspondet principio supernaturali, si velimus actum esse adæquatè supernaturalem, tum quia uniuntur hæc duo ad constituendum actum adæquatè talem, unde nequit aliquod prædicatum, vel formalitas ejus esse ordinis inferioris: tum quia, ut sæpè dictum est, vitalitas, quam dicunt correspondere naturę non est vitalitas abstrahens, sed contracta per supernaturalitatem, & consequenter determinatè pertineos ad ordinem superiorem, vel supernaturalem, sicut substantia, ut dictum est, contracti per differentiam angelicam, determinatè spiritualis est, ergo non stat alterum correspondens naturæ esse debitum illi, & non esse debitum, quod correspondet principio supernaturali.

Urg. hoc iterum ad hominem; quia id quod correspondet naturæ, & dicitur contineri ratione potentiæ obedientialis, nequit esse aliquid formaliter de linea vitæ, vel formaliter vitale, per quod verificetur intellectum formaliter vivere, ergò superfluè recurritur ad hujusmodi potentiam, ut salvetur prædicta continentia, prob. ant., quia potentia obedientialis est cuilibet creaturæ communis sive viventi, sive non juxta doctrinam sui auctoris, scil. P. Suarez, docet enim 3. p. disp. 31. sect. 6. n. 12., quod est una, & eadem formaliter in omnibus; quod repetit disp. 33. n. 12. in fine, ubi ait, quòd licet potentia obedientialis in diversis creaturis sit realiter diversa, est tamen secundùm rationem eadem, quatenus sub eodem titulo, & sub eadem ratione omnibus convenit, ergo id, quod continetur, & habetur ratione influxus ejus nequit formaliter esse de linea præcisa vitæ, per quod verificetur intellectus formaliter vivere, prob. conf. nam hac ratione communiter dicimus cont. Durandum non sufficere ad salvandam subordinationem formaliter de linea operativa in causa 2. ad Deum per puram receptionem virtutis, & conservationem ejus, quia hæc pura receptio, & conservatio est quid commune cuilibet causæ 2., sive operanti, sive non, & consequenter insufficiens ad dandam subordinationem formaliter magis de hac linea, quàm de alia, vel entitativa, ergo si potentia obedientialis est quid commune cuilibet creaturæ, sive viventi, sive non, non poterit ex meritis influxus ejus, præcontineri, vel produci aliquid determinatè, & formaliter de linea vitæ; & ratio utriusque est, quia ut patet ex terminis, per id, quod est commune nequit fieri discretio, sive productivè, sive quocumque alio modo, aliàs quid commune non erit &c.

Urg. ulterius, & simul iterum impugnatur eadem po-

potentia obedientialis activa, quia vel dat præcontinentiam, & concurrit per vim activam naturalem, aut supernaturalem; at non primum, quia absurdum est dicere vim naturalem secundùm se ex propria ratione formali dare continentiam, aut influere ad aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem, vel gratiæ, ut sunt omnia prædicata visionis, si velimus hanc esse adæquatè supernaturalem: & quis credat per naturalem virtutem elevari creaturam ad continendum aliquid, vel ad agendum intra ordinem supernaturalem, vel superantem totum ordinem naturæ: neque etiam est supernaturalis, quia sit ab Auctore naturæ, & eadem naturali actione, qua producitur entitas cujuscumque rei naturalis, quia ut ipse dicit, inseparabiliter includitur in cōceptu cujuscunq; entis creari, & est omninò indistincta ab entitate rei. Adde quòd admittere quamcunq; entitatem creatam ex natura rei inseparabiliter comitari activam virtutem supernaturalem, qua possit agere intra eundem ordinem, vel gratiæ, videtur satis alienum non solùm à bona Theologia, sed etiam à sana doctrina.

Dices ex eodem sect. 5. in fine prioris disput. §. *Dicendum ergo*, talem virtutem præfatæ potentiæ esse quidem innatam creaturæ, ac proinde communem, & naturalem in rebus naturalibus, verum esse tantum potentiam remotam, & ideò non constituere intellectum, aut aliam causam instrumentalem creatam simpliciter potentem operari aliquod supernaturale, sed propriè eam constituere capacem, ut elevari possit à Deo ad operandum, vel influendum in tale supernaturale, elevari verò, & fieri potentem simpliciter ad operandum, & consequenter ad continendum in casu per specialem Dei concursum supernaturalem, quo quasi applicatur ad operandum &c.

Sed dum hæc dicit (inquit M. Catalam 3. p. qu. 13. relata dub. 3. ad art. 2. concl. 1.) & sibi contradicit, & arg. non solvit, nisi admittat causam 2. instrumentalem, seu instrumentum per solam assistentiam Divini concursus nullo sibi addito constitui simpliciter potens operari physicè, quod ipse nobiscum ut falsum reiicit. Primū prob., quia si potētia illa obedientialis, quā vocat activam, non constituit creaturam in actu primo potentem operari simpliciter, ut instrumentum, sed tantum capacem, ut elevetur, & fiat potens, ergo simpliciter est potentia passiva receptiva virtutis, qua elevetur ad agendum, ergo non est ipsa virtus instrumentalis, quia virtus instrumentalis non est potentia passiva receptiva virtutis, sed ipsa vis agendi, qua formaliter creatura eleuatur, & constituitur in actu 1. proximè potens physicè agere.

Secundū etiam prob., quià vel specialis ille concursus supernaturalis, quo Deus dicitur applicare causam 2. instrumentalem ad producendum effectum supernaturalem confert eidem causæ, totam vim instrumentalem productivam effectus; vel partem confert, & partē supponit, vel nullam confert, & solum est concursus simultaneus producens effectum, & nihilominùs producens in causa; Si totam confert, ergo virtus instrumentalis non est illa potentia activa innata creaturæ, sed magis est eadem potentia simpliciter passiua, si semel nullam ex se habet activitatem. An vero dici possit activa, quià apta est recipere virtutem, qua fiat potens agere, quæstio est de nomine nihil conferens ad propositum. Si verò dicatur 2. scil. quòd partem virtutis conferat, & partem supponat. Sequitur in primis contrà eundem Auctorem, verum esse, quod dicunt Thomistæ, aliquod supernaturale per modum transeuntis produci in causa 2. instrumentali, qua eleuetur, ut instrumentum Dei ad agendum, vel producendū supernaturales effectus. Sequitur 2. non illam remotā particularem virtutem, quam præsupponit innatam creaturæ diuinus concursus, sed istam, quam confert, debere potius dici instrumentalem virtutem, quia per illam non constituitur creatura proximè potens operari instrumentaliter, sed capax ut eleuetur, & fiat proximè potens, per istam verò fit proximè potens, & elevatur, ergo ista est absolutè, & simpliciter virtus instrumentalis constitutiua instrumenti in actu 1. Præterquam quòd contrà hanc innatam partialem virtutem procedit præcedens replica, quòd neque naturalis, nec supernaturalis esse possit.

Tandem si dicatur 3., sinè nullam conferre, ergo iam causa 2. instrumentalis per solam extrinsecā subordinationē ad diuinum concursum sibi paratum assistentem constituitur simpliciter potens efficere supernaturales effectus, quià per suam naturalem entitatem non erat potens simpliciter in actu 1., ut concedit, & argumentum factum probat, & deinde ex sola assistentia diuini concursus nulla virtute producta in eadem causa dicitur fieri simpliciter potens in actu 1. ex non potente, ergo incidit hic Auctor in opinionem, quam ut falsam rejecerat, & meritò, ut alibi de auxiliis probatum est, & constabit etiam in sequentibus & efficaciter ostendit M. Catalam ibidem concl. 2. &c.

Aliter ergo eidem principali arg. dices 3. actum supernaturalem non contineri in entitate intellectus, ex quo supernaturalis est, sed ex quo vitalis est, & juxtà hanc doctrinam distinguunt mi. § Sed hæc solutio manet sufficienter impugnata ex dictis. Tum quià est de subjecto non supponente, quòd vitalitas visionis de ordine supernaturali non sit semel contracta per supernaturalitatem, ut supponit solutio, si semel vult visionem, ex quo vitalis est, contineri in entitate naturali. quod tamen est contrà commune suppositum, quòd nempè sit adæquatè supernaturalis, ergo nequit ullo modo contineri in intellectu ratione sui, ut in principio partiali immediatè effectivo, quià excedit etiam prout sic entitatem ejus, & ad ordinem altiorem spectat.

Tum quià in actu adæquatè naturali naturalitas ità transcendit omnem ejus formalitatem, ut omnis reperta in illo sit formaliter naturalis ergo, in actu adæquatè supernaturali (qualis est visio beatifica) ità supernaturalitas transcendere debet omnem formalitatem in illo repertam, ut omnis sit formaliter supernaturalis.

Tum denique quià licet vitalitas visionis, aut visio sub hac ratione vitalitatem non exprimat, semel supposita adæquata ejus supernaturalitate, & contracta per istam vitalitate, nequit saltem implicitè, & per identitatem non importare supernaturalitatem, sed intellectus neque implicitè, neque identicè eam importat, ergo etiam ut vitalis entitatem ejus excedit, ac proindè impossibile est, quòd prout sic in illo ratione sui tanquam in principio partialiter, & proximè effectivo contineatur, &c.

Ultimò tandem dices eidem rationi factæ (& est frequentior solutio apud Aduersarios, aliquomodo tamen coincidens cum superioribus) solum conuincere de continentia in actu, totali, & adæquata, non de partiali, & inadæquata quià licet actus supernaturalis contineri, &

ri, & dependere non possit à naturali entitate tanquā à causa efficiente adæquata, & ite sola effectiuè causatura, non tamen id repugnat loquendo de continentia & efficientia inadæquata, & partiali, vel de causa non se sola productura sed dependenter à Deo agente supernaturali, & supernaturaliter extrinsecè, aut intrinsecè auxiliante, & eleuante. Ut enim suprà retulimus, & adhuc dicetur infrà, ad saluandam adæquatam supernaturalitatem in actu existimant sufficere necessitatem principij supernaturalis, vel concursus ejus indebiti naturæ, estò hæc partialiter, & inadæquatè concurrat, unde sicut vitalitati actionis non repugnat dependere partialiter, & inadæquatè à principio non vitali, ita nec supernaturalitati ejus repugnat denpendere partialiter, & inadæquatè à principio non supernaturali. Et ratio utriusque est à priori, quià causa efficiens partialis eo ipso quòd partialis est non petit ratione sui, & in se præcontinere omnia prædicata effectus, sed sufficit si ratione sui aliquod prędicatum in effectu repertū præcontineat, ut ex consortio alterius compartialis agentis totum producat totalitate effectus, & non totalitate causæ &c.

Sed hæc solutio ex superioribus facilè impugnatur Nam siue sit causa partialis, siuè totalis, siue inadæquata, implicat tamen in terminis, quòd producat, vel contineat ratione sui de effectu aliquid, quod illam excedit excessu præcipuè, sed omnia prædicata visionis, ut ostensum est, excedunt hoc excessu principium, vel entitatem purè naturalem, ergo nullum potest in eadem contineri ratione sui.

Nec refert consortium cum principio supernaturali, vel cū illius concursu indebito, nam si semel istud principium, siuè intrinsecè, siuè extrinsecè assistens non dat ei præcontinentiam, quam ex se non haber, nec habere potest, utpote respectu alicujus excedētis, perpetuò manet impotens ad producendum effectum etiam partialiter, nisi velimus, quòd producat effectivè aliquid à se non præcontentum, quod repugnat cuilibet causæ efficienter productiuæ, siuè totalis, siuè partialis sit ut patet ex terminis. Quod verò necessitas principii, aut concursus supernaturalis, & indebiti non sufficiat ad saluandam adæquatam supernaturalitatem actus, jam ostensum est, & iterum constabit infrà, cum impossibile sit, quòd in eo, in quo pendet à principio naturali, supernaturalis sit. §. Neque etiam obstat paritas principii non vitalis, siuè speciei intelligibilis, quæ non viuit per actionem vitalem, sicut potentia. Tum quià poterat retorqueri: nam ut etiam insinuabitur infrà, eadem actio in eo, in quo pendet ab objecto, vel specie vicaria sui, dicitur non vitalis, undè negatur esse adæquatè vitalem, quia nempè actio talis censenda est, qualia sunt principia quæ concurrunt ad illam, undè cum ad intellectionem, ut vidimus, concurrēt duo principia, scil. potentia, & objectum, & istud per illam non viuat, sed sola potentia, dicitur non esse adæquatè vitalis, ergo nec erit adæquatè supernaturalis, si alterum principium ad illam influens, supernaturale non est,

Tum quia, (& potest iterum retorqueri, ex eo principium non vitale potest concurrere ad actum vitalem salua ejus vitalitate, quià non tenetur præcontinere, utpote concurrens, non ut virtus potentiæ, & concursu veloci physico, sed tantùm objectiuè determinans illam, seu concursu pure objectiou, vel intentionali, ut explicatum est, sed intellectus licet partialiter concurrens tenetur continere illum, cum det illi esse quoad id, quod dependet ex ejus influxu ergo.

Tum denique, quia licet idem principium vitale, scil. species, non sit tale, seu vitale entitativè, est tamen tale connexivè, ut alii dicunt; exigens uempe concurrere ad actum cum principio vitali, & pertinens ad eundem ordinem, sed intellectus, neque entitativè, nec connexivè, aut exigitivè est supernaturalis, sed solum dicit, ut vidimus; coaptationem essentialem, seu habitudinem potentiæ ad actum supernaturalem, & ad omnia prædicata ejus, utpotè spectantia ad eundem ordinem, tanq. ad aliquod quidem contentum intra sui lineam specificativam, sed semper excedens proportionem, seu efficaciam ejus, aut vires proximas, ut explicatum est, ergo ex eo quòd principium non vitale, seu species concurrat ad actum vitalem non rectè infertur, quòd simpliciter concurrere possit principium naturale ad actum supernaturalem adæquatè talem concursu etiam partiali, cùm sit eadem ratio, ut dictum est; de concursu isto, si semel actus superat, quoad omnia sui prædicata, siva quoad omnia pertinentia ad ordinem supernaturalem, ut revera pertinet visio, ut probatum est.

Urg. hæc ultima replica. Principium non vitale nec formaliter, nec connexivè tale, nequit cōcurrere ad actum supernaturalem adhuc partialiter, ergo si intellectus, utpotè formaliter quid naturale, connecti non potest cum entitate supernaturali, (ens enim supernaturale perit elevari super exigentiam, & connexionem omnis entis naturalis, ut jam supra in procemialibus ostansum est, & iteram constabit infra) nec etiam partialiter ratione sui poterit ad visionem concurrere, hæc ultima conseq. tenet, & antec. suppono ex Adversariis, præcipuè si velimus intellectionem esse actum adæquatè vitalem, nam juxta alium superiorem modum dicendi patet ex dictis hanc paritatem non habere vires, sed magis retorqueri: 1. autem prob. ad hominem, nam ex eo existimant efficaciter inferri principium non supernaturale formaliter, posse immediatè influere ad actum supernaturalem, quia principium non vitale potest immediatè influere ad actum vitalem, ergo tenentur similiter inferre, quòd si principium non vitale formaliter, nec cōnexivè tale influere nequit ad actū vitalem, nec etiam principium non supernaturale, nec formaliter, nec connexivè tale influere possit immediatè ad actum supernaturalem.

§. SEPTIMUS.

Alia ratione à posteriori prob. conclusio.

Prob. tandem concl. ab inconvenianti, quod neq; adversarii admittunt. Si intellectus creatus partialiter ratione sui, sive sua naturali virtute produceret immediatè visionem beatam, sequeretur intellectum perfectiorem cum æquali lumine producere perfectiorem, & intensiorem visionem, conseq. est falsum etiam apud Auctores, quos impugnamus, Suarez, Vasq., & alios ex eadem Societate, & constabit etiam infra examinando eandem difficultatem, ergo nequit etiam partialiter ratione sui influere immediatè ad illam; prob. sequela, quò principium immediatè effectivum alicujus operationis est perfectius, eò perfectior, & intensior est operatio, si agens utatur illo secundum ultimum potentiæ, sed beatus semel utens virtute naturali intellectus ad visionem, utitur illa secundùm ultimum poten-

tentiæ, ergo quò perfectior erit virtus naturalis intellectus, eò perfectior cæteris paribus erit visio; ma. est certa, quia cum effectus totum, quod habet ex influxu causæ productivæ habeat, eò erit perfectior, quò perfectior, & efficacior, vel intensior erit influxus illius; mi. verò prob., quia influxus intellectus beati in visionem non subest ejus libertati, sed fit modo naturali, sicut & influxus luminis gloriæ, ergo sicut influxus luminis est secundum ultimum potentiæ, itaut tanta sit intensio visionis beatæ in ratione visionis, quanta est intensio luminis, pariter influxus virtutis naturalis intellectus erit secundum ultimum potentiæ, itaut tanta sit intensio, & perfectio visionis in ratione intellectionis, quanta est intensio virtutis naturalis intellectivæ, à qua dicitur immediatè procedere. Et quidem si virtus naturalis intellectus aliquid confert immediatè per se ipsam, vel ratione sui ad visionem, perfectior virtus non potest non ampliùs conferre, sive quid perfectius &c.

Huic arg. varias assignant solutiones. Primò resp. Vasquez non posse visionem crescere, seu esse perfectionem, quatenus ab intellectu est, scil. in ratione intellectionis, nisi etiam crescat, seu perfectior sit quatenus procedit à lumine, nempe in ratione visionis, aut talis intellectionis, quia nequit perfici secundùm rationem genericam, nisi etiam perficiatur secundùm specificam, & quia stante æqualitate luminis nequit ex hac parte crescere, nec etiam poterit crescere, ex qua parte pendet à virtute naturali intellectus, scil. in ratione intellectionis, & ideo nunquam dabitur perfectionem visionis posse excedere perfectionem luminis &c.

Sed hæc solutio ex propriis principiis sui Authoris facilè impugnatur. Nam lumen, ut ipse docet, præcisè concurrit, ut species intelligibilis, supponitque activitatem requisitam ex parte intellectus ad visionem, sicut & aliæ species intelligibiles supponunt activitatem requisitam ex parte ejusdem intellectus ad intellectionem objecti, quod repræsentant, sed perfectior intellectus cum æquali specie intelligibili producit perfectiorem cognitionem objecti repræsentati, ergo perfectior intellectus cum æquali lumine producet perfectiorem visionem. §. Resp. mi. esse veram de speciebus ordinis naturalis, sed falsam de lumine gloriæ, quia cum sit species supernaturalis elevat intellectum, & potentem reddit ad videndum, unde perfectio visionis non est præcisè attendenda ex perfectione intellectus, itaut crescere possit ex hac parte, nisi simul crescat ex parte luminis. §. Sed hæc solutio dicit repugnantia cum superiori doctrina ejus; nam si semel lumen elevat intellectum, & potentem reddit ad videndum, quia supplet insufficientiam ejus conferendo aliquam activitatem requisitam ex parte potentiæ, quæ ei desit, sequitur evidenter non concurrere ut speciem præcisè ad visionem, ut ipse contendit, quia species non dat hanc activitatem, sed objectivè tantum determinat, ut explicatum est, eamque supponit. §. Si verò ad sustinendam priorem sui doctrinam, dicatur nullam activitatem conferre ex parte potentiæ, arg. non solvit, quia si naturalis virtus intellectus sufficiens est ad producendam supernaturalem intellectionem media supernaturali specie, sicut & media specie naturali ad producendam naturalem, jam perfectior virtus intellectus erit etiam sufficiens ad producendam perfectiorem intellectionem supernaturalem media eadem specie, sicut & media specie naturali producit perfectiorem naturalem &c.

II. impug. Si lumen gloriæ est species, per quam fit visio beata, non solùm hæc procedet à lumine secundum rationem specificam, aut in ratione visionis, sed etiam secundùm genericam, vel in ratione intellectionis; nec etiam procedet solum ab intellectu media virtute nativa in ratione generica intellectionis, sed etiã in ratione specifi a visionis, ergo prædicta distinctio est de subjecto non supponente, & omninò insufficiens, prob. ant. 1. quoad primam partem; quia visio in ratione intellectionis est actus potenti e apprehensivæ, qui ex natura rei, ut vidimus, exigit concursum objecti, a et per se ipsum, aut media specie impressa concurrente cũ potentia, ergo visio in ratione intelle lion's pendet, aut procedit à specie, & con equenter à lumine. Deinde prob. 2. pars, quia visio beata etiam in ra ione visionis est actus vitalis, ergo petit proc dere à virtute nativa intellectus; ant. est certum, quia beatus reduplicativè, ut videns Deum, non solùm vivit, sed perfectiùs vivit, scil. suprema vita, vel æterna; conf verò prob., quia ex eo prætendit Vasquez visionem in ratione intellectionis procedere à nativa virtute intellectus, quia prout sic est actus vitalis, ergo si pariter vitalis est in ratione visionis tenetur etiam secundum hanc rationem ab eadem virtute nativa procedere. Quòd si admittat posse habere vitalitatem in r tione visionis ab extrinseco advenientem ipsi intellectui, sine fundamento negat posse habere à lumine gloriæ, ut à proxima, & integra ratione agendi, supernaturalem vitalitatem in ratione intellectionis, ut nos asserimus.

Aliter ergo resp. alii disting. in visione beata, scil substantiam, & modum. Substantiam dicunt esse naturalis ordinis, & conseq. posse produci ab intellectu virtute naturali, unde mensura perfectionis visionis hoc modo consideratæ sumenda est ex virtute naturali intellectus; modus verò, quia supernaturalis est, & à solo lumine producibilis, ideo perfectio visionis, quantum ad modum pensanda est ex sola quantitate luminis; cæterum quia beatitudo non tam consistit in visione quantum ad substantiam, quàm quantum ad hunc modum, ideò cum æquali lumine semper erit æqualis beatitudo &c.

Sed hæc solutio censetur longè insufficientior præcedente & nullo modo admittenda, quia visio beata quoad essentiam, vel substantiam produci nequit ab intellectu viribus naturæ, itaut ad eam prout sic est simpliciter necessarium lumen gloriæ, ergo est supernaturalis, conf. tenet, quia si supernaturalis non esset nulla posset assignari sufficiens ratio, ob quam esset simpliciter necessarium lumen gloriæ ad illam producendam; ant. verò prob. si posset produci naturæ viribus ab intellectu, per illam ut sic videret Deũ videre, ergo sola virtute naturali posset Deum, quod est contra Concil. Viennense, ut patet ex dictis; ant. esset, quia ille actus ut sic esset cognitio Dei, ergo vel est & ejusdem speciei cum visione Dei, quæ de facto est in beatis; & tunc omninò constitueret intellectum videntem Deum, sicut modo constituit illum visio, quæ de facto est. Vel esset alterius speciei; & si hoc dicatur, jam non erit actus visionis secundùm substantiam, vel essentiam, quia ejus substantia, vel essentia consistit in generica, & specifica ratione essentiali, sicut in universum quælibet alia essentia &c.

II. impug. Quia ut in visione clara Dei distinguerentur illa duo, esset necessarium constituere in illa aliquam co-

cognitionem in determinata, aut certa specie athoma; ejus generica ratio, & differentia specifica, & individualis essent naturalis ordinis, & cui modus ille supernaturalis procedes à lumine superveniret veluti quoddam accidens; conseq. admitti neqnit, ergo nec prædicta dist.; ma. patet, quia repugnat modum illum supernaturalem esse differentiam essentialem, aut substantialem; nec minus repugnat ex generica ratione naturali, & specifica, uel individuali supernaturali constitui unam essentiam, ut per se patet. Mi. verò prob., quia ut optimè docet Cajet. 22. q 171. ar. 2. propè finem, cognitio Dei contrahitur ad cognitionem visivam per differentiam essentialem, & esse cognitionem visivam Dei haber à lumine gloriæ, ergo.

Urg. hoc: cognitio illa in determinata, aut certa specie cõstituta deberet esse alicujus objecti, nec posset esse alterius, quam Dei, ut supponimus, ergo vel esset quidditativa, vel intuitiva Dei; vel obscura, & qnoad an est. Non primũ, quia quidditativa, vel intuitiva, est supra facultatem naturalem intellectus, & petit procedere à lumine gloriæ. Nec etiam 2., quia semel obscura, magis esset cognitio fidei, ac proinde secundùm substantiam distincta à visione Dei, quia actus fidei, & visionis, essentialiter, & substantialiter diversi sunt, utpotè procedentes ex diverso lumine, & circa diversa objecta, cum alter nitatur evidentiæ rei in se, alter verò auctoritati dicentis, habeantq; diversa objecta formalia.

III. alii resp. neg. sequelam, quia dicunt non esse necessarium, quòd potentia perfectior in omnibus suis actibus explicet suę perfectionis excessum, sed sufficit, si aliquos actus perfectiores eliciat, unde estò unus intellectus in patria sit perfectior alio, non tamen tenetur stante æquali lumine perfectiorem visionem producere. §. Sed hæc solutio pręoccupatur arg. facto quia influxus beati in visionem, ut probatum est; est secundùm ultimum potentiæ, ergo totam ei communicat perfectionem, quam potest, & non quam vult pro libertate communicare, quia ut dicebamus, quo principium effectivum immediatè alicujus operationis est perfectius, eò perfectior est operatio, si agens utatur illo secundùm ultimum potentiæ, unde si semel agens, ut in casu, sic utitur illo, tenetur omnem ejus perfectionem communicare, & consequenter evadet visio perfectior, intellectu perfectiori semel influente ex propriis, vel ratione sui, estò lumen æquale sit &c.

Quòd si dicas non posse tunc intellectum influere totum, quod potest, vel secundùm omnem sui conatum, quia semel concurrens simul cum lumine, tenetur proportionate influxum sui cum influxu luminis compartialiter concurrentis, ac proinde si lumen est æquale, non poterit esse excessus in visione ex parte intellectus perfectioris. §. In cont. est; quia influxus potentiæ in visionem, ut dictum est; fit modo connaturali, sicut & influxus luminis, ergo sicut hac ratione nequit impediri lumen ab influxu potentiæ, quin communicet visioni in ratione visionis totam perfectionem, quam potest, nec impedietur potentia ab influxu luminis, quin eidem communicet in ratione intellectionis totam, quam potest. §. Expl. & urg. hoc: quamvis intellectus compartialiter concurrat cum lumine, semper tamen lumen, quò perfectiùs est perfectiorem producit visionem in ratione visionis, ergo quamvis lumen compartialiter concurrat cum intellectu, semper tamen intellectus, quò perfectior erit, perfectiorem producet visionem in ratione intellectionis; & ratio utriusq; est supra, & proximè addncta, quia quò principium immediatè effectivum operationis est perfectius, eò perfectior est operatio si agens utatur illo secundùm ultimum potentiæ, sicut utitur beatus, cũ influxus utriusque fiat modo cõnaturali, ergo sicut hac ratione nequit limitari influxus luminis ab influxu potentiæ, nec poterit iste limitari ab illo luminis. Nec poterit assignari sufficiens discrimen, ut patet ex superioribus; præcipuè stando in eorum principiis, in quibus lumen compartialiter tantum concurrit in ratione puri consortii, itaut sola potentia concurrere non possit non concurrente lumine, & non quia concurrat per illud accipiendo vires, aut præcontinentiam ab illo, sed tantum concurrat cum illo, unde contendunt sine illo, & sine omni qualitate intrinseca possibilem esse visionem ab intellectu, Deo tantum extrinsecè auxiliante.

Ex quibus etiam præoccupatur discrimen de subordinatione intellectus ad lumen, non luminis ad intellectum. Quia, ut etiam supra dicebamus, supposito eodem puro consortio juxta eorum doctrinam non magis habet intellectus subordinari lumini, quàm lumen intellectui, nam tota subordinatio in hoc consistic, ut dictum est, quòd neqeat intellectus concurrere ad actum supernaturalem, vel vitalitatem, ejus lumine non concurrente; sed neq; lumen concurrere potest ad illam non concurrente immediatè, & partialiter intellectu, cum actus vitalis, vel intellectio essentialiter pendeat à sui potentia proximè, & immediatè elicitiva, ergo. § Si autem dicas subordinationem non consistere præcisè in hoc, sed in eo, quòd potentia elevetur per lumen ad influxum altioris ordinis, cùm tamen lumen non sic elevetur à potentia. § In contra est, quia nisi velint hanc subordinationem, vel elevationem reducere ad modum Thomistarum, luditur verbis, & nihil in re superadditur replicis factis. Nam juxta eorum principia non ita elevatur intellectus à lumine, ut accipiat vires ab illo ad influendum in vitalitatem visionis, aliàs incidunt in nostram sententiam, quòd lumen est tota proxima ratio videndi, ergo non aliter subordinatur intellectus lumini, quam lumen intellectui. § Explicatur hoc. Si intellectus elevaretur per lumen ad verificandum, quòd magis potentia subordinatur lumini, quàm lumen potentiæ, verè potentia influeret in vitalitatem visionis, ut elevata reduplicativè, aliàs verbis tantum salvatur elevatio, & subordinatio non in re, ergo influeret media elevatione, ergo non immediatè ratione sui, nam influere immediatè, ut patet ex terminis, est influere excluso medio ad dandum influxum, nisi iterum velimus ludere verbis &c.

Tandem alii resp. recurrendo ut supra, cum Suarez ad prædictam potentiam obedientialem, quòd quia hæc non est potentia proxima, sed remota, & communis, ut dictum est; cuilibet intellectui, & æqualis in illis, non rectè infertur inæqualitas visionis ex præcisa inæqualitate intellectuum, quia non concurrunt isti præstando immediatè influxum ratione potentiæ, vel perfectionis, in qua differunt, sed ut instrumentum Dei per eandem potentiam obedientialem activam, secundùm quã sunt omnes æquè elevabiles à Deo, unde major perfectio naturæ materialiter tantum se habet nihil conferens ad actionem. § Sed hæc solutio sufficienter impugnata est, nam præterquamquòd repugnat, ut vidimus; potentiam vitalem concurrere, ut instrumentum ad suum actum, cùm teneatur per illum se movere, si velimus per illum vivere quod tamen est cont. rationem in-

instrumenti, ut ostensum est; sequeretur ex illa non solùm posse inte lectum partialiter influere sine lumine ut adæquata rat one proxima agendi, sed absolutè nō indigere illo ut sibi superaddito, quia ipse docet, ut dictum est, superfluam esse qualitatem, aut virtutem supernaturalem, ut creatura modo connaturali operandi instrumento elevetur ad supernaturalem actionem, & effectum, sed sufficere potentiam obedientialem activam cum concursu Dei elevantis immediatè in effectum. Deinde juxta solutionem, potentia obedientialis non est vis proxima, sed remota, ergo immediatè non est activa, sed passiva, & receptiva; activa verò media forma supernaturali, quam recipit, ergo nequit verificari, quòd intellectus immediatè concurrat ratione potentiæ obedientialis; hæc posterior conf. tenet, quia concurrere mediante alio non est concurrere immediatè ratione sui, ut per se patet; 1. verò prob., quia repugnat aliquid influere in effectum non supposita in agente præcontinentia ejus, aut non collata forma, per quam illum præcontineat; sed intellectus ratione potentiæ obedientialis, utpotè proprietatis creaturæ, vel illi connaturalis, continere nequit effectus supernaturale., ergò ut verificetur Deum concurrere mediante illo ad actionem, vel effectum supernaturalem necessarium est, ut priùs conferat formam supernaturalem dantem illi præcontinentiam, & consequenter eadem potentia erit solum activa mediatè, immediatè verò passiva, & receptiva ejusdem formæ &c.

§. VIII.

Solvitur argumentum ex authoritate.

PRimò arguunt contrarii magno apparatu auctoritatum Scripturæ, SS.PP., & Conciliorum, præcipuè Tridentini. Sed vix est unum verbum in illis, quòd verè, vel minimùm faveat oppositæ sententiæ, imò si rectè ponderentur potius sunt opponendæ cōt. illam, nec aliud ex illis concludere possunt, nisi quòd liberum arbitrium gratia præventum simul cum illa concurrat ad actus supernaturales, & non se habeat, ut quoddam inanimè nihil agens, aut quòd eadem adiutum liberè, & non purè spontaneè spontaneitate non excludente necessitatem influat ad illos in ordine ad vitam æternam, quod est nostra, & communis sententia Theologorum cont. Pelagium, Lutherum, & Calvinum; nam convenientes hi Heræsiarchæ in hoc principio, scil. quòd gratia efficax nostrorum actuum libertatem destruat, in extremos errores inciderunt: etenim primus hioc gratiæ necessitatem negans, libero arbitrio absq; illius indigentia omnes vires ad actus salutares concessit, contra quem procedit Tridentinum sess. 6. c. 5., & cans. 1. & 3. Lutherus verò, & Calvinus gratiæ necessitatem admittentes ad eosdem actus nostram libertatem negarunt, asserente illo, hominem merè passivè, & ut inanimè quoddam se habere: Calvino verò hoc ipsum quidem negante, sed adhuc tamen contendente non liberè, sed necessariò, licet spontaneè à gratia moveri, sicut movetur equus necessariò à Sessore, contra quod pugnat Trident. eodē cap. & can. 4., Unde cont. Pelagium ne ellitatem Divinæ gratiæ ad opera salutaria diffinit. Contra Lutherum, quòd non se habet liberum arbitrium merè passivè, nec ut instrumentum inanime. Contra Calvinum denique quòd liberè, & non solùm spontaneè cum Divina gratia operatur, Sed quid quæso ex his in favorem oppositæ sententiæ cont. nos? Fatemur namq; iterum, at q; iterum ut veri Catholici Catholicam veritatem cont. istos errores. Sed quòd ex his, & similibus levissimo, vel fundamento inferri possit ad illos actus, vel supernaturales partialis influxus in potentia ratione sui, & immediatus ad eorum intentum rotundè pernegamus, & meritò, ut latè patet ex dictis. Imò nec rectè advertit Illustriss. Godoij hic §. 5. n. 118. peccat expressè argumentum contra regulam illam à superiori ad inferius affirmativè sine distributione superioris, ac si diceretur. *Est animal ergo rationale*. Nam ex eo, quòd in scriptura, & alibi asseratur, non solum gratiam concurrere, aut nostrum parere consensum, sed simul cum illa influere liberum arbitrium, inferunt influere istud immediatè, & per partialem virtutem, & ratione sui in actus supernaturales, cum tamen isti determinati modi concurrendi, sint quid inferius ad concurrere, vel influere, ut sic, tanquam ad aliquid superius, & abstrahēs ab influere immediatè, & ab influere mediatè, & ab influere immediatè immediatione virtutis, & ab influere immediatè immediatione potentiæ, & ab influere ratione sui, aut per propriā virtutē, & ab influere per virtutem supernaturalem sibi appropriatam. Undè contrà eandem fit immediatus descensus affirmativus ad alterum determinatum membrum ex eodem superiori sine ejus distributione, aut exclusione alterius membri. Neque enim negamus, quòd liberum arbitrium, aut potentia influat, & non tantum gratia. Scimus namque illud Apost. 1. Corint. 15. *Non ego autem sed gratia Dei mecum*. Nec iterum negamus, quòd etiam influat immediatè, scil. per modum potentiæ, cum reverà inter voluntatem, vel inter intellectum, & actum supernaturalem nihil mediet per modum potentiæ, sed negamus constanter, quòd influat partialiter, & quòd ratione sui, aut per propriam virtutē, & quòd consequenter immediatè immediatione virtutis, quia nullam proximam habet ut ostensum est, sed solam coaptationem essentialem modo explicato; undè frustra laborant in multiplicando auctoritates, & quòd magis mirum est, contendendo ex eodem Conc. irrefragabiliter convincere suam sententiam.

Quòd si opponas passim haberi in Conciliis, quod liberum arbitrium non tantum influat simul, sed quòd etiam cooperetur gratiæ Dei, & quòd hęc adjuvet nos, ut faciamus, in quibus videtur insinuari, quòd nostrum arbitrium non præcisè operetur per gratiam, sed illi per se ipsam operanti, nos addamus ex nostris viribus operationem, & consequenter, quòd arbitrium nostrum non uno indivisibili concursu concurrat cum gratia, sed partiali, & proprio, gratia simul apponente suum partialem, ac proinde quòd actus salutaris ex duabus causis partialibus fiat, &c.

Urg., & expl. hoc obiter primò specialiter ex Trident. Nam tria ex ejus ibidem definitionibus inferuntur. Primum, quòd homo cooperetur gratiæ adjuvanti, & excitāti Dei: secundum quòd homo ipse aliquid agat in supernaturali consensu: tertiū quòd liberū ejus arbitrium non se habeat merè passivè; At hæc salvari non possunt excluso omni influxu, vel activitate immediata partiali ex parte potentiæ, ergo; prob. mi. quoad primum quidem, quià cooperari est agere. Quoad secundū, quià ly homo denotat ipsum hominem, ut distinctum à gratia, tum quia si solùm ageret per gratiam, ut virtutem adæquatam, & non ratione suæ entitatis, non verificaretur, quòd aliquid causaret de illo actu, vel consensu

sola non sufficit, nisi adiuvemur misericordia Dei, quòd sensu, sed quòd causaret totum, cum tamen Concilium tribuat illi, quòd aliquid agat. Tertium deniq; quia si liberum arbitrium nihil immediatè agit, sed tātum mediatè, ergo immediatè tantum comparatur, ut recipiens, vel passiuè, ergo &c.

Urg. ulteriùs: quià Concilium definit ibi sententiam, quam Calvinus affirmabat propugnatam à Catholicis, sed hæc non erat, quæ excludit arbitrium à partiali proxima virtute, vel influxu, sed quæ hunc dividit inter arbitrium, & gratiam, ut videre est apud ipsum lib. 2. institutionum c. 3. & lib. 3. c. 24., ut ex Maldonato, & Stapletonio refert Illustriss. Godoii hic n. 132. & 133.

III. Urg. hoc quià Concilium ibi definit sententiam, quæ adversatur mēti Calvini, sed hæc non est, quæ totam proximam virtutem tribuit gratiæ, sed quæ tantum partem, ut iterum videre est apud Meratium lib. de libero arbitrio §. 2., & lib. 1. cap. 9. relatum ab eodē Illustriss. n. 135.

IV. Denique quià non negabat Calvinus liberum arbitrium saltem mediatè influere in supernaturalem assensum, sed tantum immediatum, & partialem influxum, quià fatebatur hominem in se recipere, & sustentare gratiam immediatè causantem supernaturalem consensum, quod est saltem mediatè concurrere, scil. mediāte gratia, nam hac ratione aqua calore immediate calefacientem sustentās, mediatè saltem, calore mediāte calefacit ergo, si semel Concil. procedit contrà Calvinum tenemur asserere, quòd non tantum velit in libero arbitrio concursum mediatum, sed eam immediatum ratione sui, aliàs solum verificaretur agere mediante gratia, quod ille non negat, &c.

Ad hujusmodi instantias patet ex dictis, nihil omninò posse legitimè inferri contrà nostram sententiam, nam mens Concilii, ut vidimus, ad hoc maximè est, ut damnet errores relatos; Constat autem, vel leviter consideranti, quòd isti non contendunt, nec curant de hac nostra difficultate circa quantitatem concursus, an scil. sit partialis, vel totalis & an mediatus, aut immediatus circa hanc totalitatem, vel partialitatem. Hæc enim prout tractatur à Theologis non est materia alicujus erroris damnati ab Ecclesia, ut supponimus; sed toti sunt, vel ad evertendam necessitatem gratiæ, ut error Pelagii, vel libertatem, & activitatem arbitrii, ut ille Lutheri, & Calvini, ut manifestè patet ex verbis Concilii; nam contrà primum Canone 2. sic ait. *Si quis dixerit ad hoc solum Divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut faciliùs homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sinè gratia utrumque, sed ęgrè tamen & difficulter possit. Anathema sit.* Eccè pręcisa damnatio contrà necessitatem. Contrà alios verò Canon. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere, Anathema sit.* Ecce contrà nullitatem libertatis, & activitatis, & etiam contrà aliquitatem seu partialitatem activitatis prout conjunctæ necessitati, seu sola, aut pura spontaneitate gaudentis, ut dicebat Calvinus de equo supposito sessori. Unde apud eosdem hereticos non erat præcisè difficultas de concursu quomodocumque, aut de quantitate ejus, sed magis de qualitate, an inanimis, & merè passivus, & an liber, vel non liber: & quamvis Calvinus, ut dictum est, aliquid de activitate contrà Lutherum admittat, nō tamen liberum. Hic enim erat præcipuus eorundem errorum scopus sumpto fundamento ex efficacia gratię correlativè ad libertatem, & non præcisè ad quantitate concursus. Undè prædictæ replicæ, aut interpretationes, vel ponderationes, & præcipuè confirmationis secundæ, cui potissimè, & glorianter confidunt, non solum non habent irrefragabilem vim, ut recentiores contendunt, sed magis confundunt, nec legitimè explicant prædictos errores secundum quòd damnantur à Concilio. Quòd verò attinet ad efficaciam gratiæ correlativè ad libertatem arbitrii, vel necessitatem ejusdem gratiæ, non est præsentis instituti, sed alibi latè agitur in materia de gratia, vel de auxiliis, ubi egregiè, prout de more, & manifestissimè ostendit M. Catalam dub. 10. concl. 2., in quo consistant prædicti errores referendo apertam mentem Concilii in superiori. Can. 4. contrà Lutherum, & Calvinum &c.

Sed placet ad singula resp. Ad instantiam quidem juxta doctrinam D. Tho. q. 3. de potentia art. 7, ad 3. ubi docet, quòd Deus ità incipit respectu causæ secundæ, quod dum 1. operatur movendo naturam, non operatur tunc natura, sed magis passivè se habet ut alibi explicatum est respectu talis concursus, ut recipiens, & mota non dum operans, & movens, licet cōsentiens ex quo inferimus, quòd prædictæ locutiones sic intelligendæ sunt, quod Deus gratia sua 1. vocat nos efficaciter movendo, ne per distinctā deinde gratiam à vocante nos operemur, nam respectu illius sic 1. vocantis passivè se habet homo ad receptionem gratiæ, si quidem sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ, primò incipimus, ut potentia per participationem; à statu potentialitatis,) & deinde per gratiam distinctam facimus id, ad quod movet Deus, ut faciamus, unde respectu diversæ gratiæ diversos assignamus concursus, alterum, quo Deus sine nobis movet, ut faciamus, alterum verò ipsius gratiæ, quo facimus. Primus est à solo Deo, secundus est à libero arbitrio per vires gratiæ operante, & respondente Deo per velle salutare. Doctrina est etiam D. August. tom. 4. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circà medium exponens illud Apost. Philipp. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle &c.* inquit *Satis ostendit ipsam bonam voluntatem* (seu volitionem, quod idem est) *in nobis operante Deo fieri.* Quod verò per gratiam prævenientem, & receptam fiat in nobis, probat ex illo ad Rom. 9. *Non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei*; Nam inquit. *Si propterea solum dictum est non volentis &c. quia voluntas hominis non sufficit sola, ut justè, rectèque vivamus, nisi adiuvemur misericordia, potest & hoc modo dici; non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quià misericordia sola non sufficit, nisi consensus voluntatis addatur.* Et concludit. *Ideò illud rectè dici, non autem hoc secundum, quia nos non volumus, nisi Deus præveniente gratia operatur in nobis, & velle.* Ecce superior doctrina de Deo sic incipiente per gratiam, & de homine ad illius primum concursum, & gratiam prævenientem passivè, & receptivè se habente, ut statim ex eodem amplius, constabit; rejecta simul opposita sententia, quòd non influat voluntas, vel potentia per vires adæquatas gratię proximè, & immediatè, sed magis dividat influxum proximum dans illi partiales proximas vires ratione sui itaut non indigeat operari per gratiam, aut per lumen sed tantum cum lumine, aut cum gratia, quatenus se rei-

reiicit Augustin., quià aliàs posset similiter dici, quòd nō misereotis aſt Dei, ſed volentis eſt hominis, cum pariter miſericordia ſola non ſufficiat, niſi etiam addatur conſenſus, aut influxus voluntatis, vel intellectus, &c.

Sed iterum aodiatur lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. Ubi ait: *Cooperando* (ſcil. Deus) *perficit, quod operaudo incipit, quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus nobiſcum cooperatur, tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quid clariùs tum ad excludendum partiales vires ratione ſui ex parte potentię, & ad ponendas adęquatas ex parte gratię, vel doni ſopernaturalis, ſi ſemel illo excluſo, ſeu Deo noo operante, & cooperante nihil valemus, nihileitate ſcil. proxima (nam remotè, & permodum cooptatioois eſſentialis, jam vidimus, eſſe in intellectu, & voluntate hanc habitudinem per modum potentiæ, vel principii activi ad hujuſmodi actus ſupernaturales tanquam ad aliquid intra proprium ſpecificativum contentos;) tum ad adſtruendum priorem illum cōcurſum Dei, ad quem creatura paſſivè ſe habeat ut dictū, eſt, ſi ſemel operatur ſine nobis, ut velimus. Unde expēdens huoc locum Capreolus in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 3. ad 12. ſic ait. *Per quæ verba, ſi benè conſiderentur patet eum diſtinguere duplicem modum operandi circa bonum velle noſtrum. Unus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperetur, utpotè facere nos velle, ideo ait. Ut ergo velimus ſine nobis operatur; ſine nobis, inquam, operantibus, ut nempe velimus; quia licet voluntas velit, & cauſet volitionem, non tamen facit ſe velle; Nec tamen quia Deus facit, ideo ipſa non cauſat, ſed potius ideo cauſat, ut ipſa faciat, & propterea Aug. lib. de corrept. & gratia c. 7. de filiis Dei, de quibus ait Apoſt. quod Spiritu Dei aguntur; inquit; Aguntur enim ut agant; non ut ipſi nihil agant. Alius eſt modus ſibi, & voluntati communis, nempe cauſare volitionem; ideo ait, cùm volumus, nobiſcum cooperatur.*

Ex his etiam inferimus, quòd dum nos facimus, ono indiviſibili concurſu orto ex nobis, à Deo tamen motis operamur per illius gratiam intrinſecè in nobis receptam; nam ſi ut ait D. Aug., ſi ut nobis nihil valemus Deo non operante, & cooperante, jam non poſſumus dare libero arbitrio particulàrem concurſum ratione ſui ad opus ſalutare, itàut ſimul cum gratia in rigore ſe adjuvent tanq. duæ cauſæ partiales, ſed tota efficacia, vel proximis viribus adæquatis ab illa acceptis per modum cauſæ totalis tenetur ad illud concurrere, ſicut ſimiliter dictum eſt de intellectu, & lumine, quòd ex iſto, & eſſentia iotellectus conſtituitur quaſi una integra potentia intellectiva productiva viſionis. §. Quioimmò, ut ſubtiliter expandit M. Ferra poteſt hæc replica retorqueri; nam ſi ita eſt, quòd ſola gratia adjuvat nos, & ſoli nos cooperamur gratiæ in elicientia eorundē actuū, jam nequeont ambo ſe habere ut duæ cauſæ partiales, nam cauſæ partiales ex hoc dicuntur, quòd mutuò ſe adjuvant ad efficiendum, & mutoò cooperantur ſibi, ut patet inductivè, ergo ſi ſola gratia exercet munus adjuvantis, & ſolum arbitrium munus cooperantis, verificari neqnit, quòd concurrant partialiter, ſed quòd magis gratia dicatur adjuvans, quia dat vires, & liberum arbitrium cooperatur per vires acceptas, quod eſt eodem influxu operari, & non diviſo aut partiali: hæc obiter præcipuè ex Aug., & Capreolo adduximus, quia hunc in ſimili materia de gratia prætendunt eſſe nobis contrarium, & quia multum confert ad explanandam præſentem ex D. Auguſt., difficultatem, & ut appareat, quam alienum ſit PP. ſavere opportunæ ſeotentiæ, quin potiùs eam rejicere, cùm maximè in his Doctor hic Sanctus inter alios SS. PP. totus fuerit pro veritate maoifeſtanda &c.

Ad 1. coofirm. libentiſſimè, & pleno ore fatemur illa tria ex Tridentino, ſed omoinò negamus mi. quin potiùs totum oppoſitum erat ioferendum; nam ſi ita eſt juxta Aug., & veritatem, quòd homo ex ſe nihil valeat ad opera ſalutaria, cùm reverà natura ad ſupernaturalia licet coaptationem eſſentialem habeat, ut dictum eſt, in ſuis potentiis, ſcil. intellectu, & voluntate, nullius tamen efficaciæ ſit, aliàs ſup. rnatoralia non eſſeot reſpectu illarum, quomodo homo diſtinctus à gratia particularem influxum immediatum poterit ex propriis habere? Quod verò ex eo, quòd gratia tribuat proximas vires adæquatas oon rectè inferatur, quòd proximè paſſivè ſe habeat; jam ſepè dictum eſt, quòd ſuppoſita in potentia, eadem coaptatione, tunc illa comparatur ad gratiam, vel ad alia proxima dona ſupernaturalia, ut elevabilis in ratione principii activi ad influendum intra propriam lineam ſpecificativam, unde licet paſſivè priùs ſe habeat ad recipiendum; ſuperoaturale dooum; hoc tamen habito, aut per illud receptum perficitur ad agendum potius, quam purè patiendum, aut ſuſtentandom, ut contingit in aqua reſpectu caloris, aliàs comparatio poteotiæ ad illud, non eſſet comparatio potētię, ſeu principii activi perfectibilis intra proprium ſpecificativū, ſed potiùs deſtructio illius contra meritū gratiæ, & eorundem donorum, quæ ſunt ad perficiendam naturam juxta ejus conditionem, & non ad deſtruendum. Ex quo patet hanc, & ſimiles illationes ex Concilio, & aliis authoritatibus eſſe omninò illegitimas, cùm potiùs totum oppoſitum ſit inferendum ex illis, ſcil. quòd proximè activè, ſad eodem indiviſibili influxu concurrat. Hæc eoim eſt genuina, & legitima illatio, ut rectè conſideranti facillimè patebit.

Ex his etiam facilè reſp. ad 2., cui confidunt ſed in primis valdè mirum videtur, quòd veritas Catholica, aut definitioois Concilii indagaoda ſit à relatione filiorum patris mendacii; ut ſunt omnes hæretici, quaſi oon poſſint decipi in his, ſicut decipiuntur in aliis. Sed deinde permiſſo etiam, quòd Calvinus legitimè referat ſententiam Catholicorum, nego tamen, quòd velit hanc eſſe, quæ dividit influxum proximum, & immediatum, ſeu naturæ partem attribuit, ut patet ex ejus errore, qui non eſt præciſè ad impugnandam partialitatem concurſus, ſed magis modum ejus, ſeu libertatem, aut adæquatam illius activitatem, ut dictū eſt; unde prætermiſſa ma. nego mi. Ad prob. iterum dico in primis parum curādum eſſe de mente Calvini tot erroribus corrupta, in referenda, vel explicanda ſibi oppoſita ſententia; ſed deinde dico, quòd licet in locis relatis attribuat Catholicis ſententiam, quæ docet aliquid facultatis libero arbitrio ſuppetere, quæ Divioa gratia adjuta illi cooperetur, & quæ ex ſe aliquid conſerat in ſupernaturalem actum, nullibi tamen dicit, quòd hoc *aliquid* ſit partialis virtus proxima, & immediata, aut per modum efficaciæ, quam contendunt, & tribuunt potentiæ Adverſarii, an potius coaptatio eſſentialis, vel habitodo potentiæ, quam nos ſuſtinemus; in ratione principii activi ad aliquid contentum intra ſui ſpecificativum, ſeu per modum radicis, aut virtutis radicalis,

lis, ratione cujus potentia est radicale principium, ut explicatum est; activè concurrens ad actum supernaturalem cum dono supernaturali, quod est formalis virtus, & ex natura rei præsupponit prædictam coaptationem, ut vidimus, tanquam radicem, quam perficit, & constituit in actu, & sine qua nec de potentia absoluta possit idem actus produci ab eodem dono. De his enim modis sustinendi, aut salvandi activitatem potentiæ respectu actuum supernaturalium, parum curæ erat apud istum hæresiarcham, sed in deprimenda libertate arbitrii, sumpto fundamento ex efficacia gratiæ, ut dictum est. Unde ex prædicto ly *aliquid*, aut simili vocabulo non magis inferenda est opposita sententia, quàm nostra, nam utraq; modo explicato concedit aliquid, licet opposita concedat aliquid naturæ per modum efficaciæ respectu alicujus excedentis naturam, quod implicat; nostra verò per modum essentialis coaptationis, quod est omninò illi consentaneum, ut sæpè dictum est; & per hæc etiam patet ad 3. conf. , nam sententia sustinens libertatem eidem quæcumque sit, opponitur

Ad 4. similiter resp. neg. suppositum, quòd nostra sententia ita deneget potentiæ adæquatum influxum immediatum, ut velit nullo modo immediatè influere, & solum id convenire gratiæ, aut dono supernaturali, quasi istud non tantum sit tota virtus proxima, sed etiam tota causa, sicut est calor respectu calefactionis, aqua præcisè se habente, ut subjecto sustentante illum, & solum per accidens, aut denominativè efficiente; hoc enim latè patet ex dictis esse falsum, nam licet potentia careat virtute proxima, sive efficacia ratione sui, habet tamen præfatam coaptationem, & habitudinem in ratione potentiæ, & consequenter in ratione principii activi tanquam ad aliquid intra suum specificativum, unde non comparatur sicut aqua, ut aliquid omninò extraneum, vel etiam contrarium, sed ut ad perfectivum, & excedens tantum proportionem, & ideo acceptis viribus proximis potest deinde proximè, & immediatè concurrere immediatione, scil. potentiæ, ut dictum est; unde esto dicatur sententiam ponentem influxum immediatum esse oppositam Calvino, non tamen rectè infertur, quòd sola contrariorum sit opposita illi, imò potiùs nostra, cùm ita opponatur, ut magis declinet ab errore Pelagii in eo, quòd urgentiùs statuit necessitatem gratiæ, aut doni supernaturalis scil. ut virtutis proximæ adæquatæ, ut tenemur omnes recedere, quantum possumus ab hæreticorum erroribus, nec vel in nominibus convenire. Quòd si fortè velint redarguere nos, quòd tenemur similiter recedere ab altero errore Calvini quantum possibille sit; libenter id admittimus, & totis viribus exequimur, cùm è regione distemus ab illo, ut optimè ostendit Mag. Io: à S. Tho. infra q.23. disp.10. ar. 1. §. *Calvinismus huic sententiæ insipienter objectus*. Et iterum videri potest infra q.14. disp.20. ar.5. 6. & 7., ubi hunc nostrum distantissimum recessum ad lucem meridianam reducit. Sed non vacat modo immorari, ut dictum est &c. Et quidem de hoc argumento latissimè agit Illustriss. Godoii hic § 5. &c.



§. IX.

Solvitur secundum Argumentum ex D. Thom. & D. Aug.

SEcundò arguitur opponendo D. Tho. in 1. dist. 17. q.2. ar.3. in corp. ibi: *Quando ergo ita est, quòd homo non habens charitatem ex tota virtute bonitatis naturalis sibi inditæ movetur ad charitatem, tunc unus actus disponit eum ultima dispositione, ut charitas sibi detur*. Et paulò post subdit: *Similiter dico ex parte altera, quid quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad virtutem habitus infusi tunc unus actus disponit, & meretur augmentum charitatis, ut statim fiat.* Ergo duplex virtus est distinguenda juxta D. Tho. in ordine ad actum supernaturalem, vel charitatis.

Sed deinde urgentiùs præoccupando solutionem ex eodem in 2. dist.28. q.1. ar.4. in fine corp. ubi sic concludit: *Et ideo aliis consentiendo dicimus, quòd ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare*. At nequit dici juxta D.Tho., & sanam doctrinam, quòd homo præparat se solo ad illam per exclusionem totius gratiæ, ergo saltem ad salvandum, quòd ex solo libero se præparet, erit necessarium admittere aliquam partialem virtutẽ in libero arbitrio, nam aliàs videretur abusivè loqui, & ferè implicatoriè in terminis, quòd ex illo solo se præparet, si istud nullam etiam partialem habet, sed tota est gratiæ, unde in proprietate magis dicendum esset quòd ex sola aliqua gratia se præparet.

Urg. & expl. hoc ex eodem infra p.2. q.114. ar.3. in corp., ubi distinguens in opere meritorio, & secundùm quod procedit à libero arbitrio, & secundùm quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, inquit, quòd licet priori modo non habeat condignitatem propter maximam inæqualitatem, habet tamen congruitatem propter quandam æqualitatem proportionis. *Videtur enim congruum, ut homini operanti secundùm suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio secundùm quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno*. In quibus manifestè distinguit duplicem influxum, alterum liberi arbitrii, alterum gratiæ, ac proinde, quòd diverso partiali concursu concurrant ad opus meritorium vitæ æternæ: quod etiam docuerat prius in 2.dist.5. q.2.ar.1. ad 1., ubi ait, *quod quamvis liberum arbitrium se possit in substantiam actus, non tamen in formam ejus, per quam est meritorius*. Ubi iterum explicat, quid possit ex propriis, vel ex solis naturalibus, quod est substantia operis; quid verò ex viribus gratiæ, scil. ratio vel modus meritorii, quod est dare duplicem partialem concursum ad supernaturalem actum. Idem repetit infra 2.2. q.171. ar.2. ad 3., ubi pariter distinguit duplicem influxum ad aliquid supra naturam, alterum ad substantiam operis, alterum ad modum, & hunc tantum posteriorem negat homini ex propriis, non primum. Unde ait: *Dicendum, quòd omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid, quod est supra naturam humanam, quod quidem potest esse dupliciter uno modo, quantum ad substantiam actus, sicut facere miracula, & cognoscere occulta, & incerta Divinæ*

vinæ Sapientiæ, & ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale. Alio modo est aliquid supra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum, & cognoscere eum in speculo creaturarum, & ad hoc datur donum gratiæ habituale.

Confirmari etiam potest ex D. August. lib. de Spiritu, & littera c. 33. ubi ait: *Prius igitur illud dicamus, & vi dicamus, utrum huic satisfaciat quæstioni, quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad finem, vel inclinari ad fidelitatem potest.* Ubi in libero arbitrio agnoscit vim mediam, seu partialem.

Ad hæc omnia dico in primis, quòd si semel utrinsq; Sancti Doctoris auctoritatem magni faciunt, ut præseferunt, dum eadem cont. nos validè se munire contendunt, cùm nihil certius sit in doctrina utriusque, quàm quòd potentia, vel liberum arbitrium in ordine ad actus supernaturales, vires proximas adæquatè accipiat à gratia, ut jam satis constat ex dictis, & latissimè alibi ostenditur in materia de gratia, vel de auxiliis, solvendæ, & explicandæ ab omnibus: Unde unico verbo dicimus primò tantum convinci quod intellectus, vel liberum arbitrium habeant suum influxum aliquomodo distinctum ab illo gratiæ, sed non ponendo in numerum, ut seorsim ab illo ex propriis per modum efficaciæ, sed per modum potentiæ, vel principii elevabilis ex sua ratione formali concurrat, ut explicatum est, unde tenentur eodem indivisibili cōcursu influere ad actum cum sola distinctione potētiæ, & virtutis proximæ adæquatæ elevantis, & dantis vires.

Sed præterea resp. ad 1., quòd non est intelligendus, de non habente adæquatè, sive per exclusionem totius charitatis tam habitualis, quam fluidæ, seu auxilii supernaturalis, & consequenter quòd non loquitur de virtute bonitatis naturalis sibi relicta, vel ex propriis, seorsim à gratia, sed elevata per illam. Patet hoc ex verbis ejus, dum dicit, quòd non habens charitatem, dum sic movetur, ultimò disponitur, ut charitas sibi detur, ergo si velimus, quòd loquatur, ut reverà loquitur relativè ad charitatem dandam, cùm hæc sit habitualis, utpote terminus ultimus, & per modum formæ perfectæ advenientis post ultimam dispositionem, in priori parte dum dicit *quod non habens charitatem &c.* intelligendus est de non habente habitualem, non de nullam habente, aut nullum auxilium supernaturale. Quod etiam ulteriùs colligitur ex eo, quia ait, moveri prout sic ad actum intensiorem ratione cujus tanquā ultimæ dispositionis statim cōsequitur augmentum; at nequit sic moveri, aut elicere actum intensiorem, vel superantem habitum præexistentem remissum, nisi virtute auxilii adjuvantis eundem habitum, ergo nequit intelligi de virtute naturali nudè sumpta, sed ut elevata, non una tantum, sed duplici virtute supernaturali, scil. fluida, & habituali remissa. Per quod etiam patet ad id, quod subditur ibidem; nam similiter dicimus non esse intelligendum de virtute naturæ sibi relictæ, sed elevatæ; nam quia modo in via uti possumus habitibus supernaturalibus ad utendum illis magis, vel minus intensè intra latitudinē suæ perfectionis, semel utendo ex vi auxilii applicantis ad actum intensiorem, tunc ponitur ultima dispositio ad augmentum statim dandum, ut latè de efficacia charitatis explicatum est, & de quo adhuc aliquid infra, explicando inæqualitatem visionis, à quo proveniat &c.

Ad 2. ex 2. sent. iterum dicimus primò esse ab omnibus solvendam, nam stando ad rigorem literæ non solùm probaretur liberum arbitrium habere partialem influxum, sed etiam totalem, si semel supernaturalis dispositio ad gratiam est à solo libero arbitrio, ut videtur litera innuere in verbis illis, & de facto aliqui sinistrè interpretati sunt, falsò id imponentes D. Tho. cont. apertum textum, ut patebit integrè illum legenti, dum ait: *Et sic sine gratia gratis data homo se ad gratiam non præparat.*

Pro omnibus ergo resp. mentem D. Tho. non esse, vel ad inferendum partialem immediatum influxum ex propriis, cùm sit omninò alienus à doctrina ejus; nec ad dandum arbitrio adæquatum, utpote dissonum sanæ doctrinæ, sed præcisè ad excludendam indigētiam doni habitualis gratiæ, unde idem est dicere ex solo libero arbitrio, ac dicere ex libero arbitrio sine habituali dono gratiæ, non tamen sine alio speciali fluido, vel motione gratuita Dei, cùm expressè afferat gratiā posse dupliciter accipi, 1. pro eo, quo homo excitatur ad convertendum se, ut gratiam gratum facientem accipiat, quod gratia gratis data dici potest, & sine ista dicit hominem non se præparare; 2. pro aliquo munere, vel dono habituali animæ infuso, & licet quidam dicant sine hoc nullum posse se disponere ad gratiam sanctificantem, ipse tamen cum aliis docet ibi, sine hoc dono ex solo libero arbitrio, à Deo tamen excitato per auxilium speciale posse haberi talem dispositionem. Nā particula exclusiva, ut etiam habetur ex dialecticis, non excludit necessaria, ut saltem est auxilium istud actuale, vel fluidum; qua ratione etiam idem Angelicus infra q. 36. ar. 2. ad 1. docet, quòd etiamsi inveniretur in Sac. Scriptura Spiritum Sanctum à solo Patre procedere non excluderetur inde Filius à ratione Spiratoris, quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti cùm nō opponatur Patri, est omninò necessarium, quòd simul cum illo concurrat.

Pro quo, & aliis hujusmodi in materia de gratia adverto, quòd D. Tho. ibi, & iterum p. 2. q. 109. art. 6. media via procedit inter relatos duos errores, alterum Lutheranorum asserentium, ut vidimus, liberum hominis arbitrium etiam à Deo motum, & excitatum nihil omninò agere, quo se disponat ad gratiam justificationis obtinendam; alterum Pelagianorum, nempe, quòd homo per vires liberi arbitrii naturales abs; ulio gratiæ auxilio potest se præparare, qui etiam damnatur in Conc. Arausicano 2. c. 4. *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritu Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino.* D. Tho. verò volens ab utroque declinare art. illo 6. inquit. Hominem quidem se ad gratiam præparare, non tamen per se ipsum absque exteriori auxilio gratiæ, licet enim ut se præparet ad susceptionem doni habitualis gratiæ *Non oporteat præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; tamen oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.* Ecce in his aperta mens D. Tho., quòd ad hujusmodi opera, vel actus supernaturales, nec influxum dividat in duos partiales ad intentum contrariorum, cùm non sit ad rem, ut sæpè dictum est, cont. præfatos errores; nec quidquam, scil. proximè independenter ab aliquo dono supernaturali libero arbitrio concedat modo in su-

superioribus explicato, sive non acceptis adæquatè viribus proximis ab illo, utpotè influenti ad actum adæquatè supernaturalem, quæ est perpetua mens illius &c.

Ad tertiam ex q. 114. ar. 3. quæ potest esse replica, in eo quòd aliquem influxum videtur concedere libero arbitrio secundum se. Resp. quòd dum D. Tho. in opere meritorio distingnit secundum quòd procedit à libero arbitrio, & à gratia, non intendit dare influxum aliquem gratiæ, qui non sit etiam liberi arbitrii, nam secundum quòd opus procedit à gratia, est omninò excedens facultatem naturæ, ut toties dictum est, undè nequit arbitrium habere influxum proximum ad illud pro ut sic, qui à gratia non sit; sed duo tantum vult distinguere in illo opere, alterum quod substantiam operis, quod cum sæpè quid naturale sit, ut cum facit v.g. eleemosynam pauperi ex fine honesto misericordiæ, scil. sublevandi illum à miseria, à libero arbitrio secundum virtutem naturalem acquisitam efficitur, alterum verò quoad rationem, vel modum meritorii secundùm quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti sivè ex libero arbitrio influente in opus per gratiam, & caritatem ordinando illud in finem ultimum. Et licet priori modo nullam condignitatem habeat, cum naturalia non habeant valorem respectivè ad supernaturalia, aliàs supernaturalia, vel excedentia non essent, sed solum dicuntur habere quandam congruitatem non exigentiæ præmii, sed solius decentiæ, quatenus decet Deum, ut homini operanti secundùm suā virtutem recompenset secundùm excellentiam virtutis suæ; nam etiam orationem peccatoris ex bono desiderio naturę procedentem audit Deus non quasi ex justitia quià hoc peccator non meretur, sed ex pura misericordia, ut docet D. Tho. 22. q. 83. ar. 16. in corp. ex D. Aug. tract. 73. in Io: paulò à principio, & de verb. Dom. serm. 53., undè, & ad secundum inquit ibi D. Tho., quòd quamvis oratio peccatoris non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa, quia meritum innititur justitiæ, impetratio verò misericordiæ, secundo modo tamen habet condignitatem, quià liberum arbitrii prout sic influit per vires proximas gratiæ, & charitatis, quarū valor est ęqualis cum valore vitæ æternæ.

Ex quo, ut patet nihil legitimè inferri potest ad intentum Contrariorum, sed tantum quòd duos influxus habeat liberum arbitrium ad opus meritorium, si semel est quoad substantiam naturale, alterum scil., quoad substantiam ejus, & tunc dicitur eodem indivisibili influxu concurrere ad illud cum virtute acquisita, per modum scil. potentiæ, & virtutis ejus; alterum verò quoad modum meritorii, & tunc iterum eodem influxu concurrit cum gratia, sed accipiendo proximas vires adæquatas ab illa intra hoc forum meritorii, utpotè adæquatè excedens vires naturæ, cum sit ad finem vitæ æternæ adæquatè excedentem illas; nam priori modo secundum quòd influit ad illud intra forum naturæ, non tenetur potentia sic adæquatè proximè accipere vires, cum non sit linea excedens; sed compleri, utpotè habens incompletas, præcipuè in nobis, ut explicatum est in proæmialibus logicæ. Quòd si loquamur de opere meritorio etiam quoad substātiam supernaturali, à fortiori perpetuò dicimus adæquatè proximè accipere vires à gratia, non solum quoad rationem meritorii, sed etiam quoad substantiam, cum hoc tamen discrimine, quòd ratio meritorii, siue de condigno, sive de congruo perfecto, vel fundato in amicitia cum Deo, quale erat illud SS. PP. respectu Incarnationis, sumitur à gratia habituali, ratio verò operis quoad substantiam pendeat, ut dictum est, à libero arbitrio secundum virtutem aliquam infusam, nam cum tunc actus adæquatè superet vires naturæ, indiget potentia ita adæquatè proximè accipere à gratia, ut nullum alium influxum proximum habere possit ex propriis, ut dictum est. Undè non solum id verificatur de opere, vel actu meritorio de condigno, seù in subjecto iam habente statum amicitiæ cum Deo ex gratia, & caritate habituali, sed etiam antevertente, & disponēte ad illam habendum, ut proximè vidimus ex eodem D. Tho., adeout etiam in prioritate ad donum habituale gratiæ habendum, in qua se disponit, vel purè etiam dicitur habere meritū de congruo imperfectum juxtà D. Tho. in 2. dist. 27. q. unica ar. 4. indigeat omninò proximè accipere vires ab aliquo dono gratiæ, saltem ut dispositivè, vel meritoriè de congruo imperfectè influere possit ad illam habendam per modum doni habitualis, ut dictum est; Undè quando communiter dicitur facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, si loquamur de faciente per influxum per se conducentem, aut connexum, sive dispositivè, sive meritoriè etiam imperfectè ad idem donum gratiæ, ut scil. distinguitur à merito de congruo perfecto, sive fundato in amicitia cum Deo, tunc idem axioma intelligendum est de faciente quod in se est ex divino auxilio; *Quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ, inquit* D. Tho. p. 2. q. 112. ar. 3. Quod non solum est verum de dono gratiæ habitualis, sed etiam actualis, cum utraque est supernaturalis, ac proindè excedit omne, quod ex sola facultate naturæ fit, undè ex hac sola facultate facienti non datur infallibiliter, & ex certa lege gratia sive habitualis, sive actualis, quia infallibiliter, & ex certa lege non confertur à Deo, quod excedit præparationem virtutis humanæ, de quo videantur Interpretes ibidem. §. Et per hæc etiam patet ad aliam authoritatem ex 2. dist. 5. &c. Nam utrobique tantum vult, quòd liberum arbitrium ad opus meritorium concurrit distinctis virtutibus, nempè ad illud quoad substantiam, vel secundum virtutem acquisitam, si quoad illam non excedat facultatem naturæ, vel secundum infusam, si quoad illam spectet ad ordinem supernaturalem; ad rationem verò, vel modum meritorii solum concurrit ex influxu gratiæ habitualis, & charitatis, ac proindè, quòd tantum vult distinguere processum à distincto principio ipsius liberi arbitrii, dū dicit secundum quòd procedit à gratia, & secundùm quod à libero arbitrio, &c.

Ad ultimam ex 2.2., quòd non accipit ibi modum in posterioribus actionibus cognoscendi, & diligendi Deum, veluti contrapositive, aut ut aliquid extraneum ad substantiam actionis, quasi natura viribus suis possit ad substantiam earum, & non ad modum, nam si semel velimus illas adæquatè supernaturale, impossibile est date illis substantiam per correspondentiam ad vires naturæ, sed accipit pro aliquo determinante, vel qualificante superiorem rationem tanquam differentia ejus, quia ut rectè advertit Cajet. ibi §. ad *evidentiam*, qualitas, ut dicitur in 5. Metaphyticè non sumitur præcisè pro aliquo accidente, aut extraneo ad rei substantiam, sed etiam pro differentia ejus, undè sensus, & intentum D. Tho. est ad assignandum discrimen inter utrumque genus actionum, non quòd si semel omnes supernaturales sunt, ad aliquid earum possit natura, &

ad

ad aliquid non; nam certissimum est in doctrina ejus, quòd si semel quoad substantiam supernaturales sunt, adæquatè superant facultatem, vel vires proximas illius, sed quòd actiones prioris generis, scil. miracula faciendi, & hujusmodi, non indigent aliquo dono habituali, imò nec possunt saltem de lege ordinaria fieri per qualitatem permanentem, ut in superioribus insinuavimus; posteriores verò ob modum, quem specialiter important suprà priores indigent illo, nam modus v. g. meritorii sive sit de condigno, sive perfectè de congruo supponunt omninò, ut dictum est; donum habituale gratiæ, & charitatis, quidquid sit, quòd attenta præcisè earum substantia non exigant istud, sed sufficiat aliqua qualitas infusa. Hanc vero esse mentem ejus colligitur ex titulo articuli, scil. an Prophetia sit habitus cui licet in arg. sed contrà, & in corp. negativè respondens alias rationes adducat, in solutione tamen ad 3. procedens ex paritate gratiæ, respondet assignando discrimen præfatum de esse supra naturam quoad substantiam, & de esse supra illam quoad modum, & non solum quoad substantiam, quòd licet ad hoc posterius requiratur donum habituale, non tamen ad primum, ut est cognoscere occultè, ad quod deservit lumen propheticum, sed sufficit aliquod actuale, vel fluidum, seu per modum impressionis, vel passionis transeuntis: cujus etiam rationem prius assignat, quià habitibus, ut dictum est, modo in via utimur cum volumus, seu pro libertate arbitrii, quod tamen non contingit respectu luminis prophetici, aut virtutis faciendi miracula, non enim semper adest facultas prophetandi, vel cognoscendi, aut manifestandi occulta, & faciendi miracula. Videri etiam potest Mag. Ferre hic ad 2. ex authoritate, alia via promovens prædictam solutionem communem: sed præcedens explicatio videtur facilior, & satis ad intentum D. Tho. &c.

Sed instas. Quià D. Tho. non tantum assignat prædictum discrimen, sed etiam dicit, quòd alterum genus actionum est supra naturam secundum substantiã, & alterum secundum modum, ergo etiam ex parte naturæ tenemur assignare distinctum, & partialem influxum ad hoc posterius genus saltem quoad substantiam, aliàs non apparet hæc diversitas excessus supra illam &c.

Ad hoc 1. resp. eodem modo, quòd excessus non stat, quòd ex parte alterius admittat aliquid virtutis proximæ, vel efficaciæ in natura, si semel loquimur de actione supernaturali quoad substantiam; hoc enim est alienissimum à doctrina ejus, ut patet ex dictis, imò in tantum ex parte alterius dicitur esse supra illam, itaut requiratur aliquod supernaturale, quià prout sic quid supernaturale est, vel spectans ad ordinem superiorem, licet ob aliam rationem, ut jam insinuavimus; requiratur, & sufficiat supernaturale tale, nempè fluidum, & non requiratur aliquod habituale, in quo est præcipua vis solutionis ad intentum quæsiti, vel articuli.

Deindè etiam, ut subtiliter discurrit Cajet., quòd tale genus sup. rat non solum principalem influxum creaturæ, ut explicavimus, sed quandoque etiam tam principalem, quam instrumentalem, ut creare, & quia ad instrumentalem ut dictum est, non requiritur qualitas permanens imò nec potest, ut vidimus, media ista saltem de lege ordinaria influere, ideo dicitur peculiariter genus illud excedere naturam, quoad substantiam, nec requiri ad illud aliquod supernaturale, vel permanens.

Sed adhuc instas. Quia etiam actiones alterius, ut diligeret superant illam quoad substantiam, ut nos etiam fatemur, si semel supernaturales sunt, ergo pariter istæ superabunt naturam quoad influxum principalem, ac proindè non indigebunt dono habituali, quod est contrà assignatum discrimen, & incidere in superiorem modum dicendi Suarez, quod tantum instrumentaliter concurrat potentia ad hujusmodi actiones supernaturales &c.

Huic instantiæ iterum patet ex dictis, quòd licet istæ etiam sic superent, ut omninò sine viribus gratiæ, ut explicatum est; elici non possint; quia nempe ad nullam habet natura efficaciam, vel vires proximas, nihilominus cum sint intrà latitudinẽ objecti specificativi, non habet talẽ excessum suprà influxum principalẽ illius, acceptis viribus à gratia. Quod verò aliquæ earum cõsideratæ prout sic, velut stant sub modo illo peculiariter indigeant dono habituali jam dictum est, quià modus, vel ratio v.g. meritorii supponit statum amicitiæ, qui habetur à gratia habituali, & charitate; quamvis aliàs considerata sola substantia supernaturalitatis satis sit qualitas aliqua supernaturalis; Et in hoc præcisè nõ discriminantur ab aliis, nisi quòd istæ sunt supra influxum principalem, vel adæquatè supra omnem creaturæ.

Ad confirm. verò principalis argumenti ex Aug., dicimus tantum agnoscere mediam vim, pro media remota, non proxima, sicut & D. Tho. si alibi opponatur, & de D. Tho. satis constat ex dictis, de August. verò præter superiora, patet expressè in enarratione 2. in psal. 32. tom. 8. ad illa verba. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, ubi ait. *Non habuerunt aliquod ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt, Spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum*. Nomine autem cœlorum intelliguntur Apostoli, & Angeli. Undè alibi etiam de prædestinatione SS. c. 5. versus finem, apud D. Tho. 22. q. 10. arg. 1., inquit, quòd posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est omnium hominum, habera autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Unde ut innuit ibi D. Thom. ad 1. natura humana ex propriis est solum quid remotum, vel per modum alicujus negativi, scil. ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi, vel consequenter per modum positivi, sive radicis, aut coaptationis essentialis ad supernaturalia intra proprium specificativũ contenta, ut explicatum est. Videri etiam potest D. Aug. lib. 1. de gratia Christi, c. 20. & 21. & D. Bernard. serm. 80. in Cantica.

§. X.

Solvuntur Argumenta ex ratione.

TErtiò etiam principaliter arg. à priori argumento jam insinuato. Concursus immediatus partialis naturæ non obstat supernaturalitati actus, ergo non est illi denegandus, probat. antec. primò, quia adæquata supernaturalitas, actus salvatur sufficienter per hoc, quòd sit necessarius concursus alterius principii supernaturalis, & indebiti naturæ, vel ab illa non exacti, quià ad actum naturalem nullo modo exigi potest forma vel qualitas

supernaturalis etiam ut principium partiale, sed à contrariis ita ponitur concursus immediatus partialis naturæ, scil. cum necessitate, vel indigentia alterius principii supernaturalis, & indebiti, ergo &c.

II. Quia hac ratione potest natura immediatè passivè concurrere ad dona supernaturalia, quia aliàs est necessarius influxus virtutis activę supernaturalis naturæ indebitus, ergo supposita hac necessitate, & ratione indebiti poterit componi influxus etiam activus immediatus naturæ cum supernaturalitate actus.

III. Quia influxus immediatus principii non vitalis ad eundem actum non obstat vitalitati ejus, ergo nec immediatus partialis naturę obstabit supernaturalitati; ant. patet in concursu speciei intelligibilis, qui est concursus objectivus, per quem non vivit potentia, & consequenter non vitalis, conseq. verò prob., quia ideo ptior influxus non obstat, quia est etiam necessarius concursus alterius principii vitalis, ergo nec obstabit posterior supposita necessitate concursus alterius principii supernaturalis.

IV. Nam de facto species, quibus utimur in via ad credendum, supernaturales non sunt, sed acquisitæ, at nihilominus concurrunt ad actum supernaturalem fidei, ergo concursus principii naturalis non repugnat supernaturalitati actus.

V. denique, & urg. præcedens. Nam ad eundē actum supernaturalem fidei in peccatore concurrit anima ratione sui, ut ab intellectu distincta, non enim est aliquid assignabile in absentia gratiæ, per quod elevetur, nam habitus, & aliæ qualitates fluidę, quæ sunt per modum auxilii transeuntis, & dispositionis, resident in potentiis, & conseq. non sunt elevativę principii radicalis, sive animæ, sed tantum proximi sive potentiæ, ergo &c.

Ad hoc patet 1. ex dictis esse solvendum à Contrariis in communi doctrina Theologorum, imò & Catholicorum, quòd nequeat homo ex viribus naturæ se præparare, aut disponere ad gratiam sanctificantem, & tamen si argumentum factum aliquid probat, utrumque ex his probaret: Nam juxta illud; ut supra arguebamus, sola necessitas concursus, aut principii supernaturalis, & indebiti sufficienter salvat supernaturalitatem actus, esto natura ex propriis proximè, & immediatè concurrat ad illum, ergo salva supernaturalitate gratiæ infundendæ poterit homo ex viribus naturę non solum remotè, sed etiam proximè se disponere ad illam, vel infusionem ejus, prob. conseq., quia si se disponeret remotè adhuc esset necessarius concursus dispositionis ultimæ supernaturalis in debitus naturæ, & si iterum se disponeret ultimò ex eisdem viribus adhuc esset necessarius concursus Dei Authoris supernaturalis infundentis, & utrique dispositioni, vel naturæ indebitus, & sine tali indigentia non ponerentur tales concursus dispositivi, ergo vel utrob.que poterit natura ex propriis influere salva supernaturalitate, quod nullus concedit; vel nullo modo, quod erit concedendum ab omnibus &c.

Resp. ergo neg. ant., ad 1. prob. nego ant., nam si semel ex quo supernaturalis est, requiritur indispensabiliter ad illum, principium supernaturale, & indebitum, ex quo adæquatè supernaturalis est, requiretur adæquatum influens supernaturale juxta regulam dialecticam quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundùm quid, quæ omninò militat in casu, ut constabit infra ad ostendendum etiam ex eadam, quòd si semel lumen est necessarium ad videndum Deum, ex eo quòd videre supernaturale est, pariter erit necessarium perfectiùs lumen ad perfectiùs videre, quod non minus supernaturale est quam videre. Ad prob. verò annexam ex paritate actus naturalis, iterum dicimus esse solvendam à Contrariis, nam si ex quo actus ex opposito naturalis est, repugnat habere meritum ex propriis respectu influxus supernaturalis, pariter repugnabit actum supernaturalem à fortiori habere illud respectu influxus naturalis, sive proprii ipsius naturæ, cùm minus inconveniens sit actum naturalem pendere à principio supernaturali, quàm supernaturalem à principio naturali; natura enim est nata perfici à forma supernaturali, sed non ita hæc à natura. Sed deinde resp., quòd licet dicaretur id sufficere ad distinguēdum actum supernaturalem à naturali, si semel non repugnaret posse subsistere ejus supernaturalitatem non obstante influxu immediato naturæ, quia tamen id repugnat in terminis, loquendo de actu præcipuè supernaturali adæquatè, ideo distinctivum illud est da subjecto non supponente.

Ad 2. prob. pariter dico esse solvendam à Contrariis, primò, quia si aliquid probat, probat non esse necessarium lumen etiam de lege ordinaria ad videndum Deum, sed sufficere concursum simultaneum, sicut vis passiva non indiget forma elevante, sed sub sufficit ei concursus simultaneus, quod ipsi non admittunt. 2., Quia salva supernaturalitate non audent admittere vim activam immediatè in natura sine elevatione, cùm tamen admittant, & teneantur admittere passivam forma superiori non indigentem ad præstandum concursum passivum. Pro omnibus ergo nego conf., & disparitas sumitur ex alibi dictis in materia de auxiliis, quòd vis passiva, cùm imperfectissima sit, utpotè spectans ad genus causæ materialis non dantis, sed accipientis esse ab alio, non exigit præcontinentiam in actu effectus, ad quem influit, unde nec tenetur connecti, aut proportionari cum illo, nec ejus influxus obstare potest illius supernaturalitati; cæterum vis activa ex opposito, cùm tendat ad dandum esse effectu, debet ejus concursus fundari in continentia in actu, quæ est continentia perfecta, unde nequit dari absq; proportione cum effectu contento, & absque connexione cum illo. Ex quo evidenter sequitur nec posse dari absque exigentia cujuslibet alterius principii, & sine connexione cum illo, quod tamē naturę repugnat respectu effectus, vel actus supernaturalis: in quo maximè differt à priori cōcursu passivo, qui ob sui imperfectionem importat puram continentiam passivam, & quia hæc imperfectissima est nata magis recipere, ut dictum est, quàm dare, potest ad formam non proportionatam, & consequenter indebitam extendi cumque debitum principii infundentis ex debito formæ influendæ proveniat, fit conseq. posse dari concursum passivum naturę ad formas supernaturales absque exigentia concursus Dei infundentis illas.

Præterquamquòd eadē probatio poterat iterum retorqueri, quia non solum probat partialem activum immediatum in natura, sed etiam totalem non repugnare supernaturalitati actus, sicut non repugnat illi totalis, vel adæquatus passivus,

Ad

Ad 3. patet ex dictis; nam principium non vitale, vel concurrit ad actum, ex qua parte vitalis non est, scil. ex parte objecti juxta insinuatum modum dicendi, quòd non sit adæquatè vitalis, cum objectum, quod est alterum concurrens ad illum, non vivat per talem actum, sed sola potentia; & tunc est etiam retorquenda, quia deberet similiter natura concurrere ad illum ex qua parte supernaturalis non est, quod tamen est de subjecto non supponente, si velimus esse adæquatè supernaturalem, ut suppono in utraq; sententia: vel quòd licet non sit idem principium vitale formaliter, est tamen vitale connexivè, quia petit ex propriis concurrere cum altero principio vitali, cùm intellectio petat fieri, ut vidimus ex potentia, & objecto, ex parte cujus se tenet species, ut virtus ejus; repugnat autem, quòd principium non supernaturale, vel naturale præcipuè efficiens physicum, ut est potentia, petat ratione sui per se proximè connecti cum principio supernaturali, alias istud, ut sæpè dictum est, supra naturam, & supra omnem exigentiam, aut vires ejus non esset; imò etiam repugnat esse tantum connexivè, & non formaliter supernaturale, quia cùm teneatur præcontinere, & nudè sumptum præcontinere non possit, quod est ordinis supernaturalis, indiget saltem de facto forma elevante, & dante illi præcontinentiam, & consequenter faciente illud formaliter supernaturale. Ex quo etiam sumitur alterum discrimen, nempè quòd principium non vitale cùm solùm concurrat concursu objectivo, vel intellectuali, sive objectivè tantum determinante potentiam ad talem speciem actus, non tenetur dare præcontinentiam, sicut lumen, aut qualitas supernaturalis tenens se ex parte potentiæ, ut virtus illius, & consequenter nec in se præcontinere id, quod tribuitur actui ab eadem potentia, scil. vitalitatem, quæ solum potest esse à principio intrinseco, vel intrinsecè recepto, sed solum esse de eodem ordine ob meritum prædictæ connexionis, & exigentiæ concurrendi ad actum supernaturalem in consortio alterius principii vitaliter supernaturaliter influentis ad illum &c.

Ad 4. pariter ex dictis dist., & explico ma., loquendo de speciebus, quæ immediatè, vel prout immediatè deserviunt determinando, & movendo ad assensum fidei, nego quòd supernaturales non sint saltem per elevationem; loquendo de illis, quæ immediatè, vel prout immediatè deserviunt circa materiale, aut concomitans actum fidei conc., quia ut supra insinuavimus, & optimè advertit hic dub. 2. M. Catalam ad 3. conc. 1., duo possunt distingui in cognitione mysteriorum fidei, alterum est quasi materiale, & concomitans actum fidei, nempè apprehensio, & explicatio rerum fidei, & hæc fit per species acquisitas, & naturales discursus, unde etiam à perfectiori intellectu perfectior procedit, & sapiens etiam Philosophus perfectiùs apprehendit, & explicat mysteria fidei, quam rusticus ignorans. Alterum est assensus propositioni fidei, & hic sicut à solo lumine fidei provenit, ita etiam media tantum specie supernaturali, aut elevata, vel supernaturalizata elici potest.

Ad ult. variè resp. Authores, nam ut dictum est aliqui ex nostris dicunt, quòd præter virtutẽ supernaturalẽ receptam in intellectu, quæ est proxima ratio agendi sit necessaria alia supernaturalis forma immediatè recepta in substantia animæ, quæ sit quasi radicale principium supernaturalis operationis. §. Sed licet id in supernaturalibus operationibus perfectis procedentibus à virtutibus per se formatis gratia, ut sunt visio beata, & aliæ hujusmodi, facilè explicari possit, si dicatur hujusmodi principium radicale esse ipsum habitum gratiæ, qui est immediatè in substantia animæ, ut est quædam participatio vitalis, Divinæ naturæ tribuens supernaturale vitam per modum naturæ, & quam veluti radicale principium supponunt, & consequuntur lumen gloriæ, & alii habitus per se infusi, qui sunt participationes vitales Divinæ perfectionis per modum virtutis activæ, & proximi principii operationum vitalium, cæterum in imperfectis, quæ non supponunt gratiam. ut con ingit in prædicto actu fidei, vel etiam spei informi, qui est in peccatore, difficile est explicare hujusmodi radicale principium supernaturale immediatè receptum in essentia animæ.

Nam quod quidam dicunt per quandam diffusionem ab habitu fidei, & spei derivari aliquid supernaturale immediatè receptum in essentia animæ, quod constituat eam radicale principiũ omninò est à ratione alienum; quia contra rationem radicalis principii operationis vitalis est, quòd oriatur à proximo. Præterquam quod si à fide derivaretur, esset ipsa imperfectius, minus ergo posset esse radicale principium vitalis operationis, quàm fides ut benè idem Mag.

Constituere autem in peccatore novam aliam qualitatem perfectiorem fide, & spe immediatè inhærentem animæ, novum est, & inauditum, & contra communem sententiam Theologorum. Nec explicari potest, in quo ejus essentialis ratio consistat, qua à gratia distingueretur, deberet enim esse participatio supernaturalis Divinæ naturæ per modum naturæ, alioquin non tribueret vitam supernaturalem radicaliter per modum naturæ, quam oporteret tribuere, ut esset radicale principium supernaturalis vitæ. Tum quia nec posset esse qualitas fluida, cùm repugnet conceptum naturæ à qualitate ab intrinseco fluida formaliter participari, quia conceptus naturæ est conceptus radicis, repugnat autem qualitatem fluidam, utpotè imperfectiorem continere, & consequenter radicare dona habitualia elevantia potentias. Nec etiam potest esse permanens sicut dicunt aliqui, quòd nempe anima peccatoris fidelis immediatè elevetur per gratiam habitualem ejusdem rationis specificæ cum ea, quæ hominem justificat, & à peccato emundat, licet eidem peccatori non tribuat sanctitatis effectum ex defectu status, quia nempe sanctitas dicit statum, & gratia existens in peccatore non est in illo per modum status; sicut quia beatitudo dicit statum, & visio in raptu communicata Paulo non fuit per modum status communicata, non constituit Paulum beatum &c.

Sed hoc etiam videtur magis inauditum, & à communi consensu alienum, nam præterquam quòd inferuntur gravia inconvenientia, ut statim dicemus, videtur etiam implicantia in terminis; nam licet, ut alibi innuimus 3. p. de Incarnatione, non teneatur forma dare omnem sui effectum formalem subjecto non capaci omnium, implicat tamen eidem communicari, & nullum dare de sui linea formali, vel essentiali, quia cum effectus formalis formæ sit forma ipsa communicata, implicat communicari, & nullum dare intra propriam lineam specificam, sed prædicta gratia in peccatore, reduplicato hoc statu nullum potest dare de sui linea formali, vel specifica, ergo est impossibilis in illo, prob. mi., quia gratia semel ejusdem rationis cum nostra est formaliter, vel essentialiter de linea sanctitatis, unde facit essentialiter subjectum Deiforme, & objectum congruum divinæ dilectionis, ac

proinde amicum Dei, sed peccator reduplicato statu peccati est incapax omnium hujusmodi effectuum, alias esset amicus, & inimicus simpliciter Dei, quod implicat, ergo pariter implicat eidem communicari, & non facere sanctum.

Explicatur hoc, & praeoccupatur solutio. Quamvis forma ex defectu status perfecti, impediri possit à dando aliquem sui effectum accidentalem, non tamen impediri potest à primario, vel essentiali, ut patet in Theologia modo in via, & in aliis similibus, quae licet in statu modo enigmatico, & imperfecto non det evidentiam actualem, ut dictum est, non tamen impeditur à dando judicium rectum,& immobile conjunctum exigentiae ipsius evidentiae, aliàs esset, ut supponitur,& non esset in subjecto non habente hoc judiciū vel assensum,cum tamen sine isto impossibile sit aliquem esse scientificum, ergo licet dicamus gratiam ejusdem rationis cum gratia sanctificante impediri posse ab aliquo sui effectu ex defectu status, vel ex incapacitate subjecti, ut etiam patet de gratia habituali in Christo, in quo ob ejus incapacitatem (cum sit filius naturalis Dei) dare non potest filiationem adoptivam, implicat tamen impediri, si semel communicatur, ab omni effectu de linea sanctitatis, vel amicitiae cum Deo.

II. Iterum implicat ex eo, quòd repugnat praedictam qualitatem esse ab intrinseco permanentem, & communicari per modū permanentis,& non facere statum, quià in hoc consistit gratia per modum status; at juxta doctrinam ponentium illam in peccatore est ab intrinseco permanens, & per modum permanētis communicatur, ut suppono, si semel velint esse ejusdem rationis cum gratia sanctificante, & deservire per modum naturae ad actus supernaturales, sicut deservit anima in ordine naturali, ergo &c.

III. Quià hinc infertur,quòd in instanti justificationis non infundatur gratia quoad substantiam, sed tantum quoad modum permanentiae, & similiter tantū quoad istum deperdatur per peccatum mortale, si ante justificationem jam supponitur in peccatore, & post lapsum remanet in illo, non enim est necessarium multiplicare habitus ob praecisam rationem modi, si semel quoad substantiam, gratia ejusdem rationis cum sanctificante est compossibilis in peccatore, consequens verò videtur expressè contra Tridentinum sess. 6. de justificatione, ubi docet justificationem nobis infundi in justificationis instanti, & Can. ibi 23. 27., & 28. ubi docet eandem amitti per peccatum mortale; habitus autem non dicitur in proprietate amitti, aut acquiri, si solum amittatur, aut acquiratur praecisè quoad aliquem modum, ut patet in habitu intenso, & remisso. Praeterquam quòd gratia non ratione alicujus modi accidentalis, sed ratione suae essentiae pugnat cum peccato, unde nullo modo stare potest, quòd sit ejusdem rationis essentialiter, cum sanctificante, & sit communicabilis peccatori compossibiliter cum peccato, &c.

Illustriss. Godoii hic §. 6. n. 181., post assignatam communem solutionem, de qua infrà, novam quandam, simul & qualitatem adducit dicens, quod forma qua elevatur anima in ordine ad actus fidei, & spei, neque est gratia sanctificans, nec habitus fidei, nec auxilium ab intrinseco fluidum, sed qualitas ab intrinseco permanens adaequata per modum radicis cum habitu fidei, & spei, quae quidem ab habitu fidei distinguitur. Tum quià iste est proximè operativus, illa verò solum radicaliter, Tum etiam quià habitus fidei adaequatur cum actu credendi,secus autem qualitas illa. Ab auxilio etiam facilè transeunte, quià est ab intrinseco permanens; & à gratia habituali, quia haec est qualitas intellectiva Dei tantum obscurè, illa verò est intellectiva per modum radicis non solum obscurè mediante lumine fidei, sed etiam clarè mediante lumine gloriae, seù intellectiva Dei abstrahendo à clara, & obscura cognitione, & ab ista qualitate elevatur anima ad credendum, & sperandum; habitusque fidei, & spei in absentia gratiae justificantis radicantur &c.

Sed haec etiam solutio patitur easdem instantias:tum quià est inaudita apud Theologos qualitas perfectior fide, & spe immediatè inhaerens animae. Nec videtur assignari sufficiens distinctivum, vel in quo assentialis ejus ratio consistat, qua sufficienter à gratia distinguatur. Tum quià magis propriè convenit gratiae non determinari ad esse tantum radicaliter intellectivam obscurè mediante lumine fidei, sed etiam clarè mediante lumine gloriae, cum quo proculdubio majorem connexionem habet, & affinitatem, quam qualitas compossibilis cum peccato, ut per se patet, & insinuavimus etiam 3. p. de Incarnatione cum Mag. Aragon, quòd nempè gratiae secundum se nō convenit determinatè radicare, aut exigere lumen fidei, nec determinate lumen gloriae, sed alterum ratione status viae alterum ratione status patriae.

Tum quià si semel est qualitas per modum radicis tribuens vitam supernaturalem radicaliter per modum naturae in illo ordine, quam epporteret tribuere, ut dicebamus si velimus esse principium radicale supernaturalis vitae; deberet esse participatio supernaturalis divinae naturae per modum naturae, sed in hoc propriissimè consistit conceptus gratiae, ergo &c.

Nec ex eo, quòd fides, & spes maneant in peccatore in absentia gratiae, tenemur illis assignare aliā radicem à gratia. Nam licet dicamus proprietates, quae non tantum exiguntur, sed etiam dimanant à sui radice, perseverare non posse in absentia ejus, secus tamen, quae tantum exiguntur, & non dimanant, sed hujusmodi sunt fides, & spes, ut suprà insinuavimus ex M. Ferre tom. 1. in 22. tract. de fide q. 6. § 8. n. 56., & seq., quatenus exigunt simul infundi cum gratia, & haec exigit infundi cum illis, non tamen necessariò petunt oriri, ex quo habitus sunt, aut fieri ad actionem primariò terminatam ad aliam qualitatem permanentem radicalem, aliàs magis essent potentiae,quàm habitus, undè possunt isti reduci ad puram lineam exigentiae, & produci per actionem immediatè terminatam ad se ipsos, & distinctam à productiva radicis,qua exiguntur, & cum qua exigunt simul produci. Undè non est necessaria alia radix ad eorum perseverantiam.

Aliter ergo existimo cum M. Catalam, quòd pro his actibus informibus supernaturalibus nullum est constituendum supernaturale principium praeter illud, quod recipitur in potentiis, ut virtus, & ratio agendi,quià hoc sufficit, ut supernaturales sint, & ut anima dicatur influere ad illos. Tum quià, ut inquit idem; substantia animae nullum alium influxum habet in actus vitales praeter eum, quem praestat mediis potentiis; ut enim in 2. Physicorum ostendi solet, nulla substantia creata est immediatè activa, sed agit mediis qualitatibus, & ideò sicut influxus procedens ab anima media potentia, & virtute naturali, naturalis est, ita procedens media potentia, ut elevata per supernaturalem rationem agendi, supernaturalis est, immò

ra-

repugnat, quòd supernaturalis non sit, quia est ipse indivisibilis influxus emanans à potentia, ut elevata. Tum etiam quià licet habitus supernaturalis, ut subjecto *quo* inhæreat immediatè potentiis, tamen ut subjecto *quod* inhæret animæ, & eam verè, & realiter informat elevans ad ordinem supernaturalem. Ut ergo substantia animæ verè sit radicale principiũ supernaturalis operationis satis est, quòd sit radicale principium potentiæ, quæ elevatur ad eam producendam, & quòd talis potentia, ut à subjecto *quod*, & principio radicali pendeat essentialiter in agendo ab anima.

Adde, quòd si operatio vitalis supernaturalis postularet ex natura rei radicale principium vitæ supernaturale, non exigeret accidens, sed substantiam supernaturalem, cujus est proprium habere rationem radicis, seu naturæ strictè, & rigorosè sumptæ; nam neque gratia dicitur natura, quià verè, & propriè natura sit, aliàs non esset habitus, sed potentias proximè operativas radicaret; dicitur tamen natura, quià aliquas habet proprietates ejus, sicut *hic homo* dictus de filio Dei dicitur terminus connotativus, non quia verè talis sit, sed quia aliquas habet proprietates termini connotativi. Habet enim gratia, ut subtiliter ibidem advertit M. Ferre convenientiam cum natura primò, quòd immediatè subjectatur in anima, & non est immediatè operativa, sicut neque anima: 2. quià habet virtutes proximè operativas actuum supernaturalium, sicut natura virtutes suas, per quas proximè operatur: sed differt ab eadem rigorosè sumpta, quòd illa ut dictum est, radicat potentias, gratia verò habitus, vel exigit illos in sui productione. Natura deindè est primum, quod invenitur in subjecto, gratia verò non est primum, sed est accidens commune subjecti. Habet etiam natura, quòd actio, per quam primariò fit, fiant secundariò ejus potentiæ, sed gratia dicitur tantum exigere simultaneam infusionem suarum virtutum. Ulteriùs habet natura sic esse radicale principium omnium operationum vitalium, quòd illa non existente, nulla operatio vitalis haberi possit, imò nec ejus potentiæ ut dictum est, in absentia ejus, cum tamen in absentia gratiæ, permaneant saltem in statu informi fides, & spes, & consequenter illa pereunte haberi possunt supernaturales operationes earum, ut patet in peccatore fideli.

Quomodo autem contingat gratiam operari per habitum, quem rigorosè non radicat, jam dictum est, & patet etiam in intellectu operante per fidem à se non radicatam; nam hujusmodi principia radicalia, ut dicantur influere in operationem, non est necessarium quòd radicent omne principium proximum, sed si est verè natura, satis est, quòd radicet potentiam, quæ elevatur ad eam producendam, & quòd talis potentia ab illo ut à subjecto *quod*, & principio radicali oritur, ut dicebamus de anima, & si strictè natura non est, ut est gratia, satis est, quòd exigat illud, quià hæc non dicitur propriè operari v. g. per fidem, sed magis anima habens gratiam, & radicans intellectum, in quo est fides, dicitur operari per illam, ut subtiliter expendunt uterque sapientiss. Mag. Catalani, & Ferre ubi supra, dicens de hoc posteriori principio radicali hanc doctrinam fieri sibi evidentem ex eo, quòd dum peccator fidelis justificatur, gratia justificans nec radicat, nec radicare potest fidem, quam fidelis ante justificationem habebat, & tamen potest anima elevata per gratiam credere meritoriè per fidem, quam non radicat gratia ejus, undè non requiritur, quòd gratia radicet fidem, ad hoc ut operationes procedant ex influxu gratiæ, sed sufficit, quòd anima elevata per gratiam radicet intellectum credentem per fidem in illo existentem. Hæc valdè notanda sunt ad regulandos hujusmodi influxus supernaturales ex parte radicis, seu ad eorum rectam intelligentiam, sine necessitate in subjecta materia, alterius qualitatis supernaturalis, per modum radicis distinctæ à gratia.

IV. Arg. lumen gloriæ non est tota virtus productiva visionis, sed augmentum virtutis naturalis, ergo naturalis virtus intellectus saltem partialiter attingit immediatè productionem visionis, prob. ant. 1. ex D. Tho. hic artic. 5. expressè asserente lumen gloriæ esse augmentum virtutis intellectus: secundò quià intellectus cum lumine gloriæ verè efficienter concurrit ad productionem visionis, nec se habet merè passivè, ut subjectum sustentans formam, ergo lumen non est tota virtus productiva visionis, ant. patet, quià de ratione actionis vitalis est, quòd procedat activè à potentia vitali, alioquin non dependeret essentialiter ab illa, sed sine illa posset produci à solo Deo, & consequenter etiam visio beata ab anima cum solo lumine gloriæ immediatè sibi inhærente sine ipso intellectu, conseq. verò prob., quià ex eo substantia aquæ non concurrit activè ad calefactionem, nisi ut subjectum sustentans calorem, quià calor ab extrinseco adveniens aquæ est tota virtus productiva calefactionis, ergo si intellectus non concurrit ad visionem præcisè, ut sustentans lumen, jam istud ab extrinseco adveniens non est tota virtus productiva visionis &c.

Ad hoc patet ex dictis, undè nego ant., ad 1. prob. ex D. Tho. resp. ex eodem 3. cont. Gent. c. 53. ratione 4. dupliciter intelligi posse, quòd virtus agentis roboretur, vel augeatur, uno modo per simplicem intensionem virtutis ipsius agentis, sicut virtus activa calidi augetur per intensionem præexistentis caloris. Alio modo per novæ formæ appositionem, sicut Diaphani virtus augetur ad hoc, ut possit illuminare per hoc, quòd sit lucidum in actu per formam lucis de novo receptam in ipso. Ita D. Tho., & subdit, hoc secundo modo augeri virtutem intellectus ad producendam visionem. Constat autem Diaphanum antequam habeat lucem, nec partialem habere virtutem productivam illuminationis sed tãtum coaptationem, vel aptitudinem, quam non habet opacum, ad hoc ut factum in actu per lucem producat illuminationem, unde ex mente D. Tho. intellectus in prioritate ad lumen nec partialem virtutem habebit ad producẽdam visionem, sed tantum naturalem coaptationem, & aptitudinem, quam non habet potentia sensitiva, ut dictum est; ad hoc ut factus in actu per lumen producat visionem.

Ad 2. prob. iterum ex dictis resp. verè efficienter concurrere cum lumine, sed non attingendo immediatè productionem visionis adhuc partialiter per suam virtutem naturalem, sed medio lumine, ut integra ratione agendi, & in hoc sensu concesso antecedenti nego cons. Ejus verò probatio ut plurimùm cõvincit intellectum habere ex se aliquam virtutem radicalem, & remotam in ordine ad visionem, quam non habet aqua in ordine ad calefactionem, ut explicatum est, & iterum infra constabit &c.



§. XI.

§. XI.

Solvitur alia argumenta.

Quintò. Etiam principaliter arg. In visione beata est prædicatum, quod nec potest haberi à lumine, & necessariò pendat à naturali virtute intellectus, ergo non potest hic partialiter immediatè non concurrere ad illam, prob. ant., & 5. quoad hanc posteriorem partem, quia visio ut operatio vitalis est, non est supernaturalis, ergo pendet necessariò ab intellectu ratione sui; prob. ant., nam primum, & radicale principium principale, à quo habet visio, quòd operatio vitalis sit, est naturalis ordinis, ergo vitalitas visionis non est supernaturalis; prob. ant., quia primum, & radicale principium vitalis operationis est anima, aut Angelus secundum suam substantiam, quæ est ordinis naturalis, nam radicale principium cujuscumque operationis viventis, est ipsa viventis substantia, ergo.

Secundò prob. quoad alteram partem de lumine quià istud non est vitale, ergo nequit visio accipere vitalitatē ab illo, prob. ant., quià de ratione principii vitalis est, quòd oriatur à principio radicali viventis, sed lumen non sic oritur, sed advenit ab extrinseco, & per infusionem, ergo &c.

Ad hoc nego ant. quoad utramque partem. Ad 1. prob. disting. ant., est naturalis ordinis, operans virtute innata, & naturali, nego, est naturalis ordinis secundum se consideratum operans tamen virtute supernaturali, qua elevatur ad ordinem supernaturalem conc. ant, & nego conseq., quia quod est naturalis ordinis, ut elevatum per virtutem supernaturalem potest esse principium effectivum supernaturalis effectus. Per quod patet ad ejusdem ant. prob. Nam licet substantia Angeli, & animæ sint visionis radicale principium, non tamen per virtutem nativam, & naturalem, sed ut elevatæ per supernaturalem virtutem. Contrà hanc solutionem militare poterat superior instantia de anima in absentia gratiæ, & cujuscumqua alterius supernaturalis qualitatis sibi immediatè inhærentis concurrēte ad actus supernaturales informes fidei, & spei iu peccatore fideli; sed sufficienter soluta est, ne eadē repetamus.

Ad 2. prob. ejusdem principalis antecedentis contrà alteram partem, vel nego ant., vel disting: nō est vitale *ut quo*, sive per modum virtutis nego, *ut quod*, sive per modum potentiæ, conc., licet autem principium proximum vitale per modum potentiæ teneatur saltem naturaliter oriri à radicali naturæ vivētis, non tamen per vitele per modum virtutis, vel habitus, imò cum istud veniat ad supplendum defectum naturæ, scil. ad quod eadem, vel adæquatè proximè non potest, ut dictum est, de habitu Logicæ, & similibus, intrà ordinem naturalem, vel ad quod nullam vim proximam habet, ut in casu, vel in ordine, supernaturali, tantum abest, quòd petat sic oriri, quin potiùs exigat ab extrinseco venire, sive per acquisitionem, ut constat de superioribus habitibus, vel per infusionem, ut de supernaturalibus tenemur fateri omnes, aliàs supernaturales non essent, præcipuè qui habent connexionem cum gratia, & charitate, ut supra in proœmialibus explicatum est circa habitum Theologiæ, qui licet in probabilissima sentētia supernaturalis, sitadhuc potest acquiri, quia nō est ità connexus. Ex quo iterū patet, quod supra dictū est de habitu fidei, &c. quòd nempè rectè dici possit proprietas gratiæ, estò ab illa nō dimanet, sed tantum exigatur, & consequenter nec sit necessarium ponere aliam qualitatem ab illa distinctam per modum radicis, quià magis petit ab extrinseco esse per infusionem, aut actionem distinctam productiva gratiæ, quàm ab illa oriri.

Ut verò lumen (& sic de aliis) estò ab intrinseco naturæ viventis non sit, dicatur, aut sit vitale per modum virtutis, satis est, quòd sit participatio supernaturalis Dei, ut vivens est vita intellectuali, & ints insecè receptum in vivente per realem informationem, quià ut dictum est, cum sit ad supplēdum (quod est munus virtutis) quod natura non potest, dando illi, ut possit, non est nec potest esse quid intrinsecum per modum vitæ quasi originativè, aut derivativè, sicut est naturaliter potentia, sed tantum perfectivè, quod nempè perficit potentiam vitalem ad eliciendum actum, ad quem, ut probavimus, nequit habere efficaciam, vel virtutem proximam, undè ut dicatur vita, sufficit quòd potentia possit se per illud movere, sive essa principium activum, & receptivum sui actus. Adde quòd, ut dicemus infrà; nec principium proximū vitale per modum potentiæ tenetur perpetuò oriri à radicali viventis, (quidquid sit ex natura rei, ut patet in visu cæco nato restituto.

Sed instas 1. De ratione operationis vitalis quæcumque sit, est non tantum intrinsecè recipi, sed etiam oriri à principio proximo vitali, ergo pariter erit de ratione principii proximi vitalis non tantum recipi, sed etiam oriri à radicali, prob. conseq., quià nisi proximum elicitivum oriatur, verificari nequit, quòd oriatur actio ab intrinsecis naturæ viventis, ergo, prob. ant., tum in calefactione respectu aquæ, nam quia calor non oritur ab intrensecis aquæ, estò illi intrinsecè inhæreat, calefactio tamen non est ab intrinsecis ejus.

Tum atiam: nam quià species supernaturales infusæ, ab intrinsecis naturæ intellectualis non sunt, sed infusæ à Deo, actio prout ab illis dependet, vitalis non est, sicut neque species, ut insinuavimus, vitales sunt etiam, *ut quo* ergo, &c.

II. Nam lumen esse vitale per modum virtutis, & *ut quo*, vel est perficere addendo vitam supernaturalem ad naturalem potentiæ, vel tantum supernaturalizare illam, sed primum dici non potest; secundum verò est in sufficiens ad esse virtutem adæquatam, ergo, prob. mi. 1. quoad pp. quià licet de ratione primæ vitæ, vel radicalis non sit, quòd forma constitutiva viventis ab ipso vivente sit, ut patet in anima nostra, est tamen de ratione vitæ proximæ, vel secundæ, quòd derivetur à prima, nec dabitur instantia in contrarium præter illam, de qua disputamus, adeòut actus vitalis, quantumcumque supernaturalis sit, quià tamen vita proxima, vel secunda est, tenetur oriri à principio viventis. Et ratio utriusque est, quia vivere proximè est se movere: non potest autē vivens se movere per actum, vel formam non derivatam ab intrinsecis naturæ, aliàs posset etiam se movere per actum ab extrinseco advenientem, & vivere per illum, quod est alienum.

Secundò prob. quoad 2. p. Nam præcisè supernaturalizare vitam intellectus, & non addere novam vitam, est tantum dare illi supernaturalitatem, ergo visio in ratione vitalis tantum pendebit à vita intelle-

ctus

ctus, & solum ut supernaturalis est, à lumine, quod est intentum oppositæ sententiæ &c.

Expl. totum hoc. Nam esse principium vitale per modum virtutis tantum poterit in hoc consistere, quòd intellectum viventem constituat in actu 1. proximo, sed nequit sic constituere non dimanans ab intrinseco naturæ, ergo, prob. mi. eadem paritate actionis, quia nequit constituere viventem in actu 2. non dimanans ab intrinseco, ergo.

Expl. ulterius Intellectus hæc duo habet, & quòd sit principium operativum, & quòd sit principium vitale in eo consistens, quòd oriatur à vita primordiali, sed quoad 2. perfici non potest, nam sicut non habet oriri medio lumine, nec habet perfectiùs oriri medio illo ergo &c.

Ad 1. nego cons. præcipuè loquendo de principio supernaturali, aliàs supernaturale non esset. Nam neque principium naturale vitalis operationis (ut jam insinuavimus; & optimè advertit M. Catalam hic dob. 4. ad 1.) habet tantam dependentiam à principio substantiali viventis, quantam operatio vitalis, quia ut ipsi fatentur nulla potentia fieri potest, ut operatio vitalis non procedat ab eodem principio substantiali, & tamen certum est proximum principium naturale vitalis operationis à solo Deo produci posse, ut dictum est de visu cæco à nativitate restituto: potest ergo principium vitalis operationis esse ab extrinseco. Ad prob. nego ant., ad 1. illius prob. nego causalem, sed quia calefactio, ut vidimus; est adæquatè extra respectu aquæ, unde non comparatur hæc ad calorem ut perfectibile ad perfectivum, sed magis ut ad sui nocivum, ex quo etiam fit, quòd calor non solū sit tota virtus, sed etiam tota causa calefactionis, & aqua comparetur tantum ut subjectum illum sustentans. Ad 2. nego etiam causalem, sed quia, ut patet ex superioribus, non habent species ex sua ratione formali, quòd inhæreant, sed tantum quòd determinent præstando concursum objectivum &c.

Ad 2. instantiam dico, quod est perficere, ut jam in superioribus insinuatum est, addendo vitam supernaturalem; & tunc nego mi., quoad hanc partem. Ad ejus probationem jam dictum est, & iterum assignamus latum discrimen inter vitam proximam per modū actus 1., & proximam per modum 2., quòd hæc vel ex propria ratione habet, quòd sit egressus à suo principio; vel quod per illam vivens se moveat, non potest autem se movere per actum à se non causatum, qua ratione communiter docent Theologi cont. Hugonem de S. Victore, & alium Jo. de Ripa 3. p. q. 9. ar. 1., & in 3. dist. 14., nulla potentia fieri posse, ut intellectus humanus Christi, vel quicumq; creatus intelligat per increatam Dei intellectionem, vel à se non productam, ut supra etiam insinuavimos cont. Durandum, & Scotum: cæterum vivere in actu 1. non est se movere ad formam, vel per formam constitutivam in actu 1., sed posse causare in se actum 2., per quem se moveat: licet autem dicamus intellectum non se movere per lumen, benè tamen potest constitui potens per illud ad se movēdum per actū, dummodò intrinsecè inhæreat. Et quidem hæc instantia etiam à Contrariis solvenda est. Nam si paritas ab actu 2. ad 1. proximum, seù ab ultima vita ad vitam 1. proximam aliquid convincit, convincit etiam de prædicato supernaturalitatis in eodem principio proximo, quòd illud etiam debeat oriri, cùm pariter actus 2. quoad utrumq; & vitalitatis, & supernaturalitatis oriatur ab intrinseco. Et per hæc etiam patet ad 1. explicationem.

Ad 2. fateor habere illa duo, sed tamen ratio principii vitalis diminutè explicatur; e enim intellectus nō solum est vita, quia oritur à vita radicali sed quia etiam se movat per actum, unde secundùm duplic: habitudinē dicitur obtinere rationem vitæ, & in ordine ad radicē veluti passivè per modum passionis, vel effectus; & activè in ordine ad actum per modum principii, vel potentiæ. Ex eo ergo quòd non dicatur habere perfectè per eos priorem habitudinem, sivè per eos oriri, aut perfectiùs oriri, non rectè infertur, quòd non perficiat sub ratione principii vitalis.

Sed adhuc instas. Quia intellectus nequit habere rationem vitæ per modum potentiæ, non prius habita ratione vitæ per modum passionis dimanantis, ergo nec poterit lumen habere illam per modum habitus non prius habita per modum effectus derivativè à principio radicali, ergo si sub hac ratione non habet, sub nulla habet. Expl. hoc: nam in nostra sententia concursus animæ ad actum virtutis non est immediatè operativus, sed tantum mediatè, ergo vel tenemur asserere, quòd activè prius se habeat ad virtutem radicando illam vel quòd præcisè comparatur ut subjectum sustentans illam, sicut aqua sustentat calorem &c.

Resp. neg. cons., quia cùm habitus operativi, ut dictum est, non præcisè adveniant, ut virtutes animæ, sed ad supplendum id, quod nequeunt potentiæ habere ab illa, tantum abest, quòd debeant oriri, quin potiùs esse ab extrinseco potente supplere, quod illis deficit, cùm autem ascendendo ad supernaturalia non solum deficiant in prædicato supernaturalitatis, sed etiam vitalitatis, utpotè contractæ, ut dicebamus; per supernaturalitatem, & consequenter pertinentis ad illum ordinem, & excedentis omnem efficaciam naturæ, impossibile est, quòd possint radicari in natura, & quòd non habeant lumen ex propriis secundum quòd est formalis participatio Dei, ut vivens est vita intellectuali, rationem principii vitalis supplendo in intellectu, quod nequit habere ab anima intra forum illud superius tam de linea supernaturalitatis, quam vitalitatis: quod etiam videtur insinuari in semivivo relicto à latronibus inter Jerusalem, & Jerico. Dicitur enim semivivus, quia erat minus habens in bonis vitæ, aliàs semivivus non fuisset, sed plenè, vel integrè vivus, at constat tunc fuisse passum hunc defectum vitæ ob spoliationem donorum supernaturalium, scil. gratiæ, & aliorum ejusdem ordinis, ergo signum est, quòd hæc dona supernaturalia, scil. lumen, & alia hujusmodi sunt de linea vitæ ex propriis; ac proinde sicut datur vitalitas intra ordinem naturæ, ita & datur vitalitas supernaturalis intra ordinem gratiæ juxta illud Rom. 6. Gratia autem Dei vita æterna. Et per hæc etiam patet ad explicationem, & per hæc etiam arg. sequenti &c.

Sextò arg. Si lumen esset adæquata ratio proxima, intellectus activè non se haberet, conseq. est falsum, ergo, prob sequela, quia nec se haberet activè immediatè, cùm per nos vim proximam activam non habeat; neq; etiam mediatè, cùm non radicet proximam activam, seù lumen, nam hac ratione dicitur anima mediatè influere, quia operatur media virtute, quam radicat, ergo § Expl. hoc: nā quia intellectus est adæquata virtus animæ in linea intellectiva, si illum non radicaret, activè non se haberet, sed magis per modum subjecti sustentantis illum, ergo si lumen est adæquata virtus proxima respectu intellectus, si semel iste non radicat lumen, activè non se habebit ad visionem, sed magis per modū subjecti sustentantis illud. § Expl. ulterius: nā quia similiter

liter calor est adequata vis proxima respectu calefactionis aquę, & ad quē hæc nullū præstat concursū,tantū se habet per modum subjecti sustentantis illum,ergo &c.

Ad hoc nego sequelam, quia ut latè ostensum est, cùm intellectus ex sua ratione formali habeat coaptationem essentialem, seu habitudinem potentiæ tanquā ad aliquid intra sui lineam specificativam contentum, non potest non habere rationem principii activi ad visionem, & ad alios actus supernaturales, quidquid sit, quòd ex eorum excessu supra sui proportionem expectet efficaciam, aut vires proximas ab aliquo supernaturali, quod non tollit, quin proximè deinde concurrat per modum potentiæ acceptis viribus ad eosdem actus, imò est necessariom, ut dictum est, quòd istod superadditum nou radicetur in natura, cùm ad hoc veniat, ut suppleat, quòd natura non potest. Unde ad prob. dico immediatè concurrere immediatione potentiæ, quia revera inter illum, & visionem nihil mediat hac immediatione,nam lumen tantum mediat,aut concurrit immediatè sola immediatione virtutis: & deinde nego suppositum 2. partis, quòd teneatur radicare, ut immediatè activè influat eadem immediatione, si neque etiam ad actum vitalem naturalem id necessarium est adhuc in potentia, quæ aliàs ex natura rei ab anima radicatur, ut dictum est de visu cęco à nativitate restituto. Per quod etiam patet ad prob. annexam;unde nego causalem, quò l ex eo præcisè dicatur animam mediatè influere, quia operatur media virtute à se radicata, nam licet ita sit ex natura rei in ordine ad actus naturales, & de virtute per modum potentiæ, non tamen per modum habitus, sive ad naturales, sive à fortiori ad supernaturales, unde satis est, ut vidimus; ad salvandum verè esse principium supernaturalis operationis (& idem proportionaliter est in ordine ad naturales) quòd si radicale principium potentiæ, quæ perficitur, & elevatur ad illam producendam, & quòd talis potentia, ut à subjecto, & principio radicali pendeat essentialiter ab anima.

Sed instas: si lumen tantum concurrit per modum virtutis, non potentiæ, tenetur omninò supponere vim proximè vitalem in intellectu, ergo vel etiam obtinet rationem potentiæ, vel non est adæquata ratio, prob. ant., quia in eo præcipuè distinguitur virtus, vel habitus à potentia, quòd illa supponit vim proximè operativam vitalem, non vero potentia, ergo si lumen non supponit,obtinebit rationem potentiæ.

Huic instantiæ patet etiam ex dictis, & ex dicendis infrà, an verè lumen obtineat rationes potentiæ: sed pro nunc breviter nego ant., ad probat. dist. ant., loquendo de virtute, vel habitu naturali, aut ad actum proportionatum potentiæ, transeat, vel conc., de supernaturali, vel ad actum improportionatum, sive adæquatè excedentem efficaciam naturæ,nego, nam ut insinuavimus suprà,& in proœmialibus logicæ,prior virtus, vel habitus tantum venit ad complendum in nobis vires in completas naturæ, utpotè ad actum cōtentum intrà objectum proportionatum, & non purè specificativum, vel adæquatum,posterior verò, utpotè excedens omnem efficaciam naturæ,tenetur dare illi vires adæquatas proximas, & tantum supponere vim radicalem, seū coaptationem essentialem,ut dictum est, Adhuc autem uterque distinguitur à potentia, quòd hæc habet ampliorem latitudinem, sive indifferentiam ad verum, & falsum, habitus verò determinatè respicit verum, ut tradit. D. Tho. 1. 2. q. 63. ar. 2.

Ad 1. expl. arg. jam est assignatum discrimen inter habitum sive naturalem, sive supernaturalem. & potentiam, quòd hæc datur animæ non præcisè ad supplendum defectum ejus, sed ut principium proximum connatorale, per quod immediatè operetur cum anima utpotè cūsubstantia sit principiū per se immediatè ordinatum ad esse, non ad operationem, undè ex natura rei habet radicare,aut petit radicare illam,habitus verò datur ad supplendum, quod nequit potentia, ut dictū est; habere à sui radice, & ideo non petit oriri, aliàs cum eadem insufficientia oriretur, sed magis acquiri, vel infundi à principio extrinseco, unde nequeunt respicere potentiam, ut purum subjectum, cum hæc jam ex propriis, seu ex sua ratione formali habeat meritum immediatè operandi scil. habito complemento, vel viribus adæquatis proximis juxta conditionem actus eliciendi, utpotè omnibus contentis intra suum specificativum; sed magis ut principium perfectibile intrà illud.

Ad 2. nego causalem, sed quia, ut dictum est,calefactio non continetur intra ambitum sui specificativi, nec est perfectiva aquæ,sed magis destructiva,ut dictum est. Idque totum declarari potest exemplo formæ substantialis, quæ activè concurrit cum suis naturalibus potentiis ad proprias earum operationes, & tamen illis seclusis nullam habet virtutem proximam activam. Non ergo rectè inferunt intellectum activè nō se habere ex eo;quòd exclusolumine nequeat ullo modo proximè videre, aut nullam proximam virtutem habeat ad videndum Deum &c.

Ultimò tandem arg. Habitus charitatis in via non est adæquata ratio amandi Deum,ergo nec lumen in patria erit adæquata ratio videndi, prob. aut. Tum quià actus amoris in via est liber libertate contrarietatis, ergo debet esse à principio potente amare, & potente odio habere, quod nequit charitati convenire. Tum quia est voluntarius,ergo nō sufficit esse à principio intrinseco per inhæsionem, sed per dimanationem, cum etiam motus violentus,v.g.lapidis sit per impulsum inhærentem illi. Tum quia nequit esse voluntarius nisi sit à principio intrinseco cognoscente juxta definitionem traditam 1. 2. q. 6. ar. 1. & 2., nempè voluntarium est, quod est à principio intrinseco cognoscente singula,in quibus est actio. Tum quia idem actus est libera electio,sed habitus charitatis, ut à voluntate distinctus non est electivus,cum nequeat esse principium omissionis amoris, & extremi contrarii,ergo &c.

Ad hoc dico in primis esse solvendum à Contrariis, nec posse prædictam paritatem assumi ad adæquatè convincendum de lumine respectu visionis, nam ipsi dicunt, ut vidimus, non posse intellectum elicere visionem non supposita elevatione, & tamen hoc nequeunt de actu libero affirmare, quia actus liber charitatis dependet à voluntate, ut potente odio habere, secundum quam habitudinem non indiget elevari per charitatem, cum in opposita sententia voluntas elevata per charitatem solum possit amare, & non odio habere, Tenentur ergo aliter discurrere de prędicato libertatis, tis in actu supernaturali, ac discurrunt de aliis prædicatis.

Pro omnibus ergo. Resp. negādo ant. ad prob. nego conf. ad prob. ibi annexā, quòd nempè charitas non possit odio habere, nego suppositum illius, quòd teneatur posse influere ad extremum odii, ut dicatur esse adæquata, ratio illius actus, nam cum in ratione liberi non sit à potentia adæquatè influxivè, sed habente ad illum, sed partim influxivè, ut tendit ad extremum amoris

moris, & partim non influxivè, prout non influit, sed potest influere ad oppositũ, satis est quòd charitas influxivè se habeat in ordine ad id, ad quod potentia influit, non ad quod potest influere, scil. ad extremum contrarium; est enim influxiva per modum virtutis, & non per modum potentiæ, quæ potest, ut dictum est; ad utrumque se extendere, unde sufficit, quòd perficiat in ordine ad bonũ sine debito influendi in ordine ad malũ, sed tantũ permittendi, ut potẽtia influere possit ad illud.

Ad 2. prob. nego conseq., ad probationem annexam dico, quòd licet impulsus inhæreat, non tamen est conformis naturæ lapidis, sed magis contrarius, vel faciens illi vim, sicut dictum est de calore respectu aquæ, undè motus sursum est adequatè extrà activitatem lapidis, quod non contingit in charitate, & in motu, vel impulsu ejus respectu voluntatis, sed potius est habitudo perfectivi ad suum perfectibile.

Ad 3. disting. ant. debet esse à principio proximo cognoscẽte, ad hũc sensũ, quòd principiũ proximũ eliciẽs sit cognoscitivũ, nego ità ut in supposito sit principium cognoscitivũ, conc., undè non est necesse, quòd potentia elicitiva illius actus sit cognóscitiva, & consequenter nec virtus ejus, sed satis est quòd in supposito sit principium cognoscens, scil. intellectus, estò voluntas cognoscitiva non sit. Ad prob. desumptam ex definitione voluntarii, nego illud sic definiri, sed quod est à principio intrinseco cum cognitione finis juxtà D. Tho, & ejus interpretes; nec licet pro libito mutare definitiones rerũ. aliàs nil certi statui posset in genere scibili. Satis ergo est quòd in supposito sit cognitio finis per aliàm potentiam proponentem objectum.

Ad ultimam respondetur, ut suprà distinguendo mi., num est electivus per modum potentiæ, conc. per modum virtutis, nego, nam ut sit hoc modo principium electivum, sufficit, ut influat ad amorem permittendo, aut non impediendo potentiam, ut possit influere ad oppositum &c.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum intellectus creatus de potentia absoluta possit elicere visionem beatam absque omni qualitate, aut lumine intrinsecè inhærente.

SUpponimus, ut certum ex dictis, & ex jam communi consensu implicare contradictionem, quòd intellectus creatus producat visionem Dei, nisi speciali Dei auxilio, vel concursu supernaturali intelligatur juvari, & elevari ad eam producendam, cum vis naturalis intellectus, se sola sit insufficiens ad actus supernaturales, ut etiam admittunt contrarii, & ostendimus suprà, implicat autem aliquid agere sine sufficiente ratione agendi, ergo ut intellectus producat visionem indiget aliqua elevatione, ratione cujus intelligatur habere sufficientem rationem agendi, & videndi. Nec per essentiam divinam unitam præcisè in ratione speciei intelligibilis potest elevari, quià præcisè concurrens, ut species non confert virtutem requisitam ex parte potentię, imò nec ut exercens rationem, speciei potest uniri intellectui, nisi præintelligatur iste habere sufficientem virtutem ad utendum illa, ut specie, ut pater ex dictis &c.

Circa id verò, quod inquiritur, consultò dicimus an possit intellectus elicere, quia ut insinuavimus supra, & modo iterum supponimus, difficultas non est an possit videre per intellectionem à solo Deo productam, vel per intellectionem increatam, nam de priori agitur 1. 2. de beatitudine, & de posteriori 3. p. de scientia animæ Christi, & utrumque prob. ibidem esse impossibile, quia primum excluderet necessitatem luminis, ut dictum est, & secundum rationem viventis, cum nequeat aliquid vivere per actionem à se non productam. In hac ergo Auctores, qui negant lumen esse totam rationem agendi, pariter negant ejus necessitatem etiam de potentia absoluta existimantes posse suppleri per extrinsecam assistentiam Dei, sive per solam omnipotentiam extrinsecè auxiliantem; quia putant lumen tantum concurrere concursu effectivo, sive de linea efficientis, quæ est à Deo supplebilis, cum tamen, ut vidimus, ante influxum de hoc genere indispẽsabiliter teneatur exercere munus causę formalis respectu potentiæ, dando illi præcontinentiam actus, & constituendo simul naturam, aut esse accidantale supernaturale, ad quod sequatur operari, nisi velimus istud in illo ordine non supposito esse, quod est alienum. Præter quamquod adhuc loquendo de puro concursu effectivo, aliud est quòd Deus faciat se solo aliquem effectum, aliud verò quòd faciat causam secundam efficere illum sine principio, vel ratione agendi, ut in casu, quod est implicatoriũ quamvis deinde in solutione ad 5. indeterminatè loquatur. Pro hac sententia præter Suarez, Vasquez, & alios ex societate sequutos Scotum refertur Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. ar. 3. concl. 2., sed ibi, ut advertit hic M. Catalam dub. 4., docet quidem posse divina potentia fieri, ut intellectus videat Deum sine habitu luminis gloriæ, cæterum non affirmat posse visionem producere sine ulla virtute, aut auxiliu in eodem recepto, quo constituatur in actu, & elevetur ad agendum, imò oppositum insinuat, dum docet indigere auxilio, aut motione Dei. Refertur etiam M. Vincentius de gratia Christi q. 6., sed hic etiam discriminatur à PP. Societatis, quòd isti affirmant sufficere concursũ simultaneũ, ille tamem asserit requiri ulteriùs prævium, licet non contendat debere esse intrinsecũ.

Thomistæ verò jã communiter in uno omnes conveniunt, quòd sit necessariũ aliquod donũ, vel auxilium intrinsecũ, differũt tamen, quòd aliqui contendunt etiã per modũ habitus seu qualitatis permanẽter inhęrẽtis intellectui, ità videtur sentire M. Bannez hic dub. 3. ad 4., ubi innuit præcipuũ fundamentũ hujusmodi dicendi (quem sustinet Illustriss. Godoii hic disp. 18. §. 4, concl. 2., & ut probabilius defendit Ledesma qu. 18. de divin. perfect. in subart. ad art. 8. concl. 2. & alii,) desumptum nempè ex sublimitate, vel perfectione, sive ex permanentia, & incorruptibilitate visionis. Referuntur etiam pro eodem Cajet. hic, Ferrara 3. cont. Gent. c. 54. in fine, & Soto in 4. dist. 49. q. 2. ar. 4. Verum hi Auctores, ut iterum advertit M. Catalam, & si apertè doceant non posse intellectum videre Deum, nisi informetur aliqua qualitate supernaturali, quæ sic participatio divini luminis, non tamen docent expressè debere essentialiter esse habitum, imò Ferrara, & Soto satis judicant sufficere qualitatem supernaturalem transeuntem, quæ sit dispositio.

Alii ergo dicunt esse quidem necessariam qualitatem

Nnn distin-

distinctam realiter à visione constituente intellectum in actu primo, sed non necessariò debere esse habitum, sed posse esse auxilium actuale, sive fluidum, aut dispositionem transeuntem. Ità videtur docere Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. & 4. contrà 2., & ut probabilem tradit Ledesma ibidem concl. 1. Cabrera 3. p. disp. 11. q. 9. ar. 2. Navarrette hic controv. 39. qui addit visionem Dei tali qualitate productam futuram specie distinctam ab ea, quæ fit medio habitu luminis gloriæ, ut affirmat prima opinio. His etiam, ut probabiliùs adhæret M. Catalam concl. 2. & consentit etiam à S. Tho. hic disp. 14. ar. 5. §. 2. sent., & in solutione ad primum.

§. I.

Statuitur prima Conclusio.

Prima. Implicat intellectum creatum producere visionem Dei sine ulla qualitate, aut virtute supernaturali, qua verè, & realiter constituatur in actu primo potens eam producere. Ita communiter Thomistæ pro utraque sententia relati. Est expressa D. Tho. 22. q. 175. ar. 3. ad 2. Ubi inquit: *Dicendum, quod divina essentia videri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriæ, de quo dicitur in psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen, quod tamen dupliciter participari potest. Uno modo per modum formæ immanentis, & sic beatos facit Sanctos in Patria, alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dictum est de lumine prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit.*

Quod iterù affirmat q. 13. de veritate ar. 2. in corp., mentem scil. Pauli fuisse in raptu illustratam lumine gloriæ, non tamen fuisse simpliciter beatam, aut glorificatam, sed tantum secundum quid, quià non fuit permanens in illo, undè nec habuit dotem gloriæ, quià claritas illa non fuit effecta proprietas ejus, *& propter hoc*, inquit, *Non fuit derivata ab anima in corpus, nec in statu perpetuo mansit.* Idem repetit ibi q. 20. ar. 2. in corp. post medium, inquiens, *Videre divinam essentiam est supra conditionem cujuslibet naturæ creatæ, undè nulla creatura potest ad hoc pertingere nisi aliquo lumine elevetur in illam beatâ visionem. Quod quidem lumen in aliquibus recipitur per modum passionis, quasi pertransundo, ut in raptis. In Christo autem fuit, ut habitus ipsam animam Christi beatificans à principio suæ creationis.*

Dices D. Tho., vel loqui de lege ordinaria, vel dum ait esse necessarium lumen transiens, accipit istud pro ipsa visione elicita sine principio inhærente, hæc enim citò transit.

Sed utraque solutio, est manifestè contra textum; nam loquitur de visione Pauli, & de lumine requisito ad visionem, sed illa planè ordinaria non fuit, sed summum privilegium, ut constabit, nam de ordinaria verificatur illud; *Non videbit me homo, & vivet* Lumen autem requisitum ad visionem, nequit esse intransitivè visio, aliàs esset nugatoria locutio, quòd nempè visio fit necessaria ad visionem, ergo intelligendus est de visione, & potentia extraordinaria, & de lumine, vel auxilio distincto à visione, undè nullibi invenietur, quòd sine omni lumine intrinseco possit elici visio ab intellectu creato. Quidquid sit, an cum solo illo habito per modum passionis, & transeuntis sine exclusione aliarum dispositionum viæ, scil. fidei, spei, & conjunctionis cum sensibilibus, de quo infra &c.

Ratione prob. 1. concl. Quia supernaturaliter ageret, & non ageret, ergo implicat, quòd sine omni lumine intrinseco inhærente videat; prob. ant. quoad 2. part., nam quoad 1. supponitur; quia implicat intellectū supernaturaliter agere non constitutum in actu, supernaturali aliqua ratione agendi, sicut enim quod nullum habet esse physicum, vel reale nullo modo valet operari, ita quod nullum habet in se supernaturale esse, nequit supernaturaliter operari, & ratio est, quia de ratione causæ efficientis est virtualiter præhabere in se perfectionem, & esse quod communicat effectui, ergo sicut repugnat, quòd aliquod non habens esse reale præhabeat in se perfectionem realem, pariter repugnat, quod non habens esse supernaturale præhabeat in se, aut tribuat perfectionem supernaturalem, ergo cùm intellectus creatus destitutus omni dono supernaturali nullum habeat esse supernaturale, Impossibile est, quòd prout sic videat Deum.

Urg. hoc, & præoccupatur solutio ex dictis. Intellectus creatus secundum suam naturalem virtutem non potest esse proxima ratio agendi ex parte videntis requisita ut productiva immediatè visionis, ut est operatio vitalis; neque Deus per se ipsum potest uniri beato, ut virtus intellectiva productiva immediatè illius, ut operatio vitalis est, ergo ut beatus producat visionem indiget aliquo supernaturali lumine, quod sit proxima ratio producendi visionem, cons. tenet, quia aliàs visio non produceretur à beato, quia nec eam produceret per suam naturalem virtutem intellectivam, nec per aliquid aliud supplens ejus insufficientiam. 1. pars antec. constat ex dictis, quia etiam ut operatio vitalis, est supernaturalis, utpotè vitalitate contracta per prædicatum, aut differentiā supernaturalem, ergo naturalis virtus intellectus non potest esse ratio immediatè productiva illius, præsertim principaliter juxta meritum operationis vitalis, quæ petit ex propriis procedere à vivente ut à causa principali, ac proinde media virtute principaliter productiva illius. 2. etiam pars patet, quia ut Vasquez fatetur, & meritò, non potest Deus per se ipsum supplere principium operationis vitalis, & ratio est, ut vidimus; quia principium proximum operationis vitalis, concurrens ut virtus tenens se ex parte viventis non solùm est productivum operationis, sed etiam receptivum illius, nam vitaliter agere, est activè, passivèque immanenter operari; neque ulla operatio vitalis recipitur in ipsa substantia viventis, nisi media virtute, à qua ut à proxima ratione agendi vitaliter procedat, ergo involuit imperfectionem repugnātem Deo. Tum quia licet Deus formaliter eminenter contineat perfectionem intellectus creati, non tamen potest per se ipsum uniri creaturæ intellectuali in ratione virtutis intellectivæ supplendo vicem intellectus in producenda naturali intellectione, ergo nec poterit per se ipsum uniri, ut virtus intellectiva superna turalis productiva supernaturalis intellectionis.

Præcedens ratio majorem habet vim cont. Suarez, & alios, qui nobiscum supponunt, ut probavimus, quòd hi actus supernaturales, sint tales quoad substantiam, ex quo fit totam eorum entitatem esse supernaturalem; tum quia in re est una simplex entitas; tum quia ex naturali, & supernaturali entitate nequit simplicis actus essentia componi, ergo vel tenentur fateri, quòd in vir-

virtute naturali propria intellectus præhabeatur virtualiter supernaturalis entitas, ut in vera causa physicè productiva illius; vel certè quòd intellectus secundum propriam virtutem, & efficaciam naturalem nihil entitatis talis actus producat. Primum, ut suppono, nullus concedet, quia non solùm est cont. verā philosophiā, sed plurimū faveret Pelagianæ hæresi asserenti potentiam viribus naturæ posse producere supernaturales actus; si verò admittatur 2., evidenter infertur talem actum à solo Deo assistante intellectui produci non solùm ut à causa 1. in genere gratiæ, sed etiam ut à causa proxima integra, & totali, quia intellectus nec virtute propria naturali aliquid entitatis illius actus, utpotè adæquatè supernaturalis, producit, nec virtute superaddita, qua nulla superadditur intellectui, ut supponitur, ergo nullo modo producitur aliquid illius.

Poterat autē eadem ratio, qua utitur hic M. Catalam dub. 4. concl. 1., & alibi in materia de auxiliis dub. 5. concl. 2., & 3. p. q. 13. dub. 3. cōcl. 2. ad art. 2., reduci breviter ad formam, qua supra, & utitur, etiā hic Illustriss. Godoii. Implicat causam efficientem producere effectū, quem non præcontinet, sed intellectus creatus destitutus omni dono intrinsecè inhærente nequit continere actum supernaturalem, & præcipuè adæquatè, vel talem secundum substantiam, ergo implicat, quòd Deum videat sine illo, cons. tenet, & præmissæ patent ex dictis &c.

Huic rationi variè occurrunt contrarii; nam 1. cum Suarez confugiunt ad suam potentiam obedientialem activam, sed eam sufficienter impugnavimus supra. 2. cum eodem, id militare de causa principali, non instrumentali, qualis est intellectus. Sed hæc etiam solutio sufficienter impugnata est. Quia impossibile est, quòd causa aliqua efficiens physicè, aut realiter agat non priùs natura constituta in actu per rationem, vel virtutem agendi, in qua virtualiter præcontineatur effectus, cùm quælibet causa efficiens tendat ad dandum esse illi, sed excluso omni dono intrinseco nequit intellectus intra puros limites naturæ habere aliquid cōstituens proximè in actu, ut virtus, & ratio agendi virtualiter præcontinens effectum, vel actum, & maximè adæquatè, & secundum substantiam supernaturalē; non enim ut constat ex dictis, potest hæc esse præcisa subordinatio ad Divinam Omnipotentiam, vel virtutē, aut concursum supernaturalem Dei, quia cùm talis subordinatio, ut supponunt, nullam addat virtutem in potentia per modum alicujus intrinseci afficientis illā, tantum potest esse pura denominatio extrinseca, aut relatio unionis, & præsentiæ ad Divinam virtutem, & concursum, quam (scil. denominationem, & relationē) manifestum est in bona philosophia non posse esse virtutem, aut rationem agendi physicè, cum pura denominatio extrinseca, & relatio non sint quid activum, sed purè denominativum, & relativum: nec iterum potest esse virtus Divina, aut concursus supernaturalis Dei, quia intrinsecè repugnat aliquod divinum, vel increatum esse rationem, vel virtutem agitur instrumentaliter, quia ratio, aut virtus agendi instrumentaliter ex natura rei subordinatur agenti principali, à quo in agendo realiter dependet, nam instrumentaliter agere est virtute deficiente, & dependente à virtute principalis agentis operari, ergo sicut nequit aliquod, ut causa principalis producere effectum non prius constitutum per rationem, aut virtutem agendi principaliter, ita nec poterit, ut causa instrumentalis, producere illū nisi constituatur in actu per aliquid, quod sit ratio, aut virtus producendi illum instrumentaliter; non enim est minus de ratione causæ physicæ instrumentalis, instrumentaliter præhabere, & producere effectum quàm sit de ratione principalis principaliter præhabere, & producere illum servata proportione.

Expl. hoc (& simul præoccupantur, & impugnantur aliæ solutiones) Quia omnipotentia, vel virtus increata Dei, quæ est ipse Deus, unita, vel assistens potentiæ ad producendum effectum, vel actum supernaturalē, vel concurrit tantum uno modo, nempe principaliter solū ut 1. causa, vel instrumentaliter ut 2. hoc secundum jam impugnatum est. Si verò dicatur primum, ergo Divina virtus se sola producit effectum, vel actum supernaturalem, intellectu, vel potentia nihil agente, sed passivè concomitanter se habente, prob. cons., quia intellectus, vel potentia, nec per suam naturalem entitatem, vel virtutem producit instrumentaliter physicè effectum supernaturalem, quà supernaturalem, ut concedunt, & constat, quia manifestè repugnat, quòd supernaturalis actus, & effectus præcipuè adæquatè, & secundum substantiam talis, sit à naturali principio; neq; ut supponunt ipsi, ex conjunctione ad Divinam virtutem participat aliquam virtutem creatam, qua media producat illum instrumentaliter; nec denique per virtutem divinam increatam, si hæc tantum influit principaliter, ut causa 1., ergo nulla est proxima ratio agendi, aut virtus tenens se ex parte potentiæ, qua media vero influxu producat effectum, vel actum supernaturalem instrumentaliter, ergo nullo modo producit illum &c.

Urg. ulterius iterum præoccupando solutiones. Omnipotentia, aut virtus increata Dei, & si intimè assistens intellectui beato, nō tribuit ei formaliter aliquid verum esse physicum supernaturale, quia virtus increata Dei nec est, nec esse potest forma physicè informans creaturam, ergo per eam ut sic assistentem non constituitur in actu 1. potens elicere operationem supernaturalem, prob. cons. Tum quia operatio supernaturalis, ut dictū est, supponit ex natura rei esse supernaturale in operante, à quo procedit, cùm unum quodq; agat in quantum est in actu, qua ratione, ut vidimus, nequit lumen gloriæ habere purum concursum effectivum, sive purè efficienter influere ad visionem non prius informando, vel exercendo causalitatem formalem respectu intellectus ad constituendam naturam, vel esse supernaturale, ad quod sequatur operari intra eundem ordinem, & ideò dicimus esse insupplebile à Deo. Tum quia sola unio ad increatam Dei virtutem assistentem non sufficit ad constituendam creaturam in actu 1. potentem operari, hæc enim convenit divinæ virtuti respectu omnium rerum, quia, ut insinuavimus supra ex D. Tho. q. 8. ar. 1., & 3. Virtus Dei intimè assistit omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, nequit autem creatura constitui in actu 1. ad agendum supernaturaliter per id, quod convenit eidem virtuti respectu omnium, sive operantium, sive non, qua ratione ut in physicis, & alibi de auxiliis ostendimus; fatentur omnes cont. Durandum non sufficere ad salvandā subordinationem, & dependentiam creaturæ, vel causæ 2. ad 1., in linea operativa hoc, quod est accepisse virtutē, eamq; conservari à Deo sine actuali influxu intra eamdē lineam, quia id totū commune est cuilibet creaturæ, vel causæ 2., sive operanti, sive non; unde & ipsi contrarii præter prædictū concursum collativum, & conservativum virtutis, assignant alium de propria linea operativa, scil. simultaneum: vel ergo deberet eadem unio omnes sic constituere, vel nullam. Tum quia nequit dici, quòd alio

speciali modo uniatur rei, quam elevat ad operandum, quia hæc specialis unio nec est hypostatica, ut supponitur; nec per informationem in esse rei, vel in esse intelligibili, ut patet ex dictis, neque est aliqua alia assignabilis, quia Deus ideo specialem unionem supernaturalem habet cum creatura, quia causat in eo aliquid supernaturale. Ratio est, quia creatura nequit de novo referri ad Deum relatione reali, nisi ratione alicujus realis mutationis in ipsa factæ, ob quam aliter respiciat Deum nunc, quàm prius, nam manens realiter immutata manet sicut prius, ergo &c.

Ex his etiam, & ex superioribus manet I. impugnata principalis adversariorum solutio recurrens ad continentias partiales. Tum quia, ut vidimus; est de subjecto non supponente, cum vitalitas visionis, respectu cujus contendunt continentiam partialem, non est vitalitas abstrahens à naturali, & supernaturali, ut toties dictum est; sed contracta per differentiam supernaturalem, & consequenter spectans ad illum ordinem cum adæquato excessu supra omnem continentiam, & efficaciam naturæ. Tum quia licet admitteremus continere visionem sub ratione vitalis, non tamen eam continet sub ratione supernaturalis, ut tenemur fateri omnes, nisi velimus quòd natura se extendat ad continendum supernaturalia, quod est alienum; & nequit etiam producere sub ratione vitalis, nisi pariter producat, ut supernaturalem, aliàs non tantum concurreret partialitate causæ, sed etiam partialitate effectus, quod neque ipsi admittunt, ergo erit necessaria forma intrinseca elevans ad dandam continentiam visionis, saltem sub ratione supernaturalis.

Quòd si dicas non tantum continere visionem, ut vitalem, sed etiam ut supernaturalem, licet non continentia formali, & ut *quo*, sed materiali, & identica, sive ut *quod*, ac proinde posse saltem de potentia absoluta producere illam sub utraque ratione, & secundum totalitatem effectus. § In cont. est I., quia intellectus beati semel videns non solùm identicè, sed etiam formaliter vivit vita supernaturali formaliter, ut tali, nisi velimus, quòd formaliter non habeat totum, quod spectat ad sui beatitudinem, seu vitam æternam, ut est ratio supernaturalis, unde nec formaliter adæquatè beatificaretur, sed tantum materialiter quoad id, quod spectat ad eandem rationem, vel forum supernaturalitatis, quod iterum est alienum; sed ut sic formaliter vivat, sive ut vivat vita supernaturali formaliter, est necessaria continentia formalis supernaturalitatis, & nõ sola identica illius cum formali vitalitatis, ergo si ratione sui sine omni forma elevãte intrinsecè hãc habere nequit, nullo modo sine ista videre poterit; prob. mi., tum quia hac ratione dicunt lumen gloriæ non vivere per visionem, seu per actum vitalem beatificum, estò agat, aut influat ad illum, quia non continet illum, ut vitalem continentia formali, sed tantum identica, ergo si pariter intellectus tantum continet vitam supernaturalem visionis continentia identica, & non formali, non vivet vita supernaturali formaliter per illam. Tum quia si non contineret vitalitatem visionis continentia formali, non viveret formaliter, sive vita formali visionis, ergo non continens eandem vitalitatem, ut supernaturalem continentia formali, non vivet vita supernaturali formali.

II. Tum quia visio, utpotè de foro supernaturali solum continetur in intellectu ratione potentiæ obedientialis activæ, non naturalis, ut Contrarii dicunt, & patet, aliàs posset naturaliter videre Deum, quod est cont. fidem, sed potentia obedientialis est tantum respectu supernaturalium, ut supernaturalium, cùm respiciat Deum, ut Auctorem supernaturalem formaliter, ergo ut intellectus semel Deum videat, aut visionem producat, debet illam continere formaliter, ut supernaturalem &c.

Manet 2. impugnata altera solutio recurrens ad dist. duplicis potentiæ, scil. intrinsecæ, & extrinsecæ, sive cõpletæ, & incompletæ, itaut intellectus ex se, aut ratione sui jam habeat potentiam intrinsecam, & solum deficiat illi extrinseca, nempe voluntas extrinseca Dei, quæ desideratur ad habendam completam, quæ partim intrinseca, partim extrinseca est, unde licet voluntas, vel omnipotentia Divina intimè assistens non det illi potentiam intrinsecam, vel incompletam, potest tamen constituere potentem completè, vel tribuere completam, cùm denominatio completæ ab extrinseco desumatur. Quod aliis verbis explicant dicendo ex se habere potentiam conditionatam, si Deus nempè velit concurrere, non tamen absolutam, quæ supponit voluntatem ejus paratam ad concurrendum. Manet inquam impugnata; nam eo ipso, quòd visio sit adæquatè, & secundum substantiam supernaturalis, impossibile est, quòd in natura, vel in intellectu ratione sui possit proximè supponi aliqua potentia intrinseca, sive cõpleta, sive incompleta. Tum quia repugnat, quòd sit ibi aliqua potentia intrinseca ad agendum, ubi nulla est præcontinentia intrinseca, sed ut probatum est, in intellectu ratione sui nulla est præcontinentia intrinseca, ergo nulla est potentia. Tum quia si solum esset impotens impotentia extrinseca, scil. ex defectu voluntatis, vel omnipotentiæ auxiliantis extrinsecè, & complentis impotentiam extrinsecam, nec de lege ordinaria indigeret lumine, sed omninò connaturaliter tolleretur ejus impotentia per illam; siquidem nec indigeret illo ad dandam potentiam incompletam, & conditionatam, cùm illam habeat ratione sui, nec ad dandam absolutam, & completam, cùm vel etiam actuatus lumine adhuc indispensabiliter indigeat voluntate Divina parata concurrere, nec possibile sit Deum videre, Deo non offerente concursum simultaneum, ergo vel tenentur assignare aliquod intrinsecum, vel nunquam erit sufficiens ad videndum &c.

III. etiam manet altera impugnata in favorem Scotti, quæ recurrit ad subordinationem ad Divinum decretũ, itaut licet independenter ab illo, quo nempe statuit ab æterno cum intellectu concurrere, nequeat visionem præcontinere, potest tamen ex subordinatione ad illud; sicut dicitur de phantasia, quòd ex subordinatione ad intellectum sit potens producere speciem impressam, quam ratione sui præcisè producere non posset. §. Sed in primis quoad hoc exemplum constabit infra latum discrimen; quoad solutionem facilè rejicitur ex dictis, nam assistentia quæcumq; extrinseca, sive per decretum, sive per omnipotentiam, aut quodlibet aliud assignabile, nullo modo variat intrinsecè potantiã ità ut nullo intrinseco superaddito manet intrinsecè, sicut prius, ergo si ex propriis non habet, nec habere potest, ut probatum est; præcontinentiam actus supernaturalis, impossibile est, quòd ex vi alicujus tantum extrinseci illam producat, aliàs perpetuò eliciet actum, quem non præcontinet. Tum quia, ut dicebamus; (& simul iterum impugnantur superiores solutiones;) hujusmodi subordinatio cum intrinsecè virtutem non addat; (ut supponimus ex Contrariis,) solum potest esse extrinseca denominatio, aut relatio unionis, vel præsentiæ ad

Deum

Deum sic extrinsecè determinantem, vel auxiliantem, quas certum est in bona philosophia non posse esse rationem agendi. Nec iterum potest esse aliquod Divinum, ut dictum est; nisi ratione alicujus intrinseci producti in creatura, cùm non nisi ratione illius intrinseci à se causati habeat specialem unionem supernaturalem cum illa ob rationem adductam, quia nempè hujusmodi unio petit creaturam noviter referri ad Deum relatione reali, ut per se patet, quod salvari nequit sine reali intrinseca mutatione, ob quam aliter respiciat Deum nunc, quam prius, ergo impossibile est de primo ad ultimum posse haberi visionem excluso omni intrinseco &c.

Urg., & explic. hæc omnia. Nam excluso omni auxilio tam intrinseco, quam extrinseco intellectus est impotens omninò ad videndum, ut fatemur omnes, ergo solo superaddito extrinseco nequit fieri potens, prob. conf., quia impotentia intellectus non est purè extrinseca, sed intrinseca; sed hæc non tollitur per aliquod purè extrinsecum, ergo solo superaddito extrinseco nequit fieri potens, conf. tenet, mi. etiam constat, quia auxilium purè extrinsecum intrinsecè non afficit potentiam, nec illam immutat, aliàs purè extrinsecum non esset, sed implicat in terminis, quòd tollatur impotētia intrinseca per aliquod intrinsecè non afficiens, nec immutans, ut per se patet, & proximè ex dictis, nam intecta intrinsecè remanente potentia manet intrinsecè sicut prius, nec potest noviter realiter referri creatura ad Deum, ut aliàs tenetur, ut dictū est, ergo impossibile est, quòd verificetur trāsitus intrinsecus de intrinsecè impotente ad esse potentē solo superaddito extrinseco, ma. verò prob. tum quia, ut vidimus, de fide est saltem de facto requiri lumen gloriæ, sed non ad supplendam impotentiam purè extrinsecam ut ostensum est; & tenentur fateri contrarii, cum dicant hanc suppleri posse per aliquod extrinsecum ergo vel tenentur etiam fateri, quòd sit impotentia intrinseca, vel quòd iterum lumen gloriæ non sit necessariū etiam de facto, vel de lege ordinaria.

Tum quia impotentia intellectus est impotentia potentiæ vitalis, cum intellectus potentia vitalis sit, aliàs non viveret per visionem, ergo est impotentia intrinseca, quod enim pertinet ad lineam vitalem est quid intrinsecum &c.

Urg. ulterius. Nam auxilium extrinsecum consistit, vel in omnipotentia sic intimè, sed extrinsecè tantum auxiliante, vel in voluntate divina parata concurrere per concursum simultaneum, sed neutrum sufficit, ut constituatur intellectus potens videre, ergo, prob. mi., quia nequit intellectus sic constitui potens per exclusionem impotentiæ intrinsecæ, nisi noviter intrinsecè se habeat nunc, aliter quam priùs, aliàs non evacuatur ejus impotentia intrinseca, sed manet intrinsecè impotens sicut antea, at creatura, ut dictum est; nequit noviter se habere, aut referri ad Deum sine aliquo intrinseco, & nisi ratione alicujus realis mutationis in ipsa factæ, ob quam aliter respiciat Deum aliter nunc, quàm priùs, ergo stando in auxilio extrinseco, quodcumque sit, nequit constitui potens videre Deum. Undè videtur implicantia in terminis, quòd constituatur completè, vel absolutè potens posito tantum aliquo purè extrinseco, quia repugnat intelligi ratio potentis complete, manente adhuc aliqua ratione impotentiæ. Præterquam quòd, ut latè ubi supra ostensum est, concursus simultaneus, cum non sit in causam, sed in effectum non dat vires potentiæ, sed supponit, ergo cum in ordine actum supernaturalem præcipuè adæquari, & secundū substantiam, supponere illas non possit in pura natura, impossibile est, quòd per illum solum potentia sic supernaturaliter operetur.

Quòd si dicas, quòd licet supponere non possit independenter ab omni extrinseco auxiliante, secus tamen posito isto, ut patet à simili in duobus portantibus lapidem, qui licet seorsim sint insufficientes ad portandum, secus tamen altero adveniente, & juvante. Et hinc etiam dici potest, quòd salvetur sufficiens mutatio ex parte potentiæ, quia licet non mutetur formaliter, scil. per aliquam formam intrinsecam superadditam, saltem tamen mutatur virtualiter, quia est talis conditionis, aut virtutis, ut posito influxu alterius concurrentis, præcipuè superioris, & infinitæ efficaciæ fit in exercitio potens, & transit de potentia ad actum, cum aliàs in absentia ejus, vel remoto omni auxilio extrinseco non posset transire ad illum &c.

Contrà hoc est. Et in primis hæc solutio exemplo adducto destruit se ipsam, nam supponit, quòd potentia ex subordinatione ad omnipotentiam, vel voluntatem divinam paratam sic concurrere, fiat potens ad eliciendum actum, sed prædictum exemplum tollit hanc subordinationem, quia licet unus portans indigeat voluntate, & concursu alterius, ut sit potens in exercitio portare, aut ut portet, non tamen fit potens, potentia subordinata illi, cum virtutem non accipiat, nec acceperit ab illo, nec sit major ratio, quòd unus magis, quàm alter alteri subordinetur, cum æqualis sit mutua indigentia concursus alterius; tum quia, ut supra, & alibi dicebamus; si præcisa indigentia extrinseci concursus sufficeret ad salvādam subordinationem respectu extrinseci concurrentis, teneremur etiam asserere, quòd pariter Deus subordinetur creaturæ in suis actionibus vitalibus, ac proinde etiam in visione, quia cum hæc, & quælibet in universum vitalis actio, indispensabiliter ab intrinseco viventis per illam procedat, non poterit Deus ad eam cōcurrere, non cōcurrente simul creatura, ergo si propter hoc nō dicitur Deus subordinari creaturę, nec similiter prędictus portans alteri portanti, nec pariter intellectus, à quo homo in casu auxilii extrinseci, dicitur intrinsecè potens, subordinabitur Deo, ut Auctori supernaturali, cum ab illo ut Auctore supernaturali non fit.

Deinde hujusmodi solutiones sunt perpetuò de subjecto non supponente, quòd in natura supponi possit aliqua vis proxima, vel efficacia etiam incompleta in ordine ad actus hujusmodi supernaturales, sicut supponitur in uno ab altero portante, quod tamen latissimè impugnatum est, undè impossibile est posse mutari per transitum ad actum non supposita aliqua efficacia intrinseca ad supernaturaliter agendum, quam tamen auxilium extrinsecum non confert, sed supponit, & solum diceretur compleri, vel juvare, si ad esset, adhuc tamen sine subordinatione, ut dictum est, & patet in eodem exemplo. Tum quia si etiam sic concurreret, ut iterum patet in prædictis portantibus, non tantum concurreret partialitate causæ, sed etiam partialitate effectus, cujus modo oppositum supponimus, ut dictum est &c.

Denique reiicitur alia recentiorū solutio, seu explicatio, quòd dum Deus se solo sic assistit in absentia luminis robustiorem præbet concursum, quem exhibet in consortio ejus, quia nempè in absentia gerit munus duplicis causæ, scil. universalis, & particularis, sicut robustiorem præbet ad efficiendam visionem intuitivam

vam sui, dum simul ad illam concurrit per modum objecti, & per modum causæ primæ, quàm si solum hoc posteriori influxu concurreret, nempe per modum causæ primæ, concurrente specie creata, (si admittatur possibilis,) concursu objectivo, sicut similiter alio concursu concurrit efficiendo se solo ignem, & efficiendo illum simul cum alio igne. Quod etiam placet explicare alio duplici exemplo in nostra sententia, ut deinde non obstantibus hujusmodi subtilitatibus magis appareat veritas conclusionis. Nam nos etiam dicimus, quòd quia Deus in primo instante angelico non præcise concurrit concursu generali, aut causæ primæ, sed etiam ut particularis motor, & determinans, ita assistit Angelo in eodem instanti, ut faciat eum in illo impeccabilem, unde hac ratione dicimus, quòd Angelus in primo instanti peccare non potuit, cum tamē in secūdo peccare potuerit, & plures de facto peccarunt, Deo tantùm concurrente priori concursu, aut causæ primæ. Similiter etiam communiter sustinemus, quòd si Deus se solo concurrat, potest habere influxum creativū, & de facto præcipuè habuit in prima mundi productione, cū tamen illum habere non possit semel assumpta creatura in consortio sui ad aliquid producēdum, unde dicimus nullam creaturam etiam per modum instrumenti concurrere posse ad creandum, ergo tenemur fateri, quòd robustiorem præbeat concursum dum simul influit, & assistit Deus non solum concursu generali, aut per modum causæ primæ, sed etiam particulari, quàm dum priori tantùm concurrit, vel quòd alio concursu concurrit, dum se solo concurrit, & alio dum concurrit in consortio creaturæ, & consequenter, quòd dum in absentia luminis in unum Dei concursum conveniunt concursus duplicis causæ, scil. universalis, & primæ, & concursus causæ particularis, robustiorem tunc præbeat concursum sufficienter, ut intellectus Deo sic particulariter assistenta elicere possit visionem &c.

Sed hæc etiam solutio, cui Ripalda, & alii recentiores confidunt; facilè etiam impugnatur ex dictis; tum quia nequit Deus sic specialiter concurrere non supposita speciali sui unione supernaturali cum creatura, sed hæc unio, ut probatum est, intelligi nequit excluso quocunque intrinseco realiter superaddito in illa ob novam ejus relationem realem cum Deo ratione mutationis realis in ipsa factæ, secundùm quam aliter respiciat Deum nunc quam priùs ergo.

II. Nam quamvis specialiter, aut specialissimo quocunque modo concurrat, implicat tamen quòd faciat creaturam agere sine ratione agendi, sed iterum excluso omni intrinseco nulla assignari potest ratio agendi, ut latè probatum est, ergo.

III. Ad hominē ex propria doctrina præfati Auctoris, qui lib. 2. de ante supernaturali disp. 38. sect. 7. nu. 46. docet, quòd visioni elicitę medio auxilio extrinseco repugnat fieri per intrinsecum, & econtrà, quia nempè ex propriis, vel essentialiter petit se ipsa fieri ex suis principiis. Ex qua sic arguitur. Salva hac doctrina verificari nequit munus duplicis causæ universalis, vel primæ, & particularis supplendo vices luminis elevantis intrinsecè robustiori concursu, ergo, prob. ant., salva hac doctrina non est tunc eadem visio cum producta de facto per auxilium intrinsecum, cum huic essentialiter repugnet fieri per extrinsecum, ut ipse dicit, ergo non potest verificari, quòd suppleat tunc vices luminis concursu particulari, & consequenter robustiori, prob. conf., quia implicat in terminis, quòd visio, cui essentialiter repugnat fieri per auxilium intrinsecum, fiat per concursum suppletivum auxilii intrinseci, aliàs repugnaret, & non repugnaret fieri per istud, ergo facta per extrinsecum nequit dici, quòd fiat per concursum robustiorem, sive per concursum Dei particularem, imò concursus iste supposita eadem doctrina est de subjecto non supponente, vel etiam repugnante, si semel facta per unum concursum, vel auxilium repugnat fieri per aliud &c.

Explic., & urg. hoc. Juxta prædictam doctrinam hæc duo sunt incompossibilia, quòd visio facta per unum auxilium sit eadem cum facta per aliud, imò quòd repugnet fieri per istud, ergo tunc etiam repugnat verificari, quòd sit facta per cōcursum robustiorē, prob. conseq., nam ex eo posset sic verificari, quia Deus tunc concurreret concursu etiam particulari supplente vices luminis, vel auxilii intrinseci, sed stante eadem doctrina concursus iste repugnat respectu visionis factæ per extrinsecum, cum huic juxtà illam repugnet fieri per intrinsecum, ergo pariter repugnabit verificari fieri per concursum robustiorem, sive particularem suppletivum intrinseci &c.

Explic, & urg. ulteriùs retorquendo eadem exempla. Nam ex eo verificari potest, quòd Deus se solo producens ignem præstet robustiorem concursum, aut suppleat munus duplicis causæ, scil. primæ, & particularis, quia idem effectus est ignis productus à se solo, cum producto in consortio alterius ignis, & quia etiam conaturaliter petit fieri ab igne, ut à causa 2., & à Deo, ut à causa 1., sed supposita eadem doctrina totum oppositum contingit respectu visionis factæ per auxilium extrinsecum, cùm juxtà illam repugnet eidem fieri per intrinsecum, & consequenter quòd sit eadem, & quòd connaturaliter petat fieri per istud, sed magis illi repugnet, ergo non solum verificari nequit, quòd fiat per concursum robustiorem, aut per particularem suppletivum intrinseci in absentia illius, sed magis repugnet fieri per talem concursum &c.

Ex quibus etiam retorquere possumus alia exempla, & primum quidē de visione respectu concursus objectivi, vel à se ipso immediatè exhibiti, vel media specie superaddita, si daretur; nam supposita possibilitate hujus speciei non est in visione talis repugnātia respectu utriusque concursus, idem enim est specificè objectum sicut modo respectu omnium visionum; licet connaturaliùs sit Deo se ipsum immediatè repræsentante, non tamen exclusivè respectu speciei creatæ supposita eadem possibilitate.

III. Etiam de particulari concursu ejus in 1. instanti dicimus ita esse ob rationem D. Thom., quia peccatum illud tribueretur Auctori, nam omnis actio, quæ incipit cum esse rei tribuitur Auctori, cæterum quòd idem concursus sufficiat, sive robustior sit, sive non, ad eliciendum actum meritorium, vel supernaturalem, sive in illo, sive in quocunque alio instanti absque auxilio intrinseco, nullus asserit Thomistarum, unde similiter discurrimus, sicut hic, & respectu cujuscunque actus supernaturalis, ob eandem perpetuò rationem, quia produceret potentia actum, quem non præcontinet, & sine ratione agendi, & aliter nunc intrinsecè se haberet relativè ad Deum ex vi mutationis realis intrinsecæ sine omni superaddito intrinseco, quod est impossibile; nam nullum extrinsecum quomodocunque explicetur, dat intrinsecam præcontinentiam, vel rationem agendi, aut intrinsecam mutationem facere potest, ut constat ex dictis, & per se pa-

tet

tet, alias quid purè extrinsecum non esset.

IV. Demum de influxu creativo ex dictis alibi de cælo, & mundo constare potest, quòd licet ita sit influxū Dei in consortio creaturæ aliquomodo limitari, aut determinari, & ideò impossibile esse, quòd possit prout sic esse creativus; hoc tamen meritum à priori habet creatio ex propria sui natura, quia nempè ex conceptu sui desitivo habet, quòd sit productio totius entis, sive attingens ens in quantum ens, & ideò est productio ex nihilo, sive ex nullo præ supposito subjecto habens pro termino à quo non ens, sive nihilum, in quo importatur virtus infinita, quæ statim consequenter limitatur, aut determinatur semel assumpta creatura in consortio influxus divini, & ideò iste statim cessat à ratione influxus creativi, cum intra forum infiniti nullo modo creatura præcipuè in foro physico, sive in linea entis, sive in linea operativa ingredi possit, utpotè essentialiter finita, sive ens potentiale, vel per participationem in utraque linea.

Tandem impugnari potest eadem solutio; quia ex nullo capite subsistit hujusmodi concursus, scil. nec ex parte intellectus, neque visionis, nec ex præjudicio supernaturalitatis, nec videtur aliud assignabile; nō primum, quia intellectus non est minus insufficiens de se, & ex vi propriæ entitatis in ordine ad visionem media elevatione intrinseca, quàm elicitam media extrinseca; utrobique enim, ut ipsi dicunt; est tantum potens partialiter, & impotens totaliter, seu per modum causæ totalis, & per concursum indebitum, ergo non magis indiget robustiori ad elicitam per auxilium extrinsecum, quam per intrinsecum, nam in sufficientia ejus est æqualiter juvanda in absentia, & in præsentia intrinseci per æqualem concursum, & auxilium, si semel æqualis est.

Non etiam ex parte visionis, seu ex natura utriusq; quia ex eo posset sic ex propriis earum exigi, quatenus Deus extrinsecè tantum concurrens suppleret vices auxilii intrinseci, sed hoc, ut vidimus; in propria eorum doctrina repugnat, ergo.

Non denique ex conceptu supernaturalitatis, quia iterum juxtà eorum principia, ut constat ex dictis, salvatur cum sola ratione indebiti ex parte concursus principii supernaturalis, sed potest Deus ut Author supernaturalis sic indebitè concurrere solo concursu causæ primæ vel universali, ergo, prob. mi., tū quia de facto concurrens intrinsecè per lumen, concurrit, ut Author supernaturalis, & tamen non habet sic particulariter à concurrere, ut supponimus, alias extrinsecus non esset concursus robustior, ut dicunt, sed æqualis; tum quia, ut Auctor naturæ potest sic indebitè concurrere concursu causæ universalis, & primæ, ut patet quando ad victoriam gravis tentationis ex motivo tantùm naturali cum homine lapso concurrit, ergo poterit similiter concurrere ut Auctor supernaturalis concursu causæ universalis, & primæ; tū quia non est assignabilis repugnantia concursus indebiti respectu Dei, ut causæ universalis, & primæ &c.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

Probabilius existimo in doctrina D. Thom. posse visionem elici ab intellectu creato sine habitu luminis cum sola qualitate fluida, sive auxilio actuali, & dispositione transeunte. §. Prob. 1. ex illo in 4. dist. 49. q. 2. art. 7. in corp., ubi postquā dixerat lumen gloriæ esse dispositionem elevantem, & disponentem intellectum ad videndum Deum subdit. Per miraculum fieri posse à Deo, ut intellectus videat divinam essentiam sine tali dispositione, ergo cum aliàs non excludat omnem qualitatem intrinsecam, ut cummuniter supponimus in doctrina ejus, poterit de mente illius haberi visio cum sola fluida, aut transeunte, quæ licet suo modo etiam inhæreat, aut afficiat subjectum, non tamē habet modum inhærentis, quia pronè sic magis se tenet ex parte Dei infundentis, cùm sit per modum transeuntis, aut passionis causatæ à Deo, sicut similiter dicitur de habitu luminis par modum transeuntis, aut passionis communicato in opposita sententia. § Idem docet ad 4. ibidem, & 5. concedens miraculosè prædicto modo vidisse Moysem, & Paulum. *Non enim*, ad 4 ait; *erat ex dispositione in intellectu existente*. Ecce habitus luminis (per modum existentis, seu permanentis in intellectu,) *sed ex sola divina virtute quasi miraculosè*; ecce qualitas fluida tenens se ex propriis ex parte infundentis, & propterea dicit id fieri virtute divina non quasi intransitivè per puram ejus extrinsecam assistentiam, ut fatentur omnes ejus discipuli, sed quia non sit per aliquod intrinsecum permanens, sed magis tenens se ex parte Dei. Et licet lumen per modum transeuntis communicatum dicatur etiam non habere modum existentis, vel inhærentis, aut permanentis, sed similiter tenentis se ex parte infundentis, hoc tamen non habet veluti ex propriis, sicut eadem qualitas transiens, sed quasi per accidens, nam absolutè sumptum stat tantùm pro habitu, seu qualitate existente, vel permanente, ut bene advertit Mag. Ferre §. 4. num. 858. &c. D. Thom. verò dum ait *sed ex sola virtute divina* non leviter insinuat, se loqui de qualitate fluida, aut tali per modum transeuntis, aut passionis ex propriis, cum loquatur de illa exclusivè, aut contra positivè ad qualitatam existentem, seu ex propriis permanentem, ut patet ex verbis ejus.

III. Hoc ipsum videtur concedere 22. qu. 175 ar. 3. ad 2., ubi, (ut rectè etiam ponderat Mag. Catalam hic concl. 2.,) cum dixisset Deum non posse videri sine lumine gloriæ, hoc est sine lumine supernaturali, quod est participatio divini luminis, subdit, *hoc autem lumen dupliciter participari potest uno modo per modum formæ immanentis, ut in patria; alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dictum est de lumine prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paolo &c.* Ita D. Thom.

Nec videtur posse explicari ex Illustriss. Godoy de lumine, quod essentialiter sit habitus, & tantùm dispositio secundùm modum; quia (ut subtiliter opponit hic posterior Magister) D. Thom. affirmat tale lumen sic esse dispositionem transeuntem, sicut est lumē propheticum, de quo ex professo qu. 171. art. 2. (ad quem locum se refert) ostenderat non esse habitum, sed dispositionem; & Cajet. ibid. affirmat lumen propheticum ex mente S. Thom. dispositionem esse ex se facilè transeuntem, distinctam essentialiter ab habitu.

IV. Nam qu. 10. de veritate art. 11. affirmat Deum sicut miraculosè fecit ambulare Petrum super aquas sine hoc, quòd ei dotem agilitatis tribueret, ita posse facere, ut mens divinæ essentiæ uniatur in statu viæ modo illo, quo unitur in patria sine hoc, quòd lumine gloriæ perfundatur. Et qu. 13. art. 2. in corp. loquens de

de visione Pauli in raptu, asserit ex ipsa conditione luminis mentem eius illustrantis, habuisse visionem illam, ut non esset permanens. Sentit ergo lumen illud ex propria ratione, & conditione habuisse, ut dicebamus, quòd esset facilè transiens, ergo non erat habitus, sed dispositio, alioquin ex sua conditione fuisset permanens, & quantum est ex parte ejus habuisset visio permanentiam, & aliunde per accidens, quòd non esset permanens &c.

Scio alibi Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 4. n. 16. & 17. negare, posse dari aliquam qualitatem, aut virtutem actualem esse sufficientem ad actum supernaturalem eliciendum: quod cum asserat ibi in ordine ad actus præcedentes infusionem habitus, vel qui eliciuntur sine illa, à fortiori tenetur negare in ordine ad supernaturalem perfectionem visionis, unde ad priores actus etiam de lege ordinaria dicit Deum per se ipsum immediatè supplere efficientiam habitus, & de absoluta posse ad omnes, ut alii etiam dicunt ex eodem, ut vidimus supra, & consequenter duplici ratione ad eos concurrere, nempè ut primam causam in ordine gratiæ, & ut causam principalem proximam, non tamen integram, seu totalem, quia non excludit activitatem potentiæ; nam sicut habitus, inquit, juvat potentiam, ita Deus potest illam juvare, & sicut habitus est virtus inhærens, ita potest dici Deus virtus assistens.

Cæterum hæc solutio, vel doctrina, quoad hanc posteriorem partem de pura assistentia extrinseca in ordine ad alios actus supranaturales perfectos, vel supponentes habitum respectu potentię absolutę sufficienter impugnata est. In ordine verò ad alios præcedentes infusionem ejus adhuc de lege ordinaria, spectat ibid. in materia de gratia: sed videtur omninò insubsistens, & aliena à bona Theologia. Quia ad suavem Dei providentiam pertinet dare coilibet causæ secundæ creatam virtutem in suo ordine sufficientem, & proportionatam ad eliciendam operationem, quam tenetur elicere, ergo ad eandem pertinebit tribuere potentiæ virtutem supernaturalem creatam, sufficientem ad producendam supernaturalem actionem præviam ad infusionem habitus gratiæ.

Quod vero asserit in priori parte solutionis ex eodem num. 17. relato ita esse, quando talis virtus est possibilis, secus vero quando non est possibilis, ut supponitur in casu; gratis omninò negari videtur hujusmodi possibilitas, nam quis credat Deum non posse infundere potentiæ creatæ sufficientem, & proportionatam virtutem ad eliciendum supernaturalem actum, quem juxta Dei providentiam potest, & tenetur elicere? tum quia non repugnat intra ordinem naturalem dari qualitates intentionales per modum impulsus, aut impressionis ex se facilè transeuntis, ut patet in motu projectorum, & in speciebus sensibilibus in aere, ergo nec repugnabit fieri posse à Deo qualitates aliquas supernaturales ex se facilè transeuntes intra ordinem gratiæ, vel supernaturalem. Nec enim videtur assignabilis vel apparens ratio contradictionis: & certè D. Tho. 22. ubi supra qu. 171. ar. 2. ad 3. & 3. cont. Gent. cap. 154. expressè docet gratiam miraculorum qualitatem esse per modum impulsus, & impressionis transeuntis à Deo infusam. Et idem sæpè docet de aliis gratiis gratis datis.

Deinde Concil. Trid. sess. 6. c. 5. definit peccatores per excitantam, atque adjuvantem gratiam se disponere ad justificationē, eidem gratię liberè assentiendo, & cooperando; constat autem non aliter sa disponere nisi contritionis aut atritionis actum eliciendo, ergo per adjuvantem gratiam eliciunt hos actus §. Dicere autam 1. ex eodem Suarez n. 18. quòd nomine gratiæ adjuvantis non intelligit Concilium aliquod creatum, sed increatam Dei virtutem, vel Deum ipsum, ut assistentem potentiæ, & paratum eam specialissimè juvare, & sublevare ad supernaturalem actum efficiendum, videtur iterum gratis asseri, nam apertè loqui de gratia creata constat primò, quia præmiserat propter Christi merita à Deo conferri peccatori. Secundò quia eodē tenore verborū loquitur de gratia excitante, & de adjuvante, ergo sicut nomine gratiæ excitantis in omnium sententia intelligitur donum creatum, ita etiam intelligendum est nomine gratiæ adjuvantis. Tertiò quia subdit Concilium, hominem in se recipere, & posse abjicere, si velit, talem inspirationem Spiritus Sancti, per quam Deus tangit cor ejus, ergo expressè sentit esse aliqod creatum.

Quamobrem forte veritus solutionis insufficientia, resp. secundò admittendo, quòd per gratiam adjuvantem intelligat aliquod creatum inhærens potentiæ, nihilominus ait non esse aliquod præcedens actum illius, sed ipsummet actum, & consequenter, quòd contritio prout est à Deo, sit gratia adjuvans, in quo convenit cum Vasquez qui in hac prima parte disp. 88. cap. 6. 7. & 8. & 1. 2. disp. 185. per multa capita existimat nostros actus indeliberatos esse auxilium intrinsecum ad eliciendos actus liberos &c.

Sed hæc solutio videtur insufficientior præcedente, quia Concilium apertè asserit hominem eidem gratiæ liberè consentiendo se disponere, & posse eam abjicere si velit, ergo gratia illa est aliquod præcedens voluntatis consensum, & consequenter nequit coincidere cum ipsa contritione, quia hæc est formalissimè ipse consensus voluntatis, vel illum supponit §. Secundò quia Concil. manifestè supponit per talem gratiam adjuvari hominem peccatorem ad eliciendum supernaturalem actum contritionis, qua se disponit ad gratiam, ergo per gratiam adjuvantem non intelligit ipsum actum conversionis. Nā ridiculum planè videtur asserere potentiam eodem actu conversionis juvari ad illum eliciendum, quia idem esset causa sui ipsius, & præcederet se ipsum §. Præterquamquòd actus potentiæ nequit juvare potentiam nisi existat, sed existere nequit, nisi à potentia effectivè procedat, quia ut adversarii contendunt, & nos admittimus, actus potentiæ, nec prioritate naturæ fit priùs à Deo, quam à voluntate creata, sed omninò simul, ergo neq. ut procedit à Deo potest esse id, quo juvatur potentia ad illū eliciendum: & hæc obiter dicta sint, nam latè alibi impugnavimus in materia de gratia &c.

Secundò prob. ratione urgendo superiora. Non est assignabilis repugnantia ad sic videndum Deum per qualitatem fluidam, vel actualem, & alias magis consonat doctrinæ D. Thom. ergo saltem ut probabilius est affirmandum in doctrina ejus; cons. tenet: ant. quoad 2. partem constat ex auctoritatibus adductis; quoad 1. verò prob. 3 quia non repugnat ex parte luminis, nec ex parte intellectus, nec ex parte visionis, ergo ex nullo capite; cons. iterum tenet, quia non videtur aliud assignabile, ut statim etiam constabit ex contrariis, ant. verò prob. primò quòd non ex parte luminis, quia non repugnat produci à Deo supernaturale lumen, quod sit participatio luminis Divini, & sit qualitas ax se habens esse per modum dispositionis transeuntis, quia ut docet D. Tho. 22. ubi supra, & de

de veritate qu. 12. ar. 2. lumen propheticum supernaturale est, & ex sua ratione formali dispositio transiens, non habitus. Secundò quòd non ex parte intellectus, quia non repugnat intellectum sine supranaturali habitu producere actionem vitalem supernaturalem, ut patet respectu actus prophetiæ, qui supernaturalis est, & in primo actu fidei, quem probabile est etiam de facto produci ab intellectu sine habitu fidei: ex quo etiam prob. 3. pars quòd neque ex parte visionis; quia vel repugnaret ex quo supernaturalis, vel ex quo vitalis est, utrumque autem instatur in eisdem actibus, ergo ex nullo repugnat &c.

Dices ex Illustris. Godoy; (ad quod etiam recurrit Suarez) repugnare specialiter ex parte visionis, non quia præcisè supernaturalis, aut actio vitalis sit, sed quia ex sua natura est permanens, & incorruptibilis, ac proindè petit principia, à quibus procedit, quòd permanentia sint, & non fluida: ex quo infertur pariter repugnare ex parte luminis, non quia iterum repugnet supernaturalis participatio luminis increati etiam per modum qualitatis fluidæ, aut transeuntis; & respectu actionis vitalis supernaturalis, ut benè instatur in exemplis adductis, sed quòd sit participatio fluida luminis Divini, quo Deus intuetur se ipsum, & consequenter, quòd sit participatio fluida ejusdem luminis respectu visionis &c.

Sed contrà hoc est: quia de facto in patria datur hujusmodi participatio, ergo non repugnat, prob. ant. quià auxilium efficax, quod suppono in via Thomistarum concurrere cum intellectu beatorum ad producendam visionem quoad actualitatem existentiæ, est participatio ejusdem divini luminis, & qualitas supernaturalis habens esse per modum passionis, & motionis transeuntis, ut de cælo, & mundo, & de gratia ubi supra ostensum est, & suo etiam modo lumen est intellectuale quia cum sit principium cognitionis, manifestativum suo modo objecti, omne autem manifestativū, lumen est, ut docet D. Th. locis relatis ergo &c.

Dices eodem Illustriss. hic ad 1. neg., quòd prædictum auxilium sit ab intrinseco transiens, sed magis esse permanens; nec tamen ex hoc sequitur esse habitum, quia non quælibet permanentia, inquit, habitum operativum constituit, sed solum permanentia alicujus concurrentis per modum principii determinatè respicientis bonum, aut malum, verum, vel falsum; auxilium autem efficax non concurrit per modum principii, sed per modum applicantis principium.

Sed quidquid sit, an auxilium efficax sit nuda applicatio causæ secundæ ad agendum, an etiam virtus ultimatè saltem complens illam in ratione principii producentis, ut docent Alvarez disp. 19. de auxiliis, & Cabrera 3. qu. 18. art. 4. dub. 2., & M. Gatalam ubi supra dub. 11. concl. 2., de quo latè ibi dictum est; & quidquid etiam sit, an sola permanentia per modum principii sic determinatè concurrentis constituat habitū operativum; repugnat tamen, quòd qualitas ab intrinseco, vel ex sua ratione formali pendens ab influxu Dei, non præcisè ut conservantis in esse (nam prout sic pendent omnes creaturæ) sed ut in exercitio moventis, vel excitantis habeat prout sic rationem, vel modum permanentiæ, sed magis actualis influxus, vel impulsus, aut tendentiæ transeuntis, ut efficaciter ostendit idem M. Catalam ibidem dub. 5. in solutione 3., & 4. confirmat. primi contra Suarez: nam aliud est, quòd diù aut perpetuò etiam maneat, vel duret, aliud verò quòd ex hoc habeat attenta sui ratione formali talem modum permanentiæ, unde inquit idem Mag. vel ex ipsomet Suarez disp. 4. metaphisicæ sect. 6. nu. 16., quamvis visio, & amor Dei in patria, & cognitio, qua Angelus cognoscit se ipsum sine variatione in æternum durent, non tamen dicuntur quid permanens, sivè habitus, sed dispositiones, quia ex se habent permanere non posse sine influxu intellectus, & voluntatis ut actualiter operantis, & ideò ex se habent esse per modum fluxus, & tendentiæ. Sic pariter; subdit cōtrà eundē Suarez, quamvis auxilia Dei efficacia, quæ conferuntur ad prædictas operationes eliciendas in patria sine interruptione durent in æternum: & sufficientia, & efficacia, quæ in hac vita nobis conferuntur, per longum tempus protrahantur, non tamen dicenda sunt quid permanens, vel habitus, quia ex propria ratione formali pendent à Deo, ut in exercitio movente, & excitante nos ad agendum, & ideò ex propria ratione formali habent esse per modum actualis fluxus, aut impulsus, vel tendentiæ transeuntis §. Hujus etiā præmiserat rationē iam insinuatam ex discrimine inter habitum charitatis, & gratiæ, & inter hujusmodi auxilia, quòd prædicti habitus non pendent ab influxu Dei ut moventis ad agendum, sed ut conservantis in esse, influxus autem Dei ut conservantis charitatem in esse, permanens est, quia influxus hic conservativus rerum accommodatur rebus conservatis juxtà illarum exigentiam, & ideò si juxtà propriam naturam petat res permanenter esse, influxus censetur permanens, & è contrà: cæterum influxus Dei moventis causas secundas ad operandum de se transiens censetur, quia debet accōmodari ipsis operationibus, quæ de se petunt habere esse per modum fluxus, vel tendentiæ transeuntis, unde ex hoc quòd visio in patria habeat durationem, vel permanentiam æternam, & quòd in æternum duret non infertur quòd ex propria ratione formali, secundum quam est essentialiter operatio, non habeat modum fluxus, & tendentiæ transeuntis, quidquid sit quòd ex vi luminis ibi permanenter, seu per modum habitus infusi gaudeat eadem permanentia, sicut ex opposito visio Pauli in raptu habuit, quòd non esset permanens, ut vidimus, ex D. Th. q. 13. relata de veritate art. 2., ex ipsa scil. conditione luminis tunc sibi communicati, quod non fuit quid permanens, sed magis dispositio, vel passio transiens, undè utrobique auxilium, vel influxus Dei ut moventis juxtà meritum naturæ operationis, ad quam movet, habet ex propria raione formali, quod magis sit quid transiens, quàm permanēs, in quo deindè superatur à lumine, quod absolutè, ut dictum est, sumitur pro habitu, & consequenter pro re permanente &c.

§. III.

Solvuntur Argumenta contra primam Conclusionem.

PRimò arg. præcipuo fundamento oppositæ sententiæ ex Vasquez, & Suarez ubi supra. Deus potest supplere efficientiam cujuscumque principii non vitalis, sed lumē gloriæ, sive habitus sit, sive qualitas alia à visione distincta non ast principium visionis, ut est operatio vitalis, ergo potest se ipso supplere efficientiam ejus producendo visionem cum solo intellectu sine aliquo auxilio, aut qualitate intrinseca, distincta à visione: ma. patet quia ut fatentur communiter Philosoſ. & Theologi, potest Deus se solo facere, quidquid facit cum causa

causa 2. efficiente non vitali, mi. verò probant, quia qualitas non nativa, sed ab extrinsecò adveniens viventi, nequit esse principium operationis vitalis, ut vitalis, nam sicut de ratione operationis vitalis, ut vitalis, est procedere à principio intrinseco viventis, ità de ratione principii proximi illius est, quòd oriatur à principio radicali substantiali viventis ergo &c.

Ad hoc ex dictis dist. in primis ma. Potest Deus supplere efficientiā principii non vitalis, ad hūc sensū, quòd producat solus sine concursu, & efficientia causæ 2. effectum, quem cum ipsa produceret, conc., & hic est sēsus illius propositionis indubitatæ apud Philosophos, & Theologos. Potest supplere per se ipsum, efficiendo, quòd causa 2. verè producat effectum sine formali ratione agendi, sive sine aliquo intrinseco principio, quo constituatur in actu 1. potens producere, nego ma., hoc enim, ut dictum est, esset efficere, quòd causa 2. simul agarat, & non ageret, quod implicat; unde licet Deus possit producere calorem sine igne, aut alia causa 2., nequit tamen fieri à Deo, ut ignis, aut alia causa 2. illum producat, ut causa principalis sine calore, aut alia virtute formaliter eminenter continente calorem, neque quòd instrumentaliter physicè, sine aliqua virtualiter instrumentaliter continente illum, unde etiam gratis admissa mi. nego conseq., quia aliàs intellectus videret, & non videret, cùm impossibile sit videre, vel agere sine ratione videndi, vel agendi.

II. Resp. neg. mi., ad prob. nego ant. absolutè loquendo, ad ejus prob. annexam, nego suppositum, quòd principium vitalis operationis supernaturalis procedat, aut procedere possit à principio intrinseco substantiali viventia, aliàs supernaturale non esset, sed dabitum naturæ, illudque posset natura exigere, quod implicat. Ad hoc argo, quòd lumen gloriæ, vel alia qualitas supernaturalis sit principium visionis, ut operatio vitalis est, satis est ut dicebamus; quòd sit principium intrinsecum, idest intrinsecè receptum in ipso vivente per realem informationem, & quòd sit participatio supernaturalis Dei, ut vivens est, vita intellectuali; nam neque principium naturale vitalis operationis tantam habet dependentiam, ut vidimus, à principio substantiali viventis, quantam operatio vitalis; quia ut ipsi fatentur nulla potentia fieri potest, ut vitalis operatio non procedat ab eodem substantiali principio, & tamen certum est principium proximum naturale operationis vitalis à solo Deo produci posse, ut patet in exemplo adducto visus cæco à nativitate restituti. Et ratio etiam utriusque est, quia non est de ratione viventis, ut se moveat per principium proximum, sicut est, quòd se moveat per actionem, sed quòd tantū cōstituatur per illud in actu 1. potens se movere; potest autē sic constitui per aliquid à se non radicatū, sed tantùm intrinsecè per realem informationē receptum, & quòd sit participatio Dei ut vivens est juxtà sui meritum; unde licet vitaliter influere nequeat per actionem à se non productam, vel ab intrinseco non procedentem, bene tamen per principium ab extrinseco adveniens, & realiter tantùm informativè receptum, & præcipuè respectu operationum supernaturalium, ad quas licet diceretur posse naturam partialiter influere, non tamen adæquatè, vel completè, sed cum perpetua indigentia saltem ex natura rei, alterius principii supernaturalis sibi intrinsecè superadditi, & indebiti, ut ipsi etiam fatentur ad salvandam, ut dictum est, earum supernaturalitatem, unde poterat argumentum retorqueri &c.

III. Resp. iterum distinguendo illam ma., media, vel cum causa efficiente, si hæc tantùm concurrat in genere efficientis, transeat, vel conc., si etiam in genere causæ formalis nego, quia hoc genus ob sui imperfectionem est insupplebile à Deo. ut suppono ex physicis; lumen autem gloriæ, & alia hujusmodi dona, vel habitus tenentes se ex parte potentiæ, ut virtutes ejus, tenētur eam omninò informare, quia tenentur simul constituere naturā vel esse supernaturale, ad quod sequatur operari, aliàs dabitur operari nō supposito esse, quod repugnat; sicut & constituere esse, vel naturam non supposita informatione, ut dictū est, unde idem lumen non præcisè habet effectivè concurrere ad visionem, sed priùs informativà ad potentiam constituendo simul tale esse, vel naturam accidentalem in illo ordine, ac proinde dando illi virtutem, & præcontinentiam actus &c.

Sed contra hanc, & superiores solutiones instas 1. Non est repugnantia, quòd Deus præcisè suppleat munus luminis omissa imperfectione influxus formalis, ergo poterit se solo dare virtutem potentiæ ad eliciendam visionem in absentia ejusdem luminis; prob. ant. nam se solo supplet vices subsistentiæ creatæ in mysterio Incarnationis omissa imperfectione informationis; similiter hic supplet vices speciei intelligibilis sine eadem imperfectione, estò aliàs tam subsistentia creata, quàm species habeant informare, ergo si per sui substantiam facit immediatè humanitatem subsistere, & per sui essentiam facit immediatè objectivè intellectum videre, poterit id immediatè præstare subjectivè seclusa omni imperfectione &c.

II. In demonstratione theologica constante ex una præmissa naturali, & altera supernaturali, hæc supernaturalis sine omni informatione dat naturali virtutem ad influendum in assensum supernaturalem conclusionis, nam in vi, & consortio illius influit, cum aliàs ex propriis, vel se sola ad illum, utpotè supernaturalem, & excedentem influere non posset, ergo poterit similiter Deus sine prædicta informatione supplere, & dare se solo vires intellectui ad videndum.

Ad utramq; instantiā dico in primis, & præcipuè ad 2 quòd si aliquid probant, probant etiā de facto, & de lege ordinaria, imò etiam superiori instantia de essentia divina supplente vices speciei probaret etiam de impossibili, cum impossibile sit, ut latè ostendimus, quòd possit Deus sic objectivè concurrere ad visionem media specie creata, unde sunt ab eisdem solvendæ.

Sed deinde ad 1. nego ant., ob rationem adductam. Ad utramque prob. patet ex dictis, & alibi in materia de gratia, & 3. par. de incarnatione, esse discrimen, quòd neque subsistentia, aut species intelligibilis ut sic, vel abstrahendo à creata, & increata habent informare, sed prior tantùm terminare, & posterior objectivè determinare, cùm neutra per se ex sui unione cùm altero extremo constituat naturam, nec sit præcisè ad dandū vires, aut præcontinentiam actus, sed iterum prior ad sistendam, vel ultimò complendam naturam, posterior verò ad supplendum munus specificativi extrinseci, omnino necessarii ad intellectionem, quæ necessariò indigat concursu duplicis principii, ut probatum est; & ideò sunt à Deo supplebiles: cæterum lumen, & alii hujusmodi habitus operativi ob rationem oppositam, ut dictum est; nequeunt omninò præscindere à ratione informantis, ac proinde ab imperfectione Deo repugnante, nam in eo quòd lumen, (& sic de aliis) est virtus tenens se ex parte potentiæ, ut forma constituens

tuens illam in actu realiter physicè potentem operari, de ratione ejus est esse formam in genere rei, de ratione autem formæ in hoc genere est uniri ad constituendam tertiâ aliquam naturâ simul cum materia, vel subjecto, cui unitur, quod esse non potest, nisi forma per realem informationem tribuat aliquam effectum formalem subjecto, de ratione autem puri termini, ut est subsistentia, & de ratione puræ formæ in esse intelligibili non est ordinari ad constituendâ tertiâ aliquam naturam; aliàs modo de facto subsistentia divina constitueret illam in eodem mysterio, & essentia divina in illo visionis patriæ, quod est alienum, & ideò neutra petit uniri per informationem. §. Sumitur hoc discrimen ex D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 51. ubi ait. *essentia divina* (& idem est proportionabiliter in ratione terminandi de subsistentia divina) *potest comparari ad intellectum creatum, ut species intelligibilis, nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale, sequeretur enim, quòd simul cum aliquo unita constitueret unam naturam, quod esse non potest, cum essentia divina in se perfecta sit in natura, species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam*. Ita D. Thom.

Quòd autem lumen intellectuale si ab intelligente distinguatur, debeat ei uniri, ut forma per veram informationem tradit etiam D. Thom. 2. ibid. cap. 59. ratione 4. dicens. *Id quo aliquid operatur oportet esse formam ejus: nihil enim agit, nisi secundum quod est actu, actu autem non est aliquid, nisi per id, quod est forma ejus. Unde & Arist. probat animam esse formam per hoc, quod animal per animam vivit, & sentit*. Ita D. Thom. ergo cum lumen sit id, quo intellectus constituitur, ut dictum est, potens operari, tenetur esse forma ejus, scil. per veram, & realem informationem &c.

Ad II. pariter ex dictis supra in proœmialibus, & alibi in lib. poster. nego suppositum antec., quòd præmissa naturalis elevatur, aut fiat potens ex præcisa subordinatione ad alteram supernaturalem, vel ex sola extrinseca assistentia ejus, sed magis per aliquid supernaturale intrinsecum, scil. per lumen theologicum, aliàs in re juxta superiorem, & communem doctrinam Thomistarum magis esset entymema, quàm syllogismus, quia principium naturale elevatum per supernaturale uno indivisibili influxu concurrunt, ut explicatum est, ita ut tota, & adæquata proxima ratio influendi sit principium supernaturale, unde non multiplicant influxum, sicut contingit in duabus præmissis in syllogismo.

Sed instas 1. Quia secundùm probabilem modum explicandi etiam inter Thomistas præmissa naturalis ex meritis ejusdem subordinationis ad supernaturalem fit potens supernaturaliter influere, ut videre est apud Lermam ibidem. §. Secundò quia actus contrapositivè ad potentiam non est capax elevationis intrinsecæ, sic quòd media illa concurrere possit ut causa principalis ad effectum supernaturalem, ergo sine omni intrinseco informante fit potens ad influendum, prob. ant., si actus posset sic per aliquod intrinsecum elevari, pariter habitus naturales possent eodem modo elevari, sicut elevantur potentiæ, sed hoc est falsum, ergo prob., mi., quia aliàs essent superflui habitus supernaturales, sicut enim non dantur potentiæ naturales, & supernaturales, sed tantum naturales, quæ ut præveniunt elevationem operantur effectus naturales, & cùm elevatione supernaturales, ita similiter sufficerent habitus naturales ad omnes effectus &c.

Ad 1. dico in primis, quòd admisso eodem modo dicendi, vel non supposita alia elevatione intrinseca respectu præmissæ naturalis, quòd tunc hæc magis deserviet, ut explicativa alterius superna uralis, sive ad manifestandum, quòd id, quod distat lumen theologicum derivatum à lumine fidei non repugna lumini naturali, quàm ut causa principalis veluti ex æquo influens ad conclusionem, & ita solum extrinsecè influet, ut approbata ab altera supernaturali, ut sic dicamus; & in puro consortio ejus, & non in rigore præmissæ per elevationem intrinsecè connexæ ad constituendum syllogismum, unde in re, ut dictum est, magis erit entymema, quam syllogismus, & sola præmissa supernaturalis erit adæquata proxima vis influxiva per viam illationis.

Sed deinde eodem iterum admisso adhuc assignatur discrimen, quòd præmissa naturalis sic assumpta communicat in eadem, ut sic dicamus, radice cum supernaturali, scil. in ratione formali habitus theologiæ, cum assumatur ad inferendam conclusionem theologicam, vel supernaturalem, & ideò posse sufficienter influere ex subordinatione, vel unione cum supernaturali, qua ratione etiam diximus in secundo physic. posse potentiam, seu facultatem inferiorem ex subordinatione ad superiorem, cum qua communicat in eadem radice animæ, v.g. rationalis in homine, influere ad aliquem effectum ex vi ejusdem communicationis, ad quem aliàs non posset sine omni intrinseco superaddito. Per quod etiam solvi potest instantia superior de phantasmate, quamvis etiam ad illud dicatur aliquid intrinsecè descendere, de quo tamen, & aliis similibus instantiis dictum est in materia de auxiliis disp. 3. q. 1. §. 3. ad 3., & iterum dicemus infrà &c.

Ad 2. dist. ant. Actus non est capax elevationis sub munere actus transeat, vel conc., ut induit rationem causæ illativæ, vel complementi ejus, nego, & sub hoc munere elevatur præmissa naturalis, ut nempè assumitur sub munere complementi intellectus, cum unus actus virtute alterius inferre possit alium actum, licet elevari nequeat sub alio munere prout est attingentia sui objecti naturalis, ut fit per elevationê attingentia supernaturalis. Ad prob. verò ex paritate habituum iterum dico in primis esse solvendam à contrariis; nam si semel elevaretur habitus, deberet per alium habitum elevari, at non per alium naturalem, ut supponitur, ergo per supernaturalem, quod est convincere habitum, quem intendunt excludere.

Sed deinde respond. eodem modo, quòd sicut actus sub munere actus, sive in ratione tendentiæ, vel attingentiæ objecti elevari non potest, ut per modum causæ principalis influat, sic nec potest elevari habitus, sub munere habitus, quia cum sit determinatio potentiæ petit ex sua ratione formali, & specifica, tantùm illâ perficere in ordine ad objectum naturale, unde si elevatur, solum poterit elevari ut instrumentum, aliàs in ratione causæ principalis extraheretur à linea sui specificativi, quod implicat, ut dictum est &c.

II. Arg. Non repugnat visionem causari ab intellectu sub ratione vitalis, & à Deo auxiliante per concursum simultaneum sub ratione supernaturalis, ergo poterit fieri per solum auxilium extrinsecum, prob. ant. de facto alii actus vitales naturales sic producuntur à Deo causando immediatè entitatem, & ab intellectu causanta alia prædicata ejus, ergo sic etiam poterit ab utroque procedere visio.

 Ex-

Explic., & urg. hoc. Nam visionem sic procedere ab intellectu, & ab Omnipotentia extrinsecè tantùm auxiliante, non repugnat illi, nec ex prædicato vitalitatis, cum modo etiam procedat à principiis extrinsecis potentiæ, & non intrinsecè informantibus, scil. à Deo, ut simul concurrente, & ab essentia divina, ut gerente munus speciei: nec etiam ex alio supernaturalitatis, cum ponatur necessarius concursus Dei supernaturaliter assistentis licet extrinsecè, & consequenter superans exigentiã totius naturæ, quod satis est ad salvandam supernaturalitatem actus, ergo possibilis est visio sinè omni forma intrinsecè inhærente.

Ad hoc, sicut ad alia contrariorum iterũ patet primò ex dictis esse solvenda à contrariis, quia si aliquod probant, probant etiam de facto, & non tantum de possibili: sed pro omnibus nego ant. Tum quia ut sæpè dictum est; vitalitas visionis, non est abstrahens, aut de ordine naturæ, sed gratiæ, unde impossibile est, quòd etiam partialiter possit contineri in natura ratione sui. Tum quia licet daremus posse intellectum causare illam sub ratione vitalis, quia tamen tenetur etiam producere ut supernaturalem; si velimus producere sola partialitate causæ, ut dictum est omninò indiget aliquo intrinseco dante præcontinentiã saltem sub hac ratione. Ad probationem nego conseq; quia ut dictum est; ad alios actus naturales, utpotè non excedentes efficaciam eius, habet intellectus creatus vires proximas, undè præter concursum generalem non indiget aliquo speciali intrinseco dante eorum præcontinentiam, undè licet non possit eos ex propriis, vel ratione sui attingere sub universalissima ratione entis, quæ est proprius effectus Dei, ut dictum est; potest tamen sub particulari illius; cæterum respectu visionis ad nullum eius prædicatum habet efficaciam, vel vires proximas, ut probatum est; Et licet haberet, ut proximè dicebamus, ad illud vitalitatis, perpetuò tamen caret ad aliud supernaturalitatis, undè non sufficit ei concursus generalis Dei, seu ut primæ causæ cum solo speciali, sivè ad eandem universalissimam rationem entis, sivè puro extrinseco ad idem supernaturalitatis. Et quidem hoc arg. adhuc est retorquendum in nostro intellectu respectu naturalium, qui important peculiarem perfectionem intra aliquam determinatam lineam puta scientificam, ut dictum est, probando necessitatem logicę simpliciter ad scientiam acquirendam, quia scil: neq; respectu istorum habet vires proximas completas contrapositivè ad angelicum, ut explicatum est; quantò autem minùs habebit, imò nullas in ordine ad actum adæquatè supernaturalem, &c.

Ad explic. nego ant. quoad utramque partem; & ad probationem pro 2. jam dictum est, esse omninò incompossibilem concursum immediatum activum naturæ cum adęquata supernaturalitate actus, sic enim superaret, & non superaret exigentiam eius. Ad aliam verò pro prima dicimus ita esse, quod non obstat actui vitali pendere à principio extrinseco non conferente, sed supponente vires, & præcontinentiam ejus, ut est Omnipotentia, ut simul concurrens, & divina essentia, ut gerens vicem speciei, quia tunc adhuc salvatur esse ab intrinsecis naturæ viventis, quod requiritur, & sufficit ad salvandum conceptum vitalitatis ejus: at verò viribus non suppositis in potentia impossibile est, quòd salvari possit cum sola dependentia à principio purè extrinsecè assistente, imò est de subjecto non supponente, quòd possit tunc ægredi à sua potentia, quia impossibile est, quòd potentia exeat in actum, sinè viribus, & ratione agendi, ut dictum est, &c.

Tertiò Arg. De facto dantur plures causæ inferiores ex sola subordinatione ad superiorem producentes effectum excedentem, seu quem se solæ, vel sibi ipsis relictæ producere non possent, ergò similiter poterit fieri in casu, probant., & præter instantiam adductam de præmissa naturali, sunt plures aliæ: primò in phantasmate, quod ex subordinatione ad intellectum agentem concurrit ad effectum spiritualem, scilicet ad productionem speciei intelligibilis. 2. In cogitativa in nobis, quæ ex conjunctione ad intellectum fit potens discurrere circa singularia, 3. In calore, qui pariter ex conjunctione ad animam potest carnes generare, & ad animalis nutritionem concurrere, quod tamen ex se non poterat. 4. In membris exterioribus ex subordinatione ad imperium rationis, & voluntatis operantibus suos effectus.

V. denique instari poterat in principio non vitali, scil: specie intelligibili concurrente ad actum vitalem, sivè ad intellectionem ex conjunctione ad principium vitale, scil. ad intellectum: sed hæc superiùs jam resoluta est.

Ad hoc primò iterum dico probare etiam de facto, & cõsequenter esse nimis probans. Deindè nego ant. Ad primam de præmissa naturali jam dictum est. Ad 2. de phantasmate in opinione Cajetani, quòd phantasma non concurrit effectivè, sed purè offerendo materiam per modum objecti, facilis est solutio dicendo illud non transire de impotente ad esse potens efficere speciem, sed objectivè tantum habilitari ad offerendam materiam, ad quod satis est assistentia extrinseca luminis intellectus agentis, quia per istud sufficienter illustratur, ut appareat in eo natura intelligibilis, ex qua apparentia, vel aspectu resultat in intellectu possibili similitudo repræsentans naturam sinè conditionibus individuantibus, sicut colores habilitantur per lucem externam sinè receptione alterius virtutis sufficienter ut resultent, aut producantur in visu eorum similitudines. Et hic modus dicendi fundatur in D. Th. infrà q. 85. art. 1. ad 4. ubi ait, quòd phantasmata, & illuminantur ab intellectu agente, & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis abstrahuntur species intelligibiles. In opposita verò, quæ iterum fundatur in Div. Th. ibid. ad 3. & 3. p. q. 9. art. 4. ad 2. ubi ait. *Alius autem respectus ejus* (scil. humanæ mentis) *est ad inferiora, idest, phantasmata, quæ sunt nata movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis*; tunc dico derivare ad illud virtutem illi intrinsecè inhærentem, virtute cujus producit, quod antea non poterat. Et hic modus dicendi non solum videtur conformior doctrinæ D. Th. in eisdem locis, sed etiam rationi; nam modo in ferè communi sententia objectum effectivè concurrit, ut vidimus, ad intellectionem media specie, ut sui virtute, & consequenter species ab objecto effectivè procedit, at non posset sic effectivè procedere, phantasmate efficienter non concurrente ad illius productionem, cum activitas objecti per phantasma effectivè ab illo procedens activè deferatur ad speciem, ergò §. Quòd si instes in speciebus angelicis, nempè quòd objectum illis mediis effectivè concurrit, & tamen non concurrit effectivè ad species, cum sint à Deo infusæ, ut modo supponimus. Respondetur dici infusas ad hunc sensum, quòd non accipiuntur à re-

à rebus, vel ab objectis, prout in se ipsis, accipi tamen ab illis prout præcontinentur in idæis divinis, veluti in causis exemplaribus, & quia hoc genus pertinere dicitur ad illud efficientis, ideò salvari adhuc potest prout sic concursus activus objecti in illas.

Ad 2. de cogitativa posset similiter responderi cum M. Aravyo derivari ad illam ex intellectu quandam vim, per quam individualiter perficitur ad discurrendum in homine, quod non in bruto, quod videtur docere D. Tho. infrà qu. 78. ar. 4. ad 5. ubi ait: *Quòd illam eminentiam habet cogitativa, & memorativa in homine non per id, quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem universalem secundum quandam refluentiam.* Ecce quod videtur aliquid in eam refundi ex parte superiori.

Sed deinde ex eodem ibidem in prioribus verbis admisso etiam quòd nihil intrinsecè superadditum derivetur. Resp. id non habere præcisè ex subordinatione, sed quia est virtus animæ rationalis, quæ non solùm est discursiva radicaliter circa universalia, sed etiam circa singularia. Quod videtur insinuare, dum ait habere illam eminentiam in homine ex affinitate, & propinquitate ad rationem universalem, cujus scil. est virtus.

Ad 3. de calore similiter resp., quòd licèt secundùm se carnes producere nequeat, ut tamen est virtus animalis, & radicatur in anima sensitiva carnes producit. Ubi tamen adverto, quòd licèt nullo sibi superaddito ad rationem virtutis carnes producat, non tamen dicitur transire ad esse virtutem aliquo sibi intrinsecè non superaddito, sed quia prout sic saltem modaliter intrinsecè mutatur recipiendo ab animali præcontinentiam virtualem carnium, quam ex se non habet.

Ad 4. dicimus in illis membris vel residere virtutem executivam ad exequendum imperium rationis, & aliarum virium; vel adhuc non supposita tali virtute, quòd sunt suo modo instrumenta, & nata obedire ex natura rei sine superaddito ob communicationem in eadem radice, vel forma animante illa. Et eodem modo poterat ulteriùs responderi ad ultimam de specie, quòd loquendo de specie creata, quòd vel illi imprimitur quædam vis, per quam operatur; vel quòd quia est forma eidem subordinata, & nata illi deservire, eumque fœcundare, habet prout sic veluti communicare in eadem radice non dimanativà, sed operativè, & consequenter per quandam, ut sic dicamus, simpatiam, ob intimam unionem in ministerio animæ, cui deserviunt, sufficienter influere ad actum vitalem sine alio superaddito. Sed de hac latè supra &c.

§. IV.

Solvuntur Argumenta contra secundam Conclusionem.

PRimò arg. ex Suarez ubi supra n. 4. Lumen illud, quod dicitur auxilium actuale, non habet ex natura sua, aut ex propria ratione formali, quòd sit qualitas facilè transiens, sed accidens ex Dei voluntate tribuentis illud, ergo non distinguitur essentialiter ab habitu luminis gloriæ, ergo secūda Thomistarū opinio, aut coincidit in re cū priori, aut videtur improbabilior; prob. ant., quia sicut durat per unam horam, aut per unum diem, posset durare per totam æternitatem, quia de se permanens est, cùm non habeat cōtrariū, ergo. §. Urg. primò, quia ex eo posset dici transiens, quia cessat cessante influxu Dei, à quo pendet in fieri, & conservari, sed hæc ratio est insufficiens, ut dicatur transiens, ergo; min. constat in gratia, & charitate, & aliis hujusmodi donis, quæ de se sunt quid permanens, & tamen cessarent cessante influxu Dei, à quo pendent, unde D. Tho. 2. 2. qu. 24. art. 12. ait charitatem pendere ab influxu Dei, sicut lux aeris pendet ab illuminatione Solis, & tamen hoc non obstante sunt de se qualitates permanentes, ergo.

Secundò, quia si nullam habet in subjecto repugnantiam, vel contrarietatem; nec pendet ab actuali attentione, vel ab actu vitali subjecti, in quo recipiuntur, non est cur dicatur potiùs qualitas spiritualis facilè transiens, quàm permanens, vel habitus, ergo.

Tertiò, quia habent hujusmodi qualitates perpetuò durare, nam si loquamur de auxilio sufficienti modo in via, istud semper adest homini ad præcepta implenda: si verò de efficaci præcipuè deserviente visioni, istud est etiam æternum juxta meritum visionis, ergo sūt magis quid permanens, non trāsiens.

Quartò iterum ex eod. c. 12. n. 3. Nam de his qualitatibus transeuntibus ad actus supernaturales deservientibus, neque in Conc. Trid., nec in D. August., vel D. Tho. reperitur mentio harum qualitatum, vel auxiliorum in speciali; nec generale aliquod verbum, ex quo colligi possint, ergo non debent admitti; prob. ant., primò quoad Concilium, quia solùm meminit gratiæ excitantis, & adjuvantis, & excitantem appellavit vocationem, tactum Dei, illuminationem, inspirationem, & prævenientem gratiam, sed hæc omnia, & gratia adjuvans sufficienter salvantur seclusa hac qualitate actuali, vel auxilio, quod nec sit actus noster, nec habitus, ergo. Deinde quoad Augustinum, quia eisdem nominibus utitur ad explicanda auxilia gratiæ, quibus Concilium. Quoad D. Tho. verò quia nunquam docuit infundi nobis aliquod supernaturale donum præter actus, vel habitus, nec alia principia posuit ad supernaturales actus præter habitus, & sumi potest ex 1. 2. qu. 109., & constat ex qu. 111. ar. 2. nullam D. Tho. agnoscere gratiam operantem per modum actus primi, nisi habitum, ergo.

Ad hoc nego ant., ad prob. patet ex dictis non esse necessarium ut aliqua qualitas dicatur ex se facilè transiens, quòd citò pereat, aut cesset, ut patet juxta doctrinam ejusdem Auctoris loco relato, in amore, & visione patriæ, & in cognitione sui in Angelo, quos actu; dicit esse qualitates transeuntes, seu dispositiones, esto in æternum durēt, unde tenetur ex hoc capite solvere argumentum cum suis replicis, præcipuè tertia. Nec iterum est necessarium, quòd habeat contrarium, ut certissimum est in bona Philosophia, & Metaphysica, & apertè constat in instantiis de impulsu impresso rebus projectis à projiciente, & de sono, & de coloribus, & speciebus intentionaliter in aëre existentibus; de imagine etiam hominis in speculo, de virtute artis in instrumentis, de virtute supernaturali, qua elevantur Sacramenta ad causandam gratiam, & aliis pluribus, quæ contrarium non habent in subjecto, à quo destruantur;

nec

nec etiam pendent (ut praeoccupemus 2. confirm.) ab aliquo actu vitali nostro, & tamen ut sæpissimè docet D.Tho., juxta bonam physicam esse qualitates de se facilè transeuntes. Ut ergo lumen, quod auxilium actuale dicitur, sit qualitas ex propria ratione formali facilè transiens, requiritur, & sufficit, quòd ex eadem dependeat, ut dictum est, ab influxu Dei, ut moventis in exercitio ad operandum.

Ad 1. confirm. dist. ma., quia cessant, & pendent ab influxu Dei, ut moventis, conc., præcisè, ut conservantis in esse, nego, aliàs etiam Angeli, ut dictum est, & cæteræ creaturæ quantumcumque permanentes ex natura rei essent quid transiens, cùm dependeant omnes ab hoc posteriori influxu, & cessent omninò eo cessante, & in hoc sensu conc. mi., sed nego in priori, contra quem nulla est instantia de gratia, & charitate, quia non dependent ab influxu Dei, ut moventis ad agendum, sed ut conservantis in esse, hic autem influxus conservativus, ut probavimus, permanens est, alter verò, seu motivus, de se transiens censetur ob rationem assignatam.

Ad 2. jam dictum est, quòd carentia contrarietatis, aut perseverantia in durando non obstant mobilitati, & fluxui harum qualitatum, quia non tollunt earum dependentiam ex propria ratione formali à prædicto influxu motivo, sive Dei ut moventis, penes quem attenditur, ut dictum est, ratio transeuntis. Per quod etiam patet ad 3. solvendam ut supra ab eodem Suarez. Præterquamquòd loquendo de auxilio actuali sufficiente modo in via non est in nobis semper sine interruptione, sed pro loco, & tempore, in quo oportet operari; opportunitate verò operandi transacta transit, & opportunitate occurrente, aliud nobis confertur; ut rectè ait M. Catalam dub. 5. relato ad ultimam confirmat: primi, subdens; quòd si hæc ratio, vel confirmatio alicujus esset momenti, sanè probaret atiam sanctam cogitationem, quæ in omnium sententia, auxilium est necessarium ad benè operandum debere esse quid permanens, vel habitus, cùm semper adesse debeat nobis quoties tenemur operari, quod tamen est cont. Suarez, ut dictum est.

Sed de his auxiliis sufficientibus, quomodo dentur, & quomodo non dentur, de facto, sed tantum offerantur, subtiliter etiam explicat M.Ferre tom. 1in. 2. 2. tract. 2. da oppositis fidei q. 1. §. 2. ad 8. ubi primò ait; (& hoc obiter iterùdictum sit occasione hujus argumenti, & ut ad rē scitu valdè necessariā ob plures passim, ac molestas difficultates non solū apud peritos, vel Theologos, sed etiam apud vulgus occurrentes, aliquid præmittamus suis locis in materia de gratia latà expensas) quòd auxilia sufficientia non dantur de facto gentilibus, vel aliis paganis, nisi quando instat obligatio ad credendum, nempè supposita debita propositione eorum, quæ ad fidem spectat. Secundò quod dum dicitur omnem hominem posse salvari, id intelligi propter auxilia oblata, & parata ei à Deo. Tertiò quòd ex vi voluntatis generalis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri tribuuntur quidem ut illius effectus auxilia sufficientia, sed tamen prout ipse vult; non vult autem omnibus da facto dare, sed aliis tantum ea præparat, & offert; aliis de facto dat, nulli tamen negat, cum ipsum ad credendum obligat, undè ex parte illius voluntatis omnes sunt æquales, ex partè verò rei volitæ in æquales, & sic mors Christi pro omnibus omninò exhibita est, sic quòd nullus sit, pro quo mortuus non sit, non tamen ex Christi morte eundem proventum omnes percipiunt, nam ex vi illios alii de facto salvantur, alii autem salvari possunt, & ex his alii accipiunt de facto ea, quibus possint salvari, aliis tantum offeruntur. Quartò quòd ad hæc componenda cum eo, quod dicitur Apocal. 3. Deum semper stare ad ostium animæ, & pulsare in spirando, & interius illuminando, in quo videtur de facto dare, & omnes accipere hujusmodi auxilia, sive illuminationes, & sanctas inspirationes; dicit esse distinguendam triplicem pulsationem, & inspirationem; nam quandoq; pulsat, & inspirat auxilio suo supernaturali non proponendo aliquod obiectum supernaturale intellectui, sed tantum afficiendo voluntatem, ut tendat in bonum sibi naturaliter cognitum; aliquando pulsat proponendo intellectui aliquod supernaturale obiectum credibile, & instigando hominem, ut credat, quod adhuc dupliciter contingit, primò tantum quo ad sufficientiam, quando sic hominem illuminat de credendis, & voluntatem sic ad credenda afficit, quòd homo possit ea acceptare si velit; aliquai do verò sic illuminat, quòd de facto fidem infundat, & de nolentibus credere faciat eos volentes, atque credentes §. Ex his infert, quòd ex hominibus, qui tantum primo modo pulsantur, negativè se habent ad credendum, & sic adhuc non tenentur credere. Secundi tenentur credere, quia sunt de credendis instructi. Tertii de facto iam credunt, undè ex hoc quòd Deus semper pulset ad ostium animæ, non sequitur, quòd auxilia sufficientia ad credendū omnibus de facto exhibeat, aut conferat, sed quòd vel exhibeat de facto, aut conferat, cum opportuerit; vel quòd sit paratus de facto exhibere, vel conferre, cum obligat ad credendum, juxtà modum pulsationis, quamvis ad aliud etiam tendat prædicta auctoritas Jo:, nempè, quòd stat ad ostium, & pulsat, non quia non possit aperire cor, et sua libertate ingredi, sed quià nec aperire, nec ingredi vult nobis nō consentientibus, ut explicat dub. 6. ibid. ad 2. laudatus Mag. Catalam.

Ad 4. nego omninò ant., ad ejus prob. quantum attinet ad Concilium, nego iterum absolutè mi., quia cum omnes Catholici fateri teneamur Sacrum Concilium sub illis vocibus comprehendisse omnia auxilia necessaria ad conversionem peccatoris tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, omnes etiam fateri teuemur sub nomine vocationis, tactus Dei, & illuminationis tradidisse nobis non solùm cogitationem Sanctā, sed etiā hujusmodi auxilia actualia gratiæ, quibus elevetur homo, vel intellectus ad eliciendam Sanctam cogitationem; & sub nomine vocationis, vel tactus, vel sub nomine inspirationis non solùm tradidisse voluntati Sanctam affectionem non liberam, sed etiam donum Dei, quo voluntas elevatur ad eam eliciendam, quia nec cogitationem Sanctam, nec affectionem Sanctam habere possumus ex nobis sine auxilio gratiæ, si supernaturales sunt, quia fide est certum indigere hominem auxilio Dei non solùm ad volitionem, sed etiam ad cognitionem supernaturalem; constat autem ex dictis hoc Dei donum, esse aliquid distinctum ab operatione, ad quam necessarium esse definiunt Concilia; quamvis non ita facilè sit intelligere, in quo consistant, vel quid sint hujusmodi auxilia actualia, quod significasse videre Salvator Jo. 3. dicens; *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat.* Dicimus nihilominus, ut supra esse qualitates supernaturales ex se facilè transeuntes, & ideò pertinere ad primam speciam, quæ est dispositio ex se facilè mobilis à subiecto; unde auxilium actua-

actuale, quo Deus elevat ad Sanctam cogitationem supernaturalem est quoddam lumen supernaturale spirituale per modum illustrationis transeuntis infusum intellectui. Actuale verò, quo elevat voluntatem ad supernaturalem affectionem, vel attritionem est qualitas per modum impulsus infusa voluntati. Multiplicantur verò, & distinguuntur specie juxta diversitatem specificam actionum, ad quas dantur; unde dicitur Sapientiæ 7. Spiritus intelligentiæ multiplex; & primæ Petri 4. Dei gratia multiformis appellatur, sed de his alibi ubi supra. Eodem modo pro nunc respondetur quantum attinet ad D.Aug., quem tamen expressè tradidisse hæc auxilia, vel dona actualia efficaciter ibidem ostendit M.Catalam dub. 6. concl. unica præcipuè ex lib. de gratia, & libero arbitrio c.16., & lib. de corrept., & gratia c.7., & alibi, sed nō vacat in his modo immorari.

Quoad D. Tho. verò valde miratur hic sapientissimus Magister, dum non solùm locis, quæ Suarez refert, expressè tradat hæc auxilia actualia in eo, quod motionem Dei moventis voluntatem ad actum asserat esse auxilium Dei, sed clarissimè q.12. de veritate ar.1. in corp., & ad 12., & 22. q. 174. ar. 3. ad 2., & 176. ar.2. ad 3., & 1.2. q.68. a.3. ad 3., & aliis locis supra relatis docet lumen propheticum non esse habitum, sed esse in intellectu Prophetę per modum transeuntis, nec esse qualitatem difficile mobilem, sed transeuntem: constat autem lumen propheticum esse donum supernaturale infusum nobis. Quomodo ergo contendere potuit prædictus auctor nunquā docuisse D. Tho. nobis aliquod supernaturale donum infundi præter habitus, vel actus &c.

II. principaliter etiam arg. ex Illustrissimo Godoī; & 1. quidem opponit D. Tho. q. illa 175. ex 2.2. ar.3. ad 2. ibi: *Essentia Divina videri non potest ab intellectu creato nisi per lumen gloriæ*. Ubi supponit primò Angelicum Doctorem loqui de potentia absoluta. Quod verò loquatur de habitu luminis, non verò de qualitate ab intrinseco fluida infert ex verbis sequentibus, nempe; *Quod tamen dupliciter participari potest, uno modo per modū formæ immanentis, & sic facit beatos in Patria. alio modo per modum dispositionis transeuntis, & hoc modo fuit in Paulo*. ergo loquitur de eodē lumine quoad substantiā diverso modo, communicato. Ratione deinde arguit sic. Illa est qualitas ab intrinseco fluida, quæ ex causis, quibus habet esse, permanentiā nō petit, sed omnis qualitas à Deo causabilis, quæ sit principium visionis beatificæ, attentis causis, à quibus habet esse, exposcit permanentiā per se, ergo nō erit ab intrinseco fluida, sed ab intrinseco permanens, & consequenter habitualis; discursus tenet; ma. est certa ex his, quæ docentur in logica cap. de prædicamento qualitatis; mi. autem prob. Omnis qualitas, quæ potest esse principium visionis beatificæ caret contrario ex parte subjecti, & respicit objectum appetitum satians, sed hac ratione lumen gloriæ, quod de facto datur, petit ab intrinseco permanentiam, ergo omnis qualitas, quæ potest esse principium visionis habet ex propriis causis petere per se parmanentiam &c.

Urg. ex eodem præoccupando solutionem, ad quam fortè alii recurrent, & ab ipso adductam. Quamvis Deus, qui est primum efficiens rerum possit facere, quòd substantia ex contrariis non composita, ut Cœlū, & Angeli de facto corrumpantur, seu desinant esse, non potest tamen causare substantiā ex contrariis nō compositam, quæ ab intrinseco corruptibilis sit, ergo pariter quamvis possit efficere, quòd qualitas non habens contrarium ex parte subjecti, & satians appetitum ex parte objecti corrumpatur de facto, & facilè transeat, non tamen potest facere qualitatem aliquam gaudentem dictis conditionibus, ab intrinseco fluidam, & ab intrinseco corruptibilem.

Ad hoc patet ex dictis. Unde ad D.Thom. dicimus magis oppositum ex eodem loco esse inferendum; nam ex eo quòd lumen glorię juxta D.Th. prædictis duobus modis sit cōmunicabile, nō infertur quòd sit posteriori modo communicatum Paulo, scil. per modū dispositionis transeūtis, itaut sit idem lumē habituale, seu essentialiter habitus, & tantum dispositio secundum modum, quia ita affirmat, ut vidimus; esse dispositionem, sicut est dispositio lumen propheticum, quod certum est ex q.171. ar.2. ad quem locum se refert; esse dispositionem, & non habitum. Et id patet etiam ex aliis locis relatis in conclusione &c.

Ad rationē verò factam primò quidem satis displicet tantum virum convinci ex motivo illo, quo etiam cōvincitur Suarez, scil. ex defectu cōtrarietatis in subjecto, cùm tā apertas habeat instātias relatas in bona philosophia, & mathematica, quas eidem Suarez opponit ubi supra in solutione ad 1. Confirmationem sæpè laudatus M.Catalam. Unde in forma nego mi. jam enim vidimus, quòd eo ipso, quòd semel aliquid est pendens ab influxu Dei, ut moventis in exercitio petit ab intrinseco, vel ex propria ratione formali habere rationem fluxus, vel passionis transeuntis, sive deinde diù duret, vel non, ut egregiè ostendit Idem Magister cont. Suarez vel ex propria ejus doctrina in exemplis adductis, unde attentis causis, ex quibus habet esse, magis petit rationem transitus, quam permanentiæ, quia prædictus influxus, à quo pendet, transiens est non permanens contrapositivè ad influxum conservativum in esse ob rationem assignatam. Ad prob. nego. iterum mi., sed quia lumen, ut similiter dictum est, de gratia, & charitate pendet ab influxu permanente, seu conservativo in esse, non transeunte, vel movante præcisè in exercitio, unde nec pura carentia contrarietatis in subjecto, nec ratio plenè satiativi ex parte objecti, nec diuturnitas, aut perseverantia in esse faciunt permanentiam, si semel sit præfata dependentia ab intrinseco à tali influxu transeunte &c.

Ad confirm. similiter resp. dato transeat, vel concesso antec. nego conf., quia substantia non quia præcisè careat contrario, sed quia aliàs ex propriis cùm sit par se stans, non habet sic dependere ab influxu transeunte, sicut hujusmodi qualitates, quæ Deum respiciunt, ut moventem in exercitio, unde optimè ostendimus infra, Angelos esse ab intrinseco incorruptibiles, sive ex natura, & non ex sola protectione extrinseca, quia non habent in natura contrarium, non quia hæc causalis arguat permanentiam ab intrinseco à toto genere entis, sed in subjecta materia, unde licet ita sit, quòd in superioribus illis substantiis defectus contrarietatis efficaciter inferat earum incorruptibilitatem ab intrinseco, ut cont. Vasquez latè ibi probatum est; hæc tamen causalis magis tenet gratia materiæ, quam formæ; causalis verò veluti adæquata, aut non habens instantiam ad inferendam permanentiam ab intrinseco est idem defectus contrarietatis sine dependentia ex propriis ab influxu Dei, ut moventis in exercitio, itaut si semel aliquid sit hoc modo dependens, estò contrarium non habeat ex parte subjecti, nequit ex propria ratione formali habere rationem permanentis, sed magis fluxus, & transeuntis ut in casu, si velimus

res

res pro earum merito distinguatur relativè ad utrumque influxum permanentem, & transeuntem &c.

III. etiam principaliter arg. ex eodem Illustriss. Omnes visiones beatificę possibiles, sunt ab intrinseco permanentes, & incorruptibiles, ergo nulla illarum potest à principio fluido, & corruptibili efficienter causari; ant. constat ex eo, quòd ut probabilior tanet sententia, non sunt possibiles visiones beatificæ diversæ speciei; si autem esset possibilis aliqua ab intrinseco fluida, necessariò foret diversæ speciei ab illa, quæ de facto datur, cùm gauderet prædicatis essentialiter distinctis; cons. verò prob. 1., quia omne prædicatum effectui competens debet in principio effectivo principali formaliter, vel eminenter contineri, sed permanentia ab intrinseco competens visioni nequit in principio ab intrinseco fluido contineri formaliter, ut patet; nec eminenter, cùm qualitas ab intrinseco fluida, sit imperfectior qualitate ab intrinseco permanente, ergo nulla visio beatifica à principio ab intrinseco fluido procedere valet. Secundò prob. eadem cons., quia nullus effectus potest exigere permanentiam suo principio destructo, ergo si visio petit ab intrinseco permanentiam diuturnam nequit à principio illam non exposcente procedere.

Ad hoc dico in primis, quòd videtur solvendum in opposita sententia in habitibus naturalibus puta scientiarum, & similium, qui causantur ab actibus, qui tamen non sunt quid permanens, sed fluens, & transiens. §. Dices primò ex eodem esse discrimen, quòd habitus non dependet ab actu in fieri, & conservari, sed solum in fieri, unde licet actus transeat, potest adhuc habitus perseverare, visio autem petit procedere à principio, à quo in fieri, & conservari dependet, ac proinde si ipsa permanens sit, petit permanentiam principii. Secundò esse iterum discrimen, quia habitus non recipit permanentiam adhuc proximè ab actibus, sed à naturali potentia, visio autem suam permanentiam nequit à potentia participare, cum permanentia potentiæ naturalis sit, sed necessariò illam debet à principio proximo supernaturali recipere. §. Sed contrà primam est; quia in hoc facit præcipuam vim ad afferendum, quòd principium non permanens producere nequeat visionem, vel effectum permanentam, quia causa, vel principium semel effectivum illius debet præcontinere omne prædicatum ejus; sed hæc ratio, ut patet, militat de quolibet principio effectivo sivè tantum in fieri, sivè etiam in conservari, cum illud etiam in fieri det esse effectui, in quo fundatur debitum continendi prædicata ejus, ergo si semel datur effectus permanens, qualis est habitus; à principio effectivo sui non permanente, ut sunt actus productivi illius, adhuc videtur argumentum solvendum in opposita sententia. §. Contr. 2. verò, tum quia non salvat propositionem universalem assumptam, in qua facit prædictam vim, nempè, omne prædicatum effectui competens deber in principio effectivo principali contineri, si semel actus productivi habituum non obstante eorum principali influxu effectivo non tenentur continere permanentiam illius. §. Explicatur hoc, quia causalis ab eodem assignata, cui ut dictum est, potissimè innititur est, quia lumen illud est effectivà, vel productivè influens in visionem, ergo si semel datur influens effectivè, vel productivè non permanens ad effectum permanentem, permanentia visionis, aut duratio ejus non obligabit omne sui principium effectivum ad rationem permanentiæ;

Tum quia, & urgetur præcedens replica. Permanentia habitus potest aliundè, scil. à potentia operante per actum haberi, salvo concursu actus, esto iste permanens non sit, ergo pariter permanentia visionis poterit haberi aliundè, scil. à potentia elevata per auxilium esto illud permanens non sit; non enim videtur major ratio cur prior permanentia ad aliud concurrens permanens refundi possit salvo concursu alterius non nō permanentis, & non possit sic refundi posterior, cum utrobiq; sint duo concurrentia, alterum permanens, & alterum non. Sed hoc impugnationis instantiæ gratia dictum sit, nam reverà illud lumen actuale haberet proportionatam permanentiam, si diù duraret visio medio illo elicita, quia ut dictum est, & statim iterum dicemus; tandiù etiam diceretur durare quantum duraret visio, quidquid sit, quòd hanc permanentiam non haberet ab intrinseco, vel ex propria ratione formali, sed neque hanc habet, aut haberet visio, ut explicatum est &c.

Pro omnibus ergo in forma nego ant., nam aliud est, ut jam insinuavimus, quòd visio sit in æternum duratura sinè interruptione, sivè habeat permanentiam æternam, aliud verò quòd habeat illam ab intrinseco, vel ex propria ratione formali, ità ut verè ex ex eadem possit dici quid permanens, vel habens esse per modum permanentis, quod negavimus, quia ex propria ratione formali, qua operatio est non potest non pendere ex influxu Dei, ut moventis in exercitio, quod facit rem ab intrinseco fluidam, sivè habentem esse per modum transeuntis, ut dictum est; quidquid sit, quòd ex ipsa conditione luminis, vel status sit perpetuò duratura, ut dicebamus, quod non tollit rationem fluidi ab intrinseco, sicut in opposita sententia ex eo quòd lumen habituale communicetur per modum dispositionis transeuntis non amittit rationem permanentis ab intrinseco, qua ratione concedit ex D. Th., aut salvat semper esse necessarium auxilium permanens ab intrinseco ad eliciendam visionem, licet de potentia absoluta possit concurrere ad illam, ut communicatum per modum fluidi. Ad probationem desumptam ex probabili sententia, quod sint omninò impossibiles visiones specie distinctæ, de qua infrà, respondetur eodem modo, quòd cum omnes visiones, sivè de facto, sivè de possibili, sivè ejusdem, sivè diversæ speciei, perpetuò spectent ex sua ratione formali ad lineam operationis, subtrahi nequeunt à prędicta dependentia à Deo, ut movente, undè nunq; habere possunt ex hac parte diversitatem essentialem penes rationem fluidi, & non fluidi ab intrinseco, sed omnes eandem haberent ex propria ratione formali, qua sunt essentialiter operatio, quidquid sit an ex alio capite, vel ex modo tendendi in idem objectum possint multiplicari specie, ut affirmat Navarrete controversia 39 §. 2. post 4. concl. Hinc etiam pater ad utramq; cons. Ad 1. quidem ergo supposito quòd in operatione sit ab intrinseco prędicatum permanentiæ, seu ex propria ratione formali.

Ad 2. negamus similiter supposito, quòd visio ex quo essentialiter operatio est, possit ex eadem sui formali ratione habere talem permanentiam, ut eandem exigat retinere independenter, vel perante eodem actuali auxilio, quia cum prout sic ut dictum est, sit de numero dependentium ab influxu Dei, ut moventis in exercitio, tandiù potest durare, quandiù durat influxus movens, undè nequit sic ex propriis habere exigentiam principii permanentis ab intrinseco, ità ut à prin-

à principio non permenente ab intrinseco procedere nequeat. Sed ulterius ad hæc omnia in solutione ad utrumq; sequens argumentum constabit, & adhuc infrà art.6. &c.

IV. Arg., & potest esse replica. Visio bea'a non præcisè est operatio, sed operatio vitalis, sed nequit prout sic medio auxilio totū actuali supernaturali produci, ergo erit necessariū habitoale ad sui productionē, probet.mi. De ratione visionis prout actio vitalis est, quòd producatur ab intellectu videntis, ut à causa principali, sed intellectus elevatus auxilio tantum actuali supernaturali uequit eam ut causa principalis producere, ergo idem auxilium non est sufficiens ad eam ut operatio vitalis est: prob. mi. quia auxilium actuale, essentialiter est motio teoeos se ex parte Dei moventis causam 2. ad agendum, ergo per illud ceosa 2. agit ut mote, ergo taotum instrumentaliter, quia instrumentum est, quod agit ut motum à principali ageote sic quòd motio sit tota virtus, & ratio agendi, &c.

Ad hoc nego mi., ad prob. nego iterum mi., ejus verò probatio multa involuit ambigua, vel falsa, nā in primis si ent. intelligatur de pura motione excludente rationem qualitatis falsum est, quia ut egregiè ostendit M. Catalam dub.11. de auxiliis concl.4. & io solutione ad 2.§. *pro cuius declaratione*: auxilium actuale physicum tam sufficiens, quam efficax, essentialiter est qualitas productiva, perfectior habitu, & potentia etiam creata & illius operatione; quia nempè est participatio divinæ voluntatis, seu potentiæ, non præcisè ut habet rationem actus primi, vel principii productivi, sed ut simul habet rationem operationis; habitus verò, & potentia creata, & ejus operatio sunt tantum participatio inadequata, f. il. quoad alterum tantum munus, vel actus 1., eut principii productivi, ut habitus, & potentie, vel actus 2. & exercitii, ut operatio, quia perfectius est participare divinam perfectionem secundum utramque rationem simul, quàm secundum alteram tantum, unde idem auxilium non solum est qualitas, sed principaliter quoq; productiva operationis quoad actualitatem essentiæ, quam habitus producere uequit nisi completus auxilio actuali, supposito quòd operatio sit perfectior simpliciter habitu, ut docet probabilior Thomistarum opinio. Quòd si probabilius est de facto dari auxilium actuale elevans intellectum beati ad producendam principaliter visionem quoad actualitatem, in qua excedit habitum luminis gloriæ, non apparet, qua probabilitate negetur; inquit idem Magister, posse de potentia absoluta infundi actuale auxilium principaliter productivum visionis.

Deinde, ut vidimus suprà, & ulterius advertit idem Auctor hìc, ex hoc præcisè, quòd causa aliqua agat ut mota, non licet inferre tantum attingere effectum instrumentaliter, aliàs nulla causa 2. egeret principaliter, cùm nulla aget nisi ut mota a Deo, si velimus agere essentialiter, ut a. & indispensabiliter subordinatam primæ, ut alibi in physicis ostensum est. Neque etiam est de ratione instrumenti, quòd tota virtus, aut ratio instrumenti sit motio, qua movetur à principali agente, nam Sacerdos causa est instrumentaliter consecretionis, & tamen caracterem habet permanentem, qui est virtus instrumentaliter factiva consecretionis; unde si virtus supernaturalis, qua creatura elevatur ad agendum commensurata sit, & adæquate perfectioni effectus, vel eādem excedens, erit principaliter productiva effectus, & creatura, quæ sic elevatur constituta in actu per illam erit causa 2. principalis ejusdem, sivè talis virtus permanens sit, & realiter diversa à motione, quam causa 2. applicatur à Deo ad agendum, sivè actuale auxilium realiter indistinctum à motione. Præterquam quòd argumentum retorqueri potest contra sui Auctores in actu attritionis supernaturalis elicito à voluntate cum solo auxil. o actuali, quem tamen negare non possunt esse actum vitalem, ac proindè ut à causa principali procedere à voluntate elevata eodem auxilio.

Ultimò arg. visio Dei non minùs in ratione visionis dicit essentialem ordinem ad habitum luminis gloriæ, quàm in ratione intellectionis ad intellectum, sed nulla potentia fieri potest, ut producatur sinè intellectu ut intellectio est, ergo nulla fieri poterit, ut producatur sinè habitu luminis, ut visio Dei e.t: mi. cum conf. patent, ma. verò prob: Ex eo ut intellectio est, dicit habitudinem essentialem ad intellectum, quia intellectus est vitale principium illius, & omnis actio vitalis pendet essentialiter à suo principio; sed etiam lumen gloriæ est principium vitale ejus, ut est intellectio supernaturalis iotuitiva ejus ergo &c.

Ad hoc nego mi. intellectam de visione, ut sic abstrahente, aut comprehendente tam eam, quæ de facto est in beatis, quam eam, quæ viatori de potentia absoluta concedi potest per modum transeuntis. Ad ejus prob: dist: , & explico ma., quia est ejus principium vitale, præcisè, nego, quia est adæquatum principium vitale in ratione potentiæ elevabilis ad videndum Deum, conc. ma., & dist. similiter mi: lumen gloriæ, scil. habituale est principium vitale visionis, adæquatum in ratione virtutis, aut principii *quo* elevantis intellectum creatum, nego, inadæquatum conc., adæquatum enim est supernaturale lumen eliciti um visionis abstrahens prout sic ab habituali, & ab actuali auxilio, & de ejus ratione ut sic, solum est esse participationem supernaturalem increati luminis considerati formaliter, ut est intuitivum Dei in se. Itaque sicut visio Dei in ratione intellectionis non pendet essentialiter ab intellectu humano, quia sinè illo ab Angelico produci potest; sed ab intellectu creato ut sic, ità neq; ut est visio Dei pendet essentialiter ab habitu luminis gloriæ, sed à supernaturali lumine prædicto. An verò sic elicita ab angelico sit specie distincta ab humano, & elicita ab intellectu cum solo actuali auxilio similiter differat ab elicita medio habitu luminis constabit infrà ad art.6. &c.

QUÆSTIO SEPTIMA

An lumen gloriæ sit propriè habitus, vel potentia.

ALique jam in superioribus insinuavimus de hac re, de qua fusè tractat Cabrera 3. p.q.9 art.2. disp.11. varios referens modos dicendi, sed à iis omissis, tres, inquit M. Catalam hic dub.5., esse probabiles inter Thomistas. Primus affirmat lumē gloriæ formaliter eminenter includere rationem potentiæ, & habitus. Supponit hæc opinio 1. cum Cajetano sup. qu. 1. art. 4. unam formam superioris ordinis posse eminenter continere plures ordinis inferioris, quia dispersa, & divisa in inferioribus habent unitatem in superioribus ob eorum eminentiam, & universalitatem, qua

qua ad plura se extendunt, undè quò perfectior est potentia eò ad plura sub eadē ratione formali se extēdit, ut patet in intellectu, & sensibus, & in speciēbus intelligibilus angelorum; nam species supremi Angeli dicitur omnia repræsentare, quę per plures inferiores repræsentantur Angelis inferioribus; qua ratione etiam unum individuū superioris ordinis excedit infinita ordinis inferioris, ut optimè explicat Cajetanus 3. p. q. 10. ar. 3., undè nunquam possunt pervenire, aut ingredi limites perfectionis essentialis eorum.

Supponit 2., ut supra etiam insinuatum est; rationes potentiæ, & habitus posse sumi dupliciter, primò ut sunt differentiæ oppositæ dividentes essentialiter qualitatem naturalem in potentiam, & habitum, & prout sic incompatibiles sunt in eadem specificè forma, quia una dicit negationem alterius, cum quælibet differentia specifica sit ultimum prædicatum essentiale, & consequenter ultimus terminus intrà forum essentiæ, ac proinde exclusivus differentiæ alterius speciei; essentiæ enim rerum sunt sicut numeri, quibus si fiat additio, vel diminutio, aut subtractio alicujus unitatis statim solvitur prior species, & fit transitus ad aliam; est enim forum solius Divinitatis, vel entis infiniti, ut ibidem pariter insinuavimus; posse ingredi limites alterius essentiæ, vel naturæ; aliàs cætera entia, finita non essent, quod est contra conceptum creaturæ, utpotè potentialis. Potentia ergo naturalis activa differt essentialiter ab habitu, quia illa est principium operationis non supponens in subjecto aliquam virtutem activam ejusdem, & ideo simpliciter necessarium ad operationem. Habitus verò est principium operandi benè, vel malè determinatè, præsupponens virtutem activam ejusdem operationis, & ideo regulariter non est simpliciter necessarius ad operationem circa proprium objectum, ut etiam advertimus in proœmialibus logicę ad salvandam hoc non obstante ejus necessitatem simpliciter, quia ut adhuc dicemus infra; non distinguitur per hoc à potentia, quòd nunquam possit esse simpliciter necessarius, nam intra aliquam determinatam lineā, puta scientificam, vel supernaturalem, saltem de lege ordinaria nequit haberi operatio sine illo, sed quia cùm sit principium sic limitatum ad benè, vel malè, & jam supponens virtutem activam potest absolutè haberi operatio independenter ab illo. Secundò sumi possunt rationes potentię, & habitus ablatis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, nempe à ratione potentiæ ablata negatione determinationis ad benè, vel malè, & à ratione habitus ablata negatione simpliciter necessarii ad operationem, vel ablato hoc, quod est præsupponere in subjecto virtutem activam suæ operationis.

His suppositis docet hæc opinio, quòd quia lumen gloriæ est ordinis supernaturalis, & Divini, & consequēter excellentioris potētia, & habitu naturali, potest sub eadem ratione formali includere formaliter rationes utriusque, ablatis imperfectionibus, quibus inter se opponuntur, quod est eas formaliter eminentar includere, sicut in simili dicit Mag. Bannez sup. qu. 1., art. 4. dub. 1. de habitu Theologiæ, quòd est simul formaliter eminenter practicus, & speculativus. Vid. ibid.

Subdit tamen M. Catalam, quòd ad salvandam probabilitatem hujus opinionis tenentur affirmare qualitates, & accidentia supernaturalia non contineri in prædicamentis à Philosopho statutis, sed alia esse constituenda, aut certè assignandam aliam speciem qualitatis pro lumine gloriæ, fide, charitate, & aliis virtutibus supernaturalibus, quia eadem est ratio de omnibus, ut fatentur omnes. Quod probatur, quia lumen gloriæ non includit differentiā propriam habitus, nec propriam differentiam potentiæ, sed perfectionem utriusque ablato eo, quo inter se opponuntur essentialiter, & distinguuntur potentia, & habitus juxta doctrinam Aristot., aliàs ut dictum est, quid finitum non esset, ergo nec continetur sub specie habitus, neque sub specie potentiæ assignatis ab eodem, sed sub alia excellentiori. § Nec solvitur hoc si dicatur lumen sub nulla specie qualitatis contineri directè. Quia cùm sit qualitas completa, & perfecta conveniens univocè in ratione communi qualitatis supernaturalis cum charitate, & aliis virtutibus infusis, & differat specificè, seu per differentiam sui specificam ab illis, directè est sub aliquo genere, ergo si ratio qualitatis completæ potest esse univoca ad naturalem, & supernaturalem, lumen gloriæ directè continebitur sub illa ut genere, ergo vel immediatè ut species diversa à numeratis à Philosopho, vel mediatè ut contentum sub aliqua ex illis &c.

Secundus modus affirmat essentialiter esse potentiā, habere tamen quendam modum habitus. Hunc sustinet Cabrera ubi sup. concl. 2. Tertius ex opposito asserit lumen gloriæ simpliciter, & essentialiter esse habitum, participare tamen aliquid de perfectione potentiæ. Hunc ut probabiliorem defendit M. Catalam in doctrina D. Tho., & ut certum, supposito, quod qualitates supernaturalis in eodem prædicamento cum naturalibus sint collocandæ, nec addendæ plures species ex assignatis ab Aristotele, ut etiam videtur supponere D. Tho. p. 2. q. 110. ar. 3. ad 3., qui gratiam ad prædicamentum qualitatis asserit pertinere, & ad speciem habitus. Huic etiam consentit Illustrissimus Godoii hic disp. 16. n. 231., & 232., & fusiùs nu. 254., & sequentibus &c.

§. I.

Statuitur Conclusio.

Lumen gloriæ (& idem proportionabiliter de aliis hujusmodi donis, aut virtutibus supernaturalibus) simpliciter, & essentialiter habet rationem habitus, licet aliquid dicatur participare de perfectione potentiæ. Sumitur ex D. Tho. q. 20. de veritate ar. 2., ubi docet lumen gloriæ in anima Christi fuisse habitū Et hic ad 1. ait Intellectum per lumen gloriæ fieri potentem ad videndum Deum, sicut potentia per habitum. Et ubicunque agit de lumine, quo Deus videri potest, affirmat esse dispositionem, vel habitum, ut etiam patet locis superiùs relatis pro 2. conclusione. Deinde Fides, Spes, & Charitas in doctrina D. Tho. sunt essentialiter habitus, ergo etiam lumen gloriæ; consequentia tenet, quia ut fatetur Cabrera ad eandem speciem subalternam qualitatis pertinet, & argumēta, quibus probat lumen esse potentiam, aut non concludunt de lumine, ut poterit constare infra, aut concludunt etiam de his aliis tribus virtutibus theologicis; ant. verò prob., quia ubicumque tractat de illis affirmat esse habitus &c.

Dices ex eodem, quòd ideo D. Tho. prædictas virtutes, sicut & lumen affirmat esse habitus, quia habent modum habitus, & non quia essentialiter sint habitus.

Sed in primis, inquit M. Catalam, per se incredibile est

eft existimasse D. Tho. esse essentialiter potentias, & non habitus, quas nunquam potentias, & semper affirmat esse habitus. Deinde expositio apertè pugnat cum doctrina D.Tho.1.2. q.49. ar.2. & qu.51. ar.4., nam postq; priori loco inquirit de habitu propriè, an sit species qualitatis distincta ab aliis, de eodem sic propriè sumpto docet in posteriori esse dividendum in acquisitum, & per se infusum, quia Fides, Spes, & Charitas sunt habitus per se infusi à Deo. Et postq. iterum q.55. ibid. ar. 1. demonstrasset virtutem esse propriè habitum; deindeque 62. ar. 1. 2., & 3. docet Fidem, Spem, & Charitatem esse propriè virtutes theologales, diversas specie à moralibus, ergo tam certum est in doctrina D.Tho.esse propriè, & essentialiter habitus, quàm certum est esse propriè, & essentialiter virtutes &c.

Ratione prob. concl. insinuata ex eodem q. illa 55. ar. 1., ut probaret virtutem esse propriè habitum, & simul urgentur præcedentes replicæ. Lumen gloriæ, & fides habent *quidquid* desideratur ad propriam rationem habitus, ergo simpliciter, & essentialiter sunt habitus, & non potentia, prob.ant. Hæc sunt prædicata habitus propriè, & rigorosè sumpti contrapositivè ad potentiam, nempe quòd sit qualitas difficile mobilis à subjecto supponens potentiam, ut subjectum quo tanquam perfectio (præcipuè si sit de linea boni ut in casu), & determinatio ejus ad rectum actum circa peculiare objectum contentum intra latitudinem objecti specificativi illius cum necessitate supplebili, ut explicatum est; sed hæc omnia contrapositivè ad potentiam conveniunt lumini gloriæ, & idem proportionabiliter de fide, ergo ma. constat cum non sit aliud assignabile, ut patet ex dictis, & adhuc constabit infra: mi. verò prob., nam in primis lumen gloriæ, ut contradistinctum à qualitate fluida ast ab intrinseco permanens, cùm non pendeat prout sic à præciso influxu Dei, ut moventis in exercitio, & supponit potentiam intellectivam, ut subjectum quo tanquam perfectio, & determinatio ejus ad rectum actum circa objectum particulare intra limitas sui specificativi cõrentum, ut patet; cum necessitate etiã supplebili, ut probatum est, ergo illi conveniũt omnia enumerata cõtrapositivè ad potentiam, consf.tenet, quia prædicta omnia, ut per se constat, nequeunt convenire potentiæ, nam enim una potentia supponit aliam ex natura rei, ut subjectum quo, & ut principium elicitivum proprii actus; neque objectum unius potentiæ potest contineri sub objecto specificativo alterius, cum essentialis diversitas potentiæ à potentia ex objecto specificativo sumatur; & deinde est cum necessitate insupplebili, & cum indifferentia ad benè, vel malè, ut dictum est, ergo propriè conveniunt lumini, & non potentiæ.

Urg. hoc. Si lumen gloriæ, & fides essent potentiæ essentialiter, deberent esse intellectivæ, diversæ specie ab intellectu, neque respicerent objectum specificativum illius, sed quælibet haberet specie distinctum in ratione intelligibilis ab objecto alterius; sed hæc nullus admittit, ergo. Ergo. Idem argumentum fieri potest de spe, & charitate respectu voluntatis.

II. prob. concl., & urg. præcedens ratio. Nam lumini gloriæ convenit propria, & essentialis ratio habitus, non verò potentiæ, ergo est essentialiter habitus non potentia, consf. tenet, & ant.patet ex dictis; nam dum dicitur à Philosophis distingui potentiam ab habitu, & dispositione, quòd illa datur ad operandum simpliciter, habitus verò ad benè, vel malè, ac proinde, quòd si lumen, & alii hujusmodi habitus supernaturales, sunt saltem ex natura rei simpliciter necessarii ad suos actus supernaturales, magis quasi obtineant rationẽ potentiæ, quam habitus) nõ est sensus potentiam esse simpliciter necessariam ad actum, propter quem datur, habitum verò tantum esse necessarium ad melius, vel faciliùs, sed quòd potentia, ut dictum est sit principium operandi simpliciter, idest cum indifferentia, vel sine determinatione ad benè, vel malè, seu ad bonam, & rectam operationem, vel ad malam, quia per habitus bonos elicit bonam, per malos verò non rectam, nec conformem naturæ, habitus verò ex sua ratione formali est determinatio potentiæ ad rectam operation m, aut malam, sed lumen gloriæ essentialiter est determinatio intellectus ad operationem rectam, ergo ei convenit essentialiter propria ratio habitus; mi. est certa, & ma. est communis doctrina cap.de qualitate, & præter instantiã de habitu logicæ in probabilissima sententia asserente esse necessarium simpliciter ad alias sciẽtias acquirendas: prob.alia manifesta in speciebus intelligibilibus, quæ essentialiter sunt habitus, & tamen sunt simpliciter necessariæ ad intelligendum, & quælibet ad proprium actum, ergo &c.

Dices naturaliter ita esse, nihilominus posse divinitùs fieri, ut intelligatur objectum sine specie, divina essentia per se ipsam supplente vices speciei. § Sed contra est, quia etiam divinitùs fieri potest, ut producatur visio Dei sine lumine gloriæ, quod dicitur habitus ut latè probatum est q.præced., ergo nõ est magis necessarium ad visionẽ, quam species ad intellectionem.

Dices ut supra visionem productã sine lumine non posse esse ajutẽ speciei cum ea, quæ produci ur cum lumine, sed diversæ ex modo tendendi in objectum, & ideo simpliciter esse necessarium lumen ad visionẽ, ad quam datur. § Sed neque hæc solutio evadit vim argumenti, quia pariter dicendum esset diversam esse intellectionem elicitam media Divina essentia supplẽte vices speciei ab elicita per creatam, quia diversò modo amiuentiori repræsentaretur objectum per Divinam essentiam, ac proinde etiam modo diverso attingeretur &c.

III. prob. concl., & iterum urg. superiora. Si lumen gloriæ non esset essentialiter virtus potentiæ, sed potantia, posset excluso etiam intellectu, immediatè animæ inhærera, eamqua ad videndum Deum proximè potentem constituere, consq.à nullo admittitur, ergo; prob sequela, quia habitus luminis esset potentia proxima intellectiva adæquata respectu actuum supernaturalium, ergo etiam secluso intellectu, qui est potentia proxima in ordine ad actus naturales, posset immediatè animæ uniri, eamque proximè potentem constituere ad intelligendum, & videndum Deum. § Urg. hoc, & simul prob. ant. Intellectus in ordine ad visionem beatificam, utpotè adæquatè supernaturalem non dat proximè posse, ergo si aliàs lumen non solùm est virtus, sed etiam potentia proxima, nulla est ratio, cur mediet essentialiter intellectus inter animam, & lumen, itaut habitus luminis gloriæ nequeat animæ immediatè uniri absque medio intellectu &c.

Dices quòd licet intellectus non det posse proximũ, sam non sit potentia proxima ad visionem, vel intellectionam supernaturalem, est tamen immediatum agẽs, *quod*, anima verò mediatum *quod* agens, & ideò nequit

quit habi tus supernaturalis animæ rationali inhærere absque medio intellectu. § Sed contra hoc est, quia ex eo intellectus habet ratione͂ immediatè agentis, ut *quod*, quia essentialiter est potentia intellectiva, ergo si etiam lumen est essentialiter intellectiva potentia, pariter erit immediatè agens, ut *quod*, ac proindè sicut hac ratione intellectus in ordine ad actiones naturales non supponit aliam potentiam mediam inter animam, & seipsum, sed immediatè illi unitur in ordine ad illas, nec supponet lumen aliam mediam in ordine ad visionem, sed immediatè unietur animæ in ordine ad illas, & ide͂ est de aliis habitibus supernatoralibus in ordine ad alias operationes supernaturales &c.

Secunda autem pars concl., nempè, quòd hujusmodi habitus supernaturales attingant perfectionem potentiæ, prob. simul, & declaratur ex regula illa Divi Dionys. quòd *Supremum infimi attingit infimum supremi*, qua sæpè utitur D.Tho. nam hi habitus supernaturales tenent supremum locum intra speciem habitus, ergo licet non habeant essentialiter rationem potentiæ, induent tamen perfectionem ejus, & secundum quid potentiæ erunt, virtualiter munere illius quoad aliquid fungentes, & quò perfectior erit, eò in pluribus munere illius fungetur; unde sicut potentia cognoscitiva non solùm est necessaria ad judicandum de proprio objecto, sed etiam ad simplicem aprehensionem ejus, ita lumen gloriæ non solùm est necessarium ad visionem ut est judicium de Deo ut in se est, sed etiam ut habet rationem simplicis aprehensionis; & sicut potentia est receptiva ut subjectum *quò* speciei intelligibilis, & intellectionis, ita lumen gloriæ, visionis &c.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arguit Cabrera. Lumen gloriæ est participatio Divini intellectus, ergo constituit intellectum creatum in ratione intellectus, aut in ratione intellectivæ potentiæ supernaturalis, ergo simpliciter & essentialiter est potentia supernaturalis. § Ad hoc dico in primis, quòd videtur multipliciter ab eodem solvendum; nam primò confirmat ultimam rationem factam; quia si semel constitueret intellectivam potentiam, jam ut istã immediatè animæ secluso intellectu constitueret illã potentẽ intelligere supernaturaliter, quod est falsũ, & nullus admittit. Secundò, quia eodem argumento probaretur lumen propheticum, & auxilium efficax complens, & prædeterminans intellectum ad visionem eliciendam esse essentialiter potentias supernaturales, quia omnia hæc sunt participationes quædam Divini intellectus. Pro omnibus ergo resp. dist. 1. conseq. Constituit intellectum creatum in ratione intellectus simpliciter, seu in ratione potentiæ, nego, suppolita essentiali ratione intellectus, vel potentiæ intellectivæ constituit illam in ratione supernaturalis, & divini ordinis, conc., & nego deinde 2., quia ut sic constituat satis est, quòd secundum quid & virtualiter habeat modum, aut rationem potentiæ &c.

II. Arg. lumen gloriæ est tota facultas, & potestas videndi Deum, sic quod illo posito est homo simpliciter potens videre Deum, & illo ablato nulla remanet potestas ad visionem eliciendam, ergo simpliciter, & essentialiter est potentia, & non habitus. § Ad hoc patet ex superioribus; unde dist. ant. Est tota facultas, vel potestas, ut virtus, & elevatio potentiæ intellectivæ, qua posita in intellectu homo est simpliciter potens videre Deum, conc. est tota facultas, ut potẽtia intellectiva, nego, quia solo illo posito sine potentia intellectiva nullo modo homo esset potens videre Deum, cùm tamen, ut dictum est, si esset tota non præcisè ut virtus, sed ut potentia essentialiter, etiam secluso intellectu posset haberi visio, unde nego cons., quia habitus perfectissimi, qui induunt secundum quid modũ, & perfectionem potentiæ, possunt esse tota facultas productiva actus non ut potentia, sed ut virtus elevans, & ex natura rei præsupponens potentiam, ut latè supra explicatum est &c.

III. Arguit. Nam actus visionis non solùm exigit habitum supernaturalem, sed etiam potentiam supernaturalem, at nihil est in beatis, quod possit habere hanc rationem potentiæ nisi lumen, cùm non sit aliud assignabile, ergo lumen est potentia; probat ma., quia non minus requiritur ad actum supernaturalem potẽtis, quam habitus, ergo.

Sed ad hoc iterum etiam dicimus, quòd videtur ab eodem solvendum, nam si ita est, quòd visio beata exigit habitum supernatũralem, cùm non sit alius assignabilis nisi lumen, illud proculdubio erit habitus. Sed deinde dist. ma., exigit potentiam, supernaturalem essentialiter, nego, supernaturalem accidentaliter cõc., sicut enim visio non procedit à principio substantiali vitali supernaturali essentialiter, sed à naturali elevato, & constituto accidentaliter supernaturali, ita neque exigit potentiam essentialiter supernaturalem, quia hæc deberet præsupponere principium substantiale, essentialiter supernaturale, cujus esset naturalis potentia, vel proprietas; unde nego mi., nam talia potentia supernaturalis, est ipse intellectus hominis, vel Angeli informatus habitu luminis; ut autem idem intellectus sic elevatus per lumen dicatur supernaturalis potentia accidentaliter, satis est, quòd lumen, ut dictum est, virtualiter, & secundùm quid habeat modum potentiæ, quia lumen non tribuit rationem potentiæ intellectivæ simpliciter, sed eam præsupponit, elevando, & constituendo supernaturalem accidentaliter. Alia, quæ obiicit, supponunt habitum non posse esse principium actus quoad substantiam, & vitalitatem. Sed hoc evidenter est falsum, & etiam contrà se ipsum, ut patet in scientia per se infusa Christi, quæ ut idem cum D.Tho. admittit, essentialiter est habitus, & tamen est principium actus vitaliter supernaturalis, non minus, quàm lumen gloriæ, aut fides &c.

IV. Arg. ab inconvenienti, quia si lumen gloriæ esset habitus, esset essentialiter virtus theologalis cõs. videtur contrà communem consensum tres tantum virtutes theologicas numerantem, ergò non est essentialiter habitus patet ma., quia Deum habet immediatè pro objecto.

Sed hoc etiam argumentum est ab omnibus solvendum: nam etiam probaret Theologiam, & prædictam scientiam infusam Christi non esse habitus, cum pariter Deum habeant pro objecto. Pro omnibus, ergo ex his, quæ suprà insinuavimus in proæmialibus, & hic ad ultimum tangit Magister Catalam disting., & explico ma., esset virtus theologalis, prout communiter accipitur à Theologis, nego aliter, vel purè intellectualis, transeat vel conc., & tunc nego mi.

mit, nam licet virtutes theologales, quæ non sunt purè intellectuales sint tantum tres juxta prædictum communem consensum; nullum tamen, inquit idem Magister, est inconveniens concedere præter illas, alias purè intellectuales, &c.

V. arg. impugnando præcipuum fundamentum conclusionis innixum superiori, vel multiplici discrimini assignato inter potentiam, & habitum. Ut qualitas supernaturalis verè dicatur & sit potentia non est necessarium, ut illi conveniant conditiones enumeratæ, scil. indifferentia ad benè vel malè operari; necessitas insupplebilis, & quòd non supponat potentiam, ut sui subjectum *quo*, sed satis est, quòd sit principium *quo* proximum operandi supernaturaliter, ergo ex defectu harum conditionum non est excludendum lumen à ratione potentiæ simpliciter, vel essentialiter, prob. ant., & primò quoad priores conditiones: ut qualitas supernaturalis obtineat rationem naturæ, non est necessarium, quòd habeat talem indifferentiam, & necessitatem, sed satis est, quòd sit radix facultatum proximarum ordinis supernaturalis, & quòd sit principium radicale *quo*, non *quod*, ut patet in gratia, ergo nec erunt necessariæ ad rationem potentiæ, quæ est minus est universalis, nec tantam habet necessitatem, quantam ejus radix, sed satis erit, quòd sit principium *quo* proximum operativum. Tum quia si possibilis esset substantia supernaturalis, cum per nos esset impeccabilis, haberet potentias, scil. intellectum, & voluntatem determinatas ad benè operari, ergo non est de ratione potentiæ præfata indifferentia, & necessitas, vel ratio operandi, ut *quod*. Quoad a. verò partem, quòd non obstet suppositio potentiæ, ut subjecti *quo*; prob. in charactere sacramentali, qui secundum Div. Th. 3. p. q. 63. art. 4. habet rationem potentiæ, & tamen, ut docet ibidem, non est inanima nt in subjecto sed in potentia ejus, ergo non est contra rationem potentiæ, quòd aliam supponat, ut sui subjectum. Urgetur hoc ex eo caracter juxtà D. Th. ibi ad 2. licet potentia sit potest ut in subjecto esse in potentia, & non tenetur esse in essentia animæ, quia non est potentia naturalis ex principiis essentiæ procedens, sed potentia quædam spiritualis ab extrinseco adveniens; *Unde sicut essentia animæ*; inquit; *per quam est naturalis vita hominis perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit, ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est caracter*. Sed etiam lumen, (& idem est de aliis habitibus supernaturalibus) est ab extrinseco adveniens, & non ex principiis animæ, aliàs supernaturalis non esset, ergo salva ratione potentiæ, poterit supponere intellectum, ut sui subjectum, &c.

Urg. ulterius tutum hoc ex eodem D. Th. infrà qu. 41. ar. 4. Nam ut ibi probet in Deo esse potentiam generandi, & spirandi non recurrit ad præfatas conditiones, sed ad hoc nempè, quòd potentia nihil aliud significat, quam principium alicujus actus, ex quo infert, quòd quia in Patre est principium generandi, & in Patre, & Filio principium spirandi, tenemur dare illi potentiam generandi, & utrique illam spirandi. Imò si recurreret ad alias conditiones, & præcipuè ad principalem, cui potissimè innitimur, scil: ad indifferentiam benè, vel malè operandi, potiùs concluderet oppositum, cum in Deo non sit talis indifferentia, neq; ad intrà, neq; ad extrà. Et deindè art. 5. ad 1. inquit, *Dicendum, quod potentia significat id, quod est principium, non quidem sicut agens dicitur principium, sed sicut id, quo agens agit*, ubi non leviter insinuat requiri, & sufficere ad rationem potentiæ, quòd sit principium *quo* proximum operativum. Præterquamquòd estò daremus requiri in nobis ad illam, talem indifferentiam, nō esset tamen necessaria positiva ad utrumque, sed sufficeret positiva ad unum, scil. bonum, & permissiva ad malum, sicut sufficit ad rationem naturæ creatæ defectibilitas permissiva, ut patet in eadem gratia, cum non magis sit de ratione potentiæ indifferentia, quàm de ratione naturæ creatæ defectibilitas; constat autem habitus supernaturales habere permissivam indifferentiam ad malum, ut patet in habitu charitatis, & aliis hujusmodi permittentibus creaturam malè operari, vel tendere ad extremum odii, ergo §. Ad hoc patet primò ex dictis esse solvendum ab omnibus in specie intelligibili, in qualitate ab intrinseco fluida, & etiam in habitu naturali, quæ sunt qualitates per modum principii *quo* proximi operativi, vel efficienter influxivi in suo ordine, & tamen non sunt potentiæ operativæ.

Resp. ergo nego ant. Ad primam prob., vel instantiam de gratia, Illustriss. Godoii ubi supra num. 258. resp. esse sumendum discrimen ex rerum definitionibus; & quia ex definitione naturæ non constat, quòd petat indifferentiam, vel determinationem, sed tantum quòd sit principium radicale operativum, & hoc salvatur in gratia habituali, fit consequens, quòd ei competat ratio naturæ, quamvis indifferentia ad bonum, & malum non gaudeat, nec insupplebiliter ad operandum sit requisita: ratio autem potentiæ non consistit solum in dare facultatem proximam ad operationem. Tum quia aliàs species, & qualitates fluidæ essent potentiæ. Tum etiam, quia non differret ab habitu, & ideò quamvis lumen gloriæ det posse proximè operari supernaturaliter, quia tamen non gaudet dictis conditionibus non est potentia, sed habitus &c.

Sed hæc solutio, nisi aliud addatur non videtur carere difficultate, nam quidquid sit, quòd ex definitione naturæ non habeatur expressè prædicta indifferentia, aut nequeat colligi explicitè ex illa, certum tamen est, quòd dicta indifferentia, vel amplitudo convenit potentiæ ex superioritate, & universalitate, quam habet supra habitum, & hæc oritur ex majori propinquitate ad principium radicale, undè ut alibi in primo phys. ex eodem ducnimus, quò aliquid magis ab isto elongat, eò est minus universale, & magis determinatum, qua ratione ut ibidem ostendimus, ea quæ formaliter se habent ad actum, & formaliter illum distinguunt ab aliis, materialiter se habent ad habitum, & quæ formaliter ad illum, materialiter se habent ad potentiam, undè sicut sufficit unus habitus respectu plurium actuum, ita una potentia respectu plurium scibilium, vel objectorum spectantium ad diversos habitus, ergo à fortiori erit concedenda major universalitas, & amplitudo principio radicali, ut potè omnium superiori, ergo si hoc non obstante potest definitivè salvari in illo ratio naturæ sivè præfata indifferentia, ità ut ex sui definitione illam non exigat, à fortiori videtur posse salvari in potentia minus universali, & magis determinata, quàm principium radicale. Undè videtur solutio posse retorqueri, & consequenter etiam ab omnibus solvi debere, quæ deindè in ejus favorem adducit, præterquamquod, ut

ut vidimus in proœmialibus logicæ; ac eo in manuscriptis contendit logicam sumptam pro habitu non esse simpliciter necessariam ad scientias acquirendas, quia contropositivè ad potentiam, habitus non est simpliciter necessarius, sed tantum ad faciliùs, promptè & delectabiliter operandum, licet huic discrimini, hic num. 254. utpote revera minùs efficaci, non confidat, sed ad aliud de indifferentia satis convincens recurrat &c.

Nihilominus in gratiam tanti Viri placet respondere primò sustinendo eandem solutionem, quæ rectè intellecta, optima est, undè dicimus ex superioribus ad præcedentem replicam, hoc esse discrimen inter principium radicale habens rationem naturæ, & principium proximum per modum potentiæ, quòd quia radicale estò superius, & universalius sit, alium influxum non habet in actum præter illum, quem præstat mediis potentiis, sicut hac ratione sinè aliqua qualitate, vel auxilio intrinseco sibi immediatè inhærente influere potest in actum etiam excedentem, dummodo habeat potentiam proximam elevatam per supernaturalem rationem agendi, ut dictum est de peccatore fideli, dum elicit actum fidei informem, ità pariter, ut influat in actum sibi proportionatum, ut contingit in gratia, respectu actuum supernaturalium, non tenetur ex conceptu principii primi, vel naturæ habere in se indifferentiam ad benè, vel malè operandum, sed satis est, quòd eam habeat potentia, per quam proximè operatur, undè optimè dicit, quòd ex definitione naturæ non habetur talis indifferentia, benè verò ex conceptu potentiæ, quia cum hæc sit instituta ad operandum, si semel est in subjecto defectibili debet habere hanc amplitudinem supra habitum ut possit benè, vel malè operari, nam habitus, ut dictum est, ex sua ratione formali, seù ex propriis est determinatio potentiæ, præcipuè loquendo de habitu, qui est virtus ejus, veltenet se ex parte illius, ut principium proximum operativum, undè nequit gaudere eadem universalitate, vel indifferentia, sed si est de linea boni, vel virtuoli, determinat ad actum bonum, si de opposita mali, vel vitiosi ad malum, & sic omnia consonant.

Secundò etiam ex dictis alia via resp. ad eandem instantiam de gratia negando suppositum, quòd gratia veram, & propriam habeat, seù strictam rationem naturæ, licèt in aliquibus cum illa conveniat ut explicatum est, sed magis est ex propriis ad perficiendam naturam, undè minus potest ei convenire prædicta indifferentia, sicut neq; hac etiam ratione potest convenire habitibus, qui sunt de linea virtutum, & præcipuè, qui sunt ejus proprietates; nam cum sit participatio formalis divinæ naturę secundum quòd est principium videndi, & amandi Deum, ac proindè semen vitæ æternæ habent ex ea justi, quòd nec peccant nec peccare possunt, quantum est ex vi illius. Tum quia natura strictè, & rigorosè sumpta si semel creata est, & in subjecto rationali, sivè in nobis vel in angelis, est ab intrinseco moraliter defectibilis, (adeò ut etiam naturam humanam in Christo, sivè Christum, ut hominem, vel ejus humanitatem velint aliqui extrà scholam D. Th. non esse ab intrinseco impeccabilem;) unde tenetur radicare potentias, quæ habeant indifferentiam ad utrumque, si velimus posse defectibiliter operari, ac proindè tenentur istæ distingui specialiter per hanc indifferentiam ab habitibus, qui determinati sunt ad illas perficiendum, nec satis est, quòd præcisè sint principium *quo* proximum operativum, sed cum tali indifferentia.

Ad 2. instantiam de substãtia supernaturali dicimus, quòd quia hæc est impossibilis intrà lineam creaturæ, ut jam in superioribus insinuatum est, & constabit infrà; sicut esset, & non esset creata, ità potentiæ ejus essent, & non essent potentiæ, scil. creatæ, nam cum deservire debeant, ut dictum est, naturæ defectibili tanq; proximum illius principium, per quod non purè efficienter, sed etiam deficienter operari potest, præscindere nequeunt à tali indifferentia, nisi velimus eandem naturam præscindere posse ex propriis ab eodem operari defectivè.

Ad probationem verò quoad alteram partem ex instantia caracteris respondetur similiter, sicut ad primam ex eodem D. Th. ibidem art. 2., quòd cum caracter sit spiritualis quidem potentia, sed instrumentalis non propriè est in genere, vel specie, sed reducitur ad 2. speciem qualitatis, ut ait D. Th., undè non est necesse, quòd ei omnia conveniant, quæ potentiæ strictè dictæ conveniunt, ac proindè quòd nequeat supponere potentiam, ut sui subjectum, aut quòd habeat ejus indifferentiam, alias per se, & propriè pertineret ad idem genus, & speciem, & non purè reductivè ut quid deficiens, sicut similiter reducit ibidem virtutem, quæ est in sacramentis, scil. tamq; quid deficiens, vel incompletum. Et per hæc etiam patet ad primam confirmat.; nam licet ita sit, quòd quantum ad hoc, quòd non teneatur esse in essentia animæ tanquàm in subjecto, estò potentia sit, id oritur, quia non est potentia naturalis procedens ex principiis essentiæ, sed quædam spiritualis ab extrinseco adveniens; quòd tamen possit subjectivè esse in potentia specialiter habet ex eo, quòd deficit à ratione potentiæ, aut non pertinet propriè, & per se ad speciem illius; cæterum lumen, vel alii hujusmodi habitus supernaturales, cum principaliter influant, ut in superioribus ostensum est, si semel essent potentiæ, essent tales per se, & consequenter tenerentur habere prædictam indifferentiam; nec supponere possent aliam potentiam, ut subjectum sui &c.

Ad 2. resp.; quòd sicut non est de ratione subsistentiæ ut sic, abstrahentis à creata, & increata informare, sed tantum esse terminum naturæ, & solum illud convenit subsistentiæ creatæ, sicut similiter non est de ratione speciei intelligibilis, ut sic, inhærere, sed tantum determinare potentiam, vel repręsẽtare, ut explicatum est; & solum illud convenit speciei creatæ, quia nempè est accidens, ità nec est de ratione potentiæ ut sic, abstrahentis à creata, & increata, indifferẽtia ad benè, vel malè operari, & esse principium *quod* tantum, sed esse principium operandi saltem, ut quo, & solum illud convenit potentiæ creatæ, quia nempè deservit subjecto defectibili moraliter, ut dictum est, & est distincta ab operatione, & termino producto, ex quo habet meritum influendi, ut *quod*, non quidã absolutè, sic enim esset agens, ut *quod*, quod tantum convenit supposito, sed per modum agentia immediatè. Sicut autem non rectè quis negaret Deo rationem subsistentiæ, aut speciei intelligibilis, ex eo quòd nulla sit ibi informatio, vel inhærentia, ità nec rectè negare potest illi rationem potentiæ, ex eo quòd non sit ibi indifferentia ab benè, vel malè, nec ratio agentis immediatè, ut *quod*. Intentum autem D. Th. non est ad probandam potentiam in Deo quomo-

modocumq;, aut specialiter sumptam prout in genere qualitatis ab aliis speciebus distinguitur, sed generaliter, & secluſis imperfectionibus, quas habet, prout creata est: nempè pro principio proximo activo, proprio, & connaturali naturæ divinæ fœcundæ non solum ad extra, sed etiam ad intra; quia tamen ibi nõ distinguitur ab actu nationali, nec à termino producto non habet rationem agentis, ut *quod*, sed ut *quo*. Unde ut concludat rationem potentiæ in Deo non tenetur recurrere ad alias conditiones, quæ necessariò conveniunt potentiæ creatæ, ut creata est in genere qualitatis contenta, non ex communi conceptu potentiæ ad creatam, & ad increatam.

Sed instas, quia Div. Th. intendit probare ibi potentiam strictè dictam, prout contradistinguitur ab habitu, at per solam rationem principii *quo* proximè operandi non habetur hujusmodi potentia sic distincta ab illo, ut patet, cum hæc ratio principii propriè, ac rigorosè conveniat etiam habitui, ergovel prædictæ conditiones non requiruntur ad rationem propriam, & rigorosam potentiæ, vel D. Th. non concludit intentum de potentia strictè dicta; ma: etiam constat, quia aliàs iterum non convinceret verè, & propriè dari in Deo potentiam, si non convinceret illam, ut distinctam ab habitu.

Secundò:quia eadem ratione etiam in lumine gloriæ, & aliis supernaturalibus habitibus salvari poterit stricta ratio potentiæ, si semel salvatur in Deo sinè eisdem conditioonibus,ergo vel erit hæc neganda in Deo, quod est contra D. Th.,vel etiam concedenda est eidem lumini, ut intendunt contrarii.

Ad 1. dist. mi., Non habetur potentia, de qua modo loquimur, seù contenta sub genere qualitatis, conc., à toto genere potentiæ, vel loquendo de potentia ut sic, nego. Potentia ergo in presenti, ut potè contenta sub genere qualitatis, & deserviens, ut dictum est, subjecto defectibili moraliter, habet ex propriis, quòd sit quoddam determinabile ad benè, vel malè operari ab habitu juxtà sui conditionem, undè & iste ex sua ratione formali est determinatio ejus ad alterum extremum, ac proindè non posset ab eodem sufficienter distingui, subtracta tali indifferentia, cæterum potentia ut sic, vel increata, utpotè in subjecto omninò indefectibili, nec contenta sub genere, sed supra omne genus existens, incapax est, hujusmodi determinabilitatis, vel indifferentiæ,unde nec tenetur per illam ab habitu distingui, sed habet aliundè salva sui stricta ratione potentiæ ab illo distingui, scil. per rationem principii operandi non quomodocumq;, sed cum summa identitate cum actu sivè ad intra, sive ad extrà, & cum termino etiam producto ad intra. Per quod etiam patet ad 2., quia cum lumen gloriæ sit spectans ad ist̃e genus,ut strictè,& essentialiter potentia esset, deberet habere meritum præfatæ determinabilitatis, & non rationem determinativi, alias à potentia de eodem genere distingui non posset, ut dictum est, undè non satis est illi ad rationem potentiæ strictè dictæ, ut sit principium proximum operandi, sed tenetur servare priores conditiones, si velimus unam speciem ab alia ejusdem generis distinguere.

Ad id verò, quod post utramque confirmationem subdit, sufficere nempè indifferentiam positivam ad unum, scil: bonum, & permissivam mali, dicimus, quòd cum id conveniat habitui, imò & potentiæ increatæ, vel Deo, non haberet, undè posset sufficienter distingui ab illo, & ab ista. Tum quia, ut dicebamus; cum deserviat subjecto non tantum permissivè, sed etiam positivè potenti tendere ad malum non solum permissivè, sed etiam positivè est indifferens ad utrumque, &c.

QUÆSTIO OCTAVA.

An de potentia absoluta sit dabilis creatura, cui sit connaturale lumen gloriæ, ac proindè impeccabilis.

SEcundam partem de impeccabilitate breviter expediemus,quia latè infrà de angelis eam examinamus circa primam verò supponimus,ut certum de fide apud theologos de facto non dari inter productas, aut producendas aliquam, cui sit idem connaturale, undè difficultas est de potentia absoluta.Pro qua adverto, cum M, Catalam hic dub. 6., quòd altero ex duobus modis posset quis affirmare, quòd alicui creaturæ intellectuali creatæ, aut creabili esset connaturale hoc, quod est videre Deum, ut in se est; primò asserendo tantam esse perfectionem intellectus ejus, ut propria virtute nativa, sine aliquo lumine gloriæ, valeret Deum videre, ut in se est. Secundò asserendo necessarium esse lumen gloriæ sed posse produci à Deo creaturam intellectualem tantæ perfectionis, ut lumen gloriæ esset ei connaturale. Hi tamen duo modi revera non sunt distincti inter se, quia ut poterit constare infra, ex possibilitate posterioris evidenter infertur possibilitas prioris vel è contra; priori autem esse omninò impossibile efficaciter probat, ut vidimus; ratio D. Th. supra art. 4., quæ eandem habet vim respectu cujuscunque intellectus creati producibilis etiam de potentia absoluta, quia cuicunque hoc ipso, quòd creatura est, repugnat esse purum actum, aut ipsum esse per se subsistens, quòd D. Th. affirmat esse necessarium, ut connaturale esset ei videre Deum. Ut ergo constet, quam sit supra naturam cujuscunque creaturæ intellectualis visio beata, quæritur an lumen gloriæ, possit esse connaturale alicui creatę, aut creabili de potentia absoluta, & est eadem difficultas de gratia, fide, & charitate, & aliis habitibus per se infusis &c.

In qua re pro sententia affirmativa referri solet Major in 4. dist. 49. q. 4. in fine, ubi ait non esse omninò certum, quòd talis substantia à Deo creari non possit. Favet eidem Molina hic disp. 2., ubi affirmat quidem, rationi, fidei, & scripturæ plusquam consonum videri sibi, ut gratiam, ità & lumen, & visionem Dei supra naturam esse omnium creaturarum intellectualium, quas de facto condidit Deus; tamen hactenus nullam se vidisse rationem, quæ suadeat nulli creaturæ intellectuali posse esse connaturale lumen gloriæ. Undè licet assertivè affirmare non audeat, hæret tamen dubius, & argumenta, quæ illius possibilitatem suadent aliis diluenda, & rem ipsam definiendam relinquit, ut etiam monet Illustriss. Godoii hic disp. 13. §. 1. o. 2. Cæterum prædictus Auctor dum hæc dicit,sibi videtur contradicere, quia ut infrà apertè constabit, si semel consonum rationi, & plusq; fidei, & scripturæ est lumen esse supra naturam, quam de facto Deus condidit; tenetur ex hoc efficaciter inferre; quòd salva supernaturalitate, sivè proprio ejus con-

cõceptu impossibile sit possesse connaturale creaturæ, quæcumque sit, creata, aut creabilis. In eandem sententiam inclinat Valentia hic puncto 3. §. hæc autem doctrina; Herice disp.48., Alarcon tract. 1.disp. 2.c.7., Beccanus cap.9.q.5. Sed hi etiam aliquo modo hæsitant. Diffinitivè tandem procedit Ripalda lib.1. de ente supernaturali disp.23.sect.4. affirmans non solum non convinci rationibus, sed etiam esse positivè probabilem, sive attendatur ratio, sive auctoritas.

Secunda sententia absolutè negat, quam tenet D. Tho. hic ar.4., & 5., & 3. cont.gent.c.25., & alibi, & sequuntur jam communiter non solùm ejus discipuli, sed alii etiam Theologi Suarez, Vasquez, Arrubal, Fasolus, & alii &c. Pro quo iterum adverto tribus modis posse aliquam perfectionem dici connaturalem alicui creaturæ. Primò, quia ab ejus essentia dimanat, ut proprietas, ut risibilitas, vel aliæ hujusmodi proprietates in homine. Secundò, quia licet ab essentia ejus non sic dimanet, fluunt tamen ab illa tam activa principia, quàm passiva ad illam sibi acquirendam; & hoc modo dici possunt connaturales homini scientiæ naturales propriis actibus acquisibiles. Tertiò, quòd licet non adsit principium activum in natura ad illam sibi acquirendam, habet tamen naturalem aptitudinem, & inclinationem ad illam recipiendam, & jure connaturalitatis sibi debitum est, ut ab Auctore naturæ sibi tribuatur. Sic dicuntur connaturales Angelis species intelligibiles ad intelligendum ea, quæ pertinent ad ordinem universi, & motus localis corporibus cœlestibus, ut dictum est in physicis.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Nulli creaturæ intellectuali creatæ, aut creabili potest esse connaturale lumen gloriæ, & idem est de gratia, & aliis habitibus supernaturalibus. Loquimur specialiter de connaturalitate in posteriori sensu, sive de lumine distincto ab intellectu, nam priori modo, sive de connaturalitate luminis indistincti, itaut impossibilis sit aliqua, cujus intellectui connaturale sit videre Deum, jam supra ostensum est cum D. Tho. & hic etiam ex impossibilitate præsentis connaturalitatis evidenter constabit impossibilitas præcedentis; unde idem Angelicus qu.24. de veritate ar.7. in arg. 4., sed cont. ait: Videri sapere hæresim Pelagii affirmare posse aliquam creaturam naturalibus viribus sine dono gratiæ videre Deum.

Sumitur autem concl. ex D.Tho. hic ad 3. asserente lumen, quo Deus videtur non posse esse connaturale alicui creaturæ, nisi illa esset ejusdem essentiæ, vel naturæ cum Deo; evidens autem est creaturam ejusdem esse naturæ cum illo esse manifestam repugnantiam in terminis, quia esset, & non esset creatura. In 4. etiam dist.49. q.2.ar.6.ad 7. ait: lumen, per quod intellectus unitur formæ intelligibili increatæ communicari posse intellectui creato, sed non posse fieri, ut illud connaturaliter habeat, nisi transferatur in naturam intellectus increati, quod est impossibile. Et de veritate q.8.ar. 3.in corp. docet esse impossibile, quòd lumen gloriæ non sit supernaturale respectu intellectus creati. Idem docet de gratia in 2. dist. 23. q.1.ar. 1. ad 5. Et sequuntur Capreol. in 2. dist. 22. q.unica ar.3. ad 2. ex secundo loco positis; Soto in 4. dist.49. q.2.ar.4.ad 3. Scoti.Ferrara 3.cont.gent.c 54. circa quartam objectionem, Cajet. Jentaculo 2. q.1., & hic circa 3. D.Tho., & alii recentiores.

Idem apertè docet D.Aug. 12. de Civitate Dei c.1. præcipuè loquendo de 1., & 2. modo connaturalitatis; nam agens ibi de natura intellectuali fatetur quidem posse fieri beatam visione Dei, ex eo scil., quia intellectualis est; negat tamen id habere posse ex se, hoc ipso, quòd ex nihilo creata est, sed tantum ex dono illius, à quo creata est. Quæ ratio, ut patet, æquè militat de omni tam creata, quàm creabili, cùm nulla sit dabilis in universum, quæ ex nihilo non sit, aut non teneatur esse. Tum quia si aliqua esset, cui lumen gloriæ esset connaturale, ut proprietas, aut quæ ex sua essentia haberet principia activa, & passiva sufficientia ad illud acquirendum, jam posset ex se ipsa esse beata per visionem Dei, quod apertè negat D. Augustinus &c.

Dices, quòd D.Aug. dum dicit ex se ipsa non posse esse beatam, vel tantum excludit primum principium suæ beatitudinis, quatenus vires sufficientes non haberet à se ipsa, sed à Deo; vel fortè etiam conformius ad textum excludit solum ab illa rationem boni objectivè beatificantis, quatenus perpetuò esset se ipsa bonum insufficiens ad beatificandam se ipsam, unde nunquam posset verificari, quòd esset ex se ipsa beata, quod videtur insinuare; dum præviè ait: *Non est creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quod beata sit nisi Deus*. Et iterum subsequenter ait: *Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est*. Ubi manifestè loquitur de beatitudine objectiva, quasi dicat, nunquam potest dari creatura talis perfectionis, ut perveniat ad rationem boni, quo possit esse beata per exclusionem totius miseriæ, quia nempe ex nihilo est; ex quo sicut non excluditur modo de facto creatura dans illi vires sufficientes, estò ex nihilo sit, nempe lumen, ita salvo hoc sui conceptu, quòd ex nihilo esset, posset à Deo alia produci tantæ perfectionis, ut eas habeat sibi connaturales, & consequenter etiam lumen connaturale. Ex quo etiam infertur, quòd loquatur de creaturis existentibus non possibilibus.

Sed utraque hæc solutio, licet in verbis relatis videatur habere aliquam apparentiam, est tamen omninò insubsistens. Nam in primis D. Aug. in eo sensu negat, in quo poterat apud Theologos, vel Catholicos esse difficultas, quid nempe creatura possit, vel non possit in ordine ad beatitudinem, nisi velimus SS.PP. otiosè, vel nugatoriâ scribere, sed nullus sanæ mentis potuit unquam dubitare, an illa ex se, & à se, & non à Deo, & an se ipsa non tantum affecutivè per vires sibi proprias sit beata, sed etiam objectivè per sui bonitatem plenè satiativam, ergo solum de viribus affecutivis negat, etiam ut habendis à Deo. Deinde cont. primam insto primò sic. Quia ut in simili arguebamus in proœmialibus logicæ, & efficaciter infertur ex ratione D.Tho., non stat semel habere lumen sibi connaturale, & illud habere ab alio; sicut non stat semel creaturam identificare sibi ultimum actum puta existentiæ &c., & adhuc habere esse dependenter ab alio, quia repugnat in terminis sic habere esse dependenter, non supposita potentialitate intrinseca, ratione cujus est capax sic habere, posita autem identitate cum ultimo actu, jam nequit amplius esse ibi potentialitas intrinseca, ut iterum patet ex terminis; unde ut dicebamus ibi, superfluus est iste recursus ad dependentiam ab extrinseco, supposita eadem identitate cum ultimo actu,

actu exclusiva totius potentialitatis intrinsecæ, ergo pariter superfluus est iste recursus ad habendum adhuc à Deo, supposita eadem connaturalitate luminis cum subjecto creato, cons. tenet, & ant. jam insinuatum est, & statim etiam constabit, quòd non possit alicui esse connaturale, nisi transferatur in naturam Divinã, aut habeat illam, ut sibi propriam, sic autem habens est Deus ab omni alio independens, sicut habens naturam ignis, est ignis, & sic de aliis &c.

II. impugnatur eadem solutio, quia videtur, manifestè destruere se ipsam. Nam si ita est, quòd particula *ex se* ad intentum D. Aug., non est eadem cũ altera *à se*, debet quid diversum significare, aut denotare, sed hæc posterior significat, aut denotat negationem accipiendi ab alio, seu negationem principii, ergo prior non importabit hanc negationem, sed tantum illam sufficientis in ratione agentis secundi, aliàs confunderetur cum illa, & erit distinctio de subjecto non supponente. Præterquamquod hac solutione aperiretur via ad passim eludenda Concilia, & SS. PP., dum definiunt hominem viribus propriis nihil efficere posse ad justificationẽ conducens, quia facillimè possent dicere, quòd tantũ non possit viribus nõ acceptis à Deo, quod est apertè eludere eorum definitionem, cùm non hoc tantum intendant, quod nullus hæreticorum negaret, nisi se ipsum neget esse creaturam, si semel à Deo non habet, quod in se habet: sed negate vires sufficientes, quas ipsi de facto contendebant in natura, & Catholici de illis inquirunt, an saltem habere possit de possibili ex connaturalitate luminis de potentia absoluta; unde idem est, non posse hominem ex se ipso esse beatum, ac id esse non posse per vires proprias, quod nonnisi otiosè explicaretur per hoc, quòd vires proprias accipiat ab alio, & non habeat à se. Adde quòd ex his etiam probaretur de facto, & non tantum de possibili, si hoc, quod est habere *ex se*, sufficienter salvari potest, vel explicari, quòd ita habeat, ut adhuc habeat à Deo, nam in omni eventu, ut dictum est, perpetuò tenetur habere ab illo, salvo conceptu creaturæ &c.

Hinc etiam reiicitur posterior solutio. Tum quia nullus unquam sanæ mentis dubitare potuit an creatura ex se ipsa possit esse beata tam assecutivè, quàm objectivè nisi velimus posse in sanam mentem cadere, quòd in creatura possit esse plena bonitas per essentiam, seu increata, cùm hæc sola sit beatificans objectivè, ergo nequit legitimè interpretari August. de beatitudine objectiva. Tum quia in communi consensu Theologorum legitimus sensus hujus propositionis, nempe, creatura intellectualis potest ex se ipsa esse beata, est, quòd possit ex propriis viribus beatitudinem consequi, ergo contra communem consensum explicatur D. Aug. de beatitudine objectiva, cons. tenet, quia hoc secundum non nisi ineptè explicaretur de eadem objectiva, ut patet ex terminis.

Nec favent ullo modo verba August. sive antecedentia, sive subsequentia, nam legitima ejus interpretatio est, quòd quia solus Deus est bonum, scil. excedens in ratione beatificantis, nulla creatura potest ex se ipsa esse beata, assequendo nempe illud per vires proprias, ad quod, ut patet, impertinenter omninò se habet, hoc, quod est negare creaturæ vim objectivè beatificativam. Quam interpretationem admittunt ferè omnes contrarii, uno recentiori excepto, cui placuit mentem August. ad alienum, vel impropriam sensum detorquere. Quod verò subditur tantum loqui de existentibus non possibilibus, apertè reiicitur ex ratione ejus, ut dictum est; nam omnes sive existentes, sive possibiliter extituræ, sunt perpetuò ex nihilo &c. unde licet expressam mentionem de illis non faciat, sua tamen ratione comprehendit, sicut dum Concilia, ut supra, definiunt hominem non posse suis viribus aliquid ad vitam æternam cum fructu conducens efficere, expressam mentionem de Angelis non faciant, non inde inferri potest, id posse illos efficere, quia cum eadem sit ratio de quacumque creatura intellectuali, de omnibus intelligenda est eadem definitio. Quoad aliud autem, quod primò tangit solutio de lumine gloriæ, quod salvo conceptu creaturæ dat vires sufficientes, statim dicemus magis esse retorquendum &c.

§. II.

Ratione probatur Conclusio.

Prob. primò, quòd nullo ex prædictis modis connaturalitatis possit convenire. Nequit lumen esse connaturale intellectui, nisi sit connaturale eidem habere pro objecto Divinam essentiam, ut cognoscibilis est quidditativa cognitione intuitiva, sed ut suprà efficaciter ostensum est, repugnat produci intellectum cum tali connaturalitate respectu essentiæ Divinæ, ut objecti quidditativè intuitivè cognoscibilis, ergo repugnat aliquam produci, cui sit lumen connaturale, prob. ma., quia lumen ex sua natura est dispositio elevans, & confortans intellectum ad videndum Divinam essentiam, ergo nequit esse connaturale non existente sibi connaturali Divina essentia, ut objecto quidditativè intuitivè cognoscibili; cons. tenet ex terminis, & inductivè, quia repugnat virtutem sic disponentem, & confortantem potentiam ad objectum quidditativè intuitivè attingendum, & non esse proportionatam objecto sic attingibili, aliàs non posset sic ad illud disponere, & confortare, sed pariter repugnat virtutem sic proportionatam objecto esse connaturalem potentiæ, objecto non existente illi connaturali, & proportionato, ut patet ex terminis, & inductivè, unde etiam modo de facto nequit Divina essentia in ratione objecti quidditativè intuitivè cognoscibilis esse connaturale intellectui creato videnti illam, quia non est eidẽ connaturale lumen gloriæ, de quo videantur superiora in expositione rationis D. Tho. ar. 4. ergo.

Urg. hoc: si semel lumen posset esse connaturalis perfectio intellectus creati, nulla est assignabilis ratio repugnantiæ, ob quam non possit à Deo fieri aliquis intellectus habens secundum se tantam vim, quantam modo habet, vel confert lumen, consequens est alienum, quia posset cõnaturaliter videre, sicut cõnaturaliter illum respicit lumen, ut objectum beatificum, quod est contra fidem, ut insinuavimus, ergo impossibile est, quòd sit alicui connaturale. Hanc rationem insinuat D. Th. ubi sup. de veritate dum affirmat, quòd si lumen gloriæ esset connaturale respectu intellectus creati posset talis intellectus naturaliter videre Deũ.

Hinc etiam patet discrimen ad illud, quod tetigit solutio circa auctoritatem D. August., quòd sicut est dabile lumen habens vim sufficientem in ordine ad Deum clarè visum salvo conceptu creaturæ, poterit

pariter dari intellectus habens illam, aut lumen sibi connaturale, salvo eodem conceptu. Nam licet conceptus nihileitatis excludat creaturam intellectualem, quæ est subjectum beatificabile, & pertinet ad ordinem naturæ, à connaturalitate alicujus pertinentis ad ordinem gratiæ, sicut sunt lumen, & alia hujusmodi supernaturalia, utpotè excedentia totum ordinem naturæ creatę, & creabilis, ut dicemus infra; non tenemur tamē excludere hujusmodi dona, quę à natura non descendunt, sed immediatè à Deo illi infunduntur, ut eam elevēt ad statum illum beatitudinis, seu ad Deum videndum, unde optimè salvo eorum conceptu creaturę, possunt dare vires sufficientes, & sibi ipsis connaturales ad actus supernaturales. § Quòd si dicas posse similiter dari intellectum supernaturalem, cui sint eodem modo connaturales, & consequenter connaturale lumen, jam dictum est in expositione rationis ejusdem art. 4., & in solutione ibidem ad instantiam ex paritate luminis, ubi sufficientissimè est assignatum discrimen inter utrumque, & aliquid iterum tangemus infra, cùm longè diversa ratio militet de potentia, & de virtute ejus, seu lumine, ut ibidem explicatum est &c.

II. prob. concl. alia ratione jam insinuata ex D.Th. hic ar. 5. ad 3., & urg. præcedens. Non potest esse connaturalis alicui ultima dispositio ad aliquam formam, non habanti talem formam, sed lumen gloriæ, ut patet ex dictis, est ultima dispositio ad unionem Divinæ essentiæ cum intellectu creato in ratione formæ intelligibilis, ergo nequit esse connaturale alicui non habenti naturam Divinam, & consequenter nulli intellectui creato, aut creabili, ma. prob. à D. Tho. exemplo caloris, ut 8., qui ex eo quod est ultima dispositio ad formam ignis, non potest alicui connaturaliter convenire, non habenti formam ignis, ac proinde nisi soli igni &c.

Huic rationi multipliciter occurrunt contrarii, & primò Molina dicens non rectè inferri in subjecta materia identitatem naturæ ex connaturalitate luminis, estò ultima dispositio dicatur ad unionem Divinæ naturæ cum intellectu, quia nempe lumen, inquit, cùm sit accidens, quod in Deo reperiri repugnat, non potest Deo esse connaturale; unde ex eo quòd esset connaturale alicui creaturæ non rectè infertur debere hāc esse ejusdem naturæ secum Deo, imò potiùs non esse, quidquid sit de aliis ultimis dispositionibus in ordine ad formam creatam, cui possunt accidentia esse connaturalia: & putat etiam posse retorqueri exemplum caloris ut 8.; nam licet calor ignis in eo, in quo est connaturalis igni, scil. in gradu ut 8., non possit esse connaturalis nisi igni, in gradu tamen remissiori potest esse connaturalis alteri substantiæ ab igne; unde similiter ait, etsi gratis daretur lumen gloriæ esse connaturale Deo, & ideo in eodē gradu perfectionis non posse esse connaturale alicui creaturæ, posset nihilominus esse in gradu imperfectiori &c.

Sed hæc solutio magis dissimulat, quàm impugnet rationem D. Tho., & tantum abest, quòd retorqueat ejus exemplum, quin potiùs urget illud contra se ipsum, ut statim constabit. Pro quo adverto ex M. Catalam hic ad ultimum dupliciter posse aliquam formā accidentalem dici connaturalem alicui substantiæ; primò ex parte principii passivi, quia in illa recipitur, ut in subjecto, quod perficit; secundò tantum ex parte principii activi, quia ab illa procedit, ut proprius, & connaturalis effectus, vel ut dispositio ad formam, sive in genere rei, sive in esse intelligibili. Quo supposito sic impugnatur. Licet lumen glorię priori modo connaturalitatis nequeat esse connaturale Deo, quod nec D. Tho., nec ullus sanæ mentis existimare potuit, ut fingit solutio; falsum tamen omninò est, non esse ei connaturale posteriori modo, ergo nequit alteri subjecto esse connaturale non habenti naturam Divinam, ac proinde optimè infert D. Tho. ex connaturalitate luminis cum Deo identitatem naturæ cum illo; utraq; consequentia tenet ex dictis, & eodem exemplo caloris, ut mox dicemus; ant. verò prob., quia lumen gloriæ respicit naturam Divinam, ut propriam, & connaturalem causam, sic quòd ei intrinsecè repugnet ab aliqua alia substantia fluere, aut dimanare, ut à principio activo, nisi velimus dona supernaturalia, & pręcipuè supremum, à natura profluere, & consequenter, quòd possit ad hoc creatura pervenire, quòd naturaliter videat Deum, quæ sunt rectè considerati implicantia in terminis. Tum quia lumen respicit Divinam naturam, ut connaturalis dispositio formam in esse intelligibili; nam ut vidimus; est ultima dispositio intellectus ad eam recipiendam, sive cum illo uniendam, ut formam in esse intelligibili.

Ex quo evidenter patet, quàm legitima sit illatio ex eadem connaturalitate ad identitatem naturę cum Deo respectu substantię, cui esset connaturale, quis ut docet idem Angelicus q. 8. de veritate art. 3., & in 4. dist 49. q. 2. ar. 6. semper dispositio ultima ad formam sunt unius ordinis quantum ad naturalitatem, & supernaturalitatem, itaut cui dispositio est connaturalis, connaturalis sit forma, & cui forma est supernaturalis, pariter supernaturalis sit dispositio, quia perfectibile per ultimam dispositionem ad formam attingit ipsam formam; estq; hoc evidentissimum in omni ultima dispositione ad formam, ut patet in contritione respectu gratiæ, & in aliis inductivè, unde est necessaria connexio inter utramque, & una infallibiliter infert aliam, scil. formam ultima dispositio, ob quod etiā explicari potest infra de pęnitentia, quomodo sit adhuc necessaria confessio, estò contritio antecedens, quæ est pars ejusdem Sacramenti, secum afferat infallibiliter gratiam, at hoc, ut constat, non posset verificari, nisi essent ejusdem ordinis, ergo cui esset connaturale lumen glorię, esset etiam connaturalis forma in esse intelligibili Divina essentia, & consequenter esset Deus, quia soli Deo potest esse Divina essentia connaturalis forma intelligibilis, ut patet ex dictis, & optimè explicat D. Tho. locis relatis. Nec obstat, quòd eo ipso, quòd lumen per impossibile in tali substantia reciperetur ut connaturale, pariter inferendum esset non esse Deum; quia ex impossibili sequitur utraque contradictoria vera.

Quòd verò exemplum caloris magis urgeat contra ipsum prob sic. Nam quia calor in summo gradu intensionis, scil. ut 8., est ultima, & connaturalis dispositio ad formam ignis non potest alicui substantiæ esse connaturalis, cui connaturalis non est forma ignis, ergo pariter in eo gradu, in quo lumen est ultima, & connaturalis dispositio ad unionem Divinæ essentiæ, ut formæ intelligibilis, nequit alicui substantię esse connaturale, cui connaturalis non est eadem essentia, ut forma intelligibilis, sed lumen gloriæ in quocunque gradu etiam remisso est ultima, & connaturalis dispositio ad recipiendam Divinam essentiam ut formā in-

intelligibilem, ut docet Ferrara 3. cont. gent. c. 54., & ex eodem Mag. Catalam hic in solutione ad confirm. ultimi, & est certum, nam in quocunque sufficit ad videndum Deum, & consequenter ad unionem Divinæ essentię, ut speciei intelligibilis cum intellectu necessariam, ut vidimus; ad visionem illius, ergo in nullo gradu potest alicui substãtiæ creatæ, aut creabili esse connatorale, nisi sit illi connaturalis Divina essentie, ut species intelligibilis, quod est impossibile. Iteque fateor quidem esse discrimen inter lumen, & calorem, quòd hic non est ultima, & connaturalis dispositio ad ignem nisi sit in summo grado, & ideo potest alteri substãtię ab igne in gradu remissiori convenire; cęterum lumen ex sua ratione formali habet, quòd sit ultima, & connaturelis ad recipiendam Divinam essentiam, ut formam intelligibilem in quocunque gradu, & ideo in nullo potest semel connaturaliter convenire sine connaturali convenientia essentiæ Divinæ ut formę intelligibilis, quod est implicatorium. Paritas ergo in eo, in quo assumitur à D. Th. est optima, & evidenter concludens, licet prędictus Auctor eam æquivucet, vel dissimulet, nam assumitur quoad formalem rationem, vel conceptum dispositionis ultimę, & connaturalis, & quoad hoc non solum non est retorquenda, sed maximè facianda, utpotè evidentissime, quidquid sit, quòd alias calor deficiet ab efficacia luminis, quòd ille nisi in gradu intẽsõ nequeat esse ultime, & connaturalis dispositio ad formam ignis, & ideo in gradu inferiori, aut remisso possit esse alteri connaturalis, in quo non est ultima, quod non est ad rem attento merito paritatis.

Ex his etiam manet impugnata altera solutio Velentię, nempe, quòd ratio D. Tho. tantum probet de dispositione ultima ad formam physicam physicè informantem subjectum, ut convincit exemplum caloris, non de ultima, quę ad formam solum intentionaliter unitam deservit, Divina autem essentia solum intentionaliter unitur intellectui creato. § Nam ut patet ex proximè dictis utrobique militat eadem ratio; quia in tantum connaturalitas ultimæ in genere physico arguit connatoralitatem formæ in illo, quia de ratione ultimæ est, quòd necessariò, aut infallibiliter secum illam adducat, unde perfectibile per ultimam dispositionem ad formam, ut dictum est, attingit ipsam formam, sed hæc ratio, ut per se patet, militat in quocunque genere, ergo sicut in physico non stat una connaturalitas sine alia, nec stabit in genere intentionali. Et ita etiam videmus, quòd quia substantia Angelica v.g. Gabrielis, illi soli sive physicè, sive intentionaliter potest esse connaturaliter unita, illi soli potest esse connaturalis ultime dispositio ad illius unionem &c.

Quòd si dicas adhuc esse discrimen, quòd forma in genere physico constituit subjectum simpliciter tale, & ideò exigere conneturalitatem sui cum subjecto, cui connaturalis est ultima dispositio; at verò in intentionalis tantum constituit tale cum addito, sive in esse intentionali, & ideo non esse æquè inferendam connaturalitatem ejus ex connaturalitate ultimæ dispositionis ad se ipsam. § Contra hoc est, quia hæc solutio, & aliæ hujusmodi peccant fallacia non causæ, ut causæ; nam potissima ratio utriusque connaturalitatis est meritum dispositionis ultimæ, quæ in eo, quòd est ultima est necessariò connexa, & illativa formæ, ut explicatũ est, unde eam necessariò exigit, vel secum trahit, sive hæc deinde constituat subjectum simpliciter tele, sive non, sed cum addito juxta meritum generis, in quo ultimò disponitur, hoc enim non tollit eandem connexionem, & exigentiam, vel illationem, ergo sive sit ultima in genere physico, sive intentionali, nonquam tamen impeditur, ut ex ioi connetoralitate, inferenda non sit cõnaturalitas formę. Unde poterat idem discrimen retorqueri Ex eo enim infertur in genere physico, quia est connexio, exigentia, vel illatio, hæc enim sunt prædicata, quæ inferunt connetoralitatem unius ex alia, nec salvari possunt sine hac illatione, sicut nec sine identitate ordinis quantum ad naturalitatem, & supernaturalitatem, si velimus esse dispositionem ultimam ad formem, quomodocunque deinde hęc constituat subjectum juxte exigentiam sui generis, ergo cum pariter in genere intentionali sit talis exigentia, connexio, vel illatio, rectissimè inferenda est in eodem connaturalitas unius ex connaturalitete alterius.

Deinde quamvis in eodem genere physico, aut physicè possit Deus supernaturaliter uniri cum creatura ratione potentię ejus obedientialis, non tamen connaturaliter potest sic uniri cum illa, ut patet in mysterio Incarnationis, ergo quamvis possit similiter uniri in intentionali, seu ut forme intelligibilis, non tamen poterit sic uniri connaturaliter, seu ratione potentiæ connaturalis; & utriusque ratio est, quia impossibile est ob infinitam distantiam, & excessum Dei sic supernaturaliter uniẽdi ut possit esse in substãtia creata, aut creabili potentia connaturalis, aut exigentia, vel connexio necessaria ad talem unionem, de quo adhuc infra &c.

Dices 3. cum aliis, quòd licet eidem intellectui non posset esse cõnaturalis unio cũ Divina essẽtia, ut specie intelligibili, posset esse nihilominus connaturelis unio cum specie creata quidditativè repræsententa Deum, quod satis est, ut lumen gloriæ esset illi connaturale.

Sed in primis hæc solutio est de subjecto non supponente, cùm sit impossibilis talis species, ut latè ostensum est. Deinde admissa adhuc ejus possibilitate impugnatur sic. Lumen gloriæ, ut probavimus, quantum est ex se, seu ex propriis habet, quòd sit ultima dispositio ad unionem cum essentie Divina, imò & connaturaliùs ad visionem media hac unione, cum vel ipsi, qui admittunt prædictam speciem, ex eo negant de facto dari, quia existimant connatoraliùs fieri cognitionem medio objecto ratione sui immediatè unito cum potentia, quàm media specie superaddita, ergo nunquam stabit semel lumen connatoraliter convenire, sine naturali convenientia naturę Divinę, vel unionia cun ille, ut forma intelligibili.

Urg. hoc. Nam admissa iterum possibili prędicta specie; non stat lumen connatureliter convenire sine convenientia saltem talis speciei, aut unionis cum illa, ut modo suppono; at ex eo potissimè inferri potest hæc posterior convenientia ex priori, quia lumen est ultima dispositio ad illius unionem cum intellectu, ergo si pariter quantum est ex se etiam in gradu remisso est ultima dispositio ad unionem cum Divina essentia, ut forma intelligibili, non stabit semel connaturelitet convenire sine saltem exigentia unionis cum eadem essentie, & non solum cum tali specie; unde falsum est, quòd ad salvendam connaturalem convenientiam luminis sufficiat sola convenientia cum eadem specie, astò admitteretur possibilis, nam semper hoc meritum ha-

habet lumen ex propriis, quòd ultimò disponat quantum est ex se, imò & connaturaliùs, ut dictum est, ad unionem cum Divina essentia, nisi velimus, quòd modo de facto miraculosè tantum id faciat, & ideo nunquam potest ultimò disponere præcisivè ab unione Divinæ essentiæ quantum est ex se, ac proinde convenientia ejus connaturalis perpetuò infert convenientiam connaturalem essentiæ, sive unionis cum illa ut forma intelligibili, saltem exigitivè &c.

Quòd si dicas visionem tunc eliciendam medio lumine connaturali esse diversam specie ab elicita modò media Divina essentia, ut forma intelligibili, & ideo posse tunc exigere speciem creatam pro sui principio, esto præsens de facto non hanc exigat, sed magis Divinam essentiam ratione sui unitam desideret, ac proinde non esse in eo casu inferendam connaturalitatem essentiæ, vel unionis ejus ex connaturalitate luminis, sed solam connaturalitatem speciei creatæ, quæ non excedit conceptum substantiæ creatæ.

In contra hoc est eodem argumento. Nam lumen gloriæ quodcunque sit, non solùm est ultima dispositio ad uniendam speciem creatam, sed etiam quantum est ex se, imò connaturaliùs, ut dictum est; ad uniendam increatam, sive Divinam essentiam, ut speciem intelligibilem, ergo ex connaturalitate ejus quodcunque sit, tenemur perpetuò inferre connaturalitatem increatæ, vel unionis ejus, & non solius creatæ, prob. ant., quia quodcunque sit, est ultima dispositio ad claram visionem Dei, sed hæc, ut fatentur etiam contrarii, connaturaliùs fit media essentia ratione sui unita, ergo quodcunque sit est ultima etiam ad essentiam Divinam, vel unionem ejus, & non solum speciei creatæ.

Explic., & urg. hoc: quia visio illa sive sit ejusdem, sive diversæ speciei perpetuò tamen est clara visio, sive cognitio quidditativa intuitiva Dei, ut supponimus; aliàs non est visio beatifica, sed hæc cognitio connaturaliùs fit mediante objecto, quando potest ratione sui uniri, quàm media specie illud repræsentante: & hæc est ratio, cur modo visio nostra beatifica postulet Divinam essentiam pro sui principio objectivè influente, & non diversitas speciei, aliàs illam modo de facto non postularet pro principio sui, cùm desit modo hæc diversitas specifica inter visiones, ut dicetur infra, ergo sive esset ejusdem, sive diversæ, nunquam tamen impediri potest legitima illatio connaturalitatis Divinæ essentiæ, vel unionis ejus, semel admissa connaturalitate luminis.

Ex his etiam impugnatur aliorum solutio dicentiū unionem Divinæ essentiæ cum intellectu non esse per modum formæ, sed per modum comprincipii, nullum autem videtur inconveniens, quòd aliqua creatura intellectualis possibilis petat connaturaliter Divinam essentiam tanquam comprincipium ad actum, unde ex hac posteriori connaturalitate tanquam impossibili nō est excludenda altera connaturalitas luminis respectu intellectus talis substantiæ.

Nam contra hoc est (ut proximè insinuavimus, & latè supra ostensum est;) unio essentiæ cum intellectu, & idem est de qualibet specie intelligibili) non est per modum virtutis potentiæ, sed tantum objectivè influentis, vel determinantis, sive per modum objecti, sed hæc unio est per modum formæ saltem in esse intelligibili constituentis illum Deiformem in hoc genere, ut etiam suppono ex communi doctrina Metaphysicorū ad hoc constituentium species impressas objectorum ex parte intellectus ad pariendam intellectionem, ut illis mediis fiat intellectus res intellecta in esse intelligibili, ergo unitur per modū formæ, non quidem in esse physico, sed in intelligibili infinito. Tum quia si species impressa non tenetur uniri per modum formæ objectivè determinantis, & fœcundantis intellectum ad pariendam notitiam, & ad illum constituendum intelligibiliter rem intellectam, non erit necessaria intrinseca unio illius cum potentia, & consequenter nec intrinseca unio Divinæ essentiæ cum intellectu beati, & nam ratione potest voluntas ab objecto sibi extrinsecè unito moveri ad volitionem, quia per illius aprehensionem non fit res amata; consequens, ut suppono, est contra communem consensum, ergo non unitur ut comprincipium quomodocunque, sed ut objectivè influēs, & determinans, ac proinde per modum formæ saltem in esse intelligibili constituendo intellectum intelligibiliter Deum &c.

§. III.

Alia duplici ratione prob. Conclusio.

TErtiò prob. ratione insinuata à Cajet. hic § in responsione ad 3., quæ fundatur in propria ratione, aut conceptu entis supernaturalis, ut distinguitur à naturali, & reducitur ad hoc. Lumen gloriæ est accidēs supernaturale secundum substantiam, ergo repugnat ei esse connaturale alicui substantiæ creatæ, aut creabili, prob: cons., quia de ratione essentiali accidentis supernaturalis secundum substantiam est esse supra naturam cujuscunque substantiæ creatæ, aut creabilis, ergo.

Vis hujus rationis pendet ex recta intelligentia entis supernaturalis; unde ex his, quæ insinuavimus in prooemialibus; ad scil. Theologia sit entitativè, vel quoad substantiam supernaturalis, & ex Cajet. hic contra Scotum advarto &c. Ens superoaturale, quod tale est secundùm substantiam, & intrinsecam entitatem non distingui à naturali per respectum ad causā efficientem, quasi illud dicatur hoc modo supernaturale, quod à sola causa supernaturali produci potest, nam alias visus cœco restitutus esset supernaturalis quoad substantiam, quia à solo Deo supernaturaliter agente potest restitui, Distinguitur ergo per respectum ad entitatem naturalem, supra quam dicitur esse, itaut illud tantum supernaturale sit secundum intrinsecam entitatem, quod secundùm eam est supra ordinem omnis entitatis naturalis; nec satis est, quòd sit supra entitatem naturalem creatam, aut creandam juxta suavem Dei providentiam in hoc universo, sed absolutè requiritur, quòd sit supra omnes naturales producibiles de potentia absoluta, aliàs neque esset possibile aliud universum, nec alia creatura producibilis à Deo perfectior essentialiter omnibus aliis producendis, esset diceoda supernaturalis secundum substantiam, nam omnis alia pertinens ad aliam, vel altiorem providentiam, & omnis essentialiter perfectior cæteris naturalibus producendis haberet huoc excessum, quæ planè sunt absurda, & contra omnium sententiam &c.

Secundò adverto non eodem modo convenire subftan-

ſtantiæ, & accidenti eundem exceſſum ſuper omnem entitatem naturalem factam, & factibilem, & conſequenter nec conceptum entis ſupernaturalis, quia cum accidens non ſit ens per ſe, ſed entis ens, ſeu ens in alio, non requitur quòd ſit ſupra omnem entitatem factam, aut factibilem, ut ſit ens ſupernaturale, ſed tantum reſpectivè, nempè reſpectu ſubſtantiæ, quam perficit, ut ſubjectum, à quo pendet in eſſe, nam ſicut in ordine ad ſubſtantiam habet eſſe, ità comperativè ad illam habet eſſe naturale, aut ſupernaturale, unde illud accidens dicetur ſupernaturale ſecundum eſſentiam, aut eſſe ſupra totam entitatem productam, & producibilem, quod nulli ſubſtantiæ creatæ, aut creabili poteſt eſſe connaturale. Cæterum ſubſtantia ſicut petit habere eſſe per ſe, ita etiam petit, ut ſit ſupernaturalis, quòd ſecundum ſe, & abſolutè, & non reſpectu alterius ſit ſupra totam entitatem creatam, aut creabilem; unde illa tantum erit ſubſtantia ſupernaturalis, quæ eſt ſupra totam collectionem ſubſtantiæ factæ, aut factibilis, ex quo infertur nullam ſubſtantiam præter Deum poſſe eſſe ſupernaturalem eſſentialiter, quia nulla præter Deũ poteſt eſſe ſupra totam eandem collectionem, ſicut quia influxus creativus, ut potè attingentia entis ex nihilo, eſt ad univerſaliſſimam rationem entis, ſeù ad ens in quantum ens, nulli poteſt competere, niſi quod poteſt habere influxum ſupra ens in quantum ens, & conſequenter ſoli Deo habenti hanc ſuperioritatem, & amplitudinẽ in cauſando cõvenire poteſt.

Ex his patet efficacia probationis conſ., quæ poteſt in forma proponi ſic. Omnis ſubſtantia creata, & creabilis eſt eſſentialiter naturalis, ſed de ratione accidentis ſupernaturalis eſſentialiter, vel quoad ſubſtantiam, eſt quòd ſit ſupra naturam cujuſcunq; ſubſtantiæ naturalis, ergo eſt de ratione ejus, quòd ſit ſupra naturam cujuſcunque ſubſtantiæ creatæ, & creabilis. In hoc diſcurſu omnia ſunt evidentia præter ma., quæ tamen à priori videtur ſatis oſtendi ex doctrina tradita; ſed præterea prob. Implicat ſubſtantia creata, ad quam conſequatur, ut proprietas ſupernaturalis intellectus, cui ſit connaturale videre Deum, ſed ad ſubſtantiam intellectualem ſupernaturalem deberet ut proprietas conſequi talis intellectus, ergo implicat ſupernaturalis intellectualis creata; ma: patet ex dictis, quia repugnat alicui cognoſcenti creato eſſe connaturale ſic videre Deum, ut patet ex ratione art.4., mi. etiam, quia deberet ad illam conſequi proportionatus intellectus de ſuo ordine, ſicut modo conſequitur ad ſubſtantiam intellectualem naturalem proportionatus de ſuo, cui connaturale eſt cognoſcere ea, quæ ſpectant ad illum, ergo deberet ad illam conſequi intellectus ſupernaturalis, cui connaturale eſſet videre Deum, ut in ſe eſt quidditativè.

Urgetur hoc, & ſimul iterum prob. eadem principalis ma. Repugnat dari ſubſtãtiam intellectualem, cui ſit connaturale habere eſſentiam Divinam ſibi unitam in ratione ſpeciei intelligibilis, ergo repugnat dari ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, aut cui ſit connaturale videre Deum, ut in ſe eſt, vel habere lumen gloriæ, ant. conſtat, quia proprium eſt divini intellectus habere eſſentiam divinam ſibi unitam ut ſpeciem intelligibilem, ut modo ſuppono ex communi conſenſu, ſu autem, quod eſt proprium naturæ ſuperioris repugnat eſſe connaturale naturæ inferiori, niſi tranſeat in ſuperiorem naturam, ut patet ſuperiori exemplo caloris, ut 8., nam quia iſte eſt proprius ignis repugnat eſſe connaturalem, niſi habenti naturam ignis, conſ. verò prob. Tum quia ut ſupra art.2. oſtenſum eſt, repugnat videri Deum, ut in ſe eſt, non unita intellectui divina eſſentia, ut ſpecie intelligibili. Tum quia à ſtò poſſibilis eſſet ſpecies creata, qua videretur Deus, negari tamen non poteſt eſſentiam divinam eſſe propriam, & connaturalem ſpeciem intelligibilem, qua videatur Deus, ut in ſe eſt, undè & connaturaliùs fatemur omnes videri per iſtam; debere autem in eſſe ſpeciei eſſe connaturalem intellectui, cui eſſet connaturale objectum eadem; divina eſſentia ut in ſe eſt, eſt etiam certum, & patet ex dictis, Nec poteſt aſſignari major ratio repugnantiæ unius, quàm alterius ergo &c.

Ultimò tandem prob. concl. deſtruendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ, & iterum urgetur præcedens. Ex eo non repugnat ſubſtantia creata, cujus intellectui ſit connaturale lumen gloriæ, quia iſtud eſt aliquod creatum, & conſequenter connexio, aut exigentia illius non extrahit à linea creaturę, ant non arguit infinitatem extrahentem ab illa, ſed hæc ratio eſt nulla, ergo, ma. eſt præcipuum, vel unicum fundamentum contrariorum, mi. verò prob., tum ex conceptu entis, vel accidentis ſupernaturalis, qui ut patet ex dictis, petit ex propriis eſſe ſuper omne ſui ſubjectum, ad quod reſpectivè dicitur, ut vidimus, & conſequenter importat negationẽ connaturalitatis, ſalvo conceptu creaturæ; cum qualibet ſubſtantia creata, aut creabili. Tum quia ſalvo eodem conceptu non eſt aſſignabilis ratio ad negandum talem exceſſum connaturalitatis. Tum quia eodem ſalvo datur elevatio ſupra omnem ſubſtantiam creatam cum negatione connaturalitatis, ut modo ſupponimus de lumine, gratia &c., ergo erit dabilis ſupra omnem creabilem, prob. conſ., & ſimul aſſeritur ratio omnium: nam ſuppoſito, quòd de facto detur in lumine hic exceſſus vel negatio connaturalitatis negari non poteſt quòd ſit componibilis cum conceptu entis creati; ſed ut aliàs probatum eſt, importatur eſſentialiter in accidente ex conceptu ſupernaturalitatis; ergo non ſolum erit dabilis, ſuppoſito quòd de facto detur, ſed etiam erit impoſſibile non dari ſupra omne ſui ſubjectum creatum, & creabile &c.

Explic. hoc, quia certum eſt conceptum ſupernaturalis importare eſſentialiter exceſſum reſpectivè ad id, reſpectu cujus dicitur aliquod ſupernaturale, ut patet ex terminis, aliàs abuſivè diceretur ſupernaturale, ſi ſemel non eſt ſuper, aut non importat exceſſum reſpectu illius; ſed accidens eſſentialiter dicitur reſpectivè ad ſubſtantiam, vel ſuũ ſubjectum, ergo reſpectu illius dici debet naturale, vel ſupernaturale ergo non ſtat, quòd ſemel dicatur ſupernaturale, & non excedat ſui ſubjectum, & conſequenter non erit dabilis aliqua ſubſtantia creata, aut creabilis, quam non excedat, ſivè cujus exigentiam, aut connaturalitatem omninò non excludat, ſalvo ſui conceptu creaturæ: undè vel tenemur aſſerere, quòd conceptus ſupernaturalitatis non ſit componibilis cum conceptu creaturæ, ſivè entis finiti, vel accidentis; vel eodem admiſſo, quod non ſit componibilis connaturalitas cum ſui ſubjecto, ſivè creato ſivè creabili &c.

Quòd ſi dicas, tunc ejus ſubjectum eſſe etiam ſupernaturale, & ideò non retinere talem exceſſum, quem de facto habet ſupra omnem ſubſtantiam creatam, nam hæc modo accipitur à Theologis pro natura, quæ ſolum cum motibus naturalibus eſt connexa;

nexa, & consequenter pro sola substantia ordinis naturalis; illa verò cujus intellectui esset debitum lumen supernaturale, non esset substantia in hoc sensu, sed altioris ordinis, undè rectè posset salvo conceptu supernaturalitatis connaturaliter ei convenire.§ In cōtra hoc ast primò, quia ut dicebamus ex impossibili sequitur utraque contradictoria simul vera, undè esset, ut supponitur, & non esset connaturale illi ex eo, quòd supernaturale est, ut probavimus, sicut similiter eadem substantia esset, & non esset supernaturalis, contradictoriè opponenta utraq; supernaturalitate ut patet ex dictis, nempè propria, quæ deberet esse supra totam collectionem substantiæ factæ, & factibilis, quæ est supernaturalitas soli Deo potens convenire; & deindè illa luminis, quod semel supernaturale tenetur excedere ut dictum est; sui subjectum, non posset autem excedere, si illud etiam supernaturale est &c.

Secundò impugnatur, & simul urgatur præcipua vis rationis factæ. Plura dantur intra ambitum entis creati non solum excedentia connaturalitatem, sed etiam supernaturalitatem cujuslibet substantiæ creatę & creabilis, si semel esset possibilis hæc supernaturalitas de linea substantiæ creatæ, ergo non solum non rectè infertur possibilitas connaturalitatis luminis ex ratione creati, & finiti, imò magis inferenda est repugnantia respectu substantię etiam creabilis admissa adhuc supernaturalitate ejus, conf. tenet, quia ut dictum est; in eadam ratione creati, & finiti potissimè fundantur contrarii, ergo si plura dantur de linea creaturæ sic excedentia, magis inferenda erit repugnantia, quam possibilitas connaturalitatis, cum hæc repugnet excessui, ut patet ex terminis; ant. verò prob. tum in auxilio dato ad pattanda miracula, quæ sola virtute divina fieri possunt, ut modo supponimus; & consequenter impossibile est, quòd possit esse connaturale alicui creaturæ. Tum in modo unionis hypostaticæ, qui ut potè pertinens ad ordinem excedentem lineam puræ creaturæ, nulli ex his quæcunq; fit, potest esse connaturalis, sed nihilominus sunt ambo, quid creatum, ut iterum supponimus ex materia de Incarnationa, ergo &c.

Dicas esse discrimen, quòd modus unionis importat connexionem cum extremo divino, quod quia impossibile est, ut connaturaliter conveniat extremo creato, pariter impossibile erit, quòd illi conveniat connaturaliter modus, cæterum lumen tenet se ex parte potentiæ, non objecti, ut dictum est, undè sicut potentia non excedit limites connaturalitatis respectu creaturæ, nec illos excedit lumen.

Sed contra hoc, & in primis hæc solutio, sicut & superiores sunt solvendæ ab omnibus, quia probant etiam de facto, ut consideranti facilè constabit. Deindè impugnatur superiori argum. ex D. Th. Nā sicut modus connectitur cum extremo Divino, scil. cū substantia verbi, ità lumen ex propriis, quodcunq; sit sivè præsens, sivè possibile disponit ultimò ad divinum extremum, scil. ad divinam essentiam uniendam ut formam intelligibilem. ergo si semel modus ob maritum connexionis cum extremo excedente quodcunque creatum, & creabile, nulli ex his connaturaliter potest convenire, nec poterit lumen ob meritum ultimæ dispositionis ad idem extremum excedens, poterit alicui ex illis connaturaliter convenire, aut. patet ex dictis, & conf. etiam tenet, quia utrobique ex connaturali convenientia unius legitimè infertur connaturalis convenientia alterius, ut dictum est &c.

Explic., & Urg. hoc, sicut modus connectitur cum subsistentia Divina, ut terminante humanitatem, ita lumen cum divina essentia ut forma intelligibili ut determinante intellectum, cum ad illam pro ut sic ultimò disponat, ergo si ob prædictam connexionem superat modus in prædicato cōnatnralitatis omnia creata, & creabilia de pura linea creaturæ, pariter omnia illa ob suam superabit lumen &c.

Dices adhuc esse discrimen, quòd cum substantia, vel natura creata secum afferat propriam subsistentiam, cum qua, ut ostendimus de Incarnatione, est omninò incompatibilis omnis aliena subsistentia etiam divina, nequit consequenter hæc, nec modus cum illa connexus esse aliquando connaturalis alicui substantiæ creatæ, aut creabili, cæterum intellectus creatus nihil affare, quod sit incompossibile cum divina assentia, ut sic intelligibiliter unienda, undè sicut modo de facto est prout sic connaturaliter debita intellectui elevato per lumen, poterit esse debita alicui intellectui creabili, & consequenter esse illi lumen connaturale.

Sed contra hoc est ex dictis. Nam sicut substantia, vel natura creata affert secum aliquod incompossibile excludens omne debitum, & connaturalitatem respectu subsistentiæ divinæ, ita pariter afferat intellectus ille creabilis respectu divinæ essentiæ, ergo nec respectu istius ratione sui potest esse debita, aut connaturalis unio cum divina essentia per modum speciei, aut lumen, prob. ant., quia afferret meritum, vel vim connaturaliter cognoscendi Deū, ut in se est quidditativè, sed hoc in intellectu, vel cognoscente creato est incompatibile cum objecto Beatifico, ut patet ex ratione supra art. 4., ergo, ma. etiam superius probata est. Deindè, ut pariter ostensum est obstat supernaturalitas luminis, quia non stat accidens esse supernaturale, & non esse indebitum subjecto, aut excedens illud, at neque stat lumen esse indebitum, & excedens, & non esse indebitam, & excedentem unionem cum natura Divina, ut specie intelligibili, nam intantum hæc esset debita, & connaturalis, in quantum esset debitum, & connaturale lumen, ergo nunquam dabitur intellectus non afferens incompossibilitatem cum debito, & connaturalitate respectu essentiæ Divinæ, ut speciei intelligibilis, & consequanter etiam respectu luminis: quomodo autem modo de facto intellectui, ut illustrato lumine dicatur eadem sicut, & visio debita, vel connaturalis, constabit quæst. sequenti ne eadem repetamus. Denique quia ut dicebamus, proprium est divini intellectus habere essentiam divinam sibi connaturaliter unitam, ut speciem intelligibilem, sed repugnat inferiori naturæ connaturaliter convenire, quod est proprium superioris naturæ, nisi transeat in naturam superiorem, ergo est perpetua incompossibilitas, vel incapacitas in intellectu quocunque creabili ad debitum, vel connaturalitatem cum lumine, & consequenter cum natura, ut specie intelligibili, non minus, quā in sit in substantia, aut natura creata cum debito, vel connaturalitate cum modo unionis hypostaticæ, aut cum subsistentia divina. Videatur iterum superior ratio secunda, & ejusdem articuli.

§. IV.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

IMplicat substantia intellectualia ex sua natura impeccabilis, seù quæ habeat ex sua natura non posse peccare. De hac conclusione ut dictum est, latè infra de Angelis, sed quia confert ad superiora, & connectitur cum illis, aliquid etiam dicemus hic in confirmationem eorum, nam ex implicantia istius manifestè infertur pariter implicare creaturam, seù substantiam supernaturalem intellectualem, cui sit connaturalis visio, vel lumen gloriæ, cum visionem divinæ essentiæ, necessariò consequatur impeccabilitas, ut docent communiter Interpretes cum D. Th. p.2.q. 5. art.4. Tum quia repugnat creaturam esse ejusdem ordinis cum Deo, & ex sua natura impeccabilem, & beatam, & posse simul damnari, & esse miseram, undè semel admissa creatura ex sua natura, impeccabili utrumque infertur & connaturalitas visionis, & luminis, & incapacitas damnationis, & miseriæ, quæ omninò repugnant puræ creaturæ attenta illius natura ex nihilo.

Est autem concl. concors sententia SS. PP. D. Hieron. tom. 6. in magnis Comment. Epist. ad Galat. c. 6. statim in princ. dicentis sic. *Sciens Paulus excepta Trinitate, omnem creaturam licet non peccet, tamen posse peccare. &c.* Et tom. 1. Epist. 146. propè finem explicans illud psal. 142. *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Notat consultò non esse dictum, *omnis homo, sed omnis vivens*, ut comprehenderetur omnis creatura intellectualis, & subdit. *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit.* Hoc autem, ut per se patet; verificari non posset, si creatura aliqua posset esse impeccabilis. Sed etiam Ambros. tom. 2. lib.3. de fide ad Gratianum c. 2. post medium probat soli Deo convenire immortalitatem simpliciter, quia omnis creatura intellectualis est capax peccati, & ideò per peccatum spiritualiter mori potest. D. Aug. lib. 12. de Civitate Dei c. 1. & 6. probat creaturam omnem hoc ipso, quòd ex nihilo est, posse per peccatum mutari.

Idem ob eandem rationem docet Greg. 25. moral. c. 5. concludens. *Solius natura divina est umbras ignorantiæ, mutabilitatisque non pati.* Damascen. 2. de fide cap. 3. *Intellectualis igitur*, inquit; *natura, ut rationalis potestate, libera, ut creatura, versibilis potestatem habens prolabendi.* Ratio autem, quæ ab his PP. redditur, ob quam peccabilis est creatura intellectualis, de omni etiam creabili procedit, quia omnis ex nihilo, & creatura esset.

Ratione deinde prob. qua ex professo utitur Div. Th. in 2. dist. 23. qu. 1. art. 1. Et de veritate qu. 24. art.7. & infrà qu. 63. art.1. Sola virtus agentis, quæ est ipsa sua regula operandi declinare nequit à rectitudine operationis, seù quod idem est; illa sola voluntas est moraliter indefectibilis, quæ est ipsa regula rectitudinis sui actus, sed sola divina voluntas est hujusmodi, ergo illa sola habet ex sua natura nō posse declinare à rectitudine actus, ac per consequens nō peccare: hæc posterior cons. tenet, quia peccare, tā in naturalibus, quam in artificialibus, & moralibus nil aliud est, quam declinare à rectitudine debita actui; mi. etiam constat, quia voluntas cujuscunque creaturæ ex natura rei postulat regulari à Divina voluntate, nam si etiam in nobis voluntas superioris est regula voluntatis inferioria, ut voluntas Ducis voluntatis militis, quantò magis, quælibet voluntas creata, aut creabilia regulari debet per voluntatem Dei. Tum quia regula objectiva omnis moralitatis est ultimus finis, ergo illa sola voluntas per modom imperantis potest esse regula totius moralitatis, quæ est ultimus finis, sed sola divina est ultimus finis, ergo sola divina potest esse regula indefectibilis. Et ratio horum est, quia juxtà commune axioma, Primum in unoquoque genere est mensura sui, & cæterorum, ergo nulla inferior voluntas potest esse regula, aut mensura rectitudinis suorum actuum, sed omninò indiget superioris voluntate imperante, & dirigente in debitum finem: ma. verò prob., nam obliquitas, vel rectitudo actus consistit in conformitate, vel difformitate ad regulam, undè actus dicitur malus, vel bonus, quando caret, vel non caret tali conformitate, ergo sola illa est indefectibilis, quæ est principium actus necessariò conformis regulæ, sed hæc, ut patet, est sola illa, quæ est ipsa regula rectitudinis illius, sivè quæ est ipsa regula operandi, ergo hæc sola est moraliter indefectibilis. Vim hujus rationis optimè etiam expendunt Cajetanus ibi; Et ledesma, q.6. de divina perfectione art. 7. sub art.1. Aliæ rationes videri possunt in Cabrera 3. p. q. 2. art.12.disp.2:

Dices primò ad authoritates PP., quòd vel loquūtur nō de defectu pręcisè morali, sed abstrahente à morali, & physico, & de isto est certum omnem creaturam, ex quo ex nihilo est, esse saltem physicè defectibilem. Vel tantum loqui de natura in ordine naturali constituta, quam iterum prout sic certum est ex eadem ratione suæ nihileitatis deficere posse. Vel denique loqui de defectu non absolutè, sed tantum respectivè, facta scil. comparatione ad Deum, qua ratione creaturæ estò in se bonæ sint, comparatæ tamen cum illo ob infinitā distantiam à divina bonitate, magis tamen dicendæ sunt non bonæ, quam bonæ juxtà illud *nemo bonus, nisi solus Deus.*

Deindè dices ad rationem factam neg. mi., quia licet rectitudo, vel conformitas actus ad regulam, per identitatem conveniat soli voluntati divinæ, quatenus illa sola est regula ractitudinis actus identicè, per exigētiam tamen, aut per puram convenientiam ab intrinseco, potest etiam contingere in voluntate creata, quatenus creari potest talis conditionis, ut ab intrinseco habeat actus ejus, quòd sit conformis regulę, unde prædicta rectitudo, vel conformitas invariabilis actus cum regula non oritur tantum ex uno capite conveniente soli voluntati divinæ, sed ex altero etiam potente convenire creatæ, quatenus potest aliqua creari indeclinabiliter ab intrinseco recta, seù talis meriti, ut ei ab intrinseco, vel ex sua natura conveniat habere actum necessariò conformem regulæ, sicut in simili dicimus infrà de indefectibilitate Angelorum, quòd licet ex quò creatura sunt, seù ex nihilo, absolutè deficere possint, quatenus non habent esse per identitatem, sed ex nihilo, potuerunt tamen à Deo ità constitui per immediatam conjunctionem cum illo, & sinè contrarietate in natura, ut verè dicantur ab intrinseco, & ex sui natura indefectibiles, ità ut ex eadem mereantur perpetuum Dei concursum conservativum, ut supra etiam explicatum est; undè salva sui origine ex nihilo poterit à Deo creari voluntas, ità firmata in bono, ut ab intrinseco, vel

ex

ex sui natura conveniet rectitudo sui actus, & consequenter sit impeccabilis &c.

Sed in primis contra priores glossas petet expressè militare textum; nam apertè loquuntur de defectu, & mutatione per peccatum, & de creatura à toto genere creaturæ contrapositivè ad Deum, & de merito intrinseco ejusdem mutationis, & defectus, ut patet per illi *solus Deus est, in quem non cadit peccatum, & per illi excepta Trinitate omnem creaturam posse peccare*, & per illi *omnis potest spiritualiter mori per peccatum*, & per illi *omnem posse per peccatum mutari*, & per illi *solius divinæ naturæ est umbras ignorantiæ non pati*; & per illi, & *ut rationalis, & ut creatura vertibilis habens potestatem prolabendi*. Quæ planè non exprimunt purum defectum physicum, sed etiam moralem, inferendo illum, ex quo ex nihilo est, ergo manifestè loquuntur de morali, & convenientе ab intrinseco, & ex propriis cuilibet creaturæ intellectuali, sivè in ordine naturali, sivè in supernaturali, cum qualibet ex nihilo sit in utroque ordine, & non purè respectivè ad Deum, undè videntur hujusmodi glossæ magis eludere mentem PP. quàm explicare.

Contra verò solutionem ad rationem factam militet primò, quòd videtur similiter ludere verbis, vel petere principium, nam de hoc inquirimus, quomodo subjectum ex sua natura habens originem indispensabiliter ex nihilo, produci possit iterum ex sua natura cum prædicato, judicio PP. opposito, scil. cum rectitudine, aut necessaria conformitate sui actus cū regula, aut quòd ex sua natura sit regula talis conformitatis in operando, nem hoc desideretur, ut dictum est, ad hoc ut sit ex sua natura impeccabilis. Undè dicere, quòd licet ex sua natura non sit regula rectitudinis identicè, possit tamen ab intrinseco ei convenire, aut necessariò talis conformitas regulæ, si semel est ex sua natura ex nihilo, est idem ac dicere, quòd ei convenit ab intrinseco, quia ei sic convenit, cum non solum non assignetur, nec assignari possit ratio hujus necessariæ convenientiæ, sed magis prædicatum oppositum, scil. producibilitas secundū suam naturam ex nihilo, conveniens cuilibet creaturæ sivè creatæ, sivè creabili, undè falsum est in voluntate creata posse assignari aliam radicem, quasi ex duplici capite oriri possit prædicta infallibilis rectitudo, cum magis opposite radix, attenta ejus naturæ, infesenda sit &c.

Secundò impugnatur, & simul urgetur totum hoc. Licet dicamus posse à Deo constitui voluntatem immobiliter firmatam in bono per impotentiam peccandi tam mortaliter, quam venialiter, & consequenter immobiliter conformem in suo actu cum regula, imò de facto dari sic constitutam adhuc in vie, ut cōcedit D. Th. p.1.q.100. ar.2. de B. Virgine; non tamen quòd id debeat ex sua natura. cum in natura ex propriis sit prædicatum oppositum juxtà PP. judicium, & veritatem, sed totum ex speciali privilegio, ut dicit ibi D. Th., ergo nulla est dabilis, cui ab intrinseco, & ex sua natura sit omninò impeccabilis, vel quæ sit necessariò conformis regulæ operandi. Et potest declarari exemplo, quo alibi utimur in physicis ad explicandam similem impossibilitatem simultatis duarum formarum in eadem materia. Quia licet similiter dicamus posse accidens esse, & conservari sinè subjecto, non tamen quòd per se ordinetur ad essendum sinè illo, ex quo pariter inferimus, quòd licet diceremus posse utramque formam simul recipi in eadem materie, non tamen quòd dicat ordinem per se, one in consortio alterius ad illam, quod erat necessarium ad constituendum unum per se cum illa, ex cujus defectu dicimus ibi magis se habere per modum formæ accidentalis, quèm substantialis, nem hæc tenetur constituere cum materia unum per se, cum sit ad hoc ex propriis instituta, ergo etiam in casu licet possit voluntas creata sic constitui, & aliqua fuerit constituta indeclinabiliter recta, non tamen ex sua natura, sed ex specialissimo privilegio.

Et ratio omnium est, quia in sui natura habent prædicatum oppositum, nam accidens ex sui natura, & ab intrinseco ordinatur ad essendum in subjecto, & forma substantialis ex natura rei, & ab intrinseco dicit ordinem ad materiam in absentia alterius, aliàs etiam naturaliter esset compossibilis cum illa. Ex quo legitimè etiā inferimus ibi, quòd nec supernaturaliter possit habere talem simultatem cum altera in proprietate formæ substantialis, quia ad hoc requiritur ordo per se, quem nequit supernaturaliter habere talis forma, si semel ex natura rei impeditur habere illum, cum prædicata per se non veniant supernaturaliter, ut latè ibi ostensum est, ergo cum pariter voluntas creata ex natura rei, & ab intrinseco, ut arguunt SS. PP., importet prædicatum oppositum intrinsecæ impeccabilitati, seù ab intrinseco, & ex natura rei convenienti, scil. nihileitatem intrinsecam originativè, impossibile erit, quòd etiam supernaturaliter possit habere illam, scil. ab intrinseco, & ex sui natura.

Nec obstat exemplum de intrinseca indefectibilitate physica Angelorum, de quo infra insolutionibus ax D. Th. oam primò dicimus, quod ex hac parte potiùs confirmat nostram sententiam, nam ideò sunt ab intrinseco, & ex natura rei indefectibiles, quia non habent in sui natura contrarium, aut prædicatum oppositum, ut ibidem ostendimus; nam si haberent similiter diceremus, quòd licet possent à Deo indefectibiliter, vel indefinenter conservari, non tamen per convenientiam ab intrinseco, aut ex sui natura, ergo eum in casu habeat ex opposito intrinseca repugnantie, impossibile est posse aliquam voluntatem creari ex sui natura impeccabilem &c.

Explicatur ulterius totum hoc. Hæc duo sunt omninò inter se incompossibilia; voluntas aliqua non est identicè ipsa regula operandi; & nihilominus est necessariò conformis regulæ, ergo si primum repugnat ab intrinseco cuilibet voluntati creatæ, & creabili, pariter repugnabit secundum; prob. ant. conformitas necessaria cum regula unicè oritur, vel est omninò idem cum identitate regulæ, ergò est omninò incompossibilis conformitas necessaria regulæ cum negatione identitatis cum regula; prob. ant.; in omni voluntate, in qua non est identitas cum regula, est intrinseca oppositio ad necessariam conformitatem cū regula, ergo ubi non est identitas cum regula nequit esse necessaria conformitas cum illa, prob. ant., quia in omni voluntate præter divinam est originativè intrinseca nihileitas, sed hæc juxtà SS. PP., & veritatem fundat intrinsecam repugnantiam ad rectitudinem infallibilem, ut habendam ex natura rei, ut probatum est, ergo ubi non est identitas cum regula est intrinseca oppositio ad necessariam conformitatem cum illa. Præterquamquod ut supra dicebamus; id, quod est proprium Dei, aut ejus voluntati vel intel-

tellectui, ut proprium convenit, nequit alteri ab ejus voluntate, vel intellectu, ut proprium convenire, nisi transeat in naturam divinam, sed non solum identitas cum regula, sed necessaria etiam conformitas cum illa est quid proprium Dei, aut voluntatis ejus, cum omnis alia voluntas saltem ex natura rei sit declinabilis à regula, ergo nequit ab intrinseco, & ex propriis alteri voluntati convenire, undè sicut hac ratione, ut vidimus; impossibile est alteri intellectui à divino convenire ex propriis, vel ab intrinseco connaturalitatem cum lumine gloriæ, vel claram Dei visionem, pariter est impossibile alteri voluntati à divina convenire ex propriis, vel ab intrinseco, & connaturaliter conformitatem necessariam cum regula, vel operari indefectibiliter ab illa. Eò vel maximè, ut rectè ponderat Illustrifs Godoii, quòd hujusmodi necessaria conformitas cum superiori regula, quæ est divina voluntas, infert necessariò amorem ultimi finis supernaturalis, qui est regula objectiva totius moralitatis, & ad quem indispensabiliter tendit; hæc conformitas, ut patet in eadem divina voluntate sic necessariò tendente ex tali conformitate ad bonitatem divinam, ut ad ultimũ finem supernaturalem; constat autem, quòd prædictus amor tantum potest necessariò competere, aut inferri à voluntate, quæ est ultimus finis identicè, & consequenter sua regula, cum sit idem amor, scil. ultimi finis supernaturalis prout in se ipso propria perfectio voluntatis divinæ, quæ est ultimus finis, ergo omninò est impossibile, quòd eadem necessaria conformitas, ut propria conveniat voluntati creatæ &c.

Quòd si huic dicatur posse talem conformitatem cũ Divina regula competere creaturæ ex eo, quòd adæquatè specificetur à bono honesto vera honestate, itaut specificativè claudatur intra puram lineam honestatis, & consequenter indefectibilitatis quæ specificatio non videtur tanta perfectio, ut excedat limites creaturæ. § In contra est illatio adducta omninò incompossibilis cum conceptu creaturæ, nempe, quòd nequeat sic adæquatè specificari à bono honesto, vera honestate, & non apparenti, (ut modo specificari dicitur, scil. à bono abstrahente ab apparente, & vero) nisi sit determinata ab intrinseco ad amorem ultimi finis supernaturalis, cùm sit iste, ut dictum est, objectiva regula omnis moralitatis; at hujusmodi determinatio, ut patat ex terminis pugnat cum conceptu creaturæ, & solum ex propriis Divinæ voluntati competere potest, ergo &c.

Urg. hoc. Quia repugnat voluntatem creatam specificativè adæquatè limitari ad bonum in determinato genere honestatis, ergo repugnat adæquatè specificari à bono honesto vera honestate; ant. patet, quia sicut intellectus creatus habet amplitudinem specificativam ad omne verum, seu ad omne intelligibile, ut constat ex dictis, ita voluntas creata ad omne bonum, seu ad omne volibile, ergo sicut hac ratione nequit intellectus limitari specificativè ad aliquod determinatum verum, vel intelligibile, nec poterit voluntas ad aliquod determinatum bonum, vel volibile. Tum quia voluntas creata ex eo quòd libera est, potest suis actibus circa ultimum finem versari, ergo potest se extendere ad omne bonum honestum ordinabile in illum, conf. verò prob. si semel esset possibilis voluntas adæquate specificata à bono honesto vera honestate, non obstante quòd modo existens de facto specificetur à bono abstrahente ab apparente, & vero; pariter fingere possumus possibilem adæquatè specificatam à determinato genere honestatis, non obstante, quòd de facto existens specificativè respiciat omne bonum honestum, vel si hæc non est possibilis, nec erit possibilis prior ergo &c.

§. V.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arg. Dantur de facto accidentia supernaturalia, ergo de potentia absoluta produci potest substantia supernaturalis, cui illa sint connaturalia; prob. conf. primò, quia genus substantiæ præstantius est genere accidentis, ergo est capax majoris perfectionis, ergo si supernaturalitas non repugnat accidenti creato, neque repugnabit substantiæ.

II. Quia omne accidẽs commune respectu unius substantiæ, aut quod est supra naturam ejus, vel est, vel esse potest proprium respectu alterius, ergo est creabilis aliqua substantia, cui lumen gloriæ, & alia accidentia supernaturalia sint propria, & connaturalia; ant. patet in luce, quæ licet sit accidens commune respectu aeris, & supra naturam corporis non diaphani, est tamen connaturalis soli; & inductivè in calore, & aliis accidentibus, præter hæc, de quibus est quæstio.

III. Quia cuilibet accidenti debet correspondere aliquod subjectum sibi connaturale, at subjectum connaturale luminis gloriæ, & aliorum habituum supernaturalium, non est aliud assignabile connaturale, nisi vel substantia, aut intellectus supernaturalis possibilis, cum Deus, vel intellectus ejus nequeat esse subjectum accidentium, ergo; maj. constat, quia ordo ad subjectũ est connaturalis cuilibet accidenti, ergo ex parte subjecti debet ei correspondere naturalis connexio, & capacitas, connaturalitas namque dicitur respectivè, unde non stat accidens dicere ordinem connaturalem ad subjectum sibi non connaturale &c.

Urg. hoc: quia si lumen gloriæ (& idem de aliis habitibus supernaturalibus) non diceret ordinem connaturalem ad aliquod subjectum saltem creabile, magis esset accidens violentum, aut extraneum, quàm perfectivum substantiæ intellectualis, ut patet in calore respectu aquæ, nam quia est illi violentus, non importat ordinem connaturalem ad aquam, ergo si hoc est commune cuilibet accidenti, quòd dicat ordinem connaturalem ad subjectum, omni accidenti debet correspondere subjectum, cui sit, aut esse possit connaturale, aliàs respectu omnium erit violentum, quod est alienum.

Urg. secundò. Dei ut Auctoris naturæ datur participatio per modum substantiæ, & per modum accidentis, ergo pariter Dei, ut auctoris supernaturalis dabitur utraque, quæ sit substantia, & quæ sit accidens &c.

Ad hoc dico in primis esse solvendum ab omnibus, nam etiam probaret dari de facto, & non tantum de possibili, sicut de facto dantur accidentia supernaturalia: & hæc etiam essent in statu veluti violento, aut non connaturali, si perpetuò carerent saltem secundùm præsentem providentiam subjecto sibi connaturali, si semel eo ipso, quòd supernaturalia sunt te-

nentur dicere ordinem connaturalem ad aliquod subjectum illius ordinis.

Pro omnibus ergo nego conf., ad primam probationē patet ex dictis primò posse negari ant. si intelligatur de substantia creata; quia licet certum sit (ut in superioribus insinuavimus) rationem substantiæ, ut abstrahit à creata, & increata perfectiorem esse simpliciter ratione accidentis communis ad naturale, & supernaturale; tamen probabile est rationem accidentis ut sic, non esse imperfectiorem substantia creata, quia continet gratiam justificantem, quam probabile est esse perfectiorem simpliciter omni substantia creata, quia est formalis participatio Divinæ naturæ.

Sed deinde transeat ant., & prima conf. nego secundā quia supernaturalitas per modum accidentis non postulat infinitatem simpliciter, sicut postulat per modū substantiæ, aut naturæ per se existentis ob rationes adductas in probatione conclusionis. Tum quia supernaturalitas ex propria ratione formali exigit id, de quo essentialiter dicitur, aut esse secundùm se infinitum ens simpliciter, & absolutè, aut saltem secundùm quid per reductionem ad ens infinitum simpliciter; accidens autem sicut non est simpliciter ens, sed secundùm quid, aut entis ens, ita supernaturalitas per modū accidentis imperfecta est, & tantū dicit infinitatem secundum quid per reductionem ad ordinem ad substantiā simpliciter infinitam, cujus sit participatio quantum ad esse, sed non quantum ad modum essendi; substantia verò sicut simpliciter est ens per se subsistens ita supernaturalitas per modum substantiæ perfectissima est, postulans ut secundùm se non per reductionem ad aliud, sit infinitum id, quod sic est supernaturale, imò & postulat, quòd per reductionem ad illam sint accidentia secundum quid infinita, & ideo magis, imò omninò repugnat supernaturalitas creata per modum substantiæ, non per modum accidentis.

Ad 2. nego ant., quia non desunt accidentia communia, ut cicatrix in facie, & alia hujusmodi, quæ non sunt propria; & connaturaliter debita alicui substantiæ. Sed dato adhuc id verificari de accidentibus naturalibus, repugnat tamen omni supernaturali, quòd sit connaturale alicui substantiæ, tum ob rationem superiùs adductam. tum quia esse connaturale alicui naturæ includit essentialiter negationem supernaturalis simpliciter, unde posset ut in plurimum dici secundùm quid supernaturale, idest comparatione illarum rerum, supra quarum naturam esset, cum quo stat esse essentialiter naturale.

Ex his etiam ad 3. nego ma., ad probat. dist. claritatis gratia, ant., est connaturalis cuilibet accidenti naturali transeat, vel conc., supernaturali nego, vel subdisting., est connaturalis connaturalitate exigentiæ, conc., connaturalitate proportionis, nego, nam aliud est. quòd accidens, quodcunque sit, sive naturale, sive supernaturale, utpotè entis ens, ex sui natura indigeat subjecto, vel exigat illud; unde sit eidem accidentidebitum, vel connaturale; aliud verò, quòd accidens habeat ex hoc esse mutuò connaturale subjecto, aut illi proportionatum; nam hoc posterius est omninò falsum, aliàs non esset supernaturale respectu illius. Tum quia non tantum de possibili, sed etiam de facto esset connaturale illi; cùm perpetuò de facto indigeat ex sua natura subjecto, cui inhæreat, unde iterum hæc probatio est solvenda ab omnibus &c.

Ad 1. confirmat. dist. ant., si non diceret ordinem connaturalem ad subjectum; nec exigeret existentiam ejus ut sibi connaturaliter debiti transeat, vel conc., ex eo præcisè, quòd non dicat ordinem connaturalitatis ad illud, nego. Tum quia etiam probaret, quòd de facto esset violentum, cum de facto, ut suppono in communi sententia, non dicat hunc ordinem. Nec ex eo præcisè calor est violentus aquæ, quia connaturaliter non respicit illam, sed quia neque exigit ejus existentiam, ut sui connaturalis susceptivi, imò potius comparatur ad aquam, ut ad subjectum sui destructivum, & ideo est violenta, aut contraria ad invicem habitudo.

Ad 2. nego conf., quia substantia supernaturalis ob rationes adductas est omninò impossibilis; quibus addo cum M. Catalan, quòd esse substantiam absolutè non includit in suo conceptu formali infinitatem, & ideo communicari potest creaturæ, includit verò eam, esse substantiam supernaturalem, quia non tantum dicit esse ens per se existens, sed etiam modum proprium, quo per se existere convenit Deo, nempe per se existere, ut excedens omnem naturam creatam, natam per se existere juxtà meritum proprii esse substantiæ contrapositivè ad accidens, ut dictum est; constat autem, quòd perfectiones, quæ in suo esse formali includunt infinitatem, ut esse Creatorem, esse actum purum &c. nequeunt communicari creaturis.

II. Arg. Non repugnat gratiam habitualem esse connaturalem creaturæ, ergo nec lumen gloriæ; conf. tenet ex dictis, quia est eadem ratio de his omnibus accidentibus supernaturalibus. Tum quia consequuntur ad gratiam, ut proprietates ejus; ant. autem videre docere D. Tho. 3. p. q. 2. ar. 12., quòd nempe gratia habitualis sit connaturalis animæ Christi.

Urg. hoc. Quia connexio substantiæ, aut intellectus creati cum dono supernaturali, sive cum gratia, aut lumine non importat excessum extrahentem à conceptu creaturæ, ergo non est deneganda saltem de potentia absoluta, prob. ant., quia non importat infinitatem, nec ex parte termini, cum prædicta dona sint quid finitum, & limitatum; nec ex parte modi, cum possit competere accidenti creato, nempe gratiæ justificanti, ergò.

Urg. secundò, quia non minus est supernaturalis ipsa visio, quam sit lumen, & alia hujusmodi dona, sed nihilominus connaturaliter connectitur cum lumine, itaut istud eam connaturaliter producat, ergo etiam poterit lumen connaturaliter connecti cum substantia, aut cum intellectu creato.

Urg. tertiò. Quia, ut docent plures Theologi, & constabit infra, homini habenti gratiam justificantem connaturaliter convenit lumen gloriæ, cum istud naturaliter, ut dictum est; consequatur ad gratiam consumatam, ergo poterit etiam connaturaliter convenire substantiæ, aut intellectui creabili ratione sui; prob. conf., quia non minus est quid finitum homo habens gratiam, seu concretum resultans ex homine, vel subjecto, & gratia, quam esset substantia, aut intellectus creabilis, ergo si non obstante tali finitate potest lumen esse connaturale eidem concreto, poterit pariter esse connaturale substantiæ, aut intellectui creabili, esto quid finitum sint &c.

Ad hoc nego ant. ad probat. nego, quòd D. Th. loquatur ibi de anima Christi secundùm se considerata, nam prout sic non solum ab illa non emanat gratia, sed neque est illi debita; unde ut explicat idem

Angelicus,tantum potest dici connaturalis illi, quia à nativitate illam habuit, aut quia ex Divina natura in eodem supposito existente cum humanitate procesſit, ut à causa efficiente; aut denique quia debita erat ei ex vi unionis ad Verbum, quod non tollit, quin simpliciter esset ei supernaturalis, quia aliquod supernaturale potest esse debitum ratione alterius supernaturalis præexistentis, ut explicabitur infra.

Ad primam confirmat. nego ant. non solum ob excessum, sed quia etiam ex hoc excessu respectu substantiæ, ut proprii subjecti manifesta infertur contradictio, ut ostensum est; unde sicut accidens, si semel supernaturale est, tenetur excedere substantiam, ut sui subjectum, aliàs supernaturale non esset respectu illius, cum respectu illius dicatur tala, ut vidimus; ita etiam substantia, si semel esset connaturaliter connexa cum illo, destrueret ejus supernaturalitatem, quia destrueret excessum illius supra se ipsam, sine quo non stat supernaturalitas, ut patet ex terminis:

Ad probat. ex dictis dist. ant., ex parte termini proximi transeat, (quamvis etiam repugnet ex prædicto excesſu illius, ex quo supernaturalis est,) termini ultimi, qui est Divina essentia, ut forma intelligibilis neg.,quia nõ stat, ut probavimus,connexio,aut connaturalitas luminis sine connaturalitate essentiæ, ut formæ intelligibilis. Respectu autem gratiæ justificantis, quæ est prædictorum donorum radix, non habent talem excessum, cum non sint respectu illius supernaturalia, sicut essent respectu subjecti, vel substantiæ; & supernaturalitas deinde accidentium, ut dictum est, non est simpliciter talis, sed magis secundum quid, & respectivè, unde non est eadem implicantia, aut imposſibilitas connexionis, vel connaturalitatis inter accidens, & accidens intra ordinem supernaturalem; & inter substantiam creatam, aut creabilem, & accidens supernaturale, nam sicut, illa si semel creata est, ex sui essentiali conceptu tenetur excludere, ut ostendimus; supernaturalitatem, ita pariter excludit connexionem cum ente supernaturali: de quo iterum in fine solutionis ad secundam. §Quod si huic, & superiori doctrinæ circa discrimen inter utrãq; supernaturalitatem per modum substantiæ, & per modum accidentis opponas instantiam de modo unionis substantiali supernaturali inter humanitatem, & Verbum,cui plus nimiò confidunt contrarii ad contendendam posſibilitatem substantiæ supernaturalis; Resp. primò esse de subjecto non supponente in nostra sententia talem modum; sed illo etiam admisso, ut probabiliter admittitur ab aliquibus ex nostris, dicimus secundò plus nimiò etiam probare, val solvendam esse à contrariis, nam si aliquid probat, probat etiam posſibilem substantiam completam creatam hypostaticam, vel de eodem ordine hypostatico per se connexam cum subsistentia Varbi, & illius terminationem exposcentem, quod tamen ipsi non concedunt,ut subtiliter opponit Illustrifs. Godoii disp.15. hic § 3. ad 2., quia nempe modus ille unionis non tantum est supernaturalis,sed etiam hypostaticus cum subsistentia Verbi connexus,ergo si semel ex illo licet inferre substantiã creatam supernaturalem completã,licebit etiam inferre substantiam creatam completam non tantum supernaturalem, sed etiam hypostaticam, vel de eodem ordine per se connexam cum eadem subsistentia increata, & terminationem illius exposcentem, quam nullus admittit; vel si hæc non infertur, necesse est, inquit idem Illustris.,ut inefficaciam cognoscant argumenti, vel instantiæ,cui maximè confidunt.§ Tertiò dicimus, iterum solvendam esse ab illis, quia etiam probaret posſibilem eandem substantiam secundum præsentem Dei providentiam, & adhuc de facto, sicut secundum hanc non solùm est posſibilis, sed etiam de facto datur prædictus modus unionis juxta meritum illius mysterii sub eadem providentia contenti ad commendandam magnificentisimam Dei bonitatem, & omnipotentiam,ad quod etiam deserviret præfata substantia.

Quartò deinde pro omnibus respondetur esse latũ discrimen inter prædictum modum,& cæteras substãtias completas, vel etiam incompletas per modum formæ substantialis, aut subsistentiæ, nam ille utpotè essentialiter nexus inter extrema unita, per se, vel ex suo primario conceptu respicit, vel ordinatur ad utrũque, tam humanum, quàm Divinum, unde per se, vel ex eodem conceptu tendit ad aliquod extrinsecum, quod est ita esse deficientem in linea substantiæ, ut magis transeat ad conditionem, vel meritum accidentis, quàm substantiæ, cujus est proprium sistere in se, aut intra se ipsam, & non transire ad aliquod extrinsecum; hoc enim tantum convenire potest accidenti, quod est entis ens, & secundum quid, aut per reductionem ad extrinsecum tanquam ad objectum. vel terminum, à quo specificetur, ut patet in habitibus, vel relationibus; vel cujus sit formalis participatio, ut contingit in accidentibus supernaturalibus, quæ sunt formales participationes, vel naturæ Divinæ, ut gratia, vel aliarum divinarum perfectionum juxta eorum conditionem, ut cætera accidentia supernaturalia, nam licet ex ratione communi accidentis dicantur per se primò respicere subjectum, non tamen adæquatè, & intensivè attenta eorum ratione differentiali, sed secundum illam tenentur adhuc transire ad aliud extrinsecum, ut relatio ad terminum,& habitus ad objectum; & si supernaturalia sunt, ad illud Divinum, cujus sunt formalis participatio. Et quia supernaturalitas creata præter superiorem excesſum,ob quem cum non habeat radicem sui in natura, tenetur indispensabiliter importare hunc extrinsecum respectum, & conceptum formalis participationis alicujus extrinseci, sicut importat accidens, quia pariter non habet radicem intra sui lineam, ut vidimus in physicis, ideo imposſibile est, quòd conveniat substantiæ non deficienti a proprio conceptu, vel non transeunti extra; quidquid sit, si detur transiens, ut est illa modi.

Ex quibus iterum constat cur Dei, ut Authoris supernaturalis posſit dari participatio in linea accidentis, & non in linea substantiæ, quia nempe illi non repugnat differentialiter respicere aliquid extrinsecũ, sicu. repugnat substantiæ utpotè enti per se, & præcipuè completæ, vel adhuc incompletæ per modum formæ, vel subsistentiæ, quia utraque ex proprio conceptu differentiali adhuc sistit intra proprios limites,& non transit extra ad extrinsecum, nam forma substantialis tantum respicit intrinsecè materiam, vel totum, & subsistentia naturam, quam intrinsecè complet;unde supernaturalitas hoc modo per modum substantiæ est omninò implicatoria tum ex prædicto excessu repugnante puræ creaturæ, scil. suprà totam entitatem creatam, & creabilem, sive totam collectionem etiam substantiæ factæ, & factibilis; tum ex hujusmodi debito respiciendi differentialiter aliquod extrinsecum,

cujus teneretur esse formalis participatio in illo ordine, sicut modo sunt accidentia supernaturalia, quod tamen repugnat proprio conceptui ētis per se, seu subsistentis in se &c.

Quòd si ex his opponas saltem non excludi intellectum supernaturalem, cùm esset de linea accidentis.

Resp. quòd licet non excluderetur præcisè ex eadem ratione accidentis, specialiter tamen excluditur ex propria ratione potentiæ intellectivæ, ut dictum est, & statim iterum dicemus, tum ex superiori ratione articuli 4., tum ex præcedenti primæ conclusionis, quia deberet indispensabiliter consequi ut proprietas supernaturalis ad substantiam supernaturalem intellectualem, unde si semel hæc est impossibilis, pariter erit impossibilis idem intellectus.

Ex quo etiam inferimus iterum contra aliquos recētiores non solùm repugnare substantiam supernaturalem per modum naturæ, quod ipsi etiam concedunt ex eo, quòd ens supernaturale teneatur esse supra exigētiam omnis naturæ tam creatæ, quàm creabilis, & consequenter deberet talis natura esse supra se ipsam, quod implicat; sed absolutè repugnare omnem etiam per modum conflati ex natura ordinis naturalis, & subsistentia supernaturali, & consequenter omnem substantiam completam supernaturalem, quam contendunt in eodem conflato; quia si semel implicat natura supernaturalis pariter implicat subsistentia supernaturalis, tum quia si semel creata est, alicujus naturæ deberet esse proprietas, sicut intellectus proprietas est substantiæ intellectualis. Nequit autem subsistentia supernaturalis consequi ad naturam non supernaturalē, sicut intellectus supernaturalis ad substantiam intellectualem non supernaturalem. Tum quia sicut subsistētia ex primario sui cōceptu habet terminare naturā ita subsistētia ex primario sui cōceptu habet terminare naturam supernaturalem, nam secundarius supponit primarium, & super illum fundatur, ad illumque consequitur sicut proprietates ad essentiam, unde sicut istæ implicant sine essentia, ita secundarius conceptus supernaturalis sine primario supernaturali, & consequenter ut subsistentia sit supernaturalis, & supernaturaliter terminans, debet id habere ex primario sui conceptu, & in ordine ad naturam supernaturalem, nam in ordine ad istam tantum potest esse habitudo primaria, vel termini primarii, & immediati, ea enim quæ sunt alterius ordinis, tantum venire possunt secundariò, & mediatè, ut patet ex terminis, ergo implicante natura supernaturali, pariter implicabit subsistentia supernaturalis, & cōsequenter conflatum ex utraq; &c.

Præterquamquòd ut dicebamus, de ratione substantiæ supernaturalis, & maximè completæ contrapositivè ad accidens supernaturale, non solùm est esse supra omnem naturam, sed etiam supra omnem entitatem creatam, & creabilem, sive supra totam collectionem substantiæ factæ, & factibilis, unde perperùs deberet esse supra se ipsam, ergo sicut hac ratione dicunt esse impossibilem naturam creatam supernaturalem, dicant pariter esse impossibilem substantiam completam supernaturalem.

Nec ... dicere, quòd sit supra totam entitatem, vel collectionem substantiæ ratione naturæ, non ratione subsistentiæ. Quia, ut dictum est, sicut substantia est absolutè, & simpliciter ens, ita supernaturalitas per modum substantiæ debet esse perfectissima, & consequenter non solùm per excessum ratione naturæ, sed etiam ratione subsistentiæ, sivè simpliciter, & absolutè, imo impossibilis est, ut vidimus; hic posterior excessus sine priori. Tum quia eadem facilitate dici potest, quòd dum Scriptura, & SS. PP. docent auxilia gratiæ, quibus homo disponitur ad justificationem esse gratiā illi factam absolutè, sic quòd excedant exigentiam naturæ illius, solum velint excessum ratione naturæ, non ratione subsistentiæ complentis naturam, quod admitti non potest; tum quia sanæ doctrinæ non congruit. Tum quia non esset gratia absolutè facta homini, qua ratione dicimus non esse gratiam absolutè per respectum ad Christum, quod ei debetur ratione subsistentiæ. Tum quia ex eadem Sacra Scriptura, & PP. non posset sufficienter probari prædicta auxilia excedere subsistentiam hominis, quod esset veluti eludere eorum auctoritatem, & Scripturæ, & nihil certum ex eadem haberi in materia tam necessaria ad evadendas hæreses contra illam &c.

Ad secundam confirmat. argum principalis jam assignatum est discrimen in examinanda ratione artic. 4. inter virtutem intellectualem, quæ est potentia, & intellectualem, quæ est elevatio ejus, ut est lumen, quòd ut illa connaturali modo perfectè, seu quidditativa cognitione attingat cognitum requiritur indispensabiliter identitas gradus in modo essendi omninò repugnans creaturæ comparativè ad Deum, cum gradus Dei sit gradus actus puri, cæterum hæc identitas non requiritur ad virtutem intellectualem, quæ tantum est elevatio potentiæ ad modum operandi Divinum, ut ibidem ostensum est, unde ex connaturalitate ejus cū visione inferri nequit connaturalitas cum Deo, vel essentia Divina, sicut infertur ex connaturalitate potentiæ cum eadem, aut cum lumine. Per quod iterum patet ad primam. Nam connexio, & connaturalitas gratiæ cum donis supernaturalibus, vel inter se non tenetur ita transire ad connaturalitatem, vel identitatem cum Deo, aut cum gradu ejus in modo essendi, sicut teneretur transire connexio, vel connaturalitas intellectus, seu potentiæ intellectivæ cum lumine, ut ibidem explicatum est; sicut & teneretur transire connaturalitas substantiæ supernaturalis cum eodem lumine radicantis intellectum supernaturalem ob aliud etiam speciale motivum assignatum ex superiori discrimine inter utramq; supernaturalitatē per modum accidentis, sive imperfectam, vel respectivam, aut secundum quid, & per modum substantiæ, seu perfectissimam, & absolutam, vel importantem infinitatem simpliciter, sive excessum supra totam entitatem creatam, & creabilem soli Deo convenientem, ut dictum est.

Ex his etiam patet ad tertiam. Sed deinde ex dicendis infra dist. ant., connaturaliter convenit lumen, connaturalitate absoluta, nego, connaturalitate secundum quid, vel ex suppositione, transeat, vel conc., & nego cons., tum ob specialem repugnantiam ex parte substantiæ supernaturalis, & potentiæ intellectivæ proximè, & superiùs assignatam ad connexionem, & connaturalitatem cum lumine, & aliis supernaturalibus donis; tum quia prædicto conjuncto non convenit absolutè, sed ex suppositione, aut reduplicatione formæ elevantis, ex quo non licet inferre connexionem, vel connaturalitatem absolutam, ut patet ex regulis dialecticis; aliàs eadem iterum facilitate dici posset subsistentiam Verbi connaturaliter absolutè convenire posse substantiæ, aut naturæ creatæ, cum pariter dicatur

catur connaturaliter convenire humanitati, ut affectæ modointrinseco unionis ad Verbum finito, & limitato, quod nullus admittit..

§. VI.

Solvuntur alia argumenta, etiam contra secundam Conclusionem.

Quartò arg. etiam principaliter ex Molina. Conjunctum ex lumine gloriæ, & intellectu est aliquod finitæ perfectionis, sed dato quocunq; intellectu potest Deus alium, & alium sine termino perfectiorem producere, ergo posset tandam devenire ad producendum intellectum ita perfectum non solū æquantem, sed excedentem perfectionem ejusdem conjuncti, ergo tali intellectui posset esse connaturalis visio non minus, quàm lumini, aut conjuncto, ergocum eadem sit ratio de visione, & lumine, si semel est possibilis intellectus, cui sit connaturalis visio, possibilis erit connaturale lumen; omnes hæ consequentiæ tenent ex præmissis; ma. est certa, cum de facto detur tale conjunctum; mi. etiam constat, quia dato quolibet finito, potest Deus aliud illo perfectius producere, nisi velimus omnipotentiam Dei intra limites alicujus finiti conclu li &c.

Ad hoc, quo convincitur id mauctor ad affirmandum probabile esse posse à Deo produci intellectum, cui sit connaturalis visio, dico in primis esse an eodem solvendum, quia aut nihil probat, aut probat intellectui creato purè naturali posse esse connaturalem visionem supernaturalem, quod manifestam involuit contradictionem, & in errorem Pelagii declinaret. Patet hoc, quia ut benè retorquet M. Gatalam, dato quocunque intellectu naturali, posset Deus alium, & alium naturalem perfectiorem sinè termino producere, ergo poterit tandam devenire ad producendum ità perfectum, ut adæquaret, imò excederet perfectionē cujuscunq; alterius producti, aut producibilis.

Quòd si dicat de intellectu supernaturali procedere argumentum, petit principium, supponens probandum, nempè supernaturalem intellectum posse produci. Deindè argumentum habet tot instantias non solum in verioribus, sed atiam in communibus sententiis adeò apertè ejus inefficaciam manifestantibus, ut non immeritò miretur Illustriss. Godoii disp. 13. hic §. ultimo ad secundum, virum aliàs doctum tam levi fundamento premi, ut inter utramque sententiam pendulus, & suspensus remanserit, & tandam in affirmantem magis daclinaverit; nam aliis omissis, quas in probabiliori opinione contra ipsum adducit, certum est, quòd conjunctum ex intellectu, & intellectione, quid finitum, & limitatum est, & tamē nequit produci intellectus ità perfectus, ut ratione sui absque intellectione superaddita, & à se ipso distincta percipiat objectum. Similiter conjunctum ex causa, vel potentia creata, & auxilio ad patranda miracula, quid pariter finitum est, & tamen nullus dicet posse à Deo produci creaturam, aut causam creatam ità perfectam, ut per virtutem propriam miracula faciat, & sic de aliis, &c. ergo ex eo quod conjunctum ex intellectu, & lumine quid finitum sit non rectè infertur posse à Deo produci intellectum ità perfectum, seu perfectiorem, & perfectiorem, ut tandem daveniri possit ad aliquem tantæ perfectionis, ut sit ei connaturalis visio, seu per virtutem sibi connaturalem videat Deum, &c.

Pro omnibus ergo nego utramque priorem principalem cons., quia sicut potantiæ corporeæ, esto in infinitum perfectiores, & perfectiores multiplicantur, nunquam tamen perfectissima omnium æquare posset perfectionem intellectus, nec connaturaliter attingere spiritum, ità neque perfectissimus omnium intellectus naturalis æquaret perfectionem supernaturalis luminis, & consequenter nunquā posset esse illi connaturalis visio, aut lumen. Ratio utriusq; est, quam insinuavimus ex Cajet., quia unum individuum ordinis superioris excedit infinita ordinis inferioris; undè licet dicamus posse à Deo intra eundem ordinem dato quolibet finito, aliud perfectius, & perfectius produci, non tamen quod adæquet, & multò minus quod excedat finitum ordinis superioris: ex quo solum infertur producibilem esse alium, & alium perfectiorem intellectum intra latitudinem naturæ, vel aliud perfectius conjunctum constans ex perfectiori intellectu illustrato perfectiori lumine specificā, si fortè est possibile lumen distinctæ speciei: vel individualiter intensivè, de quo infra; non tamen intellectum adæquantem conjunctum, aut virtutem ejus, seu formam elevantem, vel lumen, ex quo componitur; undè hoc etiam argumentum committit fallaciam (ut sæpè solent alia plura) non causæ, ut causæ: non enim est ratio finiti, aut finitæ perfectionis, quæ assumitur ut causa ad inferendam adæquationem, vel connaturalitatem cum lumine, aut cōjuncto; sed magis infinitæ distantiæ inter virtutem potantiæ ordinis inferioris, cum virtute, aut perfectiona individui ordinis superioris; & aliæ atiam rationes adductæ.

Sad instat Mulina, quia quòd intellectus angelicus, vel humanus non possit Daum videre ratione sui non provenit ex eo, ut nos etiam fatemur; quòd Deus clarà visus sit extrà objectū specificativum illius, sad quia non gaudet tanta virtute, quantā ad id opus est, sed dato quolibet in intellectu potest alium, & alium perfectioris virtutis efficere sine termino, argo poterit taodem ad aliquem intellectum devenire, qui ratione sui sit adeò elavatæ virtutis, ut absque lumine superaddito Deum videat, & consequenter æquivaleat conjuncto ex intellectu, & lumine.

Urg. ex eodem; quia esse dabilam intellectum sic adæquantem, & potentem videra, nec repugnat ex ratione communi intellectus, quia competit intellectui divino; nec ex ratione creati, quia iste est participatio intellectus divini, & quolibet dato potast Deus sua omnipotentia efficere alium perfectiorem excessu essentiali, ergo potest producere aliquem ità perfectum, ut sit participatio intellectus divini ea ratione, qua potest Deus propriis viribus videri, & consequenter excedentem, aut æquivalentem conjuncto ex intellectu, & lumine &c.

Huic instantiæ, quæ jam præoccupata est præcedente solutione, patet primò esse multipliciter solvendam ab eodem, ut supra; sed deinde claritatis gratia, dist. ma., quia non gaudet tanta, imò nulla, loquendo de proxima, nec gaudere potest ob rationes, & implicatias adductas, coc., quia præcisè non gaudet de facto, nego § Quod si iterum dicat ità esse de intellect. naturali, non de supernaturali; jam dictum est pete re

re principium, & supponere probandum, quòd sit iste possibilis; undè licet possit alius, & alius perfectior produci, intra ordinem, in quo est possibilis, scil. naturalem, non tamen in quo est impossibilis, vel supernaturalem; undè vel sua inductione innixa finitati conjuncti, & omnipotentiæ Dei intendit promovere, aut probare de intellectu naturali, & hoc est impossibile, ut dictum est, ob infinitam distantiã à quolibet individuo ordinis superioris, vel nisi iterum velimus declinare in errorem Pelagii; vel de supernaturali, & tunc supponit probandum, quòd sit possibilis. Nec est refundendus utriusque defectus ad defectum omnipotentiæ, sed ad impossibilitatem ex parte facti.

Ad confirm. similiter patet primò esse ab eodẽ, ut suprà, solvendam. Deindè nego secundam partem ant., Ad probationem annexam dist. & explico. Est participatio intellectus divini intra suum ordinem, sivè naturalem, conc., supernaturalem nego suppositũ, quòd intellectus divinus sit intra hunc ordinem, & sub prædicto conceptu participabilis ab intellectu creato, ut ostensum est; undè perpetuò argumentum supponit probandum. § Quod si iterum opponas participari sub eodem conceptu à lumine gloriæ. Jam assignatum est discrimen inter illud, & potentiam. Tum quia lumen non participat illud sub eodem conceptu, sub quo propriè convenit Deo, sicut teneretur participare potentia, vel intellectus; nam Deo ità convenit videre se ipsum, ut id habeat non ex elevatione, aut per modum formæ elevantis, sed connaturaliter per se ipsum, & hoc modo intellectus creatus, si ratione sui esset participatio talis conceptus, teneretur, & esset potens Deum videre connaturaliter, sic etiam exigente conceptu potentiæ, quod tamen est impossibile, ut dictum est; cæterum lumen est tantum participatio per modum formæ elevantis: non repugnat autem, quòd aliquis conceptus proprius Dei à creatura ex elevatione participetur, ut patet etiam in auxilio patrandi miracula, benè verò repugnat, quòd participetur ab illa connaturaliter, ità ut lii *connaturaliter* (ne fiat æquivocatio) non præcisè appellet supra rationem conveniendi; (quia etiam lumini dicitur connaturalis visio,) sed supra rationem participandi, aut conveniendi per se ipsum, ad quod non tenetur lumen, eo ipso quòd est ex propriis forma per modum elevationis. Undè incompossibilia sunt hæc duo, quòd intellectus creatus à Deo participet talem conceptum, & quòd ratione sui, vel per se ipsum connaturaliter videat illum; nam si semel est proprius Dei, non nisi ex elevatione, aut per formæ elevantis habera posset, non per modum potentiæ & ratione sui illum participans. Præterquamquòd, ut dicebamus, probaretur etiam de facto, & non tantum de possibili, sicut de facto datur participatio per modũ luminis; ut similiter insinuavimus de alia participatione Dei, ut Auctoris naturæ per modum substantię, & de participatione illius, ut Auctoris supernaturalis per modum accidentis, per quod non tantum probatur de substãtia supernaturali de possibili, sed etiam de facto, cum de facto detur utraqua præcedens participatio, & non tantum possibiliter &c.

IV. Arg. ex eodem, arg. jam insinuato, & impugnante solutionem D. Th. ad 3. Lumen gloriæ non est connaturale Deo, ergo ex eo quòd esset connaturale alicui creaturæ non infertur debere illam esse ejusdem naturæ cum Deo, imò magis non esse; prob. ant., quia lumen gloriæ est accidens, quod repugnat reperiri in Deo, & ideò etiam esse illi connaturale.

Urg. retorquendo exemplũ D. Th. Quamvis calor ignis in eo gradu, in quo est cõnaturalis igni, non possit esse connaturalis nisi igni, in gradu tamen remissiori potest esse connaturalis alteri substantiæ ergo licet gratis daretur lumen gloriæ esse connaturale Deo, & ideò in eodem gradu perfectionis non posse esse connaturale creaturæ, posset nihilominus esse in gradu imperfectiori &c.

Ad hoc præter superiora patet primò non solum probare, quòd lumen (& sic de aliis donis supernaturalibus, & etiam de gratia) non tantum non sit connaturale Deo, sed etiam quòd impossibile sit esse cõnaturale illi, imò quòd sit aliquo modo quid extraneum, cũ impossibile sit non esse accidens, & quòd eccidens prout tale non sit aliquo modo quid extraneum respectu substantiæ, ut potè adæquatè extra conceptum ejus, quod non solum est contrà suppositum quæstionis, sed videtur etiam contra bonam Theologiam, nam modo supponimus esse aliquo modo saltem connaturale, ut possit esse connaturale creaturæ, quod ipse etiam insinuat, dum retorquendo exemplum D.Th., arguit à simili caloris, tantum convinci non posse esse connaturale creaturæ in eo grado, in quo est connaturale Deo. Deindè quòd gratiæ specialiter non sit propria, & connaturalis Deo, non ità facilè post errores pelagianorum admitteretur ab aliquo theologorum, & præcipuè loquendo de connaturalitate activa, & propria Dei, ut statim dicemus.

Sed deindè pro omnibus ex dictis, vel nego absolutè ant., vel dist. claritatis gratia, non est connaturale Deo, connaturalitate veluti passiva, sivè ex parte principii passivi, aut subjecti, quod perficiat, vel in quo subjectetur, conc., connaturalitate activa, seù ex parte tantum principii activi, à quo procedet ut proprius, & connaturalis effectus, vel ut dispositio ultima ad formam sivè in genere rei, sivè in genere intelligibili, nego; quamvis ergo priori modo, ut dicebamus; lumen gloriæ non possit esse connaturale Deo, ut convincit probatio antecedentis; nec opposiũ non solum D.Th., sed nec ullus senæ mentis imaginari possit; falsũ tamen est non esse secundo modo, quia revera divinam naturam respicit, ut propriam, & connaturalem causam, sic quòd ei intrinsecè repugnet ab aliqua alia substãtia procedere, ut principio activo; & quia pariter eam respicit ut formam in esse intelligibili tãquam naturalis dispositio, cum sit dispositio ultima intellectus, ut vidimus, ad eam recipiendam, ut formam in eodem genere. Ex connaturalitate autem illius cum essentia divina in hoc genere rectè infert D. Th., & nos cum ipso debere substãtiam, cui esset connaturale lumen, esse ejusdem naturæ cum Deo, ut ostensum est ex eodem etiam de veritate, & in 4. ubi supra, quia quantum ad connaturalitatem, & supernaturalitatem semper dispositio ultima, & forma sunt ejusdem ordinis, ità ut cui est connaturalis, vel supernaturalis dispositio ultima, sit connaturalis, vel supernaturalis forma, quia perfectibile per ultimam dispositionem, ut dictum est; attingit ipsam formam, ut evidentissimè patet in omni ultima dispositione, & ideò cui semel est connaturale lumen, debet omninò esse connaturalis, saltem ut forma intelligibilis, divina essentiæ. § Quod si instes ut supra, impossibile esse subjectum, in quo semel recipitur lumen ut accidens connaturale, esse Deum, cum Deus nullo modo sit

ca-

capax accidentis, ergo adhuc salvaretur in illis conceptus creaturæ. Resp. dist. ant. imp ssibile est esse Deum, esse, & non esse, conc., esse præcisè, nego, quia, ut dictum est, ex impossibili sequitur utraq; pars contradictoria vera, undè ex quo esset ei connaturale, teneretur esse ejusdem naturæ cum Deo; ex quo verò supponitur esse subjectum susceptivum accidentis, non posset esse, & sic esset, & non esset Deus, vel creatura &c.

Ad confirm. arg. patet iterum ex dictis nullam esse conf., imò nego suppositum illius, quòd lumen gloriæ sit tantum ultima dispositio ad divinam essentiam, vel ad unionem ejus, ut formæ intelligibilis in gradu intenso, sicut calor ad formam ignis, nam ex sua ratione formali, ut ostensum est; habet esse tale in quocunque gradu, cum certum sit, quòd si quis decederet cum charitate remissâ etiam in uno tantum gradu, & consequenter ibi haberet lumen tantum ut unum, adhuc itud esset ultima dispositio ad prædictam unionem, cum sinè ista non videat Deū, undè in nullo gradu remisso, aut intenso potest esse connaturale nisi cui sit connaturalis divina essentia, ut forma intelligibilis, quidquid sit; quòd solum in summo gradu id verificetur de calore respectu formæ ignis, quia solum in summo gradu intensionis est ultima dispositio ad illam, unde poterat, ut supra, inverti retorsio contra ipsum. Nam quia calor est ultima dispositio ad formam ignis in summo gradu, nequit alicui esse connaturalis prout sic, nisi cui est cōnaturalis forma ignis, ergo quia lumen in omni gradu est ultima dispositio ad unionem divinæ essentiæ, in nullo potest alicui esse connaturale, nisi cui est connaturalis eadem essentia &c.

Ultimò tandem arg. cōtrà secundam conclusionem arg. jam insinuato. Datur natura rationalis ab intrinseco indefectibilis quoad esse, ut patet in Angelo, & anima nostra, ergo & poterit dari quoad operari, sivè indefectibilis à rectitudine operationis, conf. tenet; tum quia operari sequitur, & proportionatur ipsi esse; tum quia (& simul impugnatur præcipuum fundamentum conclusionis) si semel esse factum ex nihilo impedit indefectibilitatem rectitudinis in operando, à fortiori deberet impedire in existendo, vel perseverando, ergo si hanc non impedit nec impediet primā, prob. ant. quia ex hoc quod est esse factum ex nihilo propinquiùs consequitur redigi in nihilum, quàm cadere in culpam. ergo.

Urg. hoc quia Angelus intra ordinem naturalem ità habet operari proportionatum ipsi esse, ut ex propria natura circa finem naturalem directè deficere non possit, ut docent plures ex nostris Capreol. Ferrara, Cajetanus, Ripa, Zumel, & insinuat D.Th. infrà qu. 63. ar. 1. ad 3. ergo poterit sic statui in rectè operando, ut non sit defectibilis ab intrinseco circa supernaturalem.

Urgetur secundò, nam creatura rationalis sic ab intrinseco recta circa finem naturalem, vel ex propria natura affixa bono naturali honesto, etiam elevata ad ordinem supernaturalem nequit aliquid inhonestum amplecti, ergo etiam sic elevata poterit ità ab intrinseco claudi intra lineam honesti, ut à solo illo moveatur, & consequenter sit omninò impeccabilis, utraque conf. tenet, quia inhonestum vel turpe sub ratione honesta amari non potest, ergo si creatura sic directè recta, & affixa honesto naturali, aliquod inhonestum etiam ut elevata prosequi nō potest. etiam ut elevata à solo honesto moveri poterit, quod est non posse peccare, ant. verò prob. quia sic directè recta, & affixa honesto naturali, sivè quæ propriis viribus non potest intendere nisi honestum nec formaliter moveri à delectabili, quod honesto repugnat, nequit elevari ad objectum supernaturale, quod honestum non sit, ergo nec sic elevata potest amplecti aliquod inhonestum, prob. ant., quia sic semel ex propriis determinata ad honestum adæquatur motivè à ratione honesti, undè sibi relicta non potest viribus propriis deserere illud, ergo non potest elevari ad aliquid repugnans honesto, vel non contentum sub illo, prob. conf., quia nulla potentia in universum potest elevari ad aliquod non contentum sub motivo sui adæquato, ut patet inductivè in singulis potentiis, ergo si semel ex propriis, vel sibi relicta adæquatur motivè à ratione honesti, etiam ut elevata tantum poterit moveri ab illo.

Urg. 3. Quia quæ sunt contraria legi supernaturali cōtrariantur rationi naturali, sicut enim supernaturalia sunt ad perficiendam naturam, ita quæ opponuntur legi naturali, opponuntur etiam supernaturali, undè videmus, quod cum dilectione super omnia Dei Auctoris naturæ, non stat violatio præcepti supernaturalis, ergo natura semel impotens ad deficiendum contra legem, vel rationem naturalem, erit etiam impotens ad deficiendum contra supernaturalem.

Denique urgentur hæc omnia ex nostris principiis, quibus infra q. 58. ar. 3. cum D. Tho. dicimus, quòd quà Angelus circa objecta naturalia nō discurrit, nec etiā discurrit elevatus ad supernaturalia, & quia non per discursum, seu pluralitatem, aut successionem motuum vel operationum, sed statim perfectionem naturalem acquirit, statim etiam post primum actum meriti supernaturalem beatitudinem obtinet, ut docet D.Tho. infra q. 62. ar. 5., & rationem reddit, quià gratia perficit naturam juxtà modum naturę, ergo si semel est ex propria conditione indeclinabiliter rectus, circa finem, vel objecta naturalia, pariter erit circa supernaturalia, ac proinde omninò impeccabilis.

Ad hoc nego conf., & disparitas sumitur ex D. Th. q. 24. de veritate ar. 7. ad 5., quia proprium esse creaturæ rationalis est particulare, & determinatum, & receptum ab alio, cum quo nulla est repugnantia, utimmobiliter conjungatur cū illa, ut latè ostendimus infra, cæterum per operationem voluntatis contrapositivè ad appetitum sensitivum non respicit purum bonum in particulari, sed in universali sub quo etiam comprehenditur ultimus finis ordinis supernaturalis, & quia ad bonum ut sic, & ad hunc finem excedentem nequit ex propriis, vel ab intrinseco esse determinatio, alias liberè, vel juxta sui conditionem non tenderet ad illud, & nec ut facultas de ordine naturali, ideo repugnat esse indeclinabiliter rectam in sui operatione.

Ad 1. probat. dist. ant. sequitur, & proportionatur quoad naturalitatem, vel supernaturalitatem, vel alia hujusmodi prædicata, conc., qua ratione, ut dictum est, non posse operari esse supernaturale non supposita forma intrinseca elevante, & constituente esse supernaturale: quoad modum defectibilitatis, vel indefectibilitatis, nego ob discrimen assignatū interesse, & operari creaturæ rationalis. Per quod patet ad 2., nam licet alterum dicatur propinquiùs, non tamen est eadem conjunctio libera, & mobilis cùm esse, licut cum operati ob idem discrimen.

Ad

Ad 1. confirmat. conc.ant., quod tamen non omnea etiam ex nostris absolutè admittunt (de quo infra)nego conf., quia determinatio ab intrinseco ad rectitudinem naturalem, sive ad amorem rectum sui, & Dei Auctoris naturæ non excedit meritum creaturæ rationalis præcipuè perfectissimæ, ut est Angelus, sicut excedit ad supernaturalem, & ultimum finem supernaturalem, quia amor ille non est sic proprius naturæ superioris, sicut hic posterior; unde nec transitus ad amorem istum potest esse illi ab intrinseco indelectibilis,licet immutabilitas post transitum possit esse firma, & perpetua, & de facto fuit uno exhibito merito per accessum ad terminum consummationis, quia nempe gratia perficit salva conditione naturę non contra illā; unde si non est discursiva, nec progressiva per plures motus, nec discurrit in statu elevationis, nec moratur in via, sed statim pervenit ad terminum, non tamen immobilitatur ante transitum, nec in transitu,sed potest in illo à bono honesto recedere, licet elevatio non conducat ad inhonestum, & sic recedendo à bono supernaturali indirectè, etiam debet deficere à naturali (à quo non adequatur,) licet non directè, & sic intelliguntur Auctores illius opinionis, quam ibi sustinuimus, & latè hæc omnia ibi explicamus,per quod patet ad alias confirmationes, ne diutiùs immoremur in his, de quibus ex professo ibidem.

QUÆSTIO NONA

Utrum visio beata sit connaturalis intellectui informato lumine gloriæ.

THomistæ omnes, qui in uno conveniunt, scil. in negando possibilitatem creaturæ, cui sit connaturale lumen, & visio, aliqualiter differunt circa connaturalitatem respectu intellectus informati lumine. Nam Cajet.hic solutione ad 2. Scoti duo asserit. Primum est, simpliciter nullum esse inconveniens concedere, intellectum per aliquam virtutem creatam naturaliter videre Deum, & habentem charitatem ut sic naturaliter Deum diligere. Secundum est, ne sumatur occasio errandi addendum esse, naturaliter intellectum videre Deum non per formam naturalem, aut connaturalem, sed per supernaturalem.

Mag. Soto in 4. dist.49. q.2. ar. 2. dubit. post solutionem 3. negat posse esse connaturale intellectui videre Deum etiam per formam supernaturalem, quia nunquam actus secundus est connaturalis subjecto,nisi sit ei connaturalis actus primus.

Ferrara 3.cont.gent.c.54. in solutione quartæ objectionis videtur media via incedere. Nam primò affirmat, ut Soto, non posse absolutè dici, quòd naturaliter alicui conveniat id, quod tantum convenit ex forma supernaturali; secundò tamen concedit aliquomodò dici esse eidem naturale, aut connaturale, veluti reduplicativè, scil. in quantum habet talem formam, aut ut illi substat, sicut aquæ calidæ, ut calida est,naturale est calefacere; & hic modus dicendi frequens est inter recentiores Thomistas. Mag. verò Catalam hic dub.7. existimat eundem esse cum illo Cajet., & quæst. inter hos Auctores non tam esse de re, quàm de modo loquendi &c.

1 Sed ut rem ipsam, & modum loquendi convanientiorem explicemus adverto primò ex eodem,quæstionem non esse, an visio in se absolutè dici possit naturalis, quia in se essentialiter intrinsecè secundum totam entitatem est supernaturalis, sed an resp.ctivè scil. ad intellectum existentem sub lumine super naturali dici possit aliquomodò naturalis, aut connaturalia, esto essentialiter in se supernaturalis sit.

II. adverto ad tria posse comparari visionem;primò ad essentiam, & entitatem intellectus existentis sub lumine, sic quòd terminus hujus respectus connaturalitatis intelligatur esse eadem essentia intellectus, quæ est sub lumine. Secundò ad lumen gloriæ sic quòd terminus ejusdem respectus intelligatur esse essentia luminis. Tertiò ad conjunctum ex lumine,& intellectu, sic quòd idem terminus intelligatur tertium compositum ex intellectu, & lumine utrumque includens in recto, sive illud sit unum per se, sive per accidens &c.

III. adverto tribus iterum modis posse conjunctio ex naturali potentia, & forma supernaturali actum dici connaturalem ab illo procedentem; primò, quia non excedit vim agendi talis conjuncti, sed ab ea procedit, ut à causa principali; Secundò, quia per formam intrinsecam, cui connaturalis est operatio, operatur ut se movens ad agendum suaviter, & cum facilitate, seu delectatione. Tertiò, quia operatio ejus non est suprà naturam alicujus ex partibus conjuncti, nec solùm forma, sed etiam potentia, quæ sub illa est, modo sibi connaturali agendi illam producit.

§. UNICUS.

Triplici Conclusione expeditur difficultas.

PRima. Quamvis respectu luminis sive sumpti in abstracto, sive in concreto, ut connotantis in obliquo, & includentis intellectum sit semper visio connaturalis, respectu tamen essentiæ intellectus esto in illo supponatur lumen semper est supernaturalis, sive fiat comparatio ad intellectum, ut ad principium activum, sive ut ad passivum, vel receptivum. Prima pars est certa, quia lumen est essentialiter supernaturale, ergo respectu illius quomodocunque sumpti nequit esse supernaturalis,sed connaturalia.

Secunda verò licet evidenter inferatur ex dictis suprà ad art.4.,in solutione ad 1., præterea prob., quia intellectus est adæquatè de ordine naturæ, itaut natura, & essentia ejus sit semper eadem, & naturalia ordinis essentialiter, ergo actus supernaturalis semper est suprà ejus naturam, quia intrinsecè repugnat actum, vel accidens supernaturale non esse suprà naturam subjecti naturalis.

Dices ut suprà, quòd cum accidens quodcunque sit, teneatur connaturaliter respicere aliquod subjectum,si velimus, quòd essentialiter sit entis ens, & respectu accidentis supernaturalis, nequeat per nos etiam de potentia absoluta assignari subjectum supernaturale, optimè poterit subjectum naturale, & consequenter essentia, & entitas intellectus esse terminus connaturalitatis respectu luminis.

Sed contra hoc est; tum quia, ut dicebamus; non omnia accidentia sunt propria, aut connaturaliter debita alicui subjecto, vel substantiæ; & hoc etiam admisso de accidentibus naturalibus; falsum tamen est de supernaturalibus; nam licet dicamus, ex quo sunt entis ens, indigere, & exigere aliquod subjectum, ut sibi

sibi debitum, non tamen ut proportionatum, & proprium, vel connaturale, aliàs supernaturalia non essent simpliciter, sed tantum secundum quid, sicut volare supernaturale dicitur respectu hominis; simpliciter tamen, & essent aliter est aliquid naturale. Tum quia licet iterum dicamus esse cuilibet debitum ex quo entis ens est, respicere aliquod subjectum, non tamen ut receptivum sui secundum naturalem illius potentiam, sed vel secundum naturalem, si naturale est, vel obedientialem, si supernaturale, ergo non tenentur omnia respicere illud tanquam terminum connaturalitatis; conf. tenet, quia terminus secundum potentiam obedientialem, non est terminus connaturalitatis, sed excessus, sive alicujus excedentis; ant. verò prob. Tum quia supernaturalia non educuntur de potentia naturali ejus. Tum quia visio in casu cum recipiatur in intellectu medio lumine ut principio quo receptivo, eadem potentia est mediatè receptivus visionis, qua est immediatè receptivus luminis, sed certum est, quòd secundùm solam obedientialem potest recipere lumen. Tum denique quia Deus non producit visionem cum intellectu informato lumine, ut Auctor naturæ, sed ut Auctor supernaturalis, ergo neque intellectus recipit visionem secundùm potentiam naturalem, sed secundùm obedientialem, & ex ista, eadem educitur &c.

Explic., & urg. totum hoc. Nam in rebus creatis triplicem potentiam receptivam distinguere solent Philosophi, scil naturalem, violentam, & obedientialem, sed in prima recipiuntur accidentia ejusdem ordinis, vel non excedentia, sive connaturalia, & in secunda, accidentia contraria, & repugnantia, sicut se habet calor respectu aquæ, ergo in tertia, qua nempe quodlibet agens, vel creatura subditur Deo in his, quæ non implicant, recipiuntur formæ, vel accidentia ordinis supernaturalis, & consequenter hæc respiciunt quidem subjectum, seu potentiam naturalem, non tamen, ut naturalis est, sed ut obedientialis, & subjecta Deo, seu capax recipiendi influxum agentis supernaturalis, &c.

II. Conclusio. Respectu conjuncti potest visio ratione luminis dici connaturalis duobus prioribus modis. Et hoc solum intendit Cajetanus: quoad primum patet, quia revera non excedit vim agendi conjuncti ex lumine, & intellectu.

Quoad 2. verò prob. quia juxta communem Theologorum sententiam, hoc est discrimen inter potentiam operantem, ut elevatam per habitum, & ut elevatam per actuale auxilium, aut motionem, quòd priori modo operator suaviter cum delectatione, ut se movens per intrinsecam formam ad operationem eliciendam modo perfecto, quo exigit fieri operatio, sed lumeo gloriæ, ut vidimus; est habitus, ergo visio est etiam secundo modo connaturalis conjuncto.

III. Concl. Non potest visio dici connaturalis respectu conjuncti tertio modo. Sequitur evidenter ex prima quoad secundam partem, & utrumque intendit docere Soto, nec negat tertium. §. Prob. deindè ratione ab eodem insinuata. Non potest operatio, aut modus operandi per formam esse connaturalis potentiæ, formæ illi non existente connaturali, sed supernaturali elevātę ad supernaturalē modum operandi, sed ita se habet lumen respectu intellectus, ergo nequit visio esse connaturalis conjuncto tertio modo, sive per connaturalem modum operandi respectu potētiæ, ma. patet quia modus operādi connaturaliter & supernaturaliter per elevationem pugnant respectu ejusdem, quia unus includit negationem alterius ergo, &c.

Expl., & urg hoc, nam quia soli albedini essentialiter convenit, ut quod disgregare visum, nequit hoc ipsum essentialiter convenire, cui non convenit albedo essentialiter, ergo cui non convenit essentialiter forma, quæ sola est principium connaturale quo operationis, nequit connaturaliter convenire operatio, ergo cum soli lumini conveniat esse principium quo connaturaliter videndi Deum, non poterit visio connaturaliter convenire, cui non convenit connaturaliter lumen, ergo cum istud nulli intellectui, aut principio intelligenti creato saltem de facto, connaturaliter conveniat, nulli eidem principio connaturaliter conveniet visio.

Hinc inferimus cum eodem M. Catalam convenientiorem esse modum loquendi Ferrariensis, cui etiam loco relato q. præcedenti favet Illustrіs. Godoij, nempè ut non concedatur visionem esse connaturalem intellectui habenti lumen, aut informato lumine absolutè, seu quasi specificative, sed reduplicative, ut habenti, vel ut informato, ut scil. reduplicatio involvat lumen ex parte termini ad quem respectus connaturalitatis, tanquam formalem terminum, & rationem, ob quam tali conjuncto dicitur connaturalis. Quod etiam satis indicat Cajetanus dum ait, habenti charitatem, ut sic quasi dicat, ut habenti, & non absolutè esse connaturale diligere Deum.

Argumenta, quæ fieri possent media distinctione in conclusionibus expressa facilè solvi possunt, imò reduci in earum favorem, ne diutiùs etiam, aut plus nimiò in his immoremur. Altera pariter difficultas promoveri posset; an scil. lumen gloriæ requiratur ex parte intellectus agentis, an ex parte possibilis, vel patibilis: Sed ob hanc etiam non vacat ulteriùs immorari, quia supposita sententia D. Tho. asserente intellectum agentem esse potentiam diversam à possibili, vel patibili, & munus illius tantum esse elicere, & recipere intellectionem, illius verò reddere, vel constituere intelligibile in actu objectum, per abstractionem specierum à phantasmatibus, omninò certum est tantum posse requiri ex parte intellectus possibilis, ut rectè docuit Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. ar. 3. ad arg. Aureoli contra secundam. Et sumitur ex D. Tho. quod lib. 7. q. 1. ar. 1., & de veritate q. 20. ar. 2. ad 5., & videri potest Gabrara 3. p. q. 9. at. 2. disp. 6.

QUÆSTIO DECIMA.

Utrum æqualitas, vel inæqualitas intensiva visionis ex sola æqualitate, vel inæqualitate luminis proveniat.

D. Tho. in ar. 6. hic suam statuit conclusionem nempè, quòd videntium Deum unus alio perfectiùs videat, quam probat primò in argumento sed contrà, quia vita æterna in visione Dei consistit juxta illud Io. 18. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c.* Sed in vita æterna non erunt omnes æquales ex illo 1. ad Corint. 15. *Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum &c.*, ergo non erunt omnes in visione Dei æquales.

II. in corp., supponendo tamen Deum perfectiùs videri ab uno, quàm ab alio non posse provenire ex hoc, quòd per speciem clariorem, aut perfectiorem videat, quia ut art. 2. ostendit, non videtur Deus per speciem creatam; sed ex hoc, quòd intellectus unius habeat majorem virtutem, & facultatem videndi, quàm intellectus alterius. Unde sic arguit. Facultas, aut virtus videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, ergo intellectus plus participans de lumine perfectiùs Deum videbit, sed plus participat de lumine, qui plus habet de charitate, ergo cum unus alio plus charitatis habeat; qui plus habet perfectiùs Deum videbit; mi. subsumpta prob., quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium videndi Deum, sed desiderium facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati, ergo. Hinc verò oritur difficultas, an ita ad incrementum luminis crescat perfectio intensiva visionis, ut ex sola mensura ejus attendenda sit quantitas ejusdem perfectionis. Sed quia valde confert ad plures alias in materia de prædestinatione, de beatitudine, & de gratia latè infra suis locis examinandas, placet quædam præmittere ad earum notitiam satis conducentia.

§. I.

Statuitur suppositum circa rectam intelligentiam Conclusionis D. Tho.

Suppono ergo sensum illius esse quidem posse aliquos perfectiùs videre, quàm alios, & de facto ita esse, non tamen quòd necessariò sit omnes inæqualiter videre, aut omnes de facto ita inæqualiter se habere in videndo; nam quamvis aliqui theologi (ut suppresso nomine refert hic M. Catalan in explicatione litteræ) asseverint omnes beatos de facto futuros inæquales in beatitudine; hoc tamen videtur omninò insubsistens, ut evidenter patet in infantibus baptizatis ante usum rationis decedentibus, quia cum certum sit; (ut idem efficaciter discurrit;) baptismum æqualem gratiam conferre adultis æque dispositis, nulla est assignabilis apparens ratio, ob quam ex infantibus dicatur aliis majorem, aliis minorem conferre, ergo omnes hi erunt æquales in beatitudine, quia hæc commensuratur gratiæ.

Similiter etiam infantes cum circumcisione ante usum rationis decedentes in veteri lege, inter se esse omnes æquales in beatitudine, ut certum est eadem ratione convincitur, licet non cum baptizatis, quia baptismus majorem confert gratiam, quàm tribueretur in circumcisione.

De adultis verò subdit idem Sapientiss. Magister, & si nulla afferri possit urgens ratio, ob quam aliquos inter se æquales esse dicamus, existimat tamen aliquos inter se æquales futuros in essentiali beatitudine, quia pares in merito, & gratia ex hac vita decedere verisimiliùs est, & saltem hoc esse possibile non potest rationabiliter negari: neq; relata auctoritas ex Apostolo *Stella differt à Stella* favet opinioni contrariæ, quia non asserit Apostolus, omnes stellas esse inæquales in claritate, & probabile est multas esse æquales. Et esto daremus omnes esse inæquales, non tamen tenemur idem affirmare de omnibus beatis; quia non dicit Paulus de omnibus ità futurum, ut differant sicut Stella à Stella; unde satis est ex eadem auctoritate excludere æqualitatem in omnibus.

Denique nec favet, quòd secundum communem consensum dicitur homines assumi ad reparandas Angelorum ruinas, quia ex hoc, ut plurimùm sequitur, tot homines saltim esse salvandos, quot fuerunt Angeli mali; non tamen non habituros, aut pauciores gradus gloriæ, quàm habituri erant Angeli si non peccassent; aut non esse salvandos plures homines. Nam plures fore salvandos, quam sint dæmones, verisimile existimat D. Aug. in Enrichid. c. 29, & D. Ansel. in Elucidario affirmat tot futuros homines beatos, quot sunt Angeli boni, vel beati, quos certum est longè plures esse, quam dæmones.

§. II.

Statuitur aliud suppositum contra hæreticos circa æqualitatem omnium.

Supponimus secundò ut certum de fide non omnes beatos futuros æquales in perfectione essentialia beatitudinis, & per consequens nec in visione Dei, quia vel in ista formaliter consistit beatitudo essentialis, ut docet frequentior, & probabilior opinio D. Th., vel esto formaliter in dilectione Dei consistat, ut voluit Scotus, visionem tamen includit ut radicem, & causam, nec potest dilectio Dei esse inæqualis, visione illius non existente inæquali, quia cum dilectio ex natura rei oriatur ex visione, ei commensuratur in intensione, & perfectione, quidquid sit modo in via, quòd dicatur posse Deum perfectiùs diligi, quàm cognosci, de quo D. Th. p. 2. q. 27. ar. 2. ad 2.

Hujus suppositi oppositum asseruit Jovinianus antiquus hæreticus contendens omnes beatos futuros æquales in beatitudine, ut refert Div. Hieron. lib. 2. contr. eundem. Quem etiam errorem suscitarunt Lutherani, ut refert Castro lib. de hæresib. V. Beatitudo hæresi 70., sed alio ducti fundamento, nam primus eo movebatur, quia cum stoicis putabat omnia merita, & de merita esse paria, & ideò inferebat omnia præmia æqualia esse futura. Posteriores verò moventur ex eo, quòd omnium fidelium Sanctitatem, & justitiam dicunt esse ipsam justitiam Christi extrinsecè eis imputatam, & ideò omnes esse æquè Sanctos, & futuros æquè beatos. Sed hoc fundamentum Lutheranorum damnat Concilium Trid. sess. 6. cap. 7. can. 10., & 11. & egregiè impugnat Soto lib. 2. de natura, & gratia c. 20. & Vega lib. 1. in Concil. per totum. Joviniani autem errorem, & fundamentum D. Hieron. loco relato, & D. Aug. tom. 6. lib. de Sancta Virginitate à cap. 19. usq; ad 26. & Abulens. Mat. 20. q. 24., de quo etiam agimus infrà de vitiis, & peccatis.

Definitum pariter est idem suppositum in Concil. Florent. sub Eug. 4. sess. ultima in litteris Sanctæ unionis, ubi de animabus justis, quæ nihil habent purgandum diffinitur; in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum ut in se est, tamen pro meritorum diversitate aliam alia perfectiùs, quibus verbis, & suppositum diffinitur, & fundamentum, quo ad illud probandum ex diversitate charitatis, (à qua pendet omne meritum) usus est D. Th. So-

Solet etiam probari variis scripturæ testimoniis, sed expressiora sunt duo; primum ex 1. ad corint. 3. *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum laborem*. Secundum Jo: 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; nam multas esse dictas per diversitatem, & inæqualitatem earum docent omnes Patres relati à recentioribus hic, & prima 2. qu. 5. ar. 2. ubi de inæqualitate beatitudinis in ratione præmii ex professo tractatur. Efficax est etiam, quod adducitur a D. Th. ex Apostolo, quia licet in eo de gloria, & claritate corporis expressè loquatur, eadem tamen est ratio de gloria essentiali animæ, quia claritas corporis est dos, quæ à beatitudine essentiali animæ derivatur ut effectus à causa, naturali sequela, & ideò ei commensuratur. Undè eandem inæqualitatem colligunt ibidem D. Hieron. ubi supra, & D. Aug. c. illo 26., Bernard. in Apolog. ad Guglielmum Abbatem ante medium; Beda, Chrysostomus, Theodoretus, & alii in eum locum Pauli. Denique probari etiam potest hæc veritas oppositis fundamentis, quibus nituntur hæretici, quia fide est merita esse inæqualia, ut ostenditur prima 2. q. 114., & unumquemq; per justitiam, & gratiam, vel sanctitatem intrinsecam esse formaliter sanctum, de quo ibidem, q. 113.

§. III.

Solvitur fundamentum Joviniani sumptum ex cap. 20. Matt.

Contra præcedens suppositum objiciebat pro suo errore Jovinianus parabolam operariorum vineæ Matt. 20., in qua dicitur operariis novissimis una hora laborantibus in vinea, & primis, qui portaverunt pondus diei, & æstus æqualem retributionem esse redditam nempè denarium, & si inæqualiter laborassent, sed illo denario significatur æterna beatitudo, ergo in illa erunt omnes æquales esto inæqualis sit labor in cultura virtutis in vinea Ecclesiæ.

Vasquez hic disp. 44. postquã c. 3. ex professo rejiciat interpretationes D. Th., & aliorum PP., deinde c. 4. ex proprio marte, (sed infeliciter) respondet ea parabola non significari præmium æternæ vitæ, aût ejus pro qualitate meritorum distributionem, sed donationem grãtiæ in præsenti vita, ejusque pro Dei beneplacito divisionem.

Sed hæc expositio præterquamquòd, ut constabit; est contra communem Patrum sententiam, & ideò omninò rejicienda, manifestum involuit absurdum in sana doctrina, nec ab ipso, nec ab ullo Theologorum admittendum, ut efficaciter opponit sæpè laudatus Magister Catalam. Nam denarius diurnus distributus operariis significat mercedem redditam pro labore, quam laborans suam fecerat, ut patet illis verbis. *Tolle quod tuum est, & vade*, ergo si denarius significat largitionem gratiæ, gratia est merces operis, & laboris, quod est semipelagianum. Deindè quòd in ea parabola significetur præmium æternæ vitæ pro labore reddendum docent Chrysostomus homil. 65. in Matth. Nazianz. orat. 40., quæ est in S. Baptisma, Hieron. ubi supra, & Epist. 146. ad Damasum non longè à fine., Aug. c. illo 26., & Serm. 59. de verbis Domini, Gregor. hom. 19. in Evang., D. Th. locis referẽdis, & unanimi cõsensu omnes PP. in eum locum Matt., ergo, non possumus: nec licet omninò Doct. Catholico ab hac expositione recedere, & vel maximè, quòd Conc. Trid. ad coercenda quorundam ingenia strictè in initio imponit, ne quis sacram Scripturam contra unanimem consensum PP. audeat interpretari, etiam si hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.

Quamvis verò prædictus Auctor in sequentibus non sibi constans, ipsa parabolæ narratione convictus fateatur denarii nomine mercedẽ æternæ vitæ significari, non tamen adhuc omninò salvat immunem à PP. recessum, qui solum affirmat operarios novissimos accepisse denarium vitæ æternæ, cæteris penitus à Regno Cęlorum exclusis; hoc autem non minus est contrà unanimem sensum PP., quam affirmare denarium non significare præmium vitę æternæ, quia omnes PP. affirmant primis, & novissimis reddendam esse mercedam vitæ æternæ, quod ex ipso contextu adeò est evidens, ut nisi velimus vim verbis parabolæ ab initio ad finem inferr. negari non possit, nam Procuratori dicit Pater familias. *Voca operarios, & redde eis mercedem incipiens à novissimis usque ad primos*, & de primis, sicut de novissimis dicitur, *acceperunt denarios singulos*, & fuisse pares factos omnes in mercede, & ob hoc murmuranti dixit Pater familias. *Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem huic novissimo dare, sicut & tibi*.

Sed resp. Vasquez hæc omnia intelligenda esse in sensu contrario; *ut acceperunt* idem sit, quòd non acceperunt; *Et pares illos nobis fecisti*: ac illos nobis prætulisti; *Et volo huic dare sicut, & tibi*, idem quod *volo hu c dare*, & non tibi, & *tolle, quod tuum est*; exponit tolle peccatum, quòd tuum est, & *vade* in æternam pęnam; aut certè; inquit; si non ità exponantur, dicendum esse hæc omnia ornatus causa tantum esse posita in parabola, & nihil referre ad contrarium sensum.

Verum quòd major pars verborum parabolæ, in quibus tota ejus vis consistit, nullum spiritualem sensum habeat, gratis. & contra communem sententiam dicitur; & si tot affirmationes, ut negationes in contrario sensu exponere liceret, nullum in Sacra Scriptura firmum argumentum haberi posset, ut seriò advertit idem relatus Magister, & deniqu illud *Tolle quod tuum est*: de peccato exponere, videtur aliud absurdissimum, quia illud jubetur tollere, quod pro labore in cultura vineæ acceperat à Patre familias, & de quo cum eo fuerat facta conventio, ut patet ex textu; hoc autem planè non est peccatum, sed merces. Undè satius illi fuisset cum D. Tho. in eum locum sic exponere. *Tolle*, quod ex promissione mea habes, *& vade*, in gloriam: subdit verò idẽ Angelicus, aliquos sic exposuisse. *Tolle, quod tuum est*; idest damnationem pro murmure, quam, (& si minus absurdam expositionem,) ait stare non posse, quia dicitur omnes accepisse denarium vitæ æternæ; fundamentum autem quod Vasquez sumit ex ultimis verbis parabolæ ad impugnandam sententiam PP., scil. *sic erunt novissimi primi &c.* Jam sibi objecerat, & solverat Chrysostomus homilia illa 65. post medium, & ejus solutionem paucis tradit Cajetanus ibi, & plures alii expositores.

Ad arg. ergo Joviniani supposita PP. sententia respond. cum D. Tho. p. 2. q. 5. art. 2. ad 1. & 3. contrà

tra gent. c. 58. & in eum locum Matt. per unitatem denarii, quem acceperunt omnes significari æqualitatem beatitudinis objectivæ, seu ex parte objecti, quæ consistit in hoc, quòd omnes vident totum Deum, ut in se est, cum quo tamen stat, quòd beatitudo formalis, scil. visio sit inæqualis, quia cum non omnes videant Deum totaliter, optimè potest esse inæqualitas ex parte videntis, & luminis, sic quòd unus alio pro meritorum diversitate perfectiori modo videat. Approbant expositionem D. Th. non solum ejus discipuli, sed communiter Scholastici dist. illa 49. & sumitur ex D. Hieron. lib. 2. contra Jovinianum c. 17. in fine & ex Euthim. in eum locum Matt., nam dicunt per unitatem denarii significari æqualitatem, quoad hoc, quòd est consequi vitam æternam, in quo omnes beati conveniunt, non verò quoad præmium, quod pro diversitate meritorum erit inæquale, quæ expositio solum differt ab illa D. Th., quia in ea nō explicatur in particulari, in quo cōsistat vita æterna, (quæ est æqualis,) & inæqualitas præmii; quam explicat D. Th. Favet etiam D. Aug. locis proximè relatis, & tom. 9. tract. 67. in Jo: asserens per denariū significari aliquod, quod omnes beati communiter habebunt, nempè vitam æternam. & regnum cœlorum, sivè ejus æqualitas constituatur in æternitate visionis, sivè in hoc, quod est possidere idem bonum; esse tamen diversas mansiones, & inæqualitatem in præmio, quòd sermone illo 59. duobus exēplis egregiè declarat, quæ si attentè legantur, ostendunt sensisse Aug. in præmio essentiali esse inæqualitatem in beatis, & non tantum in accidentali, ut imponit ei Vasquez illo c. 8. n. 19.

Sed contra hanc expositionem instat idem Vasquez cap. illo 3. n. 15. Quia in his, qui premium vitæ accipiunt nequit esse murmuratio, sed in parabola primi introducuntur murmurantes, ergo non acceperunt præmium vitæ æternæ. §. Sed resp. ex Chryso t. homil. relata 65., quem sequuntur Euthinius, Theofilatus, & D. Th. ibidem, fuisse primos introductos, ut ægrè ferentes fœlicitatem novissimorum, non ut ostenderetur invidiæ tabe morderi, sed ut daretur intelligi magnitudinem mercedis redditam ultimis tantam esse, ut primos ad invidiam, & murmurationem compellere posset si murmuratio, & invidia locum haberet in beatis. Additque Chrysostomus hoc esse valdè consentaneum communi modo loquendi, quo ad significandam magnitudinem beneficii, vel honoris exhibiti alicui, solemus dicere multos esse ad invidiam provocatos, estò in re non ità acciderit &c.

Sed adhuc non quiescit Vasquez iterum instans saltem negari non posse murmurationem esse introductam ad significandam admirationem ortam ex aliquo inopino, quod prætet spem accidit in redditione præmii, at si pro diversitate meritorum in visione, vel formali beatitudine fuisset inæqualitas præmii nihil insolitum, & præter spem accidisset admiratione dignum, quamvis ad æternam visionem ejusdem essentiæ Dei fuissent admissi novissimi, & in hoc pares effecti primis, ergo expositio videtur insufficiens &c.

Resp. negando mi., nam planè præter spem, & admiratione dignum videri potuit, quòd novissimi per omne spatium vitæ torpori, & otio dediti extrema vitæ hora ad culturam vineæ Dei gratia vocati, & momento veluti temporis laborantes pares in præmio essentiali effecti sint primis totius diei, & æstus pondus portantibus, adeò ut eandem æternæ gloriæ coronam, & mercedem cum illis recipere meruerint primi. An non magna admiratione dignum videri potuit Abrahæ, & aliis antiquis Patribus, & justis veteris testamenti, qui ad quadringentos, & plures annos in cultura virtutis laborantes, & adhuc non accepto præmio in lymbi carcere tenebantur inclusi, quòd latro è cruce ad percipiendam æternam mercedem simul cum illis sinè mora convolarit?, Qui etiam meritò primus accepisse dicitur estò simul cum illis; quia ut rectè ponderat August. sermone illo 59. de verbis Domini. Si interroges, quis ex duobus acceperit prior, qui post unam horā laboris, an quis post duodecim? Rectè responderetur prius accepisse eum, qui post unam horam, & si simul cum illo, qui post duodecim; nam dum citiùs, seu breviori intarvallo temporis accipit, priùs quodammodo accipere verificatur, estò simul accipiat. Undè idem S. Doctor de omnibus justis novi testamenti, (qui per novissimè vocatos etiam significantur) rectè in eodem sensu priùs dicuntur accipere mercedam, quàm acceperint justi veteris testamenti.

Præterquamquòd cumadhuc optimè stare possit, nō obstante præfata paritate inter primos, & novissimos in denario, seu beatitudine objectiva, quòd plures ex his etiam in formali beatitudine, & perfectione visionis non solum æquentur, sed etiam præferantur, ex eo quòd abundantiori Dei gratia, & efficaciori vocati breviori tempore laborantes plus meruerint, procul dubio magnam præter spem potuit primis causare admirationem &c.

Sed neque adhuc sistit prædictus author, nam contra hoc ultimum, quod sumitur ex Chrysostomo, opponit num. 17. Quòd si juxtà quantitatem meritorum fuisset facta distributio mercedis, non rectè dixisset Pater familias *an non licet mihi, quod volo facere*; sed respondisset ideò huic do, sicut & tibi, quia licet breviori tempore, non minus tamen laboravit.

Sed in hac objectione, inquit M. Catalam; ideò deceptus est, quia electionem ad gloriam putat non fuisse gratuitam ex beneplacito Dei factam, sed ex prævisis meritis; quod ut egregiè ostendit idem Magister infra q. 23. ad ar. 5. est contra PP. communem sententiam, de quo nos etiam latè ibidem.

Sed deindè dato etiam in primis, quòd electio ad gloriam præsupponeret præscientiam meritorum, adhuc objectio est omninò insubsistens, & ab eodem solvenda, quia fide certum est electionem ad gratiam pro Dei beneplacito gratis fieri, & ex electione ad majorem gratiam provenit, quòd aliquis breviori tempore majora, aut pauciora merita habeat, undè non posterius responsum, quod tradit Vasquez; sed omninò primum sustinendum est, scil. sumptum ex sui beneplacito, quòd liceret sibi pro eodem facere, quod volebat.

Pro omnibus ergo dicimus primò rectè Patrem familias æqualitatem, & inæqualitatem mercedis ad sui beneplacitum reduxisse, ut primam radicem ostēderet, quia licet æqualitas, & inæqualitas præmii correspondeat proximè æqualitati, & inæqualitati meriti, propter quòd in executione datur, utraque tamen ut à prima radice oritur ab æterna Dei electione, qua pro sui beneplacito æqualem, vel inæqualem gloriam decrevit dare,

Se-

Secundò dicimus, quòd licet hęc prior electio ad gloriam gratuita non esset, sed ex prævisis meritis; gratuita tamen est ut fatemur omnes, posterior ad gratiam, & quia magnitudo meriti provenit etiam ex hac electione ad majorem gratiam, ut ad sui radicem & non ex quantitate temporis, aut laboris, rectè semper ad Dei beneplacitum refertur ut ad primā radicem ęqualitas, vel inęqualitas pręmii, ut sic magis innotesceret intentio Christi in parabola, nempè ad ostendendum ęqualitatem, aut inęqualitatem meriti non esse tantum, aut pręcisè pensandam ex antiquitate vocationis, aut diuturnitate laboris, quia ex largiori dono gratiæ pro beneplacito Dei ęquari possunt novissimi primis, & etiam pręferri.

§. III.

Statuitur conclusio.

ÆQualitas, & inęqualitas intensiva visionis ex sola luminis ęqualitate, & inæqualitate provenit, ità ut neq; intellectus supremi Angeli perfectiùs intensivè Deum videbit, quàm intellectus infimi hominis, nisi intensiori lumine informetur, & hic informatus lumine intensiori, perfectiùs intensivè videbit Deum. Concl. sic explicatam docent jam communiter Thomistę Ferrara 3. cont. gent. c. 58. §. *resp.* Soto in 4. dist. 49. q. 3. ar. 2. post solutionem 3., Alvarez 3. p. q. 10. ar. 4. & disp. 63. de auxiliis; M. Catalam hic dub. 2. ad ar. 6. concl. prima, Bannez, Zumel, Gonzales, Navarrette, Medina p. a q. 3. ar. 2. & Cabrera 3. p. q. 10. ar. 4 disp. 2., M. Ferre hic q. 8. §. V., Illustriss. Godoii disp. 20. §. 3. n. 50. & eq. - A S. Th. disp. 15. ar. 6. Gonet disp. 2. de lum. ar. 8., & alii in hoc art. 6. Et licet Cajet. 3. p. ibidem videatur oppositum docere, nec sinè fundamento apparenti; nihilominus Alvarez ibi, & de auxiliis affirmat aliam esse mentem Cajet., nec contrariam cęteris Thomistis. Quod ut explicet, notat unam cognitionem dupliciter posse esse alia perfectiorem, primò intrinsecè, quia in sua entitate est intensior, sivè in claritate, & evidentia, sive in certitudine: secundò extrinsecè tantùm ex parte suppositi, à quo elicitur, aut ex parte subjecti, in quo recipitur; & in hoc sensu illa cognitio perfectior dicitur, quæ recipitur in subjecto perfectiori, vel quæ elicitur à supposito nobiliori; in quo sensu dicit Th. p. 2. q. 4. ar. 5. in corp. quòd post resurrectionem anima beata unita corpori, visio tunc erit perfectio, quàm nunc sit, certum est tamen nō futuram intensiorē, & ideò nec perfectiorē intrinsecè. Dicit ergo Alvarez, Cajet. solum docere visionē à perfectiori intellectu, & supposito v.g. angelico elicitam secundo modo perfectiorem esse elicita ab humano, esto lumen æquale sit, sed non concedere, quòd sit intensior, aut perfectior intrinsecè, & eodem sensu concedere perfectiorem intellectum cum æquali lumine perfectiùs videre Deum, quæ interpretatio, subdit M. Catalam, acuta est, nec displicet.

Tenent etiam hanc sententiam ex societate Suarez, Vasquez, Arrubal, Torres, Fasolus, & alii, contrà Scotum in 3. dist. 12. q. 3., & in 4. dist. 50. q. 6., Majorem ibi q. 10., Gabrielem par. 2. ar. 3., Durand. in 3. dist. 14. q. 1., & Molinam.

Sed pro intelligentia adverto triplicem inter visiones considerari posse inæqualitatem. Prima est essentialis cōsistens in diversitate essentiali specifica, de qua an detur, vel possibilis sit q. sequenti. Secunda, extensiva, vel ex parte objecti in eo consistens, quòd plura, vel pauciora objecta attingantur, de qua ar. 8. Tertia, intensiva consistens in majori, aut minori intensione, & perfectione graduali visionis, quæ ex parte principii exigit majorem influxum, & conatū & etiam perfectiori modo videri divinam essentiam. In quo vero consistat modus hic perfectior visionis essentiæ explicatur infra ar. 7. & 8. De tertia modo statuimus in conclusione, quòd scil. intensio major ex sola quantitate luminis attendenda sit, itaut stante æquali illius intensione non possint visiones esse inæqualis intensionis, non obstante quacumque majori perfectione, & virtute naturali intellectus.

Sumitur ex D. Tho. 3. relato ex contra Gent. ubi ratione prima, expresse ait, quòd secundum modum luminis gloriæ necesse est esse modum visionis. Et in hoc ar. docet eum, qui plus habet de lumine, perfectiùs videre Deum, quod tamen verificari non posset, si ex naturali perfectione intellectus perfectiùs cum æquali lumine videretur, quia jam perfectiùs videret, qui non haberet plus de lumine, imò & posset, qui minus haberet de lumine, perfectiùs, aut æque perfectè videre, si supremo intellectui minus aliquid conferatur de lumine, quàm infimo, quia ob summam sui naturalem excellentiam, & efficaciam, vel perspicaciam, aut excessum istius, si semel hæc confert ad majorem perfectionem intensivam visionis, superabit, vel æquabit illam infimi, esto in isto sit aliquis excessus luminis; Nec enim assignari potest sufficiens ratio, ob quam minimus iste excessus in lumine compensari non possit à summo, quem habet in naturali perfectione supremus supra infimum, supposito quòd hæc conferat ad eandem perfectionem visionis.

Deinde non solum in corp., & in solutione ad tertium apertè excludit naturalem virtutem intellectus dicens. Diversitatem, aut inæqualitatem videndi non esse futuram ex parte objecti, neque ex parte speciei, sed per diversam facultatem intellectus non naturalem, sed gloriosam.

Quòd si dicas cum Molina, D. Tho. non dicere inæqualitatem provenire ex lumine, sed ex facultate gloriosa, quasi per facultatem gloriosam non intelligat solum lumen, sed aggregatum ex naturali facultate intellectus, & lumine.

Contra hoc est primò; quia cum expresè excludat naturalem facultatem ibidem, & in corp., ad quod se refert, nullum omninò relinquit fundamentum dubitandi, quòd velit ex naturali facultate provenire inæqualitatem visionis.

Secundò: quia si hoc modo intelligatur solutio, non satis facit argomento, nam si non solū ex parte luminis, sed ex parte etiam naturalis perfectionis intellectus concederet provenire inæqualitatem visionis, planè admitteret beatum, cujus intellectus est perfectior, perfectiùs videre, quod tamen in argumento ait esse inconveniens non admittendum ex eo, quòd hominibus promittatur in beatitudine æqualitas Angelorum Unde etiam in ar. 7. solum excessum luminis reduplicat in inferēda perfectiori visione, dicens versus finem corp. *In tantum intellectus creatus perfectiùs, vel minus perfectè divinam essentiam cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.*

Ratione prob. à priori insinuata à D. Tho. in ar. Intel-

tellectus creatus de facto non potest naturali virtute videre Deum sed indiget elevari lumine gloriæ; nam de fide est, quòd Deum de facto videre non potest sine lumine, ut definitum est in Concilio Viennensi, & prob. supra ar. 4. & 5., ergo nec de possibili videre poterit sine perfectiori lumine, probat. conseq., ex eo de facto secundum fidem non potest, quia videre est supernaturale, sive excedens naturalem virtutem, aliàs non esset necessitas luminis, sed non minus supernaturale est perfectiùs videre, quàm videre, cum perfectius videre superaddat excessum videndi, sivè sit incrementum excessus, sive quid additum intra lineam, & perfectionem videndi, ergo si nequit juxta fidem haberi visio, vel videre sine lumine, nec poterit haberi perfectiùs videre sine perfectiori lumine. Vis hujus conseq. fundatur in regula illa dialectica sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, quæ ab omnibus admittitur, seu veram fatemur omnes, si fiat comparatio inter eadem extrema, & juxta idem genus causæ, ut revera fit in casu. Unde semel Bononiæ Viro egregio, & satis docto, & nunc ob eximia sui merita Episcopo Naulensi adeo visa est efficax, ut licet pro subtilissimo sui ingenio, ac pro viribus occurreret, nihilominus experimento novit, efficaciam ejus adæquari non posse.

Explicatur, & Urg. hoc. Intellectus juxtà Concilium, & fidem non potest Deum videre sine elevatione, ergo nec potest perfectiùs videre sine perfectiori lumine, prob. conseq. sistendo eidem regulæ. Sicut non potest videre sine elevatione, nec potest perfectiùs videre sine perfectiori elevatione, cum quia ut dictum est, non minus supernaturale est perfectiùs videre, quàm videre, unde sicut requiritur elevatio ad videre, perfectior elevatio erit necessaria, ad perfectiùs videre, sed nequit haberi perfectior elevatio sine perfectiori lumine, cum istud, ut determinat Concilium sit virtus elevans, ergo non potest perfectiùs videre sine perfectiori lumine &c.

Expl., & Urg. ulteriùs. Elevatio ad videndum secundum Concil., & fidem non habetur à natura sed à lumine, unde statuit, quòd istud sit virtus elevans, ergo sicut secundum idem Concil., & fidem requiritur elevatio, ac proinde lumen ad videndum, pariter erit necessaria perfectior elevatio, ad perfectiùs videndum, & consequenter perfectius lumen, ergo nunquam dabitur perfectior visio, sine inæqualitate luminis. Omnes istæ consequen. fundatæ in Cōcilio juxtà meritū supernaturalitatis visionis, & in superiori regula dialectica, sunt rectissimè illatæ, nempè. Non stat videre sine elevatione, & sine lumine, ergo nec stabit perfectiùs videre sine perfectiori lumine, & elevatione, cum nō sit minus supernaturale perfectius videre, quā videre, nec detur perfectior elevatio sine perfectiori lumine, ergo impossibilis erit major perfectio visionis sine majori perfectione luminis cum solo excessu in perfectione naturali intellectus, & consequenter nunquam poterit componi major perfecto visionis, cum æqualitate luminis.

His consequentiis, sive argum. facto cum suis confirmationibus non video, quomodo occurrere possint, nisi dicant majorem, aut perfectiorem elevationem ad perfectiùs videndum posse esse à natura, cum sit hæc necessaria, ut vidimus, ad perfectiùs videndum, quod tamen sanæ doctrinæ non congruit, & est immediatè contra Concil., nam eadem facilitate dici posset quòd etiam elevatio ad videndum haberi possit ab illa, cum non minus supernaturale sit, ut sæpè dictum est, perfectiùs videre, quàm videre, ergo si non obstante excessu supernaturalitatis in hoc, quod est perfectiùs videre, posset haberi elevatio à natura ad perfectiùs videre, posset à fortiori haberi ad videre. Undè esto daremus, quam contendunt, ut vidimus; partialem virtutem in eadem natura, non tamen adhùc suffragaretur ad habendam visionem, perfectiorem in perfectiori intellectu sine perfectiori lumine, cum sit insufficiens ad dandam elevationem ad perfectiùs videndum necessariam.

Quidquid sit, quòd si semel concurreret intellectus perfectior partialiter ex propriis, cum æquali lumine, teneantur in hac sententia asserere, quòd non sit à solo lumine, tunc inæqualitas visionis, ut aliqui adhuc contendunt, sed immeritò, quià effectus tenetur crescere ex omni parte, ex qua crescit influxus causæ, ergo licet tunc non cresceret visio ex parte luminis teneretur tamen crescere ex parte intellectus perfectioris, perfectiùs ex propriis influentis, licet revera tunc simul cresceret, quia teneretur ex hoc capite; & aliàs non cresceret, scil. ex defectu præfatæ elevationis, quod implicat. De quo M. Io. à S. Th. in 2. probatione concl., & Mag. Ferre §. 8.

Rem ducamus ad praxim ponendo duos beatos cum æquali lumine, sed alterum excedentem in perfectione naturali intellectus. Tunc inquiro ab adversariis asserentibus hunc posse adhuc habere perfectiorem visionem, an iste habeat hanc perfectiorem visionem ex majori, aut perfectiori elevatione habita à lumine, aut à natura, sive ab intellectu ex propriis sic excedente, primum dici non potest, quià lumen est æquale, ergo erit à natura, quod ut vidimus, Concilio, & sanæ doctrinæ repugnat.

§. IV.

Ratione à posteriori prob. Conclusio.

Secundò prob. principaliter quasi à posteriori ab inconvenienti. Si aliundè haberetur etiam inæqualitas ex naturali perfectione, sequitur ex duobus habentibus æqualia merita, & gratiam unum altero perfectiùs videre Deum, sed hoc est error in fide, quià de fide est pro diversitate meritorum, & gratiæ perfectius, vel non ita perfectè videri Deum, ut constat ex Concil. Florent. superius relato, ergo, probat. sequela, quia si semel supremus Angelus haberet æqualia merita, & gratiam cum Io: Baptista perfectiùs videret Deum, utpotè habens æquale lumen, & intellectum longè perfectiorem, undè ex majori naturali perfectione perfectiùs videret, ergo, &c.

Huic arg. conveniunt omnes in negando sequelam, sed in solvenda ejus probatione divisi sunt, nam aliqui dicunt in eo casu non esse tribuendum à Deo æquale lumen gloriæ habenti intellectum perfectiorem, sed in tanta minori intensione, in quanta esset necessarium ad producendam visionem non excedentem ob excessum naturalis perfectionis intellectus. Non enim reputant inconveniens, quòd luminis intensio non conferatur ad mensuram intensionis gratiæ, & quantitatis meritorum, quià proprium præmium meritorum est visio beata, lumen verò tantum tribuitur, ut principium necessarium ad visio-

fionem, undè non tribuitur tanta mensura luminis in patria, quanta præcessit meriti in via respectu visionis, sed quanta requiritur ad eliciendam visionem proportionatam meritis, &c.

Hanc solutionem refert Vasquez disp. 47. cap. 6., dicitque esse sufficientem ad vitandum inconveniens argumenti. §. Sed in primis hæc solutio videtur manifestè repugnantia asserere, nam licet diceremus lumen non cadere immediatè sub merito viæ, sed tantum visionem, adhuc tamen confertur, & conferendum est, quantum est necessarium ad visionem eliciendam, nisi velimus visionem elici sine proportionata elevatione, quod est impossibile, ut dictum est, & contrà Concil. Viennen., ergo sive lumen cadat, vel non cadat sub merito, tenentur asserere, vel quòd sit tantum lumen, quanta sunt merita; vel quòd neque visio reduplicativè, ut correspondens meritis tanta sit, quanta eadem merita, quod est contra alterum posterius Concil. Florentin., ubi in decreto Sanctæ unionis (ut vidimus) statuitur, quod *Beati intuentur clarè ipsum Deum Trinum, & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectiùs videt*.

Ex quo impugnatur 2. sic. Non potest diminui lumen, (cadat, vel non cadat immediatè sub merito) nisi diminuatur visio, cum sine elevatione luminis haberi non possit, ut patet ex superiori Concil., ergo si in casu ad vitandum inconveniens diminuitur lumen, visio ut habenda ex meritis non est tanta, quanta sunt merita, quod videtur apertè contrà Concil., nam licet superaddita quantitate ex parte perfectionis naturalis intellactus, dicatur fieri æquatio (quam tamen vidimus esse impossibilem, cum crescere nequeat sine elevatione) non tamen fit ex vi meritorum, ut intendit Concilium, loquens proculdubio in sensu formali de illis, & non materialiter, aut concomitanter, vel connexivè ad perfectionem naturalem intellectus, imò decrescit juxtà solutionem intrà idem forum gratiæ, ut salvetur augmentum intra forum naturæ, & removeatur excessus inconvenientis adducti stante æqualitate meritorum, &c.

Expl., & Urg. hoc. Hæc est vera, & prioris Côcilii. *Visio non habetur sine elevatione luminis*; Similiter hæc vera est, & Concilii posterioris; *Pro diversitate meritorum habetur diversitas, vel inequalitas visionis*. Sed solutio data utramque destruit, ergo est nulla, prob. mi. quia ex quo in intellectu perfectiori diminuit lumen ne detur excessus illius comparativè ad illam intellectus imperfectioris stante æqualitate meritorum; facit decrescere visionem prioris intellectus corralativè ad influxum, vel quantitatem meritorum, aliàs excederet illam intellectus posterioris, ut per se patet, quia nisi decresceret ex hac parte, jam haberet eandem quantitatem intensionis, quam habet alia, cum supponantur merita æqualia, & insuper haberet quantitatem ortam ex ma. perfectiona naturali, undè manifestè haberet excessum supra illam, sed eo ipso quòd facit decrescere comparativè ad merita, manifestè destruit hoc, quod est haberi secundum quantitatem influxus meritorum, quia licet ut dicebamus, prout diminuit ex una parte, & facit crescere ex alia salvet materialiter haberi in tanta quantitate, in quanta sunt merita, non tamen formaliter, in quanta sunt influxus eorum, quia influxus eorum formaliter, sunt in tanta, in quanta sunt influxus meritorum alterius Beati imperfectioris intellectus, quod est formale, & propriissimum intentum Concili, nempè de tantitate, aut quantitate formali influxus eorum, ergo similiter ex quo iterum facit crescere ex eadem majori perfectione intellectus, sine augmento, imò cum diminutione luminis, apertè facit crescere sinè elevatione, imò cum diminutione elevationis, cum elevatio habeatur per lumen, ut dictum est, & patet ex Concilio, ergo manifestè videtur repugnare definitioni utriusq; Concilii.

Tertiò etiam principaliter impugnatur, quia per se absurdum est, & incredibile Deum privare aliqua quantitate luminis babentem plura merita ex hoc præcisè, quòd perfectiorem habeat intellectum, aliàs ei ob eadem merita collatarum talem quantitatem, si intellectum perfectiorem non haberet, quia cum lumen gloriæ sit maxima perfectio, & decus supernaturale intellectus, deterior conditio esset in beatis habere intellectum perfectiorem, quàm non habere; si propter illum deberet privari tanto decora supernaturali, vel minorem accipere; essetque naturalis perfectio obex, & impedimentum ad recipiendam supernaturalem, quo quid absurdius? ergo &c.

Quartò, quia cum augmentum gratiæ, cæterorumque habituum supernaturalium conferatur in præmium juxtà proportionem meritorum, sine fundamento negatur solum da lumine gloriæ; undè magis aligi videretur detrahêdum esse gratię, aut dono ejus, excellentissimo, quod sibi convenit, vel quod illi sinè fundamento negatur, scil. esse præmium, & coronam meritorum, quam detrahendum naturæ, quod sibi non convenit, ut efficaciter probatum est; nempè conferre ad majorem perfectionem visionis, quod iterum fauæ doctrinæ repugnare videtur, ergo &c.

Quintò quia neque illa major perfectio esset præmium meritorum, siquidem non procederet ex aliquo dono gratiæ, sed ex vi naturalis perfectionis, ut quid debitum illi, supposito quocunque lumine, quia quocunque supposito, minoribus, aut nullis præcedentibus meritis haberetur ille idem gradus perfectioni naturali correspondens, si semel velimus haberi, ex vi, vel merito illius.

Ultimò tandem, quia negari non potest habentes æqualia merita, & charitatem in via, habitutos etiam æqualem charitatem in patria, quia ut dicitur primę Corint. 13. charitas nunq; excidit, sed tota modo habita in via perseverat in patria, ergo sicut Angelus cum æquali lumine Deum perfectius videret Deum, pariter cum ęquali charitate perfectius illum diligeret, quia perfectiorem habet voluntatem, (sicut & intellectum, cum autem tales actus in patria sint necessarii quoad exercitium, & specificationem, utpotè circa objectum, in quo est omnis ratio objecti, manifestè ut patet, eliciuntur à potentia, seu voluntate secundum totum posse. ergo adhuc non evitatur inconveniens argumenti, quòd stante æqualitate meritorum, unus sit beatior alio, sive habens perfectiorem beatitudinem, & majus præmium non commensuratum quantitati meritorũ, probatur hæc conſ., quia qui plus diligit, & gaudet in patria beatior est, & sicut confertur visio. pariter conferuntur hi actus, ut præmium meritorum, undè nec est minus inconveniens non commensurari eosdem quantitati meritorũ, quàm visionem.

Secundò Resp. Molina, disp. 2. ad ultimum conceden-

dendum esse dari æquale lumen habentibus æqualia merita, sed negat deinde, quòd habens intellectum perfectiorem sit perfectiùs visurus Deum, quia Deus, inquit; majorem illam vim naturalem intelligendi perfectioris intellectus supplet tanto majori influxu immediato in visionem concurrens cum intellectu imperfectiori, quantus requiritur, ut visiones sint æquales, & eodem modo, ait, supplere defectum naturalis perfectionis voluntatis, ut dilectio, & gaudium æqualia sint.

Sed hanc solutionem æquè impugnat superior quinta replica contra primam adducta, quia admittit ex vi naturalis perfectionis haberi gradum gloriæ non correspondentem meritis, & gratiæ contra illud ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Nam perfectiori intellectui dat gradum sibi correspondentem non præcisè merito viæ, & gratiæ, quem deinde ut adæquet intellectus imperfectior, fit recursus ad majorem influxum Dei respectu istius.

Secundò impugnatur, quia hic major concursus, vel est debitus naturali virtuti intellectus imperfectioris, vel lumini, vel neutri, sed tantū confertur à Deo præcisè ad hoc, ut elevet illum ad parificandam, vel æquandam visionem, sed nullum ex his dici potest, ergo gratis assignatur hic major concursus., prob. mi. de primo quidem, quia concursus supernaturalis nec est proportionatus, nec debitus virtuti naturali; & licet etiam admitteretur esse debitum illi, æqualis saltem, immò major esset debitus virtuti naturali perfectiori, quia quò perfectior est activitas causæ secundæ, perfectior ei debetur concursus concomitans Dei, & de facto tribuitur juxtà suavem Dei providentiam, quia non subtrahit Deus concursum debitum causis secundis, cum eas instituat ad operandum, & sinè tali cōcursu operari non possint, ut fatemur omnes, ergo: de secundò vero, quia aliàs esset etiam debitus utriq; intellectui, cum sit æquale lumen in utroq; & ideò re ipsa daretur utriq; ob rationem proximè assignatam, ergo: de tertio deniquè, quia quòd causa secunda elevetur ad agendum per concursum specialem immediatum ad operationem, vel est omninò impossibile, ut sepè alibi ostensum est; vel saltem non est modus elevandi accommodatus ad hoc, ut operatio fiat modo perfecto, & connaturali: prout sic enim ad perfectam operationem fit elevatio per habitum infusum, & non per puram motionem, aut aliqu.d purè fluidum etiam in via, ut modo etiam suppono, in bona Theologia, & alibi ostensum est, ergo minus erit modus accommodatus elevandi in patria ad supremam, vel perfectissimam omnium operationem, qualis est visio, vel amor, ac proindè nullo modo ibi admittendus &c.

Tertiò impugnatur solutio opponendo illi alia via Conc. Florent., quia juxtà illam verificari nequit quòd pro diversitate meritorum, unus alio perfectiùs videat, ut diffi .it Conc., ergo non est admittenda, prob. cons., quia dum diffinit Concil. pro diversitate meritorum unum alio perfectiùs videre, vel est sensus, perfectionem visionis cujuslibet beati commensurari gratiæ, & meritis, quæ habuit invia, ità ut nec minor, nec major sit; & hic sensus contradictoriè pugnat cum solutione, quia hæc docet visionem esse perfectiorem lumine, cum faciat eam crescere in uno ex vi naturalis perfectionis intellectus, & in altero ex vi majoris concursus, cum tamen lumen æquale sit gratiæ, & meritis, ut solutio concedit: vel sensus est visionem unius non excedere nec excedi ab alia in perfectione, nisi secundum quod gratia, vel meritum unius excedit, vel exceditur à gratia, vel merito alterius, idest, nec plus, nec minus esse perfectiorem visione alterius, quàm gratia, & meritum unius excedat gratiam, & meritum alterius; sed neque in hoc sensu verificari potest admissa doctrina solutionis, quòd ex alio capite attendi possit hæc inæqualitas, ut statim declaratur ergo &c.

Explic. hoc, & simul prob. hæc mi. deducendo ad praxim; & supponamus Supremum Angelum excedere in naturali vi intelligendi tribus gradibus hominem alias sibi æqualem in gratia, & meritis, v. g. D. Joannem. Hunc verò in eadem vi naturali esse æqualem D. Paulo, & in uno tantum gradu excedere illum in merito, & gratia, vel è converso D. Paulum excedere in hoc gradu D. Joannem, quod non solum non repugnat, sed de facto ità esse potest; tunc fit argumentum. Supremus Angelus haberet visionem perfectiorem, & intensiorem tribus gradibus ex vi naturalis perfectionis, quàm sit lumen gloriæ, ergo ne, D. Paulus, vel D. Jo: habens æqualem gratiam, & merita cum supremo Ang. esset ei inæqualis in visione daretur ei visio ex vi prædicti specialis concursus tribus gradibus superans propriam gratiam, & merita, ergo perfectio visionis unius ex his prout sic excedeter tribus gradibus visionem alterius, ergo supposito, quòd alter excedit alium in uno tantum gradu gratiæ, & meriti, jam perfectio visionis ejus esset major visione alterius duobus gradibus, plusquam gratia, & merita illius excederent gratiam, & merita alterius, quod est contra definitionem Concilii.

Expl. ulterius totum hoc, ut manifestè constet non posse hanc solutionem componi cum diffinitione Cōcilii. Nam supposita duplici præcedente comparatione, altera v. g. D. Pauli cum Supremo Angelo secundum æqualitatem in gratia, & meritis, & inæqualitatem in naturali perfectione intellectus trium graduum, altera verò cum D. Jo: ex opposito secundum æqualitatem in naturali vi intelligendi, & inæqualitatem in uno gradu gratiæ, & meriti; tunc tenemur asserere juxtà solutionem, quòd in priori comparatione Angelus ex vi naturalis perfectionis excedentis in tribus gradibus, habeat tres gradus supra proprium lumen, & super perfectionem naturalem D. Pauli, & huic fiat compensatio trium graduum ex vi specialis concursus, ne ejus visio sit inæqualis visioni Angeli; At hoc supposito nempè horum trium graduum compensatione, & altero excessu unius gradus propriæ gratiæ, & meriti supra illam Jo: manifestè infertur, quòd visio ejus duobus gradibus excedat illam Jo:, plusquam gratia, & meritum exigat supra illam Jo: ergo non assignatur inæqualitas, & diversitas visionis secundum diversitatem gratiæ, & meriti, ut statuit Concilium.

Præterquamquòd stando adhuc in priori comparatione estò dicatur fieri compensatio, semel tamen aliundè habito excessu, vel inæqualitate visionis, non habetur pro diversitate meritorum, sivè quod idem est, pro exigentia eorum, ut intendit Concilium, nam attenta eorum exigentia haberi nequeunt gradus illi excedentes, & solum exacti ex vi naturalis perfectionis, aliàs merita illa exigerent, quod sibi nō debetur, & procul dubio mens Concilii est, quòd tota visionis inæqualitas proportionetur diversitati, vel inæqualitati meritorum, alias videretur diminute

pro-

procedere dum diffinendo rem tam magni momenti in materia fidei, omitteret pro illius dignitate eam manifestare.

Urgetur hoc ipsum, & iterum prob. concl. Nam dum Concilium hoc motivum inæqualitatis visionis assignat scil. diversitatem meritorum, & consequenter luminis infusi ad mensuram eorum, & nullum aliud alibi assignatur sivè in scripturis, sivè in Conciliis, sivè in Patribus legitimè colligi potest:) immò potius ex scripturis, scil. ex illo *in lumine tuo videbimus lumen* & juxtà definitionem alterius Concilii Viennensi solam diversitatem luminis rectè colligi, ut integrum motivum arguendo nempè secundum regulam dialecticam, ut in priori ratione:) tenemur asserere nullum esse aliud assignabile, quia licet argumentum ab authoritate purè negativum, ut dictum est, non sit tantæ efficaciæ, secus verò, quando fundatur in positivo, & præcipuè in materia fidei, vel morum, ut contingit in casu, nam fundatur super hanc affirmativam, (ut idem in similibus dicimus de scripturis) Concilia instruunt nos sufficienter, seù non deficienter in his materiis, in quibus agitur de dispendio animæ, & à fortiori Sacræ Scripturæ, ergo si semel pro motivo inæqualitatis assignat diversitatē meritorum, & nullum aliud alibi legitimè colligi potest, tenemur hoc solum assignare aliis exclusis: qua ratione in simili arguimus, quòd solum Verbum sit incarnatum, quia de illo expressè affirmat Scriptura Jo: 1., & nullibi aliàs fit mentio de Persona Patris, & Spiritus Sancti: nam quamvis dicamus, non negare de istis, quia tamen non affirmat, sed tantum de Verbo, & aliàs sufficientissimè instruat, & nullo modo deficienter, rectè contendimus Incarnationem de solo verbo.

Adde, quod hæc etiam solutio deficit in eo, quòd facit crescere visionem sinè elevatione, ex qua parte crescit ex vi naturalis perfectionis.

Dices tertiò rationi factæ, sicut & his omnibus præcipuè quoad vim Concilii; non debere generaliter intelligi in quacunque comparatione, sed solum supposita æqualitate in natura, non si alter sit Angelus, & alter homo: quod videtur etiam colligi ex eo, quòd expressè loquatur ibi de animabus justis, de quibus erat controversia, an statim post ingressum in cœlum, Deum clarè intuerentur, an solum post diem judicii reassumpto corpore, undè de illis, ut supra diffinit dicens in Cœlum *mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum unum, & trinum, ut in se est, tamen pro meritorū diversitate aliam alia perfectiùs*. Eccè quòd loquatur apertè de animabus Sanctis, quæ nihil habent purgandi, has autem omnes constat esse ejusdem conditionis in natura.

Sed contra hanc etiam solutionem militant iterum omnes superiores replicæ, & prima etiam ratio, nam licet ita sit, quòd specialiter loquatur de animabus justis, de quibus contrà ortam controversiam determinat statim ac recipiuntur in CœlumDeum clarè videre, alterum tamen generaliter diffinit, scil. quoad modū videndi, quod pro meritorum diversitate una alia perfectiùs videat, quæ propositio, ut potè doctrinalis, assignat rationem communem omnibus beatis adultis, nam sivè sit Angelus, sivè homo planè ex natura non habet quod Deum videat, sed ex lumine, & elevatione, ut dicit alterum Concilium, ergo ut rectè inferebamus, omnes habebunt sivè Angeli, sivè homines, quòd ex majori lumine, & majori elevatione, tam de facto, quàm de possibili ex solo lumine orta, vel oritura, (nisi velimus ad Pelagianos declinare:) unus alio facta quacunq; comparatione perfectiùs videat. Ex qua etiam legitimè alia posterior definitio Concilii Florent. infertur, quòd ad diversitatem meritorum, hæc inæqualitas videndi referenda sit, & quidem tanq; ad causam, vel rationem adæquatam, ut hactenus assensum est; quia secundum hanc solam habitudinem, vel mensuram ad istam confertur lumen, sivè conferatur, vel meritum, sivè ex necessitate ejus, ut principii ad videndum, ut dicunt aliqui ex contrariis. Et utraque hæc illatio videtur adeò manifesta, ut eludi magis videantur Concilia, quam explicari.

Ex his etiam, & superioribus impugnatur sic. Hæc causalis Concilii, nempè Beati pro diversitate meritorum unus alio perfectiùs videt, est causalis adæquata, ergo æquivalet huic exclusivæ, soli beati in meritis diversis erunt inæquales in visione, & consequenter inæqualitas in perfectione naturali, vel in ingenio nihil confert ad inæqualitatem visionis. Hæc posterior cons. tenet ex priori, & prima etiam ex regulis dialecticis; ant. verò constat ex dictis. Tum quia propositio est doctrinalis assignans rationem communem omnibus beatis adultis. Tum quia (& ferè in idem coincidit;) affirmativæ Conciliorum, vel scripturæ præcipuè in materia fidei, vel morum, ubi alibi nihil exprimitur, censentur adæquatæ, & exclusivæ, unde in eo genere, in quo est affirmatio, importāt negativā, vel exclusivam, ne dicamus in his tam magni momenti, scripturam, vel Concilia deficienter nos instruere, quod est alienum, ergo prædicta causalis affirmativa est adæquata.

Deniq; impugnatur hæc solutio cum præcedentibus: quia non solum non salvant mentem Concilii ibidem, neque componunt cum priori Vienens., ut ostendimus; sed neq; etiam cum postremo Trid. nam sess. 6. can. 32. dicit Anathema contra eos, qui dixerint; *Justificatum bonis operibus etiam non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia descesserit; consecutionem, atque gloriæ augmentum*. Ubi expressè habetur, quòd etiam augmentum gloriæ ad majus meritum refertur, undè sic argumentor. Juxtà Cōc. non datur in Patria augmèntum gloriæ, quod non sit promeritum, ergo non stat duos semel esse æquales in merito, & inæquales in gloria, vel in augmento ejus; cons. est evidens, quia hæc inæqualitas non esset promerita, vel non refunderetur ad meritum, stante in hoc utriusq; æqualitate, ergo contrà Concilium videtur apertè affirmari duos pares in merito posse esse impares in gloria, vel in augmento illius, nam id, in quo est impar, vel excedens, ex merito habere non potest, ut per se patet, & sic haberet, si aliundè haberet, augmentum gloriæ non promeritum, quod est contra Concilium &c.

§. V.

Solvuntur argumenta ex Authoritate Div. Tho.

PRimò Arg. opponendo D. Th. 3. p. q. 10. ar. 4. ad 2. ubi ait; *gradum aut perfectionem visionis ma-*

 gis

git attendi secundum ordinem gratiæ, quàm secundum ordinem naturæ, sed illud comparativum *magis* supponit, quòd etiam ex perfectione naturali attendatur, ergo non ex solo lumine.§ Ad hoc juxtà cõmunem solutionem dicimus, quòd adverbium *magis* non sumitur à T. Th. comparativè, sed adversativè, ut sit sensus non attendi secundum perfectionem naturalem intellectus, sed potiùs secundum perfectionem luminis gloriæ; sicut dum dicimus, virtus est magis amplectenda, quàm vitium; non est sensus, quòd istud sit aliquo modo amplectendum, sed sola virtus, & nullo modo vitium, de quo etiam sunt plura exempla in scripturis, sed specialiter illud ad Ephes.5.ubi Paulus jubet, quòd non sint peccata in illis, *sed magis gratiarum actio*, ubi certum est, esse sensum adversativum, quòd nullo modo sint peccata, sed tantum gratiarum actio. Quòd verò D. Th. ità intelligendus sit patet primò, si intentum argumenti rectè consideretur, & rectè aplicetur solutio, nam argumentum intendebat Angelum videre perfectiùs Deum, quam animam Christi, quia perfectiorem habet intellectum: & respondet visionem Dei excedere naturalem potentiam cujuscunq; intellectus, & ideò non ex perfectione intellectus, sed luminis gloriæ, quo elevatur, debere pensari, ut evidenter, & egregiè advertit ibidem M. Catalã in expositione textus.

Secundò ex art.4., & 5. hic, ubi cum apertè doceat facultatem videndi Deum non coovenire intellectui secundum sua naturalia, sed tantum per lumẽ gloriæ, nisi velimus apertã contradictionem in dictis suis, tenemur sic eum explicare.

Posset etiam dici cum M. Alvarez, obi supra, illo adverbio *magis*, solum voluisse significare materialiter ex parte subjecti posse attendi extrinsecam perfectionem visionis, ut dictum est, in expositione opinionis Cajet. &c.

Secundò Arg. ex eodem qu. 93. addit. art. 1. seù in 4. dist. 49. qu. 1. art. 4. q. 1. ubi expressè docet, quod beatitudo animę post reunionem ad corpus erit intensive major, quam antea, cuius etiam rationem reddit, versus finem corp. dicens; *sicut enim anima separata à corpore corruptibili perfectiùs potest operari, quam ei conjuncta, ità postquã fuerit conjuncta corpori glorioso, perfectior erit ejus operatio, quam quando erat separata; omne autem imperfectum appetit suam perfectionem, & ideò anima separata naturaliter appetit corporis conjunctionem, & propter hunc appetitum ex imperfectione procedentem ejus operatio, qua in Deum fertur, est minus intensa, & hoc est, quod dicit Hieronimus, quod ex appetitu corporis retardatur, ne tota intensione pergat in illud summum bonum.* Ex quibus fit argumentum: visio beata animę conjunctę corpori erit intensivè perfectior, quàm modo, ut tradit D.Th., at non ex ma: perfectione luminis, cum idem sit secundum substantiam, & gradum, scil. secundum quantitatem meriti, quo decessit ex hac via; ergo ex majori perfectione naturali, quam tunc habebit ex conjunctione ad corpus gloriosum.

Dices fortè D. Th. retractasse dictum illud, nempè quòd beatitudo animæ post resumptionẽ corporis erit intensivè major, vel perfectior; quia expressè 1. 2. q.4.ar.5. ad 5. docet oppositum dicens. *Desiderium animæ separata totaliter quiescit ex parte appetibilis quia habet id, quod suo appetitui sufficit, sed non totaliter quiescit ex parte appetentis, quia illud bonum non possidet secundum omnem modum, quo possidere vellet, & ideò corpore reassumpto beatitudo crescet non intensivè, sed extensivè.*

Sed contra hoc est, Tum quia jam monuimus ex M. Porrecta 22. q.1.ar.2. §. *Præmissa determinationi*, non est tam facilè dicendum D.Th. retractare dicta sua, quando de hoc ipse mentionem non facit, quia pro fælicitissima sui memoria optimè memor sui hoc ipsum advertit, ut videre est apud eundem peritissimum Magistrum referentem loca, in quibus expressè monet aliter se sentire hac phrasi. Hoc etiam mihi aliquando visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia &c. Undè ejus dicta profundiùs semper inspicienda sunt, vel ex contextu, vel aliundè in sua doctrina, & sensus verus alta mente repositus, est investigandus; inquit idem Magister; ut de facto ipse investigat in casu, ut statim dicemus; cum ergo D. Th. prima 2. ibidem nullum verbum faciat de sui retractatione nullo modo admittenda est, eò vel maximè, quòd utrobique ex contextu facilè explicari potest sinè ulla contradictione,

Secundò quia in eodem art.5. repetit rationem, ob quam in 4. vel in additionibus tradiderat doctrinam adductam in argumento dicens. *Sed sciendum, quòd ad perfectionem alicuius rei dupliciter aliquid pertinet, uno modo ad constituendum essentiam rei sicut anima requiritur ad perfectionem hominis. Alio modo requiritur ad perfectionem rei, quod pertinet ad bene esse ejus: sicut pulchritudo corporis, vel velocitas ingenii pertinet ad perfectionem hominis. Quamvis ergo corpus primo modo non pertineat ad perfectionem beatitudinis humanæ; pertinet tamen secundo modo. Cum enim operatio dependeat ex natura rei, quantò anima perfectior erit in sua natura, tantò perfectiùs habebit suam propriam operationem, in qua fælicitas consistit, unde August. in 12, super Genes. ad literam, cum quæsivisset utrum spiritibus defunctorum sinè corporibus possit summa illa beatitudo præberi. Respondit, quod non possunt sic videre incommutabilem illam substantiã, ut sancti Angeli vident, sivè alia latentiore causa, sivè ideò, quia est in eis naturalis quidam appetitus corpus administrandi.* Ecce quòd est eadem ratio utrobique, quòd nempè anima post reunionem habebit perfectius esse, ac prundè perfectiorem operationem &c.

Aliter ergo responderi potest primò ex M.Ferre 22. tract. de Charitate q. 7. §. 6. ad primum o. 52., concessa ad argumentum tota authoritate dist., & explico mi. argumenti fatiat non ex majori lumine, nec ex majori fervore ejus, nego, ex majori præcisè secundum gradum conc., quia istud prout sic, ut vidimus, & innuit argumentum, non crescit, nisi ad mensuram meriti in via, cæterum quia anima modo ante reunionẽ, licet utatur lumine secundum omnem gradum, non tamen secundum omnem ejus fervorem, adhuc à lumine habebitur illa major perfectio operationis, seù visionis, & non ex naturali facultate, quia non erit excessus perfectionis quoad quantitatem gradualem, sed tantum quoad quantitatem fervoris. Pro quo advertit, quòd in lumine gloriæ, sicut & in charitate, dupliciter attenditur quantitas, alia penes majorem, vel minorem radicationem in subjecto, quæ vera intensio dicitur; & in hac visio beata non erit major in anima reassumpto corpore, ac est modo; alia est quantitas fervoris, quæ consistit in eo, quòd lumen, vel

vel charitas, magis liberè ab impedimentis retardantibus operetur, qua ratione dixit D. Th., quòd per fervorem charitatis delentur peccata venialia. Ex quo infert, quòd quia anima à corpore separata Deum cum tanto fervore attendere non potest, cum quo attendere potest illo reassumpto ex eo, quòd distrahitur per appetitum conjunctionis ad illud, ideò post reunionem ab hoc impedimento libera perfectiùs videbit, secundum scil. quantitatem fervoris, non gradualem, undè visio quoad fervorem erit intensior, salva semper æqualitate intensionis secundum gradum, quæ correspondet quantitati, vel mensuræ meritorum.

Hæc solutio subtilis est. sed tamen difficultate non caret primò in eo, quòd aliquomodo diminuit de attentione animæ sic videntis Deum clarè, & intuitivè, & de perfectione visionis in se ipsa subtrahendo aliquid de quantitate ejus, quasi entitativa ob distractionem appetitus ad corpus, cum tamen D. Th. in alio sensu videatur utrobique loqui, & recurrere ad huoc appetitum, ut inferat augmentum visionis in statu illo reunionis, nam art. 5. relato expressè asserit visionem beatam, ut sit perfecta. non dependere à corpore, cujus rationem præmittit dicens; *Nam intellectus ad suam operationem non indiget corpore, nisi propter phantasmata, in quibus veritatem intelligibilem contuetur, ut in 1.* (scil. p. p. qu. 84. ar. 7.) *dictum est, manifestum est autem, quod divina essentia per phantasmata videri non potest; ut in 1.* (nempè in hac q. 12. *Ostensum est; undè cum in visione Divinæ essentia perfecta hominis beatitudo cōsistat, non dependet beatitudo perfecta hominis à corpore, undè sine corpore potest anima esse beata*, sive habere perfectam visionem, ergò juxtà D. Th. ex defectu præsentiæ corporis, non videtur posse detrahi aliquid de perfectione beatitudinis, seù visionis secundum se, sive quantum ad quantitatem gradus, sive quantum ad quantitatem fervoris; nec etiam distrahi anima, ut perfectè non attendat omni perfectione sibi debita ex parte ejusdem visionis, quidquid sit ex parte subjecti appetentis vel videntis, ut statim dicemus; sufficienter ad verificandum, quòd non videat ex parte sui secundum omnem modum perfectionis, ut innuit D. Th.

Secundò, & urgetur præcedens replica: quia si prædictus exterior appetitus retardaret aliquo modo animam à sui visione, vel attentione ejus, pariter Angeli missi ad executionem sui ministerii ob similem appetitum ad istud, quem summum habent, ut supponimus, ex plena conformitate ad divinam voluntatem secundum ordinem divinæ providentiæ; aliquo modo etiam viderentur retardari ab illa, at hoc est contra D. Th. 22. q. 181. ar. 4. ad 2., & infrà q. 64. ar. 4. ad 3. & q. 112. ar. 1. ad 3. ubi eandem assignat rationem, quam loco proximè relato ex prima secundæ; nempè, *quod in nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit, quia actioni insistimus secundum sensitivas virtutes, quarum actiones cum intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis. Sed Angelus per solam intellectualem operationem regulat suas actiones exteriores. Undè actiones exteriores in nullo impediunt ejus contemplationem, quia duarum actionum, quarum una est regula, & ratio alterius, una non impedit, sed juvat aliam, undè Gregorius dicit in 2. Moralium* (sivè lib. 1. c. 3. circ. princ.) *quod Angeli non sic foris exeant, ut internæ contemplationis gaudiis priventur*, ergo nec impeditur anima, ex eo quòd aliqualiter exeat per sui appetitum ad corpus reuniendum; cons. videtur tenere, cum utrobique visio beata sit ratio, & regula alterius actionis, non exercendæ per corpus, aut vires sensitivas, vel per phantasmata.

Tertiò iterum ex his; quia si cessante priori appetitu animæ in statu reunionis, cresceret fervor attentionis ad Deum visum, pariter cresceret in Angelo misso, cessante non solum appetitu, sed etiam ministerio, vel executione ejus ob plenam quietem operis executi, sed hoc admitti nequit salva superiori doctrina D. Th., quia jam supponeremus fuisse aliquomodo retardatum, vel impeditū perseverante eodem appetitu, vel ministerio, cujus oppositum tradit D. Th. ergo &c.

Quartò si semel prædictus fervor luminis, aut visionis pertinet ad augmentum quantitativum illius, debet cadere sub merito præcedenti viæ, ut supra cum eodem arguebamus ex Concil. Trident. contra oppositam sententiam, at non videtur hoc posse verificari, cum magis proveniat ex aliquo communi omnibus animabus beatis, scil. ex obtenta reunione ad corpus, ob quam cessat appetitus ad illud, & fit redundantia gloriæ suæ, quæ desideratur ad hujus plenitudinem, ut innuit D. Th. eodem art. 5. ad 4., ergo non videtur ad mentem ejus, nec posset sic salvari, quòd crescat per modum fervoris augmentum aucta tunc attentione, & modo diminuta.

Quintò quia infrà ibidem q. 112. art. 4. explicans D. Th. magnitudinem gratiæ, & consequenter gloriæ, postquam distinxit illam in objectivam, & subjectivam, dicit hanc consistere in eo, quòd unus perfectiùs illustratur à lumine gratiæ, vel gloriæ, quàm alius; sed anima beata resumpto corpore, non videtur illustrari ab hoc lumine magis, quam antea, ut modo suppono, cum omne lumen promeritum in via statim habeat in ingressu ad patriam, ergo dare tunc augmentum aliquod quantitativum, seu per istud explicare perfectionem acquirendam in cessatione talis appetitus non videtur plenè ad mentem D. Th. &c.

His tamen non obstantibus, adhuc videtur posse sustineri præcedens solutio non sinè levi fundamento in eodem D. Th., nam proximè relata solutione ad 4. præmisso duplici operationis impedimento, altero scil. per modum contrarietatis, sicut frigus imdit actionem caloris, altero per modum cujusdam defectus, quia scil. res impedita non habet quidquid ad omnimodam ejus perfectionem requiritur: licet de priori affirmet repugnare fęlicitati, non tamen posterius, sed tantum repugnare omnimodæ perfectioni ejus; *& sic*, inquit; *separatio animæ à corpore dicitur animam retardare, ne tota intentione tendat in visionem divinæ essentiæ*. In quo verò defectus hujus intensionis consistat, explicat immediatè subdens. *Appetit enim anima sic frui Deo, quod etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam, sicut est possibile, & ideò quamdiù ipsa fruitur Deo sinè corpore, appetitus ejus sic quiescit in eo, quòd tamen adhuc ad participationem ejus vellet suum corpus pertingere.* Ecce quòd D. Th. videtur admittere quandam diminutionem intensionis in tendentia ad visionem, licet revera non videatur eam admittere

efficacitatem, & intensionem habitus &c.

Sed instas, quia hinc sequitur, quòd stante æqualitate habitus fidei possit aliquando prorumpere intellectus in assensus inæquales, si nempè juvetur, vel non juvetur fortiori, vel remissiori auxilio, ergo pariter stante æqualitate luminis poterit dari inæqualitas visionis, quod tamen absolutè negatur à nobis.

Resp. primò, quòd concessa etiā conf. nihil concluditur in favorem sententiæ oppositæ, quod nempè inæqualitas visionis pendere possit à majori perfectiune naturali, quia sicut inæqualitas assensus fidei stante æqualitate habitus adhuc refunditur in auxilium supernatrale, & non in majorem perfectionem intellectus, ità semel admissa inæqualitate luminis non teneretur refundi in perfectiorem intellectum, sed in auxilium supernaturale.

Sed deindè nego conf., vel suppositum ejus, quod in beatis, ubi est terminus, vel status consumationis detur inæqualitas auxilii sicut in via, nam Deus semper adjuvat ibi æquali auxilio actuali habentes æquale lumen gloriæ, undè nunq; stat visiones esse inæquales stante lumine æquali.

Arg. 4. Intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ potest magis conari ad producendam visionem quàm minus perfectus, ergo potest producere visionē magis perfectam, aut perfectiorē intensivè, conf. tenet, quia cognitio proportionatur, vel adæquatur conatui; ant. verò prob., quia conatus non tribuitur habitui, sed potentiis, & eis ratione suæ facultatis naturalis convenit conari, non ratione habitus, ergo ex majori perfectione naturali potentiæ poterit esse major conatus, prob. ant., quia habitus tam naturales, quàm supernaturales subjiciuntur potentiis quātum ad usum, itaut potentiæ possint indifferenter uti illis, & non uti ad operandum magis, vel minus intensè, cujus subjectionis non est alia ratio assignabilis nisi quòd habitus quantum ad usum dependeat ex aplicatione, & conatu potentiæ &c.

Ad hoc etiam patet ex dictis, unde nego ant., ad prob., nego ant. præcipuè loquendo de habitibus supernaturalibus, imò suppositum illius, quòd conatus sit aliquid antecedens actum, sed est ipse actus, ut emanans à suo principio. & ideò eo modo, quo habitui tribuitur esse principium actus, debet eidem tribui conatus in elicendo actum. Sicut ergo habitus naturales non dant potentiis simpliciter posse operari, sed posse faciliùs, aut cum delectatione, ità nec dant eis simpliciter posse conari, sed posse faciliùs, & cum delectatione: supernaturales verò sicut dant eisdem simpliciter posse operari, quia ut vidimus; sunt illis integra ratio agendi supernaturaliter; ità dant eisdem simpliciter posse conari, undè non possumus nos producere supernaturales actus perfectiores habitu ex vi facultatis naturalis quātumvis perfectissima sit, sed solum ut dictum est, ratione majoris supernaturalis auxilii elevantis potentiam ad talem excessum in suo actu &c.

Sed instas. Nam modo in via in nostra potestate est uti habitibus supernaturalibus ad magis, & minùs intensè operandum intrà latitudinem suę perfectionis, ergo signum est, quòd major, vel minor conatus cōdocens ad supernaturalem actum non pendet præcisè ex auxilio supernaturali, sed etiam ex naturali facultate potentiæ.

Resp. neg. conf., quia non ex eo capite id provenit, ut dictum est; sed quia tam potentia, quàm habitus subduntur nostræ libertati quoad usum; & liberum arbitrium modo in via non semper dicitur excitari auxilio æquali habitui ad applicandam potentiam ad operandum, nec semper auxilio efficaci, unde interdum non applicat potentiam ad actum, interdum aplicat ad remissiorem, & quamvis non applicatio tribuatur voluntati nostræ, aplicatio tamen non ex naturali ejus perfectione, sed ex auxilio gratiæ procedit.

Quintò Arg. Intellectus Angelicus supernaturalizatur secundum vires perfectiores naturales, quam supernaturalizetur humanus, vel alter etiam angelicus inferior, ergo supposito adhuc eodem lumine perfectiùs videt, quàm humanus, vel alter inferior angelicus; ant. est certum, quia supernaturalizatur secundum se totum, ergo cum revera habeat vires naturales perfectiores, supernaturalizabitur secundum perfectiores, quàm humanus, conf. verò prob., quia videt secundum quod est supernaturalizatus, ergo si est supernaturalizatus secundum vires perfectiores, perfectiùs videbit, prob. conf., quia secundum easdem vires supernaturalizatas influit, aut concurrit ad videndum, ergo si sunt perfectiores perfectiùs influet, & videbit &c.

Expl. & Urg hoc: quamvis ità sit, quòd secundum illas nudè sumptas influere non possit ad visionem, supposito tamen lumine elevante influit secundum omnes illas juxtà earum conditionem, ergo si sunt perfectiores, saltem ut sic elevatæ perfectiùs influent etiam supposito eodem lumine, prob. conf. quia æqualitas luminis non tollit, quin secundum suam conditionem influant, ergo etiam supposito eodem lumine. semel tamen elevatæ perfectiùs influent, aliàs non influerent secundum suam conditionem, secundum quam sunt perfectiores &c.

Urg. ulteriùs nam gratia adveniens naturæ non destruit illam, sed perficit, ergo sicut ab initio suæ conditionis data est gratia proportionata suæ naturæ ad operandum secundum modum ejus, pariter erit data illi in patria ad operandum, vel videndum secundum modum, & per actionem suarum virium, & consequenter ad perfectiùs videndum &c.

Ad hoc, quod aliquomodo ęquivocat modum elevationis intellectus angelici, nego conf., ad ejus probat. dist. & explico ant., secundum quod est supernaturalizatus; sii *secundum quod* reduplicante vires supernaturalizatas etiam partialiter, nego, reduplicante lumen supernaturalizans, ut adæquatam rationem videndi, conc. ant., & nego conf., ad illius prob. iterum dist. & explico ant. secundum easdem influit, aut concurrit juxtà earum mensuram, nego luminis elevantis, conc. quia cum revera secundum se nullam vim proximam habeant, sed tota, & adæquata vis proxima sit lumen, non potest visio crescere ad earum augmentum, vel mensuram etiam supposita elevatione, sed ad augmentum solius luminis. Undè sicut ut in prima ratione ex D. Th. arguebamus, quantumvis perfectissimæ sint, & infinitis partibus, ut sic dicamus; excederēt vires intellectus humani, vel alterius inferioris angelici, nunq; tamen per puram vim naturalem sinè lumine videre possunt, ità non obstante quocunq; excessu, & supposita etiam elevatione, sinè perfectiori lumine, & elevatione perfectiùs videre nō poterunt, sed ad solam mensuram elevationis, vel luminis.

Ex his etiam patet ad utramque confirm:, ad primam quidem dist. similiter ant. influit, juxtà earum conditionem, & ratione illarum, nego, ratione lu-

luminis, & juxtà mensuram, & perfectionem ejus conc ant., & nego, conseq., ad ejus probat. nego suppositum, quòd secundom suam conditionem habeant meritum, aut vim proximam influendi, undè non est attendenda ejus conditio ad daodam perfectionem visioni, sed solius luminis.

Ad 2. pariter dicimus, quòd data est gratia ad operandum secundum modum ejus, non ratione viriū naturalium loquendo in ordine ad actus supernaturales, sed virium solius gratię, undè non fuit ibi exigenria naturæ, sed solius dispositionis divinæ. ut dictum est, & latè explicatur infra &c.

Sed contra hujusmodi solutiones instas. Ut intellectus perfectior perfectiùs influat, aut visionem perfectiorem producat, non est necessarium, quòd ratione sui influat, aut habeat vim proximam, vel immediatam ad illam, sed satis est quòd secundum se sit perfectior, & aliàs influat sub elevatione, aut subordinatione ad lumen, ergo, prob. ant., ut corpus cæleste simul cum vivente dicatur perfectius influere, aut producere perfectius vivens non est necessarium, quòd ratione sui influat, aut habeat vim proximam ad illud, sed satis est quòd sit secundum se perfectius & aliàs influat ut subordinatum superiori viventi, sed Intelligentiæ ut patet in sole simul cum homine generante hominē juxta commune axioma, quod sol, & homo generant hominem cum tamen sol ad hominem, neque sub ratione hominis, neque sub ratione viventis habeat ex propriis vim proximè influxivam, utpote inanimatum, ergo similiter in casu.

II. Etiam instari potest aliis exemplis; nam medium probabile, vel opinativum nollam vim proximam habet ad cognitionem scientificam, cum nunquam deponere possit formidinem respectu alterius partis, si velimus à demonstrativo distingui, sed nihilominus in consortio demonstrativi simol influentis, aut ejus influxui subordinatum, perfectiùs influit ad illam, si sit perfectius, ergo pariter intellectus perfectior perfectiùs infiuet ad visionem, si semel est perfectior, està influat sub eadem luminis quantitate, & nullam secundum se vim proximam habeat ad illam.

III. Nam quia materia ferri utpotè densior, est magis apta semel accepto calore, quam lana, vel alia similis rarior, perfectiùs agit, aut calefacit sub eadem quantitate caloris, quàm illa, esto secundum se vim proximam non habeat ad calefaciendum, ergo etiam intellectus perfectior semel accepto lumine perfectiùs videbit, quàm imperfectior sub eadem quantitate luminis esto secundum se vim proximam non habeat ad videndom, & sic de aliis &c.

Ad hujusmodi instantias dico in primis, quòd potiùs confirmant nostram sententiam, ut statim constabit, quam impugnent; undè ad primam nego ant., ad prob. nego suppositum, quòd ma. perfectio viventis producti habeatur ex majori perfectione planetæ secundum se influentis ad illum, nam cum corpus cęleste influat, ut instromentum prædictæ Intelligentiæ, seu virtutis intellectivæ, à qua movetur, quantitas perfectionis effectus non est mensuranda cum quantitate perfectionis cœli secundum se præcipue intra lineā vitæ, ad quam cœlum non spectat, sed cum quantitate virtutis acceptæ ab eadem intelligentia, aliàs quò perfectior esset aqua, vel alia materia sensibilis in Sacramentis, perfectior quoque esset effectus, vel gratia, & sic de aliis similibus instrumentis comparativè ad effectum principalis agentis, quod est alienum.

Ad 2. de medio opinativo, nego pariter, quòd ex vi iufluxus illius, quodcumque sit, evadat perfectior cognitio scientifica, quando dicitur concurrere in consortio demonstrativi, immò nego suppositum, qoòd sit natum influere in illam quasi per elevationem in consortio istius loquendo de illo formaliter, ut medio opinativo, sicut est natus concurrere intellectus, & perfici per elevationem à lumine, nam objectum intellectus est omne intelligibile, ut dictum est, sive per vires proprias, sive per vires gratiæ, at objectum medii probabilis, sive opinativi est impræsciodibile à linea formidinis, ut ostensum est, in lib. poster. unde acquisito medio demōstrativo, cessat opinativum formaliter ut opinativum, sicut cessat opinio formaliter, ut opinio, adveniente scientia, undè sicut hæc remanet tantum per modum cognitionis, non opinionis formaliter, ita medium sui remanet tantum per modum medii influentis ad cognitionem objecti, non opinativi formaliter, sive ut retinentis formidinem in consortio demonstrativi, undè cognoscens objectum simul per medium demonstrativum, & opinativum, non dicitur habere opinionem pro formali, sed tantum per modum cognitionis, acquisita, aut retenta sola scientia, licet dicatur magis cognoscens illud, quàm si solo medio scientifico cognosceret, quia nempe cognoscit pluribus mediis, & etiam judicat, quòd per idem probabile, vel opinativum, est tantum probabiliter inferibile, & cognoscibile: at quia obtenta scientia per medium demonstrativum, id judicat judicio infallibili, non habet opinativum respectu sui vim opinativè, vel formidolosè inferendi, aut faciendi cognoscere, unde in forma nego suppositum mi.

Ad tertiam similiter dicimus ob sui densitatem non habere ferrum quòd sit materia magis apta ad agendū supra quantitatem caloris, quem habet, aliàs iste non erit adæquata vis proxima calefaciēdi, sed ad recipiendum illum magis fixè aut perseveraoter, & in pluribus partibus, quibus abondat comparativè ad lanam, & consequenter ad magis resistendum contrariis, quæ poterant impedire calefactionem, & ideò supposita æqualitate caloris non magis causabit de calore quàm materia minus densa, licet hæc debiliùs caufetillū: Undè vel neg. ant., & suppositū illius, vel distin., perfectiùs agit, perfectione materiali, vel ex parte subjecti, transeat, vel conc., formali, vel ex parte caloris producti dando ei augmentum intensivum supra quantitatem illius, quo causat, neg., nam aliàs aliquid causaret in effectu, qnod non præcontinet, scil. illud, in quo effectus superaret calorem, qui est illi ratio calefaciendi, cum ratione sui id conttnere non possit, utpote extra sphæram suæ activitatis, si velimus calorem esse illi adæquatam rationem ad calefaciendum: unde omnes huiusmodi instantiæ possūnt retorqueri. Et si aliqoid etiam convincerent, tantum convincere possent de maiori perfectione materiali, vel ex parte subiecti, non ex parte effectus, vel desormali correspondente quantitati virtutis productivæ.

Præterquam quod inter huiusmodi paritates, aut similes, quæ adæquatè fiunt iutrà ordinem naturæ, nullum potest fieri efficax argumentum ad ea, quæ sunt ordinis gratiæ, vel spectant ad ordinem supernaturalem, nam inter ea, quæ sunt eiusdem ordinis naturæ potest esse aliqua proportio, ut patet in penicillo, & aliis huiusmodi, unde non solum peritior in arte perfectiùs operabitur, quàm minùs peritus, sed æqualiter periti, si alter utatur pennicillo nobilio-

liori, & sic de aliis. Immò etiam intellectus si perfectior sit meliùs scientificè syllogizabit, quàm alter minùs perfectus esto æqualem habitum scientiæ, & speciei intelligibilis habeat, nec sine illo scientificè procedere queat, quia licet, ut dicebamus, adæquatam virtutem, aut completam universaliter non habeat, habet tamen saltem inadæquatam, & proportionem respectu actuum sui ordinis, quicumque sint, cæterum natura, sive perfectior, sive minus perfecta sit, semper est æqualiter improportionata cum effectu adæquatè supernaturali, & solum, ut dictum est, in ordine ad actus illius ordinis habet coaptionem essentialem, ut possit elevari per vires gratiæ ad illos producendos, unde quantitas perfectionis effectus, non ex quantitate naturæ, sed gratiæ mensuranda est, quia natura non concurrit ratione sui, sed virium supernaturalium, licet adhuc activè, ut vidimus, ex habitudine scil. potentiæ, quam retinet respectu eorundem actuum intra propriam sphæram specificativam. Et ideo huiusmodi exempla, vel paritates claudicant ex omni parte: ex quibus etiam solvi possunt plures aliæ instantiæ, ne plus nimiò immoremur.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Utrum de facto dentur, aut dari possint de potentia absoluta visiones Dei speciē diversæ, seu essentialiter inæquales.

Difficultas procedit, sive facta comparatione inter visiones hominum inter se, comprehensa etiam illa Christi, cum secundum quod homo sit eiusdem speciei cum cæteris hominibus; sive etiam inter illas hominum comparativè ad visiones Angelorum, sive etiam inter istas Angelorum præcipuè in nostra sententia, in qua quilibet Angelus distinguitur specie ab alio. Et quidem quoad priorem comparationem fatentur omnes de facto non dari, sed esse omnes visiones procedentes ab humano intellectu eiusdem speciei essentialis, quia nec possunt sic distingui ex parte obiecti formalis, cum sit idem respectu omniū, nempè Deus ut visibilis in se ipso sine medio, nec ex parte principii, quia non ex parte intellectus, cum hic eiusdem speciei sit in omnibus hominibus, sicut & natura humana; neque ex parte luminis gloriæ, quod etiam est eiusdem speciei, siquidem ex objecto formali nequit esse diversum, cum objectum, idem specie sit, sicut & objectum visionis; minus vero potest esse diversum specie lumen ex subjecto receptivo, nempè humano intellectu, tum quia est specie idem, tum quia accidentia non diversificantur specie ex subjecto nisi sint proprietates ab ipso dimanantes. Denique neque ex parte speciei impressæ potest esse visio diversa, quia hæc est ipsa essentia Divina, eadem numero, & specie in omnibus. Et licet daremus per speciem impressam creatam videri de facto Deum, non tamen haberet, unde posset esse multiplex specie & si numero multiplicari deberet juxta diversitatem numericam intellectus, cui inhereret.

Nec obstat 1., videri plures creaturas una visione, quàm alia, quia creaturæ sunt objectum secundarium & quasi materiale; & ad videndum plures sufficit perfectiùs, & intensiùs videri objectum primariu n.

Neque etiam obstat 2., quod communiter dicitur homines in beatitudine essentiali esse inæquales, quia non est sensus beatitudines esse essentialitèr inæquales, aut specie diversas, sed quod beatitudo essentialis sit inæqualis in perfectione intensiva, idest intensior in uno, quam in alio: Hæc sunt certa apud omnes.

Cæterum visionem elicitam ab intellectu angelico specie diversam esse ab elicita ab humano, ut referunt recentiores, docuit Major in 4. dist. 49. q. 11., & verisimile existimat Paludanus ibi q. 5. ar. 1., quamvis affirmare non audeat. Referuntur tamen pro hac sententia Riccardus ibidem ar. 2. q. 8. Holkot in suis determinationibus q. 8. Molina hic ar. 6. ad 2. Herice disp. 40. num. 60., & alii apud Mag. Ferre hic q. 8. §. 1.

Similiter etiam loquendo de potentia absoluta est difficultas, nam ut in superioribus insinuavimus, Navarrete controv. 39. §. 2. post 4. concl. affirmat posse multiplicari specie visiones ex modo tendendi in idem objectum.

Quoad utramque partem nihilominus est jam communis consensus Thomistarum, & sequuntur innumeri PP. Societatis, & quidem stando in principiis Thomisticis non videtur posse oppositum sustineri, ut jam insinuavimus, præcipue loquendo de facto facta quacūque comparatione, & expressè de potentia adhuc absoluta tenet M. Catalam hic dub. 4. ad ar. 6. concl. 2., Cabrera 3. p. q. 10. ar. 4. disp. 4. & conseq. loquēdo tenentur sustinere, qui cum Cajet. ibidem affirmant, nec de potentia absoluta posse multiplicari specie habitū luminis gloriæ: est enim eadem ratio de visione, ut constabit infra &c.

§. I.

Statuitur duplex Conclusio.

Prima. De facto omnes visiones beatorū quacumque facta comparatione, sive hominum inter se, sive inter homines, & Angelos, sive inter Angelos ad invicem sunt ejusdem speciei essentialis. Supponit hanc concl. D. Thom. hic artic. 6. dum affirmat ex sola majori perfectione luminis gloriæ, provenire inæqualitatem visionis. Et docent expressè Soto in 4. dist. 49. q. 3. ar. 2. Durand. in 3. dist. 14. q. 1. n. 8. & communiter interpretes hic, & Cajet. & Cabrera 3. p. ubi supra disp. 3. Et est certa sententia. Et in doctrina Thomistarum, ut dicebamus, negari non potest, nam secundum illam lumen gloriæ est adæquata virtus proxima ad videndum; deinde Angelus, & homo eadem specie utuntur, ut dictum est, & denique objectum, sive Deus visus, ut in se est, non variatur respectivè ad hominis, & Angeli varietatem, ergo ex nullo capite possunt essentialiter distingui in eorum principiis.

Ratione a posteriori prob. 1. concl. si visio hominis, & Angeli ex diversitate specifica intellectus essent specie diversæ, seu inæquales essentialiter, sequatur 1. perfectiùs essentialiter Angelum visurum Deum, quàm hominem, vel Angelum perfectiorem specificè, quàm inperfectiorem etiam supposita æqualitate meritorum, & luminis, consequens nequit admit-

mitti, ergo mi. constat ex superioribus, quia hæc inæqualitas utpote essentialis, longe major est, quam pura gradualis, sive in perfectione intensiva, sed hęc ut ostendimus, est impossibilis supposita eadem æqualitate meritorum, & luminis, ergo erit à fortiori impossibilis inæqualitas essentialis eadem æqualitate supposita: ma. etiam est certa, quia effectus formalis visionis est constituere intellectum videntem, ergo visio essentialiter perfectior constituet videntem perfectiorem essentialiter.

II. Sequitur nullum hominem, nec Christum posse æquare infimum Angelum in visione beata, sed hoc iterum est absurdum non inferius præcedente, ergo, mi. iterum, constat nam quantum attinet ad Christum est error contra fidem, ut probari solet loco relato ex 3. parte. Et patet ex Apost. ad Ephes. 1., ubi dicit, quod *Constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sęculo, sed etiam in futuro*. Certum est autem, quòd in illa cęlesti gloria tantò aliquis est superior, quantò perfectiùs videt Deum, ergo Christus perfectiùs videt Deum, quam quævis alia creatura, ut etiam probatur efficaciter ex eo, quod visio Dei convenit omnibus beatis ex participatione divini luminis derivati à Verbo Dei, ut patet ex illo Ecclesiast. 1. Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis, sed anima Christi, utpote propinquiùs conjuncta Verbo qualibet alia creatura pleniùs participat influentiam luminis, quo Deus videtur, ut iterum patet Jo. 1. ubi de Christo dicitur, quòd quia unigenitus est à Patre non solù dicitur plenus gratiæ, sed etiam veritatis.

Quantum vero ad puros homines est contra communem sensum Ecclesiæ asserentis B.V. esse exaltatam super choros Angelorum, unde D. Tho. infra q. 108. ar. 8., & in 2. dist. 9. q. 1. ar. 8., & 3. contra Gent. cap. 57. affirmat erroneum esse, & sapere hæresim asserere non posse homines transferri adæqualitatem Angelorum in gloria, quia Matt. 22. dicitur futuros homines, sicut Angelos Dei, & Apocal. 10. eandem esse mensuram hominis, & Angeli, immò & negare de facto futuros plures homines assumi adordines Angelorum, & esse æquales, & superiores in gloria pluribus Angelis esset valde temerarium, quia est contra communem sensum SS. PP., & Theologorum; sequela vero mai. prob., si visio Angeli esset essentialiter perfectior, quantumcumque cresceret intensivè visio hominis, illa esset essentialiter, & simpliciter perfectior utpote excedens in linea essentiali &c.

Dices cum Majori ubi supra hinc solum probari excessum visionis angelicæ in entitate supra visionem cujuslibet hominis etiam Christi Domini, posse nihilominus hanc superare angelicam in valore quoad rationem præmii ad satiandum appetitum, sicut licet aurum in entitate, & perfectione essentiali superet argentum, si tamen huic fiat additio fecundum multitudinem superare potest aurum in valore. Quod aliis verbis explicant alii nempè visionem Christi, (& idem proportionabiliter de visione puri hominis) in ratione beatitudinis superare quamlibet angelicam ut potè perfectissimam omnium visionum beatarum, cum perfectius sit in aliquo genere, quod est mensura omnium in illo. Insuper etiam esse perfectissimam quantum ad hoc, quod est magis, & perfectiùs videre Daum, quia lumen gloriæ Christi est tantæ intensionis, quod ad eam uullum aliud lumen sivè hominum, sivè Angelorum pervenire potest; entitativè autem, & materialiter esse imperfectiorem qualibet angelica, quia illa Christi est humana, hæc verò angelica, & adducunt simile exemplum in duobus circulis, altero aureo, altero argêteo, qui tamen in ratione circuli perfectior sit aureo. Tunc enim illi circuli materialiter sumpti sic se habeut adinvicam, quod argenteus imperfectior est aureo, in ratione tamen formali è contra res se habet, nam argenteus est auro perfectior: sic in presenti.

Sed hæc magis apparentia sunt, quam vera, & exemplum de utroq; metallo præcipuè, ut priori modo expositum in subjecta materia, ut statim dicemus, est de subjecto non supponente, undè impugnatur primò solutio, ut adducitur ex Majori sic. Nam vel sermo est de valore intrinseco conveniente rei secundum se, vel de extrinseco conveniente ei in ordine ad aliquem usum vel finem extrinsecum, sed neutrum dici potest, ergo solutio est nulla, prob. mi., quoad primum, quia valor intrinsecus consistit in perfectione, & entitate speciei, & naturæ, undè in specie perfectiori semper ex natura rei est major, sic quod quantumcunq; augeatur natura inferior intrà propriam speciem perpetuò est imperfectior in hoc valore intrinseco, sicut & in perfectione, & entitate, & quãtumcunq; multiplicetur argentum, nunquã in hoc valore æquabit aurum, quamvis in valore relativè ad humanos usus, & contractus secundum humanam æstimationem possit superare aurum: quod etiam ferro, & lapidibus convenire potest, ergo si semel visio Christi esset specificè inferior angelica, nunquam posset secundù hunc valorem æquare angelicam. § Secundò prob. eadē mi. quoad secundum de extrinseco: quia nullus usus extrinsecus est assignabilis, in ordine ad quem sit valoris majoris visio humana, quam angelica, undè est de subjecto non supponente; eò vel maximè, quòd, ut in superioribus insinuavimus; cum visio beata habeat rationem ultimi finis, non potest deservire ad aliud, ut medium ad finem, qua ratione diximus nostram Theologiam esse per se acquisibilem, non verù scientiam infusam animæ Christi, quia nempè nostra Theologia supponit fidem dãtem cognitionem principiorum, quæ cum non sit ultimus finis ordinari potest ad eam acquirendam, & de facto intellectus factus in actu per illam, eam acquirit, ut ostēsum est, scientia verò infusa Christi licet supponat cognitionem principiorum, scil. visionem beatam illius, quia tamen hæc habet rationem ultimi finis non potest deservire, ut medium ad acquirendas scientias.

Deindè nec potest hic valor extrinsecus consistere in majori sufficientia ad satiandum appetitum, quia cum, (ut potè essentialiter adeptio summi boni,) ex sua ratione formali, & perfectione essentiali habeat, quod sit satiativa appetitus, quò est essentialiter perfectior non potest non esse perfectiori modo satiativa, nec enim aliter satiat, quam tribuendo suum effectū formalē, quem necesse est esse perfectiorem simpliciter eò ipso, quod tribuitur à perfectiori forma, ut patet inductivè, ergo neque in extrinseco, & consequenter in nullo unquam superare poterit.

Ex his etiam impugnatur solutio sub aliis terminis exposita: quia non stat semel superare in ratione beatitudinis, & non superare in ratione visionis, nam beatitudo, ut dictum est, essentialiter importat adeptio.

ptionem summi boni, quæ fit per visionem, & amorē. Deinde etiam ratio humani, & angelici ex propriis, nihil conferunt ad quantitatem perfectionis, & minus ad essentiam illius, sed tota proximè, & adæquatè pendet ex lumine, ut probatum est, ergo si semel excedit in ratione luminis, & beatitudinis, pariter excedet in ratione visionis estò humana sit. Ex quo etiam patet non esse ed rem exemplum circuli aurei, & argentei, quia aliundè attenditur ratio circuli, aliundè verò ratio utriusque metalli; illa enim impottar perfectam obliquitatem exclusivam rectitudinis, sicut principii, & finis, quæ est quid disparatum à valore, sivè intrinseco, & proprio utriusque metalli, sivè extrinseco, & pendente ab æstimatione hominum comparativè ad proprios usus; cæterum visio sivè quoad perfectionem intensivam, sive quoad specificam, & essentialem tota pendet à lumine, specie, & objecto, ut dictum est; unde non est aliunde attendenda perfectio ejus, ut alteriùs statim constabit.

II. prob. concl. à priori, ut suprà. Visio Dei in beatis à quocunq; intellectu procedat, habet omnia, quæ desiderantur ad identitatem sui formalem, ergo nequit in illis diversificari specificè; conf. tenet, & ant, prob., quia habet idem objectum formale, nempe divinam essentiam, ut in se est visibilis intuitivè, eundem speciei modum attingendi, scil. sine ullo medio priùs cognito; eandem speciem intelligibilem, nempe eandem essentiam divinam unitam in ratione speciei intelligibilis, (& quamvis haberet creatam solum posset hæc differre numero non specie, ut dictum est;) idem denique lumen gloriæ secundum speciem, ut docet D. Th. qu. 9. de veritate artic. 1. ad 17., & patet ratione insinuata à D. Th. ibi, quia gratia justificans est ejusdem speciei in homine, & Angelo, & ideò etiam lumen gloriæ, quod est connaturalis perfectio, & consumatio gratiæ, sed hæc omnia sunt, quæ desiderari possunt ad identitatem visionum in beatis, ut patet ex dictis in lib. poster., et in primo phys., ergo habet omnia requisita ad illam, & consequenter erit ejusdem speciei in illis, sicut cæteræ intellectiones habentes idem objectum formale, & principium per se productivum, à quibus earum specifica identitas, seu specificatio dependet, ut ibidem explicatū est. Ex quibus iterum patet nihil referre, quòd intellectus à quibus producitur visio sint specie diversi, quia ut dictum est; non concurrunt ad illam producendam propria virtute, sed ut elevati per lumen, nec prout sunt specie diversi, sed quatenus per potentiam obedientialem, seu coaptationem essentialem capaces sunt illius, ut adhuc infrà explicabitur &c.

Dices huic rationi præcipuè quantum attinet ad identitatem principii per se productivi ex identitate radicis, seu gratiæ, & aduc supposita identitata objecti formalis, cui maximè innititur hæc ratio; manifestè instari, ut supra in frequentio: i, & probabilissima sententia Thumistarum, in justitia commutativa Christi, & nostra, quæ ut iosinuavimus, & latè 3. part. dictum est qu. 1. ad art. 2., distinguuntur specie, non obstante identitate radicis, seu gratiæ habitualis, quæ ejusdem rationis, vel speciei est in Christo, & in nobis; & non obstante etiam identitate objecti formalis, scil. æqualitate justitiæ in indivisibili consistente, ex eo quòd, ut explicant ibi præclarissimi viri; gratia in Christo est plena, ut ait M. Jo: à S. Th., vel est in illo tanq; in subjecto connaturali ut inquit M. Catalain, undè eadem justitia non sequitur in illo naturam gratiæ absolutè, sed ut est in subjecto connaturali *quod* scil. supposito divino, ergo poterit similiter esse diversum lumen saltem in Christo, & in aliis beatis ob eandem rationem non obstante identitate ejusdem gratiæ in illo, & in aliis, &c.

Sed contra hoc est; & in primis in opposita sententia, quam probabiliter sustinuimus saltem disputationis gratia, solutio magis confirmat argumentum factum, quod scil. ex identitate radicis, & objecti formalis, inferenda sit identitas utriusque justitiæ.

Sed deindè in eadem contendente diversitatem earum specificam, quam inter alius etiam subtiliter prout de more sustinet ibi Illustriss. Godoii disp. 6. §. 6. tract. 1. concl. 3., est de subjecto non supponente, quod sit identitas formalis objecti respectu utriusque justitiæ prout in Christo, & in nobis. Nam licet æqualitas reparanda per satisfactionem, ut abstrahit à debito, & jure divino, & humano, in consideratione methaphysica dicatur ejusdem rationis, non tamen in consideratione morali, nam in hac consideratione non consistit in indivisibili sicut in priori; diversa enim excellentia personarum, quibus est debitum aliquod jus facit formalem distinctionem inter debita, & distinguunt specie virtutes, quæ respiciunt illas, ut probat ibi M. Catalam etiam à simili in virtute religionis distincta à pietate, & in pietere distincta ab observantia, ex eo quod jus debitum Deo ob excellentiam divinam est alterius rationis à jure debito parentibus, & illud à jure debito alteri homini ob distinctam pariter excellentiam in illis, sed in casu non est assignabilis hujusmodi diversitas ex parte objecti, cum respectu omnium visionum, ut dictum est; sit Deus ut in se est intuitivè visibilis, ergo nec erit assignabilis diversitas ex parte luminis, quidquid sit, quod sit aliqua diversitas subjective ex parte radicis, vel gratiæ, insufficienter tamen ad diversificandum sinè formali diversitate objectiva. Sed de his fusè ibidem.

Secunda concl. Nec de potentia absoluta dari possunt visiones Dei specie diversæ; hæc concl., ut dictum est; non est adeò certa inter Thomistes, nam præter Navarrete relatum ex M. Catalam, citat à S. Tho: Egidium à præsentatione lib. 5. de beatitudine, q. 6. art 1. §. 15. n. 90. referentem Paludanum, & Fasolinum, sed fundamentum ferè nullum adducit ut idem M. advertit, nisi illud commune, scil. quia non apparet, quòd implicet contradictionem, quia licet specificativum formale, quod nobis modo constat dari in visione beata sit unum, tamen ignoramus an de potentia absoluta multis aliis modis possit Deus tribuere specificationem; cæterum ex dictis, & adhuc ex dicendis constabit esse hoc fundamentum insubsistens, nec esse aliud assignabile specificativum visionis beatæ, nisi Deum ut in se est visibilem intuitivè, quod ut per se patet, non est partibile in plura specificativa.

Nec obstat, quod ait D. Th. 3. p. q. 10. relata ar. 4. ad 3., nempè quòd absolutè possibilis est, *sublimior gradus, quam visio Christi secundum infinitatem divinæ potentiæ*. Nam in primis intelligere diversitatem specificam nomine gradus est omninò alienum à D. Th., ut benè ponderat à S. Th., sed intelligitur nomine gradus diversa intensio, undè etiā

modo dantur, ut vidimus, diversi gradus in beatitudine, non tamen diversæ visiones secundum speciem. Tum quia non loquitur ibi D. Th. de infinitate divinæ potentiæ reduplicativè in ordine ad Christum, sivè per respectum ad unionem personalem ipsius animæ cum Verbo, ut etiam advertit ibidem M. Porrecta, sed de infinitate absolutè considerata, nam loquendo de illa, priori modo acceptæ, inquit; *Nec potest unquam esse major perfectio videndi Deum in creatura, quam sit in anima Christi*. Quod satis apertè colligit ex eodem supra q. 7. art. 12. ad 2. ubi ait D. Th. *Quod licet virtus divina possit facere aliquid majus, & melius, quam sit habitualis gratia, non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid majus, quam sit unio personalis ad Filium unigenitum à Patre*. Ecce, quod sicut loquendo de eadem infinitate hoc modo non potest secundum D. Th. fieri major gratia, nec poterit fieri major visio. Quod etiam repetit infra q. 25. ar. 6. ad 4. dicens; *quod humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quandam infinitatem ex bono infinito, quod est Deus. & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquod melius esse Deo*. Ecce iterum, quod secundum eandem infinitatem sic relativè acceptam nequit secundum D. Th. aliquod esse perfectius: Immò ad primum ibidem non solum insinuat utramque explicationem, sed etiam conclusionem, dum ait, quod si dictio *melius importet modum ex parte facti, sic potest facere melius, quia potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia*. Ex quo sit argumentum: nam quia prædicata essentialia sunt invariabilia salva specie rei, licet in aliis rebus possit esse prior variatio, aut diversitas, non tamen posterior, ergo quia pariter in visione prædicata ejus essentialia, sivè specifica variari nequeunt salvo objecto formali, li et possit esse diversitas accidentalis, quantum ad gradualem intensionem, non tamen essentialis, & specifica desumpta ex objecto omninò invariabili, ut dictum est.

Ratio ergo fundamentalis hujus conclusionis sumitur ex eo, quia impossibile sit habere diversitatem formalem, vel specificam in actu, invariato manente objecto formali, principio per se productivo, & modo attingendi, sed hæc omnia manent omninò formaliter invariata respectu visionis, ut dictum est, ergo impossibile est hanc diversificari specie in beatis, maj constat, quia essentiæ rerũ sunt omninò invariabiles sicut numeri, constat autem ex dictis, quòd essentia actuũ attendi ur in ordine ad objectum specificativum supposita etiam unitate principii per se productivi, & modi attingendi &c.

Urg hoc: quia de objecto formali tam respectu visionis, quam luminis non videtur posse dubitari, quod sit semper idem specie, nisi velimus, quòd Deus ut in se est, clarè, & intuitivè visibilis possit in plures species dividi, quod videtur omninò alienum, cum immaterialitas divina crescere, aut variari nequeat specificè. De modo verò attingendi prob. ulterius, nam sicut ex parte habitus luminis semper est idem modus attingendi, nempè per modum principii ex se permanentis, & inclinantis ad videndum cum facilitate, & delectatione, ità etiam perpetuò est ex parte visionis, nempè per modum actualis tendentiæ in Deum, ut in se est visibilis sinè mediis, nec est alius assignabilis, ergo nec ex diversitate modi attingendi admittere possumus specificam inæqualitatem in visionibus beatorum. Et quidem si semel admittitur posse lumen gloriæ, & visionem specie multiplicari, nulla relinquitur efficax ratio ad probandam unitatem specificam luminis, & visionis Christi cum visione, & lumine aliorum beatorum: esse verò ejusdem speciei, sicut & gratiam est jam communis consensus Theologorum.

Similiter admissa semel hac diversitate specifica, nec videtur via ad negandam de facto; non enim, ut insinuavimus, est diversitas specifice in Deo ut in se est intuitivè visibilis, tam de facto, quàm de possibili respectu suæ intelligibilitatis, vel immaterialitatis, sivè ex parte sui, sivè ex parte speciei, quæ pariter est increata: & non existente eadem ex hac parte, nec potest esse ex parte principii, nec ex parte modi attingendi, & consequenter, nec ex parte visionis, ut dictum est; undè tota latitudo, aut diversitas in videndo Deum ad solam gradualem intensivam reduci potest, & per illam vinci; nam tota in hoc consistere videtur, quod magis, ac magis perfectè penetretur Deus in ea linea, & modo, quo nunc magis, ac megis à perfectioribus beatis penetratur, ità quod (ut inquit à S. Th.) si à visione animæ Christi, quæ est maxima, usque ad comprehensionem Dei restant infiniti gradus, & modi videndi syncathegorematicè, omnes illi per additionem intensivam luminis vinci possunt, sicut omnes, qui nunc sunt à minimo beato usque ad Christum per augmentum intensivum ejusdem luminis vincuntur, ergo ad omnes gradus visionis divinæ non requiritur lumen distinctæ speciei, sed tota latitu lo videndi Deum modo finito, quæ potest in infinitũ crescere syncathegorematicè per majorẽ ac majorem intensionem hujus specifici luminis, quod nunc datur, vinci potest; undè concludit contra Egidii (nam de diverso modo attingendi contra Navarrete jam dictum est,) nullum esse hoc fundamentum ad concipiendam possibilem distinctionem specificam in visione, & lumine gloriæ, nempè quia ignoramus an possit Deus multis aliis modis dare specificationes, nam ad illud solvendum, satis est recurrere ad principia philosophica, & fundata in essentiis rerum, quantum ex ratione naturali capi potest.

§. II.

Solvuntur argumenta.

PRimò arg. principaliter contra primam. Intellectus hominis, & Angeli differunt specie, ergo etiam visiones; ant. patet, quia sunt proprietates naturarum specie distinctarum, & consequenter de quolibet eorum respectu naturæ, cujus est proprietas, verificari debet ei soli convenire, at hoc, ut patet, verificari non posset, si idem specie esset in homine, & Angelo, ergo, cons. verò prob., quia potentiæ activæ, specie distinctæ producunt actus specie distinctos, ut patet inductivè.

Huic arg. dato antecedenti negant plures cons., sed in solvenda ejus probatione divisi mentes alii, (quos suppresso nomine refert hic M. Catalam) respŏdent actiones procedentes à causis distinctis specie non opor-

portere esse specie distinctas, quod explicant exemplo caloris, qui sive producatur à sole, sive ab igne, semper est ejusdem speciei, & consequenter etiam actio per quam fit. §. Cæterum hæc solutio non videtur sufficiens, nec ejus exemplum ad rem, quia sol & ignis, ut dictum est; non concurrunt ad calorem, ut causæ particulares ejusdem ordinis, sed sol ut causa universalis æquivoca continens virtualiter vim calefactivam ignis, & ejus effectus; & ignis ut causa particularis ei subordinata, at verò intellectus humanus, & angelicos concurrunt ad visionem ut causæ particulares disparatæ.

Deindè licet calor à sole productus sit idem specie in ratione caloris cum calore producto ab igne, differt tamen specie ab illo in ratione termini, ex diverso modo attingendi, nam modus causandi, sicut & causalitas, vel actio solis specie differt à causalitate, & actione ignis, ut efficaciter probat idem Magister dub. 2. de auxiliis concl. 1. in fine, quia inintelligibile est causas semel diversas, quantumvis subordinatas non habere diversum modum causandi, nam si subordinatio non tollit diversitatem à ratione causæ nec tollet à causalitatibus, imò alias subordinatæ non essent excluso diverso modo causandi, quia causalitas causæ subordinatę essẽtialiter alteri est causalitas inferior, & depẽdens per se à superiori, cui subordinatur. Undè diversa est etiã specie attingibilitas ex parte termini prout sic, sicut in simili innuimus de eodẽ termino prout correspondet motui circulari, & recto.

Alii, ut Vasquez hic disp. 47. c. 5. num. 11. resp. intellectum esse quasi genericam, & universalem causam visionis, lumen verò esse causam specificam, & determinatam, & ideò non inferri diversitatem specificam illius ex diversitate specifica intellectuum, quia dum dicitur virtutes, aut potentias specie diversas producere actus diversos specie, debet intelligi de virtute activa, quæ est principium proximum, & particulare determinatom ad speciem actus.

Sed hęc solutio consequenter loquendo ad principia sui auctoris sustineri nequit, quia ut vidimus supra; ipse docet intellectum tam humanum, quàm angelicum habere ex se virtutem requisitam ex parte potentiæ ad producendam visionẽ, ergo intellectus humanus, ut virtus productiva respicit visionẽ, quã producit, ut partem subjectivam directè contentam sub adæquato actu, quem potest producere, (& idẽ est, de visione producta ab intellectu Angeli,) ergo sunt visiones specie distinctæ, prob. conf., quia actus adæquatus, quem ut producibilem sua virtute nativa respicit intellectus humanus specie differt ab adæquato, quem ut à se producibilem respicit angelicus, ergo visio ut pars subjectiva contenta sub uno, specie diversa est à visione ut parte subjectiva contenta sub altero; conseq. per se est evidens, ant. verò probatur ex his, quæ latè tradiddimus in lib. de anima, quia ut communiter docent Philosophi ibidem cum Arist. in 2. cap. 4., potentiæ specificantur per ordinem transcendentalem ad actum, ergo necesse est actũ adæquatum per se inspectum ab unaquaque potentia, ut specificativum extrinsecum; & terminum ordinis transcendentalis, à quo intrinsecè specificatur, esse specie diversum, ut potentiæ distingui possint specificè.

Alii resp. visiones hominis, & Angeli in ratione intellectionis distingui specie, & hoc probare argumentum, sed in ratione visionis esse ejusdem speciei ex unitate objecti, speciei intelligibilis, & luminis. § Sed neq; hæc solutio subsistere potest, quia dum dicitur priori modo distingui specie, vel loquitur de specie subalterna, seu intersecta, quæ ut genus contrahatur per formalem rationem visionis, vel de specie athoma, aut infima. Si primum manifestè implicat, quod in ratione visionis sint ejusdem speciei, si semel in ratione intellectionis distinguuntur specie, quia ut pariter vidimus in logicis, & traditur ibi communiter cũ Aristotele in antepraedicamentis cap. de regulis; implicat duo genera non subalternatim posita contrahi per eandem differentiam, quia nempè essentialiter distinguerentur specie, & non distinguerentur, ut patet, cum teneantur omninò differre specie, quæ differunt genere, & nequeant differre genere, quæ eadem differentia athoma constituuntur. Si verò dicatur secundum, necesse est in visione hominis, (& idẽ est de visione Angeli) constituere aliquam intellectionem unam specie athoma, cui ratio visionis superveniat, ut accidens, ut patet, cum prout sic supponatur jam constituta adæquatè intra suam speciem; tum quia si semel superveniret, ut formalis ratio, seu ut differentia, non posset, ut dictum est; distingui specie in ratione intellectionis ab illa Angeli, si velimus in ratione visionis esse ejusdem speciei.

Vel ergo talis intellectio esset naturalis, vel supernaturalis. Primum dici non potest, ut patet ex dictis. Secundum verò manifestè infert non magis posse distingui specie in ratione intellectionis à visione Angeli, quam in ratione visionis. Quod prob. quia utraque ut intellectio est una specie, deberet versari circa objectum supernaturale specie unum, & procedere ab aliquo supernaturali lumine media aliqua specie intelligibili, sed tale objectum non posset esse aliud, quam Deus ut in se est, & per consequens, nec lumen aliud, quam lumen gloriæ, nec species alia, quam divina essentia, ergo idem objectom respiceret utraq; in ratione intellectionis, quod in ratione visionis, medio eodem lumine, & specie, ergo si ob identitatem horum trium sunt ejusdem speciei in ratione visionis, erunt etiam ejusdem in ratione intellectionis.

Alii ergo, ut M. Soto, ubi supra, & Cabrera disp. 3. relata ad secundum Resp. conseq. esse nullam, & ejus probat. solum habere vim in potentiis, & causis concurrentibus propria virtute, & ut diversæ sunt inter se, at vero intellectum angelicum, & humanum non concurrere virtute propria, & naturali ad visionem, sed ut elevatos à lumine gloriæ ejusdem speciei, & media potentia obedientiali, quæ in utroque etiam est ejusdem speciei, quia non consequitur ut proprietas ad intellectum hominis, & Angeli ut differunt inter se, sed ut conveniunt in ratione intellectus creati, specifica autem vel diversitas generica inter illos materialiter, & quasi per accidẽse habet respectu talis potentiæ obedientialis.

Hæc solutio optima est supposita opinione, quam supra insinuavimus ut probabilem, & tenet Cabrera ibi ad 4. nempè quòd Deus ut quidditativè, & clarè cognoscibilis non contineatur ut pars subjectiva sub objecto specificativo intellectus creati, sed tantum, ut cognoscibilis est quoad an est per effectus, ut rectè ponderat, & apprubat in eadem opinione M. Catalam hic ad primum. Quia si Deus ut in se est quidditative cognoscibilis non continetur sub objecto specificativo intellectus humani, ut pars subjectiva, sed solum materialiter ut quid pertinens ad objectum extensivum, nec visio Dei continebitur sub actu speci-

 fica-

ficativo illius; & consequenter licet objectum utriusque, vel actus specificativus eorum distinguantur specie, adhuc poterit visio hominis esse ejusdem speciei cum visione Angeli.

Cæterum in opposita sententia asserente contineri Deum quidditative cognoscibilem sub objecto specificativo utriusque intellectus, & per conseq. etiam visionem sub actu specificativo utriusque, solutio hæc consequenter loquendo sustineri non potest. Quia si semel actus specificans intellectum humanum distinguitur specie ab actu specificante angelicum, necesse est omnem actum contentum sub actu specificativo unius distingui specie ab actu contento sub specificativo alterius, alioquin eadem species contineretur sub duobus generibus non subalternatim positis, quod implicat, ut dictum est.

In hac ergo opinione, quam ut probabiliorem sustinuimus, vel negandum est ant., vel distinguendum claritatis gratia ex dictis supra. Intellectus hominis, & Angeli differunt specie in ratione potentiæ intellectivè, nego ant., ut proprietates sunt hominis, & Angeli conc., priori ergo modo, cum objectum utriusque specificativum sit idem, nempe ens in tota sua latitudine sub ratione veri, nequeunt prout sic distingui specificè, quia eorum specificatio, ut potentiæ sunt, sumitur ut vidimus; ex objecto, quidquid sit in ratione proprietatis, nam sub hac ratione ut dicebamus, & docet Cajet. infra q. 77. ar. 3. §. ad evidentiam in fine, potentiæ ut sunt proprietates non specificantur per actus, & objecta sed per essentiam, à qua emanant, quod explicat ibi exemplo visus, qui in ratione potentiæ ejusdem speciei est in homine, & aliis animalibus, quia idem formale objectum respicit, & tamen in ratione proprietatis distinguuntur specie. Unde etiam Ferrara 2. cont. Gent. c. 94. §. ult. docet intellectiones provenientes à diversis naturis, comparatas ad objecta esse ejusdem speciei licet comparatæ ad naturas, ut sunt propriæ earum operationes distinguantur specie. Favet etiam, ut vidimus, huic solutioni D. Tho. infra q. 59. ar. 1. ad 1. ubi docet idem esse objectum appetitivæ potentiæ propositum per rationem, seu per intellectum discursivum, & per intellectum Angeli, & ideo in Angelis non esse superiorem voluntate consequente rationem.

Sed ad pleniorem hujus doctrinæ intelligentiam recolẽda est altera illa superior distinctio de eodem intellectu hominis, vel Angeli, nempè quòd adhuc dupliciter considerari possunt. Primò absolutè, secundum commensurationem, & coaptationem essentialem ad objectum intelligibile, & actus intelligendi, & hoc est considerare illum in ratione potentiæ intellectivæ. Secundò, ut habet superadditum modum aliquem operandi magis, vel minus perfectè connaturalem tali rationi potentiæ non absolutè, & secundum se consideratæ, sed quatenus est in tali subjecto v.g. in homine, vel in Angelo, ut in simili proportionabiliter dictum est de justitia commutativa, prout in Christo, & in nobis, & hoc est considerare intellectum hominis, vel Angeli in ratione proprietatis: si ergo priori modo consideretur intellectus hominis, est ejusdem speciei cum angelico, nec consequitur prout sic essentiam, sed gradum substantiæ intellectualis univocè communem utrique, & ideò nec est proprietas hominis, ut acutè ponderat hic M. Catalam. Si verò posteriori modo consideretur, tunc ut proprietas emanat ab essentia hominis, & specie distinguitur ab Angeli intellectu, qui sub alio modo operandi emanat ut proprietas ab essentia ejus, sicut similiter dicit idem Magister de eadem justitia commutativa prout in Christo 3.p.q.1.ar.2. dub.7. concl. ultima, quę prout in illo, & ut sequitur naturam gratiæ non absolutè, sed ut est in suo connaturali subjecto, quod est suppositum divinum ut subsistens in natura intellectuali creata, distinguitur in ejus sententia specificè à nostra. Nec est novum, ut ex eodem dictum est, qualitatem aliquam secundum rationem specificam non esse proprietatem alicujus substantiæ, & secundum aliquem peculiarem modum, aut gradum intensionis esse proprietatem ejusdem, ut patet in calore, qui absolutè secundum suam essentiam non est proprietas ignis, & tamen in summo gradu est proprietas ejus.

Aliam etiam solutionem tradit Mag. Ferre, distinguendo iterum de his potentiis, & secundum quòd considerantur in ordine ad actus ordinis naturalis, & tunc dicit distingui specie; & in ordine ad elicientiam visionis beatę, & tunc dicit esse ejusdem speciei, quia non eliciunt illã nisi ratione luminis gloriæ, quod est in illis ejusdem speciei athemæ, unde diversitatem specificam, quam aliàs habent non exprimunt in ordine ad visionem beatam, & ideo in visionibus beatis inferri nequit inęqualitas specifica ex eo quod altera sit ab Angelo, seu forma angelica, & altera ab homine, sive à forma humana, quia istæ non concurrunt ex propriis, sed ratione solius luminis dantis præcontinentiam adæquatàm illius.

Cęterum hæc solutio quia aliquomodo coincidit cũ superiori Mag. Soto, & Cabreræ in eo quod videtur extrahere Deum clarè visibilem, & actum visionis a specificativo nostri intellectus, & reducere ad lineam extensivam, ut tenet Cabrera; (nisi velit dare duo specificativa respectu illius, alterum in ordine naturali, alterum in ordine ad supernaturali;) patitur easdem difficultates, & replicas, quas contrà illam adduximus; unde standum est præcedenti, quã egregiè prout de more sustinet M. Catalam, utpotè etiam conformi superioribus doctrinis, quas de objecto intellectus tradidimus, & alibi etiam in lib. de anima.

II. Arg. impugnando fundamentum conclusionis ex parte luminis. Et est replica etiam contra præcedentem solutionem M. Ferre, & aliorum, Principium per se productivum visionis, scil. lumen vel nõ est idem specie in homine, & Angelo, vel hoc etiã dato non impeditur inæqualitas specifica utriusque, ergo, probat. ant. 1. quoad pp. Tum quia ejus diversitati specificæ non obstat identitas gratiæ ad quam sequitur, vel cujus est consumata perfectio, ut patet in prędicto exemplo utriusque justitiæ commutativæ in Christo, & in nobis juxta alteram probabilissimam sententiam distinguentem illas specificè. Tum quia ex eo quod intellectus Angeli, & hominis semel differant, elevari nequeunt per formam supernaturalem ejusdem speciei, sicut nequeunt hac ratione elevari per eandem intellectus, & voluntas. Tum quia estò creaturæ attingantur per visionem, ut objectum secundarium, & solus Deus, ut primarium adhuc est sufficiens principium distinguendi utramque specificè, sicut licet Deus in linea Religionis, vel cultus veniat, ut objectum primarium, & Sancti, ut secundarium, quia nempe sunt aliquid Dei, & ob excel-

cel-

cellentiam ab eo participatam coluntur, nihilominus assignantur ibi diversæ virtutes scil. latria, respectu Dei, & Dulia respectu Sanctorum 2. 2. q. 103. art. 3. & 3. p. q. 25., ergo pariter visio attingens Deum, & visio attingens creaturas in Deo distinguentur specie. Tum denique in lumine prophetico, quod juxta D. Thom ibi q. 174. art. 1. est diversæ speciei athomę, ergo pariter lumen, & visio in utroque intellectu poterit specificè distingui, prob. conf. Tum quia utrumq; lumen est supernaturale, & clarum. Tum quia hoc meretur eminentia objecti infiniti, ut est Deus, quod sit diversis tantum modis cognoscibilis, & non nisi diversę speciei cognitionibus, & visionibus exhauriri, vel attingi possit &c.

II. Prob. eadem mi. quoad secundam partem, quia inæqualitas specifica visionum componi potest cum identitate, vel æqualitate luminis gloriæ, ergo licet in homine, & angelo sit idem adhuc poterunt visiones specificè distingui; prob. ant. primò iterum in eadem justitia commutativa Christi, & nostra in prædicta opinione distinguente illam specificè non obstante identitate gratiæ, ad quam sequuntur. Deinde in calore hominis, & ignis, qui licet sint ejusdem speciei producunt tamen effectus specie distinctos; nam in animali producit carnes, & in igne ignem. Tertiò in eadem forma, v. g. in anima sensitiva, quæ ob diversam dispositionem materiæ producit similiter effectus specie distinctos, scil. rationem principii activi generationis in masculo, & passivi in fœmina juxtà communem saltem opinionem Peripateticorum, Tertiò in charitate, quæ licet eadem sit tota ratio merendi, sicut lumen est tota videndi, nihilominus merita vitæ æternę distinguuntur specie juxtà diversitatem virtutum, quibus communicatur idem valor, vel quæ meritoriè concurrunt ad illam per valorem sibi communicatum à charitate, ergo licet pariter idē sit lumen concurrens ad utramq; visionem, & ad omnes, poterunt nihilominus juxtà diversitatem intellectuum concurrentium per vires luminis distingui specificè visiones.

Urg. hoc, & præoccupatur solutio. Quamvis aliæ virtutes à charitate nullam ex propriis habeant virtutem influxivam meritoriè ad præmium essentiale gloriæ, seu ad vitam æternam, sed adæquatè eam accipiant à charitate, nihilominus partitur specificè idem meritum juxtà earum diversitatem, ergo licet prædicti intellectus, & cæteri creati nullam rationem sui habeant vim proximè visivam Dei, sed adæquatè eam accipiant à lumine, poterunt nihilominus visiones specificè distingui juxtà diversitatem intellectuum.

Ad hoc nego ant., quoad utramque partem, Ad probat. pro prima jam dictum est quoad utramq; justitiam commutativam inopinione sic specificè distinguente illas, quod nō solum in Christo sequitur ad gratiā non absolutè, & ut est in subjecto connaturali *quod*, sivè divino, (quod etiam dici posset de lumine gloriæ in illo,) sed etiam cum habitudine ad distinctum objectum formale, quod non convenit lumini, ut dictum est, undè in opposita non agnoscente talem distinctionem formalem in ejus objecto retorqueri poterat.

Ad secundam nego ant. Ad probat. annexam, seu paritatem de intellectu, & voluntate nego suppositum, quòd sit eadem capacitas elevabilitatis in utraque hac potentia per eandem formam, sicut est in utroque intellectu, quia cum voluntas pertineat ad distinctam lineam, & habeat diversum modum tendendi ad objectum, & ad volendum, & non ad intelligendum, non est illa capacitas ejusdem rationis cum illa intellectus, sed solum est elevabilis per formam inclinativam, vel appetitivam, ut est charitas, non illuminativam, & pertinentem ad lineam cognitionis, ut est lumen, undè licet ex diversitate intellectus, & voluntatis rectè arguatur diversitas formæ, non tamen ex illa utriusque intellectus, quia hæc est ejusdem rationis, & æqualis in omni intellectu creato, sicut æqualis est in omni voluntate creata respectu charitatis, unde etiam poterat retorqueri facta paritate inter utramque voluntatem angelicam, & humanam,

Ad tertiam similiter resp. sicut ad primam, quod in linea cultus, ut insinuavimus, est diversum objectum, & motivum formale, nam sancti, vel creaturæ non coluntur ratione divinæ excellentiæ in se, quæ est objectum latriæ, sicut videntur ratione divinæ essentiæ, & amantur ratione divinæ bonitatis, sed ratione bonitatis propriæ, quam habent in se ipsis intrinsecè, & formaliter, licet participativè à divina bonitate, undè eorum bonitas non pertinet præcisè ad lineam secundariam respectu cultus, sicut pertinent creaturæ respectu visionis, & amoris charitativi, lumen enim & charitas sunt qualitates theologicæ, quæ solum Deum habent pro objecto immediato, seu primario, & specificativo, cultus verò pettinet ad lineam moralem, quæ ab excellentia, sivè sanctitate, & bonitate morali specificari potest; & ideò Dulia respicit tanquā objectum formale excellentiam & sanctitatem creaturæ, latria verò excellentiam divinam, seu reverentiam ad illam, & ità distinguuntur specie penes diversa objecta formalia. Sumitur solutio ex D. Th. 22. q. 25. ar. 3. ad 2. & q. 81. ar. 4. ad 3. Et de virtutibus q. 2. ar. 2., & in 3. dist. 9. qu. 2. ar. 1. ad 2.

Ad 4 In opinione Cajet. ibid. q. 174. ar. 1. existimantis D. Th. sentire Prophetiam esse unius athomæ speciei ob unitatem athomam luminis prophetici, ut dixerat q. 171. ar. 3., & quod in q. relata solum distingua. species propheticæ secundum sentent. Glossæ, non suam: similiter juxtà interpretationem aliorum, quod loquatur D. Tho. de distinctione materiali non formali, sicut 85. ibid. ar. 3. ad 2. & 3. ait dari plures divinationes specie differentes, quod aliqui interpretantur de distinctione materiali, ex objecto scil. materiali, non deformali, quia idem finis est omnibus, scil. cognitio occultorum, patet eandem instantiam non habere vires, sed magis confirmare nostram sententiam.

Sed deinde transeat ant., & nego conseq., nam licet lumē propheticum supernaturale sit, & aliquomodo clarum modo in proœmialibus explicato, non tamen est visivum Dei, ut in se est, quiditativè, sed per effectus, sive in speculo, & enigmate, unde potest prout sic modificari, & partiri sufficienter ad diversificandum diversum lumen, cæterum visio, sicut & lumen gloriæ, utpote tendentes ad Deum clarè, & intuitivè, ut in se est, omninò respiciunt illud, ut indivisibilem formaliter, undè licet ex sui eminentia possit diversimodè cognosci in ordine ad alia lumina, & per effectus, non tamen in ordine ad illud beatificum, & ut quidditativè, vel intuitivè cognitus. Per quod patet ad utramque prob. conseq.

Ad

Ad 2. principalem prob. pro 2. parte, nego ant., ad primam prob. de utraque justitia jam dictum est. Ad 2. de calore præter superiora, dist. ant., est idem logicè, vel præcisivè transeat, vel conc. physicè, & in re, nego, sicut enim ratio animalis præcisivè, vel logicè sumpta non dicitur, prout sic specie differre in homine, & in leone: in re tamen, vel prout contracta per differentiam utriusque differt specie, una ab alia, cum trahatur prout sic ad speciem subjecti, in quo contrahitur. sic etiam calor prout est virtus orta ab animali in vivente sensitivo dicitur specie distingui à calore, ut est virtus ignis, unde non est mirum, quòd in illo producat carnes, & non producat in subjecto inanimi, sicut prædicta justitia in Christo offert Deo æquale pro offensa mortali, & non in pura creatura.

Ad 3. distin., & explico ant., propter diversam dispositionem materiæ connaturaliter se habentem ad illos effectus, conc., quasi obedientialiter, nego, nam cum illi effectus non excedant, ut in casu, proportionem materiæ, habet hæc ex propriis conferre ad diversitatem eorum; cæterum visio, ut sæpè dictum est, cum sit adæquatè supra vires utriusque intellectus & tantum producibilis ratione luminis, nequit diversificari ex parte eorum, sed ex sola hujus inæqualitate, & consequenter solum gradualiter, & intensivè, non specificè, cujus est incapax lumen &c.

Ad 4. dicimus 1. posse retorqueri; nam sicut merita in eo, in quo à sola charitate dependent scil. quoad sui valorem, sunt specificativè invariabilia, licet quoad elicientiam, & tendentiam ad objectum, in quo ab aliis virtutibus dependere dicuntur, specificè distingui possint, ita pariter visiones in eo, in quo dependent à lumine (à quo aliàs non tantum adæquatè dependent quoad sui quantitatem, sed ratione illius solius elici possint) specie differre non poterunt. Unde in forma, vel nego quod charitas sit eodem modo adæquata ratio sicut lumen, tam scil. quoad rationem valorandi, quam quoad rationem eliciendi, & tendendi ad propria objecta virtutum: vel distinguo, charitas est adæquata ratio quoad utrumque sicut lumē, neque quoad rationem valorandi, conc., & distinguo alteram partem, merita nihilominus distinguuntur specificè in ratione valoris respectu vitæ æternæ, ut præmij essentialis, conc. quoad tendentiam ad propria objecta, & in ratione eliciendi, nego. Nam quoad hoc attenduntur etiam ex parte virtutum, à quibus proximè, & immediatè eliciuntur, & quæ etiam ex propriis (specialiter loquendo de supernaturalibus) sunt aliquomodo influxivę ad gloriam, ut alibi explicatum est, de efficacia charitatis: sicut in simili proportionabiliter ostendimus 3. par. qu. 1. ad ar. 2. de actionibus Christi meritoriis, & reflexivis super ejus Personam, quod in ratione valoris, vel moralitatis reflexivæ omnes sunt ejusdem rationis, & speciei, ut sic dicamus; in alia tamen moralitate objectivæ, & secundum tendentiam ad objecta propria dicuntur specificè distingui juxta meritum virtutum à quibus eliciuntur &c.

Ultimò arg. cōtra 2. De potētia absoluta potest visio produci solo auxilio actuali sine habitu luminis gloriç, sed tunc esset distincta specie à producta per habitum luminis, ergo, mai. constat ex dictis, mi. verò probatur quia tunc principium per se productivum, scil. auxilium actuale esset specie distinctum à per se productivo de facto, scil. ab habitu luminis, ergo pariter utraque visio ab illis producta, prob. cōseq. quia principia, seu qualitates per se productivæ, specie diversæ postulant actus specie diversos, nam distinguuntur, & specificantur per actus, ergo &c.

Ad hoc, nego mi., nam probabile est de facto primū actū contritionis, vel charitatis, quo impius se disponit ad justificationem, & primum actum fidei in adulto infideli, solo auxilio actuali produci, & saltem de potentia absoluta esse producibilem per illud videtur certum, & tamen fatemur omnes, ut suppono, esse ejusdem speciei cum subsequentibus productis ab habitu, quia nempè versantur circa idem objectum formale, à quo potissimè dependet unitas, & diversitas specifica actuum, nam cætera concurrentia regulanda sunt juxtà meritum objecti formalis, ut alibi in philosophicis explicatum est. Ad probat. nego conseq. ad illius probat. distin. ant. si sint qualitates productivæ, non per se subordinatæ in agendo, sed quælibet seorsim nata sit operari, conc., si sint subordinatæ, ut in casu, nego, ut patet in habitu naturali, & potentia, quæ producunt eundem specie actum, esto distinguantur specificè inter se, ex eo quòd ad hoc dicitur sufficere diversitas in modo attingendi actum. habitus vero luminis gloriæ subordinatur in agendo auxilio actuali, quia licet sit sufficiens principium quoad rationem ejus specificam, non tamen quoad actualitatem, & existentiam, ut insinuavimus; & ideo de facto procedit visio beata ab auxilio actuali concurrente cum habitu, quo essentialiter est perfectius ut explicatum est, quia est participatio divinæ perfectionis, seu potentiæ, ut simul habet rationem principii productivi, & operationis, in quo excedit habitum, qui est tantum participatio illius, ut habet rationem principii productivi, & deinde etiam operationem, quæ est tantum participatio ejus, ut habet rationem operationis.

Unde mirum non est, quòd Deus conferendo hoc auxilium intensius, quàm conferat de lege ordinaria efficare possit, ut eadem visio specie quoad substantiam producatur sine habitu luminis, quamvis non eodem modo, quia non fieret cum facilitate, & delectatione modo connaturali agendi viventis, qui est se movere ad actum per formam intrinsecam distinctam ab auxilio Dei moventis ad exercitium actus.

§. ULTIMUS.

Corolarium ex dictis.

Ex tota hac celebri disputatione facilè inferre possumus, quomodo componantur diversi modi dicendi inter Thomistas circa vim influxivam intellectus ad visionem, aliis asserentibus quemcunque intellectum etiam infimum habere vim radicalem, qua possit influere, & attingere productionem illius, Ledesma q. 8. de Divina perfectione ar. 7. concl. 2. & Alvarez disp. 64. de auxiliis; aliis id negantibus de intellectu etiam supremi Angeli; Cabrera 3. p. q. 9. ar. disp. 4. concl. 2. Cæterum controv. inter hos Auctores, ut rectè advertit, & discurrit M. Catalam, hic dub. 3. in appendice non tam est de re, quam de mo-

modo loqoãdi, nam tria hæc admittunt omnes, qoę in doctrina D. Thó. ut certa admittenda sunt. Primum est visionẽ beatam esse omninò, vel adequatè supernatoralem etiã quoad vitalitatẽ, ac proinde virtuti naturali intellectus nihil illius correspondere ut qualitati, aut virtuti productivæ, sed lumen gloriæ esse intellectui totam rationem agendi, ut latè ostensum est. Secundum est intellectum elevatum lumine verè activè concurrere ad productionem visionis, nec se habere præcisà ut subjectum sustentans formam, quæ est ratio agendi, sicut se habet aqua respecto calefactionis, nam de ratione vitalis operationis est, quòd activè procedat ab intrinseco, vel nativo priocipio viventis, aut secundum se, aut elevato, quia aliàs non se moveret vivens ad illam, sed ageret, ut inanime. Quomodo autem id componatur cum eo, quòd sit illi tota vis proxima, vel adæquata ratio agendi, sæpe dictum ast, quia id non tollit ab illo habitudinem potcotiæ, seu principii activi ad visionem tanquam ad aliquid intra sui spheram adæquatam contentum, quo pacto non continetur calefactio intra sphetam aquæ, sed magis hæc comparatur ad illam, ut ad aliqnid sui contrarium. Unde tertium est Deum, ut est objectum visioois continari intra latitudinam objecti adæquati intellectus creati, ut axplicatum est, & tradit D. Tho. cap. illo 54. 3. cont. Gent., ubi docet tantum comparari, ut quid excedens virtutem ejus, non ut aliquod extra facultatem illius.

Ut res tameo, & modus loquendi rectè percipiatur, duo illa ut supra, distingoenda sunt in intellectu, scil. aptitudo, & coaptatio essentialis, quæ est ipsa essentia potentiæ, & deinde virtus, seu efficacia agendi, per quam proximè operatur, quæ quidem tenemur omninò distingnere, nam primum consistit, ut dicebamus, in ordine transcendentali, seu habitudine potentiæ ad objectum adæquatum, vel specificativum, secundum verò est tantum per ordinem ad objectum proportionatum, ad quod attingendum habet afficaciam ex se. Et explicari solet exemplo potentię visivæ in talpa, quę licet habeat coaptatiooem essentialem in ordina ad visibile ut sic, à quo specificatur, non tamen habet virtutem, & efficaciam in ordine ad illud ut sic, quia non habet illam ad videndum solem sub illa communi ratione visibilis cooteotum.

Hæc verò coaptatio assentialis in ordine ad visionem, & Deum, ut in se est, prærequiritur iodispensabiliter ex parte potentiæ, vel intellectus, ut vidimus, ad hoc ut elevari possit ad illum videndum, ut etiam tradit D. Tho. loco proximè ralato, & hic art. 1. ad 4., asserit enim inter Deum ut in se est, & intellectum creatum esse coaptationem, quæ consistit in habitudine potentiæ ad objectum. Et patet, quòd interveniat, quia ad hoc satis est, ut Deus contineatur intra latitudinem objecti adæquati, vel specificativi intellectus, & visio intra latitudinem actus illius. Quod vero sit omninò necessaria, etiam constat quia aliàs non posset activè concurrere ad visionem, ut potentia vitalis, nam ob id solum, ut dictum est, repugnat sensum elevari ad videndum Deum, quia non cõtinetur iotra spheram objecti adęquati alicujus sensus.

Ex his facilè componitur uterque modus dicendi. Nam qui dicunt intellectum habere virtutem radicalem, intelligendi sunt de coaptatione essentiali in ratione potentiæ ad objectum, & ad visiooem, ut ad actum; qui vero negant ullam prorsus habere, de virtute, seu efficacia formaliter, qua ut ratione agendi producat visionem. Primum constat, quia Ledesma ar. 8. sequenti dub. circa solutionem ad 6. dicto 4. ut probabilius amplectitur intellectum creatum nullam habere virtutam, qua attingat productionem visionis, sed lumen gloriæ, & intellectum se habere sicut unam causam simplicissimam, sicut potentiam & virtutem, seù efficacitatem potentiæ. Et infra subdit, intellectum habere virtutem radicalem non esse aliud, quàm habere ex se, quòd sit natus elevari per lumen gloriæ, tanquã per virtutem totalem.

Quod autem prædicta coaptatio possit meritò dici virtus non formalis, sed radicalis, jam insinuavimus supra, & egregiè probat hic M. Catalan, quia nempè ratione illius habet intellectus esse radicale principium visionis activè concurrens cum lumine ad ejus productionem; & lumen, quod ast formalis virtus ex natura rei præsupponit illam ut radicem, quam perficit, & constituit in actu, & sinè qua nec de potencia absoluta posset producere visionam, ergo rectè in hoc sensu dici potest radicalis virtus, non quia sit principium, à quo oriatur lumen, sed quia eam præsupponit, ut radicem à qua intrinsecà pandet in producenda visione.

Secundum etiam patet. Tum quia impossibile ast, ut dicebamus; intellectum sinà illa concurrera activè, ut potentiam vitalem, nec iterum lumèn, ut proximè dictum est, ad producendam visionem, ergo. Tum quia de virtuta, seù efficacia formaliter probat ex professo Cabrera ibi nullam habere, ut tenemur fateri omnes, quia omnia virtus activa conveniens intellectui secundum se, essentialiter est naturalis, ergo non potast ut virtus, & ratio agendi attingere aliquid, visionis quę adæquatè, & secundum se totam est supernaturalis, nam virtus naturalis nequit ut ratio agendi producere aliquid supernaturale, præcipuè, quia ut dictum ast, & latà etiam demonstrat M, Alvarez disp. 68. de auxiliis, actio vitalis non potest procedere à potentia vitali, ut à causa instrumentali, opportet autam virtutem quamcunque, quæ ast ratio agendi principaliter, perfectiorem, aut æquè perfectam esse cum effectu saltem quantum ad id, quod in effectu correspondet ei, ut rationi agendi.

Hinc sequitur primò, ut vidimus; intellectum non comparari ad lumen gloriæ in ordina ad visionam, ut compartialem causam, sed ut essentiam potentiæ ad virtutem, & efficaciam, qua constituitur simpliciter potens operari. Unde in ratione virtutis, vel efficaciæ productivæ lumen ast tota ratio agendi, quamvis non in ratione potentiæ intellectivæ, sed ax ipso, & essentia intellectus constituitur quasi una integra potentia intellectiva productiva visionis.

Secundò sequitur, ut etiã ostensum est, non esse eandem rationem de aqua calida respectu calefactionis, & & de intellectu illustrato lumine gloriæ respectu visionis, quia aqua ex se non habet prædictam coaptationem essentialem potentiæ ad actum respectu calefactionis, nec perficitur per calorem ad agendum intrà latitudinem proprij objecti adęquati, vel specificativi, sed potiùs trahitur per illam ad esse contrarium suæ naturæ, & deniqua in producanda calefactione non pendet ab aqua, quia adhuc eam produceret, si in alio subjecto, aut separatus existeret, & ideo præcise se habet, ut subjectum sustantans formam: cæterum intellectus in ordine ad visionem hęc tria habet, ut dictum est, & ideo activè concurrit cum lumine, etsi illud ab extrinseco adveniens, sit tota virtus agẽdi. Quod satis

tis

tis atiam declarat exemplum formę substantialis, quę activè concurrit cum suis potentiis naturalibus ad proprias earum actiones, & tamen illis seclusis nullam habet virtutem activam, quamvis aliàs in hoc sit magna differentia, quòd à forma substantiali oriuntur naturales potentię, undè licet non agat nisi facta in acto per illas non tamē dicitur elevari ad agendum, sed principaliùs, quam illæ concurrit ad operationem; at verò lumen gloriæ, cum sit supra naturā intellectus cōcurrit principaliùs ad visionem, nec intellectus agere dicitur, nisi ut elevatus lumine.

DISPUTATIO ULTIMA.

De objecto Visionis.

TAM de objecto primario, quod est Deus, quam de secundario, quod est creatura inquirimus. Primum quidem ad art. 7. quid nomine comprehensionis veniat apud Scholasticos, in asserendo Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato. Secundum an sit hóc de fide certum. Tertium ad art. 8. an secluso miraculo videantur necessariò omnia divina viso Deo. Quartum an de potentia absoluta possint hæc videri præcisivè. Quintum de decretis liberis an videri possint eadem visione, qua videtur essentia. Sextum de objecto secundario, an videatur in essentia, ut in causa, vel in objecto priùs cognito. Septimū an videatur ut actu existens in aliqua differentia temporis. Octavum an sit necessarium videri aliquam, vel omnes creaturas, ut possibiles. ubi etiam præcipuè examinabimus, an ex visione omnium sequatur Dei comprehensio, & in fine aliquid de modo videndi, an simul, an vero successivè, & de privilegio videndi Deum in hac vita, an sit alicui concessum, &c. superaddito duplici corolario de cognitione habita in via de Deo.

QUÆSTIO PRIMA

Quid sentiant nomine comprehensionis SS. PP., & Scholastici, dum affirmant Deum esse incomprehensibilem.

QUæstionem hanc, & sequentem proponimos, tum ad rectè percipiendum pro aliis difficultatibus theologicis, imò & articulis fidei, ut statim dicemus, proprium conceptum comprehensionis; tum ut appareat, quàm immeritò Vasquez hic quædam asserat, quæ sinè detrimento bonarum litterarum, ut ait M. Catalam; potuisset omittere.

Primò enim in fine dispositionis dicit quęstionem de incomprehensibilitate Dei non esse rerum, sed vocum, cum revera quæstio sit de re magni momenti, utpotè ab illa pendens vera explicatio duorum articulorum fidei. Alter est beatos in visione, ut vidimus; esse inæquales; nam si semel admittitur Deum comprehensivè cognosci, vix, aut nullo modo intelligi potest, nedum explicari hæc inæqualitas. Alter verò Deum esse incomprehensibilem, quod de fide esse constabit infrà.

Secundò dicit c. 3. nu. 13. quòd concedere Deum comprehendi à beatis secūdum magis proprium modum comprehensionis non adversari doctrinæ PP. imò aliquos ex illis id docuisse, & tasert Div. August. & Nazianz.; subdit verò id esse contra communem sensum scholasticorum. Sed ex his duo gravia inconvenientia inferuntur; alterum est Deum nonnisi impropriè esse incomprehensibilem ab intellectu beato in doctrina PP., propriè verò loquendo de cōprehensione, absolutè, & simpliciter esse comprehensibilem. Alterum est Scholasticos DD. id docere de incomprehensibilitate Dei, quod nullus ex PP. docuit; imò sanctiores ex illis oppositum, sed primum communi iterum consensu Theologi non solum reiiciunt, ut temerarium, sed ut erroneum in fide, ut constabit q. sequenti. Secundum autem plenum esset impietatis, quia imponeretur gravissimis PP. id, quod jam sinè nota temeritatis docere nemo audet, nam ut ipse rectè concedit disp. 52. c. 2. n. 4. temerarium est affirmare id, quod est contra communem sensum Theologorum.

Tertiò dicit cap. 2. Quod si ad veram, & propriam rationem comprehensionis requirantur ea, quæ Div. Tho. & ejus Schola, Bonaventura, Scotus, Durandus, Ricardus, & alii tradiderunt, facilimè defendi de fide esse Deum esse incomprehensibilem. sed ea requiri ad veram comprehensionem non sibi probari, quia est contra Augustinum, nec alium adducit locum, nisi quem sibi opponit arg. primo, & egregiè explicat Div. Tho.

Denique cap. 4. Ne videretur Dei incomprehensibilitatem contra communem consensum negare, dicit ad comprehensionem non sufficere, quòd quidquid est in objecto formaliter cognoscatur plenè, & totaliter ex parte objecti penetrando totum, quod in ipso est, sed prætereà requiri, ut cognoscantur omnia extrinseca, quæ ab objecto oriri possunt, vel ab eo dependent, & hoc solo sensu ait, Deum dici incomprehensibilem, quia licet omnia, quæ in ipso sunt, tota, & totaliter ex parte objecti plenè cognoscantur ex vi visionis, tamen beati non vident nec videre possunt creaturas, quę à Deo oriri possunt, aut produci, & ab ipso dependere. Hunc autem modum nō aliter confirmat, quam asserendo non posse aliter defendi, quod Deus sit incomprehensibilis, quod quàm falsum sit q. & §. sequenti constabit.

§. II.

§. I.

Statuitur prima Conclusio.

PRæcedens modus explicandi rationem comprehensionis, & incomprehensibilitatem Dei est insubsistens, & omninò insufficiens. Prob. primò quia concedit, quod communiter negant omnes PP., & Theologi, ut patebit q. sequenti, nempè Deum quoad id, quod in ipso est, seu quantum ad intrinsecam perfectionem esse comprehensibilem.

Secundò quia juxtà illum possibile est saltem de potentia absoluta comprendi Deum ab intellectu creato, intellecta etiam comprehensione ad intentum sui Authoris, undè adhuc medio illo non effugit hoc inconveniens, ergo nec ab ipso, nec ab ullo Theologorum sustineri potest; prob. ant. ex propria ejus doctrina. nam disp. 49. docet fieri posse, ut omnia possibilia, & omnia futura revelentur beato, ergo tunc beatus cognosceret Deum totum, & totaliter tam quoad intrinseca, quàm quoad extrinseca, & consequenter comprehenderet, nam hoc solum deesse affirmat beatis ad perfectam comprehensionem Dei.

Dices ex eodem non satis esse, quòd cognoscantur extrinseca quomodocumque, sed debent cognosci ex vi ejusdem cognitionis, qua cognoscitur ipsum objectum, cum autem ex vi visionis nulla creatura cognoscatur, nec possit cognosci à beatis, sed solum per revelationes extra verbum, à nullo unquā comprehenderetur Deus, estò omnes creaturas cognosceret.

Sed contra hoc est: quia ad verificandum comprehendi objectum ab aliquo intellectu satis est sic cognoscere omnia, ut nihil ad ipsum pertinens lateat, aut nihil restet ampliùs de illo cognoscendum, sivè id contingat una, aut pluribus cognitionibus, ergò si semel admittitur posse à beato cognosci Deum quoad omnia intrinseca, & extrinseca, quæ nempè oriri possunt, aut pendere ab illo, tenemur asserere, quòd sit ab intellectu creato comprehensibilis, prob. ant., quòd cognoscantur omnia ex vi ejusdē cognitionis objecti tantum desiderari potest, ut verificetur una sola cognitione comprehendi, non tamen ut absolutè illud comprehendatur, ergo ad absolutè comprehendēdum non obstat pluralitas cognitionum, prob. ant. Tum quia ex eo cognitum quoad omnia ex vi ejusdem cognitionis dicitur comprehendi, quia nihil tunc omittitur de illo cognoscendum; nec enim potest afferri alia legitima caussalis, ut constabit concl. sequenti, ergo quotiescunque sic cognoscitur quoad omnia, ut nihil omittatur sivè de intrinsecis, sivè de extrinsecis cognoscendum verè dicetur comprehendi, estò id contingat pluribus cognitionibus.

Tum quia ut pluralitas cognitionum impediret comprehensionem, deberet impedire attingentiā quoad omnia, nam in hoc potissimè, ut dicemus, consistit comprehensio, ergo si hanc non impedit, non impedit cōprehensionem. Tum quia, & simul explicantur præcedentes replicæ; estò non eadē indivisibili, sed multiplici cognitione attingeret, nō minùs tamē quoad omnia totum objectum intra se clauderet, ità ut nihil lateret cognoscentem, quàm si unica penetraret omnia, ergo non minus illud comprehenderet.

Quod declarari potest exemplo corporalis comprehensionis, quia ut dicatur vas comprehendere totam aliquam aquam, nihil refert, quòd unico, aut duplici sinu eam totaliter includat, sed satis est, quod idem sit vas adæquatè eam includens; ergo pariter, ut dicatur intellectus comprehendere aliquod objectum nihil refert, quòd una, aut duplici cognitione includantur, vel penetrentur omnia, quæ ad ipsum pertinent, sed satis est, quòd idem sit intellectus includens omnia:

II. Impugnatur, & urg. simul, & explicatur præcedens replica. Ex eo ad comprehensionem objecti esset necessarium cognoscere omnia extrinseca, seu effectus, qui ab eo emanare possunt, vel dependent ex vi cognitionis, qua cognoscuntur ejus intrinseca, quia illorum cognitio necessaria est, ut exactè, & totaliter penetrentur intrinseca, aut quia intrinseca objecti totaliter penetrari non possunt, quin ex natura rei effectus cognoscantur, sed juxtà ejus doctrinam, possunt omnia intrinseca Dei totaliter penetrari, effectibus à Deo producibilibus, vel dependentibus non cognitis, nam expressè docet, licet contrà veritatem & communem sententiam ut vidimus, posse Deum quoad sui intrinseca totaliter per visionem penetrari, quin aliquis ejus effectus cognoscatur, ergo ad comprehensionem Dei non requiritur, quòd ex vi ejusdem cognitionis, qua videntur intrinseca, videantur effectus; ma. patet, quia nulla alia sufficiens ratio assignari potest talis indigentiæ, immò si cognitio effectuum non est in causa neque ex causa, ad perfectam causæ cognitionem nihil juvat, & consequenter nullo modo est necessaria ad comprehensionem causæ.

III. prob. conclusio ex inconvenienti: nam si incomprehensibilitas Dei ad præfatum modum reducēda esset, teneremur asserere quemlibet beatum tam perfectè ex parte Dei penetrare omnia intrinseca ejus, quàm Deum ipsum, sed hoc est omninò alienum, ergo insufficienter explicat illam, prob. mi., quia modus ille concedit totaliter Deum penetrari quoad omnia intrinseca, & comprehendi hoc ipso quòd videtur, undè ad salvandam ejus incomprehensibilitatem recurrit ad extrinseca, quod non esset necessarium, ut patet; si esset aliquis defectus in penetrando intrinseca, & revera hic Author hoc ipsum concedit; sed nequit dari major cognitio, quàm comprehensiva, qua totaliter penetratur objectum, ergo. Tū quia divina substantia præcisè secundum sibi intrinseca est simpliciter infinita tam in ratione entis, quàm in ratione cognoscibilis etiam ex parte objecti, nō enim est in Deo prædicatum, quod simpliciter infinitum intrinsecè non sit, si velimus esse divinum, ergo ad sui comprehensionem requirit Deus etiam ex parte sui, vel objecti cognitionem simpliciter infinitam. Tum quia cognitio increata Dei non excedit ejus cognoscibilitatem, sed est illi omninò adæquata, prædicata enim divina non sunt inter se inæqualia, ergo impossibile est, quòd cognitio inferior ad divinam adæquet cognoscibilitatem Dei etiam ex parte objecti penetrando totaliter, & comprehensivè omnia intrinseca ejus. Tum quia aliàs nulla daretur inæqualitas in essentiali beatitudine, nam si quilibet beatus videt Deum comprehensivè ex parte objecti, quantum ad intrinseca, non est assignabile, in quo consistat inæqualitas in visione, eò vel maximè, quia ut dictum est; contendit ipse, quòd ex vi visionis nulla creatura videatur, à beatis, & consequenter quòd tota inæqualitas attendenda sit in his, quæ sunt in Deo ergo stando in-

trà limites visionis non est assignabilis inæqualitas,

Dices fortè inæqualitatem visionis assignari penes hoc, quòd una sit intensior, & clarior altera. Sed hæc solutio destruit prædictum modum dicendi, quia repugnat unam esse intensiorem, vel clariorem altera, objecto sic cognito totaliter, & comprehensivè quoad omnia sibi intrinseca, ergo vel nequit sic comprehendi, vel data hac comprehensione non potest una esse clarior altera, prob. ant., nam semel admisso omnes esse æquales ex parte objecti, comprehensivè penetrando divinam essentiam nequit una esse intensior, & clarior altera in ratione cognitionis, nisi excedat divinæ essentiæ cognoscibilitatem, & sit excellentior comprehensio, quàm ex se petat divina essentia, sed hoc intrinsecè repugnat, ergo pariter repugnat excessus in claritate, & intensione, salva earum æqualitate, & comprehensione objecti quoad omnia intrinseca, mi. est certa, nam quælibet visio beata est finita in claritate, & intensione, ergo si aliqua excederet divinæ essentiæ cognoscibilitatem, tota cognoscibilitas Dei esset finita, ma: verò prob., nam si semel quælibet visio est comprehensiva totaliter penetrans Deum quoad omnia intrinseca, minus intensa, & clara debet in ratione cognitionis adæquari cognoscibilitati divinæ, quia repugnat in terminis, quòd sic totaliter comprehensivè cognoscat, nisi adæquet, ergo visio clarior, & intensior erit excedens cognoscibilitatem intrinsecam Dei, & excellentior comprehensio, quàm postulet divina essentia, cons. tenet, quia si minus perfecta sufficit ad adæquandum, perfectior debet esse excedens, ut per se patet,

§. II.

Statuitur secunda Conclusio.

Comprehensio intellectualis propriè, & strictè sumpta est cognitio, qua objectum cognoscitur quantū cognoscibile est ex se. Pro intelligentia adverto ex D. Th. hic ad 1. duobus tantum modis comprehensionis nomen in corporalibus, (ad cujus similitudinem dicitur intellectualis) sumi posse. Primò ut opponitur insecutioni, sivè pro simplici rei tentione, vel aprehensione juxtà illud Apost. 1. ad Corint. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. Et in hac acceptione, cum quis tenet, aut aprehendit rem, quam insequebatur, dicitur illam comprehendere, unde comprehensio in hoc sensu idem est, quòd assecutio rei in se. Secundò sumitur strictiùs pro totali inclusione secundum quantitatem, & tunc cum una res intrà aliam continetur, ut aqua intrà vas comprehendi dicitur! Hinc ad cognitionem per metaphoram translatum hoc nomen comprehensionis, duobus etiam modis accipitur; primò pro assecutione, vel intellectuali aprehensione rei in se ipsa, quam quis appetebat, & in hoc sensu visio beata, quia est assecutio Dei in se, quem per fidem, & desiderium in hac vita insequebantur beati, comprehensio dicitur, unde etiam beati, appellantur comprehensores, in quo comprehensionis nomen usurpasse Nazians. orat. 34., August. serm. 38. de verbis Domini, & alios SS. PP., dum dicunt Deum non posse in hac vita comprehendi, sed solum in Patria, docent omnes Theologi antiqui, & recentiores uno excepto Vasquez.

II. Sumitur strictè, & pro cognitione includente totaliter rem cognitam, seù adæquante cognoscibilitatem objecti, ut dicemus; Et de hac loquimur in præsenti.

Secundò adverto ex M. Soto 1. phys. q. 2. ad 2. & in 4. dist. 49. q. 3. ar. 1, duobus iterum modis posse rem aliquam dici magis, vel minus cognoscibilem, aut cognitam: primò ex parte cognoscentis, denominatione quasi extrinseca secundum quòd per perfectiorem cognitionem attingitur, vel attingibilis est; & non quia ex sua natura petat tam perfectam cognitionem, ut perfectè attingatur, sed quia, & si per aliam minus perfectam adæquatè cognosci possit, illi tamen non repugnat, ut per perfectiorem attingatur. In quo sensu formica estò adæquatè cognoscatur ab Angelo inferiori, potest tamen dici magis cognoscibilis, quia per cognitionē perfectiorem ab Angelo superiori cognosci potest. Secundò dicitur res magis, vel minùs cognoscibilis ab intrinseco, seù ex parte objecti cogniti, & tū: illud est magis cognoscibile, quod magis abundat de entitate, & actualitate, & hæc cognoscibilitas est positiva conveniens rei ex se, seù ex propriis, & ab intrinseco, undè non dicitur magis, aut minus cognoscibilis purè respectivè, sivè respectu uniùs intellectus, quàm alterius.

Tertiò adverto duobus adhuc modis posse intelligi cognitionem comprehensivam æquari objecto comprehenso. Primò veluti formaliter, sive in ratione cognitionis, & objecti cognoscibilis, & hujusmodi adæquatio in eo consistit, quòd cognoscibilitas positiva conveniens objecto ex se, exprimatur totaliter, & exhauriatur per cognitionem, undè in hoc sensu universaliter verificatur, quòd cognitio comprehensiva æquatur objecto, vel excedit illud. Secundò materialiter, sive in genere rei, vel entis, & sic æquari non est aliud, quàm quòd cognitio sit ita perfectum ens, sicut est objectum; & hoc formaliter, & per se loquendo, non est necessarium ad rationem comprehensionis, aliàs nulla substantia creata comprehendi posset per cognitionem creatam, quæ est accidens, ac proindè ens simpliciter inperfectius, quod tamen est falsum, nisi velimus, nec posse Angelum comprehendere formicam.

Diximus formaliter, & per se loquendo, quia quandoque gratia saltem materiæ est necessaria hæc æqualitas in genere rei, ut docet Cabrera statim referendus, ex M. Soto, quia cognitio comprehensiva divinæ essentiæ per legitimam consequentiam infertur ratione saltem materiæ, quòd sit tantæ perfectionis in ratione entis, quantæ est Deus, cum si semel adæquat cognoscibilitatem divinam, quæ est simpliciter infinita, teneatur esse infinita simpliciter, & cōsequenter increata, nam cognitio comprehensiva Dei non potest nō procedere à virtute intellectiva infinita, hæc verò debet esse increata, ac per consequens, & cognitio, quod est esse ejusdem perfectionis cum illo. De quo Cabrera 3. p. q. 10. ar. 1. disp. 1. concl. 4.

His prænotatis sensus conclusionis est, quòd de ratione essentiali comprehensionis sumptæ secundo modo, est quòd sit cognitio attingens objectum quantum cognoscibile est ex se, sivè quantum ex propria natura postulat cognosci. Ita explicata sumitur ex D. Th. de veritate, q. 8, ar. 2. & in 3. dist. 14. qu. 1. ar. 1. quæstiunc. 1., & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. & 3. cont. gent. c. 55. ratione prima, & hic in corp. ubi ait. *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur*

tur, perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Et quia dixerat ad comprehensionem Dei requiri, quòd videatur, aut cognoscatur totaliter: in solutione ad tertium explicat lli *totaliter* dicere modum objecti, ad quem nullus intellectus creatus pervenire potest, & ideò comprehendi non posse Deum à beatis, quia modus objecti non est modus cognoscentis, sed infinitè excedit illum, hoc est, quia visio in ratione cognitionis non habet modum adæquatum modo cognoscibilitatis objecti, nam Deus est infinitè cognoscibilis, & visio non est infinitè cognoscitiva, quia licet videat infinitam cognoscibilitatē objecti, non tamen videt modo infinito, sed finito, & deficienti, & consequenter cum perpetuo excessu intrinseco ex parte objecti supra se ipsam, quod pugnat contra rationem comprehensionis. Nec opus est immorari in referendis aliis authoribus, quia fatetur Vasquez id sentire graviores omnes cum D. Th.: & Lorca 1.2.q.5. disp.33. memb. 2. probat in sensu explicato esse communem omnium consensum.

Prob. autem primò invertendo fundamentum Vasquez sumptum ex definitione tradita à D. August. Ep. 112, c. 7. ad reiiciendam D. Tho., & communem sententiam, sed planè eadem definitio est contra ipsum, & efficaciter probat conclusionem, nam habetur sic. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*. Quam definitionem explicans D. Thom. hic ad 2. ait. Tunc fines rei circumspici intelligendo, quando ad finem in modo cognoscendi illam pervenitur, & in 3. ubi supra in corp. inquit. *Circumspici fines objecti esse, quod attingatur ab intellectu secundum totam rationem suæ cognoscibilitatis; & ad hoc requiri, quòd efficacia intellectus in intelligendo adæquet objecti cognoscibilitatem*. Et in 4. ubi supra ad 2. ait. *Duo posuisse Augustinum in definitione, primum, ut nihil ejus lateat videntem; secundum cujus fines circumspici possunt, & hoc secundo excludere excessum objecti supra cognitionem secundum quantitatem virtutis*. Quam in corp. dixerat, tunc excedere cognitionem, quando objectum plus est cognoscibile, quàm cognoscatur. Ex quibus interpretationibus patet, quòd juxta mentem Augustini, fines objecti circumspici, non est aliud, quàm cognosci quantum ex propria natura & entitate postulat cognosci, aut cognoscibile est. Hanc verò esse mentem Augustini docent omnes Theologi, qui eam definitionem sunt interpretati. Et patet manifestè, quia ibidem concedit posse Deum videri ut in se est, & tamen negat posse comprehendi, quia inquit, *Aliud* est rem videre, aliud videndo cōprehendere. Si autem hoc, quod est fines rei circumspici idem significaret, quòd necessè sit omnia, quæ in re sunt videre, debuisset August. concedere Deū visione comprehēdi, ergo contra Augustinum, vel ejus definitionem docet id sufficere ad comprehensionem, nec requiri præfatam adæquationem cum cognoscibilitate objecti non solum quantum ad numerum cognoscendorum, sed etiam quantum ad perfectionem, seu modum cognoscibilitatis ejus, ut statim explicabitur, &c.

Urg. hoc ex eodem lib. 12. de Civitate Dei cap. 18. ubi ait. Quòd *quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur*, quod tamen non est intelligendum positivè, quasi res, quæ comprehenditur, teneatur esse quid finitum, alioquin Deus non comprehenderet se ipsum; sed negativè, ut sensus sit, rem comprehensam non debere excedere cognitionem, ergo cum necessarium non sit, quòd non excedat in genere rei, ut patet ex dictis, necessarium erit ex mente Augustini, quòd non excedat in ratione cognoscibilis, excederet verò si non attingeretur adæquatè, quantum cognoscibilis est.

II. prob. Re non cognita, quantum ex se cognoscibilis est, estò omnia in illa cognoscantur non cognoscitur comprehensivè, ergo ad rationem comprehensionis requiritur adæquatio in ratione cognitionis, & cognoscibilitatis, seù quòd cognoscatur res quantum cognoscibilis est; ant. probat. D. Th. hic in corp., & ad 2. & omnibus locis relatis, quia si aliqua propositio demonstrabilis tantum cognoscatur probabiliter, seù per rationem, aut medium probabile non cognoscitur comprehēsivè, estò alias nullum prędicatum omittatur cognoscendum, v. g. si cognoscatur hæc: Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis tantum probabiliter, estò cognoscantur omnia illius prędicata, scil. subjectum, prædicatum, & connexio inter se, nequit tamen dici, quòd cognoscatur comprehensivè, quia cum sit demonstrabilis, seù per medium scientificum cognoscibilis, non cognoscitur quantum cognoscibilis est, scil. demonstrativè, & scientificè, ergo, ant. non probat D. Th., quia revera negari non potest nisi quis velit propositionem scibilem comprehensivè cognosci per opinionem, quod est ridiculum, cum cognitio opinativa, incerta, & inevidens sit, & consequenter imperfecta, comprehensio verò simpliciter perfecta.

Dices ideò non cognosci comprehensivè, quia nec cognoscitur quidditativè, nam cognitio objecti quātum ad omnia, quæ in eo sunt, nequit esse comprehensiva, si etiam quidditativa non sit, quia non cognosceretur perfectè, ut requiritur ad comprehensionem: unde duo requiruntur ad hoc, ut objectum dicatur comprehendi, scil. quòd cognoscatur quoad omnia, & quòd etiam perfectè. § Sed hæc solutio confirmat rationem factam. Nam ideò non comprehenditur non cognita quidditativè, sed tantum opinativè, quia non est tantū cognoscibilis opinativè, sed etiam quidditativè, nam si solum esset probabiliter cognoscibilis, verè diceretur per medium probabile comprehendi, ergo signum evidens est ad rationem comprehensionis requiri, quòd cognoscatur objectum quantum cognoscibile est, undè optimè id explicat D. Th. in præfata propositione scibili, quòd ideò non comprehenditur tantum cognita opinativè, quia non cògnoscitur quantum cognoscibilis est, utpotè adhuc cognoscibilis scientificè. Ex quo evidenter inferimus impossibile esse, quòd comprehendatur à beatis Deus etiam quoad intrinseca, quia cum etiam quoad ista sit ex se non tantum quidditativè, vel finitè cognoscibilis, sed etiam infinitè, nunquam cognoscitur, nec cognosci potest ab intellectu creato quantum cognoscibilis est, scil. infinitè. Undè manifest. retorquetur solutio. Nam si Deus esset tantum cognoscibilis quidditativè, & non cognosceretur quidditativè, sed alio inferiori modo, non comprehenderetur, estò omnia in illo essent cognita, ergo si non tantum quidditativè, vel finitè, sed alio etiam perfectiori modo, scil. infinito est cognoscibilis, nunquam verificari potest quòd comprehendatur non cognitus infinitè, ant. est solutio tradita, conf. verò

 prób.

prob., nam ideò objectum quidditativè cognoscibile, non cognitum quidditativè, non comprehenditur, estò omnia in illo intrinseca cognoscantur, quia non cognoscitur omni modo, quo perfectè cognosci potest, nam cognitio comprehensiva est suprema omnium inter perfectas; at nequit verificari sic perfectè cognosci, non cognito quantum cognoscibile est, ergo hoc requiritur ad comprehensionem, & ideò nunquam Deus infinitè cognoscibilis etiam quoad intrinseca potest dici comprehensus quoad illa, infinitè nō cognitus.

Urg. totum hoc, & simul confirm. primum principale ant. Cognitio ut cognitio est, terminatur ad objectum non solum ut res quædam est, sed etiam formaliter, sivè ut induit rationem cognoscibilitatis in genere objecti, ergo pariter cognitio comprehensiva non tantum respicit illud, ut res quædam est, sed etiam ut est cognoscibile, ergo in ratione cognitionis tenetur esse vel major illo, ut cognoscibili, vel saltem æqualis, ant. est certum, & prima conf. quia esse comprehensivam non extrahit cognitionem à linea, vel ratione cognitionis, sed est ratio per se contrahens intra latitudinem illius, secunda verò probatur quia comprehendens est necessario majus, vel saltem æquale rei comprehensæ in ea ratione, in qua comparantur, ut continens, & contentum, ut per se patet in comprehensione corporali, nam quia hæc est secundum superficiem necesse est superficiem corporis comprehendentis esse majorem vel æqualem superficiei comprehensi, ergo cum cognitio ut cognitio sit continens, (qua etiam ratione dicitur cōprehensio,) & res ut cognoscibilis sit, quid contentum, cognitio comprehensiva in ratione cognitionis prout sic debet esse æqualis, vel major objecto, ut cognoscibili, &c.

Tertiò ex his prob. concl. iterum invertendo fundamentum ejusdem Authoris, ut innixum prædictæ definitioni. Licet dicamus ad rationem cognitionis comprehensivæ satis esse, quòd nihil lateat cognoscentem, ut ipse prætendit ex eadem definitione, qua ratione infert satis esse ad illam, quòd cognoscantur omnia, quæ sunt intrinsecè in objecto; adhuc tamen nequit id verificari, objecto non cognito quantum cognoscibile est, ergo adhuc in ejus doctrina id requiritur ad comprehensionem; prob. ant. quia, ut subtiliter innuit M. Serra hic in expositione literæ objecto non cognito quantum cognoscibile est, semper aliquid latet cognoscentē, ergo illo non cognito quantum cognoscibile est, adhuc non salvatur, quòd nihil illum lateat; prob. ant., quamvis sint omnia in illo cognita, illo tamen non cognito quantum cognoscibile est, non apparet istud quantum visibile, aut cognoscibile est, cum revera perfectè, & totaliter, idest omni modo quo cognoscibile est non manifestetur, ergo verè de illo adhuc dicere possumus, quòd quodammodo lateat cognoscentem, sicut verè dici potest latere propositionem demonstrabilem eum, qui eam solum cognoscit per medium probabile, licet nihil ejus sit, quod non cognoscatur, ergo etiam si admitteremus totam vim præfatæ definitionis, & comprehensionis reduci ad hoc, quòd nihil lateat cognoscentem ut ipse contendit, non tamen rectè infert satis esse ad comprehensionem cognoscere omnia prædicata intrinseca, quæ sunt in objecto, nisi simul cognoscantur quantum cognoscibilia sunt, quia nunquam fit plena manifestatio ejus, illis vel illo non sic cognito, quia nunq; verificatur nihil latere, nam nihil latere est plenè manifestari, ità ut nihil restet manifestandum, quod ut patet ex terminis salvari nequit, illo, vel illis non plenè apparentibus, & consequenter non cognitis quantum cognoscibilia sunt.

§. III.

Solvuntur argumenta:

PRimò arg. contrà 2., quia contra primā nihil invenitur in illo Authore, quod sit momenti, nam modum suum dicendi non aliter confirmat, quam asserendo incomprehensibilitatem Dei non posse aliter defendi, quod quàm insubsistens sit, non solum constare potest ex dictis, sed patebit qu. seq. Cont. ergo secundam opponit primò posse D. Th. redargui ex concessis, quia art. 8. docet non posse creata visione videri omnes creaturas in Deo, quia sequeretur per illam comprehendi Deum, sed hæc illatio nulla est, supposita veritate secundæ conclusionis, ergo, probatur mi., quia licet illa visio deberet esse infinita intensivè, non tamen deberet, imò nec posset esse tam perfecta in ratione cognitionis, quam Deus in ratione cognoscibilis, sed hoc juxtà secundam conclusionem est necessarium ad rationem comprehensionis, ergo non videtur legitimè inferre D. Th. supposita eadem conclusione, quòd deberet visio omnium creaturarum in Deo esse comprehensiva, &c.

Sed facilè resp. ad hoc, quod assumit probandum nempè visionem illam non debere esse tam perfectam in ratione cognitionis, quàm Deus in ratione cognoscibilis, imò implicat contradictionem, ut constabit infra, semel esse attingentiam omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo, & in ratione cognitionis non exhaurire, & adæquare totaliter cognoscibilitatem Dei, quidquid sit, quòd ex quo creatura est, non possit ad hanc adæquationem pervenire: sed hinc legitimè inferat cum D. Tho., non posse omnes in Deo attingere sine manifesta contradictione, quòd esset, & non esset attingentia omnium in illo, & cōsequenter quod esset, ut infert D. Tho., & quòd non esset comprehensiva, si semel creatura est. In forma ergo nego mi., ad prob. nego ma. quia utrumque legitimè infertur, nempe debitum adæquadi, & aliàs impossibilitas ex conceptu creaturæ.

II. Arguit. Quia ita spiritualiter comparatur repræsentatio cognitionis cum re cognita, sicut superficies concava corporis continentis cum convexa contenti, ergo sicut concava continentis æquari dicitur convexæ contenti, eamque comprehendere, quoties hæc tota intra illam continetur, ita cognitio æquari dicetur rei cognitæ, eamque comprehendere, quoties tota res cognita intra repræsentationem cognitionis, continetur, & consequenter eo ipso, quòd sit cognitio omnium, quæ sunt intrinsecè in objecto erit comprehensio.

Ad hoc dico in primis esse ab eodem solvendum; nam si semel intellectualis comprehensio est omninò regulanda juxta modum corporalis, tenetur asserere, non requiri simpliciter ad illam, quod claudantur intra ejus repræsentationem omnes effectus, qui à re cognita oriri possunt, & dependent, quod tamen est contra ipsum hac ratione contendentem ut vidimus;

fal-

salvari incomprehensibilitatem Dei, quia per visionem non attinguntur omnes creaturę, quæ à Deo oriri possunt, & dependere. Patet vero hoc assumptum, quia ad cõprehensionem certum est corporalem esse omninò impertinẽs quod effectus, qui à re possunt oriri claudãtur intrà superficiem comprehendentẽ, ergo, nec erit id necessarium ad intellectualem, si semel hæc inferenda est ex modo continentiæ corporalis. Vel nobiscum afferat non esse inter utramque exigendam eandem prorsus rationem, cum analogicè de utraque dicatur comprehensio, nam aliàs juxta hanc paritatem non salvabit incomprehensibilitatem Dei, cum juxtà illam non requiratur extensio, ut dictum est, ad ea, quæ possunt oriri à re contenta, & sic Deus dicetur comprehensibilis, estò non attingantur creaturæ, cum non sit debitum attingendi juxta paritatem.

Secundo est iterum solvendum ab eodem, nam pariter certum est ad corporalem comprehensionem non requiri commensurationem, nec contactum profunditatis corporis continentis cum profunditate contenti, sed tantum quoad externam superficiem, & tamen intellectualis non solum externa rei, sed interna etiã penetrare tenetur, & attingere ut in se sunt, ut suppono apud omnes, cũ id etiam requiratur ad puram cognitionẽ quidditativam, ut patet in visione, &c. Sed præterea ad argumentum patet ex dictis nullius esse momenti, & adhuc posse retorqueri, nam ant. solum est verum, si intelligatur de re cognita in ratione cognoscibilis, quia hæc est ejus quantitas virtualis, secundum quam debet ei æquari cognitio, ut sit comprehensiva, sicut corpus contineus æquatur contento secundum longitudinem, & latitudinem, secundum quas dimensiones tanguntur, ut dictum est, & commensurantur in ratione contenti, vel comprehensi, & comprehendentis, vel continentis. Sed hinc contra se ipsum inferre debuerat, quòd sicut ad comprehensionem corporalem requiritur quòd continens ità claudat totam rem contentam secundum ejus quantitatem corporalem, ut sit quid majus, vel saltem æquale illi, ita ad spiritualem erit necessarium quòd continens, seu cognitio totam rem objectivam contentam taliter intra sui repræsentationem claudat secundum sui virtutualem. quòd sit quid majus, vel saltem æquale illi, & consequenter quòd adæquet cognoscibilitatem objecti attingendo illud, quantum cognoscibile est.

Unde repræsentationem cognitionis continere rem cognitam totam in ratione cognoscibilis, non est aliud quàm eam repræsentare quantum est repræsentabilis ex se, aut cognoscere, quantum est cognoscibilis, cujus etiam rationem præter assignatas superiùs, proximè dedimus, quia nempè nunquam aliàs verificatur nihil latere, re non perfectè, aut plenè cognita, seu manifesta.



QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum sit de fide Deum secundum suam naturam, vel intrinsecam perfectionem esse incomprehensibilem ab intellectu creato.

Vasquez iterum dissentit in hac re, nam disp. 52. licet cap. 2. n. 4. fateatur licitum non esse, sed planè temerarium absolutè docere Deum à beatis comprehendi posse, quia id communiter negant scholastici; solus tamen, vel primus asserit hanc Dei incomprehensibilitatem respectu intellectus creati, nec scripturæ, aut PP. authoritate, nec aliqua Ecclesiæ definitione posse probari, & consequenter negat id esse de fide, licet de fide sit nec à viatoribus, nec ab ullo intellectu creato viribus naturæ comprehendi, & in hoc sensu glossat aúctoritates.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Deum esse incomprehensibilem secundum sui naturam, vel intrinsecam perfectionem est communis consensus PP. Ita communiter fatentur omnes DD. Scholastici. Ex quò primo inferimus, non potuisse id legitimè negare Vasquez, scil. id docuisse PP. si ex quo communiter fatentur scholastici, id ipsum esse de fide, asserit non posse hoc posterius sine temeritate negari. Sed videamus inductivè ex eorum testimonio, an revera hanc Dei incomprehensibilitatem affirmaverint.

Prob. ergo primò. Et quidem præter Chrysostomum in quinque Homiliis de incomprehensibili Dei natura, utrumque Cirillum, scil. Alexandrinum lib. 1. in Io. c. 22., ubi apertè loquens de visione comprehensiva, sive quæ est propria Dei, soli Filio asserit Patrem esse visibilem, id ipsum confirmans lib. 10. in Io. cap. 1.: & deinde Cirill. Jerosolim. Catechesi 6. ubi quidem innuit de Angelis, quòd videant Deum non ita ut est, sed ut ipsi capiunt: sed apertè sequentibus verbis, manifestat sensum esse, non quòd non videant comprehensivà, sed tantum ut capiunt, scil. modo finito. Et deinde præter alios, quos refert Vasquez cap. 4., qui tam manifestà id docuerunt, ut coactus fuerit hic author cautè eis imponere errorem Armenorum, ne posset hic eorum auctoritate premi, ut rectè advertit hic dub. 2. M. Catalam.

Adest in primis antiquissimus D. Dionsiis Areopagita c. 1. de Divinis nominib., ubi affirmat *Deum super omnes celestes mẽtes incomprehensibili virtute collocatum*. idest ut explicat ibi D. Tho. lect. 2. in fine. Non ut nullo modo attingatur ab ais, sed ita ut comprehendi non possit.

II. Tertullian. in Apologetico c. 17. dicens. *Incomprehensibilis est, & si per accidens repræsentetur*. Quæ verba apertè excludunt evasionem de comprehensione per vires naturæ: & quidem loqui de repræsentatione per gratiam quæ fit beatis patet, quia immediatè præmiserat Deum videri per gratiam, etsi invisibilis sit. Tertiò August. tom. 3. de genes. ad li-

literam c. 6. lib. 4. ubi ait *Quamquam si Sanctis Angelis jam essemus æquales, non utique nobis nota esset Divina substantia, sicut ipsa sibi.*

Respondet Vasquez c. 3. n. 18. August. non esse intelligendum objectivè, quasi neget ex parte objecti divinam substantiam esse tam perfectè notam beati, sicut ipsa sibi, ac proinde, nec quòd eam comprehendant, sed tantum subjectivè, itaut sensus sit non esse sic notam beatis, ut ipsorum notitia sit ejus substantia, sicut est notitia, qua Deus se novit.

Cæterum asserere divinam substantiam ex parte objecti esse tam perfectè notam beatis, sicut ipsi Deo quis non videt esse manifestum absurdum, nisi velimus tam perfectè objectum infinitè cognoscibile cognosci cognitione finita, quàm infinita, quod planè est alienum & satis constat ex qu: præcedenti.

Deinde per se evidens est ex contextu Augustinum non controvertere, an notitia nostra sit idem cum Divina substantia, id enim esset otiosum inquirere, sed an perfectè, & adequatè cognosci possit à nobis divina substantia, & resolvit, neque in hac vita, nec in alia esse ita perfectè notam nobis sicut est sibi.

Præterea tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ c. 3. asserit, nulla posse cogitatione comprehendi, quia alioquin immensus, & incomprehensibilis non prædicaretur, quod enim comprehenditur (scil. à nobis) non est Deus; ut idem Sanctus Doctor repetit serm. 38. de verbis Domini.

IV. Gregorius 10. Moral. c. 10. dicens. *In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest.* §. Resp. Vasquez eodem c. n. 11. Greg. loqui de hominibus, & Angelis viatoribus sine lumine gloriæ; & per retributionis culmen non intelligere præmium beatitudinis, sed altiorem gradum contemplationis viæ.

Sed hoc gratis dicitur, & ex his quæ infra subdit, apertè reiicitur. Quia cum dixisset illis verbis Jobi *Excellentior est Cœlo*. Cœli nomine Angelos beatos. significari subdit. *Excellentior itaque est cœlo, quia ipsi quoque electi Spiritus visionem tantæ celsitudinis perfectè non penetrant.* Ecce quòd manifestè loquitur de contemplatione Angelorum beatorum, & consequenter, quæ fit per lumen in patria.

Quintò Damasc. lib. 1. de fide c. 1. ubi affirmat esse proprium Dei esse incomprehensibilem quod, repetit cap. 4. Loqui verò comparatione beatorum docet ejus interpres eodem cap. 1. Sed non est ulterius immorandum in aliis referendis, nam passim docent PP., ut proprium Dei esse incomprehensibilem. Quod verò ait Vasquez intelligendos esse de naturæ viribus, aut de cognitione per gratiam citra visionem, est omninò insubsistens, quia aliàs non esset magis proprium Dei esse incomprehensibilem, quàm gratiæ, & aliorum habituum supernaturalium, qui nec etiam per vires naturæ comprehendi possunt, de quo infra, &c.

§. II.

Statuitur secunda, & tertia Conclusio.

Secunda: loquendo de lege, seu potentia ordinaria certum est de fide divinam essentiam secundum suam intrinsecam perfectionem esse incomprehensibilem à quocumque intellectu creato etiam beatorum, unde eam de facto quoad omnia sibi intrinseca comprehensivè cognosci ab aliquo beato, manifestum errorem contrà fidem existimat M. Catalam, sumpta tamen comprehensione propriè. Neque audiendum inquit, esse Vasquez cap. illo 2. asserentem primum fuisse M. Soto in 4. dist. 43. q. 3. art. 1., qui affirmaverit de fide esse divinam essentiam esse incomprehensibilem. Quia revera Sotus (subdit idem Magister) expressit, quod tota antiquitas senserat, & ejus censura posterioribus Theologis nec nova, nec rigida visa est, sed unanimi consensu recepta non solum à Thomistis, sed etiam à PP. Societatis, Valentia, Molina, & Suarez. Et D. Tho. in 4. dist. 49. q. 2. ar. 3. in arg. 3. sed contrà ex D. Damasceno ait, incomprehensibilem esse Dei substantiam his, qui credunt Scripturę, non esse dubium; quod est affirmare esse de fide certum. Et in hoc art. manifestè ostendit se ut in fide certum id tradere dum probat ex illo Hieremiæ 32. *Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum, magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Qua etiam authoritate fere omnes Theologi post D. Tho., probarunt hanc veritatem esse fide certam. Et eodem sensu interpretati sunt eum locum Dionis. Carthus., & Lyran. Quare negari non potest (concludit idem Magister) propter hoc solum testimonium esse valde probabile de fide esse divinam substantiam esse incomprehensibilem. Tum propter auctoritatem Scholasticorum. Tum etiam quia non exponitur sufficienter, si dicatur vocari Deum incomprehensibilem, comparatione tantum viatorum, quia Hierem. absolutè loquitur, & ita vocat Deum incomprehensibilem cogitatu, sicut magnum consilio, non est autem Deus magnus consilio solum viatoribus.

Resp. Vasquez Hieremiam non affirmare incomprehensibilem esse divinam substantiam, sed ejus cogitationes, aut consilia, quia sicut illorum verborum, *magnus consilio*, sensus est, Dei consilia esse magna, ita illorum, *incomprehensibilis cogitatu*, sensus est, Dei cogitationes esse incomprehensibiles.

Sed admisso etiam hoc sensu, nihil concludit; imò hinc sumitur efficax argumentum pro conclusione cum Div. Chrysost. homil. 1. & 2. relatis. Non minus est objectum excellens divina substantia, quàm sint ejus consilia, vel cogitationes, ergo si divina cogitatio, vel consilium incomprehensibilia sunt, non potest non esse incomprehensibilis Divina substantia, &c.

Sed urg. entiùs prob. concl. authoritate Conc. Lateran. sub Innoc. 3. cap. 1. & refertur in cap. *Firmiter de summa Trinitate*, & in cap. *Damnamus eodem* titulo. Quæ sic habet, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus solus est Deus, aeternus, immensus, incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis.*

Resp. Vasquez c. 3. n. 10. Concil. diffinire Deum esse incomprehensibilem viatoribus, aut rationalibus creaturis natura sua consideratis. An vero beatis sit incomprehensibilis minimè curare. Quod probat, quià sic diffinit esse incomprehensibilem, sicut ineffabilem, beatis autem ineffabilis non est, inquit, quia mentis lingua, sicut vident Deum, ut in se est, sic effari possunt &c.

Sed hæc solutio sine fundamento coarctat verba Concilii, & ratio quam adducit est insubsistens, & vo-

voluntaria. Primum prob. Tum quia eadem facilitate retorquetur, nam sicut in prædicta definitione dicitur, quòd est incomprehensibilis, ita pariter quòd est immensus, &c. ergo eadem ratione explicari poterit, quod est immensus, & omnipotens &c. respectu viatorum, non beatorum, & iterum, quòd est incomprehensibilis naturæ viribus, non quidem Angelis, sed hominibus, & ex hominibus non doctis, sed rudibus, aut barbaris, quòd magis est eludere, quàm explicare, unde nec Eunomii error posset eadem definitione impugnari, & reiici.

Tum quia Concil. non præcise agit ibi contra Anomæos, sed absolutè docet, quæ ut propria Dei, & ad excellentiam divinæ naturæ pertinentia profitetur fides. Quod patet ex relato cap. sequenti, *Damnamus*, ubi sic dicitur *Hoc autem Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro* (scil. simpliciter loquẽdo) *quod una summa res est incomprehensibilis.* Ubi apertè insinuatur ibi diffiniri Deum esse incomprehẽsibilem eo modo, quo Petrus lombardus sententiarum M. & Scholastici dicũt incomprehensibilẽ esse: constat autem ex dictis, nec negat Vasquez, absolutè eosid asserere, quia scil. nec à viatoribus, nec à beatis, nec naturæ viribus, nec alio modo comprehendi potest ab intellectu creato, ergo diffinit simpliciter, & absolutè Deum esse incomprehensibilem cognitione creata etiam in ordine ad quidditativè attingentes ipsum. Tum quia esse præcisè incomprehensibilem ab hominibus viatoribus convenit etiam Angelis; & esse Incomprehensibilem naturæ viribus ab intellectu creato convenit etiam gratiæ, & aliis habitibus supernaturalibus, ergo non diffiniret id, quod est proprium Dei, vel aliquid specialiter de illo quantum ad hanc rationem incomprehensibilitatis.

Urg. hoc; quia asserere Deum esse incomprehensibilem non videntibus eum, ut in re est, est idem, ac dicere, quòd est incomprehensibilis non cognoscentibus eum quidditativè, sed esse hoc modo incomprehensibilem convenit cuilibet rei etiam vilissimæ, cum omninò repugnet eam comprehendi non cognitam adhuc quidditativè, ergo ridicula prorsus esset diffinitio Concilii in hoc sensu explicata.

Secundum verò, quòd ratio adducta sit insufficiens, & voluntaria etiam patet. Nam Deus non solum viatoribus, sed etiam beatis verè dicitur ineffabilis. Tum quia cum verbum *effari* communi usu ad oris sermonem referatur, nihil prohibet ad eundem referri à Concilio, sed certum est sermone oris Deum esse ineffabilem non solum viatoribus, sed etiam beatis. Tum quia licet gratis demus ad sermonem, vel locutionem etiam internam referri, verè etiam hoc modo ineffabilis est beatis, cum aut nullo verbo mentis exprimi possit ab illis, ut supra ad art. secundum ostendimus: aut illo etiam admisso, nunq; tamen exactè, & adæquatè, nam solus Deus se ipsum adæquatè dicit Verbo suo æterno, & infinito, unde nisi velimus, quòd verbum creatum sit æquale increato, impossibile est, quòd sit illud æquale Deo adæquatè ipsum exprimens, & consequenter verè secundum Concilium, & secundum rei veritatem dicendus est ineffabilis respectu omnium sivè viatorum, sivè beatorum.

Tertiò etiam prob. concl. ex Concilio Basileense sess. 22. edita dum adhuc erat legitimè congregatũ, nam edita fuit an. 1435. Concil. vero non fuit dissolutum à Pontifice usq; ad ann. 1437. Tum quia fuit approbata à Nicolao V., qui successit Eugenio IV., ut habetur in summa Concil. in fine Concilii tom. 4. In ea autem tanquam, erronea in fide damnatur hæc propositio August. de Roma Archiepiscopi Nazareni, *Anima Christi videt Deum tam clarè, & intensè, sicut Deus ipse se ipsum.* Cum autem Deum videre hoc modo seipsum sit seipsum comprehendere, expressè diffinit non posse etiam ab anima Christi comprehendi Deum, ergo fide certum est de lege ordinaria à nullo beatorum comprehendi posse, quia certum est animam Christi videre Deum perfectiùs, cæteris beatis. Undè rectè inquit. B. Alber. Magnus in 3. dist. 14. ar. 1. *Solus Deus comprehendit se. Si enim diceremus eum concludi comprehensione capacitatis animæ Christi videtur mihi, quòd hoc redundaret in blasphemiam Deitatis Christi.* Undè in his, & similibus cavendum est, ne plus nimiò extollendo extremum creatum deprimamus divinum.

Tertia concl. Nec de potentia absoluta per visionem creatam comprehendi potest divina essentia quoad omnia intrinseca. Est D. Th. in hoc art. Nam ex eo asserit esse impossibile ab intellectu creato comprehendi, quia virtus intellectiva creata adæquaret ejus cognoscibilitatem, hoc verò simpliciter est impossibile, nisi iterum velimus virtutem creatam adæquare increatam, & infinitam, nam hæc æqualis est, & non excedens cognoscibilitatem Dei, ergo virtus istam semel adæquans teneretur etiam adæquare virtutem illius increatam, quod est implicatorium, aliàs inferior, seu creata, & finita non esset, unde sua cõclusione negativa, per quam statuit impossibilitatem hujus comprehensionis, non solum statuit in ordine ad intellectum creatum solis naturæ viribus operantem, sed etiam ut elevatum per supernaturale lumen, quod evidenter patet ex textu, cum loquatur de comprehensione per visionem, quam art. 4. probaverat non posse haberi naturæ viribus, & plus etiam explicari eadem conclusione, quàm inquirat titulus, nam hic solum quærit an videntes Deum, ipsum comprehendant, sivè ex propria ratione visionis id proveniat, ità ut necessarium sit Deum comprehendi hoc ipso, quòd videtur, sivè ex aliquo speciali gradu visionis, qui de facto conferatur, quod ad quæstionem de facto pertinet. Conclusio verò respondet, esse omninò impossibile excludendo quemcunque modum, & intellectum in quocunq; statu sivè viæ, sivè patriæ & secundum quamcunq; potentiam, ut facilè constabit legenti textum.

Quod etiam ut de fide certum docent Ledesma q. 8. de divina perfectione ar. 9. concl. 1., Cabrera loco relato ex 3. p. disp. 2., Lorca p. 2 disp. 33. Membro 2. & communiter recentiores Thom., & plures ex extraneis; idq; Mag. Gatalan judicat non solum ut probabilius, sed certum, & tenendum; tum ex eo, quòd D. Th. ut fide certam statuat conclusionem suam, ut insinuatum est; tum ex eo, quòd ut ostendir infrà; in re ità est; inquit; quòd divina substantia est penitus incomprehensibilis quacunque cognitione creata, & hoc maximè pertinet ad ejus excellentiam, sicut & quòd dicatur comprehendi posse, derogat divinæ infinitati, ergo credendum est Concilium, dum ut declararet Dei excellentiam, pronunciat sine limitatione Deum esse incomprehensibilem, de incomprehensibilitate simpliciter respectu cujuscunque cognitionis creatæ fuisse locutum.

Urg. hoc ipsum, quia si possibile esset visione bea-

beata comprehandi Deum, non erat cur Concilium Basileense, & unanimi consensu omnes Theologi, ut errorem contra fidem damnarent prædictam propositionem, seu asserere animæ Christi de facto esse communicatam talem visionem, quia nullus est scripturæ locus, ob quem id negare cogamur, & ità concedere nil prorsus habaret incommodi, sed cederet in maj animæ Christi dignitatem. Sed esto incertum dicatur, an nostra conclusio sit de fide; certum tamen est, adeò asse cartam, ut oppositum sinè periculo erroris, subdit idem, sustineri non possit. Nam non solum Scholastici omnes eam supponunt, probantque incomprehensibilitatem, Dei ex eo, quòd impossibile sit cognitione finita axhauriri divinam perfectionem, & cognoscibilitatem; sed paritar supponunt illam SS. PP., dum probant divinitatem Spiritus Sancti ex eo quòd comprehendit Dei naturam. Ità arguit D. Athanas. in disput. cum Arrio in Conc. Nicæno in fine. Et ex illo etiam primæ ad Corint. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Intellecto his *scrutatur* de cognitione comprehensiva cum Basilio lib. 5 contra Eunomium;& hinc etiam D. Th. ibidè probari monet Spiritû S. esse Deum. Constat autem hoc argumentum esse inefficax, si semel creatura pervenire possit ad comprehensionem Dei, nam facilè dicera posset hæreticus communicatam fuisse illam Spiritui sancto per gratiam, ac proinde ex eo quòd comprehendat non rectè inferri esse Deum &c.

Ratione deindè prob. ex dictis. Implicat in terminis, sive etiam de potentia absoluta, quòd divina substantia cognoscatur visione creata quantum cognoscibilis est ex propria natura, & perfectione intrinseca, ergo implicat quòd comprehendatur quantum ad omnia intrinseca, conf. tenet, quia hoc requiritur ut vidimus, ad comprehensionem objecti quantum ad omnia intrinseca, ut nempè cognoscatur quantum cognoscibila est ex propria intrinseca perfectione, & natura; ant. verò prob., divina substantia ex propria natura, & perfectione intrinseca est cognoscibilis cognitione simpliciter, & per essentiam infinita in ratione cognitionis, sed implicat in terminis, sivè etiam de potentia absoluta visionem creatam sic esse infinitam, ergo implicat per illam sic cognosci divinam substantiam; min. est certa, quia cognitioni creatæ non solum ratio entis, sed atiam ratio cognitionis creatæ convenit ei per participationem, ergo implicat esse simpliciter, & per essentiam, infinitam; ma. verò prob. quia Deus ex propria natura, & intrinseca perfectione non minùs est infinitus in ratione cognoscibilis, sivè in linea intelligibili passiva, quàm in activa, sivè in ratione cognoscentis, qua ratione infrà in radice reiicimus scientiam mediam, quòd nempè non possit à Deo cognosci objectum ejus ad extrà in se immediatè, & non in Deo penetrando immediatè varitatem objectivam in se ipsa non priùs repræsentatam per assentiam Divinam tanquam per speciem intelligibilem, quia aliàs Deus in ratione intellectivi excederet se ipsum in ratione intelligibilis, si samel se extenderet ut intellectivus ad aliquod objectum, ad quod non se extenderet, ut intelligibilis, sivè in linea intelligibili passiva, vel objectiva, ad quam species repræsentativa pertinet, de quo ibidem ad q. 14., ergo sicut in ratione cognoscentis est ex sua natura cognoscitivus cognitione simpliciter, & per essentiam infinita, ità in ratione cognoscibilis erit sic infinitus hoc modo cognitionis, &c.

Urg. hoc ratione D. Th. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Nam juxtà D. August. lib. 83. qq. q. 14. Quod comprehendit se, finitum est sibi saltem negativè scilicet per negationam excessus, argo quod comprehenditur est finitum saltem sic negativè comprehendenti, sed implicat quòd Divina excellentia, vel infinitas sit finita cognitioni creatæ etiam negativè, ut patet ex terminis, aliàs esset & non esset simpliciter infinita, & per assentiam, ergo repugnat, quòd cognitione creata comprehendatur. Ex quo infertur, idem dicendum esse da quolibet Dei attributo; nam quodlibet atiam est simpliciter, & per essentiam infinitum tam in ratione entis, quam in ratione cognoscibilis, unde ut adæquatè cognoscatur, petit cognitionem aodem modo infinitam &c.

§. III.

Solvuntur argumenta.

PRimò arg. contra primam opponendo aliquos SS. PP., & primò D. Fulgentium in resp. 8. ad Ferran. Diaconum, ubi docet animam Christi cognoscere Deitatem, quantum cognoscit se ipsam Deitas, sed ipsa Deitas cognoscit se comprehensivè, ergo.

Secundò D. Hieron. qui morti proximus loquens cum Christo ait, *Tua anima statim atq; inseparabiliter fuit unita divinitati, omnia scivit, & potuit, quæ scit, & potest ipsa Divinitas.* Sed hæc itarum comprehendit se ipsam, ergo. Hæc verba Hieron. refert Eusebius ejus discipulus in epistola de ejus morte ad Damasum, ut notat hic M. Gonzales disp. 30. sect. 1.

Tertiò D. Nazian. jam citatum orat. 34. num. 19. ubi inquit, *comprehensionem divinæ essentiæ esse præmium omnium beatorum.* Ad hoc patet ex dictis, nam ad has Authorit. & similes dicimus, ut supra quòd intalligendi sunt PP. de cōprehensione latà, vel priori modo accepta pro assecutione, vel tentione beatitudinis, qua ratione beati, ut dictum est, communiter appellantur comprehensores, non da strictà pro adæquatione cognoscibilitatis, hoc enim ut probavimus, apertè repugnat in terminis, nisi velimus finitum adæquari infinito. Quod verò dicunt D. Fulgent. & D. Hieron. de anima Christi, intalligandum ast de cognitione attributorum, quæ sunt formaliter in Deo, & de cognitione eorum, quæ Deus cognoscit scientia visionis; nam omnia ista cognoscit anima Christi licet non ita perfectè, & per adæquationem, sicut Deus, unde comparatio attendenda est, secundum distributionem accommodam juxta meritum utriusq; cognoscentis. Quod atiam colligitur ex eo, nam in Directorinquisit. part. 2. q. 11. inter alios errores Arnaldi da Villanova Medici, 2. refertur, & damnatur hic, *Quæ citò anima Christi fuit unita Divinitati statim scivit omnia, quæ Deitas scit.* Tum quia unio personalis in Christo ita facta est, ut quælibet natura manserit in sibi propriis, ut docet Damascen. 3. de fide c. 3. & 4. Tum quia in posteriori auctoritate Hieron. sicut dicit quòd omnia scivit, quæ scit Deus, ita pariter quòd potuit sicut potest Deus, & taman nullus inferret, quòd ejus potentia adæquaret Omnipotentiam Dei, ergo nec legitimè inferri potest, quòd ejus scientia, vel cognitio adæquet cognitionem, aut cognoscibilitatem Dei, nam omnia in Deo æqualia sunt

&

& summè idêtificata, ubi non est oppositio relativa, ondè semel adæquans in una linea adæquat in omnibus Dei, planè autem adæquaret si comprehenderet Deum.

II. Arg. contra 2. Qualibet visione beata cognoscitur Deus totus, & totaliter quoad omnia sibi intrinseca, ergo qualibet comprehenditur, ergo non est incomprehensibilis beatis, sed tantum viribus naturæ, vel viatoribus, prima conf. patet, quia ut vidimos id requiritur, & sufficit ad comprehensionem, quòd cognoscatur objectum totum, & totaliter, ant., quòd videatur totus est certum, quia cum Deus sit omninò simplex, & videatur à beatis ut in se est, nec de potentia absoluta videri potest secundum aliquid, & non secundum aliud, undè hoc ipso, quòd videtur ex natura rei videntur omnia, quæ sunt formaliter in illo, ut constabit infra. Quòd verò videatur totaliter prob., quia hoc adverbium, *totaliter*, non dicit modum tenentem se ex parte cognoscentis, aut cognitionis solum, (hoc enim non est necessarium ad comprehensionem, (aliàs nulla cognitione creata possent aliqua creata comprehendi, cum omnia creata cognoscantur cognitione increata infinitæ perfectionis, ac proindè infinitè excedente omnem modum cognitionis creatæ,) sed modum tenentem se ex parte objecti, seu Dei visi, sed nullus est in Deo modus non visus à videntibus illum, ergo qualibet visione videtur totaliter, mi. constat, quia quilibet modus in Deo existens est ipsa Dei essentia, aliàs Deus non esset omninò simplex, ergo viso Deo, vel ejus essentia nullus est dabilis in illo modus non visus.

Urg. hoc & simul impugnatur præcedens illa distinctio comprehensionis: quia non stat Deum semel visione teneri, & adæquatè vel comprehensivè non teneri, ergo non stat semel teneri, & non comprehendi, ac proindè eo ipso quòd beatus semel per visionem Deum assequitur, comprehendit illum, prob. ant. quia Deus est omninò simplex, sed quod est omninò simplex, non potest ab aliquo semel capi, quin comprehendatur, cum non possit partim esse intrà, partim extrà capientem, aliàs omninò simplex non esset, ergo si quilibet beatus videndo Deum semel tenet, aut capit illum, quilibet videndo comprehendet.

Ad hoc, quod procedit ex æquivocatione, aut diminuta acceptione prædicti adverbii, *totaliter*, resp. cum D. Th. in 4. distin. 49. qu. 2. art. 3. ad 3. negando ant. quoad 2. p., seu quoad idem adverbium. Ad probat. dicimus cum D. Thom. ibidem non importare istud modum videntis absolutè, neque modum absolutè rei visæ sed modum videntis per comparationem ad rem visam, ita ut determinet ipsam visionem, secundum quod comparatur videns ad visum, & sensus est quòd importet commensurationem, & adæquationem visionis in ratione visionis, vel cognitionis, cum objecto viso, non in genere rei, vel materialiter, sed in ratione cognoscibilis, vel formaliter; quæ commensuratio in hoc consistit, quòd tanta sit visio in ratione cognitionis, quanta est cognoscibilitas objecti. Unde in forma vel concessis præmissis nego conf., vel suppositum ejus, quòd illi *totaliter* dicat præcisè modum objecti. Vel dist. claritatis gratia mi., non dicit modum ex parte cognoscentis, nec ex parte objecti præcisè, conc., per comparationem unius ad alterum nego, & conc. mi. nego iterum conf., quia dum dicimus deum non videri totaliter, non est sensus, quòd sit aliquis modus in Deo, qui non videatur, sed quòd nec Deus, nec aliquis modus existens in Deo videatur quantum visibilis est, unde libenter fatemur totum videri, & omnem ejus modum, sed non totaliter, quia quilibet Dei modus est visibilis immensè, & infinitè, ut de facto videtur à se ipso, sed non est sic visibilis a creatura immensè, & infinitè &c.

Ad confirm. dicimus primò pluribus manifestis in instantiis posse retorqueri, ut statim constabit, nec nllam omninò esse repugnantiam, sed optime componi, aut verificari hæc duo de aliquo omninò simplici, quòd totum habeat, & non totaliter, vel comprehensivè.

Resp. ergo cum eodem Angelico in 3. dist. 14. q. 1. art. 2. questiunc. 1. ad 3. negando ant., ad probat., nego min., ad prob. annexam dicimus ita esse non posse omninò simplex esse partim intra, partim extra, cum partibus careat, sed nego suppositum quòd ideo negemus deum comprehendi a beatis, quia partem ejus videant, partem non videant, sed quia perfectè non vident sicut visibilis est ex se; *sicut duorum*, (inquit D. Tho.) *qui unam conclusionem sciunt, unus perfectè sciat, non dicitur quòd alter conclusionis partem sciat, & partem ignoret, sed quod unus scit per medium efficacius quàm alter*. Unde licet deus sit totus intra visionem non tamen totaliter in ratione visibilis, ac proinde nequit legitimè inferri, quòd comprehendatur. Quod etiam possit aliquod simplex omninò totum attingi, & non totaliter egregie explicat D. Tho. ibi ad secundum in persona Verbi unita humanitati. Certum est enim totam naturam divinam, & personalitatem Verbi esse realiter unitam humanitati, sed non totaliter inclusam in illa, & totam personalitatem terminare humanitatem, sed non totaliter terminare illam, quantum terminativa est, nec humanitatem esse tantum terminabilem, quantum nata est terminare personalitas divina, nisi velimus extremum divinum infinitè excedens terminabilitatem, & unibilitatem extremi creati, commensurari cum illa, quod implicat ex terminis, undè etsi illud uniatur totum, & terminet totum, nonquam tamen comprehendi potest, vel adæquari à creato, vel ab humanitate. Id aliis etiam exemplis præclarè explicat Magist. Catalam hic ad confirmat, primi, tum in immensitate Dei, quæ tota est ubique, cum sit indivisibilis, & tamen nullibi totaliter, nisi velimus Deum aliquo loco comprehendi. Tum in puncto in angulo trianguli, quod totum, utpotè indivisibile, à quolibet linea attingitur, & tamen à neutra totaliter in ratione termini, ut patet; undè mirum est, quòd dicat Vasquez se non posse capere, quòd aliquòd totum indivisibile attingatur, quin attingatur totaliter, & comprehendatur, nisi velimus veluti in meridie, ut sic dicamus, cæcutire. Quis enim concedat Dei immensitatem, & si tota sit intrà cœlum, cœlo comprehendi? Aut humanitate comprehendi divinam personam? Sic ergo dicimus totam Dei infinitatem attingi visione, aut intrà visionem esse, sed nulla comprehendi, quia non includitur totaliter, nec totaliter videtur; *Nam illud totaliter videtur*, (ut inquit D. Tho. in proxima relata solutione ad 2.) *cujus visibilitas non excedit modum videntis, ut scil: videns ità perfectè videat, sicut res perfectè visibilis est, scil. ex se ut dictum est*. Manifestum est autem, quòd objectum divinum ex se, seu ejus visibilitas infinitè excedit modum cujuscumque videntis creati, cum non nisi modo finito intellectus creatus videre possit, undè ejus efficacia quocunque lumine illustrati nunquam potest esse tanta in intelligendo quanta est

veritas, sive claritas divinæ secundum quod est visibilis, quod solius divini est intellectus, & ideò ipse solus se ipsum totaliter cognoscit, ut concludit, ibi D. Tho.

Quòd si adhuc quis rem hanc sibi difficilem contendat, meminerit id oriri, quia non attingimus quomodo in una simplicissima perfectione immensum, & infinitum pelagus perfectionum claudatur, nec quomodo una cum sit formaliter omninò indivisibilis, virtualiter sit multiplex, & infinitè multiplex. Unde ex hac continentia eminentiali creaturarum omnium in Deo quasi à posteriori optimè declarat D. Tho. ar. sequenti non cognosci totaliter visione creata Dei eminentiam, aut alia, quæ sunt formaliter in Deo, quia non cognoscuntur ex vi visionis omnia, quę in Deo eminenter continentur: requiritur autem sic cognosci ea, quæ sunt in Deo formaliter, ut ex vi talis modi cognoscendi comprehendantur omnes creaturæ ad hoc, ut dicatur Deus cognosci totaliter.

Sed instas. Deus non solum, ut quiditative, sed etiam comprehensivè, sive ut secundum se totus, & totaliter cognoscibilis continetur intrà latitudinem objecti adæquati, vel specificativi intellectus creati, sed quia priori modo continetur, à quolibet ex vi visionis qoidditativè cognoscitur, ergo qnia continetor posteriori modo, à quolibet cognoscetur comprehensivè: & ratio utriusque est, quià potentia saltem per elevationem extenditur ad omne contentum intra sui spheram adæquatam, vel specificativam, nam hac ratione, ut dictum est, excludimus sensum ab attingentia objecti spiritualis, quià non continetur intrà latitudinem ejus adæquatam, vel specificativam, sed est adæquatè extrà, nam si semel contineretur, non posset ei talis attingentia denegari; ex quo etiam prob. ma., quam aliqui negant. Tum quià aliàs non posset intellectus beati videre Deum esse comprehensivè, & totum, & totaliter cognoscibilem, quod est etiam contra D. Tho. hic ad 3. Tum quià Deum esse hoc modo à se ipso cognoscibilem est realis perfectio in illo formaliter existens, ergo videtur à quolibet vidente Deum; ergo debet contineri intrà spheram adæquatam intellectus videntis, aliàs non videretur ab illo, sicut hac ratione, ut dictum est, non videtur à sensu, vel oculo corporeo, quià non continetur intrà ejus latitudinem &c.

Huic instantiæ, quæ procedit ex æquivocatione, nō distinguente inter modum objecti, & modum cognoscentis, quasi idem sit cognoscere infinitum, & cognoscere infinità, seù cognoscere illud totum, & totaliter prout est modus objecti importans cognoscibilitatem infinitam, vel excedentem omnem modum & vim cognoscitivam creatam, & cognoscere illud infinitè, vel comprehensivè prout importat modum cognoscentis repugnantem creaturæ, inferendo hunc posteriorem ex primo. Respond. esse omninò illegitimam consequentiam; sicut in simili dicimus, qnòd quià hæc duo valde diversa sunt, cognoscere simul successiva, & cognoscere illa esse simul, primo importante modum cognoscentis, posteriori verò modum rei cognitæ repugnantem enti successivo, illegitimè quis inferret hoc secundum ex primo, nam Deus simul illa cognoscit, cum ejus cognitio ob sui perfectionem sit incapax successionis, non tamen entia successiva possunt esse simul, repugnante simultati eorū natura, ita pariter dicimus, quòd intellectus beati potest quidem cognoscere infinitam cognoscibilitatem Dei, ob amplitudinem suæ adæquationis, vel specificationis, non tamen cognoscere illa modo infinito, repugnante sui finitate, unde licet ex merito illius sit natus se extendere ad omne intelligibile, sive finitum, sive infinitum tam quidditativè, quàm comprehensivè, seù totum, & totaliter cognoscibile, quia tamen exire nequit limites virtutis finitæ (nisi velimus exire limites creaturæ,) nunquam potest infinitè, vel comprehensivè attingere illod, sed tantum quidditativè, quod non importat infinitatem, vel adæquationem in modo cognoscendi cum cognoscibilitate infinita objecti.

Ex his informa potest distingui ma. quoad secundam partem: continetur non solum, ut quidditativè, sed etiam ut comprehensivè cognoscilis, ly ut reduplicante modum objecti, conc., quià, ut dictum est, nullus est modus in Deo existens, qui non attingatur, ly ut reduplicante modum ex parte videntis per comparationem ad rem visam, nego, quia non potest perfectè, quantum cognoscibilis est videri, unde licet Deus etiam prout sic cognoscibilis contineatur intrà latitudinem sui objecti, non tamen per adæquationem & commensurationem cum virtute videntis, quod erat necessarium, ut vidimus, ad comprehensionem: & cōcessa deindè mi., nego conseq., quia modus attingendi quidditativè etiam secundum prædictam comparationem ad rem visam, non importat æqualitatem cum cognoscibilitate ejus, sicut modus videndi comprehensivè. Alia leviora argumenta contrà eandem conclusionem solvit D. Tho. locis relatis.

III. Arguitur contrà 3. Probabile est de potentia absoluta posse intellectui communicari lumen gloriæ infinitè intensum, seu infinitum intensivè, nam plures docent cum Soto tam Philosophi, quàm Theologi non repugnare infinitum in actu secundum intensionem, ergo probabile erit visione creata procedente à tali lumine posse comprehendi, ac proindè nec oppositum est ità certum, ut sine periculo erroris sustineri non possit, prob. conseq., tum quia ex eo D. Tho. hic in corp. probat non posse intellectu creato comprehendi Deum, quia lumen in illo receptum non potest esse infinitum, ergo supponit lumen infinitum intensivè sufficere ad comprehensionem. Tum quia sicut Deus est infinitè cognoscibilis, ità per lumen infinitum intensivè haberet vim cognoscitivam infinitam, ergo posset infinitè, & quantum cognoscibilis est cognoscere Deum, quod est comprehendere.

Ad hoc transeat antec., & nego conseq. r, ad probat. Ledesma q. 8. de Divina perfectione ar. 9. ad ultimum, & Cabrera 3. p. q. 10. ar. 1. disp. 2. ad 3. Resp. D. Tho. intelligendum esse de lumine infinito simpliciter in ratione luminis, sive de lumine includente omnem perfectionem, quæ intrà latitudinem luminis intellectualis ut sic, requiritur, hæc verò infinitas, ut patet, repugnat lumini creato etiam intensivè infinito quià repugnat omninò, quòd includat formaliter, vel eminenter totam perfectionem luminis divini, vel increati.

Sed deindè admissò etiam D. Tho. intelligi de lumine creato infinito intensive, ut prædicti Auctores contendunt: Resp. negando iterum conseq., quia D. Tho. ex impossibilitate ejusdem luminis, quam supponit ex dictis à se q. 7., optimè infert impossibilitatem visionis creatæ comprehensivæ Dei, quià ad comprehensionem illius indispansabiliter saltem requiritur lumen intensivè infinitum. An vero ex possibilitate

illius

istius infectatur possibilitas comprehensionis Dei, nec affirmat nec supponit, nec re vera infertur ex doctrina ejus, nec inferri potest, quia cognoscibilitas Dei ex se perpetuò immensùm excedit quodcumque hujusmodi lumen, & virtutem cognoscitivam creatam, & creabilem, quia nulla potest esse virtus intellectiva infinita simpliciter, aut tantum cognoscitiva, quantum cognoscitiva est vis intellectiva increata Dei, ut per se patet, quia esset essentialiter creata, & participatio divinæ virtutis intellectivæ, ergo nec esset tantum cognoscitiva, quantum est ex se cognoscibilis Deus, qui tantum est cognoscibilis, ut dictum est, quantum est cognoscitivus, undè nec esset visio procedens à tali lumine comprehensiva illius, ut patet ex dictis: & auctores illius opinionis facilè dicent non quamcunq; visionē infinitam, aut à quocunque lumine infinito procedentem sufficere ad comprehensionem Dei, sed requiri infinitam secundū essentiam, omni potentialitate carentem, nam hac infinitate Deus ex sua natura cognoscibilis est, ad quod recurrit S. Tho.

QUÆSTIO TERTIA.

An sit necessarium ex natura rei secluso miraculo ex vi visionis essentiæ videri attributa, & relationes.

HUjus difficultatis. & sequentium tribuit fundamentum D. Th. in præsenti art. 8. inquirens, an videntes Deum per essentiam omnia in Deo videant, & licet specialiter, aut solum agat in eodem de visione objecti secundarii, seù creaturarum, quæ sunt virtualiter in Deo, (nam quæ formaliter necessariò in illo sunt, eadem visione videri supponit ex dictis art. præced. in solutione ad secundum, & tertium,) nihilominùs, quia de his adhuc est gravis difficultas apud auctores, scil. de attributis, & relationibus, & de his etiam, quæ formaliter liberè sunt in illo, ut sunt decreta de productione creaturarum, & scientia visionis circa illas, ut exactè omnia explicentur, de omnibus successivè tractabimus.

Pro quo adverto sensum articuli esse, ut rectè monat Cajet., utrum in Deo, ut in objecto cognito ipsa visione videant beati quoad prædicata absoluta, & respectiva, omnia entia creata facta, futura, & possibilia etiam de potentia absoluta, unde duplici conclusione resp. Div. Tho. primò negativè quoad omnia, etiam possibilia, quia creaturæ prout sic cognoscuntur, ut effectus in causa, cognitio autem omnium effectuum prout in illa, verificari non potest, causa non comprehensa, ut ostendetur infrà; ex quo dicit secundò, quòd tantò plura de his cognoscit intellectus beati, quantò perfectiùs Deum videt.

Hoc supposito plures ex recentioribus etiam Thomistis tribuunt Ferrariensi, asseruisse, quòd visa divina essentia, nec videri de facto, nec posse videri omnia attributa, aut perfectiones omnes, quæ sunt formaliter in Deo, & moventur ex eo, quòd 3. cont. gent. cap. 56. §. *ad secundum dupliciter*. Distinguens in Deo duplicem infinitatem, intensivam nempè, & extensivam, dicit utramque materialiter videri visione, qua videtur divina essentia, quia utraq; infinitas est formaliter ipsa essentia Dei, sed neutram videri formaliter sub ratione infinitatis cognitione distincta, sed tantum quoad an est; & circa finem cap. §. ad ultimum dicit, beatos non videre distinctè omnes divinas perfectiones, quæ sunt infinitæ, licet videant ipsam simplicem essentiam unitè continentem absq; ulla distinctione infinitas perfectiones. Pro hoc modo dicendi refertur iterum ex nostris M. Victoria, & Paludanus in 4. dist. 49. qu. 2. artic. 1. Bannez hic dub. 1. Xantes Mariales controv. 14. cap. 3. & ex alienis Nominales, Argentina, Ricardus, & Albertinus tom. 1. corol. 9., &c.

§. I.

Explic., & reducitur mens præcedentium Thomist. ad communem consensum.

SEd quòd attinet ad nostros nullum ex his existimo recedere à cōmuni aliorū consensu, nam aliud est quòd distinctè non videant omnem sinum, v. g. Omnipotentiæ, (& sic de aliis,) seù perfectiones, aut virtualitates, quæ dicuntur in illa latere penetrando omnem perfectionem, vel gradum tam entitativum, quàm terminativum, vel extensivum, seù tam ex parte recti, quàm ex parte obliqui, sed solum prout sic dicantur tantū videre illam quoad an est; aliud verò quòd quidditativè non cognoscāt, aut videant illam, & cætera, quæ formaliter Deo conveniunt: primum transeat, quòd affirmetur, cum non pertineat præcisè ad visionem, aut quidditativam cognitionem, sed magis ad penetrationem, aut comprehensionem eorum, ut constabit infra; secundum verò à nullo Thomistarum negatur, aut negari potest, cum unanimiter teneant nec de potentia absoluta videri posse essentiam, non visis attributis, & uno attributo, non viso alio, ob eorum connexionem necessariam in hoc, quod est videri omnia ut sunt in se, communicando in eadem visibilitate essentiæ, ratione cujus videntur omnia, quæ Deo formaliter convaniunt.

Sed specialiter quoad Ferrariensem egregiè ostendit M. Cataiam hic dub. 3. dicens, certè existimo longè esse ab opinione, quæ ei imponitur, nam cū in cap. præcedente §. ult. ex professo probet cum D. Tho. divinam essentiam non posse videri, quin tota videatur, nec posse aliquem modum realem esse in illa, quem beati non videant; docere statim non potuit, videri de facto divinam essentiam non viso aliquo attributo, aut perfectione formaliter existente in ipsa.

Dum ergo eo loco negat infinitatam Dei videri à beatis sub ratione infinitatis cognitione distincta, non est sensus non videri ab ipsis cognitione quidditativa non comprehensiva infinitatem Dei, & perfectiones omnes, quæ in ea sunt formaliter, sed sensus est non videri infinitatem intensivam distinctè quoad omnes perfectiones, quas virtualiter eminenter continet, sed tantum quoad an est, quia etsi videant beati infinitas perfectiones virtualiter debere contineri in Dei infinitate, quid tamen sit unaquæque ut formaliter distinguitur ab alia non cognoscunt, sicut nec cognoscunt quidditativè omnes creaturas producibiles à Deo.

Id etiam colligit idem Sapientiss. Magister ex textu, quia illo §. ad ultimum præmiserat, dupliciter posse divinam essentiam cognosci quidditativè à beatis, uno modo quia ipsam Dei essentiam ut in se est, immediatè vident, & sic ab omnibus cognosci quidditativè, alio modo sic, ut cognoscant essantiam Dei quantum ad omnes gradus in ea per eminentiam contentos distincta cognitione; & hoc modo negat beatos

cognoscere qniditativè Deum, & rationē reddit verbis in contrarium relatis.

Præterea §. illo ad secundum, dupliciter subdit; cognoscere distinctà cognitione infinitatem intensivā Dei non esse aliud, quam cognoscere particulariter & distinctà omnes gradus perfectionis in ipsa contentos secundum quod unus ab alio distinguitur formaliter; & cognoscere distinctè infinitatem extensivam virtutis Dei, esse, cognoscere omnes habitudines ejus ad quoscunque effectus producendos, & neutram infinitatem posse sic cognosci nisi comprehendatur; solum ergo negat, (concludit idem Magister) cognosci distinctè à beatis creaturas omnes, quæ continentur virtualiter eminenter in Deo, aut omnes respectus rationis ad illos in particulari; vel certè non sic cognosci Deum, ut hæc omnia ex vi visionis attingantur, quod est verissimum.

Quamobrem Mag. meus Ferre hic q. 10. §. 1. Ne dicatur à beatis aliquod formaliter conveniens Deo ex vi visionis quidditativè non videri, negat in divinis attributis formalem latitudinem graduum, cum divinæ perfectiones sint formaliter, & virtualiter indivisibiles, ità ut non sint in illis plures gradus formaliter cum distinctione virtuali, sicut inveniuntur in ipsis rationibus specificis, quæ sunt virtualiter plures etiam quoad id, ratione cujus Deo habent convenire formaliter, sed unum quodque attributum esse unam virtualitatem formaliter, & virtualiter indivisibilem in plures virtualitates, esse tamen unum quodque infinitæ perfectionis per hoc, quòd habet virtutem causativam omnium eorum effectuum, qui sub una ratione formali tale attributum participare possunt, v. g. justitiam ad omnem actum justitiæ, misericordiam ad omnem misericordiæ, & sic de aliis. Quod probat primò, tum quia majorem planè identitatem, seù unitatem, & simplicitatem habet idem attributum intra se ipsum, quam habeant duo inter se, sed hæc sunt tantum duæ virtualitates inter se distinctæ, ergo nequit idem intra se ipsum partiri in plures virtualitates.

Secundò: quia si semel ponuntur istæ virtualitates formaliter inter se distinctæ intra limites ejusdem attributi, & Deo formaliter convenientes, sicut illi formaliter convenit tale attributum, ut ab auctoribus oppositis supponit poni: manifestè infertur probabile valdè esse à quolibet beato comprehendi Deū, consequens nequit admitti, ut patet ex dictis, ergo, prob. ma., quia prædictæ virtualitates, ut ponuntur à contrariis exhauriunt adæquatà attributum secundum omnia, quæ habet formaliter, & virtualiter, sed probabile valde est, ut constabit infra, omnia videri à beatis, quæ Deo formaliter conveniunt, ergo probabile valdè erit ab illis comprehendi Deum.

Explicat hoc in Omnipotentia, in qua prædicti auctores juxtà numerum possibilium distinguunt gradus formales secundum diversos respectus rationis ad possibilia, ita ut cuilibet gradui conveniat specialis respectus ad suum particolare possibile, ergo si semel isti gradus inter se formaliter distinguntur, & Deo formaliter conveniunt, his omnibus visis comprehenditur Omnipotentia, ergo cum valdà probabile sit omnes, utpotè formaliter convenientes videri; probabile valdè erit, si semel sic ponuntur, comprehendi Deum.

Tertiò: quia ea, quæ alicui principio conveniunt formaliter, non cognoscuntur ex vi penetrationis, sed statim apparent viso principio, cum non sint de numero latentium, sed totum posse ipsius Omnipotentiæ distinctum; (ut dictum est ex eisdem auctoribus) in plures gradus formales solum ex vi adæquatæ penetrationis cognosci potest, ut par se patet, ergo non convenit illi formaliter quantum ad eosdem gradus in ejus virtute latentes, &c.

§. II.

Statuitur duplex Conclusio.

PRima. Non solum de facto visa essentia videntur qualibet visione beata relationes personales, sed necessarium est ex natura rei visione, qua videtur essentia sic videri easdem relationes tam ex parte Dei visi, quam ex parte visionis. Prima pars est de fide diffinita in Conc, Florent. sess. ult. in literis Sanctæ unionis. Ubi sic diffinitur, ut vidimus, Animas mox ut recipiuntur in Cælum intueri clarè ipsum Deū Trinum, & Unum sicuti est. Et eodem sensu accipiendum est illud 1. Jo: 3. *Videbimus eum sicuti est*. Imò Mag. Ferre hic num. 994. existimat Conc., in hac auctoritate specialiter fundare suam diffinitionem quamvis alii fundari dicant in illa 1. ad Corinth, 13. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. Alii verò in illa Psal. 49. *Sicut audivimus sic vidimus in Civitate Domini virtutum*. Alii verò in altera Jo: 14. *Qui videt me, videt, & Patrem meum* (de qua stati m) Et ibid. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Potissima nihilominus est præcedens Jo: 3. cui etiam innititur M. Catalan. Undè sensus Concilii videtur hic esse, ut subdit prior Mag. Ferre. Videbunt clarè Deum Trinum, & unum sicuti est; idest, quia scriptum est, *Cum autem apparuerit videbimus eum sicuti est*.

Dices Deum sicuti est, non tantum esse ea, quæ illum constituunt formaliter, sed etiam quæ virtualiter; scil. omnia possibilia, & tamen ex eo, quòd videant sicuti est, non rectè infertur, quòd in illo videant hæc omnia, aliàs comprehenderent, ut jam insinuavimus; ergo nec inferri debet, quod videant formaliter convenientia.

Sed contra hoc est, quia Concil. non diffinit, aut infert ex quacunque cognitione Dei sicuti est, sed ex visione, vel intuitione ejus prout sic, sed ex visione tantum inferri potest de formaliter convenientibus, non de virtualiter, ergo licet Deus sicuti est, utrumque sit, & formaliter, & virtualiter illi conveniens, non tamen est ad utrumque extendenda diffinitio, aut ex negatione extensionis ad unum est inferenda negatio extensionis ad aliud, ma. est certa, cum expressè dicat, quòd intuentur, mi. verò prob., quia ut proximè etiam innuimus, virtualiter convenientia non spectant ad visibilitatem, sed penetrationem, vel comprehensionem, ergo ex merito visionis, legitimè tantum inferri possunt convenientia formaliter, quæ sunt de numero apparentium, & visibilium, non virtualiter, quæ sunt de illo latantium, & penetrabilium &c.

Ratione theologica deindè prob. concl. Nam visione beata illa sunt clarè videnda in Deo, quæ nunc in via proponuntur ut credenda, juxtà illud Apost. loco relato. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*

te, tunc autem facie ad faciem, & quia etiam visio succedit fidei: sed modo proponitur, ut fide credendum Mysterium Trinitatis, ergo distinctè videndum est visione beata. Ex PP. videri possunt Nazian. orat. 20. & 23. & Athanas. oratione contra Arianos, & in expositione fidei.

Secundam partem docent communiter etiam Theologi, alii in 3. dist. 14., alii in 4. dist. 49. alii hic, eamq; pariter existimo de fide, ut fatentur omnes Thomistæ præcipuè ex illo Jo: 14. *Philippe, qui videt me, videt & patrem, non credis, quia ego in patre, & pater in me est?* Quo testimonio utuntur ad probandum, neq; essentiam sinè person s, neq; unam personam sinè alia videri posse M. Soto in 4. dist. 49. q. 3., & plures alii, & Interpretes hic præter unum Vasquez, qui disp. 48. c. 3. contendit prædicta verba ad claram Dei visionem referri non posse, quia Philippus illis verbis. *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis*, (quibus respondet Christus per verba relata) non postulaverat claram Divinitatis, aut patria visionem, sed solum majorem cognitionem, aut notitiam de patre.

Cæterùm de quacunque notitia intelligatur interrogatio Philippi, sivè de clara patriæ, sivè de corporali, ut aliis placet, sivè de illa fidei, quod videtur verisimilius, & insinuant Chrisost., Cirillus, & Tertullianus relati ab eodem, (quamvis nullus neget de visione etiam debere, & posse intelligi) nihil obstat ad idem intentum, imò intellecta de hac posteriori viæ, vel fidei, sumitur argumentum à fortiori; nam si ob unitatem essentiæ non stat cognosci filium per fidem cognitioneexplicita, patre non cognito, ut docent Patres à fortiori non stabit illum cognosci posse visione clara eodem non cognito. Deindè prædicta verba Christi intelligenda esse de omni cognitione distincta, sivè per fidè, sivè per visionem negari non potest; nam sicut Christus occasione accepta ex interrogatione Philippi consubstantialitatem patris, & filii, seù identitatem essentiæ manifestavit, ut docent omnes Patres, ità etiam ob eandem essentiæ identitatem docere voluit personam filii sinè patre distinctè cognosci non posse: undè in hoc sensu, & expressè de clara visione intellexit eadem verba August. in expositione psal. 85. circa finem. ex prædictis verbis probans in beatitudine non posse videri patrem sinè filio, aut è contra, & concludit sic. *Me viso videtur pater, & patre viso videtur filius; patris, & filii separari non potest visio: ubi non unius separatur natura, & substantia, visio separari non potest*. De clara etiam visione patriæ intellexit eadem verba lib. 1. de Trinitate cap. 8., & alibi sæpè. Nazianz. etiam orat. 49. *Non immeritò*; inquit; *qui filium videt, video & patrem, quia unitate substantia, & Majestate divinitatis unum sunt*. Quæ verba retulit quidem prædictus auctor, sed interpretationem nullam adhibuit, quia revara nullam admittunt, ut cuilibet legenti constare potest. De eadem iterum visione exposuit Hilarius lib. 3. de Trinitate circa finem. Beda in eum locum, & alii ex PP., quos refert Cabrera 3. p. q. 10. ar. 2. disp. 5. concl. 1.

Secundò prob. eadem pars, & simul urgentur hæc omnia ex Concil. Toletano 11. cap. 3. ubi sic habetur. *Tres ergo illae unius, atque inseparabilis natura personas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus prædicamus; quando quidem hoc nobis dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere ut etiam in omnibus, quibus voluit sigillatim personas agnoscit, unam sine altera non permittat intelligi; neque enim pater absq; filio cognoscitur, neq; sine patre filius invenitur*. Ità Concil. quibus verbis non solum apertè tradit nostram conclusionem, sed etiam docet esse revelatam in scriptura ex quo infert M. Catalam eam non tantù esse fide sed etiam negari non posse, quòd efficaciter probetur ex prædicto testimonio Jo: tù propter auctoritatem PP., & scholasticorum; tum præcipuè, quia non est aliud scripturæ testimonium vi cujus potuerit Concilium affirmare hanc veritatem ostensam aut revelatam esse à Trinitate.

Tertiò ex his probatur ratione proximè insinuata à D. August. & Nazian. ob identitatem scil., & connexionem inter se. Divinæ relationes sunt idē realiter cum Divina essentia, ergo ex natura rei videntur illa visæ, ant. est certum, aliàs non esset Deus in re omnioò simplex sed compositus ex essentia, & subsistētia relativa; & latè constabit infra de Trinitate, cons. verò probat. cognitio perfecta intuitiva, ut est visio beata, petit ex natura sua terminari ad rem prout est in se, vel à parte rei, ergo si in re essentia, & relationes sunt unum, & idem, non poterit visio beata præcisivè terminari ad illas attento merito suæ perfectionis, & naturæ.

Urg. hoc, Divina essentia non solum est idem realiter cum relationibus, sed etiam ità connexa cum illis ut ex se essentialiter ob sui fæcunditatem postulet terminari tribus relationibus, & è contra ob eandem connexionem postulent istæ terminare illam, si velimus ex utraqueparte subsistere mysterium Trinitatis, ergo ex natura rei tam ex parte extremi visi, quàm ex parte visionis nequit hæc terminari ad essentiam omissis relationibus, cons. tenet, quia ut dictum est cognitio perfecta intuitiva ex sui natura tenetur terminare ad rem ut est in se, vel in re, ergo si essentia Divina ob sui infinitatem, & fæcunditatem, essentialiter petit esse in tribus, & ista tria petunt ex sui natura terminare illam, impossibile erit, quòd possint ibi attenta eorum natura, & visionia præcisivè videri nisi iterum velimus posse videri objectum, ut est in se, omisso, vel non cognito aliquo sui prædicato essentiali, quod implicat in terminis qua ratione constabit id esse impossibile etiam de potentia absoluta, quia manifestè involvit contradictionem; quòd videretur, ut est in se, & non videretur, ut est in se.

Explic., & urg. ulteriùs præoccupando jam insinuatam solutionem. Repugnat semel videri objectum, ut est in se, scil. cognitione perfecta, clara, quidditativa, & intuitiva, ut contingit in patria, omisso, vel non cognito prædicato ex natura rei, sive attenta natura omnium concurrentium tam in genere intelligibili activo, seu ex parte visionis, quàm passivo, scil. ex parte objecti visi, strictè spectante ad lineam visibilitatis ejus, sed prædicata essentialia objecti sic spectant ad hanc lineam respectu ejusdem cognitionis perfectæ, ut per se patet, aliàs nullum spectabit ad illam nam prædicata rei, ut insinuavimus, sunt in duplici differentia, alia spectantia ad lineam visibilitatis alia ad illam penetrationis vel comprehensionis, certum est autem, quòd essentialia spectant ad priorem lineam respectu cognitionis intuitivæ, & quidditativæ, cum sint per se objectum illius, ergo si fecunditas in tribus personis est prædicatum essentiale na-

naturæ Divinæ non poterit hæc semel intuitivè, & quidditativè videri, non visis personis attento omnium istorum natura, & merito.

Denique Urgentur hæc omnia, nam sicut gratia habitualis modo in via ex eo quod est participatio formalis Divinæ naturæ, & consequenter dat filiationem Dei adoptivam, & jus adhæreditatem gloriæ, vel visionis, habet ex se vel essentialiter esse ablativa omnium impedimentorum excludentium à gloria, & nequit esse remissiva præcisivè, scil. unius, vel alterius sed omnium mortalium, ita eadem consumata, & lumen gloriæ, quia sunt principium videndi Deum ut in se est, ex propria natura, & essentia petunt concurrere ad visionem illius non præcisivè, sed omnium visibilium, sivè ex natura rei spectantium ad lineam visibilitatis: (quid quid sit, quòd possint etiam esse principium penetrationis, sed hoc non spectat præcisè ad rationem utriusq; specificativam, sed magis gradualem, vel intensivam, quæ ut dictum est, suscipit magis, & minus,) ergo si semel tam essentia, quàm relationes spectant ad priorem lineam, attenta natura omnium concurrentium tam activè, quàm passivè, nunquã poterit haberi visio præcisiva respectu spectantium ad eandem lineam.

Secunda Concl. Ex natura etiam rei præscindendo à miraculis necesse est visa essentia videri omnia attributa, non quidem per modum plurium, sed ut verè sunt una simplex perfectio continens formaliter omnes perfectiones, quas nos in plura attributa distinguimus. Prima pars convincitur eisdem argumentis, quibus secunda pars præcedentis conclusionis. Nam omnia attributa, utpotè formaliter Deo convenientia, & habentia realem identitatem, & connexionem cum Divina essentia, quæ ob sui infinitam perfectionem habet ex sua natura, & essẽtia omnem perfectionem Divinam radicare, sicut ob sui fæcunditatem communicari, spectant ad lineam visibilitatis, ergo non potest semel videri, omnibus attributis non visis attenta iterum omnium natura. Unde est etiam communis sententia cum D. Tho. artic. præced. ad secundum, & tertium.

Sed præterea prob. sic. Nam visa essentia, vel necesse est videri aliquod attributum vel nullum; hoc secundum dici non potest, quia nullo viso, non videretur quidditativè, vel quid sit Deus, ac per consequens, nec Divina essentia; nam nec Deus nec Divina essentia salvari possunt quiditativè sine continentia, vel radicatione omnium Divinarum perfectionum salva sui infinita perfectione tãquã prædicato essentiali, ut dictum est, ergo necesse est videri aliquod, sed non est major ratio de uno, quàm de alio, cum omnia sint idem realiter cum essentia, & quolibet ablato intelligi nequit essentia, ut in se est constituta, si velimus esse summè, val infinitè perfectam, ergo cognita essentia ut in se est per visionem, necessè est ex natura rei videri omnia attributa.

Et hoc etiam est, quod insinuat prædictum Concil. Florent. dum dicit, quòd *intuentur Deum clarè trinum, & unum sicuti est*, nam omnia, quæ Deo formaliter conveniunt; vel spectant ad unitatẽ, ut sunt omnia ista absoluta, vel non opposita relativè inter se, & sic comprehenduntur in illo, *Videbunt Deum unum*; vel spectant ad Trinitatem, & sic comprehenduntur in illo, *Videbunt Deum trinum*; vel spectant ad constitutum ex illis, & sic comprehenduntur in illa capulativa, *trinum, & unum*, ut rectè ponderat Mag. Ferre.

Ex quibus iterum fit argumentum sic pro hac priori parte ex posteriori jam probata prioris conclusionis: nam quia concilium dicit, quòd clarè intuentur Deum trinum sinè oppositione ad illud, negari non potest visio relationum visa essentia, ergo quia dicit, quòd clarè intuentur Deum unum, negari non poterit sine oppositione ad idem, visio aliorum attributorum eadem visa, cons. tenet, quia non magis in illo Verbo, *trinum* clauduntur omnia, quæ spectant formaliter ad Trinitatem Dei, quàm in illo *unum*, quæ spectant formaliter ad illius unitatem, ergo si ex primo legitimè infertur negari non posse de relativis sine oppositiona cùm verbis Concil., pariter ex secundo legitimè inferendum est non posse negari de aliis attributis sinè oppositione cum verbis illius.

Quoad 2. part., quæ videtur magis indigere explicatione, quam probatione adverto, quòd dum dicitur divina attributa distinctè videri, tribus modis intelligi potest. Primò ut sit sensus videri Deum distinctis cognitionibus quoad sua attributa, & hoc repugnat, quia visio est proportionata rei visæ, & ideò suo modo est una, sicut una simplex, & indivisibilis est res visa. Secundò ut sensus sit, videri divina attributa ut inter se distincta, & plura; & hoc iterum repugnat, nam si sermo sit de actuali distinctione in re, est de subiecto non supponente, cum in re careant tali distinctione, unde tam certum est non videri ut sic distincta, quàm certum sit realiter non distingui; si verò sermo sit de distinctione rationis, estò possibile sit ipsa visione, ut ratione distincta cognosci, tamen de facto ita cognosci non est necessarium, quia cum non cognoscantur comprehensivè, nec opportet ut cognoscantur secundum omnes respectus rationis, quibus aut inter se, aut ad creaturas comparari possunt. Tertiò ut sensus sit, non videri cognitione confusa, sed cognitione attingente rem ut est in se secundum proprium, & quidditativum conceptum, & sic distinctè cognosci dicuntur.

Ex quibus facilè prob. concl. Quia videre attributa Dei per modum plurium, est videre illa, ut actualiter distincta inter se, una, aut pluribus cognitionibus, sed non est necessarium videre illa, ut sic distincta, cũ in re, ut dictum est, sint una simplex, & indivisibilis perfectio, cum visio terminetur ad illa, ut sunt in re, ergo visa essentia non est necessarium videre illa per modum plurium &c.

Ex his inferimus beatos sic videre omnia attributa modo explicato in hac 2. parte, esse de fide saltem mediatè. Primò quia per evidentem conseq. deducitur ex una fide, nempè quod videtur Deus, ut in se est, & ex altera evidenti, vel nota lumine naturali, scil. quòd omnia attributa in Deo sunt realiter eadem simplicissima perfectio. Secundò quia Christus illis verbis: Jo: *Non credis, quia ego in patre, & pater in me est*, assignat identitatem personarum cum essentia tanquam rationem, ob quam asseruerat non posse ipsum videri patre non viso, ut expressè docent August. & Nazian. Hæc autem ratio, ut patet ex dictis, æquè procedit de attributis, undè si aliqui Thomistę, ut Mag. Bannez hic dub. 1. ad ar. 7. negant id esse de fide etiam mediatè, intelligendi sunt de visione attributorum duobus prioribus modis, scil. ut sunt distincta inter se, & per modum plurium secundum respectus omnes rationis ad creaturas, quas connotant.

§. III.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

PRimò arguitur contrà primam.præcipuè contrà 2. part.arg.,quo infrà utuntur etiā ad probādam visionem præcisivam saltem de possibili. Non obstante reali identitate relationum cum essentia cōmunicatur hęc realiter filio non cōmunicata relatione paternitatis, similiter filius terminat realiter generationē patris, quam non terminat essentia, ergo ex earum identitate non rectè infertur debere ex natura rei videri relationes visa essentia, conseq. tenet à paritate, cum non videatur major ratio, ob quam possit præcisivè communicari essentia non communicata paternitate, & non possit videri hac non visa.

Urg. hoc. Potest una persona præcisivè sine aliâ per physicam actionem transeuntem uniri, aut communicari personaliter naturæ creatæ, ut patet in mysterio incarnationis, ergo poterit etiam præcisivè una sine alia videri, prob. conseq. quià facilior est præcisio, vel separatio unius rei ab alia per cognitionem, quàm per actionem physicam &c.

Ad hoc dico in primis esse solvendum ab omnibus, quia si aliquid probat, non tantum probat sic de facto posse præcisivè videri, sed etiam quòd impossibile sit non sic præcisivè videri unam sine aliâ, sic quòd nec de potentia absoluta fieri possit, ut visa essentie videantur relationes, sicut communicate essentia communicetur relatio, vel paternitas. Pro omnibus ergo resp. negando conseq., & disparites est quià relatio paternitatis ex propria ratione formali est essentialiter incommunicabilis filio ob relativam oppositionem cum illo, undè non solum non tenetur cōmunicari communicata essentia sed est etiam impossibile, at verò in ratione visibilis cum nullo prædicato divino habet oppositionem, unde non est minus visibilis, aut attingibilis visione, quàm essentie, & ideò.cum in re sit idem cum illa, & visio, ut dictum est; petet ex sui natura terminari ad essentiam, ut in re est, necessariò attingitur eadem visione, quià identitas indispensabiliter infert, quando nihil obstat, obstat autem oppositio in ratione communicabilis, si velimus subsidere mysterium Trinitatis,) non in ratione visibilis,&c.

Ad confirmat., quæ potest esse replica, quatenus in ratione terminandi, sivè in ordine ad naturam non opponuntur divinæ relationes,vel personalitates; Resp.nihilominus negando,conf. & disparitas est, quià licet non opponantur in ordine ad naturam, qua ratione possunt omnes simul eandem terminare, quia tamen quælibet secundum propriam rationem, qua distinguitur ab aliâ est ratio terminandi dependentiam naturæ creatæ, ratio verò terminandi visionem est essentia divina, ut communis tribus personis, ideò potest una immediatè terminare,alia non terminante, non tamen potest una videri alia non visa, sicut si hic Deus ut communis tribus personis per subsistentiam absolutam, quæ communis est illis, per se primò uniretur humanitati, nō staret uniri unam omnibus non unitis, quia tunc ratio terminandi, scil. eadem subsistentia absoluta, est omnibus communis, ut ostendimus 3.p.q.3. ad ar.2. & 3., Unde poterat iterum retorqueri. Ad prob. verò conseq. dicimus nullius esse momenti, quia plura sunt, quæ habent connexionem in genere intentionali, vel cognoscibili, quam tamen non habent in genere physico; non enim omni in creatis, cui unitur realiter peternitas, unitur filiatio, & tamen une sine alia cognosci non potest, Unde optime stabit, quòd personalitas increata filii cognosci nequeat sine personalitate patris, & tamen quòd uniri possit humanitati sine illa. Transeat ergo quòd facilior sit separatio, vel præcisio in priori genere cæteris paribus, vel ubi non est in illo connexio, secus tamen si in illo sit, & non in alio, ut contingit in eodem mysterio respectu utriusque personalitatis divinæ comparativè ad humanitatem, quia licet oppositionem non habeant in ordine ad illam terminendam, non tamen habent connexionem sicut in cognosci, si semel immediatè terminent secundum sibi proprie, ut de facto terminat Verbum.

II. Arg. contrà 2. specialiter contrà 1. partem,de qua est præcipua difficultas. Si qualibet visione beata,visa essentia viderentur omnia attributa, seù quæ formaliter sunt in Deo, qualibet comprehenderetur Deus, consequens neqnit admitti ergo, prob. ma., quia tunc viderentur omnia prædicata Dei essentialie, & attributalia, seù quæ nostro modo concipiendi se habent, ut proprietates, ergo comprehenderetur Deus, prob. conseq., nam qui cognosceret hominem per definitionem essentialem claudentem omnia prædicata essentialia, & iterum à priori omnes ejus proprietates,comprehenderet illū,ut per se patet, ergo similiter visa in Deo essentia, & proprietatibus ejus comprehenditur Deus.

Ad huc nego mai. ad probat., nego consequen. ad phob. resp. cum D. Tho. q. 8. de veritate ar.2. ad 4. disting. ant., comprehenderet hominem, si comprehensivè cognosceret ejus definitionem essentialem conc., aliter nego, nam licet ità sit, quòd comprehendens definitionem essentialem, idest comprehensivè cognoscens omnia, quæ definitio claudit, dicatur rem definitem comprehendere, secus tamen si eandem illius definitionem non attingat comprehensivè, sicut autem possibile est cognoscere hominem sine comprehensione, ità pariter definitionem illius, & tunc homo non comprehenditur, estò per definitionem cognoscatur. Beatus autem quamvis videat aliquomodo quid est Deus, non tamen illud comprehendit, & consequenter nec comprehendit Deum.

Sed præterea ad eandem paritatem dato, vel concesso ant., nego conseq., quià qui sic cognosceret hominem, cognosceret, aut cognoscere posset singula ejus prædicata, quantum cognoscibilia sunt ex se, vel quantum ex se postulant cognosci, quià singula finita sunt, at verò beati ut vidimus, nullum Dei attributum cognoscunt quantum est ex se cognoscibile, cum cujuslibet cognoscibilitas sit infinita ex se, & nulli virtuti cognoscitivæ creatæ, utpote essentialiter finitæ, seù tali per participationem, commensurabilis.

Sed instas. Quià non stat cognoscere omnia, quæ formaliter Deo conveniunt, & non cognoscere illum quantum est ex se cognoscibilis, ergo vel tenemus asserere, quòd quilibet beatus comprehendat Deum, vel quòd sua visione non videat omnia illi formaliter convenientia, prob. ant., quià omnis gradus, vel modus perfectionis conveniens Deo, sive ex parte con-

essentiæ, sive ex parte attributorum, est formaliter conveniens illi, sed cognito omni modo, vel gradu perfectionis in Deo, & in quolibet sui attributo, cognoscitur quantū ex se cognoscibile est, nam si aliquod adhuc lateret non cognitum, vel non comprehensum, non cognosceretur, quantum ad omne id, quod formaliter illi convenit, quia illud latens, utpotè pertinens ad lineam perfectionis divinæ est formaliter illi conveniens, ergo si semel cognoscitur quoad omnia formaliter convenientia, comprehenditur. Ex quo etiam infertur omnes visiones esse æquales, quia nihil est ab una cognitum, quod non cognoscatur ab alia, sed omnes attingunt Deum quantum cognoscibilis est, quod est sine inæqualitate attingere illum, totum, & totaliter &c.

Huic instantiæ M. Ferre hic ad 1. videtur aliquo modo decliuare ad modum supra relatum & impugnatum, quo utitur Vasquez in explicando comprehensionem, nam ad vitandam hanc æqualitatem, (in cujus favorem præcipuè proponit arg. 1;) & consequēter comprehensionem, recurrit ad hoc, quòd si omnis hujusmodi modus, vel gradus perfectionis tam quoad formale, quàm quoad virtuale, sive tam quoad id, quod formaliter sunt, quàm quoad id, quòd sunt virtualiter, scil. omnis creatura, tunc quidem haberent beati visionem æqualem, & comprehensivam, secus verò si solum videant, quoad formale, non quoad virtuale, unde concludens, inquit, qui videt ergo Deum, & non videt possibilia in Deo, totum Deum videt, sed non totaliter, quià ignorat ad quid in particulari virtus Dei possit se extendere, unde ex hoc, quòd beatus habeat videre Deum, & omnem gradum Deitatis, (si sic liceat loqui) qui Deum constituit formaliter, non sequitur, quòd totaliter penetret Deum, seù comprehendat, nec quòd habeat visionem cum cæteris.

Verum ut dicebamus; non solum neganda est in beatis cognitio comprehensiva Dei, & etiam æqualitas in eorum visione respectivè ad objectum secundarium, quod est creatura, sed etiam in ordine ad primarium modo in superioribus explicato, ideſt, quòd non solum visio non sit comprehensiva ex eo, quod adæquatè non attingat, aut non adæquet cognoscibilitatem Dei veluti respectivam, sivè in ordine ad creaturas, sed etiam quià impossibile est eam adæquare cognoscibilitatem ejus absolutam, & cujuscunque attributi secundum se, cum quodlibet sit ex se, ut vidimus, cognoscibilitatis simpliciter, & per essentiam infinitæ, & ideò ex se, vel juxtà sui exigentiam sit cognoscibilis per virtutem cognoscitivam tantū increatam ut sibi, adæquatam: similiter visiones non solum sunt inæquales in ordine ad eundem terminum secundarium, quià una magis de possibilibus videat, quàm alia, sed etiam quià una intensiùs alia se habet in ordine ad primarium, nam licet beatitudines hominum non sint essentialiter inæquales, vel specie diversæ, ut dictum est, sunt tamen inæquales in perfectione intensiva, ideſt habent in iis homines beatitudinem essentialem inæqualem, sive intensionem in uno, quam in alio.

Quarè visa, ut suppono, hac difficultate idem Mag. respondet 2. distinguendo de visione, in ratione visionis, & in ratione penetrationis, & dicit, quòd licet omnes visiones beatorum in ratione visionis sint æquales, in penetrando tamen id, quod videtur inæquales sunt; sicut in simili distinguit de motu calefactionis, quòd licet in ratione calefactionis, sive secundum propriam rationem calefactionis, secundum quam terminatur ad esse caloris, omnes calefactiones sint æquales, quià in hoc, quod est facere calidum æquales sunt, in ratione tamen intensionis, prout scil. terminatur calefactio ad majorem participationem ejusdem caloris, sunt inæquales, quià fit subjectum magis calidum per unam, quam per aliam. Quod videtur ferè idem, ac dicere, quòd in ratione essentiali, vel specifica beatitudinis sunt omnes visiones tam hominum, quàm Angelorum æquales, quod est verissimum, ut probavimus, quià omnes habent idem objectum specificativum, sicut & lumen, & modum attingendi, in perfectione tamen prædicta intensiva inæquales, quod est id, quod alii jam communiter docent &c.

In forma, ergo negn antec. ad probat. dist. min. ut supra ex D. Th., cognito omni gradù, vel modo ut præcisè se tenet ex parte rei visæ, tantùm quidditativè, nego ant. cognito commensurativè cum modo videntis per comparationem ad rem visam, conc., sed hoc modo à solo Deo cognoscitur. Libenter ergo iterum fatemur nullum esse modum in Deo, qui non videatur, sed omninò negamus aliquem in eo existentem videri per commensurationem, & adæquationem sui cum visione in ratione visionis, vel cognitionis, quia nullus videtur immensè, & infinitè, sicut immensè, & infinitè visibilis est. Perquod etiam patet ad id, quod infertur de prædicta inæqualitate, nam eo ipso, quòd modus videntis non commensuratur, vel non adæquatur rei visæ, est latitudo, secundum quam visio, ut dictum est, potest esse intensior in uno, quàm in alio, & consequenter inæqualitas in illa respectu perfectionis intensivæ &c.

Tertiò Arg. ad idem, (& potest esse replica urgendo præcedentem instantiam.) Ad videnda omnia attributa, quæ sunt formaliter in Deo requiritur visio simpliciter infinita, ergo nec videntur, nec visibilia sunt omnia per visionem creatam, cons. tenet, quia nulla ex his est, aut esse potest simpliciter infinita, ant. verò prob., attributa Dei sunt infinita, ergo ad videndum omnia requiritur visio simpliciter talis; ant. constat, quia Deus non est finitus, nec limitatus in suis attributis, nisi velimus esse finitarum perfectionū, quod est alienum; cons. verò prob., quia ad videndum aliqua Dei attributa requiritur aliqua perfectio intensiva visionis, ergo ad videndum plura major perfectio, ergo ad videndum infinita perfectio infinita, utraque cons. cum ant. constant, quia cæteris paribus major perfectio cognitionis requiritur ad cognoscendum plura, quàm pauciora, ergo ea proportione, qua crescit numerus cognoscendorum, crescit etiam perfectio intensiva cognitionis.

Urg. hoc. Visio, qua viderentur in Deo omnes creaturæ esset simpliciter infinita, ut dicetur infra, ergo pariter erit infinita, qua videntur omnia, quæ sunt in Deo formaliter, prob. cons., quia majus infinitum resultat ex his perfectionibus, quàm ex creaturis possibilibus, ut patet ergo &c.

Ad hoc conveniunt omnes in negando ant., sed in solvenda ejus probatione divisi sunt. Nam quidam iterum negant ant., quia non quælibet perfectio est attributum, sed tantum, quæ concipiuntur à nobis, ut proprietates divinæ naturæ, nos vero tantum concipimus hujusmodi proprietates in Deo per respectum, aut comparationem ad perfectiones, quas in natura crea-

creata intellectuali cognoscimus, sivè ut veras proprietates, sicut est intellectus, & voluntas, &c. sivè ut superadditas, ut sunt habitus scientiarum, constat autem hujusmodi perfectiones esse finitas. §. Huic solutioni videtur favere prædictus modus dicendi M. Ferre admittentis quidem formaliter attributa in Deo secundum rationem specificam, non tamen secundum rationes veluti graduales, ut explicatum est ex eodem, licet videatur moderari, quòd solum velit non esse formaliter quantum ad distinctionem, ut infrà.

Cæterum hæc solutio videtur magis succumbere argumento, aut fugere vim illius, quàm solvere, quia licet dicamus attributa Dei propriè, & in rigore loquendo esse numero finita non videtur tamen posse negari perfectiones, aut perfectionum gradus, quos important, esse simpliciter infinitos, & esse formaliter in Deo, si vel.mus Deum esse simpliciter infinitè perfectū, seù esse ipsum formaliter subsistēs in plenitudine essendi, undè hac ratione, ut in superioribus vidimus; sustinet idem M. Ferre, quòd omnes perfectiones creaturarum, etiam quæ in suo formali conceptu involuunt imperfectionem, ut tamen nominantur nomine perfectionis, esse formaliter in Deo, quidquid sit, quòd non distinguantur hujusmodi gradus perfectionum inter se formaliter, sed tantum distingui possint cum fundamento in re per nostros conceptus, quod solum videtur esse intentum ejusdem auctoris, & docent alii Thomistæ. De his ergo est eadem difficultas, quia omnis perfectio, aut perfectionis gradus necessariò formaliter existens in Deo videtur à beatis, ut fatemur omnes cum D. Th.

Pro omnibus ergo admisso, quòd nomine attributi intelligatur perfectio existens formaliter (ut abstrahamus à quæstione de numero attributorum), resp. ad eandem probat. distinguendo ant., sunt infinita multitudine actuali, nego, quia actualis multitudo exigit actualem distinctionem unius ab alio, quæ nec in re, nec in ordine ad nostros conceptus reperitur, aut reperiri potest, quia intellectus noster non potest actu cathegorematicè distinguere infinitos gradus perfectionis, qui sunt in Deo, sed tantum syncathegorematicè, non tot, quin plures: sunt infinita multitudine virtuali, conc., nam aliud est, quòd sint formaliter in Deo formalitate, vel actualitate perfectionis, cum sit Deus, ut dictum est; infinitè formaliter perfectus in ipsa plenitudine essendi, aliud verò quod sint infinita formalitate, vel actualitate distinctionis, seù multitudinis actualis, nam quoad distinctionem, vel multitudinem, dicuntur solum esse infinita virtualiter, quia ad hanc infinitatē sufficit virtualis distinctio; & nego deindè cons. ad illius probationem dicimus tantum convincere posse de cognitione attributorum, ut plura sunt actualiter inter se distincta, non verò ut cognoscuntur per modum unius, ut in re sunt eadē indivisibilis perfectio, undè dist. ant. Ad cognoscendum aliqua, ut plura sunt actualiter inter se distincta, conc., per modum unius nego, & sub eadem distinctione dist. utrumque consequens. Per quod etiam patet ad eorum probationem.

Præterquamquod non est universaliter verum requiri perfectiorem cognitionem ad cognoscēdum plura, quàm pauciora, id enim falsum est, si semel illa plura habeant connexionem cum paucioribus, & ex vi cognitionis alicujus ex illis necessariò cognoscantur. Nam quia ex vi cognitionis comprehensivæ alicujus causæ, necessariò cognoscuntur effectus, non requiritur perfectius lumen, aut cognitio ad videndam causam, & effectus, quam ad videndum comprehensivè solam causam. Similiter quia unum relativum nequit quidditativè cognosci sinè alio, non requiritur majus lumen, aut cognitio perfectior ad cognoscendum solum unum, quàm ad utrumque.

Ad confirm. nego conf., quia visis omnibus possibilibus in particulari non solum viderentur ea, quæ sunt formaliter in Deo per modum unius, aut ut sunt una indivisibilis perfectio quidditativè tantum visibilis, sed etiam comprehensivè, deberent enim penetrari omnes sinus Divinæ Omnipotentiæ, quod est eam comprehendere, ut dicetur infrà; supponimus namque videri ex vi visionis essentiæ, vel Omnipotentiæ, undè simul cum possibilibus venirent omnes perfectiones, quæ sunt formaliter in Deo non secundum puram attingentiam quidditativam, sed etiam penetrativam, & comprehensivā, quia creaturæ, & præcipuè omnes secundum adæquatam earum collectionem apparere nequeunt prout sic cognitæ non cognita adæquatè essentia, & Omnipotentia, ut ibidem explicabitur, & ideò talis cognitio, utpotè comprehensiva, esset simpliciter infinita.

IV. Arg. ad idem, & est replica. In Deo sunt necessariò formaliter hæc tria, scientia simplicis intelligentiæ, continentia eminentialis creaturarum, & omnipotentia, sed hæc non oportet videri qualibet visione, ergo; major constat, quia quodlibet illorum dicit perfectionem simpliciter simplicem, sivè non admixtam imperfectioni, & non supponit liberum Dei decretum, ergo sunt necessariò, & formaliter in Deo; minor verò prob., quia quodlibet illorum licet non in recto, & ut rationem formalem constitutivam, saltem tamen in obliquo ut modum, aut conditionem intrinsecam importat respectum rationis ad creaturas possibiles, nempè scientia, sicut cognitio ad objectum, continentia eminentialis, sicut continens ad contentum, & Omnipotentia sicut virtus productiva ad producibile, ergo non oportet, imò impossibile est videri qualibet visione, prob. conf., quia nequeunt semel videri non viso prædicto respectu, sed hujusmodi respectus videri non possunt non visis omnibus possibilibus, ut insinuavimus, & constabit infra, & patet, quia nequit videri respectus non cognito termino, ergo cum impossibile sit omnia possibilia videri visa essentia, non solum non erit necessarium, imò impossibile qualibet visione videri omnia, quæ sunt formaliter in Deo.

Urgetur hoc in ideis divinis: nam in Deo sunt formaliter ideæ omnium possibilium, sed hæ videri nequeunt qualibet visione, ergo nec omnia, quæ sunt formaliter in illo; major constat, quia Divina essentia actu, & formaliter est exemplar omnium creaturarum possibilium, minor verò prob., quia videri nequeunt non visis iterum omnibus possibilibus, cum idæa includat intrinsecè respectum ad idæatum, qui, ut dictum est, cognosci non potest non cognito ejus termino, scil. idæato, sed possibilia non videntur qualibet visione, alias, ut etiam insinuavimus, non esset pura visio, sed comprehensio, ergo &c.

Ad hoc dico in primis esse solvendum ab omnibus; quia ut etiam tetigit argumentum, non tantum probat, quòd non sit necessarium videri, sed etiam impossibile, si semel illis visis tenentur videri omnia possibi-

sibilia, quæ citra comprehensionem ex vi visionis essentiæ, vel Omnipotentiæ videri non possunt, quod tamen admitti nequit nisi velimus à nullo beatorum videri posse Omnipotentiam, aut aliud simile attributum etiam de potentia absoluta, quod est alienum.

Pro omnibus ergo neg. mi., ad prob. posset negari ant., quia negant plures respectum rationis esse aliquomodo de conceptu essentiali scientiæ, vel Omnipotentiæ Dei, sed esse in se perfectiones omninò absolutas, quamvis in hoc statu concipiantur à nobis cum habitudine, vel respectu ad possibilia, quia nēpè eas concipimus per comparationem ad similes perfectiones in creaturis inventas, undè à beatis, qui vident eas ut in se sunt, videntur siuè aliquo respectu ad creaturas. Sed nihilominus, quia hoc incertum est, aliter resp. ex doctrina infra, dist. ant., quodlibet illorum importat respectum ad creaturas, omnes in particulari, ut ad terminum primarium, à quo specificetur, nego ant., ut ad terminum secundariū concedo, quia primarius terminus formalis, vel specificans prædictum respectum est ens creabile ut sic, sivè ens possibile, aut producibile in genere, creaturæ verò in particulari sunt terminus materialis, vel secundarius pertinens ad cognitionem penetrativam, vel comprehensivam, non purè quidditativam, ut est visio secundum formalem, & specificam rationem visionis, unde solum sequitur videri non posse præfata attributa non viso tali respectu, ut terminatur ad terminum primarium, & consequenter debere qualibet visione videri communem rationem entis creabilis, non tamen rationes omnes illius in particulari, quia ad cognoscendum quidditativè respectum, non est necessarium cognoscere omnē terminum illius in particulari, si velimus cognitionem quidditativam à comprehensiva distinguere, ut patet in cognitione quidditativa potentiæ visivæ, ad quam satis est cognoscere visibile ut sic. Sicut ergo potentia, aut scientia creata eodem indivisibili respectu trascendētali reali per se primò respicit cōmunem rationem objecti, & secundariò omnia particularia sub illa ratione contenta, ità respectus rationis, qui in obliquo dicitur claudi in conceptu essentiali scientiæ, aut Omnipotentiæ Dei per se primò habet terminari ad communem rationem objecti, & secundariò ad singula inferiora, & quamvis in ordine ad singula possint à nobis syncathegorematicè multiplicari respectus eorum, tamen cognitio eorum non est necessaria ad quidditativam attingentiam divinæ scientiæ, & potentiæ, & si fortè necessaria sit ad comprehensivam.

Ad confirm. dicimus idæam in Deo dupliciter posse considerari, primò ut est attributum, seu ut dicit perfectionem formaliter in Deo existentem, & prout sic non est multiplex, sed una inadæquata singulis creaturis, quæ non est aliud, quam ipsa essentia divina, ut imitabilis à creaturis, & ut adæquatum idæatum non respicit hanc, vel illam creaturam secundum proprias rationes particulares, sed ut conveniunt omnes in una adęquata ratione entis creabilis, vel exemplati, unde primarius terminus, à quo specificatur respectus rationis, quem in obliquo intrinsecè connotat, est communis ratio entis creabilis, singulæ verò creaturæ secundum proprias rationes sunt terminus secundarius, ut dictum est, ac proindè ut purè quidditativè cognoscatur, non est necessarium cognoscere singulas creaturas possibiles secundum rationes proprias, sed tantùm secundum communem rationem entis possibilis secūdò potest considerari idæa divina, ut dicit divinam essentiam in ratione objecti cogniti, ut imitabilis secundum determinatum modum, vel gradum à qualibet creatura, & tunc dicitur multiplicari, ut alia sit idæa hominis, alia leonis &c. at non dicuntur plura attributa; quia licet essentiam divinam esse imitabilem à creaturis dicat perfectionem, tamen quòd cognoscatur ut imitabilis ab uno secundum unum gradum determinatum, & ab alio secundum alium non dicit novam perfectionem adhuc ratione distinctā, sed tantum addit novū respectum rationis ad exemplatum, & ideò licet non cognoscantur à beatis omnes idææ, quæ penes hos respectus multiplicari possunt, non eos latet aliqua perfectio, vel attributum formaliter in Deo existens. De quo Cabrera 3. p. q. 10. art. 2. disp. 6. concl. 2. & ad secundum.

Ex his in forma respond. concessa ma: modo explicato, dist. mi. nequeunt videri qualibet visione, priori modo acceptæ, nego, posteriori, conc., & nego conseq., vel suppositum, quòd posteriori modo multiplicent perfectionem. Ad prob. verò mi. dist. eodem modo, nequeunt videri omnibus possibilibus non visis, si viderentur posteriori modo transeat, vel conc., si priori, subdistinguo non visis in particulari, nego, secundum rationem communem entis conc., nam satis est ad earum prout sic cognitionem quidditativam, quòd videatur terminus secundum communem rationem entis creabilis, non secundum proprias rationes singularum creaturarum in particulari, sic enim magis cognoscerentur comprehensivè, quam purè quidditativè &c.

Ultimò Arg., & adhuc potest esse replica. In Deo sunt quidā modi formaliter illi convenientes, & à creaturis omninò imparticipabiles, ut sunt modi entis à se, primæ causæ, actus puri &c. Hi enim nil aliud habent præter id, quòd formaliter sunt, formalitate omnimodè creaturis repugnante, quatenus important infinitatem simpliciter cum independentia ab alio, & exclusione totius potentialitatis, ergo si semel videntur à beatis omnia, quæ formaliter cōveniunt Deo, quilibet videbit illos adæquatè, & consequenter comprehēsivè, quod est impossibile, cum sit eadem ratio de omnibus divinis, hæc posterior cons. tenet, quia idem est videre comprehensivè, & videre adæquatè, prima vero etiam constat, quia si semel sunt omninò imparticipabiles, & consequenter absoluti ab omni respectu rationis etiam in obliquo ad creaturas, nequit eorum adæquata cognitio impediri ex omissione visionis alicujus respectus in particulari, ergo semel visi, videntur adæquatè &c.

Ad hoc patet primò, ut suprà, non tantum probare negationem visionis illorum, sed etiam impossibilitatem, cum impossibile sit, ut vidimus, ab intellectu creato posse aliquod prædicatum divinum comprehendi, utpotè ex se infinitæ cognoscibilitatis simpliciter, & per essentiam, quod tamen est alienum, scil: nec posse quidditativè cognosci, ut dictum est. Tum quia non distinguit, sed confundit puram cognitionem quidditativam cum comprehensiva.

Ad arg. ergo M. Ferre, resp., quod licet prædicti modi ex propria linea non sint participabiles, tamen sunt

ſunt ſummè identificati cum aliis divinis infinitè participabilibus, unde quamvis cognoſcantur ſecundum omnia, quæ Deo formaliter tribuunt, non tamen comprehenduntur, quia non adæquatè cognoſcuntur, cum non cognoſcantur adæquatè ea, cum quibus identificantur.

Cæterum hæc ſolutio, ut ſupra jam in ſimili inſinuavimus, videtur aliquomodo ſuccumbere argumento facto, dum ad evitandam illorum comprehenſionem recurrit ad identitatem cum aliis divinis participabilibus, & conſequenter ad aliquod extrinſecum, quaſi ex propriis non habeant exceſſum cognoſcibilitatis infinitè ſuperantis omnem vim cognoſcitivam creatam, quod videtur aliquo modo coincidere cum ſuperiori modo explicandi comprehenſionem P. Vaſquez.

Aliter ergo ex dictis, vel nego utramq; conſ. vel diſt. primũ conſ., quilibet videbit adæquatè, lii adæquatè reduplicante modum videntis per comparationem, & commenſurationem illius, ſeù cognitionis ad rem viſam, nego conſ., præciſè reduplicante modum rei viſæ, quatenùs omnes videt, ut explicatum eſt, conc., & nego ſuppoſitum ſecundi, quòd præciſè videre omnes ſit comprehendere, nam comprehenſio, ut dictum eſt; non eſt præciſè videre; ſed videre objectũ, quantum ex ſe cognoſcibile eſt; nullum autem divinum, ut proximè, & inſuperioribus dicebamus, eſt ſic viſibile ab intellectu creato, ſivè dicat, ſivè non dicat reſpectum ad creaturas, quia quodlibet ex propriis ſecundum ſui intrinſecam cognoſcibilitatem, quæ eſt cognoſcibilitas per eſſentiam, & conſequenter ab intrinſeco ſimpliciter infinita; immensè ſuperat omnem vim creatam cognoſcitivam, quæ eſt eſſentialiter per participationem, undè cum nullo prędicato, aut modo divino, quicunque ſit, poteſt commenſurari, aut adæquari, ut requiritur ad comprehenſionem &c.

QUÆSTIO QUARTA

Utrum ſaltem de potentia abſoluta poſſit viſio eſſe præciſiva, terminans ad eſſentiam non viſis perſonis, & attributis, & ad unam perſonam, & attributum alio non viſo.

CElebrem quæſtionem aggredimor contra Scotom in 1. diſt. 1. quæſt. 2., & ejus diſcipulos, qui contendentes inter hæc divina diſtinctionem formalem ex natura rei affirmant viſibilem eſſentiam non viſa aliqua perſona, & Patrem, & Filium non viſo Spiritu Sancto, quia nempè non referuntur ad illum per paternitatem, & filiationem, negat tamen poſſe videri unam perſonam non viſa alia, ad quam refertur. De attributis verò relativè ad eſſentiam, & inter ſe nec affirmat ibi, nec negat, ſed conſequenter loquendo tenetur fateri poſſe eſſentiam ſimiliter videri non viſis attributis, & unum attributum alio non viſo, quia docet ibidem ſufficere diſtinctionem formalem, ut poſſit unum videri præciſivè ab alio, vel illo non viſio, & diſt. 8. q. 4. affirmat attributa diſtingui formaliter ex natura rei ab eſſentia, & inter ſe. Scotum ſequuntur Granado, & alii, ſed diverſo fundamento, quia rejiciunt prædictam diſtinctionem ex natura rei,

Alij vero diſtinguunt inter viſionem purè intuitivam non quidditativam, & quidditativam, vel beatificativam, quod priori modo præſcindere poteſt, non ſecundo. Hæc vero duo in notitia intuitiva ſeparari poſſe, ſcil. rationem intuitivæ à quidditativa exemplicatur in ſenſu externo, qui ſua objecta intuitivè attingit, non quidbitativè. Ita Alarcon hic diſp. 4. cap. 2.

Alij verò iterum diſtinguunt de viſione, & ut pure aprehenſiva eſt, & ut ſimul judicativa, priori modo negant, quia prout ſic intuitiva eſt, & ut intuitivam exiſtimant non poſſe eſſe pręciſivam, quià repugnat videri eſſentiam ſinè perſonis: affirmant vero de illa, ut judicativa, quià poteſt unom judicari ſine alio. Quod attribuitur M. Soto in 4. 49. q. 3. ar. 3. concl. 2. ſed tamen, ut advertit à S. Tho. hic diſp. 15. ar. 1., non loquitur Soto ibi de judicio formato intra viſionem beatificam, quià hæc intrinſecè, & indiviſibiliter eſt judicium de omnibus, quæ videt, & ſic docet ibidem, quòd per viſionem beatam neceſſariò formatur judicium de perſonis ſimul cum eſſentia. Tertia extrema ſententia abſolutè negat eſſe unum viſibile ſine alio; Ità communiter diſcipuli D. Tho., quos ſequuntur Suarez, Vaſquez, & alii, quos referunt M. Gonzales diſp. 32. ſect. 1. & 2., & Salmantic. diſp. 7. dub. 2. &c.

§. I.

Statuitur Concluſio.

NEc de potentia abſoluta fieri poteſt, ut videatur divina eſſentia ſine attributis, aut perſonis, neque una perſona, aut attributum ſine alio; Undè ſemel viſa divina eſſentia, neceſſarium omninò eſt videri omnia, quæ formalitet neceſſariò Deo conveniunt. Dico formaliter neceſſariò, quià de divinis decretis, quæ dicuntur liberè convenire illi, dicemus infrà. Ità jam communiter docent Scholaſtici, aut in 3. diſt. 14., aut in 4. diſt. 49., & Interpretes D. Tho. hic, eamque videtur ſupponere D. Tho. ar. 7. ad 2., & 22. q. 2. ar. 8. ad 3., ubi Cajet. quod attinet ad perſonas latè eam examinat contrà Scotum; & expreſsè docet 3. p. q. 3. ar. 3. in corp., ubi aſſerit, quòd ſi Deus cognoſcatur ſicuti eſt, impoſſibile eſt, quòd circumſcribatur per intellectum aliquid à Deo, & aliud remaneat, quià totum, quod in Deo eſt, unum eſt. Quòd verò loquatur ibi de potentia abſoluta patet, quià inquirit utrum Deus, ut præintelligitur perſonis poſſit naturam creatam aſſumere; conſtat autem Deum non ſic aſſumpturum de lege ordinaria, ſed abſoluta.

Quoad perſonas attinet Cabrera 3. p. q. 10. ar. 2. diſp. 5. exiſtimat convinci ex illo Jo. 14, ſupra relato. Quià cum illud antec. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, ſit neceſſarium ſimpliciter, etiam reſpectivè ad potentiam Dei abſolutam, conſequens, quod ex illu infert Chriſtus, *Qui videt me, videt, & Patrem* debet eandem neceſſitatem hebere. Quod confirmat quià ut illa conditionalis. *Si cognoviſſetis me, &*

Patrem meum utique cognovissetis, vera sit simpliciter, opportet esse necessariam connexionem consequentis cum antecedente:

Cæterum non videntur hęc plenè conuincere, quià licet dicamus ad bonitatem conseq. requiri connexionem consequentis cum antecedente, posset tamen dici non debere conseq. esse tam necessarium sicut antecedens, sed satis esse si ex natura rei, & seclusa miraculo non possit consequens aliter se habere.

De omnibus, ergo diuinis aliter prob. concl. reducendo ad hanc contradictionem, nempè quòd videretur ut in se est, & non videretur ut in se est. Primum supponitur in omnium sententia ex illo Io: 3. *Videbimus eum sicuti est*. Secundum verò statim probat. Unde argumentor sic. Visio beata terminatur ad diuinam essentiam ut in se est, ergo implicat videri non visis omnibus diuinis, ant. est certum, & conseq. prob., diuina essentia ut in se est, est realiter idem, & visibilis cum omnibus diuinis, cum de facto ità videatur, ut supponimus, ergo si terminatur ad illam ut in se est, implicat sic videri omnibus non visis, prob. conseq. retorquendo paritatem, quam nobis opponunt contrarij; nam quià eadem essentia, vel natura diuina, ut ut in se est, est tantum communicabilis ratione absoluti, & incommunicabilis ratione relatiui, implicat illam communicari filio, ut in se est, & communicari secundum utramque rationem, nisi velimus etiam paternitatem posse communicari filio, ergo quia ut in se est, est visibilis secundum omnia, implicat videri ut in se est, & videri non visis omnibus &c.

Explicatur hoc præoccupando solutionem, quà frequenter occurrunt contrarii media distinctione de videri adæquatè, & inadæquatè. Nam quià essentia, vel natura diuina in ratione communicabilis habet hunc modum in re, quòd ut in se est, sit tantum communicabilis inadæquatè ratione absoluti, & non relatiui, implicat eam communicari filio ut in se est, communicari illi adæquatè secundum omnia tam absoluta, quàm relativa, ergo pariter quià in ratione visibilis habet hunc modum in re, quòd ut in se est, est idem, vel adæquatè visibilis secundum omnia, implicat videri ut in se est, & videri inadæquatè omnibus non visis. Ratio utriusque est: quià videri debet, & communicari secundum modum, quem seruat in re, aliàs ferè abutimur terminis, ergo si quià in re modus communicabilitatis essentiæ ut in se est, est communicari inadæquatè, impossibilis est communicabilitas adæquata illius ad intrà, quià pariter in re modus visibilitatis illius, ut in se est, est videri adæquatè, sicut de facto seruatur, & videtur à beatis, impossibilis erit visibilitas illius inadæquata. Et hæc paritas militare potest sub hac formalitate etiam in opinione illa Scoti circa distinctionem ex natura rei. Quia non ideò diuina essentia habet incommunicabilitatem inadæquatam, vel ratione relatiui, quià sic distinguatur, sed quià ob sui fęcunditatem in personis realiter distinctis, & oppositis habet ex propriis ut in se est in ratione communicabilis hunc modum in re, ergo quià pariter ob summam sui realem identitatem, connexionem, simplicitatem, & immaterialitatem habet ut in se est in ratione visibilis hunc modum in re, non erit possibilis inadæquata ejus visibilitas. De quo adhuc infra ratione ultima.

Explicatur ulterius impugnando iterum eandem distinctionem. Nam quià pariter Deus ut in se est habet hunc modum in linea operatiua, vel productiua, quòd opera sui ad extrà sunt indiuisa toti Trinitati, impossibile est, quòd ad extra operetur efficienter ut unus, & non operetur ut Trinus, vel quòd prout sic operetur ad extrà; sicut ex opposito ad intra, quià habet hunc modum, quòd operari, vel producere ibi commune non est, sed conueniens ratione naturæ, ut modificatę per relationem paternitatis, vel spirationis actiuæ, soli patri, vel patri simul, & filio conuenientem, impossibile est quod operante, vel producente una persona producant omnes, ergo pariter quià in linea visibilis, objectiua visibilitas communis est omnibus diuinis absolutis, & relatiuis, impossibile erit videri unum ex his, omnibus non visis. Itaque sicut impossibile est partiri operationem Dei ad extra, vel non partiri suo modo ad intrà, quià iste est modus Dei operantis, vel producentis in re, ità pariter impossibile erit partiri visibilitatem, aut visionem diuinæ essentiæ, si semel ille in re est modus ejus in ratione visibilis, ut in se est &c.

II. Etiam principaliter prob. concl. prosequendo eandem contradictionē sub alia formalitate, quam ibidem insinuat D. Tho. Implicat videri diuinam essentiam qoidditatiuè, vel ut in se est, non visis omnibus, quæ illi ut in se est quidditatiuè, vel essentialiter conueniunt, sed omnia diuina tam absoluta, quàm relatiua quidditatiuè, vel essentialiter illi conueniunt ut in se est, ergo implicat videri ut in se est, illis non visis; mi. est certa præcipuè apud Patres Societatis, qui minorem distinctionem ponunt, quàm Thomistæ inter essentiam, & attributa absoluta, & negant formalem communiter jam cum aliis contrà Scotum, & patet, nam de quidditate diuinæ essentiæ ut in se est, est esse essentialiter subsistētem, ut dictum est; in ipsa plenitudine essendi, ergo non possunt omnia hujusmodi diuina non pertinere ad ejus quidditatem, ut in se est, nisi velimus non pertinere ad hanc plenitudinem, quod est alienum, cum non solum sint de foro entis, sed entis per essentiam, ma. verò est per se nota ex terminis, aliàs non videretur quidditatiuè, vel ut in se est &c.

Expl. vis hujus rationis, quæ proculdubio est efficacissima. Nam videri, & intuitiuè attingi essentiā à beatis in patria, est videri illam, ut in se est, vel in re ut ait Io: ubi supra, & fatemur omnes, at non visa aliqua persona, vel attributo non videretur, ut in se est, ergo saluari nequit visio præcisiua (sine contradictione, prob. mi. In Deo ob summam sui simplicitatem nulla est realis distinctio inter essentiā, & personas, aut inter essentiam, & attributa, vel inter attributa inter se, immò etiam formaliter ex natura rei essentia est omninò idem cum personis, & attributis, & unum attributum cum aliis, & omnia hæc, quæ à nobis distinguuntur per intellectum in re sunt una, & eadem res indiuisibilis ad instar puncti, ut ex principijs fidei, doctrina PP., & ratione phylosophica adeò euidenter probant Interpretes D.Tho.q.28.infrà ar. 2., ut opposita senten. Scoti, tanquam repugnans diuinæ perfectioni reijciatur iam etiam à Neotericis, ergo si videretur essentia sine attributis, aut personis, aut unum attributum sine alio non videretur intuitiuè sicut est in re; prob. conseq. quià implicat in terminis, quòd eadem indiuisibilis res intuitiuè videatur sicuti est, & videatur objectiuè diuisibiliter, siue ut quid diuisibile, seu per partes, cū eo ipso quòd sit omninò in re quid indiuisibile careat partibus, undè videretur

non

non videretur, ut quid indiuisibile, ergo si semel prędicata omnia in re sunt eadem indiuisibilis res, impossibile est, quòd per cognitionem separentur, & videantur intuitiuè, ut in re sunt &c.

Dices 1. ut supra, ità esse, si videretur essentia, vel attributum adæquatè ut in se est, secus verò si inadæquatè, ut contingit in casu §. Sed contra hoc est, & in primis solutio petit principium. Nam id est, quod inquirimus, an possint videri inadæquatè, quià idem est inquirere, an possit unum videri sine alio, & an possit inadæquatè, ut patet ex terminis.

Deindè præterquam quòd sufficienter impugnatur argumentis factis. Instatur sic: quià implicat in terminis essentiam diuinam videri quiditatiuè, vel ut in se est, & videri inadæquatè, ergo solutio est nulla, prob. ant., implicat videri quidditatiuè, vel ut in se est, & videri sine prædicato essentiali, vel sibi essentialiter conueniente ut in se est, ergo si semel omnia diuina sunt de quidditate diuinæ essentiæ, seù conueniunt illi essentialiter ut in se est, implicabit sic videri, & videri inadæquatè, siue aliis non visis, prob. ant. Tum quia illud prædicatum non visum, si semel velimus Deum esse summè simplicem, ut in se est, quidditatinè, & indiuisibiliter in re est totus Deus, ergo repugnat sic videri inadæquatè, non secundum omnia sui prædicata. Tum quià, ut etiam efficaciter urget Illustris Godoii, implicat objectum quidditatiuè videri prout in se est, & videri cum prædicato sibi opposito prout in se est, ergo implicat videri prout in se est, & videri sine prædicato sibi essentiali, ant. est certum nisi velimus posse hominem videri ut irrationalem, conseq. verò prob. quià rei ut in se est, non minus repugnat negatio prędicati sibi essentialis, quàm affirmatio sibi oppositi.

Dices iterum ità esse, si videretur sine prædicato sibi essentiali quasi negativè, ideft negando illud de subjecto viso, secus tamen si videatur siue illo tantum præcisivè, unde poterat distingui illud antec., & videri sine aliquo essentiali, negativè, conc., præcisivè tantum, nego.

Sed contra est eodem argumento. Implicat videri objectum ut in se est, & videri cum prædicato sibi opposito ut in se est, estò non affirmetur de illo, ergo pariter implicabit videri ut in se est, & videri sine prædicato sibi essentiali, estò non negetur de illo; conf. tenet, tum à paritate, tum quia, ut dicebamus, res ut in se est, nonminus intrinsecè exigit prædicatum sibi essentialiter conveniens, quam excludat oppositum, ergo si hac ratione implicat videri ut est in se, & videri cum prædicato sibi essentialiter opposito, estò non affirmetur de illo, sed simplici tantum aprehensione attingatur, pariter implicabit semel videri ut est in se, & videri sine sibi essentiali, estò non negetur de illo, sed simplici tantum aprehensione attingatur; ant. etiam est certum, nisi iterum velimus posse aliquo modo concipi hominem ut irrationalem, & simul videri ut est in se, quod est chimericum. vel posse illum ut est in se aliquomodo concipi ut hirco-cervum, ergo cognitio objecti cum prædicato sibi essentialiter opposito, estò affirmatio non sit, sed simplex aprehensio, non nisi implicatoriè potest esse cognitio illius ut est in se.

Dices secundò eidem rationi factæ, tantum convincere de cognitione intuitiva simul, & quiditativa, non tamen illa ut purè intuitiva non quiditativa juxtà alterum modum dicendi.

Sed contra hoc est, quia repugnat cognitio intuitiva Dei, quæ quidditativa non sit, ergo solutio est nulla, prob. ant., implicat intueri, aut videre Deum & non videre illum ut exercitè existentem, sed existentia exercita est de quiditate Dei, ergo implicat cognitio intuitiva Dei, non quidditativa, minor patet ex dictis, & major etiam est certa, quia ut in superioribus insinuavimus, cognitio intuitiva in hoc distinguitur ab abstractiva, quòd hæc est cognitio rei absentis duratione, intuitiva verò est rei præsentis realiter vel in duratione, in qua est cognitio; qua ratione diximus, cognitionem terminatam ad futura, præcisè, ut sunt in decreto, & non ut jam præsentia in æternitate non esse propriè intuitivam; at Deus non est realiter præsens in duratione secundum existentiam purè signatam, aut futuram, sicut futura antequam sint in se ipsis, sed exercitam, ergo implicat semel videre Deum, & non videre illum, ut exercitè existentem, & consequenter implicat videre illum purè intuitivè, & non quiditativè.

II. Impugnatur: ex eo repugnat cognitio quiditativa Dei pręcisiva, quia quiditativa terminatur ad illam ut in se est, sed etiam intuitiva sic terminatur ad illam ut in se est, ut patet ex dictis, ergo repugnat intuitiva non quidditativa vel præcisiva.

III. ad hominem ex his, quæ tradimus infra de amore Dei. Ex eo negant ibi amorem strictè dictum aut contra distinctum à gaudio sive amorem præcisivum à præsētia diviuæ bonitatis, quia amor etiam strictè dictus terminatur ad divinam bonitatem, ut in se est, & Divina bonitas ut in se est, est essentialiter præsens sed etiam intuitiva non quidditativa terminatur ad Deum ut in se est, & Deus ut in se est, est essentialiter omnia divina, ergo repugnat cognitio intuitiva Dei non quidditativa, vel præcisiva ab aliquo ejus prædicato quidditativo, & consequenter, quòd semel videatur divina essentia, non visis attributis, seù non visis omnibus, quæ ad quiditatem pertinent.

§. III.

Aliis rationibus probatur Conclusio.

Secundò probatur etiam principaliter conclusio urgendo hæc omnia. Visio intuitiva præcisiva, qua scil. videretur essentia non visis attributis, aut personis, vel sinè illis, aut unum attributum sinè alio, aut esset ejusdem rationis cum visio .e de facto, aut alterius rationis, sed hoc secundum dici non potest loquendo de diversitate specifica, quia hæc est impossibilis, ut ostensum est, & sola diversitas numerica non sufficit, ut statim constabit ex impugnatione primi, quod neq. etiam subsistere potest, ergo nequit dari visio Dei præcisiva; prob. mi. quoad hoc primum, nam visio, quæ de facto est, habet ex propria ratione formali ut effectum formalem primarium constitutere intellectum videntem essentiam cum personis, & attributis, sed repugnat effectum formalem primarium separari à forma existente in subjecto capaci, ergo implicat visionem ejusdem rationis specificativè cum ea, quæ de facto est, semel poni in intellectu non constituentem illum videntem essentiam cum personis, & attibutis; conf. teoet quia intellectus creatos, ut supponimus, est capax videre hæc omnia, cum de facto videat ut probavimus: minor latè in physicis, & infrà de Incarnatione ostensa est, nam effectus formalis primarius formæ est ipsa for-

forma communicata subjecto capaci, ergo repugnat communicari formam, & non communicari ejus effectum formalem primarium, ma. verò prob., quia si visio de facto id non haberet ex propria ratione formali, idest semel manifestans essentiam, non esset ex sua ratione formali manifestativa attributorum, & personarum, deberet id habere ex aliquo alio ab ipsa à parte rei separabili, & per consequens aliquomodo realiter distincto, sed non est aliud assignabile à quo id habeat, ergo ex sua ratione formali habet, prob. mi. quia si esset aliquid assignabile maximè aliquis gradus intensionis, cum non videatur posse aliud excogitari in visione superadditum ejus rationi formali, & ab ea separabile in re, sed ab hujusmodi gradu id habere nequit, ergo, prob. mi., quia aliàs visio, quæ de facto est, ità se haberet, ut remissa v. g. ut unum sufficeret præcisè ad videndam essentiam; & ut duo vel ttia ad videndam essentiam cum attributis; ut tria verò, vel quatuor ad videndas etiam personas, quia si semel à gradu provenit, quòd sit magis, vel minùs manifestativa, tantum erit sufficiens ad manifestandum juxtà proportionem graduum; sed hoc est omninò falsum, ergo, prob. mi. Tum quia de facto sinè miraculo contingere posset videri essentiam sine personis, aut unam personam sinè alia, quod negat Scotus, & meritò ut patet ex dictis qu. præced. Tum quia visio illa remissa esset essentialiter cognitio intuitiva divinæ essentiæ sicuti est, alliàs non esset visio beata, ergo esset manifestativa attributorum, & personarum; cons. iterum patet ex qu. anteced. &c.

Ultimò tandem prob. destruendo præcipuum fundamentum opppositæ sententiæ. Ex eo possibilis est visio præcisiva sivè inadæquata, scil. essentiæ sinè relativis, & absolutis, sivè non visis personis, & attributis, vel unum sinè alio, quia vel est inter illa distinctio ex natura rei, vel saltem virtualis, ut admittunt, vel sustinent Thomistæ, sed hæc ratio est insufficiens ad inferendam hanc præcisionem in ratione visibilis, ergo, ma. est potissimum eorum fundamentum, mi. verò prob. Ex eo judicatur efficax ad illam inferendam, quia ex eadem pariter infertur similis præcisio naturæ, in ratione nempè communicabilis, quod quia virtualiter vel ex natura rei distinguitur à relatione, communicatur eadem natura non communicata relatione, sed hæc ratio, vel causalis non solum non infert intentum, sed magis intolerabilia absurda ab omnibus solvenda, ergo est insufficiens, & nulla, ma. est iterum præcipuum robur oppositæ sententiæ Scoti, & ei adhærentium, mi. autem prob., quia si aliquid probat, probat primò posse communicari naturam, non solùm non communicatis relativis, sed etiam non communicatis attributis absolutis, quia pariter inter istam, & naturam adstruitur talis distinctio, ergo si quia est hæc distinctio potest communicari natura, non communicatis relatiuis, poterit similiter eadem communicari non communicatis absolutis, quod est alienum.

Secundò; quia, ut jam in superioribus insinuavimus; si semel est alicujus momenti non solum infert possibilitatem præcisionis in ratione visibilis, sed etiam impossibilitatem oppositi, scil. quòd impossibile sit visa natura videri posse personas non solum ab intellectu creato, sed etiam à diuino, ergo, prob. antec., quia ità est, quòd in ratione communicabilis non solum potest communicari natura, vel essentia non communicata relatione, sed etiam impossibile est hanc communicari à principio, vel intellectu, aut voluntate diuina communicante naturam, ergo si semel paritas innixa eidem fundamento aliquid probat, probat etiam impossibilitatem visionis relatiuorum respectu cujuscunque intellectus, siuè creati, siuè increati visa essentia.

Ex quo etiam prob. impossibilitas communicationis eorundem absolutorum, nam si quia sic distinguitur natura, vel essentia ab eisdem relativis, communicata essentia non solum communicatur relatio, sed etiam impossibile est eam communicari, quia pariter sic distinguitur ab attributis absolutis, non solum possibile erit communicata natura non communicari hæc attributa, sed etiam impossibile communicari, &c.

Urgetur totum hoc. Hæc conf. in principiis Scoti est nulla; essentia Divina distinguitur ex natura rei ab attributis absolutis, ergo potest eadem communicari his non communicatis, ergo hæc erit nulla in eisdem principiis, eadem essentia sic distinguitur ab absolutis vel relativis, ergo poterit videri his non visis. Et ratio utriusque est, nam ideo in ratione communicabilis, nulla est non obstante distinctione, quia in hac ratione nullam habent oppositionem, immò maxime conveniunt, aut necessariò connectuntur in re, sed ita etiam se habent in ratione visibilis, cum natura divina cum nullo divino sivè absoluto, sivè relativo habeat oppositionem, inmò maximam connexionem, undè fatemur omnes, ut dictum est, non posse ex natura rei videri essentiam nō visis absolutis, vel relativis, aut sinè illis, ergo nequit legitimè inferri stando adhuc in principiis Scoti ex eadem distinctione, & paritate, præfata præcisio in ratione visibilis.

Quod si ad rationem factam, & ad ejus inconvenientia assignes discrimen, quòd licet utrobiq; sit distinctio, scil. tam inter absolutum, & absolutum, quam inter absolutum, & relativum, non tamen est oppositio, sicut inter relativum, & relativum, undè non licet eodem modo inferre in ratione communicabilis in ordine ad absolutum, sicut in ordine ad relativum, quòd possit similiter præscindere, vel impossibiliter communicari, sicut præscindit, vel impossibiliter communicatur relativum.

In contra est, quia hinc sumit vires argumentum factum, nam quia inter absolutum, & absolutum nulla est oppositio in ratione communicabilis, licet sit, ut prætendunt, præfata distinctio; non est possibilis, immò impossibilis, præcisio in eadem ratione, ergo quia pariter non est oppositio non solum inter absolutum, & absolutum, sed etiam inter absolutum, & relativum in ratione visibilis, licet dicatur esse eadem distinctio non erit possibilis, immò impossibilis, præcisio in hac ratione. Et ratio utriusque est, quæ ab initio, & perpetuò urget, quia sicut in linea communicabilis communicaretur essentia, & non communicaretur, sicut est in se, si semel communicata essentia non communicarentur omnia in re communicabilia, scil. absoluta, ità videretur, & non videretur sicuti est in se, si semel illa visa, non viderentur omnia in re visibilia, nempè tam absoluta, quam relativa.

II. Impugnatur, & urg. cum cæteris superioribus invertendo iterum paritatem assumptam, cui satis confidunt, licet tam multipliciter militet contrà se-

ip-

ipsos. Nam quia in processionibus divinis natura in re communicatur sicuti est, & in re ità est quòd sit tantum communicabilis secundum absolutum, non secundum relativum, impossibile est etiam de potentia absoluta, quòd semel communicetur sicuti est, & non communicetur secundum absolutum, & impossibiliter secundum relativum, ergo quia in visione beata videtur sicuti est, & in re ità est, quòd sit visibilis tam secundum absolutum, quàm secundum relativum, impossibile erit etiam de potentia absoluta quòd semel videatur sicuti est, & non videatur secundum utrumq., vel omnibus tam absolutis, quàm relativis non visis, vel sine illis.

Itaque sicut in communi sententia præcedens distinctio in ratione communicabilis non obstat communicationi, nec est sufficiens etiam de potentia absoluta ad faciendam præcisionem, ubi non est oppositio, sed realis identitas, & connexio necessaria in eadem linea, ut revera est, tam inter absolutum, & absolutum, quàm inter absolutum, & relativum, ita nec obstabit visioni in ratione visibilis, nec erit sufficiens ad faciendam præcisionem, ubi nulla est oppositio, sed realis identitas, & necessaria connexio, ut revera est inter naturam, & cætera divina tam absoluta quam relativa; unde nullo modo in hac re est facienda vis supra virtualem, aut formalem distinctionem vel ex natura rei, sed supra realem identitatem, & necessariam connexionem, & meritum objecti secundum se, ut manifestè patet in paritate assumpta, ex qua rectè considerata apertè potiùs impugnatur sententia opposita, quàm confirmetur, addito præcipuè merito tam processionis diuinæ, quæ habet ex propriis communicare indispensabiliter omnia communicabilia, & impossibiliter omnia incommunicabilia juxta meritum subjecti, ut est in se, quàm visionis beatæ, quæ ut dictum est, ex propria ratione formali tendit ad omnia diuina, unde ex nullo capite potest legitimè inferri talis præcisio &c.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

PRimò arg. ex eodem. Omnis actus habēs objectum ptimarium, & secundarium potest terminari ad primarium sine secundario, sed visio beata habet pro primario objecto essentiam divinam, pro secundario relationes personales, ergo poterit esse præcisiva ab istis; major constat, tum quia actus non pendet essentialiter ab objecto secundario; tum quia ex eo de facto potest non terminari ad creaturas, quia istæ pertinēt, ad objectum secundarium; minor vero prob., paritate visionis increatæ quia obiectū primariū, qua pater æternus sua visione increata est essentialiter beatus, est divina essentia pro ut præintelligitur relationibus filiationis, & spirationis passiuę, ergo primarium visionis beatificæ creatæ est diuina essentia præcisis relationibus, prob. ant. primò, quia Pater æternus priùs origine, quàm generet filium est perfectè beatus, ergo priùs origine habet objectum primarium suæ beatitudinis, sed in illo priori non habet pro objecto personam filii, aut Spiritus Sancti, siuè essentiam, ut communicatā tribus personis, cum in signo illo nondum intelligantur producta personæ filii, & Spiritus Sancti, nam per illam productionem producitur persona filii, & hæc prior est origine Spiritu Sancto, cum hic producatur à Patre, & Filio, ergo non possunt hujusmodi personæ, nec essentia, ut illis communicata pertinere ad objectum primarium visionis increatæ, qua pater est essentialiter beatus, aliàs ad productionem, per quam communicatur præsupponeretur jam communicata prioritate originis.

Secundò prob. ant., Intellectus divinus solum prout est in patre, non in filio, aut Spiritu Sancto; sivè ut tantum modificatus relatione paternitatis est principium ejus visionis, quæ prioritate originis antecedit filium, ergo essentia divina prout tantum in Patre, non in filio, & Spiritu Sancto est objectum ejusdem visionis, probatur cons., quia objectū intelligibile non minus requiritur ad intellectionem, quàm ad intellectū, ergo ad hoc ut pater divinus ex seipso habeat esse intelligens non minus requiritur, quod in se, aut ex se solo habeat objectum intelligibile, quàm quòd habeat intellectum quo intelligit.

Tertiò probatur idem antecedens. Si pater divinus esset beatus per visionem divinæ essentiæ ut est in filio, & Spiritu Sancto, non haberet ex se ipso visionem beatificam, sed aliquomodo eam acciperet à persona Filii, & Spiritus Sancti, quia objectum primarium est quasi principium visionis admodum speciei intelligibilis, sed hoc non est admittendum, ergo, prob. mi. Tum quia aliàs Pater non haberet à se solo omnem perfectionem. Tum quia non omnis perfectio essentialis esset aliquomodo prior proprietatibus personalibus, quia nēpè visio, qua pater seipsum intelligit esset aliquomodo posterior filiatione, & spiratione passiva, cum essent aliquomodo principium ejus, sed utrumque est incōveniens non admittendum ergo &c.

IV. Denique: quia Pater Æternus est à se ipso beatus, ergo si per impossibile non essent personæ filii, & Spiritus Sancti adhuc esset beatus, ergo per se formaliter loquendo est beatus visione essentiæ, ut est in ipso, & non in filio, & Spiritu Sancto &c.

Ad hoc dico in primis esse soluendum à contrariis, ut statim constabit: deinde ex dictis distin. ma., si objectū primariū in ratione objecti non sit necessariò connexū cum secundario, transeat, vel conc., secus, nego, essentia autē diuina in ratione objecti intuitiuè cognoscibilis est necessariò connexa cum omnibus diuinis, siue absolutis, siue relatiuis. Unde ad ejus primam prob., dist. non pendet essentialiter à secundario, nec aliquando istud, ut in casu in ratione coguoscibilis est necessariò cōnexum cum primario, nego, & est connexum, conc. unde licet per se, & formaliter loquendo, non dependeat essentialiter actus ab objecto secundario, nulla tamen potentia fieri potest, ut attingatur primarium sine secundario, si in ratione objecti habeat necessariā connexionem cum illo. Et manifestè insto in doctrina Scoti. Nam ipse concedit visionem intuitiuam patris habere pro objecto primario patrem, & pro secundario filium, & tamen ut ipse etiam fatetur, repugnat videri patrem, quin consequenter eodem actu videatur filius, quià ut ex eodem insinuauimus, loquendo de personis, quæ ad inuicem referuntur, consentit non posse unam videri sine alia, & idem est in communi sent. de relatione creata, & suo termino, cum sint simul natura, & cognitione.

Secundò insto stando in eodem exemplo, quod adducitur in 2. prob. ejusdem mai., scil. creaturarum respectu

ctu cognitionis comprehensiuę, vel increatæ Dei, cujus obiectum primarium est diuina essentia, aut solus Deus, creaturę verò tantum secundarium, & tamen repugnat Deum comprehendere seipsum creaturis non visis; Immò contendunt plures de visione etiam creata, quòd non possit terminari ad essentiam, vel Omnipotentiam diuinam non viso creaturis saltem secundum rationem communem entis creabilis, quia prout sic est expressè connexa cum illis tanquam cum termino formali ejus quidditatiuè cognoscibilis, quod à fortiori, ut per se patet, militat de attribtutis, & personis.

Quòd si hinc arguas sequi ex his debera etiam cognosci omnes in particulari, quià necessariò connectitur non solum cum illis in communi, vel secundum communem rationem entis creabilis, sed etiam in particulari, vel secundum proprias earum rationes.

Resp. vel negando sequelam, vel disting. ex superioribus, connectitur etiam cum illis in particulari, ut purè quidditatiuè cognoscibilis est, nego, comprehensiuè conc., quia ut dictum est, & ostendetur infra ex cognitione omniũ in particulari ex vi cognitionis essentiæ, vel omnipotentiæ infertur comprehensio, & non pura visio, undè quod visa essentia, vel omnipotentia non videantur omnes creaturæ in particulari non prouenit ex defectu necessarię connexionis, sed quià diuina essentia non cognoscitur visione beata comprehensiuè, sed tantum quidditatiuè, seù quià non pertinent ad obiectum visionis, sed comprehensionis, nec videtur eadem sub eodem modo, sub quo in ratione objecti habet necessariam connexionem cum omnibus creaturis in particulari, scil. in ratione comprehensibilis, non purè quidditatiuè cognoscibilis. Ex quo manet soluta eadem solita secunda prob. ma.

Secundò ad argum. resp. negando mi., ad eius prob. nego ant. Ad 1. ejus prob. cum Caiet. 1. 2. q. 2. ar. 8. neg. mi. subsumptam, ut enim ostenditur infrà qu. 34. cum Verbum diuinum procedat per cognitionem perfectissimam Dei, & consequenter comprehensiuã illius, tenetur omninò procedere per cognitionem intuitiuam essentiæ, & personarum, immò non solũ omnium diuinorum, sed etiam possibilium, ut latè ostendimus ibidem, aliàs comprehensiua non esset. Sed quidquid sit modo de possibilibus, vel adhuc de futuris supposito decreto de earum productione; saltem tamen tenetur indispensabiliter se extendere ad omnia diuina, undè ad probat. annexam eiusdem mi., nego suppositum, quòd prioritas originis tollat simultatem cognitionis, & existentię, quià cum nõ sit prioritas signi *in quo*, siue rationis, siue naturæ, in quo scil. Pater sit intelligens, aut beatus, & non Filius, & Spiritus Sanctus; aut essentia diuina sit in una persona, & non in aliis; aut obiiciatur cognitioni, ut est in una persona, & non in alia, sed tantum à *quo* sine omni dependentia, & causalitate, quià nempè Pater intelligitur per modum principii producentis, & filius per modum termini producti. Vel pater; & filius similiter per modum producentis, & Spiritus Sanctus per modum producti, esse unam personam priorem alia origina, patrem v. g. filio, non est aliud, quàm quòd pater ex se habeat esse beatum, esse intelligentem, & videre essentiam ut est in tribus personis, filius verò non habeat hæc ex se, sed à patre, & Spiritus Sanctus ab utroque, cum quo fiat, quòd in nullo priori signo, etiam rationis una sit existens, aut intelligens, & non alia.

Quod si nos huiusmodi processiones sine aliqua prioritate concipere non valemus, id oritur ex imperfecto nostro modo concipiendi, quia diuinas processiones nõ concipimus, ut in re sunt, sed more earum, quæ reperiuntur in creaturis, ubi procedens semper est posterius natura, à quo procedit.

Secundò resp. ad prob. ejusdem mi. distin. ant. Pater æternus prius origine est perfectè beatus, prioritate cadente suprà beatitudinem, nego, suprà patrem, ut stat sub eadem prioritate, conc., nam cum beatitudo, aut visio Diuinę essentię sit de numero prædicatorũ essentialium, vel absolutorum gaudere nequit aliqua prioritate supra aliâ diuina, quia prius, & posterius secundum aliquem ordinem non potest reperiri, nisi inter quæ reperitur talis ordo, sed inter patrem, & filium quoad essentialia, & absoluta non est ordo originis sicut nec producere, aut produci, sed solum, quoad proprietates personales, unde nec potest inter illa esse prius, & posterius secundum ordinem originis ac proindè hęc propositio Pater ut est prius origine filio est beatus, si ly ut reduplicet prioritatẽ supra patrẽ, ut stat sub illa, & fiat sensus, quòd beatitudo tantũ conueniat patri, ut stat sub prioritate originis verissima est; si verò reduplicet prioritatem supra beatitudinem, & fiat sensus, quod inter beatitudinem Patris, & Filii sit prioritas originis est omninò falsa, & probatio hunc sensum supponit si velimus esse alicujus momenti.

Ad 2. prob. pro eadem paritate dist. conseq., ergo, essentia diuina solum prout est in patre erit objectum, ly *ut* reduplicante conditionem requisitam ex parte objecti, ut videatur, scil. unionem sui cum intellectu, conc., reduplicante terminum visionis, nego, quià terminat illam absolutè, ut est in re, & consequenter ut in tribus personis. Sicut dum dico lapis videtur prout est in intellectu, vel sensu, si ly *ut* reduplicet terminum visionis, propositio est falsa, quia non terminat præcisè ut est in intellectu, vel sensu, sed ut est in re, licet ut sic terminet, debeat prius uniri cum potentia, & ideò si ly *ut* reduplicet tantum conditionem ex parte sui, quæ est eadem unio, vera sit. Ad ejus prob. distin. ant. non minus requiritur, & eodem modo, nego, aliter, conc. ant., & nego conseq., quià mutatur ly, *non minus in non aliter*, nam licet non minus requiratur objectum ad intellectionem, quàm intellectus, aliter tamen requiritur, quià intellectus tantum requiritur, ut principium *quo* respectu suppositi, ad quod satis est, quòd concurrat, ut est in intelligente, objectum vero requiritur, ut terminus. Ut autem perfectè terminet visionem intuitiuam, debet eam terminare ut est à parte rei, ac proindè secundum omnia, quæ sunt idem realiter formaliter, & necessariò connexa cum illo, ut dictum est.

Ad 3., nego sequelam. Ad prob. annexam dist., objectum primarium concurrit ut principium, si sit primarium purè terminatiuum, nego, si motiuum, conc., quià hoc tantum unitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, & consequenter ut principium nostro modo intelligendi visionis, sola autem essentia diuina obtinet rationem objecti motiui, quę tamen in ratione speciei intelligibilis non unitur intellectui, ut est in personis, sed secũdum se, & ut est quid absolutum commune illis, ut patet ex dictis ad art. 2.

& ideò

& ideò non tenentur relationes habere rationem objecti motivi adhuc nostro modo intelligendi, sed tantum terminativi. Itaque objectum primarium non est quasi principium visionis, ut est ejus terminus; (sic enim urgeret eadem probatio, quòd nempè omnes personæ concurrerent, ut principium visionis, & beatitudinis patris, & consequenter quòd eam non haberet ex se, sed acciperet etiam à Filio, & Spiritu Sancto, si semel divina essentia esset objectum primarium terminans, ut est in illis,) sed ut unitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, aut ut est objectum motivum imprimens speciem intellectoi. Divina verò essentia non unitur intellectui prout sic, ut est in illis, sed secundum se, quia ut dictum est, habere rationem speciei intelligibilis ad videndum Deitatem, & personas convenit per se primò essentiæ, ut distinguitur à relationibus, cum nō sit prædicatum relativum. sed absolutum commune tribus, & ideò relationes solum possunt habere rationem objecti terminativi, non motivi, & consequenter nec habent rationem principii, à quo Pater accipiat suam beatitudinem.

Ad ultimam dist. conf., ergo adhuc esset perfectè beatus, beatitudine, quam modo habet, nego alterius rationis conc., nam sicut in illa hypotheli natura esset alia, ac modo est, ita & ejus beatitudo, undè sicut tunc, quia non essent aliæ personæ, nec natura haberet connexionem cum aliis, esset beatus sinè illis: modo verò in fide Trinitatis, quia sunt aliæ, cum quibus necessariò connectitur, & est realiter, & formaliter idem cum illis, licet ab eisdem non accipiat Pater suam beatitudinem, non tamen poterit esse beatus sinè illis, sicut dicimus infrà, quòd licet perfectionem non habeat à relativis, nequit tamen intelligi perfecta completè sinè illis, quia est essentialiter cōmunicabilis, & connexa cum illis. Ex quo etiam patet, quòd licet personæ, vel relationes non sint de conceptu quidditativo essentiæ per modum prædicati constitutivi, sed solum per modum termini, aut tanquam modi, vel quasi modi intrinsici ejus, non tamen salvatur, nec intelligitur idem conceptus sinè illis &c.

§. V.

Solvuntur alia argumenta.

SEcundò etiam principaliter arg., & potest esse replica. Non obstante summa identitate, & connexione potest essentia divina sinè omni contradictione uniri intellectui ad modum speciei intelligibilis sinè relationibus, ergo nec repugnat videri sine illis, vel illis non visis; conf. tenet, quia id solum videtur, quod essentia divina repræsentat, ut unita intellectui, ant. verò prob., potest sinè omni, non obstante eadem identitate, & connexione communicari per generationem filio, & uniri filiationi, non communicata filio paternitate, nec unita filiationi, ergo poterit sinè omni uniri intellectui per modum speciei sinè illis, prob. conf., non minus communicatur essentia ut est in se ipsa per priorem commonicationem, quàm per posteriurem, nec minus prior unio est secundum esse reale, quam posterior, ergo si sinè omni contradictione est possibilis una, erit possibilis alia.

Urg., & explic. hoc. Si quæ esset contradictio in una, & non in alia, maximè quia essentia unita intellectui ut est in se ipsâ, & relationes identificantur realiter formaliter cum illa, sed utrumque reperitur in altera unione, & communicatione, ergo si semel hæc non repugnat, nec repugnabit alia, &c.

Ad hoc patet primò ex dictis esse solvendum à contrariis, tum quia probaret de facto, tum etiam de impossibili, cum non solum de facto, sed neque de impossibili communicari, & uniri possit paternitas, communicata, & unita essentia filio, & ejus filiationi. Tum quia ut dictum est, ex eo communicata, & unita essentia non communicatur, nec unitur paternitas nec est communicabilis, nec unibilis, quia ità est quòd essentia, ut est in re, & in se ipsa formaliter solum est commonicabilis, & unibilis secundum absolutum, non secundum relativum, undè communicaretur, & uniretur, & non communicaretur, & nō uniretur ut in se est, si aliter communicaretur, & uniretur, ergo quia ut in se est formaliter est visibilis secundum utrumque, videretur, & non videretur ut in se est, si præcilivè videretur &c.

Pro omnibus ergo dist, ant. potest uniri essentia intellectui ut species sinè relationibus, vel illis, & aliis divinis non unitis, idest non unitis eidem intellectui relationibus, &c. per se ipsam ad modum speciei intelligibilis, conc., quia sic de facto unitur intellectui beatorum; ut dictum est, non unitis sic quòd eas non repræsentet intellectui, aut non gerat vicem speciei intelligibilis respectu illarum, nego: vel sub aliis terminis iterum dist. ut supra, non unitis motivè, aut per modum speciei repræsentantis, conc., sic enim, ut vidimus, sola essentia unitur terminativè, aut per modum objecti repræsentati, nego ant. & conf., quia solum in hoc secundo sensu infertur consequens ex antecedente, & prout sic omnia divina uniuntur tam absoluta, quàm relativa, quia nullum est, quod necessariò non repræsentetur.

Vel adhuc poterat distingui idem antec. Aliis divinis, vel relationibus non unitis, quoad suos effectus formales, conc., nullo modo unitis, nec etiam repræsentativè per modum cogniti, nego, quia dum unitur essentia divina per modum speciei, nullum est divinum, sivè absolutum sivè relativum, quod menti beatæ non repræsentetur per illam, & consequenter, quòd objectivè non uniatur, cum ex nullo capite, ut probatum est, ejus representatio impediri possit; cæterum cum noster intellectus capax non sit effectus formalis omnium divinorum (non enim constitui potest intelligens per intellectionem increatam Dei, nisi velimus hanc posse intrinsecè oriri ab intellectu creato, ut requiritur ad actionem vitalem, quod est alienum) ideo non omnia divina præstant illi suos effectus formales, licet omnia unione saltem mediata, vel ratione essentiæ uniantur, & per illam repræsententur.

Ad probat. antec. ex paritate communicationis, & unionis cum filio, & ejus filiatione non communicata, & unita paternitate, jam dictum est magis favere nostræ sententiæ, quia cum ita sit, quòd prout in se est in ratione communicabilis habeat hunc modum in re, (cujus statim etiam dabimus rationem, & discrimen inter utramq; unionem) quòd sit tantum communicabilis quoad absoluta, & inadequatè, sic quod in patre tantum faciat patrem, & in filio filium, si valimus eam communicari, ut in

in se est nullo modo est communicanda, aut communicabilis paternitas, alias in filio faceret etiam patrem, unde poterat retorqueri, ut supra; nam quia omnia absoluta conveniunt, & connectuntur cum divina essentia in ratione communicabilis, impossibile est communicari essentiam illis non communicatis, ergo quia tam absoluta, quàm relativa conveniunt in ratione visibilis, & connectuntur com illa, impossibile erit, quod videatur illis non visis.

Sed deindè, nego conf. si consequens intelligatur (ut intelligi debet, nempè ut probetur antec. in sensu negato) de unione relationum secundùm primam, & principalem distinctionem, non per se ipsas, sed in essentia, ut in specie eas repræsentante. Probatio verò conf. ut plurimum probat posse essentiam uniri intellectui non unitis relationibus per se ipsas immediatè, quod non negamus. Duplex antèm ratio disparitatis assignari potest cum M. Catalam hic, intra utramque communicationem, & unionem, ob quas implicet fieri priorem sinè relationibus modo explicato, non verò posteriorem. Prima est, (præter jam insinuatam, cum qua etiam aliquomodo coincidit,) quia communicatio divinæ essentiæ filio, ex parte sui termini, ac proindè ex propria ratione formali petit non communicari essentiam adæquatè, ut est in se ipsa, nempè quoad omnia, quæ intrinsecè includit ut modos, cum quibus est idem formaliter, quia cum talis communicatio sit actus nationalis habens pro termino personam filii relativè oppositam paternitati, & consequenter cum repugnantia, ut sibi communicetur paternitas, ideò ex propria ratione formali, quæ ex termino sumitur, petit communicari essentiam sinè paternitate, undè essentia, & paternitas in ratione communicabilis cõvenire nequeunt, nec connecti, opponente termino & productione ejus; cæterum communicatio, vel unio essentiæ cum intellectu non est aliquod notionale, sed absolutum conveniens indifferenter, ut dictum est, tribus personis ratione essentiæ.

Secunda est, quia inter essentiam, ut communicabilem notionaliter, & paternitatem, licet non sit actualis distinctio realis, est tamen virtualis, at verò inter essentiam, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu sui, & ut habet eam respectu relationum, & aliorum non est talis distinctio, quia sub eodem indivisibili conceptu, sub quo est ratio videndi se ipsam, est etiam ratio videndi relationes, & alia divina, quia esse rationem videndi convenit essentiæ sub conceptu absoluto communi tribus relationibus, ac per consequens magis repugnat communicatio, vel unio præcisiva cum intellectu in ratione speciei, quàm præcisiva illius intra forum notionale, ideft magis repugnat communicari, vel uniri illam intellectui, ut rationem videndi se ipsam, & non ut rationem videndi relationes, quàm communicari, vel uniri filio, & ejus filiationi non communicata, vel unita paternitate. Et per hæc patet ad cofirmationem.

Ex quo etiam solvitur instantia contendens adhuc in priori communicatione, vel unione cum intellectu nullam posse esse contradictionem ex eo, quòd contradictio debet esse ejusdem de eodem formaliter, & virtualiter, sed essentia ab attributis sivè absolutis, sivè relativis distinguitur virtualiter, ergo poterit etiam intellectui uniri præcisivè in ratione speciei intelligibilis repræsentantis se ipsam, & non relationes, vel alia divina sinè contradictione.

Dicimus namq; quòd licet secundum rationes particulares sibi proprias, sivè ut considerantur in ratione radicis, & proprietatis secundum lineam sibi propriam habeant sic distingui, ut in superioribus explicatum est, non tamen objectivè, & repræsentativè, quia repræsentantur prout sic sub uno indivisibili conceptu absoluto & communi ut dictum est, &c.

III. arg. argumēto jā insinuato, & potest adhuc esse replica. Benè stat essentiam videri, ut in se est, & inadæquatè, aut præcisivè ab alio sibi quidditativè convenientè non viso, ergo, prob. ant. Nam continentiæ creaturarum in particulari, quidditatinè conueniunt Deo, & ejus Omnipotentiæ, ità ut aliqua ex his, vel una tantum possibili deficiente non maneret Omnipotentia ejusdem rationis, sicut modo est, ut dicimus infra de Trinitate, & patet, quia continentia effectuum in causa, sicut & proprietatum in radice est prædicatum essentiale ejus, undè impossibile est variari non variata intrinsecè, vel quidditativè causa, vel radice, sed stat videri essentiam, vel Omnipotentiam illis oon visis, ut nos etiam fatemur, cum sini earum comprehensione videri non possint, ergo &c,

Ad hoc iterum patet primò esse à contrariis solvendum, cum probet etiam de facto, immò & d impossibili, cum nec videantur de facto, aut de leg ordinaria juxtà intentum arguentis, nec salva com prehensione videri possint de possibili, ut ostendetu infrà.

Pro omnibus ergo nego ant. Ad prohationem dist., & explico ma. ut supra, conveniunt Deo su eadem ratione visibilis cum essentia, vel sub eoder modo, sub quo in ratione objecti habet hæc necessa riam connexionem cum omnibus creaturis in parti culari, nego, sub diversa, & modo diverso, conc., qui prout sic omnes in particulari non pertiuent ad ratic nem purè quidditativè cognoscibilis, sed compreher sivè, & ideò non attinguutur, nec attingi possunt v sione creata, quia essentia per illam non cognoscitu comprehensivè, nec sub eo modo, sub quo in ratic ne objecti habet necessariam connexiunem cum om nibus illis in particulari, nam cum illis prout sic ta tum connectitur necessariò, ut cognoscibilis con prehensivè, non purè quidditativè; ut cognoscibil enim hoc posteriori modo sicut cognoscitur à beati solum necessariò connectitur cum illis in commun scil. sub ratione entis creabilis, & hoc modo, ut c ctum est, cognoscuntur à quolibet beato.

Undè poterat retorqueri. Nam quia divina essent ut quidditativè cognoscibilis connectitur necessa cum creaturis, ut conveniunt in communi ratio entis creabilis, non stat juxtà præfatum modum cendi, eam semel videri quidditativè ut in se est, il non visis sic in communi, vel non visa eadem rat ne entis creabilis, ergo quia ut eodem modo cog scibilis non connectitur necessariò cum illis in par culari, sed tantum ut cognoscibilis comprehensiv non stabit quidditativè solum cognosci, & debere mul cognosci cum illis in particulari, immò omn repugnabit comprehensivè non cognita, debere las prout sic cognosci. Quòd verò tantum connec tur necessariò cum illis sic in particulari ut comp hensivè cognoscibilis, constabit infrà. Tum alià quilibet beatus modo de facto visa divina es

ti

tia debet penetrare omnem sinum divinæ Omnipotentiæ, adæquando ejus cognoscibilitatem, cum in quolibet sinu sit continentia alicujus possibilis, quod tamen est implicatorium, ut patet ex dictis, &c.

Sed instas, quia hæc solutio videtur manifestè destruere præcipuam vim nostræ sententiæ, vel conclusionis, ergo, prob. ant. Nam præcipua vis illius consistit in prædicta contradictione, quod implicat videri objectum, ut in se est, non visis omnibus, quæ quidditativè illi conveniunt ut in se est, quia aliàs videretur, & non videretur ut in se est, sed præcedens solutio destruit hanc contradictionem, ergo, prob. mi., quia juxtà illam objectum, ut quidditativè cognoscibile non tenetur in ratione objecti necessariò connecti cum omni prædicato illi quidditativè conveniente, ergo sine omni contradictione poterit objectum quidditativè cognosci non visis omnibus, quæ quidditativè conveniunt, conf. tenet, quia ea, cum quibus ut quidditativè cognoscibile non connectitur necessariò, non tenentur cognosci, illo etiam quidditativè cognito, ut patet in eisdem creaturis in particulari, undè secunda pars ejusdam contradictionis est de subjecto non supponente, quòd teneantur omnia quidditativè convenientia necessariò cognosci objecto etiam quidditativè cognito, ut in se est.

Expl. hoc; nam objectum in ratione objecti, ut quidditativè tantum cognoscibile non tenetur necessariò connecti cum omni prædicato sibi quidditativè conveniente, ergo visio sui quidditativa non petit indispensabiliter visionem omnium quidditativè convenientium, ergo non rectè infertur prædicta contradictio, quòd videretur quidditativè, ut in se est, & non videretur, non visis omnibus, quæ quidditativè illi conveniunt, ut in se est.

Resp. nego ant., ad prob. nego mi. ad ejus probationē dist., & explico ant. conveniente in obliquo, & ut termino tantum connotato, & materiali, conç. ant., in recto, vel formali, & primario, nego, quia ut dicebamus quæst. ant., creaturæ possibiles in particulari sunt tantum objectum, vel terminus secundarius, & materialis respectu visionis divinæ Omnipotentiæ, nam primarius, & formalis ex parte connotati est cōmunis ratio entis creabilis, undè satis est, quòd ista attingatur per visionem, cæterum attributa divina, tam absoluta, quam relativa, sivè quæ se tenent ex parte recti in Deo, admisso etiam, quòd pertineant ad objectum secundarium, formaliter tamen Deo conveniunt, undè non potest effentia divina, etiam ut quidditativè cognoscibilis non connecti necessariò cū illis, ac proindè nec videri illis non visis, & licet continentiæ possibilium dicantur etiā formaliter Deo convenire, non tamen est necessarium, immò impossibile quòd cognita omnipotentia tantum quidditivè, cognoscantur singulæ in particulari respectivè, & connotativè, sicut proportionabiliter dictū est de ideis, sed per modum unius simplicis perfectionis inadæquatæ singulis creaturis, & ut adæquatum continens illas, quia prout sic non dicuntur formaliter multiplicare intrà lineam attributalem, sed sunt unum simplex attributum, in quo adæquatè continentur omnia possibilia, undè quod cognoscatur secundum hanc, vel illam particularem rationem continentiæ non addit novam perfectionem, adhuc ratione distinctam, sed tantum novum respectum rationis ad contentum; sicut in simili dictum est de essentia in ratione ideæ, quòd ex eo, quòd est imitabilis ab una creatura secundum unum determinatū gradum, & ab alia secundum aliū, non perfectionem novam, sed novum tantum addit respectum ad ideatum, vel exemplatum, qua ratione ut cognoscatur quidditativè secundum omnem sui formalem perfectionem non est necessarium, immò impossibile cognosci secundum omnem hujusmodi respectum citra comprehensionem, quia prout sic, vel sub hoc modo cognoscibilitatis in ratione objecti non connectitur necessariò cum omnibus creaturis, vel ideatis in particulari, tanquā cum termino formali, & primario, sed solum tanquam cum secundariò, & materiali, qui non pertinet ad cognitionem purè quidditativam, ut explicatum est exemplo objecti materialis potentiæ visivæ. & scientiæ creatæ; sed comprehensivam, quidquid sit de communi ratione entis ideabilis, vel creabilis, & sic proportionabiliter de Omnipotentia in ordine ad possibilia in ratione causæ, vel virtutis continentis illas &c.

Sed adhuc instas, quia si essentia, vel Omnipotentia tantum connecteretur cum illis tanq; cum termino materiali posset comprehendi, & non tantum quidditativè cognosci illis non cognitis, conf. est falsum, ergo, prob. sequela 1. Nam quia intellectus noster connexione formali non connectitur cum omnibus sui intellectionibus possibilibus in particulari, de facto comprehenditur ab Angelo illis in eodem nō cognitis, vel ex vi illius. 2. Licet bonitas divina cōnectatur cū sui præsentia cōnexione adhuc non purè materiali, sed formali nihilominùs sine omni contradictione salvatur in Deo amor strictè dictus, seu terminatus ad bonitatem secundum se præcisivè à presentia ergo pariter &c.

Resp. negando sequelam, ad 1. probat. nego causalem, sed quia cum ad intellectionem, ut vidimus; non tantum concurrat potentia, sed etiam objectum non continentur in intellectu tanquā in causa adæquata, & completa, sed complenda, & determinanda per speciem, possibilia verò continentur in Omnipotentia, ut in causa, vel virtute adæquata, & nullo modo complenda per aliam.

Ad 2. dico in primis non probari per illam, possibilitatem visionis attingentis essentiam sine relationibus, vel aliis divinis, sivè illis non visis, sed quòd posset beatus, si nihil obstaret, vel diverso actu, vel eodem secundum diversam formalitatem simul attingere omnia, sicut Deus amore suo non ideò dicitur terminare ad bonitatem, ut omittat præsentiam, sed quòd tantum sub diversa formalitate utramque attingat, quod est solum attingere præcisivè non præcisione attingentiæ, sed formalitatis, undè poterat retorqueri quatenus nec bonitas attingitur sine præsentia, vel illa non attacta. In forma ergo dist. ant., connectitur sub eadem ratione objectiva amoris, nego, sub diversa, ut ostendimus infrà de amore Dei cōc. ant., & nego conf., quia omnia divina tam absoluta, quam relativa conveniunt sub eadem ratione indivisibili objectiva visibilis, ut explicatum est, non tamen ratio bonitatis secundum se, & ut amabilis &c.

IV. Arg.. & potest adhuc esse replica destruendo iterum eandem contradictionem. Nō est necessarium, ut viso objecto quidditativè sicuti est in se videantur omnia, quæ illi conveniunt sicuti est in se, ergo visio divinæ essentiæ poterit esse præcisiva, prob. ant. pluribus instantiis præter assignatas hic, & in superiori quæstione, primò, nam Angelus superior quidditativè, immò & comprehensivè cognoscit inferio-

rem, & consequenter prout est in se, & tamen non cognoscit potentiã ejus obedientialem, ergo. Secundò divina existentia convenit personis divinis, ut sunt in se, sicut & subsistentia absoluta, & tamen utraq; unitur humanitati tribus personis non unitis. Tertiò ratiotalis, aut talis colorati convenit ratione colorati ut sic prout est in se, & tamen potest videri ratio colorati, illis non visis, si à longè objiciatur, & sic de aliis, ergo visio rei ut est in se potest esse præcisiva sinè ulla contradictione, ab his, quæ conveniunt illi ut est in se.

Quòd si dicas ità esse de his, quæ non conveniunt, vel non sunt connexa in ratione visibilis, aut aliis similibus, secus verò, quando conveniunt, & sunt connexa. § In contrà est præcipuè hæc ultima instantia, nam tale, vel tale coloratum conveniunt in ratione colorati, & tamen adhuc in ordine ad visionem, vel cognitionem intuitivam sui possunt præcisivè se habere, ergo saltem cognitio intuitiva non quidditativa poterit esse præcisiva etiam à connexis, & convenientibus rei prout est in se.

Urgentur hæc omnia, & ponamus casum, quòd natura divina videatur in se, eo prorsus modo, quo sicuti est in se communicatur. Tunc sic instatur. Natura divina sicuti est in se communicatur non communicata paternitate, ergo si videtur prout est in se, videbitur non visa paternitate, aliàs non videbitur prout in se communicatur; quia si ità est, quòd videtur prout in se commonicatur; & prout in se communicatur præcisivè, videbitur prout in se præcisivè &c.

Ad hoc, & similia patet primò ex dictis esse perpetuò solvendum à contrariis. Tum quia probant de facto. Tum quia prima instantia ulterius probat divinam essentiam non solum posse prout in se cognosci quidditativè à beatis non cognitis aliis divinis, sed etiã cõprehensivè, sicut dicitur de Angelo superiore cognoscẽte non solum quidditativè, sed etiam comprehensivè inferiorem, omnibus illius prædicatis non cognitis.

Sed deindè resp. benè ibi dictum esse, quod à fortiori militat in eadem cognitione cõprehensiva Angeli, nam si ità est, quòd cognitio comprehensiva, non obstante quòd teneatur ex sui definitione attingere objectum, quantum cognoscibile est, nihilominùs non tenetur se extendere nisi ad ea, quæ cadunt sub eadem ratione visibilis, qua ratione excluditur potentia obedietialis in Angelo inferiore comprehenso à cognitione comprehensiva superioris, multò minùs tenebitur se extendere cognitio purè quidditativa. Et sicut ex opposito impossibile est, quòd eadem comprehensiva non se extendat ad omnia, quæ conveniunt, & connectuntur in eadem ratione comprehensibilis, pariter impossibile erit, quòd non se extendat intuitiva ad omnia convenientia, & connexa in eadem ratione visibilis.

Ad singulas ergo resp. Ad primam quidem aliis solutionibus omissis, nego suppositum mi., quòd potentia obedientialis cadat sub eadem ratione comprehensibilis ab Angelo superiore, quia cum cognitio illius adæquata naturalis sistat intra lineam puræ naturæ, vel perfectionum, aut prædicatorum naturalium, & potentia obedientalis saltim connexivè sit supernaturalis, non tenetur, nec potest se extendere ad illam, est ò subjectivè, vel entitativè sit idem cum substantia creata, ut docent nostri Thomistæ; qua ratione similiter dicimus 3. par. de Incarnatione, quòd

quia lumen angelicum purè naturale est, licet
gelus lumine suo cognosceret humanitatem Ch
subsistere, & non subsistere subsistentia creata,
tamẽ evidenter cognoscere poterat naturali lumin
subsistere subsistentia increata, nam tenebatur c
hoc suspendere judicium virtutis suæ naturalis,
lumen merè naturale negativè se habet circa supe
turalia.

Ad 2. dist., & explico ex dictis ma., convenit c
nis personis connexivè in linea terminandi, nego,
ter, vel in linea essendi conc., & retorqueo, nam
in hac posteriori linea convenit illis connexivè,
stat nec de facto, nec de possibili unam existere,
non existentibus, ergo quia visibilitas convenit
nibus divinis sivè absolutis, sivè relativis, ut
sunt, non stabit nec de facto, nec de possibili se
unum videri, aliis non visis: cæterum in ordine ad
minare naturam ad extrà, non convenit modo de f
connexivè, immò est instantia de subjecto non
ponente, quòd sit terminatio ratione alicujus abs
ti, seu quòd existere divinũ communicetur humar
ti in sui communitate, sed ut determinatè comu
Verbo, quia cum Verbum modo de facto non term
immediatè ratione prædicati absoluti, vel commu
sed ratione relativi, sive subsistentiæ sibi propriæ
quam distinguitur ab aliis, non communicatur
existere ut quid commune, sed ut modificatum
sui relationem, aut subsistentiam relativam, unde
tenẽtur aliæ personæ terminare, aut existere in hu
nitate, sicut terminat, aut existit Verbũ in illa: cęte
visibilitas convenit omnibus divinis non ratione
rum peculiarum rationum, sed ratione unius, &
divisibilis rationis, ut dictum est, in qua conveni
& connectuntur omnia divina, unde non stat unum
deri aliis non visis. Et poterat retorqueri ut su
quia si semel terminatio esset immediatè ratione
cujus absoluti, & communis tribus, non staret u
terminare, aliis non terminantibus, ergo nec ea
ratione stabit unam videri aliis non visis.

Ad tertiam in forma, simul, & ad replican
sting., conveniunt sub eadem semper indivis
repræsentatione, sicut omnia divina, nego, sub di
sa quandoq; ob distantiam medii, conc., nam licet
veniant, & connectantur in ratione colorati, au
sibilis absolutè intra illam, possunt tamen non co
nire, aut connecti in ratione visibilis, aut repra
tabilis per speciem immissam ab objecto in tal
stãtia constituto, sunt enim hujusmodi species limi
& consequenter impedibiles, ne se extendant ad
ticularem rationem colorati, ob distantiam scil. m
cæterum repræsentatio divinorum, ut in se sunt,
fiat per speciem increatam, scil. per divinam e
tiam, quæ ex nullo capite impediri potest ad re
sentandum omnia secum identificata formaliter
connexa necessariò in ratione visibilis, ut ulterius
stabit infra, eò ipso quòd semel aliquid divinum v
tur ut in se est, necessariò debent omnia v
ri &c.

Pro quo tamen, & superiorum, & præcipuè
traditionis adductæ, cui potissimè innititur n
sententia, & ad præoccupandas alias instantias, adv
ex M. Ferre hic §. 5. ad primum, quòd ut conn
in his, & similibus inferat contradictionem, debe
mutuatam in ordine ad affirmationem, quàm i
dine ad negationem prædicati, in quo connectur
Qua ratione, (inquit,) istæ non sibi contradic

pr

materia prima existit in re, forma non existit in re, quæ licet non possint dari simul veræ, possunt dari simul falsæ, quia si nulla materia existat in re, & aliqua forma materialis divinitus existat, ambæ sunt falsæ, ex eo scil. quod non est connexio mutua, nam licet materia prima in suo existere dependeat a forma hæc tamen, ut vidimus in primo physicorum non dependet in existendo à materia sic quod saltem supernaturaliter sine illa existere non possit; cæterum prædicta divina in ratione visibilis ità connectuntur, ut mutuò se inferant, & removeant, unde sunt ejusdem prorsus connexionis tam in ordine ad affirmationem, quam in ordine ad negationem illius prædicati, quod est *videri sicuti est*, ac proindè istæ duæ misericordia videtur, justitia non videtur, pugnant in veritate, & falsitate, quæ est propria pugna contradictoriarum, & est idem, ac dicere justitia videtur, justitia non videtur, & idem similiter de misericordia, quia ob indivisibilitatem rationis formalis videndi, tanta est connexio in ratione visibilis, quod semel hoc prædicato, affirmato, aut negato de uno, omninò necesse est affirmari, & negari de alio.

Quod etiam manifestè patet in alio superiori prædicato, scil. existere ad intrà, vel sicuti est, respectu eorundem divinorum, quod quia prout sic importat mutuam connexionem inter omnia divina, non stat semel affirmari, aut negari de uno, & non negari, aut affirmari de alio; undè nunquã dabitur, quòd in Deo existat justitia, & non existat misericordia, & è contra; negato enim, vel affirmato aliquo prædicato de Deo, affirmatur, vel negatur non solum tale prædicatum, sed etiam totus Deus, sicut negato, vel affirmato aliquo fidei articulo negatur, vel affirmatur tota fides.

Ultimò tandem arg., & adhuc potest esse replica contra præcedentem doctrinam, & solutionem impugnando simul alteram rationẽ, quæ recurrit ad rationem formalem, vel specificam visionis, itaut ex eadem habeat, quòd sit manifestativa omnium divinorum, & non ex aliquo superaddito à parte rei separabili ab ipsa, & consequenter aliquo modo realiter distincto. Benè stat omnia divina esse connexã in ratione visibilis; & visionem ex se esse omnium manifestativam, & pariter lumen esse omnium visivum, & nihilominùs posse præcisivè videri, ergo: prob. ant. quia potest Deus concurrens adhuc præcisivè concurrere cum illo, ut videantur aliqua, & non omnia, ergo, prob. ant. primò paritate jam insinuata luminis angelici. Quia istud etiam ex sua essentia est visivum omnium naturalium existentium, & carentiæ eorum, & tamen potuit fieri à Deo, attingens humanitatẽ subsistere, & existere, ut nõ cognosceret determinatè carentiam subsistentiæ creatæ, ergo. Secundò quia ignis etiam est ex sua natura combustivus cujuscunq; combustibilis sibi debite aplicati, & dispositi, & tamen potuit similiter Deus præcisivè concurrere cum illo ad comburendum existantes extrà fornacem relictis intactis pueris intra illam, ergo &c.

Ad hoc iterum patet primò esse ab eisdem contrariis solvendum, quia etiam probaret de facto, ut patet: deindè nego ant. supposito quòd semel faciat videre unum divinum sicuti est; quia ita omnia, ut dictum est; indivisibili ratione connectuntur, ut visio unius salvari non possit sine visione alterius; undè ad primam probationem dicimus ità esse; quòd potest Deus ità præcisivè concurrere, ubi non est talis connexio in ratione visibilis, aut aliis similibus, nam carentia propriæ subsistentiæ, vel naturalis in humanitate semel subsistente non necessariò apparet, sed potiùs manet occulta ob excessum tam excellentis mysterii, undè licet in eadem homanitate sibi relicta, vel spoliata omni alia subsistentia, si eam non vidisset subsistere, potuisset Angelus eodem lumine determinatè cognoscere præfatam carentiam, seù quod humanitas non subsisteret subsistentia naturali, secus tamen dum videbat eam subsistere.

Ad secundam resp., quòd licet ignis sit ex sua natura combustivus utriusque, vel plurium combustibilium, quodlibet tamen ex his ratione sui, & non per dependentiam, aut connexionem necessariam cum alio est combustibile, non enim sunt talia ratione alicujus facientis indivisibiliter utrumque combustibile, & ideò attento eorum merito potest Deus præcisivè concurrere cum illo, quod non militat de visibilibus divinis, ut probatum est. Tum quia ut etiam patet ex dictis; non potest unũ divinum, sivè absolutũ, sivè relativũ videri non visa divina essentia, sed hæc videri nõ potest, omnibus personis, & aliis absolutis nõ visis. Undè nunquam inter divina potest esse in ratione visibilis connexio purè non mutua, vel præcisiva, aut impedibilis, præcipuè loquendo de divinis, de quibus modo agimus, & quæ Deum necessariò denominant, nam de liberis, vel quæ Deum liberè denominant statim dicemus &c.

QUÆSTIO QUINTA

An eadem visione, qua videtur divina essentia videri possint decreta libera divinæ voluntatis.

PRæcipua diffinitas oritur ex eo, quòd cum hujusmod decreta, ut latè ostendimus infra de voluntate Dei, consistant in aliquo intrinseco formaliter existente in Deo identificato cum actu necessariò, & ea, quæ formaliter Deo conveniunt, sit necessarium videre, semel viso Deo, ut in se est, non solum eadem visione videri poterunt, sed erit necessarium videri omnia, & impossibile erit non videri, quod tamen repugnat, ut constabit infra.

In quare sunt duæ sententiæ extremæ, & altera media. Prima extrema affirmat videntem divinam essentiam necessariò eadem visione videre omnia decreta libera. Pro hac sententia referri possunt, qui ut infra qu. 7., docent, omnes beatos necessariò videre omnia, quæ futura sunt in aliqua differentia temporis, quia nequit hoc esse necessarium, nisi necessariò videantur decreta omnia, cum impossibile sit aliquid poni in rerum natura independenter à præparatione, aut determinatione causæ primæ.

II. Extrema non solum negat videri omnia, sed adhuc contendit esse impossibile eadem visione, qua videtur Deus videri aliquod decretum liberum, aut actum scientiæ præsupponentem liberam determinationem divinæ voluntatis. Hæc tribuitur Durando in 3. dist. 14. quæst. 2. num. 4. & 5. ex eo quòd asserat nullam creaturam quoad actualem existentiam præsentem, præteritam, aut futuram posse videri à bea-

beatis visione, qua videtur Deus, quia talis existentia supponit liberam determinationem divinæ voluntatis, quæ ratio, ut patet, nullius est momenti, nisi supponat liberam determinationem videri non posse: docet autem eam Vasquez expresſè hic disp. 50. cap. 4. num. 23.

III. Et media negat esse necessarium videri omnia, affirmat tamen videri posse, ita jam videntur communiter sentire Theologi, præcipuè quoad primam partem, licet aliqualis difficultas sit quoad secundam in modo explicandi quomodo videantur, aut manifestentur, quia cum libera jure libertatis occulta sint, nec nisi dependenter à libera voluntate agentis liberi cognosci possint, non statim tenentur apparere, viso etiam objecto, cum quo connectūtur, aut identificantur, undè difficultas est, an simul, & statim ab initio suæ beatitudinis videant beati, quæ in toto decursu illius visuri sunt, an successivè, & quomodo, in quo est aliquod discrimen etiam inter Thomistas infrà referendos.

§. I.

Statuitur prima, & secunda conclusio.

PRima. Non est necessarium videri omnia, nec aliquod decretum liberum divinæ voluntatis visa divina essentia. Ità communiter Theologi: §. Prob. prima pars. Quia, ut ostendemus infra q. 57. relata cum D. Thom. certum est non omnes beatos cognoscere omnes effectus futuros divinæ voluntatis, & providentiæ, prout certum pariter est non cognoscere omnia decreta libera illius, ergo nec est necessarium videre illa: hæc posterior cons. est per se evidens; prima verò prob., quia non stat videri omnia decreta non visis omnibus effectibus futuris, nam causa immutabili, & inpedibili, ex qua infallibiliter sequitur effectus, semel visa, ut determinata ad ejus productionem certò scitur effectus futurus à priori ergo,

Vrgetur hoc: quia cognita essentia animæ, aut Angeli ab alio Angelo cognitione perfecta intuitiuè non est necessarium cognoscere liberas determinationes voluntatis, ergo nec visa essentia divina erit necessarium cognoscere libera ejus decreta; ant. est certum quia ut constabit infrà q. 57. hac ratione est proprium Dei cognoscere consilia, vel secreta cordis, per quæ cogitationes, & liberæ determinationes intelliguntur; quia proprium est illius cognoscere istas nullo revelante; cons. etiam tenet, quia aliàs Deus quoad hoc esset inferioris conditionis Angelo, vel anima, si non posset manifestare substantiam suam occultando liberas sui determinationes, eo vel maximè, quòd minus perfectè Angelus beatus cognoscit Deum, quam animam, quia hanc fortè comprehendit.

Quòd si dicas esse discrimen, quòd in voluntate creata actus liber est realiter distinctus ab essentia, & voluntate, non tamen in divina, & ideò non tenetur ille statim apparere illis cognitis, benè verò liber, voluntatis divinæ. §. In contra est, quia ratio occulti in libero creato non habetur præcisè ex merito distinctionis, sed jure libertatis, ut insinuavimus, & latè ostendemus infrà ibidem de Angelis, qua ratione non pertinent formaliter ad ordinem universi, & ideò licet Angeli comprehendant universum ens naturale, non tamen possunt penetrare actus nostros liberos; & patet in extremis relativis, sive in creatis, sive in divinis, quæ licet realiter distinguantur, semel tamen uno viso, vel cognito, statim apparet, & cognoscitur aliud, ut probavimus, & suppono ex metaphysicis, & ex dictis in logica, ergo licet actus liber Dei sit realiter indistinctus à diuina voluntate; non tamen hac visa tenetur apparere; cons. tenet, quia ex reali identitate non extrahitur à linea liberi. Præterquamquod estò sit realiter indistinctus, totum tamen id, quod fit per actum distinctum, fit in Deo ob ejus eminentiam altiori modo, sublatis imperfectionibus, ergo non obstante identitate non minus erit occultus, quàm liber creatus.

II. Prob. conclusio ex eo, quia non est necessarium cognosci à beatis, quæ non pertinent ad ejus statum, sed ad nullius beati statum pertinent, solo excepto Christo, decreta omnia libera Dei, qua ratione 3. p. q. 10. (& poterit constare infrà,) sola anima Christi dicitur cognoscere omnia præterita, & futura, & consequenter omnia eadem decreta libera, quia nempè omnia pertinent ad statum illius, ut est universalis Redemptor, & supremus Iudex, undè & ad ejus scientiam infusam spectabant omnia à Deo reuelabilia extendendo se etiam ad cognitionem cordium, & non præcisè ad ea, quæ spectant ad communem statum Ecclesiæ, ut contingit in nostra Theologia, ut insinuatum est, de quo ibidem q. 11. ergo non est necessarium, quòd ad illa omnia se extendat pura visio alterius beati.

Urg. totum hoc ex illo 1. ad Corinth. 2. sicut quæ sunt hominis nemo novit *nisi Spiritus hominis, qui in ipso homine est*, ità, *quæ sunt Dei nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Quibus datur intelligi, quòd sicut non est necessarium cognita essentia hominis cognosci ejus libera consilia, ità nec esse necessarium cognita, aut visa Dei essentia cognosci consilia ejus libera, seu quæ in ejus voluntate latent: ubi de utroque reddit rationem D. Thom. de homine quidem, quia cum cognitio hominis à sensu accipiatur, nequit homo cognoscere ea, quæ sunt in corde alterius, nisi quatenus per signa sensibilia manifestantur secundum illud 1. Reg. 16. *Homo videt, quæ foris parent; Deus autem intuetur cor*. De Angelo verò sivè bono, sivè malo ex verbis illis Apostoli, *nisi spiritus hominis, qui in eo est*; Quasi diceret, ea ratione spiritus hominis cognoscit, quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est, sed Angelus neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur, sed hoc solius Dei proprium est, ergo solus Deus est conscius secretorum cordis hominis secundum illud Iob. 16. *Ecce in cælo testis meus, & in excelsis conscius meus*.

Difficultas autem est, an hæc pars sit de fide; nam Suarez lib. 2. de Divinis attributis cap. 24. resp. Non esse fide certam, licet adeò certa sit, ut temeritate non careret, eam negare. Magist. verò Catalan hic dub. 3. existimat saltem mediatè esse de fide, qui ut ostendit infrà dub. 5., de fide est aliquos effectus futuros divinæ voluntatis ignorari à beatis, hoc autem ut jam insinuavimus; verificari non posset, si fere omnia Dei libera decreta viderent omnes.

Deindè prob. secunda pars, quòd nec sit necessarium videre aliquod. Nam quidquid sit, quòd de facto aliqua videant, de quo infrà. Non tamen est necessarium

rium ? Tum quia nullam habet magis necessariam connexionem ex natura rei cum divina essentia, quàm aliud, ergo nulla est major ratio obligans ex vi visionis essentiæ ad videndum unum potius, quam aliud. Tumquia nec insubstantia intellectuali creata est necessitas videndi aliquod eadem visa, ergo nec erit in intellectuali increata, cons. tenet à fortiori ex proximè dictis.

Quòd si dicas ut infrà, plura, vel eorū effectus pertinere ad eorum statū, & sic esse necessariū, quòd saltem aliqua videantur. §. In contra est, nam aliud est, quòd ità de facto sit ob rationes infra adducendas, aliud verò, quòd necessarium sit, necessitate connexionis cum divina essentia ex vi visionis, ut modo loquimur, & jure negamus, quia eadem est ratio de singulis, nec ex quo liberum est, habere necessariam connexionem unum magis, quàm aliud, nec minus occultum, est ut vidimus, ergo sicut non est necessarium quoad omnia, nec erit quoad aliquod.

II. Conclusio ex vi visionis divinæ essentiæ videri possunt decreta libera divinæ voluntatis. Sed pro intelligentia hujus conclusionis, & aliarum similium difficultatum adverto, dupliciter aliquod objectum videri posse ex vi visionis essentiæ. Primò, itaut essentia non solum, ut species intelligibilis, sed etiam, ut res cognita sit ratio cognoscendi illud. Secundò per modum tantum speciei intelligibilis. Priori modo contingit, quando idem actus terminatur ad essentiam, & ad tale objectum non æquè primò, sed hoc ordine, ut essentia cognita sit quasi medium, aut ratio à priori, ut terminetur ad illud, ut patet in Angelo, qui eodem actu, quo per se primò immediatè intuetur suam essentiam cognoscit consequenter proprietates, sic quòd essentia non solum conducat ad earum cognitionem, aut sit ratio cognoscēdi illas, ut species intelligibilis, sed etiam ut objectum priùs cognitum, sic dicuntur videri creaturæ possibiles ex vi visionis divinæ essentiæ.

Secūdo verò dicitur videri ex vi cognitionis esētiæ, non quia prius cognita sit ratio, aut medium cognoscendi illud, sed quia eadem visione per illam, ut speciē intelligibilem videtur per modum unius objecti, seu ut idem cum illa, & ut aliquid ejus. Hoc sensu dicuntur attributa, & personæ videri ex vi visionis essentiæ, quia nempè, ut videantur non tenentur supponere illam, ut cognitam per modum rationis cognoscendi, sed tantum ut speciem intelligibilem. Dum ergo dicimus videri posse decreta libera ex vi visionis essentiæ nō est intelligendū priori modo, quia quod sic videtur ex vi visionis essentiæ habet necessariā connexionē cū illa, quam tamen non habet divina essentia cum decretis liberis, undè intelligendum est posteriori modo.

Sic explicata prob. 1. à posteriori. De facto beati, ut jam insinuavimus, & latè infrà constabit, eadem visione, qua vident Deum vident in illo plures effectus futuros, ergo non solum videre possunt, sed de facto vident eadem visione decreta aliqua libera Dei, prob. cons. ex dictis, quia non stat videre eosdem effectus non visis decretis de productione eorum, ergo si vident illos, vident pariter decreta; prob. ant. quia nulla res in universum est absolutè futura independenter à decreto libero Dei, vel ante illud de productione ejus, nisi velimus aliquid posse poni in rerum natura independenter à Deo volente, ergo quacumque perfectione videatur divina essentia nunquam poterit in Deo cognosci effectus, ut futurus non viso decreto determinante ad productionem ejus, prob. cons. quia ex vi cognitionis causæ, aut in causa nequit videri effectus, ut futurus non visa determinatione causæ ad illum producendū, ut patet ex terminis, ergo &c.

Explicatur, & urg. hoc. Nam quidquid sit an decretum, seu essentia divina sit indispensabiliter medium ad certò cognoscenda futura, ut dicunt Thomistæ, an verò possint à Deo cognosci immediatè extra penetrante veritatem objectivam, ut alii volunt extra Scholam D. Thom., de quo latè infrà ad q. 14., conveniunt tamen omnes non posse effectum esse futurum independenter ab eodem decreto, vel illo non non præsupposito, ergo si semel ut futurus cognoscitur ex vi visionis essentiæ, vel in eadem visa, non potest sic cognosci, decreto determinante ad illius productionem non cognito, ergo cum de facto videre plures effectus sit communis sententia cum D. Thom., Aug., Bernardo, & aliis PP., ut dicemus infrà, de facto vident, & non solum possibiliter aliqua decreta. Unde hanc conclusionem expressè tradit Bernardus lib. de Consideratione ad Eugenium cap. 4. ubi loquens de beatis sic ait. *Quid ni ibi videatur cor Dei? quid ni ibi probetur, quæ sit voluntas bona beneplacens, & perfecta? Patent cogitationes pacis, divitiæ, salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clausa mortalibus etiam ipsis electis suspecta fuit.* Quæ verba non posse de cognitione extra Verbum explicari, ex his quæ cap. 1. præmiserat, evidenter deducitur, ut expendemus infrà

II. Prob. concl. à priori. Decreta libera Dei sunt cognoscibilia intuitivè, ut sunt in se ipsis, ergo possūt videri, ut unum objectum cum essentia, & per illam, ut speciem intelligibilem, & eadem visione, cons. tenet ex dictis, quià ut sunt in se ipsis sunt idem formaliter cum essentia divina, ergo si ut sunt in se ipsis sunt objectū intuitivè cognoscibile, videri possūnt ut unum objectum cum essentia, & per illam, ut speciem, & eadem visione: imò existimat M. Catalam non posse intuitivè aliter, ut sunt in se ipsis videri, ant. verò prob. 1. quia certum est sic videri à Deo, scil. intuitivè ut sunt in se ipsis, cum non cognoscat illa à posteriori per effectus, nec per revelationem, nam modi isti cognoscendi important imperfectionem Deo repugnantem; nec per aliud medium, ut patet, ergo videt immediatè illa, ut sunt in se ipsis.

II. Quia formaliter, & in recto important realitatē in Deo existentē, ergo sunt cognoscibilia intuitivè, ut sunt in se ipsis; cōs. tenet quia omnis realitas existēs, est sic cognoscibilis, ant. etiā constat, quia licet in obliquo connotēt intrinsecè relationem rationis, non tamen formaliter in illa consistunt, ut latè ostendimus infrà de voluntate Dei &c.

Quòd si dicas non importare perfectionem, vel realitatem distinctam à perfectione actuum necessariorum. §. In contra est: quia omnia, quæ pertinent ad genus rei habent decreta libera non minus, quàm si importarent realitatem distinctam exclusis imperfectionibus, nam per illa Deus æquè perfectè est volens liberè, & æque perfectè per illa, divina voluntas est causa efficiens determinata ad productionem rerū, ergo nec minus habēt ea, quæ pertinent ad genus objecti cognoscibilis, quàm si importarent distinctam realitatem, ergo sunt de facto intuitiuè cognoscibilia, ut sunt in se ipsis; hęc posterior cons. tenet, quia si eam importarent essent sic cognoscibilia, ergo si ità modo se habent, ac eam importarent, de facto sunt ità cognoscibilia &c. Dices

Dices esse quidem sic cognoscibilia, non tamen visione, aut lumine creato posse sic videri, sed tantum à Deo. § Sed contra hoc est. Ex eo visione, aut lumine creato videri non possent, quia vel esset excessus ex parte ipsorum in perfectione entitatiua, vel quia utpotè libera, sunt de numero latentium, sed neutrum obstat, ergo. Prob. mi. quoad primum, nam diuina essentia, & actus necessarius in Deo sunt ejusdem perfectionis, & tamen lumine, & visione creata videntur. Quoad secundum verò, quia ex quo libera sunt non infertur esse absolutè inuisibilia, sed quòd visibilia non sint independenter à Deo volente manifestare, nam si semel manifestare velit, ut sunt in se cognoscibiles, sine fundamento negatur id posse fieri à Deo, quia liberum, ut liberum non habet rationem occulti contrapositiuè ad manifestabile, sed tantom ad apparens, ut patet in actibus liberis Angeli, qui ex quo liberi sunt non statim apparent, visa ejus substantia, possunt tamen apparere, vel videri ut in se sunt, Angelo cujus sunt, dirigente eos, vel volente esse notos alteri, ut explicatur infra de locutione Angelorum q. 107.

Urg. hoc: quia nulla est assignabilis apparens ratio repugnantiæ, ob quam si semel negatur de visione creata posse sic videri, non sit pariter denegandum de increata, ut infra in solutionibus constare poterit, & egregiè ostendit M. Catalam 3. p. q. 10. ar. 2. dub. 2. ad 2. retorquendo contra sui Auctorem, pręcipuum fundamentum Vasquez, qui in eo pręcipuè fundatur ad negandam hanc cognoscibilitatem in decreto libero, quia cum illud solum addat supra essentiam respectum rationis ad creaturas, sine quo decretum cognosci non potest, & hic respectus utpotè non existens in ipsa essentia, sed tantum objectiuè in intellectu efformante illum non sic cognoscibilis ex vi visionis, nec erit cognoscibile decretum ex vi visionis essentię, sic arguit ut videbimus; sed hæc ratio ut patet ęque militat de visione increata, cum repugnet videri aliquid in causa ex vi visionis causę, quòd non reperitur in illa. Tum quia (& à fortiori ad hominem,) quia ut vidimus in logicis; & egregiè opponit ibidem M. Catalam; ipse docet Deum, nec cognoscere, nec formare ens rationis, ergo si semel decretum cognosci neqoit non cognito respectu rationis, minus erit cognoscibile à Deo decretum ex vi visionis increatę ejusdem essentię, quam ab intellectu creato potente illum cognoscere, & efformare.

§. II.

Statuitur tertia, & quarta Conclusio, De modo cognoscendi decreta libera.

Difficilimum sanè est explicare quo*modo fiat hęc visio decretorum, aut quid requiratur, ut de facto videantur, nec eodem modo explicator ab omnibus. Et difficultas se tenet tam ex parte objecti, quomodo scil. manifestari possit, quàm ex parte potentię, vel virtutis ejus, an scil. requiratur majus, vel intensius lumen, unde ex parte objecti dicunt aliqui manifestari decreta per ostensionem termini, siue effectus.

Sed hoc videtur alienum à veritate; nam si velint ipsa visione essentię divinę ostendi effectum secundum existentiam futuram, pręsentem, aut pręteritam decreto adhuc non viso, augetur difficultas, quia non solum difficilius est hoc intelligere sed fortè impossibile, cum independenter à Deo volente, vel ante decretum ejus, ut vidimus; non possit intelligi, aliquid esse futurum, si autem velint alia cognitione à visione ostendi effectum, non defendit decretum videri ipsa visione ut in se est, sed à posteriori per effectus cognosci. Præterquamquod expresè rejicit hunc modum dicendi Div. Bernard. ubi supra cap. 1. dicens, Beatos non mendicare factoris notitiam ex factis &c.

Ex parte verò luminis alii volunt (ut Mag. Serra hic dub. 2. ad 4.) requiri ad videnda plura decreta intensius lumen, & intensiorem visionem, nam aliàs Deo semel ordinante ad minimum beatum, quæ ordinavit ad animam Christi, posset minimus beatus sinè perfectiori lumine, & visione videre omnia, quæ videt anima Christi, cujus oppositum colligitur ex D. Tho. opusc. 2. cap. 216.; Undè inquit, sicut essentia divina visa à beatis in gradu proportionato lumini gloriæ est ratio cognoscendi possibilia in Verbo, & quantò perfectiùs videtur, tantò plura in ipsa tanq; in medio, & ratione cognoscendi attinguntur, ita asserẽdum est de illa respectu decretorum Dei supposita lege, & voluntate Dei, qua statuit illa manifestare.

Alii dicunt, quod ad videndum decreta libera in ordine ad volita existentia pro aliqua differentia temporis sufficit lumen tantæ perfectionis, quantæ sufficeret ad videndum easdem creaturas in statu possibilitatis. Quòd vero non sufficeret in eodem statu, sed esset necessariũ perfectius lumen ad illas videndum, pariter perfectius est necessariũ ad vidẽdum decreta in ordine ad easdem, ut existentes. Ita Jo. à S. Tho. hic disp. 15. art. 2., ubi etiam asserit videri ex vi luminis, & visionis non ut præcisè tale lumen est penetrativum quiditatis, & prædicatorum essentialium, sed in quantum habet vim revelationis eorum, quæ Deus voluerit manifestare in sua divina essentia, & voluntate, quia nempè lumen ob sui eminentiam utrumq; munus habet, & quidditativè cognoscendi essentiam divinam, & manifestandi per modum revelationis, quæ Deus libere vult, quantum, & quomodo; nam decreta libera ut dictum est, solum latent jure libertatis, & dominio causæ liberę. Hunc modum etiam sequitur Marleta.

Alii explicant sic, quòd quilibet beatus videt in Verbo omnes species, ex quibus coalescit universum, non autem omnes omnium possibilium, ex quo fit, quòd ad videndum decreta libera circa individua specierum, quæ videntur à beato, non requiritur præte ordinationem divinam, qua diriguntur ad illum decreta, perfectius lumen, quàm ad videndum specier secus verò si sint individua pertinentia ad aliam spe ciem, quàm beatus ex vi sui luminis videre nequi tunc enim requiritur incrementum in lumine, & v sione &c.

Alii deniq; distinguunt inter cognitionem decre & cognitionem termini ejus, nam ad præcisam cog tionem decreti de existentia alicujus rei dicunt suffi re lumen, quo videntur cætera, quæ sunt form ter in Deo, quia cum prout sic solum lateant ti libertatis, & dominii causæ liberæ, vis sufficier videndum, quæ formaliter conveniunt Deo erit e

suf

sufficiens ad videndum decreta libera, si semel vult Deus illa manifestare, cum pariter hæc formaliter illi conveniant, ut explicatum est: de cognitione verò termini iterum distinguunt, nam si loquamur de sola cognitione eorum quoad an est, sivè quantum ad existentiam, tunc non esse necessariū intensius, aut perfectius lumen, sed sufficere, quo vident omnia, quæ formaliter conveniunt Deo, si verò de quidditativa, requiri perfectiorem visionem, & lumen, & quia ad cognoscēda decreta libera de existentia alicujus rei non requiritur quidditativa hujus cognitio, sed sufficit existentialis, sivè certò cognoscere, quòd sit extitura ideò præcisa cognitio decreti liberi non exigit majorem perfectionem, aut intensionem luminis, nisi quam de facto habet ad cognoscenda cætera formaliter Deo convenientia, quia tota causa latendi cessat ex hoc quòd Deus cedit, ut sic dicamus juri suo, & vult facere participem beatum secretorum suorum, ergo hoc ipso, quòd Deus ordinat illa ad beatum statim fiunt manifesta, sicut alia formalia Dei, ergo ex viluminis, quo videt cætera formalia videbit etiam decreta libera.

Hunc modum aliis relatis, amplectitur M. Ferre hic q. 10. §. 7. pag. 773. num. 1019., & convincitur ex eo, quia decreta libera, inquit, cum sint quędam veluti formales inscriptiones de his, quæ facienda sunt, solum latere possunt beatum prædicto jure libertatis, quo solo jure Angelum supremum latent cogitationes liberæ Angeli interioris; unde sicut sola ordinatione talium cogitationum ad superiorem potest iste eas cognoscere, pariter facta ordinatione Dei suarum determinationum ad beatum, poterit iste omnes eas cognoscere.

Et confirmat ex eo, quòd D. Tho. ad probandum unum beatum plura decreta libera videre, quàm alium, nunquam recurrit ad excessum luminis, vel visionis, aut penetrationis diuinæ essentiæ in uno supra alium, sed solum ad hoc, quòd plura, vel pauciora pertineant ad ipsum, ergo cum facta ordinatione eorum ad beatum, statim ad ipsum pertineant, statim etiam cognoscet, lumine intensiuè inuariato, sed pro resolutione sit.

Tertia Concl. Præter lumen gloriæ, & essentiam divinam unitam in ratione speciei intelligibilis, ut decreta libera videantur visione beata, requiritur ex parte objecti, quòd reddantur proportionata, & quasi manifesta objectivè ipsi beato.

Prob. paritate jam insinuata in Angelis. Ut Angelus cognoscat actus liberos alterius, præter virtutem requisitam ex parte potentiæ, & speciem repræsentatiuam illorum, requiritur proportio eorum objectiva, ut nempè reddantur proportionati, & quasi objectivè manifesti, ergo idem pariter requiritur ad visionem decretorum, conf. tenet, quia nulla potest assignari sufficiens ratio disparitatis, ob quam scil. in ordine ad actus liberos creatos præter virtutem intellectiuam, & speciem sit necessaria hęc objectiua manifestatio, & non ad liberos increatos, vel non æquè probans de illis; ant. verò est communis consensus infra q. 57. ar. 3., & 4., ubi cum D. Th. communiter docent, quemlibet Angelum ab instanti suę creationis non solum habere sufficientem virtutem ex parte potentiæ, vel intellectus, sed etiam species intelligibiles ad cognoscendas liberas cogitationes ordinis naturalis alterius Angeli, & tamen nullum cognoscere naturaliter illas, Angelo excepto, in quo sunt, vel illo, cui iste vult esse manifestas; itaut statim ac unus ordinat suas liberas cogitationes ad alium, hic per eandem speciem innatam, per quam cognoscit illum Angelū, cognoscit ejus cogitationes liberas, ut docet expressè D. Th. q. 9. de veritate ar. 4. ad 11.

IV. Concl. Duobus modis explicari potest decreta libera fieri objectivè manifesta respectu intellectus beati habentis lumen gloriæ, & essentiam diuinam unitam per modum speciei. Primò juxta priorem ultimum modum asserendo finè aliquo augmento intrinseco ex parte luminis intensivo, vel extensivo, & finè aliqua intrinseca unione majori extensivè, aut intensiuè ex parte intellectus cum diuina essentia in ratione speciei per solam liberam voluntatem Dei, qua vult hæc, aut illa decreta sua videri ab hoc beato, & non ab altero, esse huic, & non alteri manifesta. Hunc modum præter M. Ferre tenent Lorca p. 2. q. 4. disp. 25. membro primo propè finem, & M. Gonzales, & probabilem admittit M. Catalam hic dicto secundo.

Secundò asserendo requiri tria ex parte principii ad hanc manifestationem. Primum est augmentum intrinsecum luminis gloriæ, non intensiuum, quia posito in intellectu lumine cujuscunque intensionis potest adhuc Deus retinere eadem occulta, sed extensiuum, quam extensionem prima 2. q. 52. art. 1. & 54. art. 4. probari solet consistere in quodam modo intrinseco in habitu, distincto ab intensione, quatenùs ad plura objecta quasi materialia sub eadem ratione formali se extendit. Secundum est major unio extensiua intellectus beati cum diuina essentia in ratione speciei, ex qua prouenit, quòd in exercitio repræsentet intellectui decreta, & eò plura, quò extensiuè major fuerit. Tertium est major concursus Dei cum intellectu beati ad producendam visionem, qui de lege ordinaria gratiæ est debitus beato, hoc ipso quòd tribuitur ei lumen extensiuè majus. Favent iterum huic modo M. Gonzalez hic disp. 32. sect. 3. propè finem, quatenùs negat requiri augmentum intensiuum siuè in lumine, siue in visione, cui etiam adhærent Salmanticen. tract. 2. disp. 2. dub. 3., & ut probabiliorem, (prout expositus est;) sequitur idem M. Catalam §. *Hic dicendi modus*.

Prior modus sumi potest ex D. Th. infra q. 107. art. 1. ubi ait Angelum manifestare suos liberos actus alteri per voluntatem suam, qua eos ordinat ad illum, idest vult illi esse manifestos; & ex his, quæ docet q. 8. de veritate art. 12. ad 8., & q. 9. ubi supra, & iterum infra q. 57. art. 3, ad 3. colligitur quòd ex hoc, quòd homo, aut Angelus vult suos naturales actus liberos esse manifestos, cognoscuntur ab illo, non quia lumen intellectuale, aut species intelligibiles aliter se habeant ad actus liberos, sed quia ipsi actus liberi aliter se habent ad lumen, & speciem Angeli.

Ex his probari potest, & simul iterum urgeri præcedens fundamentum M. Ferre. Angelus eodem lumine naturali, quo cognoscit essentiam hominis, finè aliquo intrinseco ejus augmento, & eadem specie finè aliqua mutatione intrinseca ejus cognoscit secreta cordis humani per hoc solum, quòd homo velit ei esse manifesta, ergo similiter beatus eodem lumine gloriæ, quo videt essentiam Dei finè aliquo ejus intrinseco augmento, & finè nova majori unione diuinæ essentiæ in ratione speciei poterit videre decreta ejus libera per hoc solum, quòd velit Deus esse

esse illi manifesta, conf. tenet, quia non videtur assignabilis sufficiens ratio disparitatis; ant. etiam quoad lumen est certum: quoad speciem videtur deduci ex proximè tradita doctrina D. Th., quia si esset necessaria aliqua intrinseca mutatio ex parte speciei non solum actus liberi aliter se haberent in ordine ad species, sed etiam species aliter se haberet in ordine ad illos, quod negat D. Th. &c.

Secundus etiam prob. Nam visionem beatam modo constituere intellectum videntem non solum essentiam, sed etiam decreta libera, & antea non constituere, est aliqua perfectio saltem extensivè major, ergo prædicta tria desiderantur ad habendam modo cōnaturali visionem sic extensivè majorem. Ant. est certum, nam visionem constituere intellectum videntem diuina, est perfectio, ut supponitur, ergo constituere illum videntem aliquod diuinum non visum, erit perfectio major saltem extensivè, conf. verò prob., quia prædicta tria per se requiruntur ad producendam visionem quoad substantiā, & modum, nempè majus lumen, ma: unio diuinæ essentiæ in ratione speciei cum intellectu, & ma: concursus Dei, ergo ad producendam illam perfectionem modo connaturali erit necessarium aliquod augmentum luminis, unionis, & concursus.

Dices ità esse loquendo de majori perfectione intensiva, non purè extensiva. §. Sed contra hoc est: major perfectio intensiva salvari nequit sinè majori augmento intrinseco intensivo, ergo major extensiva non salvabitur sinè majori augmento intrinseco extensivo superiùs explicato: & ratio utriusq; est, quia cum constituere intellectum videntem sit primarius effectus formalis inseparabilis à visione, impossibile videtur eandem visionem sine ulla sui mutatione intensiva, vel extensiva, modo constituere intellectum videntem decreta, & ante non constituere illum, seu cum priùs illum non constitueret.

Urg. totum hoc: nam ex eo supra arguimus, impossibile esse quòd sinè omni intrinseco constituatur intellectus modo videns, cum antea non esset videns, quia nequit sic constitui sine omni mutatione intrinseca ergo nec erit possibile, quòd visio det hunc sui primarium effectum constituendi intellectum modo videntem decreta, cum antea non constitueret sinè omni sui mutatione, & consequenter sinè omni intrinseco tàm intensivo, quàm extensivo ex parte principii.

Sequendo hunc modum, qui videtur probabilior; poterit fieri satis ad argumentum, quo confirmatur præcedens, dicendo, quòd licet in specie intelligibili Angeli secundùm se considerata nulla fiat additio, vel mutatio, nec nova unio ejus cum in intellectu in genere rei, (quòd solum asserere voluit D. Tho.) fit tamen in genere intelligibili, quod non negat ibidem, ad hunc sensum quòd ut species in exercitio repræsentet liberos actus intellectui, quos non sic repræsentabat, requiritur in esse intelligibili specialis unio cum intellectu extensivè major, quæ quidem unio non causatur à voluntate Angeli, vel hominis volentis suos actus liberos esse manifestos, (hoc enim tantū est conditio requisita ex parte obiecti,) sed causatur ex influxu Dei moventis, & excitantis intellectum Angeli ad cognoscendos actus liberos, & hic influxus est debitus Angelo hoc ipso, quòd alter vult ei suos actus liberos manifestare, quia tunc est ei debitum naturaliter illos cognoscere. Unde poterat ex hac parte retorqueri: & in forma distincto antec. juxta priorem distinctionem, negari conf.

Cæterum ex parte luminis est discrimen inter Angelum, & beatum, quia ex eo in Angelo non requiritur majus lumen naturale, quia ex se est sufficiens ad intelligenda omnia repræsentabilia per species sibi inditas, nam istæ non excedunt ejus efficaciam intensivam, aut extensivam, & ideò intellectus Angeli ex se est capax hujus majoris unionis speciei in esse intelligibili, hanc autem capacitatem non habet intellectus beati respectu essentiæ Divinæ, nisi ratione majoris luminis, ut per se patet, & ex dictis latè constare potest. Ità subtiliter discurrit M. Catalam &c.

Ex his etiam potest fieri satis ad fundamentum M. Ferre, & quoad paritatem Angeli, jam dictam est. Quoad id verò, quod urget ex D. Tho. nunquam recurrere ad majus lumen, aut ad ma: visionem, vel penetrationem, sed ad hoc præcisè, quòd plura, vel pauciora decreta pertineant ad ipsum, resp., quòd licet dicamus ità esse explicitè, aut per exclusionem augmenti intrinseci intensivi, ut dictum est, quia quocunque posito adhuc potest Deus sua decreta retinere occulta ne appareant, & consequenter quòd non pertineant ad beatum; secus tamen implicitè, vel præsuppositivè, nam supposito quòd velit ea manifestare, & quòd ad ipsum pertineant, cum impossibile videatur, ut dictū est, visionem aliquomodo non mutari saltem extensivè intrinsecè modo exposito, tenemur supponere aliquod augmentum saltem extensivum, & majoris unionis essentiæ in ratione speciei cum intellectu in repræsentando illi in exercitio decretum non sic priùs repræsentatum, & deinde majoris luminis ex vi excessus essentiæ supra capacitatem intellectus, & majoris tandem influxus Dei in mouendo, & excitando intellectum beati ad pauciora, vel plura decreta libera cognoscenda, cum intellectus creatus ad hujusmodi divina semper se habeat per defectum, nec lumen gloriæ ex sua ratione formali inclinet ad illa videnda, sicut lumen angelicum inclinat naturaliter ad omnia repræsentabilia per suas species inditas cognoscenda, & consequenter ad actus liberos alterius supposita illius voluntate manifestandi illos, & speciali unione speciei, ut in exercitio illos repræsentet, cum antea non repræsentaret ut explicatum est. Unde D. Th. magis videtur supponere, quam negare præfatum augmentum extensivum.

§. III.

Solvuntur argumenta.

Primò arg. contra primam. Decreta libera D per nos sunt formaliter in ipso, & idem form liter cum Divina essentia, ergo non stat hac visa n videri; prob. conf., quia ex eo contendimus v essentia indispensabiliter videri personas, & attrib ta, quia sunt formaliter in illa, & idem cum dem, ergo.

Expl., & Urg. hoc: nam idem est, ut vidimus; deri divinam essentiam, ut in se est, & videri a quatè secundum omne, quod formaliter est à p rei, ergo sicut hac ratione non potest semel vider sentia non viso actu Dei ut necessariò, nec po v

videri non viso eodem, ut libero; prob. conf., quia sicut divina essentia est formaliter actus Dei, ut necessarius, & non tantum virtualiter, ità actus necessarius est formaliter liber, & non tantum virtualiter, ergo si semel nequit eadem videri non viso actu, ut necessario, nec poterit videri non viso eodem ut libero; eò vel maximè quòd à parte rei perfectio actus necessarii est realiter perfectio utriusque actus, scil. necessarii, & liberi, non enim, ut jam insinuavimus, constitutivum adæquatum actus liberi ingredi potest aliquod extrinsecum, undè si non videatur, ut perfectio utriusque, non potest videri sicuti est à parte rei.

Urg. ulteriùs omnia divina formaliter Deo convenientia, sivè necessaria sint, sivè libera, sunt visibilia, ut in se sunt ratione unius indivisibilis actualitatis, seu purissimi actus, in qua formaliter conveniunt, & à qua sicut habent esse, ità & videri, ergo nequeunt semel videri necessaria non visis liberis; prob. conf., quia quando divina positivè conveniunt in aliquo prędicato conveniẽte illis ratione unius perfectionis numero, quæ non multiplicatur in illis, nequit unum habere exercitium talis prædicati, aliis non habentibus illud, ergo si omnia divina formaliter Deo convenientia tam necessaria, quàm libera sunt visibilia, ut sunt in se ratione unius indivisibilis actualitatis purissimæ non multiplicatæ numero, non poterit unum, seu necessarium videri non viso libero.

Ad hoc dist. ant. sunt formaliter in Deo ex natura rei, aut necessariò quoad rationem formalem decreti, seu determinationis liberæ ad hanc, vel illam creaturam producendam, nego, liberè sic, quòd protut sic potuerit non esse conc., & dist. consequens, nõ stat non videri quoad perfectionem intrinsecam, quam includunt indistinctam ab essentia, quæ non potuit non esse in Deo, sivè secundum conceptum causæ liberæ creaturarum, ut sic, vel in communi, conc. sub conceptu decreti, sub quo potuerunt non esse in Deo sivè secundum conceptum causæ liberæ hujus, & illius creaturæ in particulari, vel secundum determinationem liberam ad singulas, nego, quia sub hoc conceptu, & ratione formali decreti videri non possunt non visa divina voluntate, ut fundante respectũ rationis ad creaturas in particulari, & ut continente eas, ut causa determinata ad earum productionem, aut non productionem: prout sic autem non est necessarium videri, quia sicut sub hoc conceptu ex libera Dei voluntate pendet, quòd sint in Deo, ità ab eadem dependet, quòd videantur, aut non videantur, undè non pertinent prout sic ad puram Dei cognitionem quidditatiuam, sed penetratiuam, vel comprehensiuam si sub omni hujusmodi respectu deberent videri, ut patet ex dictis, & consequenter non conveniunt in eadem ratione visibilis, aut cognoscibilis cum cæteris divinis.

Neque etiam diximus supra, quòd quidquid est idem cum divina essentia debeat necessariò videri sub omni conceptu, & modo, quo est cognoscibile, sed quatenus dicit realitatem, aut perfectionem necessariò in Deo existentem, qualis est etiam divina voluntas sub conceptu causæ liberæ, creaturarum in communi, non in particulari secundum liberam determinationem ad hanc, vel illam, aut ad singulas, unde sicut viso Deo necesse est videri ejus eminentiam aut Omnipotentiam, ut est ratio continendi creaturas in communi, sivè sub ratione entis creabilis, & non ut continet in particulari hanc, vel illam, quia prout sic videri non potest, nisi videatur, ut fundans respectum rationis ad singulas, ità pariter eodem viso, quamvis necesse sit videri diuinam voluntatem, ut causam liberam creaturarum, non tamen ut est libera causa hujus, & illius creaturæ in particulari secundum liberam determinationem ad singulas, quia utraque prout sic non pertinet ad puram lineam visibilis, sed penetrabilis, vel comprehensibilis.

Ex his ad explic. dist. ant., secundum omne, quod est formaliter necessariò, conc. liberè, nego ant., & conf. Ad illius probat. dist. similiter ant., est formaliter liber, necessariò sub omni ejus conceptu, nego liberè secundum formalem rationem liberi, ut explicatum est, conc., & nego conf., vel dist. eodem modo conf., non viso eodem, ut libero sub omni sui conceptu, nego, sub aliquo, vel secundum rationem liberi, aut productivi creaturarum in communi, ut dictum est, conc., & nego conf. Ad id verò, quod ibidem subditur, iterum dicimus; quòd est perfectio utriusque, sed non necessariò conveniens sub omni conceptu liberi, seu secundum liberam determinationem ad creaturas in particulari, & ideò non est necessarium videre illam secundum hanc rationem liberi, sed dependenter à Dei voluntate sic determinante producere hanc, & illam & non aliam, quæ determinatio non est de numero apparentium, vel visibilium, sed liberè manifestabilium.

Et per hæc etiam patet ad 2. confirm. Nam licet tam necessaria, quàm libera sint visibilia, ut in se sunt secundum perfectionem formaliter necessariò convenientem, non tamen secundum omnem modũ, quo cognoscibilia sunt, aliàs non tantum essent visibilia, sed etiam comprehensibilia à beato; Ex quo tamen non infertur, quòd aliqua perfectio formaliter conveniens lateat, quia ut supra explicatum est, secundum conceptum, vel modum, quo latent, prout fundant respectum rationis ad creaturas in particulari, non afferunt, aut multiplicant perfectionem, undè etsi actus liber adæquatè constituatur per aliquod intrinsecum non tamen sequitur, quòd licet secundum aliquem sui modum non cognoscatur omittatur cognoscenda aliqua perfectio necessariò Deo conveniens &c.

II. Arg. contra 2. Eadem cognitione, etiam intuitiva, qua cognoscitur nostra voluntas, nequeunt cognosci ejus actus liberi, ergo nec eadem quidditatiua etiam intuitiua, qua cognoscitur essentia divina cognosci possunt actus liberi diuinæ volũtatis, conf. tenet, quia eadem videtur esse ratio utrobique, ant. verò probatur, quia alias Angeli possent naturaliter cognoscere cogitationes cordis, & actus nostros liberos, nam cognitione naturali intuitiva, quidditativè cognoscunt nostram voluntatem, ergo.

Urg. hoc. Non potest cognosci decretum liberum divinæ voluntatis, non cognito respectu rationis ad creaturas, sed iste videri nequit visione beata, ergo nec decretum liberum, ma. patet, quia idem decretum tantum superaddit ad divinam essentiam hunc respectum, cum enim decretum liberum de producendis creaturis formaliter consideratum potuerit non esse in Deo, nequit ad illam superaddere aliquid reale, aliàs aliquid reale, quod est in Deo potuisset non esse in illo; mi. verò prob., quia talis respectus, ut jam insinuavimus, non est in ipsa essentia divina, sed tantum ob-

objectivè in intellectu efformante illum, ergo ex vi visionis essentiæ nequit videri &c.

Ad hoc dist. ant. cognitione intuitiua, quæ habetur lumine, & specie naturali, conc., supernaturali repræsentante etiam ejus accidentia libera, nego, ut patet in Christo, nā quia in Verbo intuetur voluntatem nostram, cognoscit nostros actus liberos; Angeli verò dum lumine, & specie naturaliter eam cognoscunt, ejus actus liberos attingere nequeunt, quamdiù nos nolumus esse illis manifestos; undè nego etiam conss., quia beati diuinam voluntatem vident per lumen supernaturale, & per diuinam essentiam, ut speciem sufficientem ad repræsentandum etiam decreta libera &c.

Ad confirm., quam magnificat Vasquez, dico in primis esse omninò, & multipliciter retorquendam contra sui Auctorem, nam dum dicit decretum tantum superaddere respectum rationis, si intendat illum esse de intrinseca ratione decreti, & sine illo cognosci non posse sequitur primò, ut rectè infert M. Catalam 3. p. ubi supra, decretum liberum non esse in Deo, quia ut ipse testatur, respectus rationis in Deo non est. 2. sequitur nec Deum in se ipso cognoscere decretum liberum suæ voluntatis; tum ob eandem rationem, qua probat non posse cognosci per visionem beatam, quia nempe non est in Deo; tum efficaciùs, ut dicebamus; quia ipse docet Deum non cognoscere, nec formare ens rationis. Si autem velit prædictum respectum non esse de intrinseca ratione decreti, & posse istud cognosci non cognito tali respectu, totaliter ruit ædificium argumenti, & duo videtur sine fundamento fingere. Primum est non posse decretum liberum videri in essentia diuina quod per se est incredibile nam si revera decretum in Deo est; cur non poterit Deus illud manifestare per suam essentiam beatis quibus claré manifestat suam voluntatem. Secundum est quod ibidem intendit, nempè non posse cognosci decretum liberum Dei, non prius cognitis creaturis, quod esset tantum cognoscere illud à posteriori, & per effectus, quod est absurdum.

Præterquamquòd si cognitio decreti liberi penderet ex cognitione creaturarum maximè ob respectum rationis, cujus terminus sunt creaturæ, sed decretum cognoscibile est non prius cognito respectu, ergo potest cognosci non prius cognita creatura: quamvis ita sint, quod consequenter ex vi cognitionis decreti, & respectus, etiam creaturæ cognoscantur necessariò ex quibus fit pariter efficax argumentum, (de quo tamen infra,) ad probandum posse videri creaturas futuras ex vi visionis Dei, quia visione potest cognosci decretum efficax de producendis creaturis, cognita verò causa, ex qua infallibiliter sequitur effectus infallibiliter cognoscitur effectus futurus.

Pro solutione ergo & ulteriori retorsione argumenti, suppono ex his, quæ latè infra ostendimus de voluntate Dei, quòd dum dicitur decretum liberum solum addere ad diuinam essentiam respectum rationis, non esse sensum, quòd formaliter in illo consistat, aut per illum formaliter constituatur, aliàs volitio efficax libera Dei, quæ est causa rerum, esset ens rationis, quod est alienum; sed sensus est, quòd id, quod concipitur à nobis addere distinctum ab essentia diuina, & quod poterat non esse in Deo, non est aliqua perfectio realis, sed respectus rationis, nihilominus decretum liberum, vel volitio Dei in ipso dicit realem infinitam perfectionem, sed non aliam à perfectione essentiæ, quia decretum liberum est ipsa diuina essentia, ut habet rationem liberæ volitionis efficacis, de quo ibidem, & M. Ledesma tom. de auxiliis pag. 526.

His positis ad eandem confirm. dist. ma., non cognito respectu priùs ratione, nego, simul concomitanter, aut consequenter transeat, & nego deindè mi. Ad cujus probat. dist. ant., non est ipsa essentia diuina, eminenter, (quia prout sic solum dicitur esse objectivè in intellectu diuino,) vel fundanter, nego, formaliter, & actu, conc., ut verò dicatur posse cognosci per visionem satis est, quòd sit priori modo in essentia, unde sicut hac ratione Deus, ut tradit infra D. Th. q. 15. art. 2. ad 3., & nos latè ostendimus in logicis, concipiendo essentiam suam, ut ideam creaturarum format respectus rationis, quibus multiplicantur ideæ, ità pariter beati per visionem concipiendo essentiam suam, ut habet rationem liberæ volitionis creaturarum possunt formare respectus rationis, quibus diuina decreta multiplicantur, & referuntur ad diuersas creaturas.

Sed instas contra solutionem. Diuina voluntas priùs ratione, quàm intelligeretur determinata ad producendas creaturas intelligebatur indifferens ad volendum eas. Fingamus ergo aliquem videntem diuinam voluntatem in illo priori signo, & deindè in secundo eam determinari ad producendum illas. Tunc arg. sic, Qui ità videbat Deum in primo signo, non videbat aliquod decretum liberum in Deo, neq; creaturam aliquam futuram, sed neque postea videt aliquod reale novum in diuina voluntate, quia nihil reale est additum, neque addi potest, ergo nec videre potest determinationem diuinæ voluntatis ad producendas creaturas ex vi solius visionis essentiæ diuinæ.

Huic instantiæ M. Navarrette infra q. 19. art. 3. controv. 4. & 5. negat in secundo signo non videri aliquod reale nuvum, quia existimat decretum liberum, novum aliquod reale addere licet non nouam perfectionem.

Sed quidquid sit de hoc, admissis, vel concessis præmissis, nego cons., nā quælibet res ex parte objecti semel cognita cognitione intuitiua cognoscitur sicut est in se, undè sicut Deus potest velle aliquod libere sinè additione alicujus novæ realitatis, & intelligi in secundo signo determinatus sinè mutatione, ità etiam cognosci potest in Deo talis volitio libera, seu determinatio absque eo quod aliquid reale novum videatur, quia nempè sicut diuina voluntas ut in secundo signo rationis dicatur se determinare, sufficit quòd virtualiter eminenter intelligatur habere aliquod de novo, (nam ità se habet, ac si de novo aliquod haberet, & si esset capax novæ realitatis, revera illam haberet, ut in simili infrà insinuauimus de prædestinatione,) ità pariter ut cognoscatur ejus determinatio sufficit, quòd cognoscatur virtualiter eminenter aliter se habens.

Tertiò. Arg. ad idem, nā si decreta viderentur ex vi visionis essentiæ, sequitur magis beatum plura sem per decreta videre minus beato, consequens est falsum, ergo, ma. constat, quia magis beatus plus abūdat de visione essentiæ, cum beatitudo in ista essentialiter consistat, ergo sicut videns effectus ex vi visionis causæ, eò plures videt, quò magis penetr causam, ita pariter mi. etiā constat ex dictis, quia juxta D. Th. 3. p. q. 10. ar. 2., & q. 8. de veritate art. 4. plura, vel pauciora de his decretis cognoscit, quar plu-

plura, vel pauciora pertinent ad ejus statum, sed aliquando ad statum inferioris beati plura pertinent, quàm ad statum superioris, ut si inferior habuisset latitudinem regiminis in via, ad quod plura pertineant ergo &c.

Ad hoc vel nego ma., vel dist., si videret ex vi visionis præcisè, transeat, vel conc., cum dependentia à voluntate Dei manifestante illa, nego, quia ut dictum est, posito in intellectu lumine cuiuscunque intensionis adhuc potest Deus retinere occulta sua decreta libera, & potest ea manifestare habenti lumen remissius, & consequenter potest plura manifestare beato inferiori salvo excessu superioris in lumine, & visione, ac proinde in beatitudine essentiali, ut explicabitur infra agendo de objecto secundario illius, sivè de creaturarum visibilitate. Alia argumenta facilè solvuntur ex dictis præcipuè ex superiori illa doctrina, quòd quælibet res ex parte objecti sic cognoscitur, sicut in se ipsa est, undè sicut Deus, (ut fatetur Vasquez,) vult aliquid liberè sine additione alicujus realitatis, ità nec mirum, quòd hæc veritas Deus vult hoc, cognoscibilis sit, & cognoscatur, està nihil reale novum videatur. Immò, ut vidimus, eandem patitur difficultatem in explicando modum, quo sic videatur ut in se est respectu intellectus creati, ac respectu divini, ut egregiè etiam 3. par. ubi supra ostendit M. Catalam, & Lorca loco relato membro 1. ad finem. Quo verò modo à Deo videatur decreta explicatur iuxta qu. 14. art. 13. &c.

QUÆSTIO SEXTA

Utrum ex vi visionis videri possint, aut videantur creaturæ in divina essentia, ut in causa, vel objecto prius cognito.

NEgarunt ex nominalibus Gabriel in 3. dist. 14., & Occham ab eodem relatus; quam opinionem à cæteris Theologis impugnatam, & obliviori traditam iterum excitavit Vasquez disp. 50. c. 6. referens pro ea Scotum, Paludan. Bonav., quos contrarium expressè docere ostendunt Suarez lib. 2. de divinis attributis c. 25. num. 7. & Lorca 1. 2. disp 25. memb. 1. Sed quod æquo animo ferendum non est, inquit M. Catalam, hic dub. 4., & molestissimè etiam fert Erica disp. 51. c. 1., quòd voluerit etiam proeadem referre D. Tho., cum ex professo agens de hac re perpetuò probet oppositam.

Alii ergo media via procedunt concedendo scil. de creaturis possibilibus, & negando de existentibus, & ità idem Erica ibidem, & nu. 52., & seqq. Durandus in 3. dist. 14. q. 2., & dist. 49. q. 3. Oppositum tamen tã de possibilibus, quàm de existentibus affirmant communiter Thomistæ, & ex alienis Molina, Suarez, Valentia, Fasolis, Granadus, & cæteri jam Recentiores.



§. I.

Præferuntur quædam necessaria ad statum quæstionis.

PRo intelligentia adverto 1. duplic. affirmari posse aliquòd videri ex vi visionis Dei, causaliter nẽpè & formaliter. Priori modo dicitur videri, quod videretur cognitione distincta, & per distinctam speciem à specie, & cognitione, qua videtur Deus, consequentem tamen visionem ejus, sivè consequi dicatur ad illam, quia per veram causalitatem ex ea procedat, sivè tantum quia ratione visionis debita sit. Hoc modo videri posse creaturas ex vi visionis, & de facto videri plures à beatis per species infusas, & per revelationes illis debitas ratione status beatifici, nemo negat. Posteriori autem modo, seù formaliter dicitur ex vi visionis videri, quod videretur eadẽ specie, & visione, qua videretur Deus ex propria ejus perfectione, & per eandem speciem, & lumen, & de hoc est præsens difficultas.

Secundò adverto tribus ad huc modis intelligi posse, quòd aliqua duo cognoscantur per eundem actum speciem, & lumen. Primò tantum concomitanter, scil. ut unum non videatur mediante alio, nec sit ex parte objecti in ratione cognoscibilis necessaria connexio inter illa. Ut si Angelus v. g., qui per speciem universalem cognoscit plures naturas, simul eodem actu cognoscat hominem, & leonem; sic autem cognosci eodem actu, specie, & lumine, non sufficit, ut unum dicatur in alio cognosci, non enim homo in leone, nec iste in homine cognoscitur, ut pater, sed ad utrumq; æque primò immediatè terminatur cognitio, & quantum est ex parte eorum terminari potest ad unum sinè alio. Secundò ob connexionem objectorum inter se in ratione cognoscibilis, ex qua provenit non posse cognitionem terminari ad unum, nisi simul terminetur ad aliud, neutrum tamen est prius cognitum, aut medium propriè ad cognoscendum aliud, & hoc modo dicuntur simul cognosci eodem actu relativa, ut pater, & filius. Sed neq; hic modus sufficit, ut dicatur unum cognosci in alio propriè loquendo, quia hæc particula *in alio* importat medium, quod ut prius cognitum sit ratio cognoscendi.

Tertiò cognoscuntur duo, aut plura uno actu, quia unum ita in alio continentur, ut per illud tanquam per medium cognitum cognoscatur, & eadem specie, qua continens primariò repræsentatur, secundariò contentum. Hoc modo dicitur Angelus cognoscere effectus in causa, ut proprietates in essentia, & conclusiones in principio.

Tertiò adverto quæstionem esse de creaturis secundum proprias rationes, ut sunt aliquid creatum distinctum ab essentia, & non secundum illud esse, quod habent eminenter in Deo, quia hoc esse non est aliud ab esse Dei, unde communiter dicimus cum D. Anselmo in Monologio cap. 35., quòd creatura in Creatore est ipsa creatrix essentia, & consequenter posse creaturas secundum hoc esse præcisè videri in Deo, nullus negat, neque hoc est cognoscere creaturas, sed magis Creatorem quantum ad eminentiam & rationem continendi illas, quæ est formaliter in

Deo

Deo sicut dicimus infra in simili de processione Verbi, an per se procedat ex cognitione possibilium, quod fermo est de illis secundum esse distinctum, quod habenta Deo.

Quartò deniq; adverto idem omninò significare hoc quòd est creaturas videri in Verbo, & in Deo, vel in essentia divina, non enim dicuntur videri in Verbo, quasi non videantur in Patre, & Spiritu Sancto, cum æquè primò, ut insinuavimus; ratione essentiæ conveniat tribus personis contineri creaturas in illis, & videri ipse, sed quia,(ut rectè monet M. Catalam,) cum Verbum procedat per intellectum ut imago Patris, per appropriationem tribuitur ei id, quod ad cognitionem, vel cognoscibilitatem pertinet. Quod ergo inquirimus est, an per eandem speciem, & lumen, & actum videndi in ipso Deo ut in objecto priùs cognito consequenter secundariò cognosci possint creaturæ secundum proprias rationes.

§. II.

Statuitur prima Conclusio.

Eadem visione, qua videtur Deus, & per eandem speciem, & lumen videri possunt creaturę in illo secundum proprias rationes. Ità D. Tho. luce meridiana clarior in hac re tum hic, tum art. 9. Ubi ait beatos creaturas, quas vident in Verbo non videre per species creaturarum, sed per essentiam divinam, ut speciem eadem visione, qua Deum. Eamque etiam tradit q. 8. de veritate art. 5. in fine corp. & ad 2. & 3., & ar. 12, ad a., & art. 16. in corp., & ar. 17. ad 3., & 3. cont. gent. cap. 59. & 60. & 3. p. q. 10. ar. 2. docet de anima Christi de facto videre in Verbo omnia præsentia, præterita, & futura. Nec potest ullo modo interpretari de cognitione scientiæ infusæ, quia non inquirit ibi, quid cognoscat anima Christi per hanc scientiam, de hoc enim ex professo agit ibidemq. sequenti, sed quid cognoscat in Verbo visione beata, unde dum ait in Verbo cognoscere omnia, quæ sunt fuerunt, & erunt, manifestè loquitur de visione beata, eò vel maximè quòd q. 11, ex professo inquirit, an cognoscat prædicta per scientiam infusam.

Idem de anima Christi docet, q. 20. de veritate ar. 3. ad 4. dicens, animam Christi cognoscere res in Verbo, non per creatam similitudinem, sed per ipsummet Verbum. Et art. 4. ad 7. ait cognoscere infinita per speciem increatam, quæ est ipsa diuina essentia; constat autem solam visionem beatam elici ab intellectu Christi sine specie creata, ergo ipsa visione creata cognoscit res in Verbo. Iterum in art. 5. ait Animam Christi visione beata videre Verbum, & res in Verbo semper actu sinè ulla successione. Tandem opusc. 2. c. 216, inquit, Animam Christi, quæ Deum per essentiam videt, videre alia in Deo. Et subdit præter talem cognitionem, ponendam esse in Christo scientiam naturalem, & infusam, qua cognoscat res per species creatas.

Sed adhuc non quiescit mens prædicti Auctoris, imò contendit oppositum doceri à D. Thom. infrà q. 57. ar. 5. ex eo quòd asserat beatos non cognovisse à principio suæ beatitudinis omnia mysteria gratiæ, sed quædam, alia verò decursu temporis fuisse illis revelata. Ex quo infert sentire D. Thom. quòd non cognoverint mysteria gratiæ visione beata, quia nempè cum hæc non successionem, nec mutationem admittat, quæ semel videntur per illam, simul omnia videntur. Sed mirum est, quòd velit hac auctoritate trahere D. Thom. in oppositam sententiam. Nam aliud est, quod non omnia mysteria gratiæ videant in Verbo visione beata;, scil. quæ ab initio non cognoverunt, aliud verò, quod nulla videant in illo eadem visione. Primum libenter fatemur inferri ex doctrina D. Thom., sed secundum omniuò negamus ut potè contrà expressam mentem illius ibidem; asserit enim Angelos visione, qua vident verbum, & res in verbo, vident aliqua mysteria gratiæ, & si non omnia, nec æqualiter omnes, quia nec æqualiter eis revelatur per verbum visione beata, cum sint inæquales in beatitudine. Et quoad illa; quæ in Verbo non vident, subjungit, illuminari extrà Verbum de illis per novas revelationes, neque à principio cognovisse omnia, sed decursu temporis, secundum quod eorum officiis congruebat.

II. Probatur ex D. Aug. expressè eam tradente tom. 3. lib. 4. de Genesi ad literam cap. 22. & seqq., & tom. 5. lib. 11. de Civitate cap. 7. & 29. ubi distinguens in Angelis cognitionem matutinam, & vespertinam docet per illam cognoscere Verbum, & in ipso creaturas producendas, per hanc verò creaturas in se ipsis. §. His auctoritatibus Vasquez disp. 51. postquam cap. 2. non solum admittat, sed multis probet apud D. Aug. cognitionem Matutinam esse visionem beatam, cap. deinde 3. resp. quòd dum relatis locis docet cognitione matutina cognosci creaturas in Verbo, non esse intelligendum de creaturis secundum rationes proprias, ut sunt aliquid creatum distinctum à Deo, sed solum quatenus in Deo sunt ipse Deus, & ab eo non differunt, ac proindè nihil creatum cognosci cognitione matutina, sed ea tantum, quæ formaliter sunt in Deo, & hoc ait docuisse D. Thom. infrà q. 58. art. 6. & 7.

Verum in D. Thom. nihil omninò invenitur, quo vel leviter insinuet eadem cognitione, quæ matutina dicitur, creaturas secundum proprias rationes non attingi ex mente Augustini, imò oppositum supponit ut certum art. 7. his verbis: *Non enim videndo verbum cognoscunt solum illud esse rerum, quod habent in verbo, sed illud etiam, quod habent in propria natura, sicut Deus per hoc, quod videt se, cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura*; Et ex hoc infert D. Th. quòd si in Angelis cognitio vespertina dicatur, qua videndo verbo cognoscunt creaturas secundum esse, quod habent in propria natura, una & eadem secundum essentiam est cognitio matutina, & vespertina differens tantum secundum cognita, quia matutina diceretur secundum quòd terminatur ad Verbum; Vespertina verò secundum quòd secundariò terminatur ad creaturas. Nihilominus concludit sibi videri Augustinum non appellasse vespertinā hanc cognitionem creaturarum per verbum, sed eam tantum, qua cognoscunt Angeli creaturas in proprio genere per species creatas infusas, & consequenter cognitionem matutinam, aliam esse à vespertina. Quibus si addas ;(subdit Mag. Catalam) visionem hanc cognitionis supernaturalis in matutinam, & vespertinam esse adæquatam in Angelis beatis, ut supponit D. Thom. ibi cum D. Aug. evidenter infertur ex eorum sententia, matutinam cognitionem secun-

cundariò terminari ad creaturas secundum proprias rationes, quia si ut ad eas terminatur visio beata non est vespertina cognitio, erit matutina &c.

Nec obstat, quòd art. 6. dicat cognitionem matutinam esse, qua cognoscitur primordiale esse rerum, secundum quòd sunt in Verbo, quia non negat secundariò etiam terminari ad creaturas secundum proprias rationes, licet nec affirmet ibi, quia præcipuum ejus intentum est assignare primarium, & per se objectum cognitionis matutinæ, à quo nempè habet, quòd dicatur matutina, & per quod differat à vespertina. Dum verò ait, vespertinam esse, qua cognoscitur creatura ut est in propria natura, intelligendus est de cognitione in propria natura per species proprias creatas. Hæc enim sola appellari solet à D. Thom. cognitio rerum in proprio genere, aut in propria natura, ut 3. par. q. 10. & 11. ostendi solet.

Sed eandem expositionem tam expressè impugnat q. 8. de veritate art. 16. & 17. ut ferè otiosum videatur immorari in exploranda mente ejus; nam probans ibi cognitionem matutinam non distingui ex parte rei cognitæ, quasi matutina dicatur, qua cognoscuntur res in Verbo secundum esse præcisè, quod habent in illo, vespertina verò qua cognoscuntur secundum proprium esse. Hic enim, inquit; non est conveniens intellectus, quia esse rei, quod habent in verbo, non est aliud ab esse Verbi, & ideò hoc modo cognoscere creaturam non est cognitio creaturæ, sed Creatoris. Opportet ergo (inquit) *Ex parte medii intelligi hanc distinctionem sic, ut cognitio creaturarum* in Verbo, aut matutina dicatur, qua per Verbum ipsa creatura in propria natura cognoscitur, vespertina verò, qua cognoscitur in propria natura per formas creatas. Verba D. Thom. sunt: *Opportet ideò hanc distinctionem intelligi ex parte medii cognoscendi, ut dicatur res cognosci in verbo* (scil. cognitione matutina) *quando per Verbum ipsa res cognoscitur in propria natura; in propria verò* (scil. cognitione vespertina) *quando cognoscitur per formas aliquas creatas rebus creatis proportionatas; sicut cum cognoscit per formas sibi inditas, vel etiam si per formas acquisitas cognosceret: quantum ad hoc pertinet, nihil differt.* Ecce iterum apertissima, & perpetua mens Divi Thom., quòd cognitio matutina sumpta pro visione, seu cognitione creaturarum in Verbo, non est præcisa eorum cognitio secundum esse earū indistinctum à Verbo, (sic enim, ut ait D. Thom. magis est cognitio Creatoris, quam creaturæ,) sed ut etiam se extendit ad illas in proprio genere, vel natura, cum solo discrimine à vespertina, quòd licet hæc sic pariter earum in propria natura, est tamen per formas creatas, illa verò per increatam, seu per Verbum, adeò ut discrimen reducatur ad diversitatem medii.

Denique eandem expositionem non minus repugnare sensui, & Verbis August. quàm D.Th. latè ostendunt Suarez, & Lorca ubi supra, nam cap. illo 22. expressè ait. *Angelum* percipere de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ post ipsum fit; & cap. 24. In ipso Verbo Dei omnes creaturas, inquit, & se ipsos priùs novisse: & cap. 31. Creaturæ, quæ facienda erat, ex Dei Verbo notitiam habuisse, priùs quàm fieret. Cap. 34. Universas creaturas in incommutalibus rationibus, per quas facta sunt, contemplari Angelos matutina cognitione: cap. 35. In verbo Dei facienda prænovisse, & in se ipsis eadem jam facta. Denique cap. illo 29. de Ciuit. sic ait. *Ipsam quoque creaturam melius ib, hoc est in sapientia Dei, tanq; in arte, qua facta est, quam in ea ipsa sciunt; & se ipsos ibi melius, quàm in se ipsis.* Quæ omnia nec abusivè explicari possunt de creaturis secundum esse præcisè, quod habent in Deo, quod est formaliter ipse Deus. Hoc enim, iterum dicimus, non esset videre creaturam faciendam, aut quæ fit, sed magis Deum factorem præcisè. Nec etiam cognoscere eam secundum hoc esse, esset cognoscere eam in arte, aut ratione, per quam facienda est, sed cognoscere ipsam artem, & rationem increatam, quæ facienda non est. Unde nihil cognoscerent in arte Dei faciendum per artem, quod est contradictoriè pugnans cum verbis August. Denique Angelos in Verbo se ipsos meliùs videre, quàm in se ipsis, nullo modo, ut per se patet, verificari potest, si se ipsos ibi non vident, sed tantum increatum esse Dei.

Denique prob. Conclusio ex Div. Bernardo apertè hanc veritatem docente lib. 5. de consideratione ad Eugen. cap. 1. Ubi cum dixisset beatos non indigere scala creaturarum, ut ascendant ad cognoscendum Deum, quia tenent jam solium, subdit; *Creatura Cæli illa est præstò habens, per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum, neq; opus habet ex his, quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. neq; ut vel ipsa noverit ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, ubi melius sunt, quàm in se ipsis. Optimum videndi genus, si nullius egueris ad omne, quod nosse libuerit*, ita Bernardus.

Vidit hęc Vasquez, & iterū de creaturis non ut creaturæ sunt, sed præcisè ut sunt ipsa creatrix essentia intelligenda esse sibi persuasit. Sed quam immeritò, patet ex omnibus verbis Sancti Doctoris, cum apertè omnia pugnent cum hac expositione. Nam in primis illud, *per quod ista intueatur*, manifestè indicat Verbum esse medium ad cognoscendum, & consequenter relativum *ista*, refert ad creaturas, ut creaturę sunt. Tum quia particula, *per quod*, in bona dialectica significat aliquid tanquā medium. Tum quia de creaturis, ut creaturæ sunt, dixerat esse scalam viatoribus ad cognoscendum Deum.

Deindè dum ait. *In Verbo facta per Verbum*. Si intelligeretur de illo esse, quod habet creatura in Verbo, nihil in isto videret factum per Verbum, sed solum Verbum, cum tale esse, ut dictum est, non possit dici factum per Verbum. Illis etiam verbis; *Neque enim ut ipsa descendit, &c.* Expressè docet, ad creaturas ut creaturæ sunt, cognoscendas, non indigere beatos specie creata, aut cognitione inferiori illa, qua vident Verbum, quia eadem in Verbo melius eas cognoscunt, quàm per speciem, & cognitione à visione Verbi distincta. Tandem illis verbis. Optimum videndi genus apertè affirmat posse videri creaturas secundum proprias rationes in Verbo, aliàs indigerent aliquo præter Verbum ad cognoscendum aliquid, prout libitum sibi foret cognoscere, quod est alienum, utpotè constituere Verbum deficiens, sive insufficiens ad repræsentandum &c.

Ratione prob. Concl. Deus videndo se ipsum, seu essentiam suam, non solum videt omnes creaturas secundum esse indistinctum, vel quod habent in Verbo, sed etiam secundum proprias rationes, ergo potest hanc visionem communicare videntibus illam, sic ut eadem visione, qua vident divinam essentiam, videant in illa aliquas creaturas; ant. supponitur certum

tum, & constabit infrà q. 14. & patet, quia Deus nõ cognoscit creaturas per speciem creatam, conf. verò prob, visio beata est participatio formalis divinę visionis, vel increatæ, at non magis repugnat esse participationem illius, ut secundariò se extendit ad creaturas cognoscendas, quàm ut est visio eorum, quæ formaliter sunt in Deo, nec magis repugnat essentiam divinam uniri intellectui beati, ut est ratio cognoscendi hujusmodi divina, quàm aliquas creaturas, ergo si semel visio increata utrumque objectum sic attingit in Verbo, poterit & visio creata sic attingere saltem aliquod de objecto secundario.

Explic., & Urg. hoc. Essentia divina sicut per se primò est repræsentativa ipsius Dei, ita secundariò, ut species intelligibilis est repræsentativa creaturarum, ergo potest uniri intellectui beato ut per se primò repræsentans Deum, & secundariò creaturas, ergo intellectus beatus eadem visione poterit per se primò videre Deum, & secundariò creaturas, hæc posterior conf. tenet, quia ut docet D. Th. 3. cont. gent. c. 60. ratione prima, quæ videntur una specie, opportet simul una visione videri. Prior verò simul, & ant. traditur ab eodem q. 8. de veritate art. 5. in corp. & ad tertium asserente Angelos de facto videre Verbum. & res in Verbo per essentiam divinam ut speciem intelligibilem, quod etiam repetit infra, ut dictum est; q. 14. at. 6., cum revera Deus per essentiam suam non per speciem creatam cognoscat creaturas, quidquid sit, ut innuimus; an possit immediatè ad illas pervenire extrà, & non solum immediatè easdem cognoscere in se ipso, ut contendunt aliqui extranei, de quo latè ibidem; ergo secundariò divina essentia repræsentat creaturas. Deinde eadem prior conf. probatur, quia ut dictum est, non magis repugnat essentiam divinam uniri intellectui beatorum, ut speciem secundariò repræsentantem creaturas, quàm ut primariò repræsentantem Deum, ergo poterit sic utroque modo uniri, ergo cum nec magis repugnet visionem beatam, ut vidimus; esse utroque modo participationem increatæ, poterit beatus utrumque objectum in Verbo videre &c.

Dices cum Vasquez disp. 50. cap. 3. num. 24. divinam essentiam esse Deo rationem videndi creaturas, non quia sit objectum primariò cognitum, in quo eas videat, sed quia simul est earum omnium cognitio, quas per modum speciei expressæ repræsentat, & quia beatis non ita se habet pro cognitione, & visione, ideò nullo modo possunt creaturas videre in illa.

Sed hæc solutio, ut rectè opponitur à M. Catalam, præterquamquod est expressè contra D. Tho., & graviores Theologos, ut sequenti etiam concl. constabit, & latiùs ostenditur infra quest. 14. art. 5. & 6.; videtur prorsus in intelligibilis, quia vel essentia divina, ut nostro modo intelligendi habet rationem speciei intelligibilis in cognitione essentiali Dei, est ratio repræsentandi, & cognoscendi creaturas secundum proprias rationes, vel non, si primum, argumentum non solvitur, quia nulla assignatur, nec est assignabilis ratio repugnantiæ, ut uniri non possit prædicto modo intellectui beatorum, quatenus nempè ut species impressa est ratio cognoscendi creaturas; hac autem omnino supposita evidentur infertur, quòd in Deo, ut in objecto priùs cognito videantur à beatis, quia divina essentia ut species impressa non repræsentat æquè primò Deum, & creaturas, sed Deum primariò, & creaturas secundariò prout scilicet eminenter continentur in illo, ergo visio elicita media divina essentia ut specie, primò & immediatè terminatur ad Deum, & secundariò, & mediatè ad creaturas, quod est videri in illo ut in objecto priùs cognito.

Si autem dicatur secundum, sequitur nec Deum cognoscere illas cognitione essentiali, quia hac cognitione id solum cognoscitur, quod per divinam essentiam sub munere speciei impressæ repræsentatur, ergo si creaturæ per illas non repræsentantur secundum proprias rationes nec habebunt à Deo per eam cognosci secundum illas &c.

Urgetur hoc. In omni cognitione priùs quàm objectum cognoscatur, necesse est ipsum uniri intellectui, aut per se ipsum, aut per aliquam sui similitudinem impressam, ut patet ex dictis supra, & in 3. de anima, & infra etiam ostendimus de Angelis, sed creaturæ per se ipsas uniri nequeunt intellectui divino, nec per aliquam similitudinem creatam, ergo si neque per essentiam divinam intelliguntur uniri, & repræsentari, nequeunt ab intra cognosci ab intellectu divino, ergo priùs est nostro modo intelligendi ut in divina essentia tanq; in specie impressa contineantur, & repræsententur, quàm quòd in eadem ut in cognitione, & specie expressa.

Adde nullam esse assignabilem contradictionem, ob quam Deus beatis ostendere non possit essentiam suam ut cognitio est, & species expressa repræsentans creaturas, nec ob quam in ea sic visa tanquam in objecto priùs cognito videri non possit aliqua creatura ex repræsentatis ab illa.

§. III.

Statuitur secunda Conclusio.

Videri etiam possunt visione beata creaturæ in Deo tanquam effectus in causa, per quam, & in qua simplici intuitu, & sinè discursu videantur effectus. Ita expressè D. Th. de veritate q. 20. art. 4. ubi ex professo probat illas videri in Deo, ut in causa potius, quàm ut in speculo; eamque etiam tradit hic, & q. infra 14. art. 5., & consentiunt unanimiter Interpretes, C. Jes. ibidem, Ferrara 3. contr. gent. c. 49. & alii, licet iterum Vasquez recedat à communi consensu. § Prob. Deus videt in se omnes creaturas, ut effectus in causa, ergo possunt aliquæ in illo sic videri per visionem beatam; conf. tenet, quia si semel sunt sic cognoscibiles in Deo, nulla est assignabilis ratio ad negandum aliquas sic esse visibiles in illo per visionem beatam, cum sit hęc altissima participatio divinæ cognitionis attingens Deum, ut in se est. Ant. verò, quod negat Vasquez; traditur primò expressè à D. Dionys. cap. 7. de divinis nominib. ubi ait. *Divina mens ab omnibus segregata cognitione secundum omnium causam in se ipso omnium scientiam praeaccipit.* Et infra. *Si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradit, secundum eandem causam scit omnia. Sicut ex ipso existentia, & quæ in ipso præstiterunt*, &c. Et sæpè repetit scire Deum omnia secundum unam communem continentiam, & plura alia, quibus tam aperte

tè tradit idem ant. ut nisi Vasquez velit potiùs destruere, quàm explicare textum, ut facit infra q. 14. disp. 60., ubi ex professo probandum est; negari non possit esse ejusdem S. Doctoris. Sed præterea prob. breviter sic. Quod est ratio essendi est ratio cognoscendi, (cognoscibilitas enim sequitur ad esse, de quo statim infra,) sed in Deo ast ratio essendi respectu omnium creaturarum, ergo in illo est ratio cognoscendi, & consequenter in se ipso videt omnas creaturas, aliàs non cognosceret perfectissimè se ipsum &c.

Explic., & Urg. hoc ex D. Thó. infra ibidem art. 6. In Deo continentur omnes creaturæ, ut effectos in causa, perfectiori modo, quàm contineatur quilibet in causa creata, sed ratio cognoscendi in hac causa est ratio continendi, cum ratio continendi sit ratio essendi, ergo non solum creaturæ omnes possunt à Deo cognosci in se ipso, sed longè perfectiùs, quàm quilibet effectus in causa creata: præmissæ simul cum consequenti trad. à Div. Tho. ibidem, ubi ex eo probat Deum cognoscere omnes creaturas cognitione propria, hoc est quoad id, quod ast unicuique proprium, ut distinguitur ab alia, quia hoc modo continentur in divina essentia aminenter, undè non cognosceret Deus perfectè essentiam suam, non cognitis in eadem creaturis secundum proprias rationes &c.

Dices ex Vasquez disput. 50. cap. 4. num. 25. esse discriman inter causam creatam, & increatam, quòd cum creata referatur relatione reali ad suos effectus, optimè possunt isti in ea cognita cognosci, at vero essentia divina est res omninò absoluta, undè ut visa præcisè in se nequit esse ratio videndi aliquem sui effectum, quia res absoluta non potest esse medium ad cognoscenda alia à se distincta &c.

Sed hæc solutio, in qua consistit totum fundamentum ejusdam Auctoris, quo existimat sa à priori satis probassa nihil creatum posse videri in Deo, ut in causa, & in objecto cognito, non solum est insufficians ad hoc probandum, val ad excitandam opinionem rejectam à Scholis, sed nullius judicatur omninò momenti, nam fundamantum, cui innititur, nempè rem absolutam, ut absolutam non posse esse medium, ut priùs cognitum ad cognoscendam aliam distinctam ast penitus insubsistens. Etenim rectè sentientibus manifestum est, (ut optimè advertit M. Catalam 3. p. ubi supra ad primum) relativum non posse esse medium, ut priùs cognitum docens in cognitionem termini, ad quem refertur, quia nequit cognosci, nisi prius, aut simul natura cognoscatur terminus, unde terminus diceretur potius medium ad cognoscendum relativum, ac proindè si semel datur medium, quod ut priùs cognitum ducat in cognitionem alterius satis est, quòd illud eminentar contineat, & quòd talem inter se habeant cõnaxionem, ot unum ex alio emanare possit, v. g. Angelus cognoscendo suam naturam, quæ absoluta ast, cognoscit proprietates, quæ in illa virtualiter cõtinantur, & ab illa dimanant, & cognoscendo essentiam hominis, & aliarum rerum naturalium cognoscit earum propriatates, quod nemo negare potest, nisi neget Angelos habere sciantiam à priori sine discursu, multò ergo melius cognosci poterunt creaturæ in essentia divina, quia licet absolutissima sit, continet tamen omnes creaturas, ut causa afficiens, & examplaris, non tantum quoad rationes communes, in quibus conveniunt, sed etiam quoad propriam uniuscujusque specificam, & individualem &c.

Ex his impug. solut. Ratio cognoscendi effectum in sua causa creata, ut in objecto, vel medio priùs cognito non est realis ordo causæ ad effectum, sed virtualis, aut eminens continentia, vel præexistentia effectus in causa, ergo perfectiori modo reperitur in Deo ratio cognoscendi creaturas, ut effectus in causa, vel objecto priùs cognito, conf. tenet, quia sinè relatione reali ad illas reperitur in Deo perfectiori modo eminens, & virtualis earum præcontinentia, ant. verò prob. quia connexio necessaria emanationis, aut dependentiæ effectus à causa non oritur ax relatione reali causæ ad effectum, sed ex virtuali, aut eminentiali continentia effectus, sed id est ratio cognoscendi à priori effectum in causa, ex quo oritur eadem necessaria connexio emanationis, aut dependentiæ in essendo effectus à causa, ergo non relatio, sed virtualis, aut eminens continentia est ratio sic cognoscendi illum in causa, mi. patet, quia ut dictum ast, ratio essendi est à priori ratio cognoscendi, & connexio necessaria dependentiæ effectus à causa satis est, ut cognitio unius ducat in cognitionem alterius, ut latè patet ex logicis, & alibi sæpè, & suppuno apud omnes Metaphysicos, ergo quod est radix, aut ratio connexionis, & dependantiæ, erit etiam ratio cognoscend. ma. etiam constat, quia major, & magis necessaria connexio emanationis, & dependentiæ effectus à causa reperitur inter creaturas, & Deum, quàm inter quemlibet effectum, & suam causam creatam, ut per se patet, & tamen Deus nulla relatione reali refertur ad creaturas, ergo non ex relatione reali provenit prædicta connexio, sed ex continentia virtuali, vel eminentiali. Secundò prob. idem ant, quia unum cognosci in aliu provenit ex hoc, quòd in illo aliquo modo continetur, & præexistit, sic enim habet, quòd possit aliquomodo apparere, vel manifestari in illo, ergo virtualis continentia, vel eminens effectus in causa est ratio cognitionis ejus in illa.

Tertiò, quia ex relatione causæ ad effectum, potius impeditur, ut dictum est, na possit causa pro ut sic, idest, ut relationem dicens priùs cognosci, quàm effectus, cum non possit relatio cognosci, non cognito priùs, aut simul termino, à quo specificatur, ergo repugnat, quòd relatio sit ratio cognoscandi effectum in causa, ut in objecto, & medio priùs cognito, Unde dum nos, vel Angelus à priori cognoscimus effectum per causam creatam, ut medium priùs cognitum, non per relationem causæ ad illum, sed per ejus propriam actualitatem absolutam, qua virtualiter, vel eminenter continet effectum, ducimur in cognitionem illius &c.

Quòd si dicas relationem causæ ad effectum esse transcendentalem, & ideò efficere posse, ut causa sit medium conducens ad cognitionem termini, vel effectus, eodem non simul, aut priùs cognito. § In contra est, quia hæc etiam specificatur à suo termino adæquato, ergo illo non simul, aut priùs cognito cognosci non poterit, undè potentiæ cognoscitivæ & appetitivæ, quæ non sunt causæ efficientes suorum objectorum, ac proinde non continent illa virtualiter, licet relationem transcendentalem dicant ad illa, non tamen sunt medium prius cognitum ducens in cognitionem objectorum, sed potius ratione hujus relationis habent non posse quidditativè cognosci non cognito prius, vel simul objecto, à quo

per se specificatur. Ex quo sumitur efficax argumentum ad probandum potentiam productivam non ex relatione, sed ex virtuali continentia effectus in seipsa habere, quòd ut medium prius cognitum ducat in ejus cognitionem &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Contra primam concl. quædam opponit Vasquez disp. 51. cap. 3. ex D. Aug. sed facile solvuntur advertendo, quòd primarium objectum cognitionis matutinæ non sunt creaturæ secundum proprias rationes, sed Creator, aut creaturæ secundum esse, quod habent in illo, & ideò D. August. dum distinguit eandem cognitionem à vespertina ex parte objecti, dicit esse Creatorem, aut creaturas secundum esse, quod habent in illo, quia nempè assignat primarium objectum, à quo specificatur, & à quo habet, quòd dicatur matutina; sed ex hoc non licet inferrè, quòd velit nec secundariò posse ad creaturas terminari, ut per se patet, & satis ex dictis constare potest. Nec verbum in eodem reperitur, ex quo possit oppositum inferri. Nam illorum verborum cap. 32. *Facta est vespera, ut distingueretur creatura à Creatore aliter in se ipsa, quam in illo cognita.* Non est sensus, ut rectè ponderat M. Catalam hic, quòd per cognitionem matutinã ex parte objecti secundariò cogniti non distinguatur creatura à Creatore, sed quòd ut pertinet ad objectum primariò cognitum, secundum nempè prædictum esse, quod habet in Deo, non cognoscatur ut distincta ab illo. Aut certè, ut ait idem ex Lorca ubi supra, non distingui ex parte medii cognoscendi per matutinam cognitionem, quia per idem medium, & eadem cognitione attinguntur Creator, & creatura. Unde ut ex parte medii, & cognitionis distingui possent, dicitur fuisse factam vesperam, scil. cognitionem vespertinam, quæ per speciem creatam primariò terminatur ad creaturam, & ideò Augustinus consultò non dixit aliter in se ipsa, quàm in illo, sed aliter in se ipsa, quàm in illo cognita.

Secundò Arg. ex eodem ratione, ut ait; à priori jam insinuata. Essentia divina in se ipsa est absoluta ab omni re creata, nec ad aliquam refertur relatione reali, sivè transcendentali, sivè prædicamentali, ergo nequit fieri, ut ex vi visionis essentiæ divinæ creatura aliqua videatur, ant. est certum, & conf. prob., quia res absoluta, ut absoluta, quæ in suo esse formaliter nec est alia, nec ejusdem rationis cum illa non potest ferre videntem illam in cognitionem alterius dissimilis.

Ad hoc, quod est totum fundamentum ejusdem Auctoris patet primò ex dictis esse ab omnibus solvendum; tum quia probaret, ut vidimus, nec Deum posse in se ipso cognoscere creaturas, sed deberet necessariò immediatè extra cognitio divina terminari ad illas; quod quidquid sit an sit possibile, (quod etiam rejicietur infra q. 14.,) tamen quòd teneatur Deus sic cognoscere illas, & exire extra se ad illas attingendas est omninò falsum, ut latè ibidem utrumque constabit ad art. 5. & 6. nisi velimus creaturã esse objectum primarium, & specificativum divinæ cognitionis, quod est alienum. Tum quia, ut ostensum est; tantum abest, quòd relatio conducat ad constituendum aliquid manifestans in ratione medii, vel objecti priùs cogniti, quin potius impediat hanc prioritatem in linea cognitionis, cum ut communiter docent Metaphysici, non possit relativum cognosci non cognito priùs, aut simul natura termino ejus.

Pro omnibus ergo nego conf. Ad ejus prob. dist. ant. Nec est alia nec virtualiter, aut eminenter continens illam, transeat, & continet illam virtualiter, vel eminenter, nego, quia satis est, ut vidimus, quòd eminenter illam contineat, & quòd talem inter se habeant connexionem, ut una ex alia emanare possit; constat autem essentiam divinam, licet in se absolutissima sit, eminenter tamen continere omnes creaturas, ut causam efficientem, & exemplarem quoad omnem earum rationem non solum communẽ, aut genericam, sed etiam specificam, & individualem.

Sed instas ex eodem: quia non stat unum connecti intrinsecè cum alio, & non dependere ab illo, sed repugnat essentiam divinam dependere à creaturis, ergo etiam connecti cum illis, prob. ma., quia ubi est necessaria connexio nequit unum sine alio subsistere, unde uno pereunte perit & aliud, ergo dependet unum ab alio. Secundò. Ens omninò necessarium, & à se nequit per se connecti cum ente minus necessario, seu cum ente ab alio, & per participationem, sed ita comparantur Deus, & creatura, ergo nequit cum ista per se, vel necessariò connecti; ma. constat, quia aliàs non esset omninò a se, si semel esse non posset sinè cõnexione cum creatura. Tertiò, quia si esset talis connexio non posset Deus subsistere pereuntibus, aut deficientibus creaturis, quia ut dictum est, ubi est necessaria connexio altero pereunte perit utrumque, sed hoc videtur absurdum, cum Deus sit omninò independens ab illis, ergo.

IV. Quia si esset talis connexio, ut altero deficiente utrumque deficeret, deberent omnia possibilia etiã supernaturalia deficere deficiente Omnipotentia, sed hoc videtur impossibile, ergo, ma. est certa, quia connexio entis creabilis est per emanationem à divino, unde ejus connexio est per indigentiam, & subordinationem, mi. verò prob., quia aliàs homo secundum suum esse naturale exigeret possibilitatem supernaturalium, & consequenter deberet subtrahi prout sic à linea comprehentibilis ab Angelo, cum nequeat aliquid comprehendi non cognito termino, cum quo necessariò connectitur, Angelus autem lumine naturali nequit cognoscere supernaturalia, ergo impossibilis videtur connexio Omnipotentiæ cum tota collectione possibilium etiam supernaturalium, ità ut eadem deficiente teneantur etiam ista deficere.

V. Quia Omnipotentia sufficienter salvatur per hoc, quod se extendat ad omne non implicans, sed remoto hoc, vel illo possibili, adhuc sic se extenderet, ergo non habet connexionem necessariam cum hoc, vel illo &c.

Ad has instantias facilè alibi de Cœlo, & Mundo, & ex dicendis infrà ad q. 14., & in materia de Trinitate, resp. non solum non habere vires, præcipuè quoad id, quod confundunt connexionem cum dependentia, seu inferunt ex illa, sed etiam esse ab omnibus soluendas, tum in relativis prædicamentalibus, quæ cum sint simul natura, & cognitione, & mutuò

se

se inferant, & interimant, necessariam quidem habent connexionem, sed non dependentiam. Deindè intereſſentiam, & propriatates, sivè in creatis, sivè in divinis, ubi ast etiam necessaria connexio sioè dependentia saltam mutua in nobis, & sinè omnimoda in divinis: nec possumus hanc connexionem negare salva cognitione scientifica, & à priori earundem proprietatum, undè aliunde attenditur pura connexio, aliundè dependentia, nam licet hæc inferat connexionem, non tamen è converso, quia connexio haberi potest ax eminentia, vel cootinentia eminentiali, quam habet unum extremum respectu alterius, ax qua potest huic dare esse, & tunc certum est esse inter utrumque connexionem, ut patet ex terminis, non taman dependentiam, quia hæc attenditur ex subordinatione, & indigentia, quæ planè non est in eminenter continente, & dante esse, sed solum in recipiente. Quòd verò illud subsistare non possit illo deficiente, id non arguit dependentiam in illo, quia non oritur ex defectu ejus, sed magis ex perfectione, quia nempè habat talem eminentiam, ut sinè continentia alterius tanquam sui prædicato intrinseco, & essentiali salvari oon possit, sicut alibi in simili dictum est de voluntate divina in opinione satis probabili, quòd salvari non possit, aut manere suspensa ab omni actu prosequntivo boni creati, non quia dependeat, aut aliquid accipiat ab illo, sed quia, utpotè summè actualis, nequit primò habere exercitium negativum summæ actualitati improportionatum. Undè quòd dicatur prout sic necessariò prosequi bonum creatum, non est necessitas orta ex parte objecti, seù bonitate creata sibi inadæquata, vel finita, sed ex parte subjecti, sivè ex perfectione ejus &c.

In forma ergo, vel nego ma., vel dist. si connectator ex subordinatione, vel indigentia, aut emanatione sui ab illo, conc., si ex eminentia sui, vel continentia eminentiali sibi debita, & essentiali, nego.

Ad prob. similiter dist., nequit unum subsistere sine alio, orta insubsistentia ex sui perfectione, vel ex indigentia, conc. præcisè ex indigentia, nego, nam licet hoc posteriori modo verificetur de creatura, vel de extremo accipiente sui esse, vel perfectionem ab alio; non tamen de dante illud, immò magis arguit tunc excessum, & perfectionom in illo, quia nempè habet talem eminentiam, vel plenitudinem essendi, ut in casu, quòd de illa etiam possit aliis communicare, unde habet ex propriis continētiam eminentialem eorum ad dandum illis esse, & quia hæc continentia est prædicatum sibi intrinsecum, & essentiale, pereunte termino, vel effectu, aut possibilitate ejus, tanquā à signo à posteriori arguitur defectus alicujus prędicati intrinseci, vel essentialis, & consaquenter defectus subjecti sic continentis, nam pereunte aliquo prædicato intrinseco, vel essentiali rei, & maximè in Deo, perit res, quod non est dependere, aut deficere defectu orto ex indigentia, sed ex perfectione, de quo infrà de volūtate, & processione Verbi, & 3. p. de satisfactione Christi circa ejus justitiam commutativam.

Ad secundam dist. eodem modo, ma., nequit per se connecti ex aliqua sui iodigeotia, conc., ex perfectione, vel eminentia, aut fæcunditate, oego, ad prob. similiter dist., si noo posset esse ex aliqua sui indigentia, conc., si ex perfectione, vel eminentia, nego, imò magis arguitur oppositum, quòd si semel ità est ens subsisteos in plenitudine essendi, ut necessariò ex illo emanara debeat universa ratio entis; (in quo consistit ejus necessaria connexio cum illis,) sit omninò ens à se, & summè necessarium; neque enim diminuit rationem summè, vel magis necessarii hujusmodi connexio cum minus necessario, quando hęc oritur ex perfectiona, vel eminentia illius, ut patet in principiis respectu conclusionum, aliàs læderetur vis, & efficacia scientifica inferendi illas. Et per hęc etiam patet ad tertiam &c.

Ad quartam, quæ potest esse replica, nego mi. ad probat., nego sequelam, nam quòd deficiente possibilitate alicujus entis naturalis arguatur defectus alterius supernaturalis non est illativè immediatè, aut formaliter ex meritis ejusdem naturalis, sed quia ut dictum est, nequit aliquod possibile, quodcunq; sit, deficere non deficiente aliquo prædicato intrinseco Dei, vel Omnipotentiæ, scil. continentia eminentiali, cum modo intrinsecè illud contineat, quod tamen eodem deficiente ampliùs non contineret, constat autem quòd semal deficieote aliquo prædicato intrinseco Dei nequit amplius subsistere Deus, vel ejus Omnipotentia, ut modo est, quod est adæquatè deficere, non enim datur verus Deus, & consequenter nec Deus non continens hoc, & qnodcunque aliud de numero possibilium de facto, undè solum per mediatam, & materialem illatiooem infertur defectus possibilium supernaturalium ex defectu naturalium, quia nempè amplius non subsisteret Omnipotentia cootinens supernaturalia, & non quia illa exigant, aut necessariù connectantur cum istis, aut quòd ut connexa cum eadem secundum quod est productiva naturalium exigant illam, ut productivā supernaturalium, hoc enim materialiter se habet ad sui connexionem cum illa. Ex quo non infertur excessus naturalium in linea comprehensibilis supra lumen angelicum &c.

Ad Ult. dist. Salvatur ad omne non implicans de facto, conc., ad non implicans in quaconque suppositione, nego, nam supposito, quòd aliquid sit semel de linea possibilium, nequit transire ad illam impossibilium, non variato, ut dictum est; aliquo prædicato intrinseco Dei, ac proindè nequit amplius salvari ratio Deitatis, vel Omnipotentiæ, ut modo est &c.

Ult. Arg. specialiter contra secundam conclus. Plura sunt de linea creaturæ, quæ nequeunt in Deo à beatis cognosci, ut effectus in causa, ergo est assignandus alius modus, quo illa cognoscant præter visionem beatam, aot. constat in peccatis, & entibus rationis, cum non sit Deus causa eorum, & consequenter impossibile est, quòd cognoscantur in Deo, ut in causa.

.. Urg. hoc: quia creaturæ non sunt in Deo repræsentativè, ut in causa, sed tantum, ut in specie, ergò nequeunt in illo cognosci, ut effectus in causa. Ant. videtur expressum D. Th. in primo ad Annibal. dist. 35. ar. 4. ad 3., ubi licet ex maxima dissimilitudine inter Deum, & creaturam non neget hanc posse cognosci in Deo, concludit tamen cognosci in illo tanquam io specie. Unde ait. *Quamvis sit maxima dissimilitudo inter Deum, & creaturam considerata proprietate naturali utriusque, tamen secundum modum repræsentationis est expressa similitudo, in quantum divina essentia repræsentat expressissimè creaturam. Hæc autem similitudo, & non prima requiritur ad cognitionem, nam per speciem immaterialem res materiales cognoscuntur ab intellectu nostro.*

In quibus ob prędictam dissimilitudinem in esse naturali, ut salvet adhuc posse creaturas cognosci in

Deo recurrit ad alteram similitudinem in esse repræsentabilis cum divina essentia, ut specie repræsentante, ergo hanc solam cognitionem admittit earum in Deo, & non per modum effectus in causa. Quod videtur urgentius colligi ex eodem 1. contr. gent. cap. 57. ubi inquit, *Ejus essentia se habet ad alia non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognitas*, ergo juxta D. Tho. non cognoscuntur creaturæ in Deo, ut effectus in causa cognita ut quod, sed sicut repræsentatum in specia repræsentante &c.

Ad hoc nego ant. Ad prob. quoad peccata dist., non cognoscuntur ut in causa quoad eorum entitatem, nego, quoad deformitatem subdist., ut in causa effectiva, conc., permissiva nego, loquendo verò de peccato quoad sui quiditatem tunc dicitur cognosci, ut in causa non sui, sed boni oppositi, mala enim dicuntur cognosci per ideam boni. Quoad entia autem rationis; (quidquid sit an Deus formet illa, ut latè sustinuimus ad mentem D. Th. præcipuè de respectibus idealibus,) similiter dicimus esse in illo cognoscibilia, ut in causa intellectus creati, vel actus ejus productivi eorom.

Ad confirm. dicimus mentem D.Th. non esse, quòd purè objectivè cognoscantur creaturæ in illo, ut objectum repræsentatum in sui specie, & nullo modo ut effectus in causa, nam expressè oppositum tradit ibidem in corp., ut statim constabit, sed adhibere similitudinem speciei, ut detur intelligi, quòd sicut hæc quia objectivè ob sui immaterialitatem immaterialiter continet res materiales, potest illas in eadem linea perfectè exprimere, & repræsentare, ità pariter Deus, quia summè immaterialis est etiam in linea effectiva, potest immaterialiter continens omnem effectum creatum, quamtumcunque materialem perfectè illum exprimere in eadem, ac repræsentare, itaut in illo cognoscantur non solum, ut objectum repræsentatum in specie repræsentante, ut quo, sed etiam ut effectus in sua causa, undè licet aliàs sit maxima dissimilitudo in esse naturali ob infinitè excedentem sui immaterialitatem, quia tamen ex hac eadem radice simul habet, quòd immaterialiter, seu modo immateriali præcontineat, pariter habet, quòd perfectè repræsentet non tantum ut objectum per modum speciei, sed etiam ut effectum per modum causæ, quia utroque modo ob eandem immaterialitatem immaterialiter præcontinet.

Idque totum ibidem insinuat D.Th. in corp. dicens. *Ex hoc aliquis est aliorum intellectivus, quod illa sunt apud ipsum modo intelligibili, sicut species rerum apud intellectum, Opportet autem effectus in sua causa aliqualiter præexistere, & nobilius, quam in se ipsis. Agens enim producit sibi simile, nec agit ultra suæ speciei virtutem. Sic ergo opportet creaturas esse in Deo, qui est causa, nec possunt in eo esse nisi per modum ipsius Dei, quia unum quodque inest alicui per modum ejus, in quo est, undè cum Deus sit immaterialis, & intellectualis natura creatura est in ipso intellectualiter, & intelligibiliter.*

Ecce quòd non solum apertè docet cognosci creaturam in Deo, ut effectum in causa, sed etiam assignat rationem, scil. perfectam continentiam, & immaterialem non solum in ratione speciei, sed etiam in ratione causæ, quia nempè est immaterialis, & intellectualis naturæ, unde utroq; modo continentur in illo, & ut in specie, & ut in causa per modum objecti, & effectus.

Ad id verò, quod subditur ex contra Gent. dicimus non esse ibi intentum ad negandam omnem habitudinem creaturarum ad Deum tanq; conclusionum ad principia, nam oppositum expressè docet de veritate quest. 2. art. 4. dicens, *quod res esse in Deo assimilatur illi modo, quo effectus sunt in causa, & conclusiones in principiis*, quia nempè creaturæ dicuntur esse in illo, non formaliter, sed virtualiter, sicut effectus causæ æquivocæ sunt in causa æquivoca, qui modus essendi rerum in Deo assimilatur modo essendi rerum in principiis, qua ratione, ut supra insinuavimus; videri possunt formalia Dei sine debito videndi aliquam creaturam in particolari: negat ergo propriè habere habitudinem conclusionum ad principia, quia divina essentia excellentiùs, & sinè ulla limitatione eas repræsentat ut oppositum contingit in principiis respectu conclusionum, nam istæ nec primariò, nec secundariò dicuntur repræsentari per principia tanquam per sui species, sed per alias species repræsentantur principia, & per alias, conclusiones, in Deo verò per ejus essentiam immediatè repræsentatur Deus, & mediatè creaturæ; deinde conclusiones, & principia non comparantur, ut objectum primarium, & secundarium respectu ejusdem luminis, sicut Deus, & creaturæ respectu divinæ scientiæ, sed ambo habent rationem primarii respectu proprii luminis; scil. principia respectu luminis superioris, sivè principiorū, conclusiones verò respectu scientifici. Denique cognitio principiorum non in actu, sed tantum in potentia dicitur continere cognitionem conclusionum, unde dicitur quidem potentia activa respectu istius, non tamen potentia in actu, sed in potentia ad causandam istam: cæterum essentia divina, vel ejus cognitio actu continet cognitionem rerum in ea cognitarum, & ideò rectè asserit D. Tho. non se habere ad istas, sicut principium ad conclusiones, sed sicut speciem ad res cognitas. Alia argumenta ex dicendis solvi poterunt. Probant enim, vel quòd nec Deus in se ipso ut in causa cognoscere possit aliquam creaturā, de quo qu. 14., vel non esse majorem rationem de una creatura, quàm de alia, cujus tamen assignavimus discrimen hic & ex dictis etiam colligi potest, sicut & cur plures, vel pauciores videantur ab uno, quàm ab alio, vel undè proveniat, & quomodo sit, vel non sit necessarium videre illas, & an omnibus visis, scil. possibilibus, sive ex intra, sivè extra sequatur comprehensio &c.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum ex vi visionis videantur creaturæ in aliqua differentia temporis ut actu existentes, sivè etiam præteritæ, aut futuræ.

Durandus in 3. dist. 14. q. 2., & in 4. dist. 49. q. 2. duo asserit, primum quòd attenta natura visionis non est necessarium videri aliquam creaturam, ut actu existentem, nec præteritam, aut futuram. Secundum nec de facto sic videri visione beata. Ità generaliter docet de omnibus beatis; idē docet in 4. nu. 16. Alii (quorum meminit D. Th. de veritate q. 8., & 20. ar. 4., & Durandus eisdem locis) extremè oppo-

positi docent singulos beatos ex vi visionis divinæ essentiæ videre omnia præterita, præsentia, & futura.

§. I.

Statuitur prima, & secunda Conclusio.

PRima. Non est necessarium ex vi visionis divinæ essentiæ videri omnes, vel aliquam creaturam, quoad exercitium existendi præsens, præteritum, aut futurum. Ita communiter Theologi, & quoad hanc 2. partem sumitur ex dictis, quia non est necessarium, ut probavimus; ex vi ejusdem visionis videri aliquod decretum liberum divinæ voluntatis, ergo nec erit necessarium videri aliquam creaturā quoad exercitium existendi; conf. tenet pariter ex dictis, quia nequit videri effectus in causa ex vi visionis ejus non visa determinatione causæ ad ejus productionem, ut alibi ostensum est in materia de gratia, & constabit infrà q. 14. &c.

Prima etiā pars, quòd nec sit necessarium videre omnes quoad exercitium existendi in propria temporis differentia, non solum est communis sententia, sed existimo certam de fide licet hoc neget Suarez lib. 2. de divinis attributis cap. 27., sed docent communiter Thomistæ, Bannez hic concl. 1. M. Catalam dub. 5. Illustriss. Godoii disp. 11. §. 1., & alii, & apertè insinuat Durand. ubi supra in 4. n. 12., dum posteriorem opinionem relatam asserit esse contrà Sacr. Scripturam Matth. 24., & Marc. 13. ubi de die illa (scil. judicii;) dicitur quod *nemo scit, neque Angeli in Cælo &c.*

Respondet Suarez non posse hac auctoritate probari intentum, quia sicut dicitur de Angelis, quòd nesciant, ità pariter dicitur de Filio, dum subditur, *neque Filius*, ergo sicut de isto explicatur, quòd nesciat ad dicendum, vel quia nescit ex se, sed à Patre, aut quia nescit scientia naturali; ità posset quis sinè errore explicare de Angelis.

Sed hæc solutio, vel illatio Suarez non videtur esse alicujus momenti; nam si quia de Filio exponitur, quòd nesciat ad dicendum, non licet inferre hanc universalem negativam, *nemo nescit*, exclusis etiam Angelis; eadem facilitate poterit similiter exponi, ut nō liceat eandem inferre exclusis dæmonibus, & hominibus viatoribus, quia pariter nascirent ad dicendum, ergo si semel ex vi ejusdem explicationis salvari potest de Angelis non esse contra fidem, quòd sciant, salvari etiam poterit de dæmonibus, & hominibus viatoribus non esse contra eandem, quòd sciant; vel si non obstante eadem explicatione non licet salva fide id asserere de istis, nec licebit salva eadem id asserere de Angelis, præcipuè quia ut notarunt Chrisostomus Theophil., & Eutimius, prædictam exclusivam de Angelis addidit Christus ad reprimendam curiositatem Apostolorum, quasi diceret non esse æquum eos velle scire diem judicii, quàm vel ipsi ignorabant in Cœlo.

II. Quia juxtà regulam Augustini ab omnibus receptam, verba Sacræ Scripturæ sunt in propria significatione, & rigorosè accipienda, quando sic accepta nullum inferunt præjudicium fidei, aut rectæ rationis, sed prædicta verba in propria significatione relativè ad Angelos, nec fidei, nec rectæ rationi repugnāt, benè verò relativè ad filium, cum de fide sit Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem specificativè cognovisse diem illum, ut jam communiter tenent Theologi, & ut certum supponunt unanimiter Patres, ut ostenditur 3. p. q. 10. ad ar. 2. ergo de Angelis in propria significatione, de Christo verò figuratè accipienda sunt.

Urg. hoc: nam eadem verba relata ad Angelos absque ulla limitatione accipiuntur à PP., ad Christum verò explicantur ab omnibus, ut supponentibus illi notum diem illum etiam ut homini, ergo non solum est nulla illatio à Christo ad Angelos, sed omninò in toto rigore accipienda sunt.

Tertiò, quia alibi in scriptura expressè asseritur Angelos beatos aliquod futurum ignorasse à principio beatitudinis, ut patet ex illo ad Ephes. 3. *ut innotescat Principatibus, & Potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*, & Apoc. 7. *Angelus clamavit magna voce ad quatuor Angelos dicens, nolite nocere terræ, & mari &c.* Et Danial. 10. ubi dicitur unum Angelum restitisse alteri ex eo, quòd ignorassent, quid Deus facere disposuisset circa populum sibi commissum, ut communiter explicatur eorum pugna. Unde hanc veritatem fuisse unanimiter receptam à PP. docuit D. Th. locis relatis præcipuè in 4. ubi affirmat secundam opinionē esse contrariam dictis doctissimorum PP. asserentium inferiores Angelos illuminari à superioribus de aliquibus, quæ non videntur in Verbo, ergo contra consensum PP. fit exceptio de Angelis, sicut de Filio.

Denique, (& urg. hæc omnia,) nam dum Concilium Trident. definit Sacram Scripturam non nisi juxta unanimem consensum PP. esse explicandam, non apparet quomodo possit sanè sic exponi idem locus de Angelis, cum Hieron. Theophil., Eutimius, Chrisost.. & alii ibidem Athanas., August. Gregor. Mag., & alii PP. unanimiter supponunt, ut certum ex eadem auctoritate, Angelos nullo modo scire tempus, & horam judicii excipientes solum Filiū ab hac nescientia, vel ignorantia. Ex quo etiam infertur nec B. Virg. cognovisse illum, quia contra cōmunem regulam non est affirmandum, vel facienda exceptio ab illa, non habito aliquo fundamento in Scriptura, Conciliis, aut PP. Tum quia aliàs posset facile dari occasio erroris, si ex proprio cerebro posset quilibet in hujusmodi privilegiis affirmare. Tum quia hæc & similia dantur ad utilitatem, & consequenter debent esse manifestata, nam thesaurus absconditus quid prodest. De quo D. Th. 3. p. q. 27. ar. 6. Tum quia si ex magna ejus sanctitate, & excellentia id liceret inferre, pariter inferri posset omnia novisse, quæ scit Deus scientia visionis, quod tamē soli Christo cōceditur juxtà cōmunem consensum Theologorum, De quo 3. p. ubi supra loquendo de facto, & poterit adhuc constare infrà.

Secunda concl. Non repugnat eadem visione videri omnia producta, & producenda quoad exercitium existendi in propria temporis differētia. Est etiam cōmunis consensus Theologorum id asserentium de anima Christi. Nec est assignabilis ratio repugnantiæ respectu alterius beati de potentia absoluta, quamvis nulli alteri constet fuisse concessum. Non enim requiritur ad hoc lumen infinitè intensum, nec potest esse in sufficientia, aut repugnantia ex parte principiorum, scil. luminis, & speciei, seu essentiæ divinæ, aliàs etiam nec potuisset videre illa intellectus Christi, ergo &c.

§. II.

§. II.

Statuitur tertia, & quarta Concluſio.

TErtia. De facto vident beati aliquas creaturas ut exiſtentes in aliqua differentia temporis ex vi viſionis divinæ eſſentiæ, ut determinatæ per decreta libera. Quoad 1. part., quòd de facto videantur aliquæ à ſingulis beatis, docent jam omnes côtra Durand., qui admittunt poſſe creaturas videri in Verbo. Et eſt expreſſa Auguſtini, & Bernardi locis relatis in ſuperiori quæſt., cum loquantur de creaturis productis. Quoad 2. verò quòd videantur ex vi viſionis eſſentiæ, aut voluntatis determinatæ per decreta libera negatur à Suarez cap. illo 27. num. 12., Sed inconſequenter ad id, quod docuit cap. 25., ubi cum D. Th. aſſerit creaturas videri in Deo, ut effectus in cauſa prius cognita, at creaturæ quoad exercitium exiſtendi in aliqua differentia temporis nequeunt contineri in divina eſſentia, ut effectus in cauſa, non ſuppoſita determinatione ejus per decreta libera ad dandum illis eſſe pro tali differentia, vel quibus velit illas pro eadem exiſtere, nam planè creaturæ non habent hoc meritum ex ſe, vel ex pura indifferentia cauſæ, ut pro tali differentia exiſtant, niſi velimus effectum influere ad ſui exiſtentiam, & eſſe cauſam ſui, vel ex cauſa omninò indifferente ad proproductionem effectus in hac, vel illa differentia têporis, habeatur productio pro hac determinata, quæ ſunt repugnantia ex terminis, & iterum reducere productionem effectus ad influxum productivum ſui, cum talis determinata productio à cauſa prout ſic haberi non poſſit, ergo quoad exercitium exiſtendi, videri non poſſunt in divina eſſentia, ut effectus in cauſa, non viſa eſſentia, ut determinata per libera decreta ad earum productionem &c.

Explic. hoc. Quamvis ità ſit, quòd ex vi viſionis Omnipotentiæ, ſeù divinæ virtutis, vel artis productivæ earum videri poſſint in illa creaturæ, ut effectus in cauſa, non tamen quoad determinatû exercitium exiſtendi, aut ut exituræ, ſivè ut productæ, aut producendæ non priùs viſa eadem, ut determinata per liberum decretum, ſed ſolum quoad eſſentiam, vel exiſtentiam ut poſſibilem produci, quia quod iſtæ ſint productæ, aut producendæ ſint ex libero Dei decreto provenit, cum non habeant creaturæ neceſſariâ connexionem, aut influxum ad ſui productionem, ergo ſecluſo decreto à divina eſſentia, nulla in ea eſt aſſignabilis ratio, ob quam iſtæ potiùs, quam illæ in illa, ut in cauſa appareant, aut repræſentêtur, quia in ea, ut in cauſa indifferente ad utrumlibet apparere nequit unum potiùs, quàm aliud ut futurum, ut patet ex terminis, ut latè alibi oſtenſum eſt in materia de gratia, ergo ſuppoſito quòd ſemel videantur in illa, ut effectus in cauſa, nequeunt omninò videri non viſa eadem, ut determinata per libera decreta ad earum productionem, quidquid ſit an ſint immediatè viſibiles extra Deum &c.

Explic. ulterius totum hoc. Nam inter creaturas exiſtentes, & poſſibiles hoc eſt diſcrimen reſpectu viſionis beatæ, quòd cum poſſibiles, ut vidimus, neceſſariam habeant connexionem cum divina eſſentia, non indigent, (ſi ſemel ex vi luminis, & viſionis attingantur) peculiari aliqua determinatione, directione, aut manifeſtatione divina, ſed juxta quantitatem ſolius luminis, & penetrationis videntur poſſibilia reſpondentia eidem lumini, & penetrationi, cæterum exiſtentes, vel determinatè exituræ, cum non habeant hanc neceſſariam connexionê, ſed liberam cum eſſentia, non dependent ſolum à lumine, & penetratione eſſentiæ, ſed etiam à manifeſtatione Conſilii, & Decreti divini, undè impoſſibile eſt, quòd videantur in Deo, ut effectus in cauſa, non viſa determinatione libera decreti ad dandum illis eſſe, ſeu non viſa earû connexione libera, cum divina eſſentia, Quod verò dicitur videri in Deo, ut in cauſa, non intelligitur præcisè nomine cauſæ, eſſentia, vel omnipotentia, aut aliud determinatum attributum, ſed omnia, quæ ſuo modo dicuntur concurrere ad creaturarum productionem, ut idæa repræſentando eſſentiam Dei ut imitabilem, & participabilem à creaturis; ſapientia, & ars dirigendo, voluntas aplicando, juſtitia dando, quod cuilibet debetur, & conſequenter Omnipotentia exequendo, & ſic de aliis &c.

IV. Concl. Quilibet beatus videt in Verbo ex vi viſionis univerſam orbis molem, compoſitionem, ordinem omnium rerum, quibus conſtat; genera, ſpecies, & earum virtutes, ſeù proprietates. Eſt etiam communis omnium Theologorum cum D. Tho. hic art. 8. ad 4., & 3. cont. Gent. cap. 59. Cajet., & Ferra: eiſdem locis; Soto in 4. diſt. 49. queſt. 3. ar. 7. concl. 6. Bannez, Godoii hic §. 7. concl. 2. Mag. Catalam, & aliorum, & ſumitur ex D. Bernard. ſermone de triplici genere bonorum propè finem, ubi de beatitudine loquens inquit; *ò ſapientia, qua tunc omnia, quæ in Cœlo, & in terra ſunt, perfectiſſimè cognoſcemus in ipſo fonte ſapientiæ rerum omnium cognitionem habentes* deindè etiam Auguſt., ubi ſupra eam tradit de Angelis, quos aſſerit videre in Verbo omnia opera, quæ narrantur in Geneſi ſex diebus condita.

Ratione prob. ex D. Tho. hic ad 4. ubi inquit; *Quod naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns eſſentiam*. Ex quibus fit argumentum: viſio beata perfectè ſatiat naturale deſiderium cujuslibet beati, cum ſit ultimus finis, ſed quilibet hæc omnia naturaliter ſcire deſiderat, ergo hæc omnia videt viſione beata, minor côſtat experimento in nobis viatoribus, qui anxiè, & rationabiliter hæc omnia ut potè per ſe ſpectantia ad ordinem univerſi, ſcire deſideramus, & tantum laboris, & temporis conſumimus ad illa inveſtigandum. Eandem rationem inſinuavit D. Bernardus, nam præmiſerat nil nos latere in patria, quia beatitudo eſt ſapientia, qua ſatiatur curioſitas hominis. Quam etiam, optimè explicat ibidem Ferrara. Et poterat etiam explicari, & urgeri à ſimili in lumine angelico. Nam perfectiùs ſatiat, & perficit lumen gloriæ intellectum beati, quam lumen naturale Angeli intellectum ejus, cum ſit iſto longè perfectius, & altioris ordinis, ſed naturale angelicum exigit, & facit hæc omnia ſcire, ergo à fortiori exiget, & faciet ſcire beatificum.

Quòd ſi dicas invertendo paritatem, quòd ſicut Angelus lumine, & cognitione diſtincta à viſione, & lumine gloriæ prædicta cognoſcit, pariter ſufficiet eadem cognoſcere beatum cognitione diſtincta à bea-

tiſi-

tifica. § In contra est nā (ut patet ex dictis) nulla est repugnantia, ut quilibet beatus ex vi ejusdem visionis ea videat in Verbo, & de facto de Angelis ità affirmat, ut dictum ast, D. August., ergo tenemur fateri, quòd ita de facto quilibet videat ex vi illius; prob. conf., tum quia excellentiùs per illam videntur in Verbo: tum quia sic videre ad majorem beatitudinis excellentiam pertinet, qua ratione non satis est, ut Angeli aliunde videāt, sed itarum in Verbo per illam juxta meritum beatitudinis sublimiùs vident, ergo licet diceremus posse quamlibet beatum aliunde videre non tamen negandum est videre etiam per visionem in illo, quia admittenda est in utroq; cognitio, quæ ad majorem eorum beatitudinis, & intellectus perfectionem pertinet, sicut in simili dictum est 3. p. ad q. 7. de Christo, quòd præter virtutes morales acquisitas, dantur etiam supernaturales infusæ, ut non solum modo proportionato, sed excellentiori ejus potentiæ perficerentur &c.

Sed difficultas est, an etiam omnia individua sub singulis speciebus producta, & producenda videantur ab illis, nam Ferrara ubi supra §. *Sed remanet*. existimat quidem probabile videri omnia dum actu existunt, sivè in statu præsentiæ in re, non tamen in statu futuritionis, sed quia vidit id fusti neri non posse salva simultate, & invariatione visionis, seu non admissa in illa successione, & variatione, quod est contra D. Tho., ut constabit, præcipuè loquendo de his, quæ pertinent ad eorum statum, ideò ut probabiliùs asserit videri omnia individua præterita, præsentia, & futura.

Sed neq; hoc subsistere potest, si universaliter intelligatur de omnibus individuis tam substātiæ, quàm accidentium, aliàs viderent ultimum cæli circulationem, & consequenter ultimum diem judicii, quod ut vidimus, admitti nequit, unde intelligendus ait de omnibus tantum specierum naturalium substātię. Quamvis nec de hoc videatur aliquod certū posse affirmari, quia sic universaliter videre non appetit noster intellectus saltem proximè, quidquid sit de capacitate naturali remota, sed hæc non est necessarium, ut impleatur, aliàs esset implenda in ordine ad possibilia, cum respectu etiam istorum saltem syncathegorematicè dicatur eandem capacitatem habere ad illa prout sic cognoscenda, quod tamen non admittitur. § Resp. ergo tanquam certum simul omnia quælibet videre, ut existentia in aliqua differentia temporis præteriti, præsentis, & futuri, quæ aliquomodo pertinent ad illius statum, quia in via D. Th. omnia vident, quæ ad sui statum pertinent, atque de his esse intelligendum 3. cont. gent., dum ait individua existentia sub speciebus videri à singulis beatis.

§. III.

Statuitur quinta, & sexta Conclusio.

Quinta. Quilibet beatus videt in Verbo omnia mysteria nostræ fidei, sive omnia mysteria gratiæ, quæ per se spectant ad nostram fidem. Est etiam communis consensus, Bannez hic concl. 3., & 4. Illustris. Godoli concl. 2. Mag. Catalam, & aliorum ex August. tom. 5. lib. 20. de Civitate Dei cap. 21., ubi ait. *Quid videbimus? nisi Deum, & omnia illa, qua nunc non videmus, credentes autem cogitamus.* Et ex D. Th. supra q. 1. ar. 2. ubi, ut vidimus, Theologiam nostram asserit subalternari scientiæ Dei., & beatorum, quia ipsi vident principia nostræ Theologiæ, quæ sunt propositiones fidei. Cujus etiam ratio ulterior est, quia visio beata, ut communiter docent Theologi in 4 dist. 49., est dos correspondens fidei, ergo extendit se ad manifestanda omnia mysteria per se spectantia ad fidem.

Deindè prob. generali ratione, qua supra: nam visio beatifica perfectè satiat omne rationale desiderium beatorum, cum sit plena eorum quies, sed modo viatores rationabiliter desiderāt videre clarè in patria quæ modo credunt, & in eorum fidem captivant intellectum sperantes aliquando videre, ergo videbunt mysteria gratiæ per se spectantia ad fidem &c.

Dices hanc rationem nimis probare, quia etiam probaret non solum visuros omnia mysteria fidei, sed quod in eorū visione essent æquales, cum omnia modo credant æqualiter in via, quod tamen salva inæqualitate visionis, quæ in cognitione eorumdem mysteriorum consistere debet, non videtur posse sustineri.

Sed contra hoc est, & in primis estò daretur æqualitas in eorum visione, adhuc tamen est via ad salvandam in illis inæqualitatem visionis, vel beatitudinis, scil. in ordine ad possibilia non æqualiter penetranda ex vi visionis essentiæ, vel Omnipotentiæ divinæ, sed juxtà majorem, vel minorem perfectionem luminis, in quo stat etiam excessus, vel inæqualitas ejusdem beatitudinis essentialis, undè sicut non est inconveniens, ut vidimus, quòd non obstante inæqualitate visionis, aut beatitudinis in beatis possint nihilominùs plures in eadem convenire, vel esse æquales, itaut non sit necessarium eandem inæqualitatem de singulis verificari, sicut necessarium non est, quòd licet dicatur Stellam in claritate differre à Stella, differant singulæ una ab alia, sed probabile esse plures esse æquales, ita inconveniens non erit, quòd non obstante eadem inæqualitate in illis possint objectivè in cognitione plurium mysteriorum gratiæ, scil. per se spectantium ad fidem convenire, cum aliàs adhuc salvetur inæqualitas in penetratione essentiæ in ordine ad possibilia, ut dictum est.

Sed præterea impugnatur; nam licet dicamus omnes cognoscere prædicta mysteria, non tamen quoad omnem rationem, habitudinem, aut circumstantiā etiam per se spectantem ad fidem. quia harum omnium fides non fuit necessaria ad salutem omnium viatorum, qua ratione inconveniens non est; (inquit M. Catalam hic ad 5.) concedere homines beatos aliquas ex his videre in Verbo, quas Angeli per revelationes tantum extra Verbum cognoscunt, quia nāpè illarum cognitio non erat eis necessaria ad salutem, dum erant viatores.

Ult. Concl. Ex eventibus contingentibus, sivè ex actibus liberis, cogitationibus cordium, & aliis hujusmodi vident singuli in Verbo omnia, quæ pertinent ad suum statum. Iti D. Th. in 4. dist. 45. q. 3. ar. 1., & 3. p. q. 10. art. 2. statuens hanc regulam; quemlibet nempè beatum videre in Verbo omnia, quæ ad eum pertinant. Unde in priori loco inquit. *Divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia &c.* Undè *cum anima Sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens ut omnia in ea cognoscantur, quamvis omnes eam videant, sed unusquis-*

quisq; tantum de aliis rebus necessariò in ea videt, quantum perfectio beatitudinis requirit, ut scil. homo habeat, quidquid velit, nec aliquid inordinatè velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea qua ad ipsum pertinent, cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea, qua ad ipsos pertinent, & ideò oportet, quòd illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quòd auxilium indigentibus præbeant ad salutem, sic enim Dei cooperatores efficiuntur &c. Unde patet, quòd Sancti cognitionem habent eorum, qua ad hoc requiruntur, & sic manifestum est, quod cognoscunt in Verbo, vota, & orationes, & devotiones hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt &c.

Id ipsum explicat, & aplicat Christo, & proportionabiliter iterum cæteris beatis dicens. *Cum quaritur an Christus cognoscat omnia in Verbo, ly omnia potest dupliciter accipi, uno modo propriè, ut distribuat pro omnibus, qua quocumq; modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocunq; secundum quodcunq; tempus. Et sic dicendum est, quod anima Christi in Verbo cognoscit omnia, unusquisq; enim intellectus creatus in Verbo cognoscit non quidem omnia simpliciter, sed tantò plura, quantò perfectius videt Verbum; nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, qua ad ipsum spectant &c. Alio modo magis largè ut non solum extendatur ad omnia, qua sunt actu secundum quodcunque tempus, sed etiam ad omnia, quacunq; sunt in potentia unnq; reducenda, vel reducta actum, horum autem quadam sunt in sola potentia divina, & hujusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc enim est comprehendere omnia, qua Deus potest facere, quod esset comprehendere divinam virtutem, & per consequens divinam essentiam. Virtus enim qualibet cognoscitur per cognitionem omnium, qua potest facere; quadam verò sunt non solù in potètia divina, sed etiam in potestia creatura, & hujusmodi omnia scit anima Christi in Verbo, comprehendit enim in Verbo omnis creatura essentiam, & per consequens potentiam, & virtutem, & omnia, qua sunt in potentia creatura.* Eandem regulam videtur etiam tradidisse Concilium Senonense in decretis fidei cap. 13. definiens beatis persujum esse omni formæ illud divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, illucescat.

Ex quibus non solum habemus traditam à D. Tho. præsentem conclusionem, sed etiam rationem ejus, sicut & præcedentiom, ut nempè impleatur eorum rationabile desiderium, & quia pertineot ad eorum gloriam, & præmium, & excellentiam, ut iterum docat 22. q. 83. art. 4. ad 2. dicens. *Quod mortui ea, que in hoc mundo aguntur, considerata eorum naturali conditione non cognoscunt, & precipuè interiores motus cordis, sed beatis, ut Gregorius dicit in lib. 12. moral. cap. 3. circaprincipium in Verbo manifestatur illud, quod decet eos maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde, & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus Deo manifestante cognoscunt.* Quod explicans Cajet. afferit non causaliter, sed formaliter ipsa visione beora videre in Verbo, quoniam beatitudo ipsa summa excellentia est. Idq; præcipuè probat Cajet. ex modo, quo Ecclesia interpellat Sanctos, dum dicit Sancte Petre ora pro nobis, *nisi enim*, (inquit) *presupponeret omnes Sanctos ex ea, quod Deo fruuntur orationes nostràs cogitare, non omnes udiret, ut orarent pro nobis, sed orandus prius esset, ut eis revelaret prius orationes nostras, & sic ipsi prius orarent pro nobis*, sicut ut deinde docet, quia nesciunt, an expediat hoc, quòd petitur, aut quomodo implendum sit, & an Deo placeat, & hujusmodi; *propterea* (subdit) *Ecclesia Deum rogat, ut faciat Sanctos orare pro nobis dicens, tribue quesumus Domine omnes Sanctos tuos jugiter pro nobis orare.* Nem de his per revelationem extrà Verbum videri affirmat. Solet D. August. in contrarium referri lib. de Cura pro Mortuis egenda cap. 13., & 16. tom. 4. Sed ejus mentem optimè explicat D. Th. in 4. ubi supra ad 1. & 2. & p.p. q. 89. art. 8., quòd nempè loquitur ibi August. dubitativè, non assertivè, quod colligit ex eodem, dum prævièrit. *Ut volet accipiat quisque quod dicam.* Undè ibidem de Angelis, (quibus Gregorius relatus ibi à D. Th., alios beatos parificat) asserit non ignorare ea, quæ apud vivos aguntur.

Motivum verò, in quo fundatur dubium D. Augustini ex illo *Abraham nescivit nos*. Isa. 63., ut haberur in gloss. ibidem, confirmatum per hoc, quod à Matre sua non visitabatur, nec in tristitiis consolabatur, sicut quando vivebat, cum tamen non esset facta vitæ feliciore crudelior. Et per hoc etiam, quod Dominus promisit Josiæ Regi, quòd priùs moreretur, ne videret mala, quæ erant populo superventura, ut habetur 4. Reg. 22. Solvit D. Th. infine corp. dicens. *Sed quia SS. anima sunt perfectissimè diviné justitie conformes, nec tristantur, nec rebus viventium se ingerunt, nisi secundum quod justitie diviné dispositio exigit.* Quasi dicat Abraham nescivisse, vel Josiam non visurum, scil. cum tristitia, ut modo contingit in via; nec ad se ingerendum, vel præstandum solatium, sicut & matrem ejus, nisi juxtà dispositionem divinam, & non qoie loqoendo de beatis omnimò nesciant. Undè paulò ante D. Tho. præfert quoad hoc sententiam Gregorii absolutè affirmantis animas Sanctorum Deum videntes cognoscere omnia præsentia, quæ hic aguntur.

Sed difficultas adhuc est in determinando, quæ dicentur præcisè pertinere ad statum uniuscujusq; beatiæ nam recentiores communiter dicunt ex M. Soto in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. concl. 10. solum pertinere eventus præcipuos, nõ omnes etiam minutissimos. §Sed ad pleniorem hujus notitiam dicimus primò ad cujuslibet statum pertinere omnia, quorum cognitio est necessaria ad convenienter, & prudenter exercendas omnes operationes, quas quilibet in eo statu juxtà communes regulas divinæ providentiæ supernaturalis operaturus est toto progressu beatitudinis. Quia hoc pertinet ad excellentiam, & gloriam eorum.

Secundò dicimus pertinere personas eorum curæ in hoc mundo commissas, cæterasque in eodem statu succedentes, de quorum profectu rationi consonum sit beatos specialem curam habere, unde communiter docent Theologi ad statum Fundatoris alicujus Religionis pertinere omnes professores ejus Instituti. Nam si iterum ad eorum gloriam pertinet, ut vidimus; præbere auxilium indigentibus, & à se illud implorantibus; à fortiori pertinebit respicere ad istos qui aliquomodo, aut magis propriè sunt aliquid sui.

Tertiò eadem ratione dicimus pertinere cognatos, &

& affines, quorum meritò in hac vita specialem curam haberent. Et in hoc ordine rationabile videtur esse cōprehendēdos ex collateralibus cognatos omnes usque ad quartum saltem gradum, & in linea recta omnes ascendentes, & descendentes usque ad quartam generationem, nam practicè etiam modo in via attenduntur isti gradus in extensione consanguinitatis. unde sicut rationabiliter hæc extensio desideratur in via, ità implendam existimo in protectione eorū in patria.

IV. Denique dicimus, quòd de eventibus, qui accidunt eisdem personis intrà præfatos limites, ee spectare ad statum cujuslibet, quæ juxtà communes regulas divinæ providentiæ illis eveniunt. Quie hoc iterum ad eorum excellentiam in protegendo, & meritum beatitudinis in satiando pertinet. Plura de his videri possunt apud Cabreram 3. p. q. 10. art. 2. disp. 3. n. 14., & num. 105., & sequentibus &c.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

PRimò Arg. contra primam ad prob. esse necessarium effectus omnes naturales quoad exercitiū existendi, seū statim positos extra causas videri à beatis ex vi visionis. Quia sic necessariò videntur ab Angelis per species infusas ex natura rei, ergo à fortiori videri debent à beatis per essentiam divinam, ut speciem eorum repræsentativam, Prob. cons. Tum quia essentia divina perfectiùs eos repræsentat. Tum quia non est assignabilis ratio, ob quam semel existētes, eut positi extrà causas statim repræsententur per species angelicas, & non per divinam, præcipuè si unita sit intellectui beatorum ut repræsentans eosdem ut possibiles &c.

Ad hoc ex dictis nego cons. Ad primam prob. nego suppositū, quòd id oriatur ex majori, vel minori perfectione in repræsentando, sed ex diverso modo repræsentandi, ut statim dicemus, undè est fallacia nō causæ, ut causæ. Vel dist. illam. Perfectius repræsentat, & eodem modo, nego, diverso conc., undè etiam ad secundam nego ant., & disparitas est, quia species angelicæ, ut infra de Angelis ostenditur, sūt institutæ ad repræsentandum prædictos effectus per modum rationis formalis non priùs cognitæ, undè statim repræsentant, aut manifestant illos semel pertinentes ad exercitium existendi, etsi non priùs cognoscantur ut continentes eosdem, undè sicut non cognitæ sunt ratio cognoscendi illos ut possibiles, dum possibiles sunt, vel ante exercitium existendi, aut determinationē causæ, ità non cognitæ sunt ratio cognoscendi eos, dum existunt, vel positos extrà causas, vel post earum determinationem. Cæterum essentia divina non est repræsentativa creaturarum immediatè, ut ratio cognoscendi non cognita, sed solum mediatè, seū ut continentur in illa, ut in causa, ac proindè sicut effectus ut possibiles non repræsentantur non repræsentando se ipsam ut causam eorum præcontentivam, nec iterum cognoscuntur eadem non cognita, ut sic continente illos; ità nec repræsentantur, nec cognoscuntur ut existentes, eadem non præsentete. & non cognita, ut causa continente eos quoad exercitium existendi: constat autem ex dictis, non posse sic cognosci non cognitæ ut determinetæ, seū non cognita determinatione ejus habitæ per decretum liberum. & quia non est necessarium, ut dictum est, visa essentia videri aliquod ex his decretis, nec est pariter necessarium videri aliquam ex creaturis existentibus &c.

Contrà hanc solut. posset instari ex eo, quòd cum decreta in veriori sententia consistant in aliquo intrinseco formaliter existente in Deo, & identificato cū ectu necessario, non stabit semel videri Deum, & non videri omnia decreta libera ejus, nisi velimus aliquid deformaliter convenientibus latere beatum, quod est contra superiora.

Sed jam abundè superius hæc instantia soluta est, ne eadem repetamus. Videantur, quæ insuperioribus adducta sunt in distinguendo de decreto, & quoad entitatem, & quoad connotationem, vel respectum rationis, aut distinctionem eorum, ut exp icatum est eū non sit necessa iū, quòd secundum illam, etc secundum omnia videatur, quæ importat, aut tam in recto, quam obliquo formaliter conveniunt, ac proindè, nec quod sint de numero apparentium, juxtà meritum etiā liberi ut liberi, ut dictum est &c.

II. Arg. contra secundam ad probandum, quòd omninò repugnet intellectum creatum posse in Verbo videre omnia producta, & producenda quoad exercitium existendi in propria temporis differentia. Quia nequeunt hæc omnia videri non comprehensa divina scientia visionis, sed hanc impossibile est comprehendi ab intellectu creato, ergo nec omnia illa videri, mi. constat, quia prædicta scientia est ipsa essentia divina, ac proindè simpliciter infinita, & incomprehensibilis ab intellectu creato; ma. verò prob., quia sicut comprehenditur virtus productiva cognitis omnibus ab illa producibilibus, ità pariter comprehenditur scientia cognitis omnibus ab illa cognoscibilibus, sed Deus hæc solum scit scientia visionis, si velimus hanc distinguere ab illa simplicis intelligantiæ, nam per illam visionis tantum cognoscuntur, quæ aliquomodo intrant forum existendi, sivè quæ sunt extitura in aliqua differentia temporis, ergo non stabit prædicta omnia videri non visis omnibus per eandem scientiam cognoscibilibus, & consequenter eadem non comprehensa &c.

Ad hoc nego ma., ad prob. nego mi., nam intra objectum scientiæ visionis continetur etiam Deus trinus, & unus, undè nullus intellectus creatus cognoscit comprehensivè, nec potest omnia, ad quæ se extendit eadem scientia, cæterum si cognosceret omnia, ad quæ se extendit divina potentia cognosceret illam comprehensivè, & ideò comprehenderet divinam potentiam, ut constabit infra. Posset verò concedi non repugnare, (ut conceditur de anima Christi) quòd cognoscat comprehensivè eandem scientiam, non ut est in se actus infinitus divini intellectus, sed ut terminat ad res creatas præcisè, quarum comprehensio non repugnat intellectui creato, ut eas de facto comprehendit anima Christi &c.

Tertiò arg. ex Suarez contra tertiam, quòd creaturam non videat in essentia ut determinata per decretum argumento jam insinuato, & potest esse replica contra superiora, & præcipuè contra solutionem ad primum. Nam actus pravus non potest cognosci in decreto divinæ voluntatis, cum absolutè non prædefiniatur à Deo, nec ejus futuritio pendeat solum ex decreto Dei, sed ex libero influxu humanæ

voluntatis, ergo ut videantur hujusmodi effectus, vel creaturæ non est recurrendum ad determinationem Dei; nec est necessarium priùs videri liberum ejus decretum, aut essentiam divinam determinatam per illud &c.

Ad hoc patet ex dictis in via D. Tho. non esse momenti, nam concursum voluntatis humanæ ad actum pravum certò cognoscit Deus ut futurum, ut dictū est, in decreto suo permissivo, quo vult permittere malitiam actus, & in decreto positivo, quo, supposito quòd vult permittere malitiam, vult consequenter ut prima causa movere voluntatem ad producendam entitatem actus pravi, quia posito utroq; decreto est infallibiliter futurus liber consensus voluntatis, unde in utroq; decreto simul cognoscibilis est evidenter, ut futurus actus pravus.

IV. Arg. ex eodem ad idem: quia videntur hęc duo incompossibilia, quòd hujusmodi effectus cognoscantur in Deo, ut in causa, & quòd cognoscantur intuitivè, aut per visionem. Nam cognitio effectus quoad exercitium existendi in divina voluntate ut in causa non terminatur ad rem, quatenus in seipsa existit, ergo non potest esse visio intuitiva effectus; conf. tenet, quia visio intuitiva terminatur ad rem, ut existit in seipsa, si velimus eam distinguere ab abstractiva &c.

Ad hoc dicimus esse levioris momenti, quia licet primò, & per se non terminetur ad rem, ut existit in seipsa, terminatur tamen ad illam prout sic, mediatè, & secundariò, nec minus distinctè, ac si immediatè attingeret illam, unde sicut visio beata primariò, & per se est cognitio intuitiva Dei, ità secundariò est intuitiva creaturarum existentium in aliqua differentia temporis. Nec potest hoc negari ab eodem Auctore nam cap. 25. num. 45., & sequentibus probat ex professo visionem beatam non posse æquè primariò immediatè terminari ad creaturas, & ad divinam essentiam. Ad id vero quod tangit argumentum de discrimine inter utramq; cognitionem patet ex dictis suprà de æternitate, quia licet ità sit, quòd cognitio earum in statu futuritionis præcisè in decreto non sit intuitiva, superaddita tamē reali præsentia earum, vel in æternitate quoad eundem statum, vel in propria differentia temporis, quoad statū existētię est ò secundaria, & mediata sit, verè est intuitiva, & sufficientissimè distincta ab abstractiva, quia hæc est cognitio rei absentis duratione, utraq; autem præcedens est cognitio rei præsentis realiter, vel in duratione, in qua est cognitio; scil. quoad priorem statum (quod satis est, ad rationem cognitionis intuitivæ contra positivè ad abstractivam, ut patet ex definitione utriusq; apud M. Soto 1. par. introductionum summul. c. 6. lect. 2.,) vel in propria duratione, aut differentia temporis, ut revera apparent creaturæ quoad statum existendi in essentia divina post determinationem decreti.

V. Arg. cont. quintam, & ejus rationem. Datur aliquod mysterium gratiæ cognitum hic per fidē, quod tamen non videtur, nec est visibile in patria, ergo ex eo quòd hujusmodi mysteria cognoscantur per fidem non rectè infertur esse ibi videnda à beatis, aut quòd sint omnia visibilia ab illis, prob. ant., quia modo per fidem cognoscimus futuritionem beatitudinis, ejusq; perpetuitatem, si benè in hac vita operemur, sed hæc non est visibilis à beatis, ergo, prob. mi., tum quia visio, nec ulla alia cognitio est suprà seipsam reflexiva, aliàs esset specificativa sui, si se ipsam haberet pro objecto: tum quia si ex vi visionis cognosceret beatus suam beatitudinem, & ejus perpetuitatem, posset visioni subesse falsum, sed hoc est impossibile non minus, quàm subsit falsum fidei, cum sit aliquid dictum, vel revelatum à Deo, argo ex vi visionis non attingit illam, prob. ma., quia beatitudo formalis, aut ejus perpetuitas, cum sit aliquod creatum, & consequenter ex nihilo, potest deficere, ergo si esset objectum visionis, vel cognita per illam, aliquod defectibile esset ejus objectum, ergo illo deficiente pariter deficeret, aut falsificaretur visio &c.

Urg. hoc, quia datur aliquod aliud mysterium gratiæ non cognitū ab Angelis visione beata, cum ut supra insinuavimus, non sint omnia hujusmodi mysteria cognita ab illis per eandem visionem, ergo nec erit necessarium, quòd omnia videantur per illam à cæteris beatis, cons. tenet, quia quoad hoc est eadem ratio, nec minus fidei eorum succedit visio, quam fidei istorum, nec minus satiat rationale desiderium beatitudo unius, quàm alterius præcipuè quoad ea, quæ spectant ad fidem ergo &c.

Ad hoc, quod ità aliquibus visum est difficile ob ejus præcipuè 2. probationem, ut aliqui ex eadem convicti fateantur revera beatos non cognoscere, aut videre illam; alii verò & si id admittant, dicunt tamen non repugnare de potentia absoluta visionem falsificari: sed immeritò, quia adhuc tenentur solvere argumentum in habitu fidei) & aliis supernaturalibus, vel eorum actibus,) nam modo per habitum fidei, & sic proportionabiliter de aliis; inclinamur, & per illius actum tendimus ad idem objectum, unde primi tenentur eadem ratione asserere, quòd non credamus illam, quod est alienum, & posteriores, quòd eisdem habitibus possit sub esse falsum, quod iterum absurdum est, & contra communem consensum Theologorum.

Resp. ergo neg. ant. quoad utranque partē præcipuè loquendo in priori de mysterio per se pertinente ad fidem, ad prob. nego mi., ad 1. prob. vel nego ant., vel dist., nulla est reflexiva primariò, conc., secundariò nego: ex quo non infertur esse specificativam sui, quia ut vidimus supra, & ostendimus in logicis & alibi, specificatio non sumitur ab objecto secundario, sed primario.

Ad 2. ex doctrina infra de incorruptibilitate intrinseca Angelorum resp. nego sequelam, quia visio, & fides non respiciunt beatitudinem, & ejus perpetuitatem quomodocunque, vel absolutè, sed attenta ejus natura, vel secundum præsentem providentiam, & revelationem factam de æternitate illius, & in suppositione decreti de influxu perpetuo conservativo, unde ex eo quòd de potentia absoluta deficere possit, non rectè infertur falsificari posse visionem, sicut nec posse falsificari fidem, quia neutra dictat, aut attingit objectum perpetuò duraturum secundum quamcunque potentiam, sed posteriori modo, qua ratione nec falsificatur prædicta incorruptibilitas intrinseca Angelorum ex eo, quòd possunt illi, vel de potentia absoluta annihilari, quia non affirmatur convenire illis quomodocunque, sed attenta eorum natura, quod est verissimum, ut ibidem ostendimus.

Immò quia per fidem credimus modo, & videmus in Patria Omnipotentiam, & virtutem potentem se extendere ad omne non repugnans, sivè producendo, sivè annihilando, & creatura quælibet annihilabilis sit de potentia absoluta, eadem fides, & visio ità cenen-

nentur attingere beatitudinem, & ejus perpetu itatem, ut tamen credamus, & videamus possibilem absolutè, vel de potentia absoluta annihilari, ac proindè etiamsi præscindendo à præsenti providentia, & à merito naturæ ejus annihilaretur, non propterea deficeret ejus objectum sufficienter ad falsificandam fidem, vel visionem, ut patet similiter in fide aliorum mysteriorum, quæ dependent à suppositione decreti &c.

Ad confirmat. jam dictum est, quòd mysteria gratiæ, quæ visione beata non videntur ab Angelis, sed cognoscuntur extrà per revelationes, vel per se non spectant ad fidem, (& sic esse intelligenda superiora,) vel sunt de eorum circumstantiis per se quidem spectantibus, sed quorum cognitio non erit necessaria ad salutem in statu viæ, undè non est inconveniens videri ab aliis beatis intrà, & solum extrà ab illis.

§. V.

Solvitur argumentum contra ultimam.

Vltimò arg. ad probandum non videri à singulis, quæ pertinent ad suum statum. Si quilibet videret omnia pertinentia ad suum statum posset minor sanctus plura in Verbo videre, quàm major, consequens videtur inconveniens, ergo, ma. patet, quia contingere potest plura pertinere ad statum minoris, quàm majoris, nam plura v. g. pertinent ad statum D. Dominici, vel alterius Fundatoris Religionis, quam ad statum Joannis Baptistæ, qui (ut suppono) sanctior est, nam ad statum illius pertinent universa, quæ pertinent ad ejus Religionem, ergo minor Sanctus plura videret in Verbo; minor verò prob., quia quantitas beatitudinis correspondet sanctitati, ergo cum beatitudo essentialiter consistat in visione, inconveniens est asserere minorem Sanctum plura videre.

Explic., & neg. hoc primò, & simul iterum prob. eadem mi., quia plura videns in Verbo perfectiùs videt Verbum, ut docet D. Tho. hic in fine corp., & 3. part. quest. 10. art. 2., sed perfectiùs videns est magis beatus, ergo plura videns est magis beatus, ergo nisi velimus minorem Sanctum esse magis beatum, quod est absurdum in fide, repugnat minorem Sanctum plura videre &c.

Urg. secundò, & ulterius explicatur totum hoc. Quò plura videntur in Verbo, perfectiùs videtur Verbum, ergo contingere potest plura pertinere ad statum alicujus sancti, quàm videre possit in Verbo, ut si hic Sanctus, ad cujus statum multa pertinent, tam exigua merita, & gratiam habeat, ut non postulet tam perfectè videre Verbum, quàm requiritur ad illa omnia videnda in Verbo, tunc enim de superantibus merita, quæ pertinent ad sui statum, vel deberet plura videre, quam exigant merita; quod est absurdum, vel non videt omnia, quæ spectant ad sui statum &c.

Urg. tertiò: si quilibet videret omnia prædicta, B. Virgo videret omnia, quæ videt anima Christi, sed hoc est falsum, ergo, mi. patet, quia anima Christi perfectiùs videt Verbum, quàm B. Virgo, ergo plura videt in illo, ma. verò prob. quia omnia, quæ pertinent ad statum Christi pertinent etiam ad statum Virginis, cum sit Mater ejus, & omnia quæ pertinent ad statum Filii, pertinent etiam ad statum Matris, nam hæc naturaliter desiderat scire dignitatem Filii, & quæ ejus dominio subduntur: ex quo etiam infertur scire diem judicii, quod tamen non admittitur. Tum quia est Domina Angelorum, & hominũ, ergo omnia pertinent ad ejus statum.

Denique urg., Quia ad statum Angeli Custodis pertinent omnia possibilia evenire hominibus suæ curæ commissis, sed hæc omnia non videt in Verbo, ergo, ma. constat, quia ut docet D. Th. q. 8. de veritate ar. 3. ad 2., ad statum cujuslibet beati pertinent omnia illa, circa quæ debet habere aliquam operationem, Angeli autem Custodes debent aliquod operari circa ea, quæ debent evenire his, quos custodiunt, mi. verò prob., quia ut docet idem 3. cont. gent. c. 8., & infrà q. 112. ar. 3, Angeli inferiores non vident in Verbo, quæ agere debent, sed de illis instruuntur à superioribus Angelis.

Tum quia ut colligitur ex cap. 10. Daniel. Angeli Custodes populi Israelitici. & Regni Persarum ignorabant, quid esset agendum circa exitum Israelis de eodem regno &c.

Pro solutione hujus argum. cui variè respondent Auctores apud Cabret. 3. p. ubi supra disp. 3., & Illustris. Godoii hic §. 4. & 10: à S. Th. disp. 15. ar. 5. ad 6. Adverto primò ex M. Catalã dub. 2. ad 3. ibidem 3. p., habitus supernaturales perficere naturam subjecti in quo sunt juxtà propriam eorum indigentiam ex quo fit, quòd licet sit ejusdem perfectionis essentialis, & æqualis intensionis nihilominus in uno subjecto magis inclinat ad aliqua objecta materialia, ad quæ non inclinat, vel minus in alio, v. g. habitus charitatis in Petro magis inclinat ad diligendos proprios parentes, cognatos, & benefactores, quàm ad diligendos illos Pauli, in Paulo vero è contra, de quo D. Th. 22. q. 26. ar. 6. & 8. Similiter fortitudo inclinat strenuum militem ad aggrediendos hostes Ecclesiæ, non tamen ad similem actum inclinat Virginem Deo dicatam, etsi sit æqualis intentionis in illa. Religio æqualis iterum intensionis in nobis non inclinat ad sacrificia, & ceremonias, ad quæ inclinasset justũ in lege veteri.

Secundò adverto lumen gloriæ, ut jam insinuavimus, ordinari ad satiandum appetitum, & desiderium subjecti, in quo est, sivè oriatur idem desiderium ex naturali inclinatione hominis, sivè ex charitate, quia ad perfectionem beatitudinis pertinet, ut ut vidimus; satiare appetitum in quolibet beato, ergo lumen elicitivum illius ex natura rei ordinatur ad satiandum eundem appetitum.

Tertiò adverto cuilibet beato, ut personæ tali inesse naturale desiderium cognoscendi omnia, quæ pertinent ad illum ut sic, unde S. Pater Dominicus, v. g. Fundator nostræ Religionis connaturaliter desiderat cognoscere omnia, quæ fiunt in tota Religione. Deinde etiam in quolibet beato, quia rectissimè in omnibus procedit, oritur ex charitate desiderium videndi Deum, non ut cunq., sed tantum juxta mensuram charitatis gratiæ, & luminis gloriæ, nec aliquid ultra videre desiderat. Ex quo sequitur non omnes beatos videre in Deo easdem creaturas, quia non omnes easdem videre desiderant, quemlibet tamen videre tot, quot possunt videri per lumen gloriæ sibi collatum, & ideò majorem Sanctum, ad cujus statum, ut talis persona est, pauciora pertinent, quàm

ad statum minoris, tot creaturas videre in Verbo de non pertinentibus ad suum statum, quot exigit ejus, gratia, & charitas ut videantur &c.

Ex his resp. primò negando sequelam, quia licet M nor in eo casu plura videat de pertinentibus ad statum, non tamen, quòd absolutè plura videat, ant pluralitate suprà meritū beatitudinis, quia Major ex abundantiori gratia, charitate, & lumine (hac enim ratione est major) non solum videt ea, quæ pertinent ad suum statum, sed alia etiam juxtà mensuram charitatis, & luminis, nec solum pertinentia ad forum existendi, quæ dicuntur pertinere ad statum eorum, sed plura ex possibilibus ex vi majoris penetrationis essentiæ, & Omnipotentiæ divinæ, in quo præcipuè consistit excessus beatitudinis assentialis, unde non infertur prædictum inconveniens perfectioris visionis, aut beatitudinis in minori Sancto suprà majoram &c.

Sed instas. Potest fieri, ut plures creaturæ pertineant ad statum alicujus, quàm possint visione beata ab illo videri in Verbo, ut si supponatur habere lumen insufficiens ad videndum hæc omnia; si detur v. g., quòd Fundator alicujus Religionis sit minimæ sanctitatis, & consequenter non habere lumen ad videndum ità perfectè Verbum, ut videre possit omnia pertinentia ad statum suæ Religionis, ergo non subsistit, quòd ait D. Tho. quemlibet beatum videre in Verbo omnia pertinentia ad proprium statum.

Respond. transeat ant., & nego conf. cum Cajet. 3. part. ibidem, quia sensus D. Tho. est quemlibet videre formaliter omnia pertinentia ad suum statum, ad quæ sui lumen se extendere potest, cætera varò, quæ ulterius ad eundem statum pertinent videre in illo causaliter, quia ob meritum visionis beatæ, ad quam ut dictum est, spectat plenè satiare omne eorum rationabile desiderium, sivè ex naturali inclinatione, sivè ex charitate proveniens, debentur ei speciales revelationes extrà Verbum, quibus manifestentur ulteriora omnia ad illum pertinentia, & ad quæ lumen ejus formaliter pervenire non potest, unde universaliter est verum, quòd omnia videat sivè formaliter, & immediatè per visionem, sivè exigitivè, aut causaliter: cū verò D.Th. ibi agat de intellectu Christi habente perfectissimum lumen, supponit in illo fuisse sufficientissimum ad omnia videndum formaliter, quæ ad sui statum pertinent, scil. omnia præterita, præsentia, & futura, & ideò rectissimè infert omnia sic vidisse in Verbo, quidquid sit de aliis beatis universaliter loquendo: quamvis de Fundatoribus præcipuè Religionum credendum non sit, utpotè primitiis spiritus in illa, & à Deo assumptis ad magna operandum, quòd sint minimæ sanctitatis, sed magis electi ad magnam, & excellentem charitatem, & gloriam.

II. Ad arg. principale responderi potest concessa ma., si intelligatur similiter de pertinentibus ad forum existendi, seu de individuis, ut existentibus in aliqua differentia temporis, & tunc nego mi., quòd hoc sit inconveniens. Ad ejus prob. simul, & ad primam confirm., quæ est iterata probatio, dicimus cum Mag. Catalam hic, quòd ad verificandam hanc propositionem D. Th., Plura videns in Verbo perfectiùs videt Verbum, hanc conditionem requiri, & cum eadem esse intelligendum D. Th., scil. ut cætera sint paria, nam videns pauciora, sed multò perfectiora & hæc adhuc clarius, & intensiùs proculdubio videret Deum perfectiùs vidente plura, sed imperfectiora nec tam clarè, & intensè, nam perfectior requiritur visio, & penetratio causæ ad cognoscendum effectum perfectiorem, æquè, aut magis clarè, & intensè, quàm requiratur ad cognoscendum imperfectiorem ut patet. In quo sensu verissimè dixit D. Tho. qu. 8. de veritate ar. 4. ad 12. In divina essentia quosdam effectus, & effectuū rationes esse latentiores, & quosdam manifestiores. In casu ergo quòd minor sanctus plura videret, cætera non essent paria, quia major videret effectus perfectiores clariùs, & intensiùs, unde non infertur minorē perfectiùs videre Verbū, esto plura videret in illo. Deindè etiam accidere potest, ut eosdem effectus videntes in Verbo non æquè perfectè videant illud, quia ut insinuavimus, & tradit D. Th. eodem art. 4. ad 1., potest unus de eisdem effectibus visis in Verbo videre plures rationes intelligibiles, quibus subsunt divinæ providentiæ, quàm alius, & qui plures tunc videret, perfectiùs videret Deum, & esset beatior, quia ex vi perfectioris luminis videret intensiùs, & ex vi majoris penetrationis essentiæ, in quo præcipuè, ut dictum est, consistit excessus beatitudinis essentialis, quod etiam insinuat D. Th. hic in corp. exēplificans in eo, qui statim ex meritis sui intellectus elevati uno principio demonstrativo proposito ità illud penetrat, ut multarum conclusionum cognitionem accipiat, quod non convenit ei, qui debilioris intellectus est, sed opportet, quòd ei singula explanentur.

Undè etiam 3. cont. gent. c. 59, inquit. Ad comprehensionem Dei non sufficit, quòd cognoscantur omnes effectus, nisi etiam cognoscantur omnes effectuum rationes intelligibiles, quia ut supra explicādo rationem comprehensionis diximus, necessarium est, quòd cognoscatur quantum cognoscibilis est, & per hæc patet ad utramque probat., seu etiam ad primam confirm.

Sed præterea ad hanc dist. ma., & simul ant. secundæ: plura videns in Verbo perfectiùs videt Verbū, aut quò plura videntur in illo perfectiùs videtur, loquendo de visione plurium specierum transeat; individuorum ut existentium in aliqua differentia temporis, nego quod plura tantum videns ex his perfectiùs intensivè, & simpliciter videat Verbum, quia supposita visione naturæ specificæ, & proprietatum ejus, ad videnda plura individua quoad an est, vel quoad exercitium existendi non requiritur perfectior visio intensiva, nec perfectior penetratio divinæ essentiæ, sed tantum quòd beato manifestentur plura decreta libera divinæ voluntatis, ad quorum visionem, ut in superioribus explicatum est, ut plurimum requiritur major visio extensivè, nam quæcumque intensio visionis, & luminis sufficit ad ea videnda, si semel Deus manifestare velit, undè cum quilibet beatus de facto habiturus sit lumen sufficiens ad videndū totum ordinem Universi quoad naturas, & proprietates, ut vidimus ex D. Th., quilibet habebit lumen sufficiens ad videndum omnia individua quoad exercitium existendi, si Deo placuerit sua decreta libera revelare. Et per hæc patet ad utramque priorem confirmationem.

Ad tertiam nego ma., quia anima Christi videt multò plura possibilia; ad utramque prob. dicimus, quòd quia plura pertinent ad Christum, circa quæ B. Virgo non debet aliquid operari, ut sunt actus li-

beri

beri animæ Christi, & alia hujusmodi, non omnia, quæ pertinent ad Christum, pertinent ad ejus statum, undè licet ex quo est Mater, & constituta Domina mundi videat omnes creaturas per se pertinentes ad ordinem universi, non tamen videt prædictos actus, nec diem judicii, nec rationes omnes divinæ providentiæ, & consilii circa creaturas, quæ tamen omnia videt anima Christi &c,

Ex his etiam ad ultimam, nego ma., quia licet ad Angelos Custodes pertineat cognoscere personas, quas custodiunt, & ea, quæ secundum regulas communes divinæ providentiæ operari debent in illis custodiendis, quod tantum probat D. Thu. locis relatis, non tamen rationes omnes, quibus tales personæ subdi possunt eidem providentiæ, nec etiam, cognoscere an homines suæ curæ commissi, sint prædestinati, val reprobi. Neq; ad statum Angelorum moventium Cœlos pertinet scire, quando debeat finiri Cœlorum motus, aliàs cognovissent à principio suæ beatitudinis diem ultimum, quod, ut vidimus, negat Christus Marc. 13: Et per hæc etiam patet ad utramque prob. mi.: & auctoritatem etiam Danial. explicat D. Tho. infra quest. 113. art. 8. in corp. &c.

Ex dictis patet, quomodo libera Dei decreta dicantur manifestari beato, sicquòd ex visione eorum videat unus, quod non alius de objectis secundariis, seu creaturis: vidimus enim, quòd duobus modis (aliis omissis) id explicari potest; primo scil. non requiri aliud lumen, sed satis esse lumen gloriæ, dummodo divina voluntas illa ordinet ad intellectum beati, sicut insinuavimus, & latè explicatur infrà de locutione Angelorum, quod unus Ang. lus statim penetrat actum liberum alterius per idem lumen, & speciem, per quam cognoscitur substãtia, & voluntas Angeli loquentis, dummodo iste dirigat, & ordinet actum suum ad alterum, de quo etiam Salmaticenses disp. 7. dub. 3. conclus. prima num. 38., & alii relati: secundo & fortè faciliori, quòd licet non requiratur distinctum lumen, requiri tamen tria enumerata, nempè majus augmentum intrinsecum, non quidem intensivum, ut dictum est, (quia potirò quocunq; intensiori lumine adhuc potest Deus occultare illa,) sed extėnsivum importans quendam modum intrinsecum in habitu distinctum ab intensione, & consistentem in eo, quòd ad plura objecta materialia sub eadem ratione formali se extendat, ut prob. prima secundæ ubi supra quest. 52. art. 1., & quest. 54. 3 ut similiter diximus in logicis sustinendo simplicitatem ejus &c.: deindè majorem unionem extensivam intellectus beati cum divina essentia in ratione speciei, ex qua provenit, ut dictum est, quòd in exercitio repræsentat intellectui decreta, & eo plura, quò extensivè major fuerit; & deindè majorem Dei concorsum cum eodem intellectu ad producendam visionem, qui de lege ordinaria intra illum ordinem est debitus beato ex suppositione communicationis luminis extensivè majoris. De quibus videri possunt superiora, & D. Tho. infrà quest. 107. art. 1. ad tertium, & 1.2. qu. 57. ar. 3. & 22. quest. 171. art. 1., & q. 8. de veritate art. 12. ad 8., & q. 9. art. 4. ad 11.



QUÆSTIO OCTAVA.

Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ sit necessarium videre aliquam, aut omnes creaturas possibiles, hisque omnibus sivè intrà sivè extra verbum visis comprehendatur divina essentia, vel omnipotentia.

DUo comprehendimus, ut exprimit titulus, & major difficultas est circa secundum, an sequatur comprehensio ex visione omnium. Et quidem circa primum jam tetigimus in superioribus, & disputant Scholastici non solum hic ad art. 8. Cajet., Bannez, Zumel, & alii, sed etiam cum Mag. in 4 dist. 49., Mag. Soto q. 3. art. 3, Durandus in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. relata q. 3. duo asserens, primum visa divina essentia necessariò ex vi visionis ejus videri creaturas omnes secundum proprias naturas, ut possibiles, atq; ideò de facto sic videri à singulis beatis; secundum fieri posse de potentia absoluta, ut visa divina essentia nulla creatura videatur. Sed hoc secundum destruit primum, quia visio, qua nullam attingeret eadē specificè est cum visione, quæ de facto est, utpotè habens idem primarium objectum, ut fatetur Durandus, ergo si illa non constitueret videntem aliquam creaturam, jam visio, quæ de facto est, non habet ex sua ratione formali præcisè sumpta constituere intellectum videntem aliquam, sed ex hoc, quod talis, & tanta sit, scil. perfectione aliqua accidentali ab ipsa separabili, ergo sicut ad videndum aliquam necessaria est aliqua perfectio intensiva, vel extensiva, ità ad videndum plures inter se necessariò non connexas requiretur major perfectio, ergo nequit esse necessarium ex natura rei, qualibet visione remissa videri de facto omnes creaturas producibiles à Deo.

§. I.

Expeditur prima pars duplici conclusione.

PRima. Non est necessarium visa divina essentia videri in illa omnes creaturas, ut possibiles. Est expressa D. Tho. 3. cont. gent. cap. 56., eamq; ratione prima probat sic. Creaturæ videntur in Deo sicut effectus in causa, ut supra ostensum est, sed principio, vel causa non cognita comprehensivè non est necessarium ex vi visionis illius videri omnes effectus ab illa producibiles, ergo non est necessarium qualibet visione videri omnes; conf. tenet quia nulla de facto, immò nec de possibili est comprehensiva, ut patet ex superioribus: mi. supponitur ut certa à D. Tho., & patet in causis creatis, nonquam enim omnes effectus ab illis producibiles ex vi cognitionis earum cognoscuntur non cognita adæquatè, vel compre-

prehensivè virtute illarum, sicut nec omnes conclusiones cognoscuntur ex vi cognitionis principiorum, istis comprehensivè non cognitis &c.

Urg. eadem mi., nam quòd causa comprehensivè non cognita, sit necessitas videndi omnes effectus ex vi cognitionis illius, tantum oriri potest vel ex vi identitatis, vel ratione connexionis eorum cum illa, sed ex neutro capite est ista necessitas, ergo nulla est videndi omnes, ma. constat, quia non est aliud assignabile, mi. quoad primum de identitate patet, quia effectus secundum proprias rationes, secundum quas possibiles sunt, dicuntur realiter distingui à causa nisi velimus causam realiter confundere cum possibilitate suorum effectuum secundum proprias eorū rationes, quod esset realiter confundere meritum lineæ efficientis. Quo ad secundum verò de connexione probatur, quia virtute causæ comprehensivè non cognita non est necessarium, immò impossibile videri connexionem ejus cum omnibus effectibus in particulari secundum proprias singulorum rationes, ut per se patet, ergo nec potest esse necessitas ratione connexionis.

Secunda conclusio. Possibilis est visio divinæ essentiæ, qua nulla creatura in particulari secundum propriam rationem specificam videatur saltem de potentia absoluta, non tamen, qua non videantur creaturæ secundum communem rationis entis creabilis. Ità Capreol. in 4. dist. 49. art. 3. in solut. argumentorum cont. primam, Sotus quest. 3. concl. 3. Bannez concl. 5., & communiter Thomistæ &c.

Prob. prima pars: quia nulla est assignabilis repugnantia, ut uniatur divina essentia intellectui beatorum sic præcisivè repræsentans, scil. tantum divina, omissis, quæ virtualiter in illa continentur, ergo dabilis est visio, qua nulla in particulari videatur secundum propriam rationem specificam, prob. ant. nam si quæ esset maximè, quia divina virtus, vel omnipotentia nequit quidditativè cognosci, aliqua saltem non cognita secundum rationem specificam, sed hoc est falsum, ergo, prob. mi. Tum quia non est major ratio cur cognitio quidditativa omnipotentiæ pendeat potius ex cognitione quiditativa unius, quàm alterius in particulari, ergo vel non poterit cognosci omnibus in particulari non cognitis, vel nullius prout sic cognitio est necessaria ad cognitionem quidditativam omnipotentiæ. Tum quia, ut patet ex dictis, ad cognitionem quidditativam virtutis, aut potentiæ productivæ non comprehensivam satis est cognoscere communem rationem effectus ab illa producibilis, nam penetratio omnium in particulari, ut constabit in rā, non est pura cognitio quidditativa virtutis, sed comprehensiva illius.

Ex his etiam prob. 2. pars: quia nequit videri essentia non visa omnipotentia cum sit hæc de numero formaliter convenientium Deo, sed omnipotentia secundum propriam rationem formalem non est visibilis, communi ratione entis creabilis non visa, ergo nec est visibilis quidditativè essentia non visis creaturis secundum communem rationem entis creabilis, prob. mi., quia omnipotentia secundum propriā rationem formalem nequit quidditativè cognosci, non cognito hoc, nempè quòd sit tantæ efficaciæ & virtutis, ad producendum omne non repugnanter producibile, quam vis in particulari non videatur quid sit illud, quod sub ente creabili comprehenditur, ergo. Si verò inquiras an visio illa, qua visa essentia nulla creatura in particulari videretur, esset omnium remississima, affirmat Soto ubi supra, sed Cabrera 3. part. quæst. 10. art. 2. disp. 3. num 59., & sequentibus existimat adhuc posse unam visionem esse perfectiorem altera ex maiori præcisè penetratione eorum, quæ sunt formaliter in Deo, estò nulla creatura in particulari videatur, quod satis probabiliter explicat, & defendit, ut ait hic, & approbat M. Catalam dub. ult. &c.

Cont. 1. Arg. ex Durando, per quod etiam impugnari potest secunda. Non stat semel visa divina essentia videri aliquam creaturam, vel aliquod possibile, omnibus non visis secundum eorum essentiam, ergo vel nulla videtur, vel videntur omnes, prob. antec., nam quod una potius videatur quam alia ex vi visionis Dei, nec provenit ex parte divinæ essentiæ repræsentantis, nec ex parte luminis gloriæ, ergo vel nullam vident, vel vident omnes; prob. ant. 1. quoad 1. partem, quia essentia divina sicut naturaliter, necessariò, & æqualiter continet eminenter ut causa omnes creaturas ut possibiles, ità naturaliter, necessariò, & æqualiter omnes repræsentat, non enim repræsentat unam per aliam, nec mediante alia, ergo ex parte essentiæ non provenit, qòod videatur una magis, quam alia. Deindè quoad 2. part., quia neq; ex sua ratione formali, neq; ex majori, vel minori sui intensione id exigere potest lumen gloriæ, ergo nec provenit ex parte luminis, prob. ant. quia ex sua ratione formali non est determinatum ad videndum unam creaturam potiùs, quam aliam, sed indifferenter rēspicit, quæ continentur in Deo. Major etiam intensio luminis sufficit quidem, ut eadem objecta perfectiori modo videantur, at non ut videantur diversa, ergo.

Urg. hoc. Minimum lumen est sufficiens ad videndum omnia, quæ sunt formaliter in Deo, ergo à fortiori ad videndum omnia, quæ sunt eminenter in illo, sivè possibilia, prob. cons., quia major est perfectio solius Dei, quam omnium creaturarum collectivè &c.

Ad hoc, nego ant., ad probat., nego iterum ant. quoad utramq; partem. Ad prob. quoad primam quæ est argumentum Durandi, dist., & simul explico ant., ita naturaliter omnes repræsentat in exercitio respectu intellectus divini, conc., creati, nego & suppositum illius, quòd iste sit capax, ut sibi in exercitio repræsententur omnia in Verbo, quæ sunt eminenter in illo, ut constabit infrà, licèt ergo divina essentia absolutè, & secundum se sit repræsentativa omnium, & necessariò, & in exercitio repræsentet omnia intellectui divino, cui per identitatem est unita ut species adæquata, non tamen intellectui creato, sed modo limitato juxtà sui capacitatem, & juxtà mensuram luminis, cum neq; se extendere possit ad omnia, ut §. sequenti ostendetur.

Itaq; quòd una creatura potiùs quàm alia repræsentetur alicui beato ex triplici capite provenit. Primò formaliter, & proximè ex modo, quo unitur divina essentia intellectui, quia ut egregiè ait D. Tho. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 5. ad 4. *quamvis intellectui videntis Deum coniungatur ipsa divina essentia, quæ est omnium ratio* (scil. cognoscendi) *non tamen coniungitur ei prout est omnium ratio, sed secundum quod est ratio aliquorum, & tantò plurium, quantò quisq; plenius divinam essentiam intuetur.* Secundo provenit effectivè, & remotè, ut à prima cau-

causa ex libera Dei voluntate, qua suam essentiam voluit uniri intellectui hujus, vel alterius beati prout est ratio repræsentativa earum, quæ repræsentat, & non aliarum, qua ratione ibidem ad 6., vocat D. Th. essentiam divinam, speculum voluntarium, quia sicut se ostendit, cui vult, ità in se ostendit, quæ vult, in quo eam distinguit à speculo materiali in cujus potestate non est, quòd videatur, vel non videatur, & quod ostendat in se, vel non ostendat, quæ est capax ostendere; cum quo etiam stat, quod semel posito, quòd essentia divina sit unita, ut ratio repræsentandi aliqua, naturaliter, & necessariò illa repræsentat, tertiò provenit ex lumine gloriæ dispositivè, quia divina essentia semper unitur, (ut patet ex superioribus) juxtà exigentiam luminis.

Ad 2. prob. de lumine, quæ sumitur ex Vasquez hic disp. 50. cap. 5., & potest esse replica contra præc. proximam doctrinā, resp. hoc, quod est lumē gloriæ ad has species rerū videndas potiùs, quàm ad illas disponere, provenire, ut vidimus, ex maiori perfectione intensivè, & extensivè in subjecto, in quo est, quia si magis perfectum est, eò plures, & perfectiores species rerum facit videre. Quod verò intensio, & extensio habitus nova objecta materialia faciat cognoscere, patet in scientiis naturalibus, Quod autem ex individuis ejusdem speciei disponat ad videnda ista potius, quàm illa ex individuali illius differentia provenit, quia à subjecto, in quo est, individuatur, & ut supra explicatum est; ex subjecto in quo est supernaturalis habitus, provenit, quòd ad hæc potiùs objecta materialia, quàm ad alia inclinet.

Ad confirm., quæ iterum est Durandi, & replica ad probandum scil., quòd intellectus creatus est capax ad illa omnia videndū, si semel est capax ad videndū omnia divina, sivè formaliter contenta, cum non sint quid minus, immò majus, quàm virtualiter, vel eminenter contenta, cum Deus, & quidquid Dei est, sit quid infinitum per essentiam, tota verò collectio creaturarum possibilium per essentiam infinita non sit. Resp. ex D. Th. q. 20. de veritate ar. 5. & 3. cōt. gent. c. 56. ad finem, & hic art. 8. ad 3. quòd licet Deus sit quid majus, quàm tota collectio creaturarum, & etiam majus sit videre Deum, quam omnia alia, tamen majus est videre sic Deum, quòd omnia in eo cognoscantur, quàm videre sic ipsum, quòd non omnia sed pauciora, vel plura cognoscantur in eo, ut inquit ibidem, & rationem subdit ex dictis in corp., quia multitudo cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum. Itaque comparatio non debet fieri inter extrema divinum, & creatum quasi seorsim, sic enim divinum semper infinitè superat creatum sivè in linea essendi, sivè in linea cognoscendi, (quod solum probat eadem confirmatio) sed inter utrumq; prout creatum continetur, vel videtur in divino, ut effectus in causa, sic enim est in divino superās se ipsum seorsim sumptum, nam planè quid majus est Deus, ut continens eminenter creaturas, quam ut non continens, cum prout sic deesset sibi magna perfectio, scil. continentia, seù fæcunditas ad extra. Similiter visus cum creaturis in ipso, intentiùs penetratur secundum sui eminentiam, & actualitatem, quod perfectius est videri, quàm sinè illis, ut visibilibus in illo, ut per se patet, & manifestè etiam ostendit Div. Th. in fine relati cap.. quia divinam substantiam videri absque comprehensione ipsius, hoc fieri potest, ut jam fatemur omnes, sed quod omnia per ipsam, intelligi possint, & cognoscantur, hoc absque comprehensione probari non potest accidere, ut supponit à se ipso evidenter probatum, & innumeri eidem consentiunt, & latè ostendemus infra &c.

§. II.

Expeditur secunda pars de cognitione omnium possibilium in Verbo.

SEcunda concl. Impossibile est dari visionem creatam, per quam videantur in divina essentia omnes affectus, & effectuum rationes, ut possibiles. Hanc conclusionem probat ex professo D. Th. 3. cont. gent. c. 56. de veritate q. 20. ar. 5. In 4. dist. 49. q. 2. ar. 5. hic art. 8., & 3. p. q. 10. ar. 2. Præcipua ejus ratio est, quia repugnat ex vi visionis divinæ essentiæ prædicta omnia videri eadem essentia non comprehensa, sed implicat visiona creata divinam essentiam comprehendi, ut patet ex dictis ad art. 7., ergo implicat omnia illa videri, ma., in qua est difficultas statim manifestè ostendetur.

Ut ergo appareat efficacia rationis D. Th. in prædicta ma. consistens, adverto ex eodem, qu. relata de veritate art. 4, aliqua multa contineri in uno dupliciter posse contingere, uno modo divisim, & pluraliter, sicut plures formæ resplendent in speculo, unaquæque divisim, & distincta ab alia; nam alia est imago Petri, alia Pauli &c. Alio modo uniformiter sinè pluralitate, & distinctione sicut in una simplici virtute causæ continentur effectus sinè distinctione, & membra, vel rami arboris in semine. Quicunque igitur intuetur aliquid unum continens plura priori modo, opportet ut videat, quæ in eo continentur, quia unumquodque ità offertur, & repræsentatur videnti, sicut ipsum continens, undè semel videns speculum videt omnes formas in eo existentes, at non opportet, ut viso continente plura posteriori modo videantur omnia contenta in illo, nisi continens comprehensivè cognoscatur. Et ratio est, quia non repræsentantur per se primò, & expressè, & formaliter sicut ipsum contiaens, sed per continens, ut per medium priùs ratione cognitum ducitur intellectus in cognitionem illorum, undè quò perfectiùs cognoscitur continens eo plura ex contentis cognoscuntur, ac proindè ut omnia cognoscantur, debet continens omnimodè, seù comprehensivè cognosci, Cum ergo creaturæ non contineantur in Deo multipliciter, & divisim ut imagines in speculo, sed unitè in simplicissima ejus virtute, ut effectus in causa, cum reverà sit omnium causa, ideò divina essentia non repræsentat propriè creaturas, ut speculum, nam in speculo formæ impressæ, ut dictum est; repræsentantur distinctè non solum ex parte rei repræsentatæ, sed etiam ex parte repræsentantis, quia in illo distinctæ sunt; creaturæ verò in divina essentia non repræsentantur distincte ex parte repræsentantis, quia in Deo distinctæ non sunt, sed solum ex parte rei repræsentatę, quia nihil habent prout sunt distinctę in se, quod per divinam essentiam non repræsentetur, undè magis sunt in illa, ait D. Th., ut effectus in causa, vel cōclusiones in principio, quam ut imagines in speculo.

Ex

Ex his patet verissimam esse hanc conditionalem, cui innititur tota vis rationis D. Tho. Si Beatus videndo divinam essentiam videret omnia in illa, quæ continentur in Omnipotentia Dei, comprehenderet illam. Nam si cognitio effectuum in causa, supponit ex natura rei cognitionem causæ, immò habetur ex vi cognitionis illius, cum per causam, ut medium priùs ratione cognitum cognoscantur effectus, necessè est cognitionem plurium effectuum supponere majorem cognitionem causæ, & cognitionem omnium supponere maximam cognitionem causæ, ac proindè comprehensivam.

Prob. ergo concl. sic. Visio omnium possibilium in Deo viso, & ex vi visionis illius, ex natura rei supponit maximam, & consequenter comprehensivam Dei visionem, vel cognitionem, sed implicat intellectum creatum comprehendere Deum, ergo etiam videre in illo viso omnia possibilia, mi. constat ex dictis, ma. verò ex priori proxima doctrina; nam visio effectuum in causa, & ex vi visionis ejus, supponit ex natura rei cognitionem, vel visionem causæ, ut per se patet, cum per illam, ut medium priùs ratione cognitum cognoscantur, ergo visio omnium effectuum in illa, & ex vi visionis ejus supponit maximam, vel comprehensivam illius cognitionem &c.

Dices primò ex Scoto in 3. dist. 14. q. 2., negando suppositum hujus ant., quòd creaturæ cognoscantur in Deo sicut effectus in causa, sed magis sicut res in speculo voluntario, ut docet August. lib. de videndo Deum, undè licet cognitio omnium effectuum in causa, & ex vi illius inferat maximam, vel comprehensivam cognitionem causæ, non tamen visio omnium creaturarum, vel possibilium in Deo, comprehensionem Dei.

Sed hæc solutio jam præoccupata est superiori doctrina D. Th. ex discrimine inter speculum, & essentiam divinam in continendo, & repræsentando contenta in illis, undè licet hæc dicatur speculum voluntarium modo explicato, non tamen sunt creaturæ in illa propriè ut in speculo, sed tantum metaphoricè, propriè autem sicut in causa, cum revera sit proprissimè earum causa, & non speculum, quod non negat August. sed affirmat expressè de Civitate cap. 10. dum ait Angelos beatos per cognitionem *Matutinam* cognoscere creaturas in essentia divina velut in arte, *per quam factæ sunt*. Constat autem artem non habere rationem speculi, sed causæ efficientis respectu artefactorum.

Ex quibus argumentor sic: creaturæ eo modo, cognoscuntur in Deo, quo propriè continentur in illo, sed continentur propriè ut in causa, cum sit propriè causa earum, ut passim docent Patres, & etiam poterit constare infra de scientia Dei, ergo verè, & propriè cognoscuntur in illo, ut effectus in causa, & non solum, velut in speculo &c.

Urg. hoc ex eodem D. Tho. quæst. 12. de veritate art 4: nam hoc iterum est discrimen inter speculum, & essentiam divinam, quòd speculum propriè accipit species à rebus repræsentatis. Deus autem utpotè fons totius esse, continet, & derivat universas rerum species, & non accipiendo per resultantiam ab illis, sed magis ante illas à se perfectè possidendo, ergo nequit esse propriè speculum creaturarum, sed tantum metaphoricè, quatenus convenit cum illo in repræsentatio distinctè, & in particulari ex parte rei repræsentatæ, ut dictum est, cum discrimine tamen ex parte repræsentantis, prout in ratione virtutis simplicissimæ unitè continet, & repræsentat, in quo propriè obtinet juxta sui maximam rationem causæ, & non speculi.

Dices secundo ex eodem ibidem, quòd licèt causa perfectiùs cognita inferat pluriũ effectuũ cognitionẽ, nõ tamẽ infert perfectiorẽ cognitionem causæ, quia sicut hæc in essendo nõ indiget perfici ab effectu, ita nec in cognosci à cognitione ejus, vel ab illo, ut cognito. Tum quia qualibet causæ cognitio est sufficiens ad cognitionem alicujus effectus, ergo non esset cognitio causæ, ut causæ, vel principii, ut principii, ergo causa invariata manente quoad cognosci poterit ex illa cognita perveniri ad cognitionem omnium effectuum, quia non est major ratio respectu unius, quàm respectu omnium. Quod etiam patet à simili, nam invariata cognitione unius præmissæ si altera ei adiungatur, potest cognitionem conclusionis causare, in quo videtur D. Tho. in sui consequentia fallaciam consequentis committere &c.

Sed hæc solutio magis ipsa committit fallaciam non causæ, ut causæ, nam quòd crescat cognitio causæ crescente cognitione effectus non provenit ex dependentia, vel independentia unius ab alio, sed quòd si semel cognitio effectus est per causam, ut per medium prius ratione cognitum ex natura rei, ut patet ex terminis; supponit cognitionem causæ, & tunc juxta regulam summulisticam, quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita excessus ad excessum, tenentur asserere, quòd sicut eadem cognitio effectus ex natura rei supponit cognitionem causæ, major vel plurium eorum cognitio supponet majorem causæ cognitionem, & maxima consequenter maximam, quæ est legitima, & rectissima consequentia D. Tho. Undè iterum impugnatur: cognitio, aut visio effectus in causa, & ex vi cognitionis causæ, ut medii prius cogniti ducentis ad cognitionem illius, supponit ex natura rei cognitionem causæ, ergo cognitio plurium effectuum, supponet majorem cognitionem causæ, ergo cognitio omnium, maximam causæ cognitionem; utraq; conf. tenet juxta priorem regulam. Neq; id impeditur ob independentiam causæ ab effectu, sivè in essendo, sivè in cognoscendo, quia aliundè infertur, ut dictum est, ejusmodi augmentum cognitionis. Et potest hoc etiam impugnari, & retorqueri sic, nam quamvis causa in essendo non dependeat ab effectu, aut non perficiatur ab illo, nihilominus plures, & perfectiores effectus majorem exigunt, & supponunt perfectionem in causa, ergo licet non perficiatur ab illo in cognoscendo, plurium tamen cognitio in causa, & ex vi cognitionis illius majorem supponet cognitionem causæ, ac proindè eorum maxima, maximam causæ.

Nec etiam obstat, quod ait, quamlibet cognitionem causæ sufficere ad cognitionem alicujus effectus, & consequenter omnium, cum non sit major ratio de uno, quàm de alio. Nam iterum committitur fallacia non causæ, ut causæ; non enim est defectus ex hac parte, sed aliunde provenit, quòd causa visa manifestat uni intellectui in patria hunc vel illum, aut plures, & non alteri, ut dictum est § anteced. in solutione ad argumentum Durandi. Deniq; nec paritas, quæ assumitur de præmissa, officit rationi D. Tho., nam hæc, ut patet, procedit de causa visa, quæ ut visa est adæquatè manifestans, vel inferens in ratione visi cognitionem effectus, undè impossibile est,

quod manifestat plurea invariata manens in eadem cognitione, cæterum una sola præmissa in syllogismo non est adæquatè inferens cognitionem conclusionis, sed indiget altera præmissa, ut concausæ inferendi, & ideò quidquid sit, quòd possit hæc manens invariata in sui cognitione causare cognitionem conclusionis anteà non causatam, non tamen divina essentia perfectiùs non visa plures effectus manifestare videntur.

III. Alii respondent, & est frequentior solutio, quòd cognitio omnium possibilium in essentia visa non est, nec infert cognitionem maximam intensivam illius, sed tantum extensivam, licet autem repugnet prior, seu comprehensio intensive, non tamen posterior, vel tantum extensiva § Sed hæc solutio præoccupata est argumento facto. Nam cum possi. Deus unum effectum alio perfectiorem producere sine termino, & cognitio perfectioris effectus in causa supponat cognitionem causæ perfectiorem intensivè, cognitio omnium supponet cognitionem causæ perfectissimam intensivè, & consequenter comprehensivam. Unde argumentor sic: cognitio creaturarum in Deo est cognitio earum in causa potante unam alia perfectiorem sinè termino producere, sed cognitio perfectior effectus perfectioris in causa supponit cognitionem causæ perfectiorem intensivè, cum per illam ut medium prius ratione cognitum cognoscatur, ut dictum est, ergo si est cognitio omnium in illa erit maxima ejus intensiva cognitio, ac proinde intensive comprehensio.

Urg. hoc. Nam unumquodq; in tantum agit, in quantum est in actu, ità ut quò perfectior sit intensivè actualitas virtutis causæ, eò ad plura, vel perfectiores effectus se extendat, ergo impossibile est, quòd videantur omnes effectus in causa, & ex vi visionis ejus, non cognita adæquatè actualitate illius, ac proindè eadem non cognita adæquatè intensivè, cum actualitas sit prædicatum intrinsecum.§ Explic. hoc causa in tantum agit, in quantum est in actu, ergo non stat videri effectum in causa non visa actualitate causæ, ergo non stabit videri plures, aut perfectiores in illa non visa perfectiùs actualitate ejus, ergo non stabit videri omnes, non visa adæquatè eadem actualitate, & consequenter non visa adæquatè intensivè omnes; hæ consequentiæ tenent, quia ut dictum est, cum actualitas sit prædicatum ejus intrinsecum, non stat perfectiùs, vel adæquatè videri actualitatem causæ, non visa causa intensivè perfectiùs, vel adæquatè.

Explic. ulterius, & urg. totum hoc: quia repugnat omnes effectus videri ex vi visionis causæ, vel in causa, & causam non videri adæquatè intensivè, ergo vel non videntur omnes in illa, vel videtur causa intensivè adæquatè, & non tantum extensivè, prob. ant., quia repugnat videri omnes in illa, vel ex vi visionis ejus, & non videri adæquatè actualitate virtutis illius, nam secundum hanc, ut dictum est, causat effectum, & continet illum, sed repugnat videri adæquatè actualitatem virtutis causæ, & non videri adæquatè intensivè causam, nam quantitas intensiva causæ attenditur secundū quantitatē actualitatis virtutis ejus,& quantitas actualitatis virtutis attenditur secundum ea, in quę potest, ut tradit D. Tho. loco relato ex cont. gent. ratione 3., ergo impossibile erit quòd in causa, vel per causam, ut medium priùs cognitum videantur adæquatè omnes effectus, causa, vel actualitate virtutis non cognita penetrativè quante sit, quod est intensivè comprehendere, & non purè extensivè. Et ratio omnium est, quia si aliquid lateret de actualitate virtutis causæ, deberet pariter latere aliquid videntē de producibilitate effectus, cū secundū hanc actualitatem non visam contineat, & producet effectum, ergo tota adæquatè, non tantum extensivè, sed etiam penetrativè, & intensivè actualitate non visa, jam effectus, aut perfectio ejus ex vi talis actualitatis, producibilis videri non posset ex vi cognitionis causæ, quie non videretur causa, ut cōtinens illum. Unde est veluti implicantia in terminis dicere, quòd videantur omnes effectus in causa, vel ex vi cognitionis ejus, & non comprehendatur adæquatè intensiuè causa, vel actualitas virtutis ejus &c.

Dices his replicis, sicut & principali arg. neque adhuc ex his concludi comprehensionem, vel cognitionem adæquatè intensivam illius, quia adhuc cognita intensivè secundum omnem respectum, seu continentiam creaturarum, est aliquid aliud non apparens ex vi cognitionis earum, nam ex vi istius cognitionis solum potest apparere id, quod est de linea participabilis in causa, cum creaturæ non spectent nisi ad lineam participationis, in causa autem sunt plura, quæ participari non possunt, ut aseitas, infinitas, puritas actus, primitas causæ, perfeites supernaturalis, præcipuè in nostra sententia, in qua, ut vidimus, repugnet substantia supernaturalis, & alia ejusmodi; sicut & connexio identitatis, quam habet ejus virtus, sivè Omnipotentiæ cum aliis attributis, sinè cujus cognitione comprehendi nequit. Prætereaquamquod collectio omnium possibilium non est terminus adæquatus Omnipotentiæ, tum quia hæc etiā connectitur cum creaturis repugnentibus, cujus signum est, quòd ut ostendimus suprà, si modo creatura non repugnans, fieret repugnans, non maneret Omnipotentia, quæ modo est. Tum quia probabile est Omnipotentiam Dei sub eadem ratione virtualiter indivisibili esse productivam personarum ad intra, & creaturarum ad extrà, ac proindè creaturas possibiles non esse terminum illius adæquatum, sed tantum inadæquatum &c.

Sed hoc solutio, quæ plura subtiliter tangit, impugnatur primò quoad omnia sic, quia non stat Deum sub una ratione semel comprehendi, non comprehensum sub omnibus, ergo si ex cognitione possibilium comprehenditur, ut causa eorum, ab. o. utè, vel sub omni ratione erit comprehensus §. 2; & urg. præcedens, quia non stat essentiam divinam semel intuitivè, aut quiditativè cognosci, quiditativè non visis omnibus divinis, seu quæ quiditativè, aut formaliter illi conveniunt, ergo nec stabit semel comprehensivè cognosci, omnibus divinis non comprehensis; antec: latè patet ex dictis, conf. prob., quia non minus connectuntur, & identificantur in ratione visibilis purè quiditativè, quàm in ratione comprehensibilis &c.

Quòd si dicas non requiri ad primum, lumen infinitum, nec cognitionem simpliciter infinitam, benè vero ad hoc secundum, qua ratione, ut etiam patet ex dictis, à nullo intellectu creato comprehendi potest. In contra est, quia non minus est infinitum unum prædicatum, vel attributum divinum, quàm quodlibet aliud, ergo si semel ex visione omnium possibilium in essentia visa infertur comprehensio ejus, vel quoad aliquod illius prædicatum, negari non potest

test, quoad alia. Immo ex hoc neganda est visio omnium in illa visa, quia eo ipso quòd sequitur comprehensio alicujus prædicati divini, vel essentiæ sub aliqua ejus ratione necessarium est etiam lumen, & cognitio simpliciter infinita, quæ est impossibilis creaturæ &c.

Et quamvis juxta præfatam opinionem admittatur collectionem creaturarum non esse terminum adæquatum omnipotentiæ à toto genere virtutis productivæ, est tamen adæquatus illius, ut causæ seu virtutis creativę, cum ad intra non detur ratio causæ, & causati, vel creati, ergo non stabit semel videri omnia possibilia in essentia, vel omnipotentia visa, ejus actualitate non comprehensa in ratione causæ, vel virtutis causativę, cum non stet comprehendi sub una ratione, omnibus non comprehensis; vel nisi comprehendatur sub illis impossibile erit videri omnia in illa visa &c.

Ex his etiam manet impugnatum, quod tangitur de creaturis repugnantibus, & iterum de prædicatis incommunicabilibus, Quia nequeunt videri omnia possibilia in essentia, vel omnipotentia visa, non visa perfectè, & comprehensivè adæquatè ratione participabilis, sed hæc nequit perfectè, & comprehensivè videri non visis ex parte Dei prædicatis, quæ ad extra participabilia sunt, & quæ participabilia non sunt; & ex parte creaturæ, quæ non pugnanter, vel possibiliter se habent, & quæ repugnanter, vel impossibiliter, cum nequeat perfectè, vel comprehensivè videri unum extremum, non viso altero sibi opposito, eò vel maximè, quòd mala, negationes, vel hujusmodi repugnantiæ cognoscuntur per prędicata, vel formas oppositas, ut ostenditur infrà qu. 14. art. 9. & 10. ergo nunq; salvari poterit visio omnium possibilium in essentia divina sine ejus comprehensione tam extensivè, quam intensivè, & quoad omnia sui prædicata.

Dices quòd licet videantur omnia in eadem visa ad huc salvari defectum ex parte visionis, quòd nunquam sit cum tanta claritate, & intensione cum quanta Deus ea videt, quod requiritur ad meritum comprehensionis divinorum, cum divina non possint aliter comprehendi, nisi prout Deus ea comprehendit, unde à solo Deo comprehendi possunt.

Sed contra hoc est. Licet de facto ita sit nullum intellectum creatum posse divina intelligere cum tanta claritate, & intensione cum quanta videt illa Deus, supposito tamen quòd omnia possibilia in Deo viso videret, teneretur ad sic videndum pervenire, ergo non salvatur quòd omnia videat in illo sine perfecta comprehensione, prob. ant., non possunt omnia videri in illo viso, vel ex vi visionis illius, non visis omnibus eorum rationibus, at non possunt omnes istæ sic videri non penetrata adæquatè divina essentia, vel actualitate virtutis ejus, ergo non possunt sic videri nisi cum tanta claritate, & intensione, ma. patet, quia omnes sunt intrà lineã possibilium, ergo nequit verificari; quòd videntur omnia possibilia illis non visis; mi. etiam constat ex dictis, quia non penetrata adæquatè eadem actualitate aliquid restat videndum de effectu, cum secundum omnem contineat, & sit potens causare aliquid de producibilitate eorum, ac proinde semel omnibus possibilibus collectivè visis, cum nihil restet de illis videndum, nec restabit aliquid de divina essentia, vel actualitate virtutis ejus penetrandum, nec perfectiori modo videndum, quod totum efficaciter concludit ratio D. Tho. ut rectè ponderanti, & ex dictis facilè constare poterit.

§. III.

Solvuntur argumenta contra præcedentem Conclusionem.

PRimò arg. ex D. Th. quæst. 20. de veritate art. 4. ad 9., & impugnatur pręcedens doctrina. Procedebat autem argum. ex auctoritate Isidori asserentis, quòd homo assumptus non ęquatur Verbo in sciẽtia, & consequenter nec in numero scitorum; Cui respondet. *Dicendum quod homo assumptus non adæquatur Verbo in numero scitorum, quamvis sciat infinita, quia adhuc non sequitur, quod sciat omnia, quę Deus potest facere, ut ex dictis patet. Dato etiam quod omninò sciret omnia, quę scit Verbum, non æquaretur numero scitorum, quantum ad modum sciendi, quamvis esset equalis numerus utrobique*, ergo juxtà D. Th. possunt hæc duo componi, quòd omnia possibilia videantur, & quòd videantur deficienter in modo videndi, penes claritatem, & intensionem, & infinitatem &c.

Resp. D. Th. in hac posteriori solutione non loqui ex propriis, ut patet illis verbis, *dato etiam &c.* Unde sensus, aut mens illius est, quòd licet daretur non scit omnia quoad numerum, quæ scit Verbum, ut ait in priori solutione secundum propriam sententiam, hoc tamen adhuc admisso non infertur æqualitas scientiæ ejus cum illa Verbi, quia non desunt, qui asserant posse excessum salvari in modo sciendi; quamvis ipse sentiat oppositum, ut etiam patet ex corp. articuli, ubi expresse docet solum comprehendentem Verbum posse omnia cognoscere, quæ in ejus potentia continentur, constat autem comprehensionem Verbi, non esse cognitionem deficientem in modo, sed æqualem cum illa verbi, unde juxtà ejus doctrinam non stat æqualitas in numero scitorum cum inæqualitate in modo sciendi &c.

II. Arg. impugnando rationem fundamentalem. Ex eo quod beati videãt in divina essentia omnia possibilia nõ infertur ejus cõprehensio, ergo possunt in illa omnia videre, prob. ant. primò, quia ad cognoscendos effectus possibiles sufficit infinita cognitio secundum quid, vel extensivè, cum omnium possibilium collectio in ratione cognoscibilis adæquare nequeat intelligibilitatem divinam, sicut nec eorum entitas, & immaterialitas entitatem, & immaterialitatem divinam, ergo. Secundò, quia visio aliquorum in eadem essentia, non facit eam comprehendi, ut est causa eorum, ergo nec visio omnium faciet eam comprehendere, ut est omnium causa.

Tertiò: quia visio termini adæquati potentiæ generativæ, vel virtutis spirativæ ad intra, & in essentia, qualis est visio Verbi, vel Spiritus Sancti, non facit comprehendere virtutem generativam patris, vel spirativam patris, & filii, ergo nec visio in illa termini adæquati virtutis productivæ ad extrà, qualis est visio omnium possibilium, faciet hanc virtutem comprehendere.

IV.

IV. ,& Urg. præcedens. Visio omnium in Verbo, quæ Deus cognoscit per scientiam visionis, non facit hanc scientiam comprehendi, ut patet in anima Christi, cui hæc visio conceditur sine comprehensione 3. p. q. 10. ar. 2., ergo nec visio omnium in illo, quæ Deus potest producere faciet ejus Omnipotentiã comprehendi &c.

Quintò denique nam ex eo, quòd beatus cognosceret omnia possibilia extra Verbum non comprehenderet divinam Omnipotentiam, quia ut dictum est, perfectio omnium creaturarum collectivè sumpta non adæquat perfectionem divinæ virtutis, sed est longè inferioris ordinis, ergo nec comprehendet illam cognoscendo eadem intrà Verbum, cum etiam intrà sint ejusdem ordinis, aliàs creaturæ non erunt &c.

Ad hoc nego ant. Ad primam prob. patet ex dictis non posse ex vi visionis Dei cognosci omnia, ad quæ ejus Omnipotentia se extendit, nisi hæc cognoscatur totaliter, ac proinde cognitione infinita intensivè, Et ad illius prob. annexam pariter dictum est, quòd licat intelligibilitas omnium creaturarum seorsim lõgè inferior, & quid minus sit divina, ut tamen visa in essentia, seu ut cognita ex vi visionis ejus, non est quid minus, cum collectio omnium prout sic constituatur visa, & intelligibilis per essentiam, & intelligibilitatem divinam visam, immò, ut vidimus ex D. Th. hic ad tertium, quid majus est videre Deum sic, quod in illo omnia eminentar contenta videantur, quàm videre Deum, & non omnia, sed plura, vel pauciora tantum videre in illo.

Ad 2. nego conf., & disparitas est, quia pura visio alicujus, vel aliquorum effectuum non facit indispensabiliter videre omnem rationem, & modum, quo divinæ virtuti subduntur, nec omnia, quę in illis potest Deus facere, cæterum visio omnium stare nequit nisi cognoscantur omnes rationes, & modi, & omnia, quæ naturaliter, & supernaturaliter potest Deus facere, cum hæc omnia fiot de numero possibilium, & ideò infallibiliter infert cognitionem divinę virtutis totaliter, & simpliciter, quod est eam comprehendi.

Ad tertiam similiter resp. negando conf. ob idem discrimen, quòd terminus adæquatus virtutis, generativę, vel spirativę ad intra potest totus videri, sinè eo quòd videatur totaliter, idest secundum omnem eminentiam, & omnes rationes cognoscibilitatis, quę in ipso sunt, secundum quas comprehenditur ab intellectu divino, aliàs quilibet beatus de facto comprehenderet Deum, cęterum terminus adæquatus divinę virtutis ad extra, nequit semel videri in Deo, vel ex vi visionis ejus, & adęquatè non videri, ut dictum est, & consequenter semel videri in illo, non comprehensa Omnipotentia &c.

Ad quartam etiam patet ex dictis, unde nego conf. quia, ut vidimus, intra objectum scientię visionis est etiã Deus trinus, & unus, qui non tenetur comprehendi, vel adęquatè cognosci à quolibet vidente, ut immediatè dicebamus, & consequenter nec eadem scientia ex visione sui termini, vel objecti, at visio omnium possibilium in essentia visa, non potest non esse adæquata eorum cognitio, seu comprahensiva, ac proindè etiam comprehensiva erit essentię visio, illis omnibus in illa visis.

Ad Ult. constabit infra, sed interim admisso, vel conc. antec. nego conf., & disparitas primò est, quia ut cognoscantur omnes effectus extra Verbum in se ipsis non requiritur, ut videantur omnia contenta in Deo formaliter, & eminenter, eum creaturę prout in se ipsis non importent hanc continentiam, vel eminentiam, ac proindè talis cognitio inferre nequit cõprehensionem divinæ Omnipotentiæ, nisi fortè extensivè tantum, ut concedit Ferrar. 3. cont. gent. c. 59. § pro solutione prim., non tamen intensivè, quia dum videntur extra tantum, & non intra in causa, vel principio, à quo derivantur, jam non videntur causa, vel virtus ejus, sed tantum res, quæ est terminus ejus, & ità verificari nequit, quòd causa, vel virtus illius comprehendatur, sed tantum res, vel terminus in se ipsu, at verò in essentia divina videri nequeunt omnes effectus nisi videantur omnia, quæ sunt in Deo formaliter, & eminenter, quod est comprehendi Deum.

Secundò est disparitas, quòd effectus producibiles habent in divina Omnipotentia eminentiorem modũ essendi, quàm in se ipsis, undè dum videntur præcisè in seipsis extrà Deum non comprehenduntur secundum illum modum, quo sunt in Dei potentia, ac proinde dici nequit, quòd hec comprehendatur illis omnibus tantum visis extrà, benè verò si videantur intra, quia tunc videri non possunt in Deo, nisi videantur secundum modum, quo in illo sunt, & consequenter sinè comprehensione Dei &c.

Sed instas: ut videantur in divina essentia omnia possibilia satis est, quòd videant totam ejus virtutem, vel potentiam to am, licet non totaliter, sed quilibet beatus videt divinam virtutem, vel potentiam totam, ergo videt omnia illa in divina essentia, mi. patet ex dictis, nam divina virtus, vel potentia est formaliter in Deo, sicut & ejus essentia, sed quilibet videt, ut vidimus, essentiam totam, licet non totaliter, ergo pariter videt virtutam totam, licet non totaliter; ma. verò prob., quia nequit quidditativè videri virtus, non viso effectu, cum in ord ne ad effectum efficacia ejus attendatur, argo nec poterit videri tota non visis omnibus, ad quæ se extendit juxtà priorem regulam dialecticam &c.

Resp. ex D. Th. q. 20. de veritate ar. 5. ad 3. nego ma., ad prob. dist. ant., non viso effectu distinctè, & in particulari secundum propriam rationem specificam, nego, in communi, seu secundum communem rationem entis producibilis, conc., & dist. consequens, non visis omnibus distinctè, & secundum proprias rationes, nego, in communi secundum communem rationem entis producibilis, conc. quibus ergo beatus videt quidem divinam virtutem totam, quantum ad substãtiam virtutis, sed non quantum ad quantitatem ejus, & consequenter nec distinctè omnia, ad quæ se extendit distinctè, & secundum proprias eorum rationes, nam hoc non pertinet ad præcisum lumen quiditativum, vel secundum rationem sui essentialem, sed magis penetrativum, undè prout sic non stat semel videre totam, nisi etiam videat totaliter, visis omnibus in essentia, quia scil. nequeunt videri omnia in illa, non penetrata adæquatè ejus actualitate, ut ostensum est, quod est videri totaliter.

Ex quo etiam inferimus, quòd licet de facto videant aliquos, aut plures effectus, ut explicatum est, quia tamen hoc non habetur præcisè ex ratione formali luminis, nec visio aliquorum, vel plurium infert adæquatam penetrationem actualitatis virtutis, vel essentiæ, sed tantum corrispondenter ad effectus visos

sos, optimè stat, quòd visis aliquibus, vel pluribus, non sit necessarium videri omnes, immò nec possibile est salva comprehensione.

Sed adhuc instas. Non stat videre divinam virtutem secundum substantiam,& non videre illam esse infinitam,cum sit formaliter infinita, seù ratio infinitatis formaliter illi conveniat,ergo nec stabit sic eã videri non visis distinctè effectibus infinitis, ac proindè non visis omnibus, prob. conf., quia ut dictum est; quantitas virtutis attenditur in ordine ad suum terminum, vel effectum, ergo si semel nequit videri virtus infinita, non visa ejus infinitate, non poterit sic videri non visis distinctè infinitis, vel omnibus ejus effectibus.

Explic., & Urg. hoc. Stat videri infinitatem intensiuam virtutis in essentia diuina,utpotè formaliter illi conuenientem, & illam non comprehendi, ergo stabit videri in illa terminum ejusdem infinitatis, siuè infinitatem ejus extensivam sinè comprehensione; prob. conf. quia quando uni duo ordinatè conveniunt, si ex visione primi non sequitur ejus comprehensio, nec sequitur ex comprehensione secundi, sed utraq. infinitas Deo ordinatè convenit, & extensiva ratione intensivæ, ergo si videri potest prima Deo non comprehenso, poterit pariter videri posterior sinè comprehensione ejus.

Explic. ulterius: sicut in linea operativa convenit Deo ordinatè prædicta duplex infinitas, & extensiva ratione intensivæ, ita eidem ordinatè convenit infinitas in essendo, & infinitas in causando, & hæc posterior ratione prioris, at ex visione prioris in essendo non sequitur comprehensio,aliàs quilibet beatus de facto Deum comprehenderet,cum quilibet videat illã,utpotè iterum formaliter Deo conuenientem, ergo nec sequitur ex visione infinitatis in causando, ergò nec sequi poterit ex visione omnium ejus effectuum, siuè virtutis infinitæ causatiuæ. Prima conf. tenet ex præmissis; hæc verò posterior prob., quia ex visione omnium effectuum tantum sequitur visio infinitatis in causando, ergo si ex visione istius non sequitur Dei comprehensio, nec sequetur ex visione omnium eius effectuum &c.

Resp. ad instantiam dist. eodem modo ant., & non videre illam esse infinitam, non videra penetrativè præcipuè adæquatè, nego,quiditatiuè conc., & dist. conf., non visis effectibus infinitis, vel non visis omnibus in communi, vel secundum communem rationem producibilitatis, vel possibilitatis, conc.,distinctè, & in particulari secundum proprias eorum rationes, nego conf. Ad ejus prob., quæ potest esse replica, dist., si non posset quantitas virtutis videri non visa penetratiuè adæquatè ejus infinitate conc. loquendo etiam de omnibus in particulari; si tantum videatur quidditatiuè, nego,quia visio purè quiditatiua, ut dictum est, vel potest stare sinè penetratione, vel solam admittere penetrationem inadæquatam aliquorum, vel plurium effectuum modo explicato, non tamen omnium sinè comprehensione ejus, non tantum extensiva, sed etiam intensiua, ut probatum est.

Ad primam explic., vel confirm. dist. similiter, & explico ant., stat videri penetratiuè adæquatè,nego, purè quidditatiuè, vel penetratiue inadæquatè conc., & dist. consequens stabit videri terminum in communi conc, in particulari,& distinctè, nego,nam viso adæquate hoc posteriori modo, non solum infertur visio adæquata infinitatis extensinæ, sed etiam intensiuæ, ut sæpe dictum est. Ad ejus prob. iterum dist., & explico ma., nec infertur ex visione secundi sistendo in eodem gradu, vel paritate visionis transeat,vel conc., aliter nego, nam in casu si duplex est infinitas, scil. intensiua, & extensiva, si hæc posterior scil. ex parte termini, tantum videatur secundum communem rationem, non distinctè, & in particulari tunc neutra infert comprehensionem, sed cognitionem purè quiditatiuam, at si videatur secundum omnem terminum ejus distinctè, & in particulari, tunc non cõponitur cum pura visione prioris quiditatiua, vel penetratiua inadæquata, sed saltem à posteriori infert adæquatam penetrationem prioris, & consequenter comprehensionem illius, sicut adæqosta penetratio istius à priori infert visionem omnium distinctè. & in particulari secundum proprias rationes,quod est utrãque comprehendere.

Itaque si visio prioris est tantum quiditatiua,vel penetratiua inadæquata, tunc visio posterioris non infert comprehensionem prioris, quia tunc visio posterioris solum potest esse secundum communem rationem termini ejus, at nunquam stat, quòd visio posterioris sit visio termini secundum adæquatam rationem ejus distinctè, & in particulari, & prima sit purè quiditatiua. Unde nego suppositum, quòd tunc visio primi possit esse pura visio non comprehensiva.

Ad secundam similiter dist. mi. ex visione infinitatis in essendo non sequitur comprehensio Dei, si sit pura visio qiditatiua,ut de facto est in quolibet beato, conc.si esset penetrariua adæquata, ut est in Deo, nego, & dist. conf., nec sequitur ex visione alterius in causando,si sit tantum quiditatiua, vel penetratiua inadæquatè, ut etiam de facto est in quolibet beato, conc., si penetratiua adæquatè, ut esset visio omnibus effectibus in particulari, nego utramque conf., quià visio omnium in particulari non est visio quacũque infinitatis in causando, sed penetratiua adæquatè, ac proinde comprehensio ejus. Per quod patet ad illius probat. &c. Alia argumenta ex his, &ex superioribus solui possunt, & ideò omitto.

§. IV.

Resolvitur altera pars ex D. Thoma.

Altera pars de cognitione possibilium adæquata extrà Verbum duo similiter comprehendit, an scil. sit possibilis, & an ex illa etiam sequatur comprehensio divinæ omnipotentiæ, & circa utrumq; est etiam specialiter discrimen inter aliquos recentiores doctissimos Thomistas. Nam Illustriss. Godoii 3. p. tract. 10. de scientia infusa animæ Christi disp. 35. §. 15. conclus. 6. affirmat esse possibilem, licet neget eam de facto:eidem consentit Gonet hic disp. 5. ar. 5. §. 3. Idq. Suarez 3. p. ibidem disp. 27. sect. 4. tribuit Magistro, & Alexandro Alensi, nec impossibile judicat. Oppositum tamen docet ibi M. Catalam ad q. 11. art. 1. dub. 1. concl.secunda, & ad secundum, M. Jo. à S. Tho. q. 10. art. 2. num. 25. & M. Ferre hic tract. 3. q. 9. §. 8., qui tamen §. 10. convenit cum eodem Illus. ibidem ratione 2., & in solut. ad quartum, non esse scil. inferendam omnipotentiæ comprehensionem, si semel omnia possibilia viderentur

tur extrà Verbum in se ipsis, quod etiam concedit in eadem solut. M. Catalam, & supra ibi q.10.ar.2. dub. 3. in solut. ad tertium prob. secundi, sed negat à S. Tho. existimans cognitionem omnium possibilium quomodocunq; habitam sivè intra, siuè extra Verbum indispensabiliter inferre comprehensionem Dei: sed pro resolutione sit.

VI. Conclus. impossibilis est cognitio omnium possibilium, seu totius collectionis eorum etiam extra Verbum, ea tamen admissa non esset inferenda comprehensio Dei. 1. pars, in qua est ma. difficultas sumitur ex D.Th. 3. p. q. 13. ar. 1. ad 2., ubi negat de anima Christi per similitudines creatas rerum cognoscere, quæ Deus potest facere, quod quidem ex discursu ejus, (ut præoccupemus solutionem,) non solum intelligendum est de facto, sed etiam de possibili. Nam præmissa hac doctrina ibidem, quòd id, quod à superiori in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: ac proindè quòd in anima Christi, utpotè inferioris naturę ad diuinam, similitudines rerum non recipiuntur secundum quam eandem perfectionem, & virtutem, secundum quam sunt in natura divina, sicut non recipitur calor ab aqua in eadem perfectione, & virtute, qua est in igne, sic infert. *Inde est quod scientia animæ Christi est inferior scientia divina, quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectiùs cognoscit res, quam anima Christi, & quantum etiam ad numerum scitorum; quia anima Christi non cognoscit omnia, quæ Deus potest facere quę tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentię.* Ex quibus sic argumentor Scientia animęChristi, (& à fortiori quælibet alia quę cōuenit creaturæ) non solum est inferior scientia diuina, quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scitorum, sed itá est inferior quoad primum, ut non solum de facto, sed etiam de impossibili æquare possit quoad modum scientiam divinam, præcipuè simplicis intelligentiæ respicientis possibilia, ergo quia est inferior quoad numerum scitorum, non solum de facto, sed etiam de impossibili æquare eam poterit, se extendendo ad omnia quæ Deus potest facere.

Quod tenetur etiam fateri; (ni fallor) Illustris. Godoii conseq uenter loquendo ad id, quod docuit supra tract. 8. disp. 34. §.3., ubi solvens primum argumentum desumptum ex auctoritate D. Th. q. 20. de veritate ar.4 ad 9. ad probandum posse etiam intra Verbum haberi hanc cognitionem omnium possibilium, quia nempè D. Th., ut vidimus, explicans Isidorum afferentem, quòd homo assumptus, sivè anima Christi non æquatur Verbo in scientia, & cōsequenter nec in numero scitorum ait: secundò hoc etiam dato, quòd scil. æquaret quoad numerum, non tamen æquaret quoad modum cognoscendi, quasi D. Th. admitteret in hac secunda solutione, æqualitatē quoad numerum scientiæ animæ Christi cum scientia Verbi in visione beata,

Resp. idem Illustriss. D. Th. hanc posteriorem solutionem non tradere ex propriis, sed juxtà aliorum opinionem, ut nos etiam supra ex eodem explicavimus; quia loquendo ex propriis, ut fatetur loqui in priore solutione, expresse in illa negat præfatam æqualitatem, dum ait, quòd quamuis sciat infinita, non tamen scit omnia, quæ Deus potest facere, sed certum est, quòd loquendo de visione, vel scientia beata id esse etiam intelligendum de potentia absoluta, ergo consequenter loquendo ad mentem D. Th., & suam non videtur posse hic admittere possibilem eandem cognitionem extra Verbum, & non solum de facto, quia aliàs jam æquaret quoad numerum, licet non quoad modum cognoscendi.

Quòd si dicas non negari à D. Th., nec ab eodem Illustriss. eandem æqualitatem absolutè; sed tantum ad intra, vel in visione, aut scientia beata, quia nēpè in ista non stat sinè altera æqualitate in modo, cum infallibiliter inferat comprehensionem Dei, ut probat D. Th., non tamen ad extra, vel extra Verbum, quia ut nos etiam fatemur, admissa per impossibile cognitione omnium adhuc non infertur comprehensio, & consequenter nec æqualitas in modo; qua ratione D. Th. in secunda solutione eam admittit, juxtà aliorum opinionem, scil. prædictam æqualitatem in numero, quia isti putabant posse hanc saluari sinè alia in modo; undè videtur posse hinc magis roborari oppositam sententiam: etenim quia in eadem opinione saluatur ęqualitas scitorum quoad numerum sinè æqualitate in modo, admittit illam D. Th. juxta illorum opinionem, ergo quia pariter saluatur per nos extra Verbum una sine alia, tenemur ex D. Th. eam admittere saltem, ut possibilem extra illud &c.

In contra hoc est, & in primis ex his conuincere tur etiam de facto, quod negat idem Illustriss., nam auctores juxta quorum opinionem loquitur D. Th. in secunda solutione, admittebant, ut supponimus, & innuit idem Illustriss.ibi, etiā de facto. Secundò quia licet itá sit, quòd æqualitas in numero ad intra non stet sinè altera in modo sciendi, scil. infinito per essentiam, tamen absolutè negat etiam primam, ut patet in priori solutione data juxtà propriam mētem, ubi taliter eam negat, ut etiam si sciat infinita, adhuc tamen non sequitur, quòd sciat omnia, quę Deus potest facere, ut statim etiam constabit ex aliis locis referend s ergo &c.

Urg. hoc ex art. illo relato ex 3. p.: nam sicut ibi ex eo quòd similitudines rerum deficienter recipiuntur in anima Christi negat scientiam illius adæquare scientiam divinam in cognoscendo siuè quoad modū, siuè quoad numerum, itá deindè negat adæquare virtutem divinam in agendo, sed itá negat hanc posteriorem æqualitatem, ut non solum de facto, sed neque etiam de possibili ei conueniat, ergo ita etiam tenemur asserere, quòd neget priorem, ut nec de facto, nec de possibili eidem conveniat. Et licet in fine solutionis subdat, quod omnia quidem potest cognoscere sed non per omnem modum, non autem potest omnia facere, id tamen quoad cognoscere intelligendum est distributiuè, non collectiue.

Tum quia ibi paulò antea jam negaverat, ut dictum est, cognoscere omnia, quæ potest Deus facere. Tum quia itá apertissimè se ipsum explicaverat, & distinxerat in 3. ad Annibal. dist. 14. q. unica art. 2. ad 3., quod tale erat. *Quidquid Deus potest facere, potest manifestare, sed quidquid Deus potest alicui creaturæ manifestare potest, creditur animæ Christi esse manifestatum, ergo anima Christi scit quidquid Deus potest facere.* Cui atq. respondet. *Dicendum quod si distributivè accipiatur quidquid Deus potest facere, potest manifestare. Si autem intelligatur quasi collectivè, falsum est, non enim Deus potest facere, quòd aliqua creatura sciat, quidquid ipse potest facere,* quo nihil videtur clariùs ad rem nostram, & ad conclusionem stabiliendam, scil. tam de facto, quam de possibili.

De-

Deniq; hoc ipsum etiam docuerat q. 2. relata de veritate art. 5. ad 4. ubi ait. *Dicendum quod sicut non potest esse, quod sit factum, quidquid Deus potest facere, quia sic Deus fecisset tot, quod non posset plura, & sic ejus potentia esset limitata ad craturas actu existentes, ita non potest poni, quòd alicui creaturæ sit manifestatum, quidquid Deus potest facere, vel manifestare.*

Quòd si iterum dicas hinc potius colligi oppositum, nempè quod solum neget de facto, & affirmet de possibili, dum ait non esse manifestatum, quidquid potest manifestare, ubi apertè supponit posse manifestare, sicut dum dicit non esse factum, quidquid potest facere, solum negatur de facto, & supponitur potestas faciendi, aliàs simul affirmaret, & negaret.§ Sed contra hoc est,& quidem ex hac etiã auctoritate sumitur efficax argumentum pro nostra sententia licet apparenter juxta solutionem videatur favere oppositæ. Unde argumentor sic. Quamvis ità sit, quòd possit Deus manifestare, sicut potest facere quantum est ex parte virtutis divinæ, ita ut impossibilitas nunq; refundenda sit ad defectum illius, non tamen quòd possit possibilitate ex parte facti, ergo, prob. ant. evidenter ni fallor ex ratione ibidem D. Tho., & retorqueo solutionem: nam sicut dicit D. Tho. posse manifestare, ita pariter asserit posse facere, sed nihilominus ex ratione ejus non solum infertur negatio existentiæ facti, sed etiam possibilitatis ejus, ergo ex eadem non solum inferenda est negatio existentiæ manifestati, sed etiam possibilitatis ejus; conf. tenet, quia utrumq; infert ex prædicta ratione;mi. vero probatur, quia ratio ejus in hoc consistit, quòd si omnia collective faceret, quòd non esset aliud possibile fieri, jam esset limitata potentia ejus in agendo, vel faciendo, sed hæc ratio apertè etiam convincit de manifestare, quia si omnia collectivè manifestaret, quòd non esset aliud possibile manifestari, pariter esset limitata potentia ejus in manifestando, ut patet ex terminis, ergo sicut ex illa infertur impossibilitas ex parte facti respectu omnium factibilium collectivè, & non solum negatio existentiæ ejus, ità pariter inferenda est impossibilitas ex parte manifestati respectu omnium collectivè manifestabilium, & non solum negatio actualis manifestationis, Unde sicut ex eo, quòd dicatur Deum posse hoc facere non rectè infertur id posse fieri, ità ex eo, quòd dicatur Deum posse manifestare non infertur id posse manifestari, quia ait idem p. p. q. 25. art. 4. ad 2. *Deus quantum est ad perfectionem divinæ potentiæ omnia potest, sed quadam non subjacent ejus potentiæ, quia deficiunt à ratione possibilium*, unde ut monet art. antec. ibi in fine corp. *convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quàm quod Deus non possit facere.*

§. V.

Ratione prob. concl. quoad utramque partem.

PRob. primò quoad primam quod sit impossibilis ratione proximè insinuata ex D. Tho. Impossibile est quòd intellectus creatus possit ea scire, quæ à Deo manifestari non possunt, sed omnia possibilia collectivè à Deo nequeunt manifestari, ergo nullus intellectus creatus potest collectivè ea scire; mi. est D. Tho. loco relato de veritate; ma. autem constat, & præcipuè in sententia opposita ejusdem Illustris., qui concedit de facto & solum negat de possibili, unde nisi Deus vel per se ipsum, vel per speciem superadditam manifestet, impossibile erit ab intellectu creato cognosci &c.

Dices mi. esse D. Tho., & veram de manifestatione ad intra, non ad extra, quia manifestatio ad intra immediatè per suam essentiam, seu per similitudinam increatam non potest esse purè quidditativa, sed necessariò est comprehensiva, sicut, & cognitio eorum ad intra, ut latè patet ex dictis, sed manifestatio ad extrà per similitudinem creatam non est necessarium, quòd sit comprehensiva sicut nec cognitio illius prout sic, ut nos etiam dicimus, sed satis est,quòd sit quidditativa,unde semper posset Deus ulterius, & ulterius manifestare, scil. per aliam, & aliam in infinitum speciem clariorem.

Sed contra hoc est & in primis quidquid sit posse dari ad extra speciem repræsentativam omnium possibilium quidditativè tantum,non comprehensivè, quod contendit M. Ferre hic contra eundem Illustris. ex eo,quòd cũ sub omni possibili,seu sub collectione omnium possibilium veniat omne id, quod est sub omnipotentia Dei, & sub potentia omnis creaturæ, ac proinde stare nequeat semel omniũ quiditativa cognitio,quæ cõprehensiva non sit,sicut è contra stat ad intra quidditativa omnium formaliter Deo convenientium non comprehensiva, quia sub omni formaliter Deo conveniente non venit omne id, quod in virtute eorum habetur, in quo ait deficere exemplum, seu paritatem hanc adductam ab eodem Illustris.; quidquid inquam de hoc sit,insto sic ex D. Tho. ubi supra. Non minus Deus est illimitatus in manifestando, seu in genere intelligibili; vel repræsentativo, quàm sit in agendo, vel in genere entitativo, vel effectivo, sed quia est illimitatus in hoc genere,licet possit omnia facere, non tamen possunt ad extrà omnia fieri, quæ facere potest, salva illimitatione in eodem genere, ergo licet possit omnia manifestare non tamen omnia manifestari possunt ad extra, quæ manifestare potest salva illimitatione in isto, cons. tenet, nam ideò sequitur limitatio in altero genere, quia, ut probat D. Tho., si faceret tot, quòd non posset plura, ejus potentia esset limitata ad effectus actu existentes, sed eodẽ modo esset limitata ad objecta actu repræsentata, vel manifestata, si tot manifestaret, quòd non posset plura, ut iterum patet ex terminis, ergo sicut impossibilis est omnium collectivè productio, quamvis possit omnia producere, pariter impossibilis erit manifestatio, vel repræsentatio omnium collectivè, quamvis possit omnia manifestare.

Explic., & Urg. hoc. Ideò in genere efficientis,si Deus faceret collectivè omnia, quæ potest facere infallibiliter sequitur limitatio potentiæ ad creaturas actu existentes, itaut verificetur non solum non posse plura à Deo fieri, sed etiam non posse Deum plura facere, quia jam faceret, quòd non posset plura etiam ex parte sui, ut per se patet, & optimè probat D.Th.,sed etiam omnium manifestatio collectivè, quæ nempè Deus potest manifestare de possibilibus, importat tot manifestare, quòd non possit plura etiã ex parte sui,aliàs non esset manifestatio collectiua omnium, ergo etiam in hoc genere intelligibili esset exhausta facultas manifestandi, & consequenter limitata.

Quòd

Quod si dicas, ut supra, aliquid semper remanere de linea manifestationis, quia perpetuò per clariorem, & clariorem speciem, seu clariùs, & clariùs in infinitum, sicut clariùs, & clariùs, seu penetrantiùs, & penetrantiùs in infinitum possunt divina manifestari ad intra, etiamsi omnia manifestentur, sic quòd de formaliter convenientibus nullum divinum restet manifestandum.

Incontra hoc est, quia solutio est de subjecto non supponente, quòd in possibilium integra collectione aliquid omittatur, aut possit omitti tam ex parte objecti manifestati, quàm modi manifestandi, quod semel est de hac linea, aliàs in hac linea non esset adæquata collectio omnium, cum reuera ad extra totum pertineat ad lineam creaturæ, nisi velimus ad extra aliquid, quod de eadem linea non sit, quod est alienum; aliud namque est, prout considerantur in ratione repræsentabilis secundum modum, quem habent ad intra tenentem se ex parte eminentiæ Dei, ut supra insinuavimus, & dicemus infra, ad evadendem comprehensionem si per impossibile omnia repræsentarentur ad extra, nam modus iste repræsentabilitatis sumitur ex parte Dei, vel ex merito eminentiæ ejus, & non ex parte creaturæ, unde prout sic non tenetur venire intra præfatam collectionem, ac proinde nec intra lineam possibilium, vel creaturæ, quapropter adhuc non infertur comprehensio, omnibus purè ad extra manifestatis, cæterum omnis modus de linea manifestativa ad extra, integrè est de hac linea, scil. creaturæ, & possibilium, & ideò repugnat non venire intra illam, supposita adæquata manifestatione omnium, seu integrè manifestata tota collectione possibilium. In quo valde discriminatur à formali manifestatione eorum, quæ Deo formaliter conveniunt, respectu visionis beatæ, quia in illa non veniunt, nec venire possunt adæquatè respectu ejusdem, quæ spectant ad lineam divinitatis, cum intelligibilitas eorum sit infinita per essentiam, & in qua eminenter, & in virtute latet omne ens creabile secundum quamlibet illorum rationem, & differentias distinctè, & in particulari, unde optime stat, quòd visis omnibus Deo formaliter convenientibus, semper aliquid in infinitum remaneat manifestandum & videndum, nec unquã possint totaliter manifestari, licet totus Deus manifestetur.

Ex his ergo impugnatur sic. Repugnat dicere, quòd sit semel manifestata ad extra collectio possibilium, & sit solum tota manifestata, & nõ totaliter, ergo si semel esset tota manifestata à Deo esset exhausta ejus potẽtia ad extra in ratione manifestandi, itaut non esset aliud ad extra manifestabile à Deo, consequent, & ant. prob. Repugnat aliquid esse de linea manifestationis, seu repræsentationis ad extra, quod non sit de linea possibilium, ergo non stat esse semel totam manifestatam collectionem possibilium, & non esse totaliter manifestatam, nam quidquid extra assignari potest, totum omninò pertinet ad eandem collectionem.

II. Etiam principaliter prob. concl., & urg. præcedens ratio. Repugnat totam collectionem possibilium cognosci lumine, vel habitu non infinite intenso, sed repugnat dari lumen, vel habitum infinitè intensum, ergo repugnat totam cognosci, sive intrà, sivè extra ab intellectu creato, mi. supponitur, & latè patet ex dictis in physicis, quia esset, & non esset infinite intensus, quia ex natura, vel ab intrinseco habitus, vel qualitatis perpetuò ast intensibilis, cum spoliari nunquã possit hoc prædicato intensibilitatis, est enim proprietas qualitatis, sicut risibilitas, proprietas hominis, aliàs qualitas non esset, sicut nec salvo conceptu hominis removeri potest risibilitas radicalis ab illo per convenientiam prædicati intrinseci eidem oppositi, ut latè etiam expendimus 3. p. de satisfactione Christi circa justitiam ejus commutativam, & dato lumine, vel habitu infinitè intenso conveniret prædicatum intrinsecè oppositum intensibilitati, scil. non posse ampliùs intendi, aliàs infinitè intensus non esset, & quidem inter Thomistas id est certissimum; ma. verò prob., tota collectio possibilium est terminus adæquans divinam eminentiam, seu virtualem, & eminentialem continentiã Dei ad extra, sed ad cognoscendã hanc adæquatè requiritur lumen infinitè intensum, ergo pariter erit necessarium ad cognoscendam totam collectionem possibilium, ma. est certa, quia virtualis, vel eminentialis continentia Dei in ordine ad possibilia prout sic attenditur, ut in superioribus explicatum est, ergo tota eorum collectio adæquat divinã eminentiam, vel cõtinentiã; mi. etiam constat, quia divina eminentia, sicut est infinitæ intelligibilitatis, ità pariter est infinitæ penetrationis, nec enim est minus infinita in ordine ad ea, quæ latent, seu in virtute, & eminenter continentur in illa, quàm ut est prædicatum formaliter de numero apparentium in ordine ad Deum clarè visum, ergo &c.

Dices ex doctrina Illustriss. Codoii ubi suprà num. marg. 226. ità esse de cognitione eorum intra Deum, ubi non cognoscuntur ex vi propriæ intelligibilitatis, sed magis intelligibilitatis divinæ, quæ est infinita per essentiam, cæterum ad extrà licet importent infinitatem, quia tamen est tantum per participationem vel multitudinis, optime potest cognosci per lumen, vel habitum, qui infinitè intensus non sit.

Sed contra hoc est. Quamvis hoc discrimen sit sufficiens ad vitandam comprehensionem omnibus possibilibus tantum cognitis ad extra, non tamen ad salvandam adæquatam eorum cognitionem sinè lumine, vel habitu infinitè intenso, ergo, prob. ant. licet tota eorum collectio sit de linea participationis, habet tamen latitudinem infinitam correspondentem infinitæ latitudini eminentiæ Dei, seu virtuali continentiæ, ergo impossibile est, quòd possit exhauriri lumine, vel habitu non infinitè intenso; ant. est certum, quia ultra illam eminentia divina in continendo & causando non extenditur, cons. verò prob., nam omne lumen, vel habitus respiciens objectum habens latitudinem augeri potest, eòque intensior est, quò ad plura se extendit, ergo si semel respicit objectum habens latitudinem infinitam adæquatæ ad illam se extendens, erit infinitè intensus, ant. patet inductivè, & cons. etiam constat ex regula dialectica, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità secundum quid ad secundum quid, vel econtra, unde parum refert quòd sit infinita per essentiam, vel participationem, hoc enim habetur ex merito augmenti, & extensionis habitus respectu objecti semel habentis latitudinem infinitam &c.

Explic., & Urg. hoc invertendo paritatem. Nam lumen respiciens objectum habens latitudinem infinitam per essentiam, si adæquatè penetret illud, debet esse infinitum simpliciter, vel infinitè intensum per essentiam, qua ratione etiam probat D. Th. hic art.

art. 7. non posse Deum comprehendi, quia esset necessarium lumen simpliciter infinitum in ratione luminis & includens omnem perfectionem, quæ intrà latitudinem luminis intellectualis ut sic, reperitur quæ est infinitas repugnans lumini intellectuali creato, quodcunque sit, sivè etiam infinitè intenso, quia rapugnat includere formaliter, aut eminenter totam perfectionem luminis divini increati, per quod atiam probari potest de impossibilitate cognitionis omnium possibilium intra Verbum aplicando ad superiorem rationem conclusionis ex D. Th., ergo lumen, vel habitus respiciens objectum habens latitudinam infinitam, & adæquantem in ratione termini, (licet intra lineam participationis,) divinam eminentiam, si adæquatè penetret illud, vel ad omnes sinus illius terminatiuè se extendat, debet esse infinitè intensus, ac proindè si hæc infinitas saltem io via D. Th. repugnat, repugnabit cognitio adæquata ejusdem objecti, vel tutius collectionis omnium sub illo contentorum &c.

Dices his replicis, sicut & arg. principali etiam in favorem Suarez, quòd sicut lumen gloriæ ex propria ratione specifica in quocunque gradu sufficit ad vidēdum Deum clarè, & omnia, quæ ei formaliter conveniunt, à fortiori poterit dari lumen scientificum, quod ex propria ratione formali in quocunque gradu sufficiat ad videndam totam collectionem creaturarū possibilium, quæ est inferior Deo, & de pura linea participationis &c.

Sed contra hoc est, & in primis solutio probaret etiam de facto; nam si ità est, quòd lumen scientiæ in quolibet gradu est sufficiens, (ut docet Suarez) ad cognoscendam totam collectionem creaturarum possibilium, cum hoc lumen in Christo habeat summam intensionem possibilem de lege, sinè fundamēto negat ad omnia possibilia cognoscenda se extendere. Deindè impugnatur urgendo præcedentes replicas. Ex eo quòd tota collectio possibilium sit inferior Deo, vel de pura linea participationis, non infertur idem lumen non debere esse infinitè intēsum, sed tantum esse ordinis inferioris, & imperfectius essentialiter lumine gloriæ, ergo, prob. ant., tum quia optimè hæc duo componuntur, & quòd sit ordinis inferioris, & imperfectius essentialiter lumine glorię in quocunq; illius gradu, & insufficiens ad videndum Deum, ut videtur eodam lumine, & nihilominus sit infinitè intensum; quia sicut unum individuum ordinis superioris excedit infinita ordinis inferioris, ut sępe docet Cajet. cum D. Tho. ità unus gradus inteosionis luminis gloriæ excedit infinitos gradus luminis scientiæ infusæ. Tum quia licet lumen gloriæ in quolibet gradu sufficiat ad videndom Deum ut in se est formaliter, utpotè objectum omninò simplex, & formaliter indivisibile, ac proinde repugnet etiam de potentiaabsoluta videri secundum aliquid sui, & non secundum aliud, quia tamen secundum ea, quæ eminenter continet, virtualiter habet latitudinem infinitam, non quilibet gradus luminis gloriæ sufficit ad videndum omnia, quæ sunt eminenter in Deo, sed requiritur lumen infinitè intensum, ergo nec sufficiet quilibet gradus scientiæ infusæ ad videndam totam collectionem creaturarum possibilium habentam similiter latitudinem infinitam, sed erit necessarium lumen infinitè intensum. Cons. tenet ex dictis, quia omnis habitus, ut dicebamus; respiciens objectum habens latitudinem, augeri potest, eòque est intensior, quò ad plura se extendit, ergo adæquatè extensivè respiciens objectum infinitæ latitudinis, erit ejus lumen infinità intensum.

Urg. hoc retorquendo paritatem. Lumen respiciens objectum infinitæ larirudinis in ordine superiori debet esse infinitè intensum in eodem ordine, si adæquatè ad illud se extendat, vel penetret, ergo pariter lumen respiciens in ordine inferiuri objectum latitudinis infinitæ debet esse infinitè intensum in illo, si adæquatè ad illud se extendar, vel penetret; ant. patet in eodem lumine gloriæ respectu possibiliom ad intra, in ordine ad que habet virtualiter latitudinem infinitam; cons. verò iterum tenet ex adducta ratione augmenta habitus respectu objecti habentis latitudinem, nam sicut intensivè crescit, prout magis penetrat, vel ad plura ubjecta se extendit ejusdem latitudinis, ita tenetur in iofioitum crescere respectu objecti habentis infinitam, si adæquatè ad illam se extendat. Per qood etiam pręoccupantur aliæ solutiones, quia idem augmentum habitus proportionabiliter militat respectu cujuscunq; objecti habentis latitudinem, sivè hujus, sive alterius ordinis creati, vel increati, ut patet in eodem lumine gloriæ, quod hac ratione tenetur crescere respectu Dei in ordine ad ea, quæ continet eminenter, ut sunt possibilia, quia in ordine ad ea habet latitudinem, unde debet esse intensius, prout plura penetrat, & infinitè intensum, si omnia penetraret, ut fatemur nos Thomistæ, & sic etiam inductivè constat in aliis inferioribus habitibus scientiarum, unde infinitas per participationem, vel per essentiam non obstat huic augmento, & infinitati, quia non attenditur præcisè ex merito infinitatis, vel superioritatis ordinis, aliàs per nullum lumen creatum posset Deus quidditativè attingi, vel ut in se est formaliter, cum quodlibet sit finitum, & inferius, sed ex merito latitudinis, vel obiecti habentis illam, quod æque militat de utroque ordine, & infinitate, ut patet in eisdem exemplis.

Secunda pars concl., quòd non esset inferenda cōprehensio Dei si semel extra Verbum cognoscerentur omnia possibilia prob.: Quia adhuc sic cognita omnia non cognoscerentur secundum omnem modum, quo cognoscibilia sunt in Deo, ergo non comprehenderetur Deus. Cons, tenet ex superioribus, quia comprehensio est cognitio objecti quantum cognoscibile est ex parte illius, ut explicatum est, ant. veru prob., quia adhuc cognoscibilia sunt, ut dictum est; secundum eminentiorem modum essendi, quem habent in illo, vel ejus Omnipotentia, ergo præcisè cognita in se ipsis extra Dèum non essent cognita, quantum cognoscibilia sunt in Deo.

Explic. hoc. Quia effectus producibiles à Deo, ut dicebamus; habent eminentiorem modum essendi in illo, quàm in seipsis, ergo præcisa eorum cognitio extrà Deum in se ipsis nequit inferre comprehensionem Dei, prob. cons., quia præcisa cognitio eorum in se ipsis extrà Deum non est cognitio eorum secundum illum modum, quo sunt in Deo, aliàs non esset cognitio eorum extrà, sed intrà, ergo nequit verificari ex illis sic cognitis Deum esse cognitum quantum cognoscibilis est, quod est necessarium, ut vidimus, ad comprehensionem objecti. Unde poterat argumentum lormari sic: objectum non comprehenditur non cognitum, quantum cognoscibile est, sed ex possibilibus omnibus cognitis extra Deum in se ipsis non cognoscitur Deus, quantum cognoscibilis est,

ergo

ergo ex illis sic cognitis non cōprehēditur, ma. sum. tur ex definitione cōprehensionis, mi. constat ex proximè dictis, quia sic cognita extra Deum præcisè in se ipsis non sunt cognita secundum modum, quo sunt in Deo, ergo Deus ex illis sic cognitis non est cognitus quantum ex illis cognoscibilis est, quia adhuc potest ex ill s cognosci, ut cognitis secundum modum illum.

II. Prob. ex alio superiori discrimine. Ut cognoscantur omnes effectus extra Deum in se ipsis non requi. itur, quòd videantur omnia, quæ continentur in Deo formaliter, & eminenter, ergo potest habari eorum visio sinè illius comprehensione; cons. tenet, quia causa non comprehenditur non visa in se ipsa, secundùm omnia, quæ continet, ut patet ex terminis. Ant. vero prob., tum quia visio effectus in se ipso extra causam non facit causam videri, ut est in seipsa formaliter, & maximè in casu, in quo nequit causa videri ut in se est formaliter per speciem creatā, quia videtur effectus extra illā, cum divisa assentia, ut in se est formaliter videri nequeat per speciem creatam, ut latè probatum est, per quam solam viderentur omnia possibilia, ut supponimus, ergo: tum quia Deus non est causa creaturarum utcunque, sed suprema, & summè analoga, cum nulla creatura, nec omnes simul adæquare valeant perfectionem ejus, immò distent infinitè ab illa, sed in effectu analogo viso præcisè in seipso extra causam apparere nō potest tota perfectio causæ, & præcipuè iterum in casu, in quo plura sunt prædicata in causa, ut vidimus; quæ nulli creaturæ communicari possunt, ut modus primitatis, puritatis actus &c. Tum quia aliàs non esset effectus analogus, & deficiens ab eminentia causæ, sed univocus, vel adæquans ill.m, ergo ad præcisam in se ipsis cognitionem effectuum extrà Deum non est necessaria, immò impossibilis cognitio omnium Deo convenientium tam formaliter, quàm virtualiter, vel eminenter, ac proinde nec ejus comprehensio &c.

§. VI.

Solvuntur argumenta contra præcedentem conclusionem.

PRimò arg. contra 1. p. ex Illustriss. Godoy 3. p. ubi supra, & Gonet hic §. 3. disp. 5. art. 5. Auctoritate D. Tho. de veritate q. 20. art. 5. ubi docens animamChristi non cognoscere omnia possibilia, objicit sibi primò hoc argumentum. *Quicunq; scit majus potest scire minus, sed Deus est majus, quàm quidquid potest facere, ergo cum anima Christi cognoscat Deum, nullo modo cognoscere poterit, quidquid Deus potest facere.* Cui sic respondet *dicendum, quòd quidquid Deus potest facere est minus, quàm ipse Deus, & facilius posset ab anima Christi cognosci, si anima Christi per se offerretur quidquid Deus potest facere, sicut per se ei præsentatur ipse Deus. Nunc autem quæ potest facere Deus, vel quæ facit non offeruntur animæ Christi in se ipsis, sed in Verbo, & ideò ratio non sequitur.* Idq; etiam docet 3. ad Annibal dist. 14. q. unica art. 2. ad 2. ergo videtur apertè docere nullam esse contradictionem in hoc, quòd tota possibilium collectio cognoscatur ab anima Christi. Quod patet primò, quia si implicaret, non esset facilior cognitio eorum extrà verbum quàm cognitio clara Dei, cum hæc non implicet, & id, quod implicat non potest esse non implicante facilius, ergo si D. Tho. asserit esse faciliorem, sentit manifestè non implicare, 2°. Nam quod de facto non cog. oscantur à Christo, reducit D. Tho. ad hoc, quòd ei non offeruntur, vel non repræsentantur, at si impli aret eadem cognitio, melius ad implicantiam id esset reducendum, quàm ad præcisam neg. tionem actualis repræsentationis, ergo juxta D. Tho. in quidditativa possibilium cognitione nulla est impossibilitas &c.

Respond., quòd non videtur ex hac auctoritate posse aliquid legitimè concludi, nam D. Tho., ut tenemur omnes supponere) occurrens argumentis ad hoc præcipuè tendit, ut satisfaciat ad eorum intentum, intentum autem argumenti facti est concludere de facto, ut patet ex paritate visionis, & excellentiæ objecti ejus supra omna ens creatum, & creabile, unde ut D. Tho. evadat hanc conseq. ex paritate assumpta, satis est, quòd recurrat ad negationem actualis repræsentationis, licèt aliàs attento merito utriusq; objecti, si aliud non obstaret, facilior esset cognitio possibilium, quàm visio Dei, quia nempè Deus clarè visus est objectum infinitè excedens omnem proportionem cognitionis nostræ, quam non sic excedit collectio possibilium à toto illorum genere, cùm innumera sint de puro ordine naturali, & omnia de linea creaturæ, & consequenter finitæ intelligibilitatis si distributivè accipiantur. Cæterum simultanea eorum repræsentatio, vel manifestatio est impossibilis, ut probatum est, unde consultò ait D. Tho. conditionaliter, scil. *si animæ Christi per se offerretur quidquid Deus potest facere*. Conditionalis enim nihil ponit in esse; ac proinde non est inferenda possibilitas ex eo quòd afferat faciliùs posse cognoscere si per se ei offerrentur, quia hoc est purè conditionaliter dictum, & attenta præcisa inferioritate objecti, in qua facit vim argumentum, quidquid deinde sit an purificari possit hæc conditio possibilitatis ejusdem repræsentationis, & licèt ly *faciliùs*, videatur eam supponere, non tamen in casu puræ conditionalis, & attenta præcisè eadem inferioritate objecti, cùm tamen hac non obstante sint alia capita impossibilitatis, ut ostensum est. Nec proptereà opus erat, ut ad hanc recurreret D. Tho., tum quia argumentum de hac non contendebat, sed de cognitione de facto; undè difficultatem assumpsisset extrà illius intentum disputandam. Tum quia licèt ex illa à fortiori inferatur negatio cognitionis de facto, tamen cùm sit magis dubia, quàm cognitio de possibili, ut suppono ex eodem Illustriss., & aliis, qui ad hanc nobiscum consentiunt non dari; convenientiùs ad negationem repræsentationis solutionem reduxit quàm ad impossibilitatem.

In forma ergo nego cons. Ad 1. prob. nego suppositum, quòd velit esse quid facilius ex suppositione implicationis, sed magis ex suppositione opposita, quòd non implicet posse totam collectionem simul repræsentari, quia ut dictum est, attento merito utriusq; objecti (cui innititur argumentum) faciliùs est cognoscere creaturam, quàm Deum, nam argumentum fit à majori ad minus, undè directè huic satisfaciens ait, si per se offeratur, quidquid Deus potest facere, faciliùs cognosceret, quàm Deum, quod etiam verisimum est, quia semper creatura est quid minus, & Deus quid majus, sed an possit id fiari, nempè totam repræsentari non determinat ibi D. Tho., sed satis est illi, quòd actu non repræsentetur,

tur, ut plenè eidem satisfaciat: Immò oppositum, quòd sit impossibile, non leviter insinuat locis ibidem relatis. Ad secundam r ego similiter mi., tum quia, ut dictum est, non est ad intentum argumenti, sed magis assumere novam, ac graviorem difficultatem non tam facilè resolvendam. Tum quia asset reducere ad rem omnibus certã, ac proinde quasi addere vires eidē &c.

II. Arg. ex eodem Illustris.. Ubicunq; D. Tho. negavit animæ Christi, ut possibilem cognitionem omnium possibilium id probavit, quia ex illa sequaretur comprehensio omnipotentiæ intellectui creato repugnans, at hæc ratio non militat in cognitione collectionis possibilium extrà Verbum in seipsis, ergo de mente D. Tho. non implicat hæc cognitio: ma. constabit consulenti D. Tho.: mi. est nostra, & patet ex dictis, nam comprehensio causę non infertur nisi ex cognitione suorum effectuum in ipsa, & ex ipsa, quia non sic cognita non cognoscitur quantum cognoscibilis est. Tum quia tota possibilium collectio non adæquat divinæ omnipotentiæ cognoscibilitatem.

Ad hoc patet ex dictis, undè vel nego, vel dist. ma. Ubicunque negavit possibilem, ad intra conc., ad extrà nego, quia ut vidimus ex eodem locis relatis ad impossibilitatem magis repræsentationis, ejus, impossibilitas ad extra reducenda est, & atiam, ut probavimus, ad impossibilitatem luminis, quia nempè deberet esse infinità intensum, immò hoc erat præcipuum fundamentum aliorum extrà scholam D. Tho. ad probandum de facto animam Christi omnia possibilia cognovisse per scientiam infusam, vel saltem possibiliter juxtà Suarez, quia nempè cum non videatur per illam Deus ut in se est, nec possibilia in Deo, sed extrà Deum in proprio genere, non augetur ex tali cognitione visio Dei in se, nec est, nec infertur ex illa comprehensio Dei, undè est quasi dare vires adversariis contra D. Tho., qui saltem de facto apertè negat, & satis efficaciter colligitur ex eodem de possibili prædictis locis. Tenemur ergo omnes nos Thomistę huic argumento satisfacere ne videamur quasi illum aliquomodo adducere ad castra aliena contra seipsum, ac proinde conformiter ad ejus doctrinam loquendo de cognitione omnium ad extrà ex duplici præfato capite neganda est.

Præterquamquòd si ità ast, quòd ubicunque D. Tho. negat eam animæ Christi, negat ex eo, quòd sequeretur comprehensio; vel ergo contra D. Tho. asseritur, quòd non sequatur comprehensio, vel contrà eundem affirmatur possibilitas cognitionis, si non infertur comprehensio: vel quòd non rectè probavit impossibilitatem cognitionis ex impossibilitate comprehensionis, si semel stat eadem cognitio sinè comprehensione, unde iterum ex omni capite videtur solvendū ab omnibus, & ità cōvenientiùs sine ulla contradictione doctrinæ ejus tenemur asserera, quòd loquatur de cognitione omniū specialiter ad intrà, quàdo eam negat ex sequela comprehensionis, & non præcisè ad extrà, nam aliàs nec idem Illustris., nec ullus Thomistarum posset eam ut possibilem extrà Verbum defendere, sicut nullus potest ad intrà salva comprehensione.

Sad instas, si semel non obstat comprehensio, non est aliud assignabile obstans, ergo non est deneganda talis possibilitas: prob. ant. quia non est assignabile ex parte repræsentationis, neque ex parte luminis, ergo ex nullo capite, cons. tenet ex solutione data, & ex superioribus. Ant. verò prob., quia ex parte repræsentationis non est necessaria multitudo infinita specierum, nam una species potest esse principium intelligendi infinitas res numero, & specie distinctas, ut patet in supremo Angelo, qui eadem specie, qua cognoscit naturam animalis potest cognoscere omnes ejus species, & individua. Sed neque etiam ex parte luminis, quia non est necessarium, quòd sit infinitum, ut patet à fortiori in lumine gloriæ, quod licèt infinitum non sit, ex propria nihilominus ratione specifica in quocunque gradu sufficit ad videndum clarè Deum, ergo poterit dari lumen scientificum ax propria ratione specifica in quocunque gradu sufficiens ad videndam totam collectionem creaturarum possibilium, quæ est inferior Deo.

Huic instantiæ patet ex dictis, undè nego ant. Ad prob. nego iterum ant. quoad utramque partem. Ad 1. prob. quoad repræsentationem, transeat in primis ma. quòd non essent necessariæ species numero infinitæ (licèt hoc incertum sit, quia forte possibiles sunt infiniti naturales gradus gratiæ in infinitum, & specie distincti in modo participandi divinam naturam, sicut distinguuntur Angeli specie in modo participandi divinam immaterialitatem) quorum unus nequit ab intellectu humano cognosci per speciem alterius, sed possent plura, vel infinita syncathegorematicè, ant in determinato genere, vel specie per eandem speciem repræsentari, sicut repræsentantur plura per eandem speciem supremi Angeli, nunquam tamen dari potest, quòd per unam, aut per plures tota collectio possibilium repræsentetur ob rationem adductam ex D. Tho., quia sicut in genere efficiendi si tot produceret Deus, quòd non posset plura producere (ut contingeret productis omnibus possibilibus, cùm extra lineam possibilium nihil restet producendum, vel creandum) jam esset exhausta potentia Dei in hoc genere, ita pariter esset exhausta in genere manifestandi, vel repræsentandi, sit tot manifestaret, quòd non posset plura, ut similiter contingeret, manifestatis, vel repræsentatis omnibus possibilibus, cùm extrà eorum adæquatam collectionem nihil restet manifestandum. Et tunc nego mi. de lumine. Ad prob. annexam jam dictum est, inferioritatem, vel infinitatem per participationem in possibilibus, non excludere infinitatem luminis, quia adhuc esset, ut ostensum est, ordinis inferioris: & prætereà etiam probaret de facto, ut vidimus contra Suarez, & alios ex nostris, quod ipsi non concedunt. Quare autem lumen gloriæ non teneatur esse infinitum ad videndum clarè Deum, qui est quid majus, etiam patet ex dictis, & adhuc statim constabit ex dicendis &c.

III. Arg. ex eodem Illustris., & sumit iterum fundamentum ex D. Tho. in testimonio allegato, & potest esse replica coincidens tamen cum præcedente: si implicaret omnium possibilium quidditativa cognitio, ideò esset, quia infinita sunt, at hæc ratio est nulla, ergo non implicat. Prob. mi. infinitas Dei est major infinitate collectionis possibilium, cùm hæc sit tantum infinitas multitudinis, & per participationem, illa verò est infinitas per essentiam, sed infinitas divina non obstat, quominus possit ab intellectu creato per cognitionem finitam quidditativè cognosci, ergo nec infinitas collectionis possibilium obstare potest, quin ab intellecto creato, per lumen, cognitionemque finitam quidditativè valeat cognosci.

Ad

Ad hoc patet ex dictis 1. iterum esse solvendum eb omnibus, nam si aliquid probet, probat etiam de facto esse admittendam talem cognitionem, sicut de facto datur quidditativa Dei: & deinde è contra etiem probaret de facto nno esse edmittendam qniddireti-vem Dei, nam si obstante longè infer ori infinitate possibilium, non admittitur de facto quidditetiva eorundem possibilium, minùs admittenda erit de facto qnidditetiva Dei stante ejus infinitete in infinitum excedente.

Sed deinde pro omnibus claritatis gratia distingun ma. ut supra, quia infinita sunt, & habentia latitudinem in ratione objecti conc., aliter nego, & distinguo mi. est nulla, si præcisè attendatur infinitas, transeat; si etiam objectiva latitudo nego. Ad prob. dist. ma., infinites Dei est major, & habet latitudinem objectivam prout correspondet cognitioni quidditetivæ, sivè prout convenit Deo, ut in se est formaliter, nego, & non habet, conc., & dist. mi., non obstat, considerata prout sic conc., quia prout sic ut dictum est, est objectum formaliter indivisibile omninò, alitet, sivè considerate secundùm ea, quę continat eminenter, nego, nam prout sic cùm virtualiter habeet (ut dicebamus, & subtiliter ubi supra ad tertium expendit M. Catalent) latitudinem infinitam, non quodlibet lumen, aut quilibet ejus gradus sufficit ad videnda omnia, quæ sunt eminteoter in Deo, sed requiritur lumen infinitè intensum. Unde nec potest prout sic cognosci præcisè quidditativè, nisi etiam cognoscatur comprehensivè per lumen, & cognitionem infinitam, ut fatemur omnes: unde po etat iterum retorqueri, nam licèt Deus infinitete gaudens, si consideretur formeliter, ut in se est, possit purè quidditativè, & per cognitionem finitam, sivè totus, & non totaliter vel non comprehensivè ettingi, quia nempè prout sic caret latitudine, vel est formaliter objectum indivisibile omninò, non tamen si consideretur secundùm ee, quæ eminenter continet, vel secud um quòd virtualiter hebet latitudinem infinitam, ut iaten ur nos omnes Thomistæ, & patet ex 1. parte conclusionis, sic quod prout sic exigat ad sui attingentiam lumen, & cognitionem infinitam, nec aet semel attingi secundùm omnia eminenter contente, & non attingi totelitet, vel per lumen infinitè intensum, ergo pariter non stabit totem collectionem possibilium habentem latitudinem infinitam adæquatè attingi, & non ettingi per lumen, quod infinitè intensum non sit, ob rationem eddu&am, scil. eugmenti habitus, vel luminis usque ad infinitam intentionem, si semel objectum latitudinem infinitem habeat, & adæquatè secundùm eandem attingatur, ut supponimus attingi in cesu, si velimus omnia possibilia ettingi.

Sed insies, quie videtnr hæc doctrina, & solutio destruete 2. pettem conclusionis, nempè quòd non possint omnie attingi salva eorum comprehensione. Nam juxtà illam Deus secundùm quod habet latitudinem non solum nequit secundùm eam totam per lumen inteosivè non infinitum attingi, sed neque etiem purè quidditativè, & non comprehensivè, ergo etiam tote possibilium collectio habens infinitam latitudinem, non solum non poterit per lumen intensivè non infinitum attingi, sed neque etiam eam totam semel ettingi, & non comprehensivè.

II. Licèt Deus ut in se est formaliter sit objectum omninò indivisibile, est formaliter tamen infinitum, ergo si nihilominue attingi potest per lumen formeliter, vel ex sue ratione finitum poterit periter objectum habens letitudinem etiem infinitam ettingi per lumen intensivè finitum.

III. Ideò Deus prout sic potest per lumen finitum cognosci, quia potest tantum cognosci secundùm formeliter, & non eminentet contenta, sed etiam omnia possibilia possunt sic præcisivè cognosci secundùm prædicata formelie, & non virtualiter contente, ergo &c.

Huic instentiæ iterũ patet solvendam esse eb omnibus, qui tenent possibilem omnium creaturarũ cognitionem sine comprehensione: sed cleritatis gratia, ne fiat æquivocatio in prædicta 2. par., resp. quòd dum dicimus possibilem omnium creaturarum possibilium cognitionem sinè comprehensione non excludimus quamcunq; comprehensionem, sed Dei, sivè etiam illarum comparativè ad Deum, quie nempè, ut vidimus, non cognoscuntur prout sic, quantum cognoscibilia sunt, & consequenter nec Deus ex illis sic extrà Verbum cognitis in se ipsis, quantum cognoscibilis est, cum adhuc cognoscibilia sint secundùm modum aminentiorem, quo sunt in Deo, ac proinde Deus etiem ex illis sic alteriùs cognoscibilis, nempè secundum illum modum. Quidquid deindè sit, en tota eadem collectio nudè sumpta, ent præcisivè à Deo, sivè juxtà purum sui meritum, & non secundùm id, quod habet eminenter in Deo. vel ex meritis eminentiæ ejus, ratione cujus habent illum modum, possit semel cognosci, & non comprehendi, seu tota, & non totaliter, tunc enim videtur similiter affirmendum, quòd secundum modum illum objectivum, quem præcisivè, & distinctum habent, vel considerantur habere à Deo, nequeat semel tota, seu secundum totem sui latitudinem attingi, & non attingi totaliter, vel comprehensivè, sicut attingi nequit Deus secundùm totam suam, & non attingi totaliter, vel comprehensivè.

In forma ergo vel nego cons. ob discrimen assignatum, quie nempè Daus nequit semel secundùm totam sui latitudinem attingi, & non attingi quantum cognoscibilis est, cùm non sit alius modus assignabilis in aliquo eminentioti continente, secundùm quem possit ulteriùs cognosci, ut in eadem coll ctione contingit, ut dictum est, & ideò hæc in seipsa extrà Deum potest tota cognosci, & non totaliter, seu quantum cognoscibilis est.

Vel disting. consequens, non poterit tote, & non totaliter, vel comprehensivà, si cognoscatur ed intentum conclusionis, sivè quidem ad extrà, sed non præcisivè à modo, quo continetur in Deo, ergo, si purè præcisivè vel juxtà purum meritum sui modu explicato, transeat consequens. Sed modò non loquimur de illa in hac præcisione, sive etiem præscindendo à sui continentia in Deo intrà puram lineam vel ordinem creeturæ attendendo ad purum meritum sui, vel ad quod pure habet ex seipsa, sed etiam cum habitudine, quam tenetur adhuc prout extrà cognita habere ad Deum, vel ad sui continentiam.

Ad 2. iterum patet prubare etiam de facto, & ideò solvandam esse ab eisdem negantibus de facto. Sed deinde nego cons., nam hoc est discrimen inter finitum & infinitum ex una parte, & naturale, & supernaturale ex alie, ut vidimus in superioribus, quòd priora magis pertinent ad modum, quàm ad substantiam objecti, undè licèt illud si sit supernaturale, debeat lumen attingens esse supernaturale, & potentie su-

supernatnralizata, quia exigit prout sic modo supernaturali attingi, non tamen si sit infinitum, tenentur lumen, & potentia imitari modum objecti quoad infinitatem, sicut nec tenentur in modo attingandi, nam intrà spheram specificativam potentię, & luminis finiti potest contineri objectum infinitum, ut explicatum est, non tamen intrà specificativum luminis naturalis objectum supernaturale, unde potentia illud respiciens dicitur radicaliter supernaturalis, sivè ex sua ratione formali, vel coaptatione essentiali potens tendera ad illud, licet expectet efficaciam, vel vires superadditas ad actualiter attingendum, ut dictum est. Cæterum si semel habet latitudinem, sivè naturale, sivè supernaturala sit, sivè finitum, vel infinitum, cum habitus vel lumen tendens ad illud sit potens augeri, ut potest inductivè in utroque ordine, & de facto augeatur juxtà mensuram suæ penetrationis, vel extensionis ad illud, non stat quòd penetret, aut se extendat ad totam latitudinem objecti habentis infinitam, & non sit intensivè infinitum, ut apertè etiam patet in lumine gloriæ ad intra, sivè in ordine ad ea, ad quæ Deus habet virtualiter latitudinem, sivè ad aminenter contenta in illo, quod deberet asse omninò infinitũ si totã illins latitudinem, utpotè infinitam penetraret.

Ad 3. nego mi., quia videtur repugnantia in terminis, quòd attingantur omnia possibilia aliquo ommisso de linea possibilium, sicut omitteretur illis tantum cognitis qnoad formalia, & non qnoad virtualiter contenta, nam dum dicimus totam collectionem possibilium cognosci, totum comprehenditur, quod intra illam ingredi potast, undè si semel aliquid ommittitur, jam nequit verificari, quod totam collectio attingatur, ac proinde quod tota, & non totaliter; Cæterum in Deo possunt hæc duo præscindi, quia virtualiter, vel eminentar contentum non est de linea Divinitatis, sed creaturæ, undè optimè potest totus quoad sui formalia cogoosci, non cognitis omnibus virtualiter contentis, & ideò potest cognosci totus, & non totaliter, & lumine atiam non infinito adhuc in ordine ad quę habet latitudinem infinitam, quia potest non penatrari, immò impossibile est penetrari quoad hæc omnia, salva comprehensione, & sinè lumine infinito, ut dictum est. Quamvis nec iterum qnoad formalia possit totaliter attingi per adæquationem cum sui intelligibilitate, quæ utpotè infinita per essentiam infinità luperat omnẽ vim, & lumen cognoscitivum cteatum, & creabile &c.

Deniqne arg. contra 2. par.. ex M. Jo. à S. Tho. Causa in esse causæ, & virtutis essantialiter definitur per adæquationem suorum effectuum, quia licet in esse entis non sit dependens ab effectibus, vel non connexa cum illis, tamen in ratione virtutis, & activitatis, omnis ejns participabilitas includitur, & comprehenditur in adæquatione, & collectione omnium effactuum, quia omnes effectus sunt omnis perfectio talis causæ, ergo exhauriunt omnem participabilitatem ejus, ergo qui comprehendit omnes effectus comprehendit omnem participabilitatem causæ, sicut & omnem participationem, ergo & comprehendit omnem activitatem causæ, qoia activitas causæ, & virtutis æquivalet participabilitati causæ; non ergo potest videri totum genus ẽtis creati, & omnis rationes effectus comprehendi, nisi videatur tota activitas causæ, quæ est extrà totum genus entis creati, quia activitas, quæ potest in omne genus entis creati, creata esse non porest. Si ergo comprehenditur tota activitas, & ratio causæ ex adæquatione omnium effectuum, & ipsa activitas, & ratio cansæ in Deo formalissimè est idem, quod actualitas Dei, & ejus essentia, comprehensio virtutis in esse causæ, & virtutis est comprehensio in ratione essentiæ.

Explic., & urg. hoc. Tota collectio effectnum nihil aliud est, quàm participatio adæquata causæ primę ut causa est, cum tota ejusmodi participatio passivè accepta, utpotè da pura linea creaturæ adæqnans illam, seù comprehendens universum ens creabile, non possit aliam cansam extrà seipsam habere nisi primam, & increatam, ut patet ex terminis, sed repugnat hanc participationem adæquatè cognosci sivè intrà, sivè extrà Deum in seipsa, Deo ut causa prima adæquatè, seù comprehesivè non cognito, ergo repugnat totam collectionem possibilium, seù effectunm semel cognosci sinè comprehensione Dei; prob. mi., nam participatio duo importat nempè terminum à quo, scil. à quo fit participatio, qui in casu est Deus, seù prima causa in ratione causæ, & deindè terminum ad quem, qui est tota collectio effectunm in casu, à Deo creabilium exhauriens ejus participabilitatem, ut causa est, sed repugnat adæquatè semel cognosci hunc terminum participationis in ratione effectus non cognita adæquatè participabilitate causæ, cum nequeat prout sic non cognosci relativè ad illam, sicut nec causa ut causa sine relatione, aut cunnexione ad effectum, nam sicut hæc ut causa est, dicitur, & se explicat ad illum, ità effectus, ut effectus in ordine ad causam, ergo non stat adhuc extrà cognosci totam collectionem effectuum, ut effectuum, non cognita adæquatè causa ut causa, ità ut saltem à postariori ex adæquata cognitione eorum non inferatur comprahensio primæ causæ, ut causæ.

Ad hoc etiam patet ex dictis, unde disting. 2. consequens, ergo qui comprehendit omnem effectum comprehendit omnem participabilitatem causæ, quantum cognoscibilis est, nego, aliter transeat, vel conc., & similiter disting. 3. ergo, & comprahendit omnem activitatem caosæ, quantum cognoscibilis ast, nego, aliter transaat, vel conc. Itaque, ut vidimus, dum solùm cognoscitur collectio effectunm in seipsa, vel in seipsis extrà Deum nun cognoscitur secundum omnem modum, quo cognoscibilis est, seù secundum prædictum modum eminentialem, quo sunt effectus in Deo, ac proinde ex illis sic cognitis, non potest Dens cogoosci quantum cognosci potest, & consequenter nec comprehendi. Per quod patet ad alia, quæ subduntur, nam licet ratio causæ, & activitas ejus comprehendatur ex adæquatione omnium effectuum, si cognoscantur isti quantum cognoscibilas sunt, ut contingeret, si cognoscerentur omnes ad intra in Deo, ut probatum est, secus verò si ad extrà tantum cognoscantur in seipsis, nam & si omnes tunc, & omnium eorum rationes supponantur cognosci, adhuc restat aliquid de eorum cognoscibilitate non attactum, scil. qooad prædictum modum, quo sunt eminentar in Deo qui tamen non omittitur prout cognoscuntur ad intra, si tamen visio ad omnes in Deo se extẽderet, & ideò legitimè quidem infertur comprehensio Dei, non tamen ad extrà.

Ex his etiam facilè respondetur ad explicationem ad quam nego mi., ad prob. vel nego iterum mi., vel dist. non cognita adæqnatè participabilitate causæ, extensivè, vel terminativè, transeat, subjectivè,

vel

vel intensivè, aut in se ipsa. nego, quia adhuc ulteriùs cognoscibilis est secundùm modum illum, quo sunt in Deo, quia cũ non habeatur ex meritis effectus, sed causæ nequit in effectu cognito præcisè in se ipso apparere, & consequenter nec causa cognita prout sic in illo, vel ex illo. Quamvis etiam dici poterat juxtà superiora, quòd cum causa prima utpotè summè æquivoca, sive in infinitum excedens omnem effectum creatum, & creabilem plura habeat imparticipabilia sibi essentialia, ut dictum est, non solum non potest ex præcisa cognitione effectuum in se ipsis non cognosci comprehensivè, sed neque etiam quiditativè, sed tantùm quoad an est.

§. VII.

Corolarium ex dictis de modo cognoscendi in Verbo.

INferimus ex dictis, & tradit D. Thom. hic art. 10., quòd omnia, quæ videntur in Verbo non successivè, sed simul videntur; quia cum (ut latè probavimus suprà;) omnia quæ videntur in illo, per nullam similitudinem creatam videri possint, sed singula per unam eandem increatam, scil per essentiam videntur, per quam solam videtur Deus, & non per suas similitudines, aut species intelligibiles, cum nec aliter videatur objectum, quod non se ipso immediatè videtur, sed in aliquo alio, in quo ejus similitudo præexistit, nisi per eandem speciem objecti, in quo videtur, ut rectè probat D. Thom. hic art. 9. consequens fit, quòd omnia simul videri possint, quia quæ repræsentantur per unam speciem, simul omnia intelligi possunt, ergo de facto simul omnia videntur: anc conseq. non probat D. Thom., sed ut per se notam relinquit ex hoc quòd lumen gloriæ, & essentia divina ut unita per modum speciei intellectui beatorum non subordinantur libertati beati in producanda visione, sed ad modum causæ naturalis influunt secundum totum posse, ac proindè quidquid beatus videre potest, simul sine aliqua variatione videt à principio Et quidem supposito, quòd possibile sit omnia simul videri, sine ullo fundamento negatur ità esse de facto, quia sic videre magis decet perfectissimum illum statum beatorum, ut optimè advertit Cajetanus &c.

Urg. hoc. Nam visio beata est ejusdem omninò perfectionis sine ulla varietate in quolibet beato, ergo sine ulla varietate per illam videt quilibet simul actualiter, quæcunque videt in Verbo, conf. tanet, quia visio beata est essentialiter actus secundus, cujus affectus formalis est constituere intellectum actualiter videntem, sicut & qualibet actio constituit suam potentiam actualiter agentem, nisi velimus confundere proprietates rerum, ergo manens invariata constituit intellectum actualiter sine ulla variatione videntem, quia nequit effectus formalis variari forma invariata manente, ac proindè, quæcunque semel beatus videt simul, semper eodem modo videt: ant. verò prob. quia visio beata est formalis beatitudo essentialis, ergo perpetuò est ejusdem perfectionis, aliàs beatus non semper haberet æqualem beatitudinem essentialem, sed nunc foret magis nunc minus beatus, sive nunc cresceret eorum beatitudo essentialis, nunc decresceret, quod est absurdum. Tum quia omnia principia visionis beatæ semper invariata manent, non enim crescit, vel decrescit lumen gloriæ in beatis, sed semper est ejusdem intensionis. & divina essentia semper manat eodem modo unita intellectui beatorum in ratione speciei intelligibilis, quia unitur cui libet juxtà exigentiam, & quantitatem luminis gloriæ, ergo pariter visio semper est æqualis omninò perfectionis sine varietate, prob. conf., quia visio beata non est actio libera, sed omninò necessaria, nec est in potestate beati elicere eam, & non elicere, ergo nec est in potestate ejus elicere eam cum hac, vel illa perfectione, sed semper procedit à suis principiis æquali influxu, & toto conatu, quo influere possunt.

Dices visionem mutari in se accidentaliter non intensivè, vel in ordine ad objectum primarium, quod est divina essentia, sed extensivè in ordine ad creaturas, quæ sunt objectum secondarium.

Sed contra hoc est 1. Quia nequit in visione fieri mutatio extensiva, vel in ordine ad objectum secundarium, non supposita intensiva, & in ordine ad objectum primarium, ergo si nequit in illa esse hæc posterior mutatio, nec poterit esse prior; prob. ant., quia creaturæ ibi, ut ostensum est; videntur ex vi visionis essentiæ, & eò plures, quò perfectiùs eadem videtur, ergo non stat variari extensivè ex parte objecti secundarii sine variatione intensiva ex parte primarii. Tum quia nova extensio ad secundarium provenit ex novo modo influendi luminis, & essentiæ divinæ in ratione speciei, cum non sit alia causa assignabilis, ergo cum non admittatur in illis novus modus influendi, ut dictum est, nec poterit dari nova objectiva extensio.

Urg. lumen gloriæ, ut vidimus, est à principio æqualis semper perfectionis ad videndum, & divina essentia ad repræsentandum, ergo est sufficiens à principio ad videndũ omnes creaturas, quę ex vi illius videda sunt quocunq; tempore, & divina essentia ad repręsentandum, ergo possunt simul actualiter videri omnes, quia simul videntur, ut dictum est, quæcunque per eandem speciã repræsentantur. Videatur etiam D. Th. qu. 20. de veritate ar. 5., & 3. cont. Gent. cap. 60., ubi tribus rationibus id probat, quas egregiè explicat Ferrara ibidem.

Nec est audiendus Lorca 1. 2. qu. 4. disp. 25. membr. 4. asserens D. Thom. dum affirmat, non successive, sed omnia simul videri à beatis in Verbo solum velle, quòd cognoscantur una, & non multis visionibus, non tamen negare visionem præexistentem successivè attingere aliquod objectum nunc, quod priùs non attingebat.

Etenim hæc expositio manifestè repugnat textui, quia videre unum priùs, quam aliud, apertè contradicit huic, quod est videre omnia simul, aut simul omnia contemplari actualiter, aut considerare, sed hoc posterius sæpè repetit D. Thom. loco relato ex cont. Gent., ergo ejus oppositum est contr. textum, & D. Thom. Præterquamquòd ibidem ratione 2. expressè excludit hanc explicationem, & simul etiam præoccupat Scotum asserentem in 3. dist. 14. qu. 2. animam Christi (& consequenter à fortiori cæteros Beatos, qui non ità perfectè cognoscunt) non cognoscere actualiter, & simul omnia in Verbo, quæ scit Deus scientia visionis, sed tantum habitualiter, & in actu 1., contra quos ait D. Thom. *Summa, & perfecta felicitas intellectualis naturæ in Dei visione consistit, ut ostensum est*, (scil. cap. 25.) *Felicitas autem non est secundum habitum, sed secundum actum, cum*

sit

sit ultima perfectio, & ultimus finis: ea igitur, quæ videntur per visionem divinæ substantiæ, qua beati sumus, omnia secundum actum videntur, [ecca contra Scotum] *non ergo unum priùs, & aliud posterius*, ecce contradictoriũ præfatæ explicationi. Quod etiã apertè docuit Aug. lib. 15. de Trinitate cap 16. in fine dicens: *Non erunt volubiles cogitationes nostræ ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus*. Quæ verò objicit Lorca ut probet non videri omnia simul, ex superioribus manent soluta, præcipuè attendendo ad distinctionem illam rerum, quarum cognitio per se consequitur ad visionem, vel pertinent ad eorum statum, & aliorum, quarum cognitio per accidens eidem conjungitur, vel quæ ex sola Dei voluntate dependent, ut fiant, aut quorum scientia superat gradum luminis eorum; nam de primis specialiter dicimus omnia simul ab initio actualiter videri, & invariabilitar ob rationes adductas, quidquid sit de aliis de quibus extra Verbum possunt in dies fieri illuminationes, & instructiones, quod non tollit immutabilitatem visionis respectu eorum, quæ per se ei conveniunt, in quo etiam superant immutabilitatem Angelorum admittentium variationem, vel mutationem in operationibus sibi propriis, vel per se illis convenientibus, ut patet ex dictis de æternitate Dei, unde etiam excedit illos in sui mensura, quæ est æternitas per participationam, Angelorum verò ævum, ut ibidem explicatum est &c.

§. VIII.

Expeditur quæsitum de privilegio videndi Deum in via.

Duo comprehendit præsens quæsitum, alterum circa possibilitatem hujus visionis, alterum circa existentiam illius, an de facto alicui fuerit concessum hoc privilegium. Primum resolvit ex professo D. Thom. art. 11.; secundum verò tangit in solutione ad secundum, & ex professo examinat 2. 2. qu. 175. art. 3., & fusè etiam Bannez, Mag. Ferre hic tractat. 3. qu. 13., & sequenti, & Lorca 1. 2. in materia de beatitudine disp. 35., & quidem sermo est de lega ordinaria, & de puro homine, quia in Christo supposita unione ad Verbum, & statu comprehensoris non fuit novum miraculum, ut posset intelligere sine dependentia à sensibus, & convarsione ad phantasmata, de quo D. Tho. 3. p. qu. 11. ar. 2.

Resp. argo dicendo 1. quòd licet de cõmuni lege, & potentia ordinaria non elevetur anima puri hominis unita corpori mortali ad videndum Deum, id tamen non est impossibile cum indigentia tamen elevationis per miraculũ ad intelligendum sine dependentia à sensibus, aut per abstractionem ab operatione eorum. Prima pars est D. Thom. hic, & 1. 2. qu. 5. art. 3., 2. 2. qu. 180. ar. 5., & est fide certa, ut probat Bannez in comment. art. Et constat quia fide certum est visionem Dei, seu beatitudinem perfectam excludere omne malum juxta illud psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, & psalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eos*, sed præsens vita immunis esse non potest ab omni malo juxtà illud Job 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis*, sive ignorantiæ ex parte intellectus, sive inordinatæ affectionis ex parte appetitus, & multiplicibus pænalitatibus ex parte corporis, ut sobdit D. Thom. art. 3. relato ax 1. 2. cum D. Aug. lib. 19. de Civitate Dei cap. 5., & 3. sequentibus; unde rectè etiam hic ex illo Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet* sic concludit. *Quod ergo anima elevetur* (scil. puri hominis, & de lege ordinaria) *usque ad supremum intelligibilium, quod est essentia divina esse non potest, quamdiu hac mortali utitur*. Et ratio illius est, quia homo purus hic naturaliter non cognoscit aliqua nisi vel materialia, vel quæ per materialia cognosci possunt, sed manifestum est, quòd divina essentia nec est materialis, nec per materialia, aut per naturas rerum materialium quiditativè, & in se cognosci potest, cum in nulla earum, utpotè in infinitum distante penes ordinem, aut gradum immaterialitatis apparere possit, ut in se est, ut etiam patet ex dictis ad ar. 2. ergo.

II. Pars quòd non sit impossibile, ità pariter certa est, ut sine nota erroris non videtur posse negari; quia fide certum est, ut volunt Medina, Cabrera, & Alvarez qu. 9. relata ex 3. par. ad ar. 2.; Christum, ut hominem, sive animam ejus in corpore mortali divinam essentiam vidisse, & innuitur Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu patris ipse enarravit*. Quasi dicat Unigenitus qui vidit, ipse enarravit, certum est autem enarrasse, ut hominem in mortali carne viventẽ, ergo sine nota erroris non videtur posse negari de potentia absoluta animã puri hominis elevari posse ad illam videndam, cons. tenet, quia unio ad Verbum non tribuit animæ physicam capacitatem ad hanc elevationem, ergo secundum se ex propria natura habet illam.

III. Pars quòd indigeat prædicta elevatione ad intelligendum prob. simul, & explicatur: Nam hoc versatur discrimen inter viatores simpliciter, ut sunt cæteri homines, & Christum viatorem simul, & comprehensorem, quòd quia ipse simul erat Deus virtute divinitatis potuit efficere, ne per visionem impediretur ab operatione sensuum, cæterum purus viator, qui tantum in raptu, vel per modum transeuntis videt Deum, nequit hac libertate gaudere, quia ut docet D. Thom. qu. 10. de veritate art. 11. ad 3., & qu. 13. art. 3. ad 3. nimia attentio unius potentiæ, (& à fortiori summa, quam habet anima in visione Dei) abstrahit aliam à sua operatione.

II. Quia potentia intellectiua in puro viatore non est sufficiens ad tam intensam operationem, nisi ab anima subveniatur per id, quod debebat aliis potentiis influere, at verò in Christo, (& sic etiam in beatis;) potẽtiæ sunt perfectissimæ per supernaturalia dona, ac proindè in puro viatore impeditur visio sensatione, in his autem quęlibet potẽtia melius operari potest sine impedimento alterius; ut explicat D. Thom. in 4. dist. 14. qu. a. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4.

III. Quia in puro viatore lumen gloriæ est imperfectum, & per modum transeuntis receptum, in Christo verò (& idem proportionabiliter de aliis beatis) perfectum, & permanens est, ut docet idem qu. illa 175. art. 4. ad 2., sed sola Dei visio, scil. perfecta, seu per lumen gloriæ permanens liberat animam ab omni defectu tribuendo ei virtutem, ut cognoscat sine phantasmatibus, & ut prædominetur corpori, ac proindè visionem afficiat sine impedimento aliarum potentiarum, ut docet idem in 4. dist. 49. qu. 4. art. 5. ad

ed 3. ergo in solo Christo, & beatis stat visio cum operetione sensuum. non verò in aliis viatoribus semel videntibus Deum.

IV. Nã ex eo visio Dei in enima Christi non impediebat operetionem sensuum, quia Deus clarè visus eb illo aprehendebatur ut ratio omnium agendorum per sensus, nam ut ait D. Tho. in 4. proximè relato, quando unum est ratio alterius, occupatio enimæ circa unum non impedit occupetionem alterius circe eliud, sed per lumen purè transiens, ac imperfectum non sic videtur, aut epprehenditur à puro viatore, ergo ejus visio non componitur cum operatione sensuum §. Dico 2. Quòd nec videtur sine temeritete, & errore affirmari posse alicui puro homini fuisse concessum, ut permanenter toto vitæ tempore, aut megna ejus parte videret Deum, ut in se est.

Prob. quia est contra communem regulam Sacræ Scripturæ: *Non videbit me homo, & vivet, Exod.* 33. & non habet fundamentum in Scriptura, & Patribus, de quo videatur M. Porrecte ad c. 33. Exod concl. 4. §. *respansis &c.* §. Dico 3. probabile esse Moysi & Paulo fuisse hoc privilegium concessum videndi Deum in hac vite. De Moyse affirmat D. Basil. homil. 1. Exameron. non longè à princ. dicens; Feciem Dei æqualiter cum Angelis videre dignum esse factum. De Moyse, & Paulo docet Aug. tom. 2. epist. 112. c. 12., & 13. referens pro eadem sententia Ambros. tom. 3. lib. 12. de Genesi ad liter. c. 27. de Moyse, & c. 28. de Paulo. Et de utroque D. Tho. hic ad 2. & de Moyse 2.2. q. 174 art. 4.: de Paulo ex professo probat q. 175. art. 3. in 4. dist. 49. q. 2. art. 7. ad 4. de Moyse, & ad 5. de Paulo, & lect. 1. in cap. 12. 2. Corint. de utroq; in illa verba: *Scio hominem raptum usque ad 3. Cœlum*, & quòd raptus est ad Paradisum &c. Ubi de Paulo idem affirmant Beda, & Ansel., & alii relati à M. Bannez.

Deinde prob. ex D. Tho. hic ad 2., & q. illa 175. art. 3. ad 1. & ex his, quæ traduntur 3. p. de Christo nam ex eo prob. ibi conveniens fuisse, quòd anima Christi adhuc unita corpori mortali Deum clarè videret, quia Christus erat præcipuus Magister mysteriorum fidei, & ideò oportuit, ut clerè videret ea, quæ aliis credenda traderet, sed hæc ratio congruenter etiem militat de Moyse, & Paulo, cum alter esset primus Doctor Hebræorum, alter vero Gentium, ergo sicut probabiliter affirmere possumus de utroque; dico iterum probabiliter, quia negare non possumus plures ex PP. oppositum docuisse, quos latè refert Lorce, & sequ. eum Vasquez §. Dico 4. non esse dubitandum fuisse hoc privilegium concessum B. Virgini, si semel admittatur alicui concessum esse. Quia cum D. Tho. 3. p. q. 27. ar. 1. docent omnes Theologi præ omnibus aliis majora gratiæ privilegia accepisse juxta illud Luc. 1. *Ave gratia plena*, & rationabiliter quidem id creditur, inquit D. Tho. ex eo quòd genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis &c.

Sed inquires an ad aliquem alium Sanctorum liceat extendere hoc privilegium. Neget M. Bannez, sed si ad D. Stephanum Prothomartyrem extenderet, nec absurdum, nec improbabile aliquid affirmaret, ut fatetur M. Catalam hic ex eo quòd plures ex PP. consentiant, nam D. Greg. Nissen. oratione de eodem Sancto eb illa verba act. 7. Vidit gloriam Dei &c. asserit vidisse ipsum lumen divinum in lumine Dei plena mentis comprehensione, atque Deum, & Trinitatem, & Hiler. Arelat. ait. Jam tunc accepisse præmium, & vidisse Deum, & D. August. ferm. 96. de diversis, ait, vidisse revelata facie Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & Beda in eum locum inquit: Futuræ vitæ gaudia esse speculatum eo modo, quo Paulus cùm raptus est ad 3. cælum.

Non desunt etiam ex recentioribus, qui affirment de D. Benedicto moti quibusdam verbis D. Gregorii 2. dialogor c. 35. ubi eit, quòd *anima videnti Creatorem angusta fit omnis creatura*: sed D. Tho. oppositum sustinens 2.2. q. 180. art. 5. ad 3. & Q. odlib. 1. q. 1. art. 1. ex eisdem Gregorii verbis optimè probat eum non vidisse. Unde priori loco inquit. *Dicendum quòd ex verbis Gregorii non datur intelligi, quod B. Benedictus Deum in illa visione per essentiam viderit, sed vult ostendere, quòd quia videnti Creatorem angusta est omnis creatura, consequens est, quod per illustrationem divini luminis de facili possint quæcunque videri.* Unde subdit: *quantumlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breve fuit omne, quod creatum est.* Ecce quod epertè D. Greg. visionem illam reducit ad eliquid distinctum à divina essentia in se, licet objectum omne creetum etiam in tota sui collectione, quia comparativè ed Deum minimum quid est, & ferè nihilum, totum proinde fit de facili visibile, respectu videntis semel eliquid dei, & quod per illius lumen aliquid ultrà videri possit, quàm per quod licet inferius, sed hinc inferre visionem Dei in se, alienum est & magis contra mentem illius, si rectè verba perpendentur. Unde posteriori loco D. Tho. ad primum procedens ex ejusdem D. Greg. auctoritate inquit. *Dicendum quod Gregorius ex quadam proportione argumentari intendit in verbis illis,* (scil. enimæ videnti &c.) *si enim videntes Dei essentiam ex ejus comparatione totam creaturam reputant parvum quid ad videndum, non est mirum si B. Benedictus per lumen divinum aliud amplius videre potuit, quàm homines communiter.* Quibus satis eparet noluisse D. Gregorium per illa verba tribuere illi claram Dei visionem, sed quòd per idem divinum lumen aliquid amplius videre potuit, quàm homines communiter videant per inferius. Istud autem ulterius visibile distinctũ ab aliis communibus visibilibus non est visibile divinum, ut in se, nam supra alia communia visibilia possunt alia revelari, aut manifestari à Deo, quæ tamen non sunt statim confundenda cum supremo visibili, scil. divina essentia, ut visa in seipsa, aliàs non solum D. Benedictus, sed cæteri omnes, quibus arcanum aliquid divinitatis, vel cælestis patriæ revelatum est, divinam essentiam vidissent in via, quod est alienum, sed adhuc manifestius in corp. art. 1. ejusdem Quodlib. ostendit D. Th. ex eo, quod ut refert idem Gregorius, quando D. Benedictus in visione illa vidit splendorem, vel lucem sic mirabiliter irradiantem, ac in eadem persisteret, advocavit alium ad idem videndum, ergo tunc non videbat divinam essentiam in seipse, nam planè an hanc videndam non poterat sic alium familiariter advocare, tum quia non erat visibilis oculis corporeis, quibus videri potuisset ab elio. Tum quia hinc manifestè iterum infertur non fuisse tunc D. Benedictum huic vitæ funditùs mortuum, nec à corporeis sensibus alienatum, si semel aliud advocavit ad videndum, sed hoc erat necessarium ad videndum Deum in seipso, ut ostensum est, & probat ibi D. Tho., quia *corpus corruptibile*, inquit *aggravat*

vat animam, ut dicitur Sap. 9., summa autem elevatio mentis humanæ est, ut ad divinam essentiam videndam pertingat, unde impossibile est, ut mens humana corpori unita Dei essentiam videat, ut Aug. dicit 12. super Genesim ad literam nisi ex hac vita mortali funditus homo intereat, vel sic alienetur à sensibus, ut nesciat utrum sit in corpore, an extrà corpus, sicut de Paulo legitur 2. Corint. 12. sed adhuc constabit ulterius ex dicendis statim de Adamo.

Denique inquires de Adamo, an in statu innocentiæ sit hoc illi privilegium concessum, nam videtur eadem ratio de illo, ac de Moyse, & D. Paulo, cùm pariter creatus sit Magister generis humani, ob quam rationem dicitur conditum fuisse in statu adolto, & omnes scientias per se acquisitas fuisse illi per accidens infusas, ut posset sibi generare similes in natura, ut Pater, & in scientia ut Magister instruendo illos de Divinis tanquam primus Fidei Magister; ergo sicut hac ratione congruenter, ac probabiliter affirmatur de illis, poterit etiam affirmari de Adamo, ut aliqui sentiunt. & inclinat Fasolis hic dub. 3., & tribuitur D. August. 9. super Genes. ad lit. cap. olt., & D. Bernardo Serm. 2. Septuages. sed immeritò, quia licèt afferant quadam mirabili extasi fuisse elevatum ad intell genda mysteria, nihil tamen dicunt de visione Divinæ essentiæ.

Mirum etiam videtur, quòd D. Tho. ex professo agitans hanc difficultatem infra qu. 94. art. 1. solùm statuat, quòd secundùm meritum illius status hoc ei non conveniebat. Unde ait: *Dicendum, quòd primus homo Deum per essentiam non vidit secundùm communem statum illius vitæ, nisi fortè dicatur, quòd viderit eum in raptu, quando Deus immisit soporem in Adam, ut dicitur Genes. 2.* Quam particulam, (inquit Cajet.) fuisse additam, quia scil. posset aliquis dicere, quòd de speciali gratia Adam vidit Deum per essentiam, quando in soporem venit. Similiter procedit qu. 18. de Verit. art. 1. ubi ad 13. illum vidisse nullum reputat inconveniens; sed an ita contigerit sub dubio relinquit, determinans otrobique tantom, quòd secundùm statum ei non competebat, aliàs remansisset impeccabilis, quia status videntis Deum per essentiam immobilitat in gratia, sic quòd videntes in æternum peccare non possunt, in quo distinguuntur ab aliis purè transeunter videntibus, qui transacta visione adhuc peccare possunt.

Dico ultimò, Adamum in statu innocentiæ Deum non vidisse per essentiam. Ita jam communiter Theologi. Sumitur verò ex regula illa D. Tho. 3. p. qu. 27. ar. 6., quòd de hujusmodi privilegiis affirmandum non est, ubi Scriptura mentionem non facit; quia quæ dantur aliquibus præter Legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum secundum illud 1. ad Corinth. 10. [Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, quæ nulla proveniret ex privilegio, nisi Ecclesiæ innotesceret; sed de Adamo non constat expressè ex Scriptura hoc privilegium, sicut de Moyse aliquomodò innuitur Num. 12., ubi dicitur palàm, & non per ænigmata Deum vidisse, & de Paulo 2. ad Corinth. 12., ubi dicit, se audivisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hujusmodi autem videntur ea, quæ pertinent ad visionem beatorum, quæ excedit statum viæ, secundùm illud Isa. 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.*

Explic. hoc. Nam in Sac. Scriptura habemus expressam superiorem regulam negativam, *Quòd Deum nemo vidit unquam*; ergo nisi habeamus aliquam specialem exemptionem, vel exceptionem non possumus de aliquo affirmare sine aliquali læsione, aut violatione ejusdem Legis. §. Quòd si dicas haberi aliquomodò Genes. 2. 21. ibi: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam*, ubi Glos. ait: *Extasis invenitur ad hoc immissa, ut mens Adæ particeps angelicæ Curiæ, & transiens in Sanctuarium Dei novissima intelligeret.*

In contra est: & in primis ex hoc posset solùm inferri non esse oppositum statim damnandum ut inconveniens, ut innuit D. Tho. ubi supra. Deinde instatur, quia per hanc vocem *sopor*, ut patet ex ejus significato, nulla fit expressio visionis Divinæ essentiæ, quæ longè qoid sublimius importat, atque exigit, quàm purum soporem, sed vel totalem recessum ab hac vita, vel cessationem ab illa per aversionem, & alienationem à corporis sensibus, ut dictum est, & docet etiam August. super Genes. c. 27., & patet ex illo: *Non videbit me homo, & vivet*; scil. manens in usu, vel exercitio hujus vitæ, ergo si non licet aliàs affirmare, non supposita aliqua expressione in Scriptura non poterit ex hoc loco affirmari de Adamo. Ex quo etiam patet nec posse Glos. legitimè intelligi de visione Dei per essentiam, sed magis de cognitione profunda aliquorum mysteriorum Dei, quæ illi competebat secundùm statum innocentiæ &c.

Si verò adhuc opponas D. Tho., hoc non obstante, sive non obstante prædicta Lege communi Scripturæ, & regula ab eodem tradita, adhuc nullum reputare inconveniens id affirmare de Adamo: eò vel maximè, quòd nonquam absolutè id negat, sed sub dubio relinquit, & aliàs etiam urget ejus congruentia primatus magisterii, contra ipsum videmur nos absolutè negare.

Resp. eodem modo, tantùm inferri posse non esse id illicò damnandum, nam licèt ibi non fiat expressa mentio, est tamen aliquale fundamentum, saltem ad non reputandum inconveniens, vel ad affirmandum sub dubio, ut prodenter inquit D. Tho. ubi supra, non tamen absolutè, nam ad hoc requiritur aliqua expressio juxta eandem Legem, & regulam, & tunc in his urgere potest congruentia; quia debet esse congruentia facti revelati, ut contigit respectu Moysis, & D. Pauli, de quibus habetur sufficiens expressio, ut dictum est, ad absolutè affirmandum, saltem congruenter, & probabiliter, unde sola congruentia sine sufficienti revelatione, vel expressione non est sufficiens ad absolutè affirmandum in his, quæ dependent à libera Dei voluntate, & ordinantur ad utilitatem aliorum.

Quamvis autem D. Tho. absolutè non negaverit, sed magis sub dubio affirmet, ex eo quòd aliquid latenter videatur insinuari in prædicto testimonio adjuncta eadem congruentia, nihilominùs dum statuit præfatam regulam adeò fundatam in Scriptura, simulque docens esse visionem illi statui indebitam, sufficiens præbet fundamentum, ut possit magis resolutè negari, quàm affirmari; qua ratione ar. 6. relato ex 3. p. resolutè affirmat sanctificationem in utero de D. Jo: Baptista, & Jeremia, & ex opposito negat de aliis, quia de utroq; fit expressa mentio, de illo Luc. 1., & de isto Jerem. 1., non de aliis, unde de illis consequenter assignat ibidem congruentiam facti, seu fundatam in revelatione, sicut assignavit de Moyse, & D. Paulo

D. Paulo respectu visionis ubi supra. Et per hæc patet ad fundamentum ab initio quæsiti adductum in contrarium.

§. ULTIMUS.

Statuitur duplex Corolarium de cognitione habita de Deo in via.

AD complementum hujus Tractatus duo inferimos ex superioribus, alterum, quod etiā resolvit D.Tho. hic ar. 12., nempè etiam in via posse à nobis per rationem naturalem haberi cognitionem de Deo non quidditative, ut in se est, ut vidimus, sed tantum quoad an est, & quoad ea prædicata, quæ ipsi conveniunt, ut est 1. causa omnium rerum; ex hoc enim quòd aliquomodo Deum saltem imperfectè cognoscere possumus, rectè ab initio tanquam veluti à signo inferebamus non posse dici illum esse adæquatè extrà latitudinem objectivam, vel specificativam nostri intellectos, ac proinde elevari posse ad illum videndum, & non se habere per modum subjecti purè sustentantis lumen gloriæ, sed magis dicere habitudinem potentiæ, seu principii activi, estò aliàs proximè indigeat eodem lumine, ut virtute adæquata, ut latè explicatum est, quia hujusmodi adæquatio non tollit prædictam habitudinem, seu coaptationem essentialem in ratione principii activi, in quo, ut vidimus, differt ab aqua purè sustentante calorem respectu calefactionis, & à potentia corporea respectu visionis objecti spiritualis, nam hæc sunt adæquatè extra eorum non solum activitatem, & afficaciam, sed etiam extrà lineam specificativam, vel extensivam, aut objectivam, ut dictum est &c.

Cæterum videtur aliqualis difficultas in eo, quod concludit D. Tho., nempè, ut jam intimatum est, quòd per rationem naturalem cognoscimus de Deo habitudinem ipsius ad creaturas, quòd omnium ast causa, & differentiam creaturarum ab ipso, quòd scil. ipse non est aliquid eorum, quæ ab eo causantur, & quòd hæc non removentur ab eo propter ejus defectum, sed quia superexcedit: etenim si hæc aliquid probant, non tantum videntur probare ad ejus intentum de præcisa cognitione quoad an est, sed etiam de quidditativa saltem imperfecta, & inadequata, quia hujusmodi prædicata, esse primam causam, incorporeum, immensum &c. quibus excedit creaturam, non pertinent ad purum an est, sed sunt de quiditate ejus, ergo quiditativè saltem imperfectè, & inadæquatè ascendere possumus ad cognitionem Dei, quod videtur alienum, licèt aliquis ex recentioribus admittat, nam hoc esset confundere respectu Dei utramque cognitionem de an est, & de quid est, etenim si quia prædicta prædicata sunt de quiditate Dei, cognitio eorum est quiditativa illius licèt imperfecta & inadæqoata; pariter quia existentia Dei est de illius qoiditate, cognitio illius, sive cognoscere Deum quo ad an est, erit cognoscere illum quidditativè &c.

Pro resolutione ergo adverto, quòd sicut cognoscere Deum quoad an est, sivè ejus esse stat dupliciter ut rectè monet D.Tho. supra q.3. art.4. ad 2., nempe & secundum quòd esse significat actum essendi, sive esse Dei in seipso, & secundum quòd significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit conjungens prædicatum subjecto, sive secundum quòd refertur ad nostrā cognitionem, cum dicimus Deus est, ita similiter contingit de aliis prædicatis divinis; sicut ergo, ut concludit D. Tho. ibi, primo modo ac incipiendo esse non possumus scire esse Dei, sicut nec ejus essentiam, sed tantum secundo modo, quatenus scimus, quòd hæc propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus Deus est, vera est, & hoc scimus ex ejus effectibus, ita pariter de aliis prædicatis quiditativis tantum scimus, quòd propositiones affirmativæ, quæ formantur de illis respectu Dei veræ sunt, non tamen, quòd cognoscamus illa ut in seipsis, vel in ipso Deo ut in se est, & hoc modo esse cognoscere quiditativè, non priori modo, immò est repugnantia in terminis, dicere, quòd hæc tantum cognoscuntur ex effectibus, & quòd cognoscuntur quiditativè, quia cognitio quidditativa prædicati divini, quodcunque sit, (& sic proportionabiliter de quiditativa aliorum objectorum) dicit negationem medii extranei, sive effectuum, quos infinitè excedit in sui repræsentatione quiditativa, sive cujuscunque ex suis divinis prædicatis, ut latè ostensum est, sed debet omninò fieri per medium intrinsecum divinum, sive per sui essentiam, sicut & quælibet alia repræsentatio quiditativa per definitionem, vel quiditatem rei.

Stat ergo æquivocatio inter cognoscere quiditatem seu prædicata quiditativa rei, & cognoscere quiditativè; nam cognoscere hoc posteriori modo est cognoscere illam, ut in seipsa, & per medium quidditativum, seu quidditativè repræsentativum, quod est impossibile in creaturis respectu Dei, ut dictum est, priori verò modo est tantum cognoscere, ut subest, vel refertur ad nostram cognitionem, quam possumus etiam habere de illa, aut de illis per aliud medium, aut per effectus præcisè repræsentantes, quod sint, formando tunc propositionem de eo, ū existentia, præcipuè quando sunt effectus æquivoci, & in infinitom distantes à perfectione causæ, ut contingit in casu &c.

Ex quibus ad propositam difficultatem facilè respondetur nullo modo ex effectibus per rationem naturalem posse perveniri ad cognitionem quidditativam Dei etiam imperfectam, vel inadæquatam, quia cognitio quiditativa, quæcunque sit, non est pura attingentia prædicati quiditativi, sed modo quiditativo, ut in se est, sive per medium quiditativum, vel quiditativè repræsentativum, aliàs ut dictum est, semel attingens Dei existentiam per effectus, non tantum cognosceret illum quoad an est, sed etiam quoad quid est saltem imperfectè, & inadæquatè, cum pariter existentia sit prædicatum quiditativum Dei, ut dictum est, quod tamen est contra D. Tho., ut vidimus, & contra veritatem, quia cognitio quiditativa rei non est cognitio pura per effectus præcipuè sibi inadæquatus, & infinitè deficientes à perfectione sui, ut sunt creaturæ, etiam in tota earum collectione respectu Dei, cum perpetuò sint in omni linea quid potentiale, & finitum, sed longè intimior, vel vitiva illius in se, ergo nisi velimus utranque cognitionem contra communem confusam confundere, nequit omninò admitti prædicta cognitio quiditativa etiam inadæquata de Deo per sui effectus.

Explic., & urg. totum hoc. Nam ut ab initio dicebamus, ex eo modo in via non obstante summa Dei simplicitate potest ex cognitione illius per effectus insurgere desiderium videndi illum præcisivè termi-

 nans

nans ſcil. ad ipſum, ut eſt 1. cauſe, quin formeliter, & expreſsè terminetor ad Deum, ut in ſe eſt abſolutè, non tamen ſemel videri, ut 1. cauſa naturalis, quin expreſsè, & formaliter videatur totus ut *in* ſe eſt, quia viſio, vel cognitio quiditativa ejus eſſentialiter terminatur ed illum, ut in ſe eſt, vel à parte rei, & cum in ſe, vel in re ſit ſimpliciſſimus actus, vel tota formalitas videtur, vel nullo modo; deſiderium verò videndi ex cognitione effectuum terminatur ad eundem, non ut in ſe, vel à parte rei, ſed ut propoſitum per cognitionem naturalem per quam expreſsè, & formaliter tantum proponitur, ut 1. cauſa, formando ſcil. præciſam propoſitionem, quòd ſit, non temen quid ſit attingendo prædicata quiditetiva in ſe ipſis, ergo ſiſtendo in pura ejus cognitione per effectus nunquam poteſt legitimè inferri cognitio aliqua quidditativa illius: & per hęc poteſt fieri ſatis cuilibet objectioni in contrarium &c.

II. Ex his, & ex ſuperioribus colligimus cognitionem, quæ habetur de Deo per ſuperius lumen gratiæ perfectiorem eſſe cognitione habite per retionem naturalem: quod patet, quia hæc poſterior comparatur ad priorem tanq; perfectibile ad ſui perfectivum, ut rectè explicat D. Tho. hic art. ult. *Nam cognitio*, inquit, *quam per naturalem rationem habemus, duo requirit ſcil. phantaſmata ex ſenſibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cujus virtute intelligibiles conceptiones abſtrahimus, & quantum ad utramque juvatur humana cognitio per revelationem gratię: Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti, & interdum etiam phantaſmata in imaginatione hominis formantur divinitùs magis exprimentia res divinas, quàm ea, quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus, ſicut apparet in viſionibus prophetalibus, & interdum etiam aliqua res ſenſibiles formantur divinitùs, aut etiam voces ad aliquid divinum exprimendum, ſicut in baptiſmo viſus eſt Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ, & vox Patris audita eſt, Hic eſt Filius meus dilectus.*

Quod ſi opponas eam eſſe cognitionem perfectiorem, quæ ſuperat in prædicato evidentiæ, cum illud ſit potiſſimum in cognitione, qua retione viſio patriæ ſuperat quamlibet aliam cognitionem habitam de Deo per quodcunque aliud lumen ſupernaturale; ſed cognitio, quæ habetur de Deo per retionem naturelem ſuperat in hoc prædicato cognitionem habitam per lumen divinæ revelationis, cum hæc ſit obſcure, illa verò evidens, ergo hebita per gratiam non erit perfectior.

Reſp. diſting. ma. præcipuè loquendo modo in ſtatu viæ. Ee eſt perfectior ſimpliciter, nego, in modo procedendi, tranſeat, vel conc., & conceſſa etiam mi., nego conſ., vel diſting. conſeq., non erit perfectior ſimpliciter, nego conſ., ſecundum quid, vel in modo procedendi, tranſeet. Perfectio namq; hebituum, vel actuum maximè attenditur (ſicut & ſpecificetio) ex objecto non nudè ſumpto, vel hoc, vel illo modo præciſè attacto, ſed lumine perfectiori, & univerſaliori, quod eſt veluti retio formalis illius, certum eſt eutem, quòd lumen divinæ revelationis longè perfectius eſt, & univerſalius quocunque lumine naturali, unde non ſolum eltiùs, ſed plura etiam manifeſtet de Deo, quàm purum naturele, quidquid ſit, quòd modo in via, ubi non eſt ſtatus viſionis non procedat per evidentiam, ſed nihilominus quoad firmitatem, & extenſionem ſuperat quamcunq; evidentiam naturalē. Unde hoc prędicet ū ſatis quidem confert eliis ſuppoſitis, ut contingit in patria, ſed aliis deficientibue ſolum affert exceſſum ſecundum quid, vel in modo procedendi. Doctrina eſt D. Tho. hic ad primum, ubi ait *dicendum*, quòd *licet per revelationem gratiæ in hac vita non cognoſcamus de Deo quid eſt, & ſic ei quaſi ignoto conjungamur, tamen pleniùs ipſum cognoſcimus, in quantum plures, & excellentiores effectus ejus nobis demonſtrantur, & in quantum ei aliqua attribuimus ex revelatione divina, ad quæ ratio naturalis non pertingit, ut Deum eſſe trinum, & unum.* Ecce quòd defectus evidentiæ non præjudicet exceſſui ſimpliciter, quem habet ſuperior cognitio per gretiam, quia facit, & plure, & eccellentiora nobis innoteſcere per attributionem etiam eorum, ad quæ ratio naturelis non pertingit, nec pertingere poteſt. Vid. etiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 4. ert. 4. ed 2.

Ex quibus 1. inferimus, quàm rectè conſonum ſit doctrinæ D. Tho., quod in ſuperiori corolario dicebamus, non poſſe ullo modo ex effectibus pervenire etiam inadæquatè ad cognitionem quiditativam Dei, ſi neque ad illam pervenire poſſumus per lumen gratiæ cognoſcendo de illo quid eſt, ſcil. quidditativè, vel in ſeipſo, ut eit hic ad primum, quidquid ſit formendo aliquam propoſitionem effirmativam de hoc, vel illo prædicato ejus quiditativo, ut ex eodem explicatum eſt.

II. Inferimus contra alterum Recentiorem extrà Scholam D. Tho. nullo modo lumen divinæ reveletionis habitum per fidem eſſe viſivum etiam abſtractive, ut ſetis apertè conſtat ex ejus definitione, vel deſcriptione ad Hebr. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtātia rerum argumentum non apparentium*; Ubi non tantum excluditur evidentie intuitiva, ſed etiam abſtractiva juxta neturam negationis, quæ eſt malignantis naturæ totum deſtruens. quod poſt ſe invenit, ec proindè nullo modo apperere poſſunt, quæ hoc lumine cognoſcuntur. Tum quie ſicut dicitur, quòd ſit non apparentium, ite pariter quòd ſit ſperandarum, ſed ità eſt ſperendarum, ut nullo modo prout ſic, vel in ratione rei ſperatæ, habere poſſunt rationem habiti, ſed adæquatè manent intrà lineem non habiti, vel futuri, ita erit non apparentium, ut nullo modo habeant rationem viſi, ſed adæquatè maneant intrà lineem non viſi, vel obſcuri, ſive intuitivè, ſive ebſtrectivè.

Tum quia ſicut fides eſt de non viſis, ita lumen gloriæ ſuccedens illi eſt de viſis, ſed iſtud reſpectu ſui objecti nequit ullo modo eſſe non viſivum, ergo nec lumen fidei viſivum. Tum quia ratio non apparentie eſt quædam ratio ſuperior diviſe, vel communis ad non apparens intuitivè, & non appareos abſtractivè, ſicut ratio animalis ad rationale, & irrationale; ſed negatio ſuperioris diviſi eſt negatio utriuſque extremi dividentis juxtà regulem dielecticam quod à ſuperiori ad inferius negetivè tenet conſ., ergo ſicut negatio animalis eſt negatio tam retionalis, quam irrationalis, ità periter negatio appareutis erit negatio tam apparentis intuitivè, quàm abſtrectivè.

Deinde patet hoc ipſum inductivè. Nam quod ſemel videtur, vel videtur in ſeipſo, vel in ſuis principiis, aut effectibus, vel in ſui atteſtatione, ſed nullo ex his modis poteſt dici lumen fidei viſivum ſui objecti; non quidem 1. vel in ſeipſo, hoc enim pertinec

tinec

tinet ad lumen gloriæ, nec solum esset visivum abstractivè, sed etiam intuitivè, sicut est idem lumen gloriæ. Nec in suis principiis, vel effectibus, quia fides non utitur, nec uti potest his mediis ad credendum, sed unicè medio extrinseco testimonii divini: nec denique in visione attestationis divinæ, cum hæc non sit necessaria ad credendum, non enim requiritur evidentia de eo, quòd Deus est, qui attestatur nobis, vel loquitur, ad hoc, ut quis credat, aliàs non habentes illam, credere non possent, quod est alienum, ergo nullo modo est visivum illius lumen, cum non sit alius modus assignabilis.

Quòd si his opponas illud Apostoli 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Facilè resp. non esse ibi sermonem de lumine fidei, sed quomodò videmus Deum per sui effectus, ut jam præmiserat ad Tim. 1. *in quantum invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur & ideò tota creatura*, (ut subdit ibi D. Tho.) *est nobis sicut speculum quoddam, quia ex ordine, & bonitate, & magnitudine, quæ in rebus à Deo causata sunt, venimus in cognitionem sapientiæ, bonitatis, & eminentiæ divinæ, & hæc cognitio dicitur cognitio in speculo*. Videatur ibidem, ubi mirificè explicat, quid sit aliquid videre per speculum in ænigmate, & ex ejus explicatione manifestè constabit, quàm disparatè applicetur hic textus ad intendendam visionem respectu luminis fidei.

III. Inferimus, quòd ex cognitione effectuū secūdùm triplicem veluti habitudinem devenimus in cognitionem 1. causæ quoad an est illius, scil. secundum habitudinem principii, excellentiæ, & remotionis, vel negationis, cognoscendo nempe, quòd Deus existat, ut una 1. causa: quòd excedat omnia causata, & causabilia: quòd non sit sicut unum ex his, sed quòd existat ens immensum, ens incorporeum &c. Eò vel maximè, quòd omnis noster conceptus modo in via est connotativus, idest intellectus noster etiam incorporalia, vel spiritualia non cognoscit nisi per connotationem ad res materiales, & corporeas, quarum phantasmata habentur in sensibus, ut tradit D. Tho. infra q. 84. art. 7. ubi ait. *Dicendum, quòd incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata, sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam, veritatem speculamur, Deum autem cognoscimus, ut causam & per excessum, & remotionem, alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia, & ideò cum de hujusmodi intelligimus aliquid necesse habemus converti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint phantasmata*. Sed ne fiat in his æquivocatio adverto ex eodem 2. 2. q. 15. art. 3. quòd licet intellectus noster ad cognoscenda hujusmodi objecta superiora, vel spiritualia indigeat sic converti ad phantasmata, nihilominus *perfectio intellectualis operationis in homine consistit in quadam abstractione à sensibilium phantasmatibus*; ut ait ibidem, *& ideò quantò intellectus hominis magis fuerit liber ab hujusmodi phantasmatibus, tantò potiùs considerare intelligibilia poterit, & ordinare omnia sensibilia*.

Quod quidem intelligitur sic, nempè ad hoc, ut cognitio rei incorporeæ sic connotativè cognitæ sit perfecta, debet cognoscens perfectè discernere rem illam corpoream à re materiali, quæ existit in phantasmate, per cujus connotationem cognoscitur. & judicare nullo modo id, quòd intelligit, esse formam illam, per quam repræsentatur, ut dum cognosco Angelum ad modum juvenis pulcherrimi, & per connotationem ad illum, perfectio cognitionis meæ de Angelo tunc erit, quando perfectè judicabo de illo non esse juvenem, quamvis per speciem juvenis cognoscatur. Et hoc judicium discretivum vocat D. Tho. abstractionem à sensibilium phantasmatibus, unde loquendo de cognitione bonorum spiritualium, & veritatum fidei dicit perfectionem talis cognitionis sistere in eo, quòd fiat per abstractionem à sensibilium phantasmatibus, judicando scil. bona spiritualia cognita per cōnotationē ad corporalia nō esse sicut ista, sed longè altiora. & diversa: & veritates fidei cognitas per connotationem errorum, non esse sicut istos, sed longe ab illis, vel è regione distantes. Et sic proportionabiliter dicimus de Deo cognito ex effectibus per excessum, & remotionem, vel negationem formando propositiones tum negativas, tum affirmativas de prædicatis excedentibus, & oppositis ut dictum est.

Hoc totum etiam eleganter expressit ibidem q. 8. art. 7. ubi duplicem munditiam, vel puritatem cordis distinguens ait. *Alia munditia cordis est, quæ est quasi completiva visionis divinæ, & hæc quidem est munditia mentis depurata à phantasmatibus, & erroribus, ut scil. ea, quæ de Deo proponuntur non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum hæreticas perversitates, & hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter duplex est visio, una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia, alia verò imperfecta, per quam, & si non videamus de Deo quid est, videmus tamen quid non est, & tantò in hac vita perfectius Deum cognoscimus, quantò magis intelligimus eum excedere, quidquid intellectu comprehendi potest*.

Hinc tamen non inferas contra superiora dari aliquam cognitionem quidditativam de Deo modò in via saltem imperfectam, quia visio prædicta de Deo quid non sit, per remotionem, vel excessum, magis pertinet ad cognitionem de an est, ut explicatum est ex ejusdem doctrina: nec est videre aliquod prædicatum illius quiditativè, seu ut in se est, in quo propriè consistit cognitio quiditativa ejus, de qua sermo est in præsenti. Et hæc de hoc Tractatu ad laudem Dei, B. Virg., B. Dominici, & D. Tho. Aquinatis.



TRACTATUS IV.

DE NOMINIBUS DEI AD QUÆST. XIII.

DE his, quæ pertinent ad Quæstionem 13. breviter agendum est, quia faciliora sunt, & plura spectant ad Tractatum de Analogia, de quibus latè egimus in Philosophicis; unde unica Disputatione comprehendimus.

DISPUTATIO UNICA.

Quomodò Deus sit nominabilis.

DUO præcipuè inquirimus: primum, an quiditativè nominari possit à nobis, sive in via, sive in patria à Beatis, vel ab Angelis, id est, nomina significante Deum quiditativè, vel ut in se est; vel etiam à sa ipso comprehensivà. Secundum, an aliquod nomen dicatur substantialiter, vel etiam propriè de Deo, aliquid in fine dicturi de distinctione, & pluralitate nominum illius.

QUÆSTIO PRIMA.

An possit Deus nomine significante ipsum ut in se est, nominari à nobis.

DE utroque statu inquirimus, scil. in via, val in patria à nobis vel ab Angelis d&turi etiam de se ipso comprehensivè, nam alii non solùm affirmant de superiori illo statu, sed etiam viæ, ut Scotus, Molina, Vasquez, Arriaga, & alii extra Scholam D.Tho.; alii verò media via procedunt, negantes de hoc statu viæ, & affirmantes de illo patriæ, & quidem de illo viæ negant communiter Thomistæ; de alio verò inter alios affirmant M. Ferre hic dub. 1., & Gonet artic. unico, corolar. 2., qui consequenter etiam tenent de Deo respectu sui.

§. I.

Statuitur duplex Conclusio.

PRima. Non potest Deus nominari à nobis modò in via, sive à viatoribus nomine significante illum, ut in se est, sive respectu ipsius nominantis, siva respectu aliorum audientium, etiam Beatorum concipientium Deum ut in se est, sed tenemur, vel tantùm possumus nominare illum ex creaturis. Ita plures etiam ex exteris, & sumitur ax D. Tho. hic ar.1., ubi docat, quòd sicut in hac vita non possumus Deum cognoscare, nisi ex creaturis, & connotativè ad illas, nec pariter nominare illum per nomina significantia illum sicut est in se, sed tantùm connotativè ad creaturas. Quod etiam docuit August. in Psal.84. dicans; *Quid quaris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

Ratione prob. à priori ax D. Tho. Non potest aliquid nominari à nobis, nisi prout concipitur, sed Deus à nobis modò in via concipi nequit quiditativè ut in se est, ergo nec nominari nomine significante illum ut in sa est. Maj. est certa, nisi velimus primò parare viam ad damnatas propositiones 26. & 27. ab Innoc. XI. de fallacia restrictionum mentalium, & violatione juramentorum sub illarum pallio. Tum quia voces sunt institutæ ad significandum, quos habemus in mente conceptus, vel ut ait D. Tho. hic ex Philosopho lib. 1. Perhiarm. c.1., voces sunt signa intellectuum, & intellectus sunt rerum similitudines, ac proinde raferuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus, ergo secundùm quòd aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari: min. verò patet ex superiori tractatu.

Explic. hoc. Sicut causa non producit effectum, nisi in quantùm continet, ita ut non possit perfectionem producere per excessum ad se ipsam, aliàs aliquid reluceret in effectu non præcontentum in causa, quod implicat, ita nec nos nominamus, vel exprimimus, nisi secundùm quòd concipimus, ita ut non possit aliquid exprimi, aut nominari, quod non sit conceptum, & intellectum, aliàs esset nominatum, & expressum à casu, quod ast alienum, & repugnans respectu nominantis, & exprimentis deliberatè, & ex consilio, ut modò loquimur, ergo sicut nequit causa producere effectum, vel aliquid in effectu non præcontentum in se ipsa, nec poterit quis nominara, aut axprimere aliquid non conceptum, vel intellectum à sa ipso, ac proindè si modò in via non potest Deus à nobis quidditativè concipi, nec poterit quidditativè nominari, nomine scil. significante Deum ut in se ast, vel ejus qoiditatem.

Dices his omnibus, voces esse quidem signa conceptuum, sed non præcisè secundùm habitudinem ad loquentem, vel impouentem noman, sed vel ad loqaentē, vel ad audientem; unde estò loquens, vel imponens nomen non cognoscat quiditativè rem significatā per vocem, seu quiditatē ejus, poterit nihilominùs nominare nomine significante rem ut est in se, sive illā quiditativè, dummodò audiens eā quiditativè, vel ut in se est cognoscat, ac proindè poterit viator modò in via Deo nomen imponere significans quidditatem ejus, quam licèt ipse non percipiat, illam tamen percipit Beatus

tus audians, ficut Rex v. g. Hispaniæ potest nomen imponere Civitatibus Indiarum, quas nunquam vidit, quibus tamen auditis, qui illas viderunt, eas quiditativè intelligerent &c.

Sed contra hoc est. Et in primis si non tenetur loquens, aut imponens nomen concipere illud juxta mensuram significati ejus, sequitur viatorem non tantùm posse imponere nomen significans quiditativè Deum, sed etiam comprehensivè, quia licèt ipse comprehendere nequeat, Deus tamen audiens comprehendit se ipsum, sed hoc est alienum, quòd quis proferat, vel imponat nomen, ad cujus significati cognitionam juxta mensuram significationis illius impossibile est pervenire, nisi iterum valimus omninò à casu, & modo phsitaco proferre illud, aut imponere, quod magis esset per modum insipientis, quàm concipientis loqui, aut nominare, ergo.

II. Quia si iterum vocis significatio magis attendenda sit ex parte audientis, sequitur, quòd loquens estò exprimat, vel nominet secundùm id, quod habet in menta, nihilominùs mentiatur, audiente aliter percipiente: vel etiam è contra, si loquatur illa contra id, quod habet in mente, & audiens conformiter ad illam percipiat, non mentiatur, sed hoc est alienum à communi consensu Philosophorum, & Theologorum, ergo. §. Urg.: nam etiam sequitur, quòd si quis proferret hæresim scienter, & firmiter habitam in mente non erraret, si semel audiens in sensu aliquo Catholico licet erroneè eam conciperet, sed hoc iterum est alienum, & contra eundem communem consensum unde in tribunali fidei non interrogantur blasphemi de intentione audientis, sed proferentis, quod signum evidens est voces esse signa conceptuum non audientis, sed proferentis, vel judicantur falsæ, vel veræ, sivè mendaces, vel veridicæ ex parte loquentis, non audientis, ergo. §. Urg. ulteriùs: quia si eadem vocis, vel nominis significatio potiùs regulanda est juxta conceptum audientis mendax fuisset responsio Christi Jo. 7. se non ascensurum, cùm tamen posteà ascenderit, nam audientes aliter ad ejus mentem, perceperunt, quæ erat non ascensurum palàm, & ipsi intellexerunt de ascensu manifesto, quod nefas esset asserere, ergo.

Hinc etiam patet ad exemplum de Rege imponente nomen Civitati à se non visæ, sed à solo audiente, ac proindè à solo isto quiditativè cognitæ, non à Rege; nam licèt dicamus nomen imponere Civitati à se non visæ, non tamen significatum nominis excedit mentis ejus conceptum; tum quia, ut dictum est, quod excederet quantùm est ex parte Regis, impositio esset à casu, & tanquam à Phsitaco: tum quia licèt exercitè eam visu corporeo non viderit, per infallibilam tamen traditionem supponens illam, nil minùs signatè, vel formaliter habet in mente, ipso audiente, quàm proferat ore quidquid sit de materiali, si côtingat audiantem vid ille illam, vel nunquã dubitur quòd imponens nomen minus habeat in concepto, quàm ponat in ejus significatione, ut contendit Vasquez cum aliis, & consequenter non poterit nominari Deus à viatore, nisi ex creaturis, vel connotativè ad illas, & non immediatè, & quidditativè, ut est in se ipso, cum solum ex creaturis, & non immediatè, ut in se ipso ast, concipi possit ab illo juxta illud Apost. Rom. 1. invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

II. Concl. possunt Angeli, & alii beati nomen Deo imponere, quod ejus essentiam ut in se est significet, & declaret. Est D. Tho. 1. cont. Gent. c. 31. ubi adhuc utramque tradit conclusionem, priorem quidem dum ait. *Ex quo patet necessitas plurium nominum de Deo dictorum; quia enim eum non possumus cognoscere naturaliter, nisi ex effectibus deveniendo in ipsum, oppertet, quòd nomina, quibus perfectionem ipsius signamus diversa sint, sicut & perfectiones in rebus inveniuntur diversæ.* (Ecce quod non ut in se est, sed tantum connotativè, vel ex illis nominare possumus). Deinde hanc 2. subdens. *Si autem ipsam essentiam prout est, possemus intelligere, & ei nomen proprium adaptare, uno nomine tantum exprimeremus, quod promittitur his, qui eum per essentiam videbunt Zachar. ult. In illa die erit Dominus unus, nomen ejus unum.*

Sed expressè etiam non solum docet eam hic, sed rationem quoq; insinuat dicens. Secundum quòd aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari.

Ex quibus prob. sic. Angeli, & cæteri beati in patria Deum vident quidditativè, ergo possunt ei nomen imponere, quod ejus quidditatem, vel essentiam ut in se est significet prob. cons., quia ut ait D. Tho. potest à nobis aliquid nominari secundum quod potest ab intellectu cognosci, ergo si à beatis Deus quidditativè cognoscitur poterit quidditativè nominari, scil. nomine ejus essentiam ut in se est, exprimente. Tale esse nomen *Tetragramaton* dicunt Hebræi, ut notat hic M. Serra ex Rabbi Moyse, dicente *Nomen Domini Tetragrammaton significat divinam essentiam puram, & nudam prout in se existit.* De quo Lyran. in illud Exod. 6. *Nomen meum Adonai non indicavi eis.* Pro quo adverto, quòd quia idem Hebræi præcedens nomen *Tetragrammaton*, quod communiter Jehoval pronunciari solet, in tanta habebant veneratione, ut religiosis, & reverentiæ causa illud pronunciare non auderent, utpotè illis sacratissimum, & tanquam primarium Dei, & essentiale ejus, scil. essentiam, ut in se est significans, unde ineffabile esse dicebant, loco illius adhibebant hoc aliud *Adonai*, quod significat Dominum, unde in prædicto verticulo Exodi non est in Hebræo scriptum *Adonai*, sed *Tetragrammaton*, Interpres tamen more Veterum, quia est ineffabile, pro eo substituit nomen *Adonai &c.*

Dices 1. cum M. Banez præcedenti authoritati ex Zachar., vel quòd ibi non est sermo de visione beatifica, sed magis de statu Ecclesiæ militantis, in qua prænunciatur abolitio cultus plurium Deorum per invocationem unius Dei ab omnibus adorandi; vel quòd etiam si loquatur de statu patriæ, per ly *Nomen unum* intelligi verbum increatum, itaut videntibus Deum hoc unum verbum promittetur illis manifestandum in patria.

Dices deinde 2. cum Zumel rationi factæ posse quidem à nobis nominari secundum quòd intellectu cognoscitur, scil. mediante conceptu, vel specie expressa, quæ habetur de re manifestanda, cum autem Beati hanc speciem, vel conceptum quidditativum de Deo non habeant, ut supra ostensum est, nec poterunt nomen quidditativum, seu quidditativè illum manifestans imponere, ab vel maximè quòd non videtur minus repugnans repræsentari Deum qoidditativè per nomen, quàm per speciem, vel conceptum creatum.

Sed contra priorem solutionem, & 1. contra primam

mã illius partem est, quodlicet prædicta interpretatio admitti possit nihilominus illa promissio Prophetæ extenditur etiam, vel refertur à D. Thom. ad beatos in Patria ut patet ex authoritate relata contr. Gent.; quod etiam docuit in 1. dist. 2. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 4. ubi ait. *Si intellectus noster Deum per se ipsum videret illi posset imponere nomen unum quòd erit in Patria, & ideo dicitur Zach. ult. In illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum.*

Contrà verò 2. part. est præter utramque authoritatem D. Th., quòd Propheta non unum tantum, sed duo dicit, ac promittit, scil. Dominum unum &c., at si per ly nomen unum intelligendum esset Verbum increatum cum impossibilitate nominis quidditativi illius, superfluè videretur multiplicare, aut illa duo exprimere, ergo, ant. prob., quia Verbũ increatum est verè Dominus, ergo satis esset dicere, quòd erit Dominus unus &c.

Contrà verò 2. solutionem est. Nam licet ita sit nos imponere nomen secundùm quòd cognoscimus medio conceptu, & specie expressa, non tamen necesse est id fieri mediante specie, aut conceptu super addito, sed vel superaddito, vel suppleto ex parte objecti, sed Beati cognoscunt quidditativè Deũ hoc saltem posteriori modo, ergo possunt quidditativè illum nominare, prob. ma., quia sive habeatur cognitio med o conceptu, vel specie superaddita, sive suppleta, utraque modo haberi potest, & habetur cognitio perfectè quidi ativa objecti, sed hoc requiritur, & sufficit ad perfect., & quidditativè illud exprimendum, & nominandum, ut patet ex terminis, ergo.

Explic., & urg. hoc. Nam ad hoc requiritur conceptus, & species expressa objecti, ut habeatur completa, & perfecta cognitio illius, sed sive sit superaddita, sive suppleta ut patet in patria, adhuc habetur completa, seu perfecta, & quidditativa cognitio illius, ergo sive sit superaddita, vel suppleta species expressa adhuc potest beatus quidditativè nominare Deum.

Ad id verò, quod subditur de voce comparativè ad speciem in ratione repræsentandi patet ex superioribus esse latum discrimen, quòd species utpotè formalis similitudo, & vicaria objecti debet in eodem gradu immaterialitatis convenire cum illo, quod est impossibile creaturæ respectu Dei, cæterum vox, vel nomen, sicut, & intellectio tenent se ex parte intelligentis, unde esto quiditativè attingant, vel exprimant illud, non tamen tenentur esse ejusdem ordinis, vel commensurari in gradu immaterialitatis cum illo, sed satis est, quòd deserviant intelligenti ad quidditativam attingentiam, vel expressionem ejus, aliàs nec posset dari cognitio quiditativa Dei.

Ex his etiam inferimus de Deo, quòd possit suum esse non solum ut in se est, vel quiditativè, sed etiam comprehensivè nomine aliquo significare. Quia si semel, ut ait D. Thom., potest aliquis nominare secundùm quòd cognoscit, jam poterit Deus comprehensivè, & non tantùm quiditativè cognoscens se ipsum nomine aliquo suum esse comprehensivè significare. Quod quidem non solum intelligendum est de interiore loquutione, qua semel locutus est Deus Pater Verbum ab æterno actione notionali dicendo, vel producendo, sed etiam utendo voce sensibili, ut signo ad placitum comprehensivè idem sui esse significante, quia ad hujusmodi signum, utpotè ad placitum, & per extrinsecam denominationem non requiritur infinita perfectio, unde rectè potest per talem vocem se comprehensivè significare &c.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Primò arg. contra primam. Perfectio significationis magis attendenda est ex perfectione cognitionis audientis, quàm loquentis, vel imponentis nomen, vel eo utentis, sed viatores loqui possunt de Deo cum beatis utendo nominibus excitantibus illos ad cognitionem quiditativam Dei, ergo cum beati Deum quiditativè cognoscant, poterunt viatores imponere Deo nomen quiditativum; conf. tenet expræmissis, & mi. etiam constat ex dictis, quia in tantùm non possunt resp ctu sui sic quiditativè nominare, quia nõ pos unt quidditativè cognoscere, ergo respectu beatorum quiditativè cognoscentium, poterunt respectu illorum uti nomine excitante ad cognitionem quiditativam: ma. verò probatur: nomen non significat rem utenti, aut imponenti illud, sed audienti, ergo ex perfectione cognitionis audientis sumenda est perfectio significationis nominis, prob. ant. quia nomen, ut dicebamus, est signum, sed istud respectu aliorum, sive audientium, sive videntium facit aliquid aliud in cognitionem venire præter speciem, quam ingerit sensibus, ergo, prob. mi., quia utens, vel imponens nomen ad rem significandam, vel signandam, prius scit, vel eam cognoscit, quàm exprimat, ergo nomen, quod est signum non efficit, ut proferens, vel imponens illud rem cognoscat, sed ut audiens cognoscat illam &c.

Urg. hoc. Sæpè contingit audientem perfectiùs concipere significationem nominis, quàm proferentem, vel eo utentem, ergo perfectio illius magis attenda est ex parte audientis, quam proferentis, prob. ant., nam existens Parisiis, si semel oculis propriis vidit, & expertus sit, quæ hic Romæ sunt, vel aguntur, perfectiùs concipit, quàm proferens, vel referens, qui nunquam eam vidit: habet, enim experimentum, per quod potest magis penetrare significationem eorum eamque confirmare, ergo potest idem nomen perfectiùs ab audiente percipi, quam à proferente, ac proinde idem, quod viatori imperfectè Deum significat, perfectiùs significare beato, qui perfectiùs illius significatum novit.

Urg. ulteriùs, & simul impugnatur principale fundamentum cõclusionis. Optimè stat imponi ab aliquo nomen quidditativè significans rem, licet eã ipse quidditativè non cognoscat, ergo mensura significationis nominis non est sumenda ex parte imponentis; prob. ant.; tum quia ut ait D. Thom. hic, hoc nomen Homo exprimit sua significatione essentiam hominis, secundùm quòd est, & tamen ejus, & aliarum rerum essentias distinctè non cognoscimus, sed solum accidentia. Tum quia hæc nomina Michael, Gabriel &c. significant illos, ut in se sunt, licet illos hoc modo non cognoscamus. Tum quia si cæcus coloribus nomina imponeret, vel Rex, (ut insinuatum est) civitatibus à se non visis; nomina hæc significarent res ut in se sunt; (nam illis auditis, qui illas vident, quidditativè intelligerent,) & tamen neuter cognoscit illas ut in se sunt, cum neuter illas viderit, ergo. Tum denique quia ut docet idem Angelicus

22. qu.

2.2. qu. 173. art. 3. veri etiam Philosophi quandoque annonciant verbis, quæ non cognoscunt, ergo signum est illa non esse præcisè attendenda juxtà mensuram conceptus, vel cognitionis proferentis.

Ad hoc, nego mi. Nam cum imponens sit causa efficiens nominis, & significationis ejus, necesse est ut priùs percipiatur, & proferatur ab eodem, tanquam quid commensuratum cum cognitione ejus, quàm percipi etiam ab audiente, nisi velimus, ut dictum est, quòd effectus excedat, & superet suam causam, quod implicat; vel quod deliberatè, & advertenter, & à consilio proferens illud, à casu proferat & modo phsitaco loquatur, quæ sunt repugnantia in terminis; undè secundùm quod conceptus proferentis, vel imponentis fuerit distinctior, & perfectior, aut minus perfectus, erit etiam perfectior, aut minus perfecta nominis significatio. Ad prob. nego etiam ant. Tum quia soli audienti rem sæpè significat nomen, cum quis prudenter ad magis imprimendum conceptum memoriæ, vel ad rem magis penetrandam, vel ad consequendam facilitatem, & proprietatem prolationis studio mortuo, vel mentali adhibet vivum, seu exterius, vel vocale, utendo vocibus ad eundem finem, quod valde commendatur tanquam optimum exercitium ad eundem finem. Tum quia licet ita sit, quòd ut plurimum, & regulariter, nomina utrique deserviant, aut significent juxtà illud August. in Enchirid. cap. 22. *Verba instituta sunt, per quæ alterius quisque notitiam cognitiones suas proferat*; non possent tamen sic deservire deferendo conceptum unius ad alterū nisi esset signū illius, undè non præcisè significat rem, sed mediis conceptibus loquentis, aut imponentis illa, quia sunt horum conceptuum expressiva ex merito suæ significationis, quam habent, vel habere possunt, ut signa ad placitum. Ad probat. dicimus, quòd ex hoc, quòd proferens, vel dirigens conceptus suos per voces, prius cognoscat illos, inferri non potest, quòd illi non significent; nam etiam audiens potest quandoque rem cognoscere priùs, quàm sibi loquens significare vult, & nihilominus verba loquentis adhuc sunt significativa respectu illius, ut etiam patet in Angelo loquente, & manifestante alteri conceptum suum; licet enim iste sit priùs notus loquenti non sequitur quòd directio illius ad alterum non sit etiam loquenti manifestativa ejusdem, prout explicatur infrà de illuminatione, & locutione Angelorum.

Ad 1. Confirmat. præter superiora resp. dist. ant., contingit perfectiùs concipere quantum est ex vi significationis nominis, nego, per accidens, vel ab extrinseco ob aliquod experimentum transeat, vel conced., & nego conseq., quia id non oritur ab intrinseco significationis nominis, quasi istud habeat in illa aliquem excessum ex meritis illius in uno, scil. audiente, quam non habet in alio, sive loquente, id enim repugnat, ut dictum est; cum loquens, vel imponens sit causa illius in ratione signi, vel significativi, sed quia audiens si semel vidit, & expertus est, ex circumstantiis visis potest eandem significationem nominis sibi magis persuadere, & certiùs eidem assentiri, quàm loquens; qui de earum existentia tantum habet fidem, vel certitudinem moralem ex traditione plurium. Per quòd patet ad probationem, vel exemplum adductum.

Ad 2., quæ potest esse replica, nego ant., ad prob. nego mi. Nam verè scientiam à priori habere possumus de rebus naturalibus, ac proindè quodquid illarum cognoscere, neque enim, (ut patet ex dictis,) posset quis nomina imponere quidditativa substantiis naturalibus, si eas quiditativè non cognosceret, cum non possit significatione nominis excedere mentis conceptum, medio quo nomen habet rem significare.

Ad 2. nego ant., magis enim significant existentiam, vel aliquam eorum individualem perfectionem, quàm quidditatem, unde sicut non possumus substantias immateriales nisi connotativè cognoscere, ut in superioribus explicatum est, ita nec nisi connotativè nominare, non quidditativè, undè ajebat D. Greg. Naziao. oratione de Deitate, intelligibilia, & corpore carentia nullum nomen proprium habent, quomodo enim propriè vocarentur ea, quæ oculis nostris haud subjiciuntur, nec intellectu capi possunt humano.

Ad 3. jam dictum est, id non haberi exprecisa vi significationis nominis, sed magis ab extrinseco, vel ab experimento, seu dispositione ex parte subjecti, vel audientis, cui contigit rem significatam vidisse, undè significatio illius non excedit pro formali, spectatu unius, scil. audientis, & deficit respectu loquentis, sed adæquat, vel commensuratur conceptui ittius, quidquid sit, quòd materialiter, vel per accidens excedat respectu illius, nunquam tamen excessu quidditativo.

Ad ult. de Propheta resp. ex D. Thom. ibidem, quòd ipse non est principale agens, vel loquens in his, quæ annunciat, vel prædicit, sed magis ut instrumentum principalis agentis, undè satis est qu'd illud, sive Deus perfectè concipiat, quæ annunciantur, undè poterat retorqueri &c.

II. Arg. & potest esse replica. De facto modò nominamus Deum nomine excedente conceptum nostrum, ergo significatio nominis non est limitaoda ad conceptum imponentis, vel nominantis; prob. ant., quia ut proximè, & supra dictū est, Deum tantū concipimus connotativè ad creaturas, vel in ratione principii, vel remotionis, aut excessus, vel negationis, & tamē nominamus hoc nomine *Deus*, excedēte hunc cōceptū connotativum, nam impositū est ad significandam naturam, cui prædictæ habitudines conveniunt, & nō præcisas habitudines, quæ tantū concipiuntur à nobis, & non natura Divina excedens omnem nostrum conceptum, ergo possumus uti nomine excedente in sui significatione conceptum nostrum &c.

Ad hoc, quo utuntur antiquiores Nominalistæ Gabriel, Ocham &c, nego ant. ad prob., vel nego mi., vel dist. claritatis gratia, excedēte prout utimur illo, neg., aliter trāseat, nam quidquid sit, sat ad significandam naturam secundùm se, non tamen sic eam significat, ut venit in usum nostrum, sed solùm prout cognoscitur à nobis, & quia eadem modò à nobis non cognoscitur quiditativè, vel prout est in se, sed connotativè, vel secundùm prælatas habitudines ad creaturas, secundū easdem tātum est nomen significativū respectu nostri, unde non excedit conceptum, quem modo habemus de illo. Ex quibus ad probationem annexam similiter distinguimus. Est impositum ad significandam naturam, secundùm se, vel quidditativè, nego, ut cognoscitur à nobis connotativè, vel relativè ad hæc inferiora, conc., & nego conseq., quia prout sic non excedit &c.

Sed instas: quia videtur hæc solutio contra D. Th. infrà art. 8., nam ibidem docet, quòd licet hoc nomen

men Deus quantum ad id à quo est impositum, sumatur ab aliqua proprietate divina, scil. ab universali rerum providentia, quantum verò ad id, ad quod significandum imponitur, naturam Divinam significat, ergo si hæc excedit conceptum nostrum, pariter nomen *Deus* ex vi suæ significationis illum excedet, ac proindè non erit necessarium, quòd nomina, quæ imponimus, vel quibus utimur, sint commensurata conceptui nostro.

Resp. eodem modo explicando D. Thom. nempè ità esse, quòd significat divinam naturam, licet imponatur à proprietate, vel providentia, non tamen significat illam, quantum ad *quod quid est*, sive quiditativè, vel prout est in se, sed prout subest nostro conceptui, sive prout à nobis cognoscitur, scil. secundum prædictas habitudines, nam prout sic statim concipimus Deum audito hoc ejus nomine; quod expressè tradit idem ad a. dicens. *Sed ex effectibus divinis divinam naturam non possumus cognoscere secundù quod in se est, ut sciamus de ea quid est sed per modum eminentiæ, & causalitatis, & negationis, & sic hoc nomen Deus significat naturam divinam. Impositum est enim nomen hoc ad aliquid significandum supra omnia existens, quod est principium omnium, & remotum ab omnibus. Hoc enim intendunt significare nominantes Deum.*

III. Arg. ad idem (& iterum potest esse replica) Non est necessè, quòd nomen vocale eodem prorsus modo rem significet, quo illam significat mentale, ergo illius significatio non est huic mensuranda, ac proindè poterit à nobis imponi nomen significans naturam divinam ut in se est, estò illa prout sic, vel quidditativè non cognoscatur à nobis. Prob. ant. instando in pluribus nominibus, tum in hoc *Equiferus*, quod utpotè nomen incomplexum, una simplici significatione significat equiferum, & tamen mentale habet complexionem conceptuum, cum impossibile sit intellectum unico conceptu utramque partem, vel quiditatem equi, & feri aprehendere. Tum in alio *Canis* trinum canem significante, scil. cælestem, terrestrem, & marinum, & tamen intellectus tres simul mentaliter in uno tantum complecti nequit, ergo non est contendenda eadem perpetuò quantitas, vel mensura significationis in utroque nomine exteriori, & interiori, sed poterit dari excessus significationis in uno supra alind &c.

Ad hoc iterum dico in primis, ut ab initio, quòd nisi velimus aperire viam ad damnatas propositiones, est omninò necessarium, quòd vox concordet menti, ità ut non sit duplicitas in corde, & simplicitas in ore, nam facilè esset hac imparitate conceptuum prædictas fallacias revocare.

Sed deindè, nego ant. Ad 1. prob., vel instantiam resp. 1. magis favere, quàm nocere conclusioni, nam sic ità est, quòd idem vocale, scil. Equiferus, est minus habens, sic quòd intellectus in interiori, seu mentali teneatur esse magis abundans, jam non poterit hac instantia ad rem concludi, quòd possit haberi, vel imponi à nobis vocale, quod excedat mentale cognoscendo Deum, ità ut possit à nobis imponi nomen quiditativè significans Deum, estò mentaliter concipi nequeat, aut cognosci à viatore ejusquiditas. Undè poterat retorqueri.

II. Resp. neg. mi. Nam cum vox non subordinetur conceptibus nisi media significatione impossibilis est multiplicatio conceptuum in mente, una existente simplici significatione in voce, unde si semel in hac voce *equiferus* est una tantum simplex significatio, seu impositio unius tantum significationis, unus pariter erit conceptus interior; non enim refert, quòd partes ejusdem nominis possint seorsim significare, quia dum assumuntur ad compositionem illius transeunt in unitatem impositionis, & significationis, ac proindè unitati conceptui subordinantur, nec possunt subordinari pluribus, nisi multiplicatis impositionibus, quæ non supponuntur in casu; unde sicut simplex est significatio, & conceptus, hujus alterius, scil. *Dominus* licet partes habeat seorsim significativas, & pluribus conceptibus substare possint, ità simplex pariter est hujus nempè *æquiferus*, prout ejus partes uniuntur in unitate compositionis illius.

Ad 2. Resp., quòd cum ex oppposito hoc nomen canis utpotè æquivocum plures habeat impositiones, & significationes (qua ratione, ut tradunt dialectici, sunt priùs æquivoca distinguenda, quàm definienda) non subordinantur uni tantum cooceptui, sed pluribus, ac non est excessus ex parte significationis ejus supra conceptum interiorem. In forma verò dist. ma., tria significat, unica, vel simplici impositione, conc., multiplici nego &c.

Sed instas. Quia conceptus interior nequit æquivocè significare, sed tantum univocè, licet vox exterior significet æquivocè, nisi velimus in conceptibus ultimatis dari æquivocationē, quod non admittitur, ergo nequit vox in sui significatione adæquari conceptui, nisi iterū velimus significationem æquivocā alicujus objecti adæquari significationi univocæ illius, quod patet repugnare ex terminis, ac proindè si vox tria prædicta significat æquivocè, conceptus verò tantum possunt significare illa univocè, jam non possunt adæquari in significando.

Urg. hoc impugnando ex his præcipuum fundamentum conclusionis ex D. Thom. Nam si semel vox significat æquivocè jam non poterit illa significare mediante conceptu, aut repræsentatione illius, in quo præcipua vis nostræ sententiæ consistit, ergo non tenentur ex hoc capite adæquari in significando, conf. patet ex terminis, cum significatio æquivoca nequeat fieri media repræsentatione univoca &c.

Huic instantiæ nego suppos. antec. quòd vox habeat significare æquivocè, quasi per se, aut formaliter sit imposita ad sic significandum, æquivocatio enim cum magis pertineat ad defectum, vel confusionem significationis nequit per se intendi ab imponente nomen, sed magis per accidens consequitur, vel materialiter contingit, scil. ex materiali coincidentia plurium impositionum, & significationum, aliàs non per se inteneret manifestationem sui conceptus, undè quoad hujusmodi pluralitatem non habet per se subordinari conceptibus, sed tantum quoad formalem impositionem, & significationem, ac proindè quòd formaliter, vel per se ex vi suæ impositionis, & significationis repræsentat, vel significat, habet repræsentare, vel significare mediantè repræsentatione conceptus sine ulla repugnantia, sed magis cum adæquatione, & proportione, per quod patet ad confirmationem.

Contra 2. partem arg. ex SS. PP. sæpè hanc Deo excellentiā tribuentibus, ut sit ineffabilis, ità D. Dionys. cap. 1. de divinis nominibus, & cap. ult. de mystica Theologia, ubi negat eam aliquod nomen proprium

prium

prium Dei, quòd scil. illum prout in se est significet. Et D. Ambrof. 1. de Trini ate cap. 5. loquens de generatione Filii inquit. Vox silet non mea tantum, sed & Angelorum, ergo neque Angeli, vel beati imponere possunt nomen quiditativum Dei, ab vel maximè, quòd si possent, aliquando saltem apparentes SS. Patriarchis, tali nomine usi fuissent, præcipuè quia non deerant, qui Deum quiditativè cognoverint per modum transeuntis, ut dictum est de Moyse, unde potuissent significatum nominis concipere, qnod tamen nullibi legitur contigisse, ergo.

Ad hoc resp. ex D. Thom. hic ad primum, quòd ea ratione dicitur Deus non habere nomen, vel esse supranominationem, quia essentia ejus est supra id, quod de Deo intelligimus, & voce significamus, undè SS. PP. intelligendi sunt de nomine adæquante, vel comprehensivè significante quiditatem, vel naturam Dei, & non purè quiditativè, quia nullum, siva ab Angelis impositū sufficit ad ità exprimendū, ut perpetuò natura divina non sit supra omnem intelligentiam nostram, & vocis cujusque à nobis impositæ significationem, cum sit semper infinitæ intelligibilitatis. Quod etiam innuūt alii SS.PP. Augost. epist. 40. post medium, ubi ait *est quiddam invisibile, & nulli effabile, nisi tantum sibi*, scil. per comprehensionem. Et D. Damasc. lib 1. fidei cap. 16. dicens, *Cum Deus incomprehensibilis sit, nomine quoque prorsus caret*. Unde expressiùs etiam D. Thom. in cap. 1. de divinis nominibus l. 3. inquit. *Non potest laudari quomodocumque est, idest comprehensivè*.

Ad id verò quòd subditur de usu illius cum SS.PP., quibus apparebāt, verisimiliùs eundem affirmari, està nullus eorum in via divinam essentiam vidisset, quia ad hoc maximè deservire poterat, scil. ad profundiorem raverentiam exhibendam, ut dum plenè capere non possent, iminò valdè imperfectè, & purè connotativè, religioso silentio ineffabilem excessum significati illius confiterentur. Quamvis ut innuitur, non defuerit, cui concessum sit, Deum per essentiam videre, ac nec frustra ex hac etiam parte potuisse uti. Aliud argumentum, quod proponitur, & quo convincitur hic noster Contenson speculatione 2. §. *De Beatis* facilè solvitur ex dictis, nam licet beati non forment verbum, essentia tamen unita per modum speciei, vel verbi rectè possunt formare, vel imponere nomen qniditativum Dei, ut dictum est &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter, & propriè.

Quoad primam partem, ut rectè explicat Cajetanus hic artic. 2., idem est dici de Deo, ac dici de illo pro formali, & non pro eo, quod importatur ex parte materialis ipsius nominis. Dici verò substantialitar est dici contrapositivè ad accidentaliter, pront nempè significat aliqnid, quod verè, & realiter in Deo est, nam qnidquid est in Deo, substantialiter ei, & non accidentaliter convenit, & in hoc sensu etiam nomina significantia relationes, ut Pater, & Filius dicuntur de Deo substantialiter.

Quoad 2. verò partem adverto dupliciter accipi posse ly *propriè*, primò contrapositivè ad communiter, & in hoc sensu prædicata, quæ ità conveniunt subjecto, quòd etiam affirmantur de aliis ab illo, non dicuntur propria illius, ut v.g. animal respectu hominis, quod quia convenit etiam cæteris animalibus non dicitur propriè de homine, està essentialiter illi conveniat. Secundò accipi potest contrapositivè ad metaphoricè, seù similitudinariè, & tunc idem animal propriè dicitur de homine, florere verò metaphoricè tantum, unde difficultas est an id, qnod significatur per nomen secundum veram rationem suam, in Deo reperiatur, & non purè similitudinariè. Et quidem supponimus nullum ex his nominibus, quæ Deo imponimus, vel attribuimus, quoad modum significandi propriè dici da illo, quia hic creaturis competit, sed tantum quoad rem significatam, & ideò illa dicuntur propriè de Deo, quæ significant perfectiones absolutè, ità ut in eorum significatione non includatur aliquis modus participandi, ut ens, bonum, vivens, & alia, quæ significant perfectiones simpliciter. Illa verò dicuntur metaphoricè, quæ ita significant perfectiones à Deo procedentes in rea creatas, ut in eorum significato includatur modus imperfectus, quò à creaturis participatur divina perfectio, ut lapis, & alia hujusmodi, quæ significant perfectiones secundùm quid, seu admixtas imperfectioni, modo tamen, quo supra de attributis explicatum est.

§. PRIMUS.

Expeditur prima pars statuendo primam Conclusionem.

Nomina, quæ important negationem, vel relationem ejus ad creaturam non dicuntur substantialiter de illo, bene verò, quæ affirmativè, & absolutè prædicantur de eodem. Est D. Thom. hic art. 2. & quidem 1. pars conclusionis non prob. ab illo, sed supponitur tanquā manifesta, & meritò, quia quæ sic negativè, vel relativè ad creaturam dicuntur de Deo, non significant aliqnid, quod verè, & realiter in illo sit, ac proindè nec substantiam ejus, sed magis remotionem alicujus ab ipso, vel relationem ejus ad alium, vel potius alicujus ad ipsum, cum Dei ad creatoram relatio realis esse non possit, ergo cum dici substantialiter, sit significare aliqnid, quod verè, & realiter in Deo sit, & contrapositivè ad accidentaliter, non possunt prædicta nomina dici substantialiter de Deo.

II. Pars prob. ex eodem. Quia sic nomina dicuntur de Deo, aut ipsum significant, secundum quòd ab intellectu nostro cognoscitur ex creaturis, sed intellectus noster cognoscit ex istis Deum habere omnem earum perfectionem, non repræsentativè perfectè, sed imperfectè, ergo nomina quæ affirmativè, vel absolutè dicuotur de Dao, dicuntur quidem substantialiter, sed imperfectè, conf. tenet, & præmissæ patent ex dictis, ma. quidem, quia nomina non excedunt significativè conceptum loquentis, vel proferentis illud, sed ut dictum est, modò intellectus noster non cognoscit Deum immediatè in se ipso, sed ex creaturis

 turis

turis, ergo sic dicuntur de illo, sicut intellectus noster ex eisdem cognoscit illum. Mi. verò, quia creaturæ secundum quòd participant, repræsentant divinam bonitatem, at non participant perfectè, sed imperfectè, & deficienter, ergo intellectus noster ex illis nequit repræsentativè perfectè cognoscere Deum, sed imperfectè &c.

Cont. 1. part. conclus. oppones. Nam plura sunt nomina, quæ dicuntur de Deo relativè ad creaturas, & tamen dicuntur substantialiter de illo, ergo, prob. mi. in omnipotentia, prædestinatione, præscientia, actu libero &c. Nam hæc ut patet substantialiter dicuntur, cum significent aliquid verè, & realiter existens in Deo, & consequenter conveniens illi substantialiter non accidentaliter, nam quidquid in Deo est, substãtialiter, & nõ accidentaliter illi cõvenit, & tamen relativè dicuntur ad illas. ergo quę etiam dicuntur relativè de illo, substantialiter dici possunt &c.

Resp. neg. mi. Ad prob. nego, suppositum ant. quòd omnipotentia, & alia hujusmodi dicantur relativè pro formali, vel constitutivè, nam prout sic nullum prædicatum, aut nomen attributi divini importat aliquid relativum ad creaturas, sed magis quid absolutum, & tantum consecutivè respectum rationis ad illas, ut latè infra ostendimus de constitutivo actus liber. Dei, quod non impedit dici substantialiter de illo. Nam quando dicimus nomina relativè dicta non dici substãtialiter intelligendũ est de illis, quæ pro formali dicunt habitudinem, seu respectum rationis ad extrà, quia hæc sola inter nomina respectiva significare nequeunt aliquid verè, & realiter existens in Deo.

II. Objicies contra 2. par. Quia videntur ex illa excludi nomina relativa in divinis ut Pater, Filius, & alia hujusmodi, ne scil. dicantur substantialiter de Deo, conf. est absurdum, ergo, mi constat ex dictis, nam verè significant aliquid, quod verè, & realiter est in Deo, & non conveniens accidentaliter: ma. verò prob., quia juxta illam, & D. Tho. duo requiruntur ut nomen dicatur substantialiter de Deo, nempè quòd dicatur affirmativè, vel positivè, & absolutè, sed prædicta nomina non dicuntur absolutè, ut patet, sed relativè, ergo non dicuntur substantialiter &c.

Urg. hoc. Nam eadem nomina sunt instituta ad significandam relationem sub expresso conceptu relationis, ergo non solum non significãt aliquid absolutè, sed neque ex propriis significant aliquid substantivè sivè substantiam, prob. conf., quia relatio, ut relatio, sivè sub expresso conceptu relationis hac ratione non constituit personam quia non significat prout sic aliquid substantivè, vel substantiam, ergo si eadem nomina significant relationem, nec substantiam significare possunt, nec dici absolutè: unde etiam Sancti PP., & Concilia contrapositivè accipiunt relationes ad divinam substantiam, cum dividant divina in substantiam, & relationes &c.

Ad hoc nego sequelam. Ad prob. dist. mi. claritatis gratia. Non dicuntur absolutè ex parte modi significandi, conc., ex parte rei significatæ, nego, quia cum verè significent aliquid, quod verè, & realiter est in Deo, & in illo nullum accidens sit, sed sola substantia, saltem ex parte rei significatæ, non possunt non dici substantivè, quidquid sit quod ex modo significandi, utpote exprimentia aliquod relativum, non dicantur absolutè, sed respectivè, quamvis ità sit, quòd D. Tho. utatur nominibus absolutis, ut bonus sapiens &c. Quia satis est ad sui intentum, quòd detur aliquod nomen dictum de Deo substantialiter, nam hoc tantum inquirit titulus, & de his præsertim erat difficultas apud Auctores, quorum refert, & impugnat opiniones, ex quo tamen non excluduntur cætera divina, quæ verè, & realiter aliquid existens in Deo significant, quod est præcipuum requisitum, ut dictum est, ut aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter.

Ex his ad confirm. nego suppos. consequentis, quòd relatio in divinis etiam intrà lineam relationis non sit substãtia in Deo, cum reveta sit quid subsistens in illo. Unde licet prædicta nomina significent relationem sub expresso conceptu relationis, optimè adhuc possunt dici substantialiter, vel significare substantiam, estò non sub expresso modo substantiæ ex parte modi significandi. Et per hæc etiam fit satis ad id, quod subditur ex PP. & Conciliis, nam cum certissimum sit in nulla linea, & maximè entis posse aliquid esse in Deo cum defectu, sivè per inhærentiam, sivè per dependentiam, ac proinde sive absolutum, sive relativum sit, totum esse substantiam, vel quid subsistens, nequit prædicta divisio PP. & Conciliorum intelligi de membris quasi contrapositivè acceptis, seu sumpta relatione extrà lineam substantię, sic enim divina non esset, sed de illis, vel tantum distinctis ex modo significandi, vel sumpto altero membro, scil. substãtia pro linea absoluta, & sit sensus, quòd divina dividuntur in absolutum, & relativum.

§. II.

Expeditur secunda pars.

Secunda concl. Attendendo ad rem significatam plura nomina dicuntur propriè de Deo, secùs verò quoad modum significandi. Ita communiter Theologi cum D. Tho. hic art. 3. Et quidem 1. par. est manifesta, quia plura dicuntur de Deo, quæ quoad rem significatam important aliquid verè, & propriè, vel sine metaphora conveniens illi, ut substantia, sapientia, vita &c. Ergo propriè dicuntur de illo, immò, & magis propriè, & per priùs, ut ait D. Tho., quia hujusmodi perfectiones habent in illo modum eminentiorem, & ex illis procedunt perfectiones creaturarum.

Secunda verò pars facilè etiã prob. Quia nos nominamus divina secundum modum, quo sunt participativè, vel significantur prout in creaturis, cum ex istis, ut dictum est, concipiamus Deum: sed prout sic imperfectè repræsentantur, & significantur, & non propriè, ergo attendendo ad modum significandi, vel repræsentandi non dicuntur propriè de Deo, prob. mi., quia ut sunt participativè in creaturis, habent modum repræsentandi, vel significandi, qui competit illis, ergo solum imperfectè, & non propriè nominari possunt ex parte modi significandi respectu Dei &c.

Sed pro utriusque partis intelligentia adverto, quòd ut proximè, & late in superioribus explicatum est, licet hujusmodi perfectiones secundum modum, quo sunt in creaturis important imperfectionem Deo repugnantem, ac proinde nomina significativa earum prout sic, sive ex parte modi significandi nequeant dici propriè de Deo, nihilominùs non in omnibus idem

idem modus tenet se ex parte significati earum, nam aliæ ex propriis præscindunt ab illo, & solum important imperfectionem illius, prout reperiuntur contractæ in creaturis, ut perfectio sapientiæ, vitæ, spiritus &c. qua ratione diximus esse perfectiones simpliciter simplices, quia nempè in suo conceptu formali nullam important imperfectionem, sivè modum imperfectum participandi; aliæ verò in suo conceptu includunt hanc imperfectionem, unde non solum important eam ex parte modi, quo sunt in illis, sed etiam ex parte sui significati, ut perfectio lapidis, & aliorum hujusmodi, quæ dicuntur perfectiones tantum secundum quid, sive admixtæ imperfectioni. Ex quo fit quòd nomina, quæ significant priorés perfectiones, sive perfectiones absolutè, dicuntur propria ex parte rei significatæ de Deo, cum ex parte istius nulla importetur imperfectio, sive modus participandi, quæ verò significant posteriores, dicuntur tantum metaphoricè, & non propriè de illo, cum ex parte sui significati non importent puram perfectionem, vel simpliciter, sed tantum secundum quid, & admixtam imperfectioni, unde nullo modo possunt dici propriè de Deo.

Dixi ex propriis, sive secundum significatum proprium & formale, quia secundum commune potest importare illam, unde sapientia si attendatur secundum significatum commune qualitatis, vel habitus non habet prout sic præscindere ab omni imperfectione, vel limitatione, sed magis dicit modum limitatum, quem habet in creaturis; cæterum quia ex propriis non est per se primò imposita ad id significandū, sed cognitionem per altissimam causam, in qua nulla importatur imperfectio, ideò ex propriis dicimus, sive secundum proprium, & formale sui significatum nullam importare imperfectionem, ac proinde nomen sapientiæ, quod est impositum per se primò ad significandam hanc cognitionem, dicitur propriè ex parte rei significatæ de Deo &c.

Sed instas. Quia nomina, quibus Deum nominamus sunt significativa perfectionum non abstractivè, sed concretivè secundum modum, quem habent in creaturis, ut explicatum est, sic enim nominamus, secundum quòd illas percipimus creaturis, sed nulla est in creaturis non admixta imperfectioni, ergo nullum nomen earum significativum potest dici propriè, aut perfectè de Deo, sed tantum imperfectè, vel metaphoricè, mi. constat, quia prout in creaturis non significant puram rationem propriam, & peculiarem, sed ut contractam, & determinatam, non enim sapientia, vita & alia hujusmodi significant vitam, sapientiam &c. ex terminis, nam prout sic pertinent ad rationem analogam in statu communitatis, non in statu determinationis, & contractionis ad aliquod analogatum, ergo &c.

Explic. hoc ex superioribus. Nam aliud est loqui de hoc prædicato, vitæ, vel vitalitatis ex terminis, sive ut abstrahentis à naturali, & supernaturali, aliud verò ut contractæ ad actum v.g. supernaturalem, tunc enim est adæquatè supernaturalis, ita ut intellectus, ut vidimus, nec partialiter per vires proprias non elevatas per vires gratiæ influere possit ad illum, ergo pariter licet dicamus posse à nobis propriè nominari Deum nomine vitæ, prout significat vitam ex terminis, ad quam prout sic nulla intervenit imperfectio, non tamen prout significat vitam ut participatam, vel contractam, aut secundum modum, quem habet in creaturis, sic enim cum non significt vitam puram, seu depuratam ab omni imperfectione non poterit hoc nomine propriè nominari Deus &c.

Resp. disting., & explico claritatis gratia ma., secundum modum quem habent in creaturis, ita ut hunc modum, habeant ex propriis, seu secundum proprium, & formalem sui conceptum, nego, ut creatæ, vel creaturæ sunt, conc., & disting. mi, nulla est non admixta imperfectioni, si consideretur priori modo, neg. posteriori cōc., & nego conf., quia licet hujusmodi nomina, quibus propriè Deum nominamus significent perfectionem creaturæ, vel secundum modum, quem habent in creaturis, ac proinde admixtam imperfectioni, quia tamen hic modus non convenit sibi ex propriis, optimè possunt attento proprio, & formali sui conceptu dici propriè de Deo, non enim amittunt, quod sibi proprium, & formale est, licet induant veluti per accidens prædictum modum importantem imperfectionem, à qua proinde in nominando præscindere possunt, sicut in simili dictum est de specie intelligibili, quæ quia secundum proprium, & formalem sui conceptum nullam importat imperfectionem, sed accidentis, vel informantis, sed tantum prout creata, vel creaturæ est, optimè potest ab hac præscindere, & suppleri à Deo. Dixi verò creatæ, vel creaturæ, quia adhuc præc. sè secundum quòd creaturæ sunt, sive prout reperiuntur in illis, dum illis suum est actum formalem, possunt hujus generis perfectiones ab omni imperfectione præscindere, ut patet in subsisten in Verbi in mysterio Incarnationis, quæ simul est ibi subsistentia humanitatis faciens illam formaliter subsistere sine ulla imperfectione, ut ibidem explicatum est.

Ad explicationem resp. esse discrimen, quòd non est possibilis eadem præcisio in influendo physicè, & in nominando, nam licet in nominando in casu ex perfectionibus cognitis in creaturis Deum nominemus, quia tamen non omnes, ut dictum est, habent ex propriis imperfectionem ibi contractam, sed magis per accidens, ex eo quòd creaturæ, vel creatæ sunt, optimè possumus ascendendo ad Deum, nominare illum secundum id, quod merentur ex proprio, & formali conceptu, ac proinde illi proprie convenienter, quia nempe prout sic nullam ex parte rei significatæ ex propriis important imperfectionem; cæterum influxus physicus, & præcipuè si est productivus, cum tendat ad rem fuuendam non potest eam attingere secundum aliquod prædicatum in statu communitatis, vel abstractionis ab hoc, vel illo ordine, sed secundum quod determinatè spectat ad hūc, vel illum, eò vel maximè, quòd hujusmodi prædicata prout spectant ad lineam physicam, vel productivam, non contrahuntur quasi per accidens, sed magis per se per prædicatum inferius, ut patet in exemplo adducto, unde si semel prout sic contractum spectat ad ambitum objecti specificativi potentiæ, vel principii productivi, sed cum excessu supra vires proprias illius, tenetur omninò accipere vires superiores ad influendum, aliàs influeret, & non influeret, cum repugnet influere per proprias ad actum excedentem illas.

Dixi si spectat ad ambitum specificativum, ut contingit in casu instantiæ adductæ, ne statim immeritò opponatur materiale peccati, ad quod propterea contendunt Recentiores extra Scholam D. Tho. non posse Deum positivè concurrere, quia nempe aliàs te-

teneretur concurrere ad formale, vel deformitatem illius, cæterum istud, ut scimus ex bona Theologia, cum non contineatur intra ambitum omnipotantiæ divinæ, sicut entitas, perperàm infertur subjiciendum causalitati divinæ, si semel hæc se extendat ad materiale illius. Et quidem mirum est, ut adverti-mus, quòd velint posse potentiam sic præcisivè influere ad actus vitales supernaturales non obstante quòd quoad utrumque prædicatum pertineant ad ejus specificativum, & nolint deinde posse Deum hac præcisione gaudere respectu materialis, estò deformitas peccati nec pertineat, nec pertinere possit ad illius causalitatem.

§. III.

De pluralitate, & proprietate nominum Dei.

DEcem nominibus apud Hebræos Deum vocari insinuat D. Hieron. epist. 136. ad Marcellam. Primum est *El*, Deus fortis; 2. *Elsha*, Deus providens, gubernans, & judicans; 3. *Elohim*, quod est plurale præcedentis, idest Judices, ut sciant homines initium sapienti e esse timorem Domini omnia jodicantis, & à nomine Judicis primò nominati; 4 *Sabaoth* quod semper cum alio Dei nomine conjunctum est, ut *Adonai, Sabaoth*, idest Dominus virtutum, vel exercituum 5. *Elion*, i. Excelsus; 6. *Eescer eie*, Sum qui sum, vel qui est; 7. *Adonai*, Dominus 8. *Ja*, quod sonat in fine Alleluja si quidem Alleluja componitur ex *Allelu*, i. laudate, & *Ja*, hoc est Deum; 9. *Sadai*, munificus, liberalis, & omnipotēs, seu sibi sufficiētissimus, & in alios exuberans; 10. *Tetragrammaton*, quod, ut innuimur, *Jehova* communiter pronūciari solet, vel per cōtractionē *Jova*, unde deductū potant aliqui nomen Jovis, quem pro summo Deo Gentes coluere, & à D. Hier. appellatur ineffabile, à D. Damasc. ineloquibile, & à Theodoreto indicibile, unde, ut dictum est, erat ità sacrum, & reverendum apud Hebræos, ut illud nunquam proferre auderent, sed quoties inter legendum occurrebat, mutabant illud, aliudque substituebant, sic verò dictum est, quasi quadrilitterum, quia quatuor litteris constabat, *Jod, he, vau, he*, & ita etiam observamus, quod apud omnes fere gentes hoc sacrum Dei nomen *Tetragrammaton* scribatur. Nam Ægyptii Deum vocant *Theu*, Persæ *Sire*, Magi *Orsi*, Græci *Θεὸν*, Armeni *Vsri*; Arabes, & Turcæ *Alla*; Germani, & Angli *Goth*; Galli, *Dieu*; Hispani *Dios*; Itali *Iddis*; Hebræi demum *Jovah*, seu *Jova*.

Sed adverto, quòd licet hac nominum Deus pluralitate gaudeat, quia tamen, ut dictum est, triplici via ad illum intelligendum procedimus, scil. remotionis, excessus, & causalitatis, ut docet D. Dion. 1. & 7. cap. de divinis nominibus, ità triplici à nobis nominum genere appellari solet, nam aliqua removent ab illo imperfectiones creaturarum, ut cum dicimus incorporeum, immaterialem, incompositum, quem modum cognoscendi Deum, appellat quidem Dion. modum cognoscendi per ignorantiam, sed tamen est omnium, ut ait, dignissimus, quia maximè in cognoscendo facit ob omnibus aliis mentem recedere, & illi valde intimè uniri. Unde inquit. *Et est rursus divinissima Dei cognitio, qua per ignorantiam cognoscitur, quando mens ab omnibus aliis recedens, & postea seipsam dimittens unita est super splendentibus radiis &c.*

Alia verò sunt, quæ significant illum, ut vidimus, per modum excessus, ut cum dicitur superperfectus superexcellens, superpulcher, supersubstantia &c. Alia denique ejus causalitatem enunciant, vel Dominium erga creaturas, ut Creator, Dominus, Gubernator, Provisor.

Ex his tamen, & aliis pluribus, quæ ibidem exponit D. Dion. tria dicuntur præcipua, scil. *Deus*, *Qui est*, & *Jehova*, seu *Tetragrammaton*. Nam primū ab universali rerū providentia impositum, ut dictum est; & ex ejus operatione assumptum magnificè explicat ejus naturam, quòd nempe sit ens super omnia existens, super cuncta erectum, & eminens, rerumque universarum principium; nam hoc intendunt, qui Deum nominant, unde D. Dion. ibidem c. 12. inquit: Deitas est, quæ omnia videt providentia, & bonitate perfecta. Ex quo etiam D. Tho. hic art. 8. ait: Quòd omnes loquentes de Deo, hoc intendunt nominare Deum, quòd habet providentiam universalem de rebus.

Secundum, *Qui est*, potissimè commendat Deum, ut fontem totius esse, unde illudmet sibimet imposuit Deus Exod. 3. Nam Moysi quærenti: *Si dixerint mihi, quod est nomen ejus, quid dicam eis?* Responde sic; dices: *Qui est misit me ad vos*. Ex triplici verò capite id probat D. Thom. hic ar. 11., primò propter ejus significationem, quia nempe significat ipsum esse, & nullam aliam formam ab ipso esse, quod est ipsa Dei essentia, vel existentia. Secundò propter ejus universalitatem, quia nullum modum essendi determinat, & consequenter nominat substantiæ pelagus infinitum. Tertiò, quia significat esse in præsenti tantum, sive nulli subjectum vicissitudini præteriti, vel futuri, quia nempe esse Dei, ut ait August. lib. 5. de Trinit. c. 2. non novit præteritum, vel futurum &c.

Sed ne fiat æquivocatio, adverto, quòd cùm *proprium*, ut insinuavimus in Logicis, tripliciter sumi possit, & ut distinguitur contra commune, contra metaphoricum, & contra extraneum: hoc posteriori modo sumitur in præsenti, & idem est, quòd maximè intimum, & alteri non conveniens, & quia hoc e iā modo dupliciter stat, nempe pro eo, quod est transcendens omnia, quæ formaliter inveniuntur in subjecto, & in omnibus imbibitum, & deinde pro ipsissima natura, seu ratione differentiali constitutiva illius, utroque modo juxta diversitatem opinionum accipitur hoc nomen, *Qui est*; nam in altera asserentium constitui Deum per esse à se, modo in superioribus explicato, dicitur esse maximè proprium, quia significat Dei differentiale constitutivum; in alia verò constituentium Deum per intelligere radicale, vel actuale, dicitur maximè proprium, vel intimum intimitate transcendentiæ, non constitutionis essentialis, cui videtur etiam favere D. Tho. in hoc art. 11., de quibus tamen latè supra ad q. 2.

Nihilominus ab utraque adhuc præscindendo, præter egregiam aliam explicationem ex D. Thom. 2. 2. infrà referendo; potest ulteriùs explicari maxima hujus nominis proprietas ex his, quæ eruditè, ac subtiliter proot de more expendit Mag. Porrecta ad idem cap. 3. in suis veritatibus aureis. Nam priùs dixerat Deus, vers. 6., & 13., quòd erat Deus Abraham &c. & quòd erat Deus Patrum suorum, & tamen statim

inter-

interrogatus à Moyse de nomine suo respondit ut suprà vers. 14., non quòd sit Deus; sed *Qui est*; scil. per essentiam, quasi istud sit magis proprium, quàm hoc nomen *Deus*, modo tamen inferiùs explicando ex D. Thom. hic ad primum. Itaquè cum esse per essentiam soli Deo conveniat tanquam prædicatum fontale omnium, sive intrà, sive extrà Deum, erit hoc nomen inter cætera maximè proprium illius; nam ex eò quòd solus Deus sit ens per essentiam, legitimè primò infertur, quòd omnia extrà Deum habeant esse per participationem, deindè cum *esse* sit prima actualitas rei, ut sæpè in hac 1. par. ostenditur, iterum infertur, quòd Deus sit actus purus, & nihil aliud à Deo: 3. quòd solus Deus est bonus, perfectus &c. Nam si primum prædicatū, scil. *esse* non convenit alicui per essentiam nisi Deo, ergo solus Deus est summè simplex, & omnis res extrà Deum est composita ex esse saltem, & essentia, sive ex quo est, & quod est, ut etiam ostenditur infrà qu. 50. art. 2., ergo creatura de se non habet esse, in quo sensu vocatur nihil juxtà illud Apostoli ad Galat. 6. *si quis existimat aliquid esse cum nihil sit*.

Id eleganti exemplo explicat alibi D. Thom. in disputatis, scil. in Diaphano; nam licet aer licet sit optimè illuminatus, v. g. in meridie, nunquam tamen verificari potest, quòd de se habeat lumen, immò quòd de se careat illo, ità quamvis creatura elset excellentiss. essendi perfectionibus prædita, sive in esse naturæ, sive gratiæ, & gloriæ, nunquam tamen verè dici posset, quòd de se aliquam earum habeat, immò quòd de se careat omni esse, ac proindè, quòd non nisi fallissimè superbire possit, sed verissimè magis humiliari, cognoscendo scil. quòd etiam in summo perfectionum suo modo sita nullum ex se habet esse, sed totum, quod habet, à Deo habeat, repetens perpetuò cum eodem Apost. 2. corint. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur*; quia nempè ut præmirat 1. ibidem 4. nihil habet, quod à Deo non acceperit. *Quid habes, quod non accepisti; si autem accepisti quid gloriaris, quasi dicat* (ut lubuit D. Th. in posteriori relata epistola) *glorior de praedictis, sed non quasi hoc à me habeam, sed à Deo*.

Ex quibus piissimè infert idem sæpè laudatus Mag. mensuram propriam majoris sanctitatis in via, & gloriæ in patria esse ipsam humilitatem, quod etiam efficaciter colligit ex dato responso à Christo, qui interrogatus, quis esset major in Regno cœlorum respondit, humiles solum intrare in illud, quasi diceret excessum gloriæ, ac proindè sanctitatis penes excessum humilitatis attendendum esse, sic quòd major in cœlo est ille, qui est humilior, quia nempè quantò est beatior tantò magis cognoscit totum à Deo accepisse, quod est esse humiliorem. Hæc obiter dicta sint, ad hujus eximiæ virtutis quiditatem perfectè indagandam, cum humilitas non consistat in non esse magnum in virtutibus veraciter, sed in scire eas se habere à Deo sine meritis propriis, & quòd ex nobis, illis caremus; unde non est falsitas, humilitas sicut superbia, sed veritas, immò quia idem illi oppositum vitium in omni peccato reperitur juxta illud initium omnis peccati superbia, ideò dicitur in scripturis, quod omnis peccans errat.

II. Infert, vel magis urget præcedentia ad intentum præsens, quòd si semel creatura de se non habet esse, sed solus Deus, & hoc esse est primum inter cætera prædicata, & quodlibet ex his importat aliquod esse, ut traditur supra qu. 4. art. 2., manifestum fit, quòd Deus contineat omnem excogitabilem perfectionem, & quòd creatura nullam, vel minimam de se habeat, sive scientiam, sive bonitatem &c. quia habens de se primum, quod est origo, & fons omnium, necesse est, quòd habeat de se omnia consequentia, vel participationes illius: & carens de se primo, quòd careat de se omnibus illis, ac proindè quòd Deus sit ipsum subsistens in plenitudine essendi omnem essendi perfectionem continens, cui nomen maximè proprium sit *Qui est*.

Ex quò etiam fit, quòd nulla creatura possit esse perfectè similis Deo, cum nulla in universum in quocunque statu, vel gradu exire possit limites entis per participationem, sive accipientis esse à Deo ente per essentiam, unde solam consequi poterit similitudinem secundùm quandam analogiam, in quantùm esse illius est à Deo, & in tantum illa est, in quantum Dei esse imitatur, non autem secundùm genus, vel speciem, nec secundùm univocationem; ut alibi etiam in logicis ostensum est; ac per consequens hæc nomina, ens, bonus, sapiens non solum, ut vidimus, dicuntur substantialiter de Deo, sed per priùs de illo, quàm de creaturis, ut probat hic D. Thom. art. 6. quia nempè nomina, quæ dicuntur analogicè de pluribus, necesse est, quòd omnia dicantur per respectum ad unum, cum hac distributione, ut si de eo dicantur propriè, vel essentialiter, per priùs debeant dici de illo, quàm de aliis: si impropriè, vel metaphoricè, tunc dicuntur per priùs de aliis, quàm de illo; unde quia hoc nomen *Leo* metaphoricè dicitur de Deo per priùs dicitur de creatura, quàm de illo, nam dictum de Deo, nihil aliud significat, quàm quod Deus similiter se habet, ut fortiter operetur in suis operibus, sicut Leo in suis; cæterum quia alia prædicata dicuntur propriè, ut ostensum est, de illo; per priùs quantùm ad rem significatam, quàm de creaturis, debent de Deo dici, quia à Deo hujusmodi perfectiones in creaturas manant, licet quantum ad impositionem nominis per priùs à nobis imponantur creaturis, quas prius cognoscimus, undè, & modum significandi habent, qui competit creaturis.

Sed oppones ad probandum, quòd sit magis proprium, hoc nomen *Deus*, quàm *esse*, vel *Qui est*, ac proinde, quòd illud sit maximè proprium Dei, non verò istud. Illud est magis, vel maximè proprium, quod magis Deo soli convenit, sive quod est minus communicabile, sed primum secundum proprium sui significatum ità se habet, non verò secundum, cum esse de creaturis affirmetur non verò Deus, ergo &c.

Ad hoc resp. D. Thom. hic ad 1. sic. *Dicendum, quod hoc nomEst est magis propriè nomen Dei, quàm hoc nomen Deus, quantum ad id à quò imponitur, scil. ab esse, & quantum ad modum significandi, & consignificandi, ut dictum est*, (scil. in corp.) *sed quantum ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium hoc nomen, Deus, quod imponitur ad significandam naturam divinam*.

Ex quibus duo colligit Mag. Ferra, primum quòd hoc nomē *Qui est*, non est ab olutè, & omnibus modis maximè proprium Dei, sed solum secundùm quid, scil. ex triplici cap. assignato, significationis, universalitatis, & consignificationis, nam ex primo, ut dictum est, cum non significet formam aliquam, sed ipsum esse, & esse Dei sit ejus existentia, quod nulli

alteri

alteri convenit, & sit etiam magis commune, & minus determinatum, sed plenum subsistens in ipsa plenitudine essendi, & tandem significat de presenti omninò immutabiliter, atqin variabiliter, quæ sunt maximè propria Dei, manifestum est ex his capitibus esse nomen maximè proprium illius. Secundùm est, quòd quia non est impositum ad significandam naturam Dei secundùm quòd specificativa, & differentialis est, sed veluti secundùm rationem communem omnibus divinis prædicatis conformius ad mentem D. Thom., non esse naturam divinam constituendam veluti specificativè per esse per se, sed per aliquem gradum peculiarem, qui non potest esse alius, (inquit) quàm intelligere.

Sed instas contrà utrumque hoc corolarium, & simul etiam contrà solutionem: contrà hanc quidem, & primum sic. Nam Moyses quærens à Deo de nomine ejus ad illud nuntiandum Filiis Israel, de nomine magis propriè, quàm sit hoc nomen *Deus*, inquirebat, ergo dum ei indicatur hoc nomen *Qui est*; illud erit absolutè, & non tantùm secundùm quid magis proprium; ant. constat, nam Moyses revera tunc sciebat hunc, quem alloquebatur, esse Deum, quod patet ex eo, quòd ibi præmittitur scil. *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contrà Deum*; certum est autem non exhibiturum hoc reverentiæ signum, nisi ipsum vocari, & esse Deum cognovisset, ergo dum ulteriùs interrogat de nomine ejus, de magis, vel maximè, & absolutè proprio, seu de magis peculiari fatendum est interrogasse, ergo dum sibi respondetur esse hoc nomen *Qui est*, illud absolutè erit magis proprium, & magis peculiare.

Contrà secundum verò ex his, quę subdit D. Th. post verba relata dicens. *Et adhuc magis proprium nomen est Tetragrammaton, quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & ut sic liceat loqui) singularem*. Ex quibus sic arguitur: quia hoc nomen *Deus* magis propriè impositum est ad significandam naturam divinam, infert hanc non esse metaphysicè, aut per se primò, vel differentialiter constituendam per ipsum esse, sed per distinctum peculiare prędicatum, scil. per intelligere, ergo quia nomē Tetragrammaton adhuc magis propriè impositum est ad significandam divinam substantiam incommunicabilem, non per intelligere exprimens naturam divinam, sed per prędicatū substantię intellectualis completę per se subsistentis tanquam radicem totius generis intellectivi, vel operativi, modo, quo in superioribus exposuimus, vel retulimus ad favorem Eminentiss. Cardinalis Ferrarii erit eadem natura metaphysicà constituenda.

Ad 1. resp. ly *secundùm quid* non esse intelligendū quasi deficienter, seù contrapositivè ad simpliciter, vel absolutè, ut pręcisè dicunt esse tale sine addito, sed prout sunt idem, quòd totaliter, & omnibus modis, in quo sensu sępè D. Thom. de veritate qu. 29. art. 3. in corp., & alibi ait gratiam Christi esse infinitam secundum quid, non quasi moraliter absolutè, & simpliciter infinita non sit, ut ostenditur 3. p. qu. 7. ad art. 11., sed quia non est infinita omnibus modis, nam etiam ait ibidem, quod est finita secundùm quid secundùm essentiam, cum tamen certum sit, quòd secundùm essentiam sit absolutè, & simpliciter finita. Et videri potest de hac distinctione 3. par. infrà qu. 50. art. 5.

Addo quòd licet hoc nomen *Qui est* non sit impositum ad significandam divinam naturam sicut hoc nomen *Deus*, ut hic dicit D. Thom., nihilominus, ut docet idem 22. qu. 174. art. 6. in corp., à Deo specialiter revelatum fuit Moysi, ut manifesteretur per illud simplicitas ejusdem divinę naturę, vel essentię; nam cum pręcedentes Patres solum fuissent instructi in fide de omnipotentia unius Dei juxtà illud, quod dixit Dominus Moysi exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis*. Postea idem Moyses, subdit D. Thom., pleniùs fuit instructus de simplicitatè divinæ essentię, cum dictum est ei exod. 3. *Ego sum qui sum*, quod quidem nomen significatur à Judeis per hoc nomen *Adonai* propter venerationem illius ineffabilis nominis. Ex quibus urgentiùs patet, quàm sit hoc nomen *Qui est* maximè *proprium* Dei, salvo tamen discrimine assignato hic ab eodem Angelico inter illud, & nomen Dei.

Ad secundùm præter ea, quæ ibidem dicta sunt de constitutivo Dei in favorem opinionis ejusdem Eminentiss., fateor in confirmationem illius, satis etiam posse favere hanc posteriorem authoritatem D. Tho. Nihiluminus ad intentum oppositæ sententiæ resp. ex dictis solum militare posse de constitutivo naturæ intrà ordinem essendi, sive ut essentia est, non sub conceptu naturæ, ut est radix operationum, sic enim reccurrendum est ad aliquod prædicatum de hac linea, scil. operativa, ac per consequens ad intelligere radicale, ut latè probatum est. 2. Resp. & meliùs ex eodem D. Thom. ibidem, & ex art. infrà referendo, quòd nomen *Tetragrammaton*, non est impositum ad significandum Deum ex parte naturæ, sed suppositi, unde non est ex illo inferendum constitutivum naturæ.

II. Sed instas iterum ad probandū, quòd *Qui est*, non sit nomen maximè proprium: nam magis proprium est in quo minor est convenientia cum creatura, sed alia sunt, in quibus non solum est minor convenientia, sed nullo modo possunt creaturę convenire cum Deo, sicut conveniunt in hoc nomine *Qui est*, ergo istud non est maximè proprium, prob. mi., in omnibus illis, quæ important perfectionem incommunicabilem, ut sunt ens infinitum, omnipotens, ens substantiale supernaturale, actus purus, & sic de aliis ergo &c.

Ad hoc ex dictis dist., & explic. ma. In quo minor est convenientia, & major etiam explicatio simplicitatis naturæ divinæ, & aliorum, quæ Deo conveniunt, conc., si non ità explicet illam, & alia divina, nego, & dist. mi., alia sunt, & ità explicant, nego, aliter transeat, vel conc., nam licet dicantur aliqua alia, ut ens infinitum &c. magis explicare Dei proprietatem, vel aliquam ex illis, tamen *Qui est*, ut vidimus ex D. Thom., specialiter ad hoc est, scil. ad simplicitatem divinæ naturæ manifestandam, & ex triplici assignato capite habet rationem nominis maximè proprii, ut ostensum est, nam alia, ut ens infinitum, substantiale supernaturale, actus purus &c. sunt nomina complexa, & significant juxtà significationem suarum partium, ac proindè, non ità simpliciter significant, sed subordinantur pluribus conceptibus: nec ità etiam universaliter, sed aliquomodo determinant, ut dictum est, sicut & nomen omnipotens, & quamvis etiam nomen *Qui est* materialiter sumptum, prout de aliis rebus à Deo dici potest,

dica-

dicatur pariter complexum, non tamen formaliter prout à Deo revelatum est ad significandum juxta meritum suæ significationis, universalitatis, & consignificationis, ut explicatum est: neque etiam in illo prout sic conveniunt aut convenire possunt creaturæ, cum importet rationem entis per essentiam, & consequenter negationem entis per participationem, sicut in conceptu omnipotentiæ negatio dependentiæ ab alio.

§. VI.

De distinctione nominis Qui est *à Tetragrammaton.*

De 3. prædicto nomine *Tetragrammaton*, de quo ait D. Thom. adhuc esse magis proprium, quia significat substantiam Dei singularem, dicunt aliqui esse indistinctum à priori *Qui est*, & videtur id aliquo modo fundari in eodem Angelico, loco proximè relato ex 22., ubi, ut vidimus, loquens de nomine *Qui est*, à Judæis, ait, propter ejus venerationem significari per hoc nomen *Adonai*, sed illud est, quo ob idem motivum utebantur ad pronunciandū *Tetragrammaton*, ergo sicut est idem nomen *Adonai*, pariter erit idem *Qui est*, *& Tetragrammaton*. Unde etiam Theodoretus quæst. 15. in Exodum inquit, Deum cum dixit Moysi *Ego sum qui sum*, ait ei fuisse illi nomen suum inenarrabile *Tetragrammaton*. Et Clemens Alexandri. lib. 5. Stromat. cap. 3. dicit *Jehova*, quod exponitur *qui est, & qui est futurus*, sed ut vidimus *Jehova*, idem est, quod *Tetragrammaton*, ergo non sunt distincta, & ita contendit Vasquez contrà D. Hieron., & D. Thom.

Nihilominus cum eisdem SS. Doctoribus, aliisque linguæ Sacræ peritis tenendum est esse inter se distincta, licet istud ab illo dicatur derivari, & quidem de D. Hieron. patet ex dictis referendo ex eodem pluralitatem, & distinctionem prædictorum nominum. De D. Thom. verò, quia licet in art.9. hic, ubi mentionem facit de nomine *Tetragrammaton*, non videatur aliquid determinare, sed conditionaliter loqui dicens. *Si verò esset aliquod nomen impositum ad significandum Deum non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundum quod consideratur, ut hoc aliquid, illud nomen esset omnibus modis incommunicabile, sicut fortè est nomen Tetragrammaton apud Hebreos*; in hoc tamen art. 11., ut vidimus, postquam determinat, quòd nomen *Deus quoad* id, ad quod significandum imponitur, magis proprium nomen sit, quàm *Qui est*, subdit, ut jam retulimus. *Et adhuc magis proprium nomen est Tetragrammaton, quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & ut sic liceat loqui, singularem*. Ubi manifestè distinguit unum ab alio, determinans hoc pollerius esse impositum ad significandum hunc Deum: nam si essent omninò synonima, non possent sic dici unum alio magis proprium, quod etiam fatetur Vasquez, licet non quiescat huic litteræ D. Thom., ut dicemus infrà.

Ex quibus facilè prob. Quia nequeunt esse idem nomen, ubi sunt distincta significata, sed prædicta habent significata distincta, ut patet ex dictis, & proximè ex D. Thom., ergo non sunt idem nomen. Existimat tamen Mag. Ferre hic §. 15. inter illud *Tetragrammaton*, & nomen *Deus*, solum esse distinctionem penes proprium, & appellativum, intelligendo nomine appellativi, pro eo quod significat naturam divinam communiter, & nomine proprii, quod significat Deum in singulari. At in hoc sensu videbatur similiter etiam distinguendum idem *Tetragrammaton* à nomine *Qui est* juxtà superiorem expositionem D. Thom. ex 2.2., quia illud pariter *Qui est* significat illam magis communiter, scil. quoad prædicatum simplicitatis, non singularitatis, vel incommunicabilitatis.

II. Prob., & urg. præcedens ratio. Quia ut benè advertit Mag. Serra hic, verbum hebraicum *Eje*, loco cujus noster Interpretes vertit. Exod. 3. v. 14. *Qui est*, distinctis constat literis, ac nomen Tetragrammaton *Jehova*, etiamsi tertiam personam illius futuri accipias, nempè *Yhie*, idest *erit*, cum tertia hujus verbi litera sit *Jod*, nominis autem Tetragrammaton *Vau*, nec constat olim loco *Vau*, fuisse *Jod*, Tum quia certum est, subdit ibidem; nomen *Jehova*, deductum esse à Verbo *Haja*, idest fuit, ut docent plures Thesaurorum linguæ sanctæ Auctores, ergo sicut apud latinos sunt distinctæ voces, esse, & essentia, quia nomen essentiæ à verbo esse deductum est, ut inquit Augustinus lib. 12. de Civitate Dei cap. 2., *Abeo, quòd est esse vocatur essentia*, quamvis aliàs *esse* per modum verbi, utrumque significet, per modum tamen nominis existentiam exprimere dicitur; ità apud Hebreos, idem erit de nomine *Jehova*, & de verbo *Haja*, cujus futurum primæ personæ est, *Eje*, idest *Ero*, tertiæ personæ *Yhie*, idest erit; illud enim nomen ab hoc verbo deductum est &c.

Denique probat Mag. Ferre ex diverso usu utriusque apud Hebræos, nam ob ineffabilitatem alterius, scil. *Tetragrammaton* solus Sacerdos utebatur illo benedicens populum, ut notat ex Galatino, & Genebrardo ad illud Num. 6. vers. 26. *Sic benedicetis Filiis Israel*, idest cum nomine meo ineffabili: ob effabilitatem autem alterius, nempe *Qui est* passim utebantur illo; loco verò prioris, ut dictum est assumebant nomen *Adonai*, quia cum nomen *Tetragrammaton* apud illos, (& tradit hic D. Thom.) significaret Deum, ut singularem, discretum, & ut primò diversum, tantæ religionis, & sanctitatis, ac proindè tam proprium Dei erat apud eos, ut illud proferre non auderent. Ex quo infert, quòd cum nomina non sint ineffabilia propter strepitum vocum, sed propter significationem, duo erunt distinctissima non idem nomen, *Qui est & Tetragrammaton*.

Cæterum hæc probatio difficultatem mihi ingerit ex eo quòd supra insinuavimus ex D. Thom., loco relato ex 22. nam, ut vidimus, eandem ineffabilitatem tribuit ibidem huic voci *Qui est*, & quòd loco illius utebantur alio prædicto nomine *Adonai* ob idem motivum religionis, ergo non videtur ad mentem D. Thom. admittere ineffabilitatem in uno, & effabilitatem in alio inferendo ex illis distinctionem utriusque; unde quæ hic successivè prosequitur, (licet valdè eruditè contrà Vasquez) nisi explicentur, aut aliquid addatur, non videntur conformia præfatæ litteræ D. Thom. &c.

Urg. hoc ipsum ponderando solutionem hic ad primum, cui satis nititur, ut dictum est, præsens distinctio utriusque nominis; nam licet statuat hoc discrimen inter hæc tria nomina *Qui est*, *Deus*, & *Tetra-*

Tetragrammaton, quod, attendendo ad id, ad quod imponuntur ad significandum, secundum sit magis proprium, quàm primum, quia significat naturam divinam, & tertium adhuc magis proprium, quàm secundum, quia significat illam ut incommunicabilem, & singularem tanquam aliquid magis proprium Dei, licèt primum præcedat, attendendo ad id, à quo imponitur, scil. ab esse ob tria relata capita, quæ exponit in corp., non tamen exprimit hic quid, hoc primum sit impositum ad significandum, quod tamen explicat 2. 2., scil. simplicitatem naturæ divinæ, ergo licèt, ut insinuavimus, ex doctrina ejusdem Magistri, possit hinc colligi major, & minor proprietas utriusque nominis, *Qui est*, & *Tetragrammaton*, penès magis, vel minùs communiter explicare illam, ut dictum est, aut etiam distinctio penès proprium, & appellativum, sicut ipse infert de 2., & 3., non tamen, quòd sint duo distinctissima, ut ipse ait, aut veluti adæquatè distincta penès significatum, aut utriusq; significationem, si semel utrumque est, sicut & secundum ad significandam naturam, licèt non ita indivisibiliter quoad communicatem, & singularitatem &c.

Fateor ob prædictam doctrinam D. Tho. ex 2. 2., quam non video relatam ab aliquibus, quos viderim ex nostris, difficile mihi videri præsentem resolutionem cum illa, aut utrumque locum componere. Nihilominus, quia certum est, utrobique sine contradictione procedere D. Tho., & hanc distinctionem à nostris Thomistis optimè fundari hic ad 1. placet hæc omnia componere & simul etiam explicare Auctores ab initio §. relati, dicendo, quòd cum nomen per verbum à quo deducitur exponi possit, dum D. Tho. 2.2. tribuit ineffabilitatem verbo *Qui est* referenda est eadem ad nomen *Tetragrammaton*, quod ex illo deducitur, cum aliis Hebræi, ut refertur; passim uterentur hoc verbo *Qui est*, sicut passim etiam habetur in scriptura, unde non erat eis ineffabile, sicut nomen *Tetragrammaton*, sed loco hujus, ut dictum est, adibebant nomen *Adonai*. Ex quo inferimus, quòd si à quibusdam linguæ hebraicæ peritis verbum *Haia* dicatur idem cum nomine *Jehova*, hoc non est, quia sint eædem omninò voces, sed quia hoc ex illo deducitur, qua ratione Theodoretus ubi supra ait Deum dicendo Moysi, *Ego sum qui sum* aperuisse illi nomen suum ineffabile, quia scil. se sppellavit verbo, ex quo nomen ineffabile *Jehova*, sive *Tetragrammaton* deducitur. Et ob idem etiam Clemens Alex. nomen *Jehova* dicit exponi *Qui est*, ut rectè etiam eos explicat M. Serra in fine Commentarii.

Sed instas. Nam c. 6. n. 3. loquens Dominus Moysi de Patribus prædecessoribus ait: *Nomen meum Adonai non indicavi eis*, scil. *sicut tibi*, ut subdit Glos. interlinealis; sed certum est ibi sermonem esse de nomine *Tetragrammatan*, pro quo substituitur *Adonai*, & quòd Moysi nullum sit aliud nomen revelatum, nisi *Sum qui sum*, ergo *Qui est* omninò coincidit cum *Tetragrammaton*.

Huic instantiæ M. Ferre dicit, non esse ibi loquutionem de revelatione materiali nominis, quasi voluerit Deus indicare Moysi, quòd ille fuerit primus, cui Deus revelaverit nomen suum magnum *Tetragrammaton*. Hoc enim esse falsum colligit ex illo Genes. 15, v. 7. ubi Dominus apparens Abrahæ ait. *Ego sum Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldeorum*. In Hebræo autem loco hujus nominis *Dominus* habetur nomen Domini *Tetragrammaton*. Non ergo Moyses fuit primus, cui hoc nomen revelatum est.

Quòd si dicas cum Lirano fuisse quidem Abrahæ revelatum nomen, sed non significatum illius, sive quid significaret. Utrumque autem aperuisse Moysi, dum ait illi, *Sum qui sum, qui est misit me ad vos*.

Reponit cum Burgensi, quòd indicare nomen secundum vocem tantùm, & non significatum modicæ, aut nullius ferè utilitatis est, cùm nomina ad significandum ordinentur, unde si Abrahæ revelatum est nomen, & non ejus significatum inutiliter revelatū est.

Hac ergo solutione relicta, ut salvet non obstante priori revelatione facta Abrahæ de eodem nomine, nihilominùs factam fuisse Moysi, & non aliis PP. antiquis; respondet, posteriorem hanc revelationem, vel loquutionem prædicti cap. 6. intelligendam esse de indicatione nominis *Tetragrammaton* per signa, & portenta, quasi voluerit Deus indicare Moysi, quòd quamvis aliis indicaverit suum nomen faciendo prodigia in utilitatem eorum, non tamen sic indicaverit, quòd eis dederit potestatem faciendi prodigia, & miracula per invocationem nominis sui, sicut concessit Moysi, ut crederetur ei; & rationem assignat, quia nempe per Moysen ex divina ordinatione Lex Dei erat danda; Jo. 1. Lex per Moysen data est, ac per consequens per Moysen miracula erant facienda, ut crederetur Legislatori; unde viso miraculo in mari rubro dicit text. Exod. 14. *Vidit Israel manum magnam, & crediderunt Domino*. Porrò, subdit, res est constans, quòd Deo secundùm significationem hujus nominis *Tetragrammaton* convenit facere miracula. Similiter sub eodem nomine pertinet populum sub lege à Deo data applicare cultui divino, quæ cùm attineret ad Moysen, concessum fuit ei facere miracula in nomine *Tetragrammaton*, non autem aliis PP., qui eum præcesserunt, & hoc est, quod dicitur, *Et nomen meum non indicavi eis*, sicut tibi, ut addit Glos.; unde concludit, cùm in adducto loco Exod. 6. non fiat loquutio de indicatione materiali nominis *Tetragrammatan*, nullum fit argumentum ad probandum, quòd tale nomē sit idem nomen, quòd *Qui est*.

Sed licet hæc, ut dicebamus, eruditè, ac subtiliter dicta sint, non videntur plenè consona explicationi, quam mirificè tradit D. Thom. art. relato in corp. ex 2. 2. de prædictis revelationibus, explanans earum seriem, & diversitatem secundùm diversitatem, & processum temporum juxta eorum indigentiam ad majorem, vel minorem instructionem in Fide Divinitatis, sive quantùm ad omnipotentiam unius Dei, ut fuit illa facta Abrahæ; sive quantùm ad simplicitatem Divinæ Essentiæ, ut fuit posterior, & excellentior facta Moysi; sive quantùm ad mysterium Trinitatis, ut fuit postrema facta Apostolis tempore gratiæ, secundùm illud Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Unde per singulas discurrens post earum expositionem, quantùm attinet ad credenda, sic prosequitur. *Prima enim revelatio ante legem facta est Abrahæ, cujus tempore cœperunt homines à Fide unius Dei deviare ad idololatriam declinando. Ante autem non erat necessaria talis revelatio omnibus in cultu unius Dei persistentibus. Isaac verò facta est inferior revelatio quasi fundata super revelatione facta Abrahæ, unde dictum est ei Gen. 26. Ego sum Deus Abraham Patris tui; & similiter ad Jacob dictū est Genes. 28. Ego sum Deus Abraham Patris tui*,

tui, & Deus Isaac. Et similiter in statu Legis prima revelatio facta Moysi excellentior fuit, supra quam fundatur omnis alia Prophetarum revelatio: ita etiam in tempore gratiæ super revelatione facta Apostolis de Fide Unitatis, & Trinitatis fundatur tota Fides Ecclesiæ, secundùm illud Matth. 16. Super hanc petram, scil. confessionis tuæ ædificabo Ecclesiam meam. Quantum verò, subdit, *ad Fidem Incarnationis Christi manifestum est quòd quantò fuerunt Christo propinquiores sive ante, sive post, ut plurimum, plenius de hoc instructi fuerunt. Post autem plenius, quam ante, ut dicit Apost. ad Ephes. 2.* Ità D. Thom. In quibus non apparet juxtà D. Thom., quòd revelatio facta Moysi fuerit præcisè ad manifestandam virtutem faciendi miracula sive per se, sive per Moysem, aut se ipsum per illam, sed simplicitatem suæ essentiæ per illud nomen *Ego sum, qui sum*, quidquid sit quòd per signa, & portenta per Moysem, aut per potestatem illi collatam ad patranda illa maximè confirmaretur fides, & notitia veri Dei per idem nomen *sum Qui sum*, sive *Qui est* manifestati. Immò si aliqua earum tenderet specialiter ad illam manifestandam, magis videretur tendere ad hoc, precedens facta Abrahæ, prout etiam exponit S. Thom., cùm ad hoc esset, ut instrueret illum in fide de omnipotentia unius Dei, ad quam pertinet prædicta virtus.

Crediderim ergo solutionem adductam ex Lirano juxtà superiorem doctrinam D. Thom. salvari, ac sustineri posse ad hunc sensum, quòd dum ait Abrahæ fuisse revelatum nomen, non significatum, non esse sic intelligendum, quòd solum revelatum fuerit, quantum ad sonum litterarum, vel syllabarum, nam planè nullus negabit illam revelationem esse ad dandam aliquam notitiam sui, vel suæ divinitatis, ac proinde non sistere in puro sono litterarum, sed tendere etiam ad significatū sui magni nominis, ut explicat D. Thom. sicut Moysi, unde in eo quòd illud latuit Abrahæ non Moysi, verè dici potest non fuisse revelatum significatum, sed nomen, & utrumque revelatum Moysi, scil. pleniùs; ex quò non infertur modicæ, aut nullius utilitatis fuisse revelationem, quidquid sit excluso omnium significato, seu tacita, vel occultata fide saltem de omnipotentia unius Dei, in quo tamen instruere debuit juxtà D. Thom. &c.

Ex his aliter eidem instantiæ resp. juxtà superiorem doctrinam, quòd sit idem nomen *Tetragrammaton* cum alio, seu *Qui est* originativè, vel deductivè, quia deducitur ex illo, non tamen significativè, ut explicatum est: quòd verò dicitur non indicasse prioribus Patribus nomen *Adonai*, intelligendum est, ut suprà juxtà D. Thom. secundum pleniorem, vel excellentiorem illam notitiam, qua indicavit Moysi, esto cap. relato Genes. dicatur indicasse nomen *Tetragrammaton*, quantum ad fidem de omnipotentia unius Dei, cum unitas, vel singularitas, aut incommunicabilitas sit speciale, & magis proprium significatum istius nominis, ut ait D. Thom. hic ad primum: immò ex hoc infero esse valde distinctum ab altero *Qui est*, cum significatum istius juxtà priorem explicationem D. Thom. ex 22. sit simplicitas divinæ essentiæ, cujus notitiam tradere voluit Deus appellando se ipsum *Qui est*, ut ait D. Thom. Prætérquamquòd si habetur in Genesi, prout scribitur in Hebræo, quòd Abrahæ manifestavit hoc nomen *Tetragrammaton*, & Exod. 6., quòd non manifestavit nomen revelatum Moysi, & illud est, *Qui est*, ut dicitur Exod. 3. jam nequeunt esse idem nomen.

Contrà verò litteram D. Thom. hic ad 1. opponit Vasquez non videri sibi, qua ratione possit defendi. *Quia* licet nomen *Deus* significet ipsam substantiam Dei, eam tamen etiam significat nomen *Qui est*, aut *Tetragrammaton*, ergo paria sunt quoad id, ad quod significandum imponuntur; tum etiam quia nomen *Deus* ab actione dictum est; nomen *Qui est* ab actu naturæ scil. *ab esse*, ergo non videtur rectè distingui à D. Thom.; tum denique nomen *Qui est* magis explicitè, & distinctè naturam Dei denotat; nomen autem *Deus* eam confusè significat.

Ad hæc patet ex dictis rectissimè procedere D. Th. in assignando discrimen inter prædicta tria nomina, nam licet dicantur omnia significare naturam, vel substantiam divinam, non tamen eodem modo, vel secundum idem prædicatum, unde secundum quòd unum significat illam secundum magis proprium, aut magis singulare prædicatum rectè infert unum dici magis proprium alio; & quia *Qui est* significat eam secundum commune prædicatum essendi, vel secundum illius simplicitatem; Deus verò secundum magis proprium, scilicet secundum differentiale, vel specificativum, & *Tetragrammaton*, adhuc magis singulariter, nempè ut incommunicabilem, aut singularem, optimè concludit istud esse magis proprium cæteris; *Deus* verò magis proprium altero *Qui est*. Nec refert, quòd istud dicatur magis explicare, scil. quoad nos, quia est magis nobis notum, aut perfectius attendendo ad id, à quo impositum est, ut ostendit D. Thom. in corp., non tamen magis propriè, ut explicat ad 1. Per quæ patet ad singula.

Pro complemento hujus tractatus adverto circa id, quod docet D. Thom. hic art. 7., nomina scil., quæ important relationes, sive respectus rationis ad creaturas, seu terminantur ad illas in se ipsis dici de Deo ex tempore; hos esse in duplici differentia, ut suprà insinuavimus ad qu. 10. de præsentia physica, vel reali futurorum in æternitate, nam alii sunt, qui conveniunt Deo ut immutanti, seu causanti mutationem earum, sive ut loquitur D. Thom. infrà qu. 34. art. 3. ad 2., quæ consequuntur actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, sicut creare, & gubernare, salvare, glorificare &c. & isti, sicut & nomina illos importantia dicuntur de Deo ex tempore, ut Creator, Salvator &c. alii verò sunt, qui conveniunt illi, non ut immutanti, sed ut immutaturo, sive non ex quo causat mutationem earum, sed quia est causaturus illam in tempore, seu ut subdit ibidem D. Thom. quæ consequuntur actionem non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, ut scire, & velle &c. & hujusmodi respectus, vel eorum nomina, esto aliqui eorum sint ad creaturas in se ipsis, ut respectus rationis, quo æternitas denominatur ab æterno præsens Anti-Christo, & cæteris futuris, & respectus etiam rationis, qui sequitur ad notitiam intuitivam, quàm Deus habet ab æterno de illis pariter in se ipsis, conveniunt Deo ab æterno, & non temporaliter, quia licet ab æterno creaturas non immutet, ab æterno tamen decrevit suis à se ipso statutis temporibus immutare, in quo, ut dicebamus doctissimus aliàs recentior Thomista videtur decipi ad asserendum prædictum respectum coexistentiæ ad creaturas ratione suæ æternitatis, per quam ab æterno omnia tempora possidet, non convenire Deo ab æterno, ac

proiodè futura non esse physicè, seù realiter præsentia Deo ab æterno io sua æternitate cootre communem consensum Thomistarum, nou distingueus, ut suprà inter hujusmodi respectus ad creaturas in se ipsis, sicut revera distinguendi sunt juxtà superiorem doctrinam D. Thom.: & patet manifestè in præfato respectu rationis consequente ad notitiam iotuitivam, quam de illis in se ipsis habet Deus ab æteroo, quę nec etiam, ut explicabitur infrà, salvari potest sine prędicta reali pręsentia futurorum io æternitate, unde immeritò existimavit esse expressam doctrinam D. Thom. hic art. 7., quòd omnes respectus rationis ad creaturas iu se ipsis Deo tantum temporaliter cooveniant. Itaque non solum respectus idęales, notio ingeniti, relatio ęqoalitatis inter divioas personas, sed etiam prędictus coexistentię io ęternitate, notitię intoitivę, sicut & actus liberi Deo ab ęterno conveniunt, ac proindè etiam nomina, quę hujusmodi respectus importeut, quod est valde notandum pro pręfata difficoltate, & altera affioi de qua infrà ad tractatum, vel quęst. sequentem &c. Et hæc iterum omnia ad laudem Dei, Beatæ Virginis Marię, Beati Dominici, & D. Thomę Aquinatis, & omnium Sanctorum.

F I N I S.



INDEX

INDEX
TOMI PRIMI.

TRACTATUS I. *In prim. par. Divi Thomæ.* pag. 1.
DISPUTATIO I. *De natura, ac necessitate Theologiæ.* Ibid.
QUÆSTIO I. *Utrum Theologia sit necessaria, ac propriè scientia.* Ibid.
§. I. *Quibusdam præmissis circa intelligentiam literæ art. 1. Statuitur 1. Conclusio affirmativa de necessitate Theologiæ.* 2., & 3.
§. II. *Statuitur 2. Conclusio iterum affirmativa de Theologia viæ quoad 2. par.* 4.
§. III. *Duplici ratione prob.* 6.
§. IV. *Tertia Conclusio affirmativa etiam de Theologia Patriæ sive intra, sive extra Verbum.* 9.
§. V. *Solvuntur argumenta contra 1. Conclusio.* 11.
§. VI. *Solvuntur argumenta contra 2. Conclus.* 13.
§. VII. *Solvuntur argumenta etiam contra 3. conclusionem.* 16.
§. Ult. *Statuitur Corolarium quòd non sit Theologia per se obscura.* 20.
QUÆSTIO II. *Utrum sit Theologia quoad entitatem, vel substantiam supernaturalis.* 22.
§. I. *Præmittuntur quædam necessaria circa quiditatem, & divisionem supernaturalitatis.* ibid.
§. II. *Statuitur 1. Conclusio affirmativa, salva probabilitate opposita sententia.* 23.
§. III. *Statuitur 2. Conclusio quòd non sit habitus per se infusus, sed acquisitus.* 20.
§. IV. *Solvuntur argumenta contra 1. Conclus.* 28.
§. V. *Solvuntur alia duo argumenta contra eandem.* 31.
§. VI. *Solvuntur argumenta contra 2. Conclus.* 33.
QUÆSTIO III. *Utrum nostra Theologia sit propriè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, & maneat in Patria.* 37.
§. I. *Statuitur 1. Conclusio affirmativa quoad 1. par.* ibid.
§. II. *Statuitur 2. Conclusio iterum affirmativa quoad 2. par.* 39.
§. III. *Solvuntur argumenta contra 1. Conclus.* 40.
§. IV. *Solvuntur argumenta contra 2. Conclus.* 44.
QUÆSTIO IV. *Utrum in hæretico sit vera Theologia ejusdem rationis cum nostra.* 50.
§. I. *Statuitur Conclusio negativa sive quoad statum, sive quoad substantiam.* 51.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 53.
§. Ult. *Corolarium circa subordinationem Theologiæ respectu aliarum inferiorum.* 57.
DISPUTATIO II. *De his, quæ conveniunt Theologiæ ex parte finis, & objecti.* 59.
QUÆSTIO I. *An Theologia sit simul practica, & speculativa.* ibid.
§. I. *Statuitur 1. Conclusio affirmativa.* 60.
§. II. *Statuitur 2. Conclusio, quòd non solum eminenter, sed etiam formaliter sit simul speculativa, & practica, magis autem speculativa, quàm practica, sive ut alii dicunt primariò speculativa, secundariò practica.* 62.
§. III. *Solvuntur argumenta contra 1. Conclus.* 65.
§. IV. *Solvuntur argumenta contra 2. Conclus.* 69.
QUÆSTIO II. *An Theologia sit una scientia specie.* 73.
§. I. *Statuitur Conclusio affirmativa.* 74.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 76.
DISPUTATIO III. *De subjecto, & modo procedendi Theologiæ.* 83.
QUÆSTIO I. *Quodnam sit subjectum adæquatum Theologiæ.* 84.
§. I. *Statuitur Conclusio, quòd sit Deus sub ratione Deitatis.* ibid.
§. II. *Solvitur 1. argumentum ex authoritate.* 85.
§. III. *Solvuntur alia argumenta.* 87.
§. IV. *Corolaria circa excessũ Theologiæ supra quamcunque scientiam naturalem.* 90.
§. V. *Solvuntur argumenta contra præcedens Corolarium.* 92.
§. VI. *Aliud Corolarium circa conceptum sapientiæ.* 96.
QUÆSTIO II. *An Theologia sit argumentativa, & quomodo.* 100.
§. I. *Conclusio affirmativa, quòd sit verè argumentativa.* ibid.
§. II. *2. Conclusio de locis Theologicis.* 102.
§. III. *Explicatur convenientia utendi metaphoris in Scriptura, solutis etiam quibusdam objectionibus.* 106.
§. IV. *Aperiuntur sensus Sacræ Scripturæ.* 108.
§. V. *Expeditur alia difficultas de pluralitate sensuum literalium.* 110.
§. VI. *Duo Corolaria ex dictis. 1., quòd correspondens vocibus est duplex.* 112.
§. VII. *2. Nec esse nocivum, nec mortiferum.* 114.
TRACTATUS II. *De Deo, & ejus attributis.* 115.
DISPUTATIO I. *De existentia Dei.* ibid.
QUÆSTIO I. *An hæc propositio,* Deus est, *sit per se nota secundum se, sed non quoad nos.* ibid.
§. I. *Quibusdam præmissis circa divisionẽ, & quiditatem propositionis per se notæ, referuntur sententiæ.* ibid.
§. II. *Statuitur duplex Conclusio. 1., quòd est per se nota secundum se, 2. quòd non est per se nota quoad nos.* 118.
§. III. *Solvuntur argumenta contra 1. Concl.* 121.
§. IV. *Solvuntur argumenta contra 2. Concl.* 124.
QUÆSTIO II. *An detur ignorantia invincibilis de existentia Dei &c.* 126.
§. I. *Conclusio negativa.* 127.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 129.
DISPUTATIO II. *De existentia Dei demonstrabilitate per vires naturæ.* 132.
QUÆSTIO I. *An sit de fide existentiã Dei esse demonstrabilem solis viribus naturæ.* ibid

§. I. Conclusio affirmativa. ibid.
§. II. Solvuntur argumenta. 134.
QUÆSTIO II. Quomodo existentia Dei sit demonstrabilis. 137.
§. I. Conclusio quòd solum à posteriori. 138.
§. II. Solvuntur argumenta. 140.
QUÆSTIO III. Utrum rectè probetur à D. Thoma existentia Dei. 142.
§. I. Conclusio affirmativa, quòd rectè, ac demonstrativè. ibid.
§. II. Alia ratione, vel demonstratione prob. 144.
§. III. Exponuntur aliæ rationes D. Thomæ. 146.
§. IV. Solvuntur argumenta. 148.
DISPUTATIO III. De quiditate Dei. 153.
QUÆSTIO Unica Quodnam sit constitutivum Metaphysicum naturæ divinæ. ibid.
§. I. 1. Conclusio negativa de conflato, seu cumulo divinarum perfectionum. 154.
§. II. Solvuntur argumenta contra præced. Conclusionem. 156.
§. III. 2. Conclusio de esse entis à se, vel existentia, negativa. 159.
§. IV. Solvuntur argumenta contra eandem secundam. 192.
§. V. 3. Conclusio resolutiva. 167.
§. VI. Aliis rationibus prob. 2. pars. 171.
§. VII. Solvuntur argumenta contra eandem tertiam. 173.
§. VIII. Alia argumenta contra secundam partem illius. 176.
§. IX. Alia duo argumenta contra eandem secundam par. 182.
§. X. Expeditur difficultas de distinctione essentiæ, & naturæ. 186.
§. Ultimus Solvuntur argumenta contra præced. resolutionem. 187.
DISPUTATIO IV. De attributis in communi. 192.
QUÆSTIO Unica Quomodo distinguantur attributa inter se, & à natura. 193.
§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ. ibid.
§. II. Prima Conclusio contra Scotum. 197.
§. III. Argumenta contra Conclusionem. 200.
§. IV. 2. Conclus. affirmativa de distinctione objectiva, seu virtuali &c. 206.
§. V. Argumenta contra primam par. hujus conclusionis. 210.
§. VI. Argumenta contra secundam par. 213.
DISPUTATIO V. De attributis in particulari. 217.
QUÆSTIO I. Quomodo sint perfectiones creaturarum in Deo. 218.
§. I. Præferuntur quædam supposita. ibid.
§. II. Duplex Conclusio. Prima simplices simpliciter sunt eminenter formaliter. 221.
Secunda. Non simpliciter simplices redaplicativè ut tales sunt solum eminenter virtualiter; secundum tamen id, quod dicunt de perfectione, etiã formaliter. 222.
§. III. Argumenta. 224.
§. IV. Corolaria ex dictis. 228.
DISPUTATIO VI. De immensitate Dei. 232.
QUÆSTIO I. An præsentia Dei in rebus efficaciter probetur ex ejus operatione. 233.
§. I. Conclusio affirmativa ex D. Thom. ibid.
§. II. Prob. ex D. Paulo, & PP. 235.
§. III. Prob. ratione. 236.
§. IV. Argumenta. 237.
§. V. Corolaria ex dictis. 241.
QUÆSTIO II. De præsentia Dei in spatiis imaginariis. 245.
§. I. Conclusio negativa de vera, & reali præsentia &c. ibid.
§. II. Argumenta. 248.
§. III. Corolaria ex dictis. 254.
§. IV. Expeditur quæstiunc. circa illius modum existendi per gratiam. 257.
DISPUTATIO VII. De æternitate Dei. 259.
QUÆSTIO I. An æternitas veram, & propriam habeat rationem durationis, & mensura respectu divini esse. 260.
§. I. Præmissa definitione æternitatis statuitur duplex conclusio 1. Est formaliter etiam duratio. ibid.
Secunda est mensura tantum virtualiter. 261.
§. II. Argumenta contra 1. 262.
§. III. Argumenta contra 2. 264.
QUÆSTIO II. De reali præsentia futurorum in æternitate. 268.
§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ. 269.
§. II. Conclusio affirmativa de mente D. Thom, & aliorum PP. 270.
§. III. Rationibus prob. 272.
§. IV. Probatur alia duplici ratione. 275.
§. V. Argumenta. 280.
§. VI. Alia argumenta. 284.
§. VII. Alia iterum argumenta. 287.
§. VIII. Expeditur difficultas de mensura visionis beatæ. 293.
§. IX. Argumenta contra resolutionem. 294.
DISPUTATIO VIII. De unitate Dei. 298.
QUÆSTIO I. Duplex. Conclusio 1. Unitas supra ens addit aliquid positivum &c. 299.
§. I. Secunda. Positivum completum per negativum est formale constitutivum illius. 300.
§. II. Argumenta. 302.
QUÆSTIO II. De unitate Dei. 306.
§. I. Conclusio Deus est maximè unus. ibid.
§. II. Argumenta. 307.
TRACTATUS III. De Visione Dei. 309.
QUÆSTIO I. De possibilitate intellectus creati ad illam. ibid.
§. I Conclusio affirmativa de fide. 310.
§. II. Expenditur 2. ratio D. Thom. 311.
§. III. Argumenta ex Scriptura, & PP., & aperitur eorum mens. 315.
§. IV. Argumenta ex aliis PP. Chrysost., Gregorio Nisseno, & Theodoreto. 316.
§. V. Alia argumenta ex ratione. 319.
§. Ultimus. Alia argumenta contra rationes Divi Thomæ. 322.
QUÆSTIO II An Deus clarè visus contineatur sub objecto nostri intellectus. 323.
§. I. Præmissa radice difficultatis referuntur sententia, & modi dicendi. 324.
§. II. 1. Conclusio. Continetur Deus clarè visus intra objectum adæquatum, vel specificativum illius. 328.
§. III. 2. Conclusio. Non continetur intra objectũ specificativum nostri intellectus præcisè, ut habet prædictum modum essendi; & distinctum ab Angelico

gelico. 332.
§. IV. Argumenta contra 1. 333.
§. V. Argumenta contra 2. 337.
QUÆSTIO III. An detur appetitus innatus ad gloriam. 339.
§. I. Conclusio negativa. 340.
§. II. Argumenta. 343.
§. III. Corolaria ex dictis. 346.
QUÆSTIO IV. An detur elicitus naturalis ad visionem. 349.
§. I. Referuntur modi dicendi. ibid.
§. II. Prima Conclusio negativa de efficaci. 350.
§. III. Secunda Conclusio affirmativa de inefficaci, non tamen ex motivo supernaturali. 352.
§. IV. Tertia Conclusio. Probabile est appetitum elicitum, aut naturale desiderium videndi Deum esse necessarium quoad specificationem. 353.
§. V. Argumentum contra 1. 355.
§. VI. Argumentum contra 2., & 3. 357.
DISPUTATIO III. De possibilitate speciei creatæ, & oculi corporei ad visionem, pramisso modo unionis divinæ essentiæ cum intellectu beati, & concursu illius ad videndum. 359.
QUÆSTIO I. 1. An detur species de facto, & an divina essentia uniatur illi ut species, & quomodo. ibid.
§. I. 1. Conclusio circa mentem D. Thom. 360.
§. II. 2. Conclusio de unione divinæ essentiæ. 362.
§. III. Aliæ quatuor Concl. circa modū unionis. 365.
§. IV. Argumenta. 367.
QUÆSTIO II. An divina essentia sic unita efficienter concurrat cum illo &c. 369.
§. I. Quibusdā præmissis referuntur sententiæ. ibid.
§. II. Prima Conclus. affirmativa de concursu activo, vel effectivo. 370.
§. III Secunda Conclusio. Idem concursus est liber applicativè, & determinativè, absolutè loquendo ex suppositione tamē unionis &c. est necessarius elicitive, vel quoad exercitium. 372.
§. IV. Argumenta. 373.
QUÆSTIO III. De possibilitate speciei impressæ, ad visionem Dei. 376.
§. I. Prima Conclusio negativa etiam de potentia absoluta. ibid.
§. II. Explicatur identitas ordinis inter speciem, & objectum. 379.
§. III. Expositis aliis duabus rationibus statuitur 2. Conclusio negativa etiam de cognitione abstractiva. 380.
§. IV. Argumenta. 381.
§. V. Alia argumenta. 385.
QUÆSTIO IV. De specie expressa, vel verbo. 390.
§. I. Duplex Conclusio. Prima negativa de partiali verbo. 391.
2. Iterum negativa etiam de potentia absoluta. ibid.
§. II. Argumenta ex authoritate. 393.
§. III. Alia argumenta ex ratione. 394.
§. IV. Alia duo argumenta. 397.
QUÆSTIO Ult. De oculo corporeo an possit elevari ad visionem. 399.
§. I. Conclusio negativa. 400.
§. II. Argumenta. 403.
§. III. Alia duo argumenta. 406.
DISPUTATIO III. De lumine gloriæ. 408.
QUÆSTIO I. De efficacia rationis D. Thom. ad probandam impossibilitatem intellectus sola vi naturali ad productionem visionis. ibid.
§. I. Conclusio affirmativa. 409.
§. II. Argumenta. 410.
QUÆSTIO II. An lumen gloriæ concurrat ut virtus intellectiva tenens se ex parte intellectus, an solum ex parte objecti, ut virtus ejus. 412.
§. I. Præmittuntur quædam necessaria circa quidditatem luminis. ibid.
§. II. Conclusio affirmativa, quòd solum ut virtus ex parte potentiæ. 413.
§. II. Argumenta. 416.
QUÆSTIO III. An lumen sit dispositio ad unionem essentiæ cum intellectu in ratione speciei. 421.
§. I. Conclusio affirmativa. ibid.
§. II. Argumenta. 422.
QUÆSTIO IV. An lumen sit etiam necessaria dispositio ad recipiendam visionem. 423.
§. I. Duplex Conclusio. Prima affirmativa altero ex duobus modis assignatis: & concurrit etiam efficienter. 424.
Secunda non est dispositio purè efficiens, sed etiā receptivum ut quo. 425.
§. II. Argumenta. 426.
QUÆSTIO V. An lumen sit adæquata virtus proxima. 427.
§. I. Quibusdam præmissis, in quibus utraque pars convenit, & differt, referuntur sententiæ. ibid.
§. II. 1. Conclusio negativa de concursu instrumentali intellectus. 432.
§. III. Ratione prob. ultimò. 434.
§. IV. Argumenta contra præcedentem Concl. 436.
§. V. Alia duo argumenta contra eandem. 439.
§. VI. 2. Conclusio affirmativa, quòd lumen sit adæquata virtus proxima. 444.
§. VII. Alia ratione prob. à posteriori. 448.
§. VIII. 1. Argumentū ex authoritate. 451.
§. IX. 2. Argumentum ex authoritate D. Thom., & August. 454.
§. X. Argumenta ex ratione. 457.
§. XI. Alia argumenta. 462.
QUÆSTIO VI. An intellectus sine omni intrinseco superaddito possit videre &c. 465.
§. I. Conclusio negativa etiam de potentia absoluta. 466.
§. II. Secunda Conclusio quòd possit cum sola qualitate fluida. 471.
§. III. Argumenta contra primam Conclus. 473.
§. IV. Argumenta contra secundam. 477.
QUÆSTIO VII. An lumen sit propriè habitus, vel potentia. 481.
§. I. Conclusio simpliciter, & essentialiter est habitus (& idem de aliis donis &c.) aliquid tamen participat de ratione potentiæ &c. 482.
§. II. Argumenta. 484.
QUÆSTIO VIII. An sit dabilis creatura, cui sit connaturale lumen, & impeccabilis. 487.
§. I. 1. Conclusio negativa quoad 1. par. 488.
§. II. Probatur ratione. 489.
§. III. Duplici alia ratione probatur. 493.
§. IV. 2. Concl. negativa etiam quoad 2. par., ac proindè impossibilis substantia supernaturalis. 495.
§. V. Argumenta. 497.
§. VI. Alia argumenta etiam contra 2. Concl. 501.
QUÆSTIO IX. An visio sit connaturalis intellectui informato lumine. 504.

§. Uni-

§. Unicus *Expenditur difficultas triplici Conclusione.* ibid.

QUÆSTIO X. *An æqualitas, vel inæqualitas visionis ex sola luminis &c. sumatur.* 505.

§. I. *Statuitur suppositum circa rectam intelligentiam conclus. D. Thom.* 506.

§. II. *Aliud suppositum contra hæreticos circa æqualitatem visionum.* ibid.

§. III. *Solvitur fundamentum Joviniani sumptum ex cap. 20. Matt.* 507.

§. IV. *Conclusio affirmativa.* 509.

§. V. *Ratio à posteriori.* 510.

§. VI. *Alia argumenta ex authoritate D. Tho.* 513.

§. VII. *Alia argumenta.* 516.

QUÆSTIO XI. *An dentur, aut dari possint visiones specie diversæ, vel inæquales.* 519.

§. I. *Duplex conclusio. Prima negativa.* ibid.

2. Conclus. negativa etiam de potentia absoluta. 521.

§. II. *Argumenta.* 522.

§. Ultimus *Corolaria ex dictis.* 526.

DISPUTATIO Ultima *De objecto visionis.* 528.

QUÆSTIO I. *Quid sentiant PP., & Scholastici nomine comprehensionis dum dicitur Deus incomprehensibilis.* ibid.

§. I. *1. conclus. Prior modus explicandi est insubsistens.* 529.

§. II. *2. concl. proprius modus cõprehensionis &c.* 530.

§. III. *Argumenta.* 532.

QUÆSTIO II. *An sit de fide Deum esse incomprehensibilem &c.* 533.

§. I. *Conclus. affirmativa, circa communem consensum PP.* ibid.

§. II. *2., & 3. Concl. secunda affirmativa de fide secundum potentiam ordinariam: tertia etiam de potentia absoluta.* 534.

§. III. *Argumenta.* 535.

QUÆSTIO III. *De necessitate videndi omnia divina ex natura Dei.* 539.

§. I. *Explicatur, & reducitur mens aliquorum Thomistarum ad communem consensum.* ibid.

§. II. *Duplex Conclus. Prima affirmativa de facto tam ex parte Dei visi quàm visionis.* 540.

Secunda iterum affirmativa ex natura rei omnium non per modum plurium, sed unius simplicis perfectionis &c. 542.

§. III. *Argumenta.* 543.

QUÆSTIO IV. *An saltem de potentia absoluta.* 547.

§. I. *Conclus. negativa.* ibid.

§. II. *Aliis rationibus prob.* 549.

§. III. *Argumenta.* 551.

§. IV. *Alia argumenta.* 553.

QUÆSTIO V. *An eadem visione sint visibilia decreta libera.* 557.

§. I. *1., & 2. conclus. Prima non est necessarium videri omnia, nec aliquod.* 558.

Secunda videri possunt &c. 559.

§. II. *3., & 4. conclus. Tertia præter lumen gloriæ, & essentiam unitã &c. requiritur ex parte objecti quòd reddantur proportionata &c.* 560., & 561.

Quarta. Duobus modis fiunt objectivè manifesta &c. ibid.

§. III. *Argumenta.* 562.

QUÆSTIO VI. *De visione creaturarum in Deo, ut in causa, vel objecto priùs cognito.* 565.

§. I. *Præmittuntur quædam necessaria ad statum quæst.* ibid.

§. II. *1. conclus. videri possunt in illo secundum proprias rationes.* 566.

§. III. *Secunda conclus. affirmativa etiam ut in causa simplici intuitu &c.* 568.

§. IV. *Argumenta.* 570.

QUÆSTIO VII. *An videantur creaturæ in aliqua differentia temporis sive ut existentes, sive ut futura, aut præterita.* 572.

§. I. *1., & 2. Conclus. Prima. Id non est necessarium. Secunda id non repugnat.* 573.

§. II. *3., & 4. conclus. Tertia de facto vident aliquas. 4. Quilibet videt universam Orbis molem. &c.* 574.

§. III. *5., & 6. Conclus. 5. Quilibet videt mysteria fidei &c. & videns ex eventibus contingentibus, quo ad suum statum.* 575

§. IV. *Argumenta.* 577.

§. V. *Ultimum argumentum contra ult.* 579.

QUÆSTIO VIII. *An sit necessarium videre aliquã, vel omnes possibiles, & his visis sive intrà sive extrà Verbum sequatur comprehensio essentiæ, vel omnipotentiæ.* 581.

§. I. *Expeditur 1. pars duplici concl. Prima. Non est necessarium videri omnes.* ibid.

Secunda. Possibilis est visio sine visione alicujus. 582.

§. II. *Expeditur 2. pars de visione omnium in Verbo. Tertia Conclus. negativa.* 583.

§. III. *Argumenta contra præced. Conclus.* 586.

§. IV. *Resolvitur altera pars ex D. Thom. 4. Conclus. est negativa etiam extra, non tamen illa admissa sequeretur comprehensio.* 588., & 589.

§. V. *Ratione probatur quoad utramque par.* 590.

§. VI. *Argumenta contra præcedentem Conclusionem.* 593.

§. VII. *Corolaria ex dictis de modo cognoscendi in Verbo.* 597.

§. VIII. *Expeditur de privilegio videndi in via.* 598.

§. Ultimus *Duo Corrolaria de cognitione habita de Deo in via. Primum posse per rationem naturalem haberi cognitionem de illo quoad an est, & prædicata convenientia illi ut 1. causæ.* 601.

Secundum. Cognitionem habitam hic per lumen gratiæ longè excedere habitam per naturam &c. 602.

TRACTATUS IV. *De nominibus Dei.* 604.

DISPUTATIO Unica. *Quomodo Deus sit nominabilis.* ibid.

QUÆSTIO I. *An possit Deus nominari nomine significante ipsum ut in se est.* ibid.

§. I. *Duplex concl. Prima negativa de viatore sive respectu sui, sive aliorum.* ibid.

Secunda affirmativa de Angelis, & beatis. 605.

§. II. *Argumenta.* 606.

QUÆSTIO II. *An aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter propriè.* 609.

§. I. *Prima Conclusio negativa de nomine importante negationem, vel relationē ejus ad creaturas.* ibid.

§. II. *2. Concl. quoad rem significatam plura dicuntur propriè de Deo non quoad modum significandi.* 610.

§. III. *De pluralitate, & proprietate nominum Dei.* 612.

§. IV. *De distinctione nominis* Qui est *à Tetragrammaton.* 615.

FINIS INDICIS.

REGESTUM.

✝ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii

Omnes ſunt Duerniones.



ROMÆ, MDCCIX.

Ex Typographia Komarck in Via Curſûs.

SUPERIORUM PERMISSU.

